R. BIBLIOTECA UNIVERSITARIA ALESSANDRINA ROMA
Rh 9

R.h.9

NOVA BENEFICIORVM PRAXIS,

IN QVA EXPLICANTVR QVÆ AD BENEFICIA, EORVM NATVRAM, AC SPECIEM PERTINENT.

SVNTQVE SECVNDVM MAGIS COMMVNES IVRIS, cum Canonici, tùm Gallici obſeruationes præiudicata ac deciſa.

OPVS MAGISTRIS, IVDICIBVS, ET ADVOCATIS, AD PLENAM praxis fori Gallici notitiam in beneficiorum cauſa conſequendam, vtile.

Auctore R. P. STEPHANO BAVNY è Societate IESV.

ACCESSERE SYLLABICI INDICES TRES, TITVLORVM quæſtionum & rerum, ex quibus duo priores poſt præludia, collocatur extremus in calce operis.

ALESSANDRINA

172
8



PARISIIS,
Apud MICHAELEM SOLY, viâ Iacobęâ, ſub ſigno Phœnicis.

M. DC. XLVIII.

[*Cum Approbatione & Priuilegio Regis.*

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI
CAROLO A LOTHARINGIA
PRINCIPI ET ABBATI GORZIENSI,

PRIMATI DVCATVS LOTHARINGIÆ, INSIGNIS Eccleſiæ ſancti Deodati magno Præpoſito, Abbati Senonenſi, Lunaris Villæ, Stilzebronenſi, Euſſerthalenſi, Priori de Flauiniaco, Commendatori S. Antonij apud Muſſipontum.

BENE tibi (PRINCEPS ILLVSTRISSIME) liber hic meus de Beneficijs ſe credit, cuius in ſinum, vbere fœcundáq; copia, diuina ſe infudere beneficia. Et primò quidem, quale hoc eſt, & quantum, quod tu ſtirpi virtutem, gentis celebritati morum adieceris cõmendationem? quod tamen tui ſimiles, claro natu homines, plerique ferè omnes negligunt? Quale hoc item? quod cum illis ad laudem oſtentare ſit ſatis maiorum ceras, quæ nepotum incuriâ ſæpe vaporantur ac fluunt, fumoſas imagines quas ſæcula deterunt, ſepulchra aurea ac marmorea, non tam eorum glorię, quàm vanitatis clara inſignia; Tu terrâ maior, terram negligas, & cùm factis quàm verbis illuſtrior eſſe, ac videri malis, fortia facere quam dicere, ſcribenda ac imitanda poſteris gerere, quàm (vt quondam Heroes) narrare gerenda mauis. Non ibo per omnes ætatis tuæ gradus, quæ Adoleſcens

geſſeris, quæ dixeris, narrare nolo, quanquam iam tùm fuiſſe in te aliquid, quo qui te videbant, proficerent, ac ex ipſo occurſu tuo, aſpectúque ad virtutem inclinabiles fierent, eorum qui te tùm nouerunt, certa eſt miniméque fallax opinio. Quæ autem ingenij, quæ moderationis, vniuerſæ nobilitati quę tecum verſabatur in Academiâ, quæ ſapientiæ exempla dederis, malo in eorum conſcientia qui te norunt relinquere, quam quod nulli non conſtat, dicere, te eo tempore nihil humanius, nihil ſapientius, nihil ad res, perſonas, honeſtaſque conſuetudines fuiſſe accommodatius. Ibi vero quos in literis cuiuſquemodi tam humanis, & Philoſophicis, quàm Theologicis progreſſus feceris, teſtantur illa tua quotidiana cum libris colloquia, tuáque munificentia digna ſupellex libraria, quam ex multiplici ſcriptorũ varietate collectam, domi habes ad ſolatium. Verum enim ſunt hæc Tibi cum multis communia; propria quæ ſequuntur; vixiſſe te in aula Principum vt in mari piſces, ſcelerum, quibus eſt infeſta, ſalſugine non contracta, in quo à Dei charitate, ac beneficio, hoc expreſſiſti miraculum, quod inſolitum dixit Liuius, *bonam fortunam, bonamque mentem, in vno eodemque conſociari homine*. Nam & illius ſuperbientis inſolentiam, modeſtiâ ſuperaſti, quæque aliis morum vulnera infligit, ne ſentires, tua tàm in communi ſermone comitas, quam innata genti tuæ cum ſingulari erga omnes humanitate bonitas, obſtitit, ita quod de Veſpaſiano ſcripſit olim Plinius, hoc de te dici poteſt veriùs, quò tua eſt quàm illius virtus il-

Digitized by Google

luſtrior, *in te quicquam non mutaſſe fortunæ amplitudinem, niſi vt prodeſſe tantundem poſſes, & velles.* Et faciebas tu quidem fœliciter, verùm enim (tempora, tempora, qualem & quantam vbique rerum & fortunæ commutationem attuliſtis) faciebas (inquam) cum tu non magis genere, quam conſilio ingenióque Princeps, arcani eius Senatus, quem tuæ prouinciæ Religio, maturitas, ſapientia, virtutum & ſtudiorum diuitiæ conflabant, rem communem, priuatamque ſingulorum, ad æqui rectique normam regebas, ac ſi tùm ibi nihil negligenter, nihil inaniter, diſſolutè nihil ac imprudenter, Præſide te, & arbitro eſt geſtum, Artis tuæ fuit ac ſapientiæ, Iudicij, quod & tua ſeuerè, & aliena iudicares placidè; Amoris, quod quæ quiſque loquebatur, auida haurires aure, vltro ac ſponte pleno laudares ore; Sapientiæ, quod quæ opus eſſent, ea tu loco, ac tempore monebas vtiliter, & monebas eos quorum intererat, vt & humanitas careret adulatione, & veritas amaritudine. Et ecce aliud diuinæ in te benignitatis, amoriſque argumentum, quod Religioſæ vitæ profeſſores, Deo mancipatos homines, non amore modo, ſed & opibus, boniſque paternè foueas, locis amplifices, vbi pietati, inſtituto vitæ ſuæ laudabili vacent, Cœnobiis pro cætera tua munificentia dones, eadem cum ſunt collapſa repares, ducentis iam annis incolis vacua, antiquis ſuis poſſeſſoribus, ordiníque reddenda cures. Flauiniacum loqui ſi poſſet, plus tibi vni debere ſe diceret, quam qui te præceſſere, Cœnobiarchis de turba Regularium mille aliis, prouen-

tus hi duntaxat ne perirent, qua poterant cura intendebant, Tu, ſi non omnino perditos, certè diminutos, longâque annorum ſibi ſuccedentium ſerie, à vicinis iuſte in ſpeciem poſſeſſos, reddidiſti.

Beneficia vero, quorum ingens tibi conferendorum eſt copia, ſic largiris, vt cum candidatorum ea poſtulantium cauſam agis, Eccleſiæ non negligas, ſic doctrinã in illis diligis, vt eam charitati non pręferas; ſic virtutem, vt qui ad docendum eruditione carent, gradu, locóque quem ambiunt, dignos non putes, & quia Dei negotia ſic geris, vt tua, imo quia Dei, impenſiore cura quàm tua; ſcelera ſi quæ in Clericis, vt in paluſtri loco mala germina ſe proferunt, antequam adoleſcant, ſeque ex herbâ in culmum induant, qua ſedulitate ſoles omnia, opprimis, in quo eſt tua maior inſigniorque gloria, quo hæc tua plena charitatis officia, collatáque Eccleſiis, egeniſque munera, ſoli vis eſſe Deo cognita. Macte ergo hac virtute (PRINCEPS ILLVSTRISSIME) eiuſque fructu gaude, gaude diuinæ ergà te prouidentiæ conſiliis, ac amore, nec enim nos qui te, qui incontaminatam tuam per omnes vitę gradus innocentiam, fidem, ac Religionem nouimus, aliud loqui ac ſentire poſſumus, quam te, qui iſtis in hac morum temporumque corruptelâ, pręſtas virtutibus, Superis charum eſſe. Bonum enim virum, bonum Antiſtitem, moderatum Pręſulem eſſe, ac videri, qualis es, eſt hoc prouidentię, diuinęque in Eccleſiam beneficentię argumentum non leue. Erit & tuę erga me non obſcurum, ſi librum hunc de beneficiis, qui ad te

abire

abire geſtit, bonorum tuorum partè aliquâ frui ſinis. Nimirum in tua eſſe Tutelâ ambit, quem diuina tegit, lucem tuis videre oculis, quos cœleſtis claros ac perſpicaces facit. Hunc tu ergo (PRINCEPS ILLVSTRISSIME) ne dedignare pauperem illum quidem ac vilem, ſed tuorum in me meritorum veriſſimum teſtem, ac indicem, ſimul meę erga tuum nomen gratiſſimę voluntatis fideliſſimum obſidem. Tuus eſt, quia ſocietas ex qua prodit eſt tua, ſed ea re pręſertim eſt tuus, quòd ab eo vitam habet, qui tuis meritis, proprięq; inductione voluntatis, quantus eſt, totus eſt tuus. Hoc tu nomine, quia deſunt cętera, in tuam illum clientelam recipe, eiq; nomen tuum, vt ſecurè lucem videat, ac ſub manu tuâ adoleſcat ad fructum, præfigi ſine, dum ego à Magiſtratibus quos in Dei Eccleſia, mereris virtute tuâ maximos, citum hic tibi honorem, ſeram laudem, æternam famam, Beatam in cœlo immortalitatem, cum Deo duraturam, precor, & ominor. Vale. Pariſiis 3. Nonas Octobr. anni 1647.

EXCELLENTIÆ TVÆ

Perpetuus in Chriſto ſeruus
STEPHANVS BAVNY.

AD LECTOREM.

QVISQVIS es, qui librum hunc aliquando, oculis & manu teres, ſuper eo pauca quædam habeo de quibus in limine te præmonitum volo. De beneficijs, ex antiqua, nouáque Eccleſiæ forma Clerico conferendis, de eius officijs, charitate in Deum, religione in Cœlites, ſedulitate in procuranda commiſſa ſibi plebe diſſerit, quàm bene tuum erit iudicium. De me interim hoc tibi verè narro, aſſidua feciſſe me menſium multorum diligentia, nihil vt tibi, in ſubiecta materia, ſubtractum iuſtè queri poſſes, quod ad perfectam eius intelligentiam plenius explicatum velles. Potuiſſem, niſi tibi moram facturus fuiſſem ac nauſeam, ad Pontificum decreta, addere & Scriptorum teſtimonia, prouocare ad Theologorum fidem, Canonum enarrationem, ſicque ſignatis veluti tabulis, teſtibuſque negotium conficere: ſed enimuero, tibi ac breuitati, quàm mihi, ſatisfacere malui. Quia tamen multi, quorum in Gallia, eruditioni ac doctrinæ, non minus quàm pietati aſſurgitur, ſcire ſe in beneficijs nihil putant, ſi quæ ſunt Gentis propria ignorant, vt de his pleniorem ipſe tibi, ex Romanis, noſtriſque moribus ſpeciem conformares, feci quod auebant illi, forique noſtri, id eſt Gallici publicam praxim, non Senatus magis ſententiis, quàm Scriptorum libris, copiaque peruulgatam, non quaſi gemmam vnam aliquam, ſed vt hiſtoriam operi intexui, ignaris ob nouitatem, non ingratam, mihi autem qui de Sacerdotijs, tam Romæ, quam hic & vbique acquirendis, ſeruandiſque diſputo, non omnino inconceſſam. Ac ne erres, noſſe te volo, id me multis, magniſque exemplis facere. Nam vt de noſtris nihil dicam, inter Italos, quam ſæpè Flaminius, ad ſuam de reſignationibus, déque vniuerſa re beneficiali explicationem, ex occaſione multa de Gallorum moribus, multa de Regum priuilegiis, multa de Senatorũ in incontaminabili Curia iudicijs, tanquam lacinias, veſti quam parat, aſſuit. Nauarrus quanquam Hiſpanus, doctus tamen ac pius, Regni mores non ſine laude, cùm eſt neceſſe, exponit, cum de ſeruis, ac interdictis ſermonem inſtituit, eiuſdem in vtroque conſuetudinem ſuſpicit. Piaſecius in praxi, cum Couarr. in quæſtionibus practicis, quæ in collatione Sacerdotij, Clericique ad illud præſentatione, facere ab omni æuo Galli Reges ſolent, non approbant modo, ſed Religioſè quoque à Pontifice ſeruari docent. Caue hic ergo ne quod illis fuit in laude, mihi ponas in crimine, nec enim aut quæ ab illis ſparſim & interciſè in ſuos congeſta ſunt commentarios, quaſi conſutos centones, hæc in vnum veluti faſciculum collecta, tibi vt in Apellæa tabula ſpectanda, fruendáque offerri vetes. A Sexto Papyrio olim Regum Romanorum leges ordine digeſtas audio, à Saluio Iuliano Prætorum edicta in vnum compoſita non ignoro. Amabo, dic ſodes, mihi ſoli Gentis meæ mores, è vetuſta fori, noſtrorumque hominum obſeruatione, quaſi νόμοι ἄγραφοι, è tenebis in lucem ad multorum vtilitatem educere cur ſit nefas? Hiſtoricum age, non arbitrum, quæ in foro geruntur ac fiunt explico, quaſi iudex non approbo, quæ Romanis oppoſita ſunt legibus, vt ex vltima Thule, aut Hiſlandia, quiſpiam nouus hoſpes ſtili exercendi cauſa faceret, ſcribo, non laudo, quæ è regiis tabularum ſcriniis habui, quæ ex antiquis iuxta, ac recentibus Curiæ monumentis legendo didici, bonâ tecum, hiſtoricáque fide communico. In eo quid habet æquitas, quo ſe læſam queratur, ac dicat? Quare per Auctorum, tam externorum, quàm noſtratium exempla, monitáque gradientem, ſequi præeuntem ſi nolis, ne argue: Vale, nec enim his te de rebus initiatum vltra moror.

APPROBATIO DOCTORVM.

EGO infra ſcriptus ſacræ Theologiæ Doctor Cenſeo Librum hunc *De Beneficiis inſcriptum, à Reuerendo Patre Stephano Bauny Societatis IESV* Theologo compoſitum, nihil Orthodoxæ Fidei aut bonis moribus contrarium continere, dignumque eſſe qui in publicam Eccleſiæ Catholicæ vtilitatem in lucem edatur, 10. Februarij 1639.

C. MEVSNIER.

EGO infra ſcriptus in ſacra Theologia Magiſter, & diuini Verbi Prædicator, fidem facio legiſſe me opus quod inſcribitur *De Beneficiis Auctore P. Stephano Bauny è Societate IESV*, omniaque in eo iuxta Orthodoxam, Catholicæ, Apoſtolicæ ac Romanæ Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum ac Canonum doctrinam ſumma cum eruditione exponi. Pariſiis decimo Februarij anni 1639.

GEOFROY.

EGO Stephanus Binetus Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Franciæ, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis, Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc Regnante 14. Februarij 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque eorundem permiſſione imprimant, permitto Michaeli Soly Bibliopolæ Pariſiis degenti vt librum qui inſcribitur *Quaſi Contractus de Beneficiis, à P. Stephano Bauny noſtræ Societatis Theologo*, compoſitum, & eiuſdem ſocietatis grauium Doctorumque hominum iudicio approbatum ad proximos annos diuendere poſſit. Datum Pariſiis 21. Februarij 1639.

STEPHANVS BINETVS.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVYS PAR LA GRACE DE DIEV, ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE, A nos Amez & Feaux Conſeillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes Ordinaires de noſtre Hoſtel, Baillifs, Seneſchaux, Preuoſts, ou leurs Lieutenans, & tous autres nos Iuſticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut, Noſtre cher & bien Amé MICHEL SOLY, Marchand Libraire à Paris, nous a fait remonſtrer qu'il auroit recouuert vn Liure intitulé, *Opera Theologica R. P. Stephani Bauny è Societate IESV Theologi, De Sacramentis, Cenſuris, Contractibus, quaſi Contractibus, & de Beneficijs.* Auquel Liure il n'y a rien contre la Foy, bonnes mœurs, & Religion Catholique, Apoſtolique & Romaine, ains iugé digne d'eſtre Imprimé pour l'vtilité publique, ſuiuant les Approbations des Docteurs en Theologie de la Faculté de Paris, ſignées F. Laurens de la Motthe, F. Simon Roger, & C. Muſier, & l'acte du R. P. Binet Prouincial de la meſme Compagnie, cy-attachés ſous le contre-ſeel de noſtre Chancellerie, lequel Liure il deſireroit Imprimer, ou faire Imprimer, vendre & faire diſtribuer, ce qu'il n'oſe faire ſans noſtre permiſſion, qu'il nous a fait ſupplier luy vouloir ſur ce accorder: A CES CAVSES, Auons audit Soly permis & permettons par ces preſentes, d'Imprimer, faire Imprimer, vendre & diſtribuer ledit Liure tant de fois, en tels volumes qu'il deſirera, & ce durant le temps & terme de dix ans, à compter du iour qu'il ſera acheué d'Imprimer: Faiſant tres-expreſſes inhibitions & deffences à tous Libraires, Imprimeurs, & autres perſonnes de quelque qualité & condition qu'ils ſoient, d'imprimer ou faire imprimer, vendre, diſtribuer, ny extraire aucune choſe dudit Liure ſans le congé & conſentement dudit Soly, ſur peine de confiſcation des exemplaires qui auroient eſté mis en vente au preiudice des preſentes, & de mil liures d'amende, moitié à nous, & l'autre audit ſuppliant, & en tous ſes deſpens, dommages & intereſts: Voulons & nous plaiſt, qu'en mettant vn Extraict des preſentes au commencement ou à la fin de chacun deſdits Exemplaires, elles ſoient tenuës pour ſignifiées & venuës à la connoiſſance de tous, à la charge de mettre trois Exemplaires dudit Liure, ſçauoir deux en noſtre Bibliotheque, & vn en celle de noſtre cher & feal Cheualier Chancellier de France le Sieur SEGVIER, à peine d'eſtre deſcheu du preſent Priuilege: SI vous mandons, & à chacun de vous enioignons que du contenu des preſentes, vous faſſiez iouir, & vſer plainement, & paiſiblement ledit Soly, ou autres ayant droict de luy: Ceſſans, & faiſans ceſſer tous troubles & empeſchemens au contraire: Et au premier noſtre Huiſſier ou Sergent requis faire pour l'execution des preſentes, tous exploits requis & neceſſaires, ſans demander placet, viſa ne pareatis que ceſdites preſentes, nonobſtant clameur de Haro, Chartre Normande, priſe à partie, & Lettres à ce contraires: CAR tel eſt noſtre plaiſir, nonobſtant auſſi oppoſitions ou appellations quelconques, pour leſquelles, & ſans preiudice d'icelles ne voulons eſtre differé. Donné à Paris le dix-huictieſme iour de Mars mil ſix cens trente neuf, & de noſtre Regne le vingt-neufieſme.

Par le Roy en ſon Conſeil.

RENOVART.

Acheué d'Imprimer pour la premiere fois le 20. d'Octobre 1647.

INDEX
TRACTATVVM ET QVÆSTIONVM.

DISPVTATIO PRIMA.

De Beneficijs, eorum varietate multiplici, ac quibuſdam alijs, quæ illis ſunt affinia.

QVÆSTIO I.

EXplicatur nominis varietas ac ratio, fol. 1.
II. quid ſit beneficium quod à Pontif. ac Epiſcopo Clericis conferri ſolet, 2
III. Quotuplex ſit beneficium, 4
De Beneficijs merè ſimplicibus.
IV. Quid ſit Capella, quid Oratorium, & Altare, 6
V. De Beneficiis ſimplicibus honoratis, & præcipuè de Canonicatu. 7
VI. De beneficiis, non curatis, quæ ſunt Dignitates, Perſonatus & Officia, & aliis quæ curam habent, 8
VII. Explicantur Beneficiorum nonnullæ ſpecies à prioribus diuerſæ, 9
VIII. An Monachatus & Capellania ſint beneficia, 12
IX. An Coadiutoriæ in beneficiorum numero ſint habendæ, 13
X. Inſtituendi Coadiutoris quæ ſint cauſæ, 14
XI. Epiſcopo ægrotanti Coadiutorem dare, cuius ſit munus, ibid
XII. Coadiutoris quæ ſint partes, quod munus, 15
XIII. An Coadiutoriæ, cum ſpe futuræ ſucceſſionis in Epiſcopatu & Abbatia admittantur in Gallia. ibid.

DE COMMENDA.

QVÆSTIO I.

QVid ſit, & quotuplex, 17
II. An Commenda perpetua ſæcularis ſit beneficium, 18
III. An facta Commendæ reſignatio publicari debeat, ibid.
De Beneficijs.
IV. Quando Commendæ, earumque vſus inductus in Eccleſiam, 14
V. Vt beneficium dari aliquod poſſit in commendam temporalem, quid ſit neceſſe, 19
VI. An Commenda perpetua, incompatibilis ſit cum alia, 20
VII. Commendatario perpetuo quid eſt iure communi licitum, 21
VIII. Commendatario perpetuo facere, quid non ſit in vim commendæ licitum, 21
IX. An beneficia omnia commendari poſſint, in Gallia & quæ non, 23
X. In quo ſit iure, commendare beneficia, 24
XI. An regula de infirmis reſignantibus, locum in commenda habeat, 25
XII. Explicantur in commendarum materia dubia aliqua non omnino contenenda, 26
XIII. Commendarum in Gallia ſpeciale quid ſit ac proprium, 27
XIV. An Hoſpitalia verè ac propriè ſint beneficia, 27
XV. An leproſorum Domicilia ſint beneficia, 30
XVI. An beneficia manualia quæ Religioſis dari ſolent, verè ſint beneficia, ibid.
XVII. An Prælati & Abbatiſſæ poſſint ad nutum beneficia Religioſis conceſſa reuocare, 32
XVIII. Quænam beneficia ſint Manualia, ibid.
XIX. Beneficiorum Manualium affectiones quæ ſint, ac quales, 33
XX. An officia Eccleſiaſtica tam regularia quam ſecularia, ſint beneficia, 35
XXI. An Præceptoriæ Cathedrales, perſonatus & Patrimoniales præbendæ, ſint vera beneficia, 36
XXII. An burſæ Collegiales ſint beneficia, 39
XXIII. An portiones quæ dantur quotidie bus Clericis, quibus incumbit ex officio diuinæ vacare pſalmodiæ in Monialium Cœnobiis, aut diſtributiones canonicis debitæ ſint beneficia. 39
Epitome Tractatus primi de beneficiorum varietate multiplici. 40

ẽ ij

DISPVTATIO SECVNDA.

QVÆSTIO PRIMA.

QVid ſit collatio, quid inſtitutio, 41
II. Ad collationem validam ex parte conferentis, quæ conditiones ſint neceſſariæ, 44
III. Ex parte Collatarij, ſeu recipientis beneficium quæ ſint conditiones iure communi neceſſariæ, 47
IV. Beneficia conferre iure ordinario cui ſit in Dei Eccleſia licitum, ibid.
V. Quid poſſit Concilium in collatione beneficiorum, 48
VI. An beneficia Cathedralis Eccleſiæ cum poſſeſſore vacant, conferre ſacri ſodales queant, 51
VII. An conferre beneficium, in Laïcorum ſit iure, ibid
VIII. Conferre beneficia Papæ, quo modo conueniat & quotuplici, 52
Declaratur Praxis fori Gallici circa reſeruationes & mandata Apoſtolica in Gallia. 55
IX. Intra quod tempus beneficia ab ordinario conferri oporteat, 56
X. An Collator conferendi beneficij poteſtatem iure ſibi conceſſam poſſit amittere & quomodo, 57
XI. An præter Papam Epiſcopos & Capitulum conferendi beneficij poteſtatem habeant, aliqui alij, tam Clerici quã Laïci, 58

Tractatus præcedentis Epitome.

CAPVT I.

Ad quem pertineat Eccleſiaſtica beneficia conferre, 62
Praxis fori Gallici circa collationem beneficiorum in Regalia vacantia, 68
XII. An ius Regaliæ ita perſonæ adhæreat Regiæ, vt ſit alteri incommunicabile, 70
XIII. An præter collationem præbendarum & bonorum temporalium vendicationem per œconomum de quibus priori quæſtione, ſint & iura alia Regaliæ propria, 71
XIV. Quæ ſint ea beneficia quæ aperta Regalia Rex confert, 76
XV. Qui ſint effectus Regaliæ, ibid.
XVI. Explicantur dubia ad materiam de Regalibus ſpectantia, 77

DISPVTATIO TERTIA.

DE ELECTIONE.

QVÆSTIO I.

QVid ſit electio, 87
II. Electionum quot ſint formæ, ſeu modi, 88
III. Electionem quæ fit per ſcrutinium præcedere quid debeat, quid ſubſequi, 89
IV. Explicantur dubia quædam circa ſupra dicta, ibid.
V. An ad ſuffragium quemlibet admittere electionis Præſidi ſit permiſſum, 91
VI. In electione vitare iura quid imperent, 91
VII. Quid ſit electioni eſſentiale ac intrinſecum, quid accidentale, 92
VIII. Peracto ſcrutinio & electione, quid proximè ſequi debeat, 95
IX. Quo præſente ac conſcio, fieret ea Epiſcopi electi examinatio, 96
X. A quo electi confirmatio peti debeat, ib.
XI. An de digniſſimo fieri debeat Electio, 97
XII. An qua lege Epiſcopi & Electores, eadem quoque teneantur Principes, dignis anteponere digniores, 99
XIII. Vnde petenda ſit beneficiorum ad beneficia dignitas, & quis ſit in hac materia cenſendus alio dignior, ibid.
XIV. An de improbo ad beneficium electio, aut eiuſdem eidem per Epiſcopum facta collatio ſit rata, ibid
XV. Electi obligationes quæ ſunt & quales, 101
XVI. An electus confirmatus, ſed nondum conſecratus, exercere ea poſſit, quæ ad iuriſdictionem pertinent, 103
XVII. Quando & in quibus caſibus, confirmatione ſit opus, ibid.
XVIII. An electio facta ſine ſchedis, ſit rata, 103
XIX. An ſi eorum aliquis, qui ius eligendi habent ad eam non vocetur, electio ſit valida, ibid.
XX. An per ſortes iure canonico fieri poſſit electio, 104
XXI. Ad electionis ſubſtantiam, ſeruare quid ſit neceſſe, 105
XXII. An ſuperiori liceat non confirmare electum, 106
XXIII. An qui electioni præſidet, nominare poſſit vnum aliquem de conuentu, quem ſuffragatores eligant, aut eodem orare, vt vnum alteri præferant, ibid
XXIV. Quæ ſint pœnæ conſentientium in electionem, quæ eſt cum abuſu ſæcularis poteſtatis facta, 107

XXV. Explicantur dubia quædam circa formam electionis, quæ fit per ſcrutinium, 108

Epitome Tractatus de Electione ex Canonibus Concilys ac decretis Pontificum.

CAPVT I.

Quinam in Epiſcopos & Abbates eligi debeant, 118

DISPVTATIO QVARTA.

De Poſtulatione & Reſcriptis, 123
De Reſcriptis & Mandatis, 124

QVÆSTIO I.

AN inter litteras Gratiæ & Iuſtitiæ intercedat aliqua differentia, & quæ, 125
II. Quotuplicia ſint reſcripta Gratiæ, 126
III. Quotuplex ſit reſcriptum iuſtitiæ, 127
IV. Quibus rebus redditur Reſcriptum nullum, 128
V. Quomodo ſe gerere Iudex debeat, quando aliquid eſt ſuppreſſum Pontifici, aut falſo narratum, & ita tali narratione, inutili ac falſa fuit ei impoſitum, 129
VI. An Iudex cui ex vrbe reſcriptum mittitur abreptitium, aut falſum, approbare iſtud debeat, vel vt loquuntur in foro aduocati voce barbara interinare, 129
VII. An audiri debeant qui litteras Papæ aut Principis aiunt eſſe ſubreptitias, falſas aut obreptitias, 130
VIII. Quod ſit reſcriptum cui nomen eſt, cum ſecundum Apoſtolum, ibid.
IX. An reſcriptioni cuilibet inſeri hæ voces debeant; ſi preces veritate nitantur, 130
X. An reſcripta ius in re tribuant, ibid.
XI. An litteræ in forma pauperum, ac communi conceptæ pro Clerico patrimonium aut beneficium habenti à Papa ad Epiſcopum dari poſſint, 131
An is pro quo à Pontifice dantur ad Epiſcopum litteræ, ad beneficium admitti ſine examine debeat, ibid.
XII. Vt impetranti reſcriptum ſit vtile; quid cum oporteat facere, 132
XIII An reſcripta Pontificia impugnare, aut ab iis appellare parti liceat, 132
XIV. An reſcripta amitti aut finiri tempore ſoleant, 133

De Mandatis Apoſtolicis.

QVÆSTIO I.

Qua forma mandatum ad Epiſcopos dari Iure communi debeat, 134
II. Epiſcopis ac cuilibet ordinario dandi mandati quæ ſit ratio, formaque in Gallia, 135
III. An mandatum per Pontificis ceſſet obitum, ibid.
IV. An facta beneficij collatio, quam mandatio teneat, 136
V. An mandatariis quos in canonicos Papa iuſſit fructus aliqui ſint debiti, priuſquam præbendam fuerint aſſecuti, ibid.
VI. An Mandatum ad alios, quam qui beneficia ipſa conferunt, dirigi à Pontifice poſſit ac ſoleat, 137
VII. An mandatarius vtraſque Pontificio litteras vt valide quid faciat, exhibere debeat, ibid.
VIII. An Legatus Pontificius derogare mandatario valeat, quodque ei beneficium ratione mandati ſui eſt debitum conferre alteri, 138
IX. An mandatariis præferendi ſint Indultarii aut nominati, 138
X. An Mandatum complectatur beneficia tam quæ in regno ſunt quam extra, ibid.
XI. Ad quem ſpectet beneficij collatio vi mandati facienda, quando qui Epiſcopatu aut Abbatia in gratiam tertij abire ſtatuit, beneficiorum ſibi donationem omnium reſeruatam voluit, 139
XII. Vt mandatum valeat, ſitque ratum quid ſit neceſſe, ibid.
XIII. Quid facere Mandatarium ſit neceſſe ne ei beneficium negari queat ab ordinario, 140
XIV. Ad quæ beneficia dari à Papa mandatum poſſit, & ad quæ non, 141
XV. An controuerſa beneficia acceptare mandatarius debeat? 143
XVI. Quando & quo tempore acceptare ſacerdotium mandatario ſit neceſſe, ibid.
Praxis fori Gallici circa mandata, 144

Epitome eorum quæ præcedenti ſunt tractatu de Mandato dicta ex Canonibus Pontificumque decretis petita 145

DISPVTATIO QVINTA.

De iure Patronatus.

QVÆSTIO I.

QVibus ex cauſis acquiri ius Patronatus in Dei Eccleſia ſoleat, 146
II. Effectus iuris Patronatus qui ſint & quales, ſeu quæ iure Eccleſiæ beneficentia, ratione erecti à ſe beneficij, aut fundati patrono competant, 149
III. Intra quod tempus teneatur Patronus præſentare, 150
IV. Vnde tempori fiat initium, quo patronus præſentare debet ad beneficium, an à die quo vacauit, an autem ab eo quo vacare Patrono innotuit? 150
V. quid ſit agendum, ſi Patroni, in præſentando non conſentiant, 151
VI. An Pontifex iuri patronatus Laïcorum derogari valeat? 152
VII. Ordinario præſentari à Patrono canonico lege quis debeat? 154
VIII. Præſentantis Patroni quæ ſint culpæ, 155
IX. An beneficia quæ iuris ſunt Patronatus Laïci permutari poſſint ſine Patroni conſenſu, 156
X. Ius Patronatus transferri Patrono in alium an poſſit, & quomodo, 157
XI. An quando plures ſunt Patroni, requiratur vt omnes in vnum conueniant, 159
XII. Explicantur dubia quædam in hac patronatus materia occurrentia, 160

Epitome Tractatus de iure Patronatus ex Canonibus & Pontificum decretis.

Caput I. quid ſit ius Patronatus, 164
XIII. Explicantur iuris Patronatus Laïci Affectiones in Gallia, 167
Praxi fori Gallici circa ius nominandi ad beneficia, quam alia, quæ ſunt curata, aut ſimplicia & quibus competat? 171
XIV. Quid ſit indultum, 172

De Regia Nominatione ad beneficia.

QVÆSTIO I. Ad quæ beneficia nominare ius Regi Chriſtianiſſimo competat? 177
II. Quales eſſe oporteat, qui à Rege ad Epiſcopatus & Monaſteria Papæ præſentantur, 179
III. A quo die computari ſemeſtre debet, intra quod nominari à Rege idoneos ad Monaſteria, aut Epiſcopatus oporteat. 180
IV. An Monaſterij nomine, intelligantur etiam cœnobia Monialium, ibid.
V. Cui cũ ſedes Romana vacat, litteræ Regis nominatoriæ, dari debeant, ac dirigi, 181
VI. An cum ſcienter indignum Pontifici Rex ordinandum nominat, ſecundum ei ſubſtituere valeat? ibid.
VII. An Rex ſimiliter nominare ſecundum poſſit, cum primo à ſe nominatus diem ſuum obiit, aut ei aſſenſum dare Papa renuit, aut poſt datum iure ſuo ceſſit, 182
VIII An in poteſtate ſit Regis nominare ad beneficium cuius poſſeſſor, hoc eſt Abbas aut Epiſcopus in curia eſt mortuus, 183
IX. An præter Doctores in Theologia, aut Iure, ſint alij qui nominationis Regiæ ad Epiſcopatus aut Abbatias ſint capaces, 184
X. An Abbates & Priores ſæculares, Prioratu aut Abbatia vacantibus, nominari à Rege debeant? ibid.
XI. An Eccleſiæ collegiatæ Decanatus, nominationi ſit regiæ obnoxius? 185
XII. An ad Epiſcopatus, aut Abbatias vacantes per Simoniam nominare Regi competat, 186
An ad Prioratum Monachis vacuum nominare Rex queat? 187
XIII. An Prioratus Vallis ſcholarum: ac domus Miniſteriatus Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Regiæ nominationi ſubiaceant, 187
XIV. An Eccleſiarum, tam quæ collegiatæ ſunt, quã quæ Cathedrales, Dignitates præcipuæ quæ ſunt electiuæ, regiæ nominationi ſubiaceant?
XV. An præbenda ad quam Rex pro iucundo ſuo aduentu, aut ratione iuriſiurandi ſibi ab Epiſcopo præſtiti quempiam nominat, ita ſit ei affecta, vt facta eius collatio alteri ſit irrita? 189
XVI. An beneficia electiua, omnia ad nominationem Regis ſpectent? 189
An Preceptoriæ ſancti Antonij, ac Melienſes, Regiæ ſint nominationi obnoxiæ, ibid.

De Nominationibus per Academiam.

QV. I. Quid ſit nominatio, 191
II. Quibus concedi Nominatio debeat, 193
III. Qualem eum eſſe oporteat, qui ad beneficia nominari appetit, 193
IV. Quænam in nobilibus iure concordatorum ad beneficia, vt gradus obtinenda ſunt neceſſaria, 194
V. Quid eſt inſinuatio, & quarum rerum & quo præſente fieri debeat? 195
VI. Quando & quo tempore inſinuatio fieri debeat. ibid.
VII. Intra quod tempus inſinuari nominatio debeat, 196
VIII. Quibus an cui debeat inſinuatio fieri, 197
IX. An ſæpius quam ſemel, litterarum gradus,

dus, ac tempus ſtudij, fieri inſinuatio debeat, 168

X. Ad quæ beneficia nominari Graduatus valeat, & vtrum ad omnia? 199

XI. Quibus Temporibus capax eſſe Graduatus debeat, vt in ſuo menſe vacans beneficium obtineat? 200

XII Quæ ſint Academicæ Vniuerſitati exprimenda, vt ab ea nominari queat valide? ibid.

XIII. Quid Nominatos agere oporteat, cum in menſibus ſibi deſignatis beneficium vacare contingit. 201

XIV. Quum plures ad beneficium poſtulant cui e Nominatis deferri debeat? 202

XV. Exponuntur dubia quædam, ad materiam præſentem pertinentia? 203

XVI An inter ſe Nominationes Regiæ Vniuerſitatum & Conſiliorum differant & in quo? 204

XVII. In quo conueniant nominationes factæ per Regem & Vniuerſitatem? 208

XVIII. Quid ſit neceſſariũ vt collatio beneficij per Papam nominato à Rege facta valeat, 209

XIX. An & quomodo Rex Nominationis ſuæ iure excidat? 210

XX. An præter conditiones quæſtionibus præcedentibus allatas, ſint & aliæ neceſſariæ, vt Nominati Academia valeat? 211

XXI. Quomodo Graduati ac Nominati nominationis ſuæ iure excidant? 212

XXII. An Beneficia ex cauſa permutationis, aut puræ ac ſimplicis Reſignationis in menſibus Graduatorum vacantia, illis ſint debita? 213

XXIII. Effectus Nominationis Academicæ qui ſunt & quales? ibid.

XXIV. Quid in Nominationis cauſa, Graduati nominati, à ſimplicibus differant? 215

DISPVTATIO SEXTA.

Quibus conferri Beneficia poſſint, & quibus non.

QVÆSTIO I.

AN Laïci, hoc eſt Tonſura deſtituti capaces ſint beneficij, 216

II. An & qualis requiratur in Clerico intentio, vt beneficiorum ſit capax, 217

III. An cœlibatus qualitas ſit ad beneficia neceſſaria? 220

IV De Bigamis excommunicatis, ſuſpenſis, & an beneficiorum capaces? 221

V. An irregularis Beneficij Eccleſiaſtici ſit capax? 222

VI. An Hæretici eorumque liberi poſſint ad beneficia admitti, 223

VII. An Simoniaci ſint irregulares, & proinde ad beneficia inhabiles, 225

VIII. Explicantur dubia quædam circa præcedentia? 225

IX. An homicidæ & Concubinarij, ad Eccleſiæ beneficia ſint idonei? 229

X. Quinam ad aliqua tantum beneficia iure Canonico ſint inhabiles, 231

XI. Ad beneficia ſingula ætas quæ neceſſaria, 232

De qualitate quam Beneficium ex fundatione ſua poſtulat, quid cenſendum, 234

XII. quanta eſſe debeat ſcientia Beneficiarij, vt valde & in conſcientia beneficium ſibi datum ſeruare poſſit, 235

XIII. Praxis fori Gallici circa ætatem & ſcientiam quæ ad ſacerdotia poſſidenda requiritur in Gallia? 240

Tractatus præcedentis Epitome, ex Canonibus, Concilijs, ac Patrum decretis.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De Modis quibus beneficia vacant.

QVÆSTIO I.

QVot modis Beneficium vacet, & quid ſit illud vacare iure, quid facto? 244

II. Quænam beneficia ipſo iure vacent, 245

III. Vt Beneficium iure non vacet quid ſit in litteris quibus obtinetur, exprimendum, 249

IV. De criminibus ob quæ beneficio priuari ſuo quis poſſit? 251

V. Explicantur alij caſus in quibus vacat beneficium ipſo facto, 253

VI. An quæ Beneficia iure per canones ob admiſſam culpam, aut non ſeruatam aliquam conditionem vacant, ſint ante iudicis ſententiam relinquenda in conſcientia? 255

VII. Explicantur Regulæ quæ ad intelligentiam faciunt Canonum ac pœnarum quas continent, 257

VIII Praxis fori Gallici circa vacationem in beneficiis inducendam? 272

Praxis fori Gallici circa Miſſionem Beneficiarij, in poſſeſſionem Beneficij, ſeu cuius ſit in Gallia Beneficiarium in poſſeſſionem Beneficij ſui mittere? 173

Epitome Tractatus præcedentis, de modis quibus Beneficia vacant iure aut facto.

CAP. I.

Quid ſit vacare iure, quid facto, 275

II. Quæ ſunt delicta ob quæ Beneficium iure

vacet 276
III. An Beneficia aliqua vacent ex quaſi delicto, & quæ, 277

DISPVTATIO OCTAVA.

De vnionibus Beneficiorum.

QVÆSTIO I.

Quid ſit & quotuplex, 278
II. quotuplex ſit vnio? ibid.
III. Per quos Beneficiorum inter ſe vnio, fieri iure queat, 279
IV. Beneficiorum quæ vniuntur quæ ſint affectiones & quales? 280
V. Beneficij cum alio coniungendi quæ ſunt cauſæ? 281
VI. Faciendæ Vnionis quæ ſint ſolennia? 282
VII. Quomodo & vnde cognoſci queat vnionem principaliter, vel acceſſoriè factam eſſe, 283

DISPVTATIO NONA.

DE RESIGNATIONE.

QVÆSTIO I.

Quid ſit Reſignatio? 284
III. An Reſignatio in fauorem certæ perſonæ facta coram Ordinario, cum clauſula nec alias, nec aliter ſit valida? 285
IV. Coram quo facienda ſit beneficij renunciatio, quæ clauſulam hanc nec alteri, nec aliter, aut obligationem ſoluendæ penſionis habet, 287
V. An Reſignatio facta cum clauſula nec alias nec aliter ius à reſignante abdicet conditione non poſita, 287
VI. Quibus circunſtantiis munitam eſſe renunciationem, vt ſit valida, 288
VII. Explicantur dubia, circa ea quæ ſunt dicta, occurrentia, ibid.
VIII. De Regula Cancellariæ, quæ oportet eſt de publicandis reſignationibus, 296
IX. An poſſeſſionem inire Beneficij oporteat, intra tempora publicandæ reſignationi præſtitutæ? 298
X. An is cui per reſignationem ceſſum eſt beneficiũ Eccleſiaſticum, poſſit per ſe, nec interpoſita vllius auctoritate hominis, qui publicum gerat Magiſtratum, beneficij poſſeſſionem inire, ibid.
XI. quo in loco ſit reſignationis facienda publicatio? 300
XII. An diſpenſare in hac regula Papæ ſit conceſſum? ibid.
XIII. An Reſignanti liceat continuata veluti poſſeſſione functiones obire, quas antequam ſe beneficio abdicaſſet, tractare erat ſolitus, 301
XIV. An ad eiurandum ſacerdotium datus Procurator à beneficiario reuocari queat, & ſi reuocantis mandatum, ei ante admiſſam ceſſionem non innotuerit, hæc ſit nihilominus habenda valida? 301
XV. Sit ne in eiurantis poteſtate, beneficio pro quo reſignando in manibus Papæ procuratorem ille in aula Romana conſtituit, illud ipſum auctoritate ac facultate ordinarij reſignare cuipiam alteri, 302
XVI. An ſi conueniri Procurator non poteſt, ſufficiat reuocationẽ mandati ei olim à reſignante, de eiurando ſuo ſacerdotio dati Antiſtiti deferre, ad cuius tribunal eius erat facienda ceſſio, ibid.
XVII. An cum duobus, reſignandi beneficii negotium eſt ab eius vero poſſeſſore commiſſum, eorum alteri ſignificare ſit ſatis, quod reſignans eum vlterius cauſa ſua noluit progredi, aut procuratorem ſuum agere, 303
XVIII. An nondum expleto, perfectoque Romæ mandato, quod beneficiario datum erat, de eiurando beneficio apud Pontificem in gratiam certi cuiuſpiam hominis, interea fas ſit mandanti, illud apud ordinarium deponere, eidem aut cuipiam alteri conferendum? 304
XIX. An facta Romæ reſignatio per procuratorem, poſt reuocatum mandatum quod ei de reſignando datum erat, ibid.
XX. An Procuratori ad reſignandum, certum ſit tempus iure conſtitutum, quo id ei facere ſit neceſſe, 305
XXI. Cuius ſint beneficii reſignati fructus, reſignantis an reſignatarij, 306
XXII. An Abrogatio mandati ad reſignandum ei ſignificata cuius bono facienda erat reſignatio aut Notario, qui procurationem perſcripſit, eius à Papa acceptationem impediat? 307
XXIII. An iuris ante Notarios abdicatio reſignantem beneficio ſuo ſpoliet, 308
XXIV. An qui ſacerdotium apud eum reſignat, qui Laïcus eſt, aut cui confirmandi, approbandique eam abdicationem, auctoritas non ſuppetit, iure beneficij ceſſi cadat? 309
XXV. Quis ſit is ſuperior Antiſtes, penes quem reſignanda ſacerdotia deponi debeant, vt per eum rata eſſe renunciantis ceſſio queat? ibid.
XXVI. An minor 25. annis agere in iudicio queat, vt ad beneficium à ſe reſignantem, 310
XXVII. An Procuratori à ſe delecto mandare reſignans queat, vt beneficium ſuo nomine incerti hominis gratiam, apud ſummum

mum Pontificem ciuet, 311
XXVIII. Procuratoria ad reſignandum, vt proſint, quæ & qualia eſſe debeant? ibid.
XXIX. An reuocari Procurator poſſit, & qua forma? 312
XXX. An quum Procuratori à reſignante ſit facultas, reſignandi cui volet, modo capaci ac digno, eligere ſeipſum queat? ibid.
XXXI. An Cancellaria quælibet inſtrumentum vitioſum reddat, ac nullum, 314
XXXII. An Reſignatio à Procuratore facta teneat, ſi hic exceſſerit, an mandatum non ſeruarit? ibid.
XXXIII. Reſignationis effectus qui ſint, & quales? ibid.
XXXIV. An beneficiarius qui ſceleris publici eſt reus, dum de eo exercetur quæſtio ſacerdotia ſi quæ habet, libere poſſit, & ad nutum ſuum reſignare, 315
An Reſignatio a Clerico criminis quidem delato ſed nondum conuicto, ac comperto, facta valeat, ſi ſit beneficio tam impetrato à Papa per alium, 315
XXXV. An Regularis renunciare beneficio ſuo licitè poſſit & valide? 316
XXXVI. An ſua reſignare beneficia beneficiariis omnibus ſit permiſſum? 317
XXXVII. An Procurator cui reſignans ius liberum eſſe voluit, nominandi quem volet ſibi in beneficio ſucceſſorem eſſe, ſeipſum offerre ordinario valeat? 318

Epitome Tractatus de Reſignatione.

CAPVT I.

Quid ſit Reſignatio & quotuplex, 318
II. De conditionibus neceſſariis ad reſignationem? 319
III. Reprobantur Reſignationes, quæ & quales, 320
IV. Effectus Reſignationis qui & quales? 321
V. Quis ſit ſuperior, cuius ad renunciandum neceſſaria auctoritas? 321
Praxis fori Gallici circa Reſignationes. ibid.

DISPVTATIO DECIMA.

DE PERMVTATIONE.

QVÆSTIO PRIMA.

Qvid ſit & quarum rerum ſit in materia beneficiali permiſſa permutatio? 327
II. Cuius ſit permutationes beneficiorum inter ſe admittere, ſicque eas ratas facere? 327
III. Quæ ſint ad permutationes conditiones neceſſariæ? 328
IV. An requiratur ad permutationis validitatem, vt fiat cum cauſa & Patronorum conſenſu? 329
V. An valeat permutatio, ex conuentione permutantium mutua ſic facta, vt beneficia non vere ac realiter inter ſe, ſed ficte tantum permutentur, quia alter nullum poſſidet? 330
VI. Quomodo ad æqualitatem reducendi ſint reditus beneficiorum, quæ permutantur, cum eos impares eſſe contingit? 331
VII. An beneficium permutare ſuum quis valeat, cum nominatione facta de aliqua, per Patronum ad Parœciam aut ſacerdotium aliquod aliud? 332
VIII. An admitti poſſit facta beneficiorum permutatio, quando Patronus aut electores ei aſſentiri renuunt? ibid
IX. An cum facta manu Epiſcopi reſignatio permutationis cauſa, effectum ſortiri non potuit, permutantibus ad beneficium remigrare ſuum, quaſi poſtliminio ſit conceſſum, & an collatione Epiſcopi nouà ad id ſit opus? ibid
X. An accuſatus de crimine, pro quo beneficio eſt ſuo priuandus, illud permutare ante priuationis ſententiam in ſe latam valeat? 333
XI. An qui Sacerdos eſſe deſiit eo anno quo debebat, beneficium quod eum exigebat ordinem, permutare poſſit cum alio fructuoſe, ac valide, ibid
XII. An Regula de infirmis reſignantibus, locum in permutationibus habeat? 334
XIII. An facta beneficij cum penſione permutatio ſit valida? ibid,
XIV. An Beneficij cum loco Presbyterali in Xenodochiis aut Collegiis facta permutatio ſit valeat? 335
XV. An ſit hæc permutatio valida, cui adiecta eſt hæc conditio, vt pro ſupplemento fructuum, quibus alterum de beneficiis permutandis, ſuperat alterum, alter compermutantium ſibi tertij cuiuſdam dari ſacellum curet, vel homini quem nuncupauerit, ibid.
XVI. Quæ beneficia permutari nequeant, ibid.
XVII. An & quomodo in beneficiorum aut rerum ſpiritualium commutationibus admitti Simonia ſoleat? 336
XVIII. An qui Beneficium iure vacans permutauit cum alio, fructus ſuos faciat, & ſi non facit cui reſtitui, eos oporteat? 336
XIX. Quando in permutatione beneficiorum, Simonia accidat & quomodo? 337
XX. Praxis fori Gallici circa permutationes ibid.

DISPVTATIO VNDECIMA.

DE TRIENNALI POSSESSIONE.

QVÆSTIO I

VNde Triennalis poſſeſſio ortum habeat, [illegible]
II. Vt triennalis poſſeſſio effectum habeat, an conditiones aliquæ ſint neceſſariæ, & quæ? 139
III. Dubia explicantur aliqua, ad rationem colorati tituli pertinentia, 140
IV. Explicantur conditiones aliæ ad poſſeſſionem triennalem neceſſariæ, 341
V. An ad effectum huius regulæ, requiratur bona fides? 342
VI. An Simoniaci regulares, & alij qui iure canonico ad beneficia ſunt incapaces hac iuuari regula poſſint, 343
VII. An qui iure aut natura, ſunt ad beneficium manifeſtè inhabiles, poſſint iuuari hac regula? 345
VIII. An ſubreptitia collatio titulum coloratum efficiat, 346
IX. An ſint caſus aliqui aut peccata in Cancellariæ regula incluſa, quæ vim poſſeſſionis triennalis impediant & quæ, ibid.
X. An regula de Triennali locum in conſcientia habeat, 347
XI. An is cum quo triennalis poſſeſſor permutauit ſuum beneficium, iuuetur hac regula, ibid.
XII. Explicantur dubia, ad intelligentiam regulæ de triennali poſſeſſione ſpectantia: 348
XIII. An is cui ſecundo idem beneficium eſt reſignatum, tueri ſe poſſit hac regula, 350

DE PENSIONIBVS.

QVÆSTIO I.

Quid ſit Penſio & an ſit Beneficium, 351
II. Quotuplex ſit Penſio, 352
III. Penſiones Beneficiis Eccleſiaſticis imponere, in cuius ſit iure, 353
IV. Perſonis quæ ſint iure canonico incapaces, [illegible] 355
V. Vt Penſio ſit valida, iure canonico quid ſit neceſſe, 356
VI. Quanta & quam magna eſſe penſio poſſit ac debeat, 357
VII. Super quibus Beneficij fructibus imponi penſio debeat? 358
VIII. An penſionis ſoluendæ obligatio ad ſucceſſorem in beneficio tranſeat, 359
IX. An extingui aut redimi penſio poſſit ſine facultate Pontificis? 360
X. An penſio extingui poſſit, & quomodo, 362
XI. An Penſio a Penſionario transferri poſſit [illegible] 363
XII. Explicantur aliqua quæ in penſionum materia videntur imprimis notatu digna? 364
XIII. An in diſtributionibus quotidianis imponi poſſit penſio? 365
XIV. An ſuper Epiſcopatus penſio imponi queat & quæ? 366
XV. An antequam ſint de penſione à Pontifice conceſſa expeditæ litteræ, eam exigere penſionario liceat, ibid.
XVI. In litteris Penſionis clauſulæ apponi quæ ſint ſolitæ, 367
XVII. An ad beneficium à ſe reſignatum [illegible] beret? 369
XVIII. Cauſæ Penſionis imponendæ beneficiis, quæ, & quales eſſe debeant? ibid.
XIX. Ex quibus cauſis penſio fiat inanis ac nulla? 370
XX. An Penſio ſuper Beneficio tertij aut alio quam quod eſt reſignatum imponi poſſit? 371
XXI. An tempore litis motæ inter reſignatarium & alium penſio ſit debita, 371
XXII. An quod penſionario ſupereſt de Penſione ſua teneatur in res pias impendere? 372
XXIII. An & quando abuſiua, ſeu male conſtituta Penſio eſſe cenſeatur, 374
XXIV. Quanta eſſe Penſio debeat vt ſit canonica? ibid.
XXV. An ſuper Decanatu Cathedralis aut Collegiatæ Eccleſiæ nummaria penſio imponi queat, ibid.
XXVI. An litteris ſeu bullis Apoſtolicis, quibus reſignanti penſio conceditur, apponi clauſulæ aliquæ ſoleant, & quæ? 375
XXVII. Praxis fori Gallici circa penſiones? 376

Epitome eorum quæ de Reſignatione & permutatione [illegible].

CAPVT I.

Reſignatio quid ſit & quotuplex, 383
II. In quo duo hi reſignationis faciendæ modi differant, ibid.
III. Quas conditiones renunciatio poſtulet vt ſit rata? 384
IV. An omnibus ſua reſignare beneficia liceat? 385
V. Vt ſit rata Beneficij vnius permutatio cum alio quid ſit neceſſe? 385

DISPVTATIO DVODECIMA.

De his ad quæ beneficiarij obligantur ſub culpa. 387

De Pluralitate Beneficiorum.

QVÆSTIO I.

AN in vnum Beneficia conferri plura poſſint? 389
II. & III. An ad plura beneficia incompatibilia diſpenſare Papa queat? 395
IV. Explicantur dubia aliqua circa præſentem materiam? 396
V. An poſſit quis ſalua bona fide plura obtinere beneficia reſidentiam exigentia, Romano Pontifice ſeu permittente, ſeu diſpenſante, 397
VI. An eſſe cauſæ aliquæ poſſunt præter allatas poſſidendi plura beneficia, ex rationabili Papæ voluntate, 398
VII. An diſpenſatio ad plura beneficia, data à Papa ex cauſa, ſed non iuſta, ſit valida, 399
VIII. An qui beneficia plura incompatibilia poſſidet, quæ ab vno eodemque ſimul haberi ſine diſpenſatione nequeunt, abſolui poſſit ſi eorum altero contentus, aliud a[illegible] alia ordinario conferenda non relinquit, maxime ſi data ei diſpenſatio cauſam non habet aliam inſufficientem? ibid.
IX. An ad poſſidenda plura beneficia ſimplicia requiratur Papæ aut Epiſcopi diſpenſatio? 400
X. An adeptione cuiuſuis dignitatis vacet beneficium primo obtentum, ibid.
XI. Sintne caſus aliqui, in quibus cura tam beneficium aut dignitas adeptione ſecundæ non vacet? 401

DISPVTATIO DECIMA TERTIA.

DE HORIS CANONICIS.

QVÆSTIO I.

AD quos recitandi diuini Officij in Dei Eccleſia lex ſpectet? 404
II. An tam Clerici minorum ordinum quam beneficiarij, & profeſſi choro deputati, obligentur ad horas ſub mortali? 406
III. Num ad omnes, qui vota ſunt triia in religione approbata profeſſi, obligatio hæc ſpectet: & ij eum ſuperioris facultate domi non degant, aut è cœnobio culpa ſua expulſi vagentur & errent? 407
IV. An qui Clericorum claſſe in Laïcorum ordinem transfertur, aut diſpenſatione Pontificis è Religioso fit ſæcularis, horis obligetur vt ante? 408
V. An cum Religioſis ſibi ſubditis, diſpenſare ſuperior poſſit ne canonice orent ibidem.
VI. An qui neſcit ecquid in ſuo ordine ſit conſuetudo non legendi breuiarij extra chorum, ſecundum eam poſſit agere, 409
VII. An non tantum horarum omnium omiſſio, ſed partis earum cuiuſlibet ſit lethalis? ibid.
VIII. An qui pſalmos ſcit memoriter, aut diurnum habet, teneatur illos ſine lectionibus aut reſponſoriis dicere, 410
IX. An qui cæcus eſt teneatur vti ſocio cum quo alternis pſallat, 411
X. An qui contra voluntatem, iuſſus eſt à parente beneficium ſibi à Papa aut Epiſcopo collatum accipere, ſacri lege officij teneatur aſtrictus, vt alij, 412
XI. An qui beneficium adeptus eſt Eccleſiaſticum, ſed in eius poſſeſſionem nequit ingredi precum ſit canonicarum onere ſolutus, 412
XII. Liceatne ſine peccato, officium dicere vnum pro alio? v.c. de Sancto, cum de eo nulla eo die fiat in Dei Eccleſia celebritas? 413
XIII. An Canonicis horis ſit eſſentiale, ſic ore pronuntiari, vt percipi queant? 412
XIV. An præcepto de horis ſatisfaciant, qui eas alternantibus operis, voceque extra chorum decurrunt, 415
XX. An qui de beneficio litigant, aut quod illud ſibi deberi ambo aſſerant lege dicendi officij ſint obſtricti, 417
XXI. An qui beneficium iniuſte poſſidet ac ſine titulo, teneatur ad horas ſi eius fructus percipiat, 418
XXII. An ſimiliter in eo pietatis munere, verſari debeant, qui beneficio quidem ſunt donati, ſed vacuo ac ſterili, & ex quo reditus, culpa ſua nulla ad eos niſi tenues ac pauci, aut nulli perueniunt, 418
XXIII. An noui Canonici, peccare ſint cenſendi, ſi ſolitas Eccleſiæ preces non decurrant eo quod primo ac ſecundo anno, quo ſunt in ſacrum Canonicorum collegium allecti, fructus nullos habeant, 420
XXIV. Quantis cum abundat e redditibus oporteat, qui neceſſaria cum Officij lege tenetur ſub culpa, ibid.
XXV. An is cui ſunt à Papa fructus beneficij omnes, pro penſione traditi, aut eorum pars maior, teneatur ad horas, 422
XXVI. An qui beneficio ſuo ceſſit alteri,

reſeruatis fructibus, teneatur ad horas, an è contra Penſionarius, 423
XXVII. An diſpenſatus in ætate, ſit quoque ab horarum obligatione, 424
XXVIII. Ab ho rarum recitatione, cauſæ quæ excuſent, ibid.

De Tempore ad horarum Pſalmodiam neceſſario.

XXIX. Quo tempore ſint dicendæ horæ, 426
XXX. Inchoandi matutini quodnam ſit tempus ſeu hora legitima, 428

DE ORDINE.

XXXI. An Ordo horarum ſit in præcepto, 428
XXXII. An eſſentiale ſit horis eas dici cum intentione implendi præcepti, 429
XXXIII. An attentio ſit ad horas neceſſaria & quæ, 430
XXXIV. An diſtrahi in oratione ſit culpa & quæ, 434
XXXV. An interruptio in horis vitioſa ſit ac mala, 435
XXXVI Ad quid teneantur Eccleſiaſtici beneficij poſſeſſor cùm horas negligit, aut ſine attentione ac diſtractus legit, 436
XXXVII. An liceat ſacerdoti cuilibet, extra chorum vti breuiario Romano, 438
XXXVIII. An extra cul pam eſſe ſacerdos cenſeri debeat, qui poſt Miſſam, matutinas preces, ex forma præſcriptóque Eccleſiæ Deo, ac cœlitibus diuis offert, 459
XXXIX. An canonicæ Pſalmodiæ cum laude ac præſtatione legis de ea ſtatis horis exoluenda, operam dare poſſit Clericis, cum Miſſæ ex obligatione intereſt, 440
XL. An qui horas vno die non dixit, ſequenti reparare negligentiam debeat eaſque repetere, 440
XLI. Quando & quo tempore, lege de horis Canonicis recitandis teneri beneficiarij ſoleant? 441
XLII. An intruſus, ac ſine titulo beneficium poſſidens horarum lege teneatur, 442
XLIII. An qui Clerici eſſe nolunt, aut ex canonicatibus ſuis emolumenta nulla anno primo aut ſecundo colligunt, horas dicere canonicas debeant, 443
XLIV. An patrimonia ad horas obligent, ibid.
XLV. An integritatem diuini Officij, ſic perimat verborum conciſio, aut ſententiarum delumbatio, vt illud iterari ac repeti oporteat, 444
XLVI. An diſpenſare Prælati regulares cum ſubditis ſuis poſſint in horis, ibid.
XLVII. An Canonico, crimen ſit lethale, ad templum non venire, ibique cum cæteris non pſallere, 445

Epitome eorum quæ de horis diſputatione præcedenti ſunt ſcripta.

CAPVT I.

Quot ſint horæ, quidque ſignificetur earum nomine, 447
II. Ad quos pertineat præceptum de horis, 448
III. An ſit aliqua & quanta officij dicendi obligatio, 449
IV. De forma & modo dicendi preces, 449
V. An fructus ſuos faciat, qui horas attentione interna deſtitutus recitat, 451
VI. Quinam è beneficiarij horis vacare Canonicis debeant, 452
VII. Ab horis quid excuſet, 452

DISPVTATIO XIV.

DE RESIDENTIA.

QVÆSTIO I.

QVæ ſit Beneficiati ad eam obligatio & in quæ beneficia hæc cadat, 453
II. An cauſæ dari aliquæ valeant quæ excuſent à reſidentia, & quæ, 457
III. An pœnæ ſint aliquæ, contra non reſidentes poſitæ, & quæ, 460
IV. An præter pœnas de quibus pœna proxime penultima eſt actum, ſint & aliæ, non reſidentium propriæ & quæ, 462
V. An reſidentia ſit iuris diuini, aut Eccleſiaſtici tantum, 464
VI. Explicantur dubia aliqua circa reſidentiam, 467

Epitome, eorum quæ de Reſidentia ſuperiori ſunt Tractatu dicta.

CAP. I.

Quid ſit Reſidentia, quæque eius munera, 473
II. Reſidentiæ lege qui teneantur, 472
III. Quæ ſint pœnæ Canonici non reſidentis, 473
IV. Quæ ſint pœnæ non reſidentis Epiſcopi ac Parochi, 473
V. Quæ ſint cauſæ, ob quas in beneficij ſui ſede non morari, beneficiatis liceat ſine ſcelere, 474

DISPVTATIO XV.

DE ADMINISTRATIONE BONOrum Eccleſiaſticorum per Clericos.

QVÆSTIO I.

QVid poſſit Beneficiarius circa fundos, domos & ſimilia Eccleſiarum bona, 476
II. Quænam res iure ſunt canonico alienari prohibitæ, 479
III. An iuſta aliqua ſit cauſa ad alienationem neceſſaria, & quæ? 480
IV. Quænam ſint iuris ſolennia, ſeu forma, cumque alienari bona Eccleſiæ ſit neceſſe? 481
V. Cuius Prælati conſenſum haberi oporteat, vt alienatio valeat, 481
VI. Quid ſit tractatus, & an oporteat Epiſcopum ei præſentem eſſe, 482
VII. An cum alienatur res Monaſterij ad conſenſum Abbatis & Capituli accedere & Epiſcopi debeat, 482
VIII. An omnis bonorum Eccleſiæ alienatio tam Pontificis Romani conſenſum exigat quam iuris ſolennia, ibid.
IX. Quomodo eorum intelligi iuſiurandum debeat qui inconſulto Pontifici nihil ſe de bonis Eccleſiæ alienaturos, interpoſita diuina fide pollicentur, 484
X. An quod Beneficiario eſt nefas, Pontifici Romano liceat, bona alienare Eccleſiæ, donare, aut vendere? 485
XI. Vt bonorum Eccleſiæ locatio, à beneficiario facta valeat, ſeruari in praxi quid debeat, 485
XII. An præter caſus in quibus Papa Paulus alienationem bonorum Eccleſiæ licere ait, dentur & alij, in quibus illo ante non conſulto, hæc fieri valeat? 486
XIII. An Religioſi non Mendicantes quibuſcum Apoſtolica ſedes, priuilegia Mendicantium communicauit, inconſulto Romano Pontifice, bona immobilia magni momenti abalienare valeant? 478
XIV. An ad bona confraternitatum? eodem gaudere iure cenſentur, quo ſacra ſenſus eſt an alienari earum bona ſine Prælati facultate poſſint an contra, &c. 488
XV. Explicantur dubia circa hanc materiam ſpectantia? ibid.
XVI. Quomodo à Clerico beneficiario adminiſtrari bona Eccleſiæ debeant, & primo quantum poſſit tuta conſcientia ex fructibus ſui beneficij inſumere, ſiue quod eodem ſpectat, quanta ei pecuniæ quantitas iure ſit canonico ac naturæ in eum finem conceſſa? 490
XVII An Beneficiarij ſint Domini, an Vſuſfructuarii, quos ex beneficio percipiunt, ibid.
XVIII. An Beneficiarii fructus beneficii ſui male collocatos reſtituere teneantur & quales, 495
XIX. An Beneficiarius poſſit parcere ſuis bonis patrimonialibus, & ſuſtentari reditibus beneficii ſui? 500
XX. Beneficiario ex fructibus Beneficii ſui tantum conferre in aliquem liceat quantum beneficiorum remuneratio exigit? 501
XXI. Poſſintne Beneficiarii de ſacris reditibus dotare filias ac propinquos, ad gradum altiorem euehere, emptione alicuius officii, aut Magiſtratus Publici? 502
XXII. Defuncti beneficiarii bona ad quem quem ſpectent, 504
XXIII. Explicantur dubia quædam ad præſens inſtitutum pertinentia? 510

De Beneficiariorum Parochorum maxime ac Canonicorum officys ſecundum Tridentinum, 515

XXIV. An ſint Canonicorum obligationes aliquæ & quales? 518

DISPVTATIO XVI.

DE SIMONIA.

QVÆSTIO I.

QVid ſit Simonia? 520
II. Quid intelligatur nomine emptionis & pretii? ibid
III. In materia Simoniæ, quid ſit ſpirituale, quid ſpirituali annexum, 522
IV. Quotuplex ſit Simonia, ibid.
V. An Simonia ſit mortalis, & contra quam virtutem, & an materiæ leuitas à culpa graui excuſet? 523
VI. An pactio & promiſſio, de re temporali danda pro ſpiritali gratitudinis nomine, ſimoniam inducat, 524
VII. An ſit Simonia dare ſpiritale pro ſpiritali, ibid.
VIII. An Oppignorari poſſint res ſacræ ac ſpiritales ſine crimine, 528
IX. An dare ſpiritale alicui v. c. beneficium, quia conſanguineus eſt aut amicus, vel negare quia eſt extraneus, aut exoſus, ſit Simonia, ibid.
X. An Sacramentum pretio emi poſſit, 529
XI. An loca in Collegiis, quæ à Gallis Burſæ appellantur, vendi poſſint ſine Simonia, 530
XII. An vexatio redimi à vexato poſſit ſine Simoniæ vitio, 532

XIII. An liceat ſine Simonia emere beneficium ab hæretico, 534
XIV. An ſine Simonia liceat vexato recipere pecuniam pro beneficio, quod ret nere contra vim vexantis non poteſt? ibid.
XV. An Reſignatarius reſignanti ſine Simonia promittere valeat, accepti ſe eo beneficij memorem fore, 535
XVI. An concurrens cum alio ad beneficium ſine Simonia, cum ei cum quo concurrit, tenue aliquod Beneficium aut penſionem dare poſſit aut promittere, vt ceſſet ab eius beneficij petitione quod vacat, aut ne te ab eo conſequendo impediat, ibid.
XVII. An pacifici collator poſſit ſine Simonia cum recipiente Beneficium quod illud non reſignabit vlli, ſed pure in manibus ſuis, quoties voluerit relinquet, 536
XVIII. An pro doctrina Theologica aliquid capere ſit Simonia? ibid
An pro concionibus ſumere pretium ſit Simonia, 537
XIX. In qua agitur de materia Simoniæ, & in quo ſit ſita, 538
XX. An actus qui ex ordinis poteſtate procedunt ſint materia Simoniæ, ibid.
XXI. An res ſacræ quæ temporale aliquid habent, emi poſſint aut vendi ſine Simonia, 539
XXII. An pro Sacramentis eorumque actiuo vſu, hoc eſt collatione, dari quid poſſit aut exigi ſine Simonia, 540
XXIII. An ſit Simonia dare aliquid pro ſepultura, ibid.
XXIV An ornamenta Eccleſiæ vendi poſſint ſine Simonia, 541
XXV An demum aliqui caſus in quibus temporale detur pro ſpirituali, & qui 542
XXVI Dubia explicantur circa ea quæ ſunt dicta, 545
XXVII. An omnis rei ſpiritalis traditio facta mediante conditione aut pacto, ſit Simonia, 548
XXVIII. Proponuntur exempli cauſa pactiones aliquæ quæ ſunt Simoniacæ prorſus deinde fugiendæ, 549
XXIX. An ſit Simonia dare temporale pro ſpiritali, quod danti non eſt futurum vtile, ſed alteri, 550
XXX. Circa quid verſetur Simonia iuris Eccleſiaſtici, 552
XXXI. An permutatio in his facta, quæ antecedenter ſunt ſpiritualia Simonia ſit Eccleſiaſtica, 553
XXXII. An duobus interſe de beneficio contendentibus, vni eorum dare pecuniam liceat, pro impenſis, quas a ſe in proſequutione litis factas cautatur, ibid.
XXXIII. An reſignans poſſit ſine Simonia velle: vt reſignatarius factas in acquirendo ſinguolo beneficio impenſas ſibi integras reddat, 556
XXXIV. De pactionibus quæ ſunt reciprocæ circa ſpiritalia, quid cenſendum, ibid.
XXXV. An ſit Simonia dare Parocho aliquid temporale pro functionibus eius ſpiritalibus, ibid.
XXXVI An reſignantia petere à Reſignatario liceat expenſas à ſe factas, in vtilitatem beneficij, 557
XXXVII. An hoc pactum ſit Simoniacum, Do tibi beneficium, ſed ea lege & conditione vt tu viciſſim ex gratitudine, temporale mihi præſtes, 558
XXXVIII. Quando ſit tranſactio rei ſpiritalis pro temporali Simoniaca, 559
XXXIX. An officia facta Officialis, Aduocati, & Oeconomi materia ſint Simoniæ, ibid.
XL. An ſit Simonia dare alicui rem temporalem ſub conditione aut modo vt opus ſpiritale faciat, non tamen per modum commutationis, 561
XLI. Vtrum ſit Simonia inæqualitatem fructuum pecunia ex pinguiore beneficio detracta, compenſare, ibid.
XLII. An ſit Simonia ſpirituale ob ſolas preces aut fauores conferre, 562
XLIII. An qui Collatori pecuniam promittit animo non ſoluendi ſit Simoniacus, ibid.
XLIV. An ſumere aliquid pro ingreſſu Religionis ſit Simonia, 563
XLV. Quæ ſint in eos ſtatutæ pœnæ, qui ad Cœnobia viam ſibi pecunia faciunt, 564
XLVI. An renunciare beneficio cum pacto, Simoniæ labem habeat, 565
XLVII. An ſit Simonia petere à Reſignatario vt penſionem ſuper beneficio impoſitam alleuiet, ibid.
XLVIII. An ſit Simoniæ paciſci de iuribus ſpiritalibus, 566
XLIX. An ſit Simonia beneficium beneficio commutare, ibid
L. An beneficia Simoniace acquiſita ſint acquirentis, & ſi non ſunt, an derelinqui debeant ante ſententiam, 569
LI. An beneficij collatio facta ignoranti ſit in foro conſcientiæ valida, ibidem.
LII. Simoniæ realis in beneficiis & Ordine quæ ſunt pœnæ, ibid.
LIII. An ſint aliqui Simoniaci ad quos pœnæ non pertineant, 570
LIV. An qui Simoniace beneficium eſt adeptus, teneatur ad reſtitutionem fructuum. 571

LV. Quæ ſint pœnæ Confidentiariis iure impoſitæ, ibid.

LVII. Simonia confidentiæ quomodo admittatur, & an ad eam exigatur pactio, 573

LVIII. Quibus indiciis præſumi ſoleat in foro externo, admiſſa eſſe Simonia confidentialis, 574

LIX. Quomodo conuentionalis & realis Simonia à confidentiali differant, 575

LX. An Conuentionali Simoniæ pœnæ ſint aliquæ iure Canonico illatæ & quæ? ibid.

LXI. A pœnis Simoniæ impoſitis quid excuſet, 576

LXII. Explicantur dubia, quæ in hac materia de Simonia, interpretationem habent ambiguam, 578

LXIII. An res Contractu Simoniaco accepta pro beneficio, iure naturæ aut Eccleſiaſtico tantum reddi debeat, 584

LXIV. An accepta per Simoniam mentalem, & conuentionalem ſint reſtituenda, 586

LXV. Quis in pœnis Simoniaco impoſitis abſoluere, & diſpenſare cum illo valeat, 587

LXVI. Quomodo iuuari Simoniacus debeat, ibid.

Epitome, eorum quæ ſunt priore Tractatu dicta de Simonia ex Conciliis & Canonibus.

CAP. I.

Quid ſit Simonia, quotuplex & quale peccatum, 589

II. Quænam ſit materia Simoniæ, 590

III. Quomodo peccetur contra religionem per Simoniam Eccleſiaſticam, cum eius materia non ſit ſupernaturalis ac ſacra, 593

IV. In quibus contractibus cernatur Eccleſiaſtica Simonia, 594

V. Quæ ſint Simoniaco pœnæ canonico iure impoſitæ, 595

VI. De pœnis Confidentialis Simoniæ 596

FINIS.

DE BENEFICIIS,

DISPVTATIO PRIMA.

DE BENEFICIIS, EORVM VARIETATE MVLTIPLICI, AC QVIBVSDAM ALIIS, QVÆ ILLIS SVNT AFFINIA.

QVÆSTIO PRIMA.

Explicatur nominis varietas ac ratio.

BENEFICIVM dictum eſt: Duaren. *lib. 2. cap. 3.* exiſtimat a ſimilitudine prædiorum militarium, quæ militibus limitaneis abſque vllo onere tradebantur, vt iis quaſi iam emeriti alerentur. Sed nec illa prædia dicebantur beneficiá, nec illi milites beneficiarij, ſed limitanei, & fundi limitrophi, Beneficiarij vero milites erant exempti & immunes à muneribus militaribus, geſtatione, v.c. & erectione valli, excubiis, &c. quare nec vſum huius vocis, nec eius originé inde trahi poſſe, quiſquam verè opinor ac rectè dixerit.

Loquuntur prudentius qui beneficium idem eſſe quod gratiam præter ius conceſſam aiunt, quod enim eſt eiuſmodi, per quod benè fit alteri, nomen habet beneficij: ita commodatum dicitur beneficium in *lege in commodato parag. ſicut dig. commodati: & cap. 1. de commodato*, negat Pontifex commodantem *beneficio oportere decipi* (id eſt, commodato) *ſed potius adiuuari.*

Similiter quia diſpenſatio diſpenſato ad animi quietem prodeſt, beneficium appellatur à Pontif. *in cap. innotuit de elect.*

Secundo eſt beneficium idem ac auxilium, ita minores, ætatis beneficio ſe nonnunquam tuentur, id eſt, auxilio, vt quæ imprudentes pro ætate geſſerunt, ac temerè, hæc ſibi in noxam, reique ſuæ domeſticæ iacturam non cedant.

A Secundo, quia eſt charitatis in Principe de ſubditis, quantum fas eſt illi, bene mereri omni tempore, eius in illos merita, à claſſicis auctoribus beneficia vocari ſolent, hoc ſenſu, ſubſtitutionem ex beneficio Principis, puberi muto factam, agnatione ſui hæredis rumpi Paulus ait: Ita teſtamenti factionem à militibus liberam, Vlpianus *beneficium principale* nominat.

Eſt & ſpeciale Principis beneficium, cum alicui immunitatem à communibus & publicis regni oneribus dilargitur, cum anni
B præſentis cenſum relaxat, vel reliqua (vt aiunt) annorum præcedentium remittit ac condonat, cum ne municipali ſis iure vinctus, facultatem indulget, cum caſtra, vrbes, agros, vnde commeatus ad vitam vtiles ac neceſſarios petas, abunde conſignat ac præbet, quæ cum ſint genere ipſo varia, multitudine infinita, natura ac nomine inter ſe diuerſa, beneficii adiuncta voce ſeiunguntur ab inuicem. Sic *aquæ beneficium*, Iulius Frontinus dixit, *ius aquæ ex publico ducendæ*, *annuli aurei* beneficium Triphonius, *literarum* Faber *ad titul. de diuerſis regul. iuris. Commea-*
C *tus, annonæ ac ſtipendiorum* Plin. quibus verbis ſibi hi auctores ius ac poteſtatem eſſe, ferendi annuli aurei, petendi de publico ſtipendij, ac annonæ ad vitam opportunæ, innuebant, *Athleta Domine* (inquit Plin. ad Traian) *epiſt. 119. lib. 10. ea quæ pro Iſolaſticis certaminibus conſtituiſti, deberi ſibi putant ſtatim ex eo die quo ſunt coronati. Rogo ergo vt dubitationem meam regere, id eſt, beneficia tua interpretari digneris.*

Equidem cum Reges olim Galli ob egregiam ſibi in bello à nobilibus nauatam operam, Eccleſiæ villas & prædia dono eis da-

rent, ſunt hæc regiæ eorum munificentiæ ſymbola, dicta *Beneficia*, ſic enim Capitul. *lib.1.cap.163. vt qui Eccleſiarum beneficia habent, Nonam & Decimam ex eis Eccleſiis cuius res ſunt, donent, & qui tale beneficium habent, ad medietatem laborent, & de earum portione, proprio Presbytero decimas donent, & lib.4. cap.69. vt miſſi noſtri, qui vel Epiſcopi vel Abbates vel Comites ſunt, quandiu prope ſuum beneficium fuerint, nihil de aliorum conjecto accipiant*, vocabantur autem hæc prædia, *Dominicata*, vt eſt in *lib. 5. Capitul. cap. 147.* hoc eſt Domini patrimonium, ſeu quæ in Eccleſiæ feudo ſita erant: hinc *Dominicalia* pro regalibus feudis, quæ eſt huius vocis notio in capitulis ab Adria. Papa Friderico I. Imperatori oblatis, in quibus eſt. *De dominicalibus Apoſtolici, feudum non eſſe colligendum, niſi tempore ſuſcipiendæ coronæ.* Et quoniam non habebant Nobiles hæc prædia villaſque niſi precario, appellabantur *precariæ, quas ſecundum antiquam conſuetudinem & auctoritatem, de quinquennio in quinquennium renouari oportebat*, decreto Car. Calui. *in Capitul c.9.* & coli, in his autẽ colendis operam quiſquis ſuã non afferebat, ex quo accidebat, eas Eccleſiæ vtiles non eſſe, his excidebat, eſt de ea re his concepta verbis Ludou. Pij conſtitutio *lib.5. Capitul. cap. 145. Quod quicunque hanc negligentiam iterauerit,* (in agrorum, ſcilicet ſubactione ac cultura) *beneficium vnde hac Nona & Decima perſolui debent, amiſſurum ſe ſciat.*

Et ſua quoque olim prædia Reges noſtri cum clientelæ legibus Reipubl. darent, aut priuato cuipiam homini, hæc beneficij iure ac nomine dare ſe aiebant, Sic Clodoueus 1. Aureliano Duci Milodunum caſtrum beneficij iure attribuit, vt eſt apud Aimoynum de Geſtis Francor. *lib.1. cap.14.* Sic idem ibid. *Beneficij* verbum pro feudo vſurpauit, quod & feciſſe Sigibertum in Chronico anno 1007. indicat hæc eius oratio. *Henricus Imperator Valentianas Balduino Flandrenſium Comiti beneficiauit, vt ſibi contra motus ſuorum auxilio eſſet.* Id tamen modo ne liceret, regnique cenſus quouis beneficij nomine vel concedere fas eſſet, prohibere Regi placuit in edicto Molinenſi ann. 1566. vt olim Imperatores Theodoſ. & Valentian. limitaneos ſeu ſaltuenſes fundos in cuiuſquam priuati ius transferri vetuerant *Nouella Conſtit. de Patrim. rei dominicæ & limitrophis fundis*:

Tamen vt habebant Imperatores olim ac Reges, habentque adhuc hoc tempore, quæ ſubditis ſuis commoda conferant, fructu varia, vſu ſuauia, multa ac diuina, quibus ab vtilitate quam iidem progenerant, nomen eſt beneficij, ita Pontifici, nunquam non eſt ad manum quo ſibi fideles deuinciat, ſunt ſane eius ad Epiſcopum datæ in fauorem alicuius literæ, quas nos *mandata & reſcripta* eius exemplo appellamus, beneficia, quod hæ in eorum vtilitatem cedant, ac commodum, quorum cauſa dantur, Bart. *in leg. final. dig. de conſtitut. Princip.*

Neque tamen eſt hæc beneficij prout à nobis hic vſurpabitur, propria, ſtrictaque notio. De eo vt eſt ſpiritale ac Eccleſiaſticum omnis hæc noſtra futura eſt diſputatio.

QVÆSTIO II.

Quid ſit Beneficium quod à Pontif. ac Epiſcopo Clericis conferri ſolet.

EST beneficium autore Coraſio *parte 1. de beneficijs cap.2.* Flamminio *lib.4. de reſignatione quæſt. 2.* Res Eccleſiaſtica quæ Sacerdoti vel Clerico ob ſacrum miniſterium, in perpetuum vtenda conceditur, vel vt loquitur Hoſtienſis in *can. nonnum de præbendis*, Leſſ. *de benefic.* Regin. *to. 2. lib.19. num. 78. ius percipiendi bona Eccleſiaſtica toto vitæ tempore, conſtitutum ab Eccleſia, propter officium ſpirituale, quod Clericus cui ſunt debita, tenetur titulo beneficij ſui præſtare.*

Eſt autem ius miniſtrandi ſpiritualia, & propter illa percipiendi reditus, Clerico beneficiario ad victum cultumque aſſignatos, id quod in beneficio vocatur titulus, ſeu facultas, iuſtaque cauſa eos ſibi vindicandi ob ſpirituale miniſterium, Nauar. *lib. 6. conſilior. conſil.6. de præbendis*, Ioannes de Selua *q.5. de beneficijs* Reginald. *lib.19. n.78.*

Etſi mihi admodum ſit probabile, titulum, præter hoc ius, ac colligendorum redituum facultatem, etiam bona complecti Eccleſiaſtica, primo quia quædam ſunt Eccleſiæ titulatæ, quæ contra diſtinguuntur à commendatis ad tempus, *ex can. qui plures Eccleſias 2. cauſa 21. qu.1.* At huius diſtinctionis, alia proferri cauſa nequit, quam quod priores ſunt beneficia, & proinde perpetua, non ſecundæ, ergo titulus & beneficium communiter ſunt idem, ergo cum beneficium bona connotet Eccleſiaſtica, ad miniſtri ſuſtentationem deſtinata ab Eccleſia, hæc ipſa etiam tanquam effectum in cauſa ſua deſignabit tituli nomen, definitioni beneficij additum.

Secundo, *can. Sanctorum 2. diſt.70.* Ordinatio ſine patrimonio aut titulo facta eſt irrita, hoc eſt, quoad vſum ſuſpenſa, ergo titulus, tam ſacræ functionis ius complectitur, quam colligendorum redituum, eſt ergo titulus materialiter ſpectatus, idem ac benefici-

cium

ciam. Conſequentia probatur, Ideo ordinari prohibentur Clerici ſine titulo, ne cogantur cum ordinis dedecore, ſtipem cogere, aut turpem quæſitum manuum artificio facere, quæ eſt cauſa, cur ſine titulo aliquos initians Epiſcopus, teneatur eoſdem alere, *donec eis in aliqua Eccleſia conuenientia militiæ Clericalis ſtipendia aſsignauerit*, *canone Epiſcopus 4. de prabendis*, *aut de ſua vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ c.16. habeant ibid. & de prabendis*, ergo titulus, cum poteſtate faciendæ rei ſacræ, etiam ius ac facultatem continet percipiendi Eccleſiaſticos reditus, ſed hæc duo beneficium componunt: ergo quod modo nobis eſt beneficium, id antiquis fuit titulus, indicat hæc ex *lib. feudor. 1. tit. 6. parag. 1* petita oratio, *ſi Epiſcopus, vel Abbas, aut Abbatiſſa, & Dominus plebis feudum dederit de rebus Eccleſiarum quæ eis ſubiecta ſunt, & tituli vocantur.*

Ob eam opinor cauſam beneficium definit Petrus Gregorius, *cap. 6. de beneficijs, certam & ſpirituali muneri coniunctam bonorum Eccleſiaſticorum portionem, quæ certis eſt ædibus ſacris ad hoc aſsignata*, vt Clerico ob ſacrum miniſterium, ad vitam perpetuo cedat.

Et quidem eſt munus ſpirituale in beneficio, officium, quod ab iis Clericis impendi debet Eccleſiis, qui titulum habent, aut reditus poſſident, quod munus pro beneficiorum diuerſitate eſt quoque diuerſum, interdum enim beneficiario, ſacro faciēdo tantum eſt vacandum, alias ei ſacroſancto Miſſæ Sacrificio incumbendum eſt & pſalmodiæ, nonnunquam his functionibus accedit & adminiſtrandi Sacramenti obligatio, vt videre eſt in Parocho, in ſumma non datur vnquam vllum beneficium, niſi propter officium, *cap. finali de reſcriptis in 6.*

Particulæ reliquæ, beneficij naturā indicant, in primis enim eſt *portio* certis *aſsignata ædibus* ſacris, vt ea voce materialiter ſumpta indicetur, in beneficiorum numero ſerieque, locum iis non eſſe titulis, quibus obuentiones diurnæ nullæ adhærent, aut annuæ, quales ſunt eorum, qui titulares appellantur Epiſcopi, viri ſcilicet ad Epiſcopatum inter infideles promoti, ex quo nullos ſunt vnquam recepturi prouentus.

Secundo remouentur ea voce à beneficiis Canonicatus, qui à ſummo Pontif. certis dantur hominibus cum ſpe eos poſſidendi, quando vacauerint, non ante, qui verius gratiæ expectatiuæ dici queunt, quam beneficia. Primo, quia eiuſmodi homines non habent reditus, ſed expectāt futuros *c. dilecto de prab.* Secundo, quia non habent ius in re ſed ad rem, *de conceſsione prab. cap. finali.*

Dixi *ſumpta materialiter*, nam beneficium A formaliter acceptum ac proprie, ius ſpiritualis miniſterij exequendi ſignificat, ſimulque ob illud, ſeu eius gratia, colligendæ prædictæ portionis, à qua, & iure eam exigendi, ac cum eſt exhibita, & ſoluta retinendi, beneficium appellatur. Primis enim Eccleſiæ conſtituendæ Patribus olim in more erat, non admittere inter Clericos, niſi qui certæ eſſent Eccleſiæ aſcripti, ac digni habiti, qui ſtipendiis alerentur Eccleſiaſticis, *Deque Ieſu Chriſti patrimonio viuerent*, vt eſt in *cap. cum ſecundum Apoſtolum 16. de prabend. Clericum autem in* B *duarum Eccleſiis ciuitatum eodem tempore conſcribi non oportere* habes 21. *q 1. can. Clericum. 12. & in can. Sanctorum 2. diſtinct. 70.* quare tot aſcribebantur ſingulis Eccleſiis & non plures, quàm alere hæ poſſent: ab ea conſuetudine profectum puto Gregorij mandatum, ad Engoliſmenſem Decanum, vt numerum præbendarum Xantonenſ. Eccleſiæ, ad eiuſdem facultates reuocaret *cap. finali de verbor. ſignificat.* Et vt qui in aliquam erant aſciti, dicerētur Clerici eius *Tituli*, teſte P. Gregor. *de beneficijs cap. 8.* & quia ad eos commoda inde non modica manabant, ideo 21. C *q. 1. can. 1.* dicitur, *negotiationis genus quoddam eſſe & turpis lucri artificium*, in duabus connumerari Eccleſiis.

Dicitur autem hæc portio *Eccleſiaſtica* eſſe, vt ea voce excludantur bona patrimonialia, hæreditaria, aut temporaria, quorum percipiendorum ius habet Clericus, cum Pater eius moritur.

Debetque hæc portio perpetua eſſe, non quod hæc beneficiario in pœnam culpæ à ſe admiſſæ adimi nequeat, ſed enimuero, quia talis eſt ex eorum intentione, qui illam Chri- D ſto obtulere ſeruatori, quæ fuit haud dubiè, vt Clericorum perpetuo foret, quo ſic ſemper Deo laudes occinerent, gratiis ei habendis ac gratulationibus nunquam non vacarent, quare nullis negari poteſt, aut adimi niſi ex culpa ſua aliqua, multo minus titulus, ex quo ea portio tanquam effectus ex cauſa ſua promanat, ſicut habetur *21. q. 1. can. petiſti 17.*

Excipienda ſunt beneficia, quæ nos Manualia dicimus, quæ cum ſuperioris arbitrio auferri poſſint, ex Regin. *lib. 30. tract. 3. cap. 9. num. 138.* proprie perpetua dici nequeunt, niſi E conſenſu, de quo poſtea.

Additur in diffinitione cedere eam portionem ad Clerici ſuſtentationem & vitam. Quia reditus Eccleſiaſtici non dantur pro officio ſpirituali tanquam pretium, alioqui eſſet Simonia, ſed dantur tanquam alimentum, ſeu operæ ſuæ in promouendo Dei cultu, eoque propitiando ſuis precibus, honorarium, ac ad ſeruiendum Deo liberius, illecebra quædam ac motiuum.

Quod ſi beneficium in *cap. finali de reſcriptis* dari ob officium ſpirituale dicitur, vox *propter* finem ſignificat, & non pretium ſecundum Regin. Enimuero etſi ſint prædia, quæ Eccleſia multa ac copioſa poſſidet, ipſique adeo prouentus ex eis naſci ſoliti, in ſe, ac natura ſua profani, ſunt tamen tam hi, quam illa, ita ſacro cohærentia muneri, vt ſeparationem ab eo non recipiant; vt habet *cap. vnicum vt beneficia Eccleſiaſtica ſine diminutione dentur*

Secundo ſunt quoque ſpiritualia, aut ſpiritualibus annexa, quia ſunt ex auctoritate Pontificum ſupernaturali, ſacris vſibus, diuiniſque myſteriis deſtinata, quæ eſt cauſa, cur ſine pretio ius ad ea dari debeat 1. *q.* 3. *can. ſi quis obiecerit cap. ad noſtram* 21. *de ſimonia, & vltimo de reſcriptis in 6.* quia cum talia ordinem ad ius ſpirituale habeant, & conſequenter ſint ſpiritalia, nec vlli concedenda, niſi qui ad munus ſpiritale fungendum ſit idoneus, ea vendere, eſt Paſchalis Papæ teſtimonio 1. *q.* 3. *can.* 7. præbendam aut Eccleſiam vendere, *quia cum quis horum alterum vendit, ſine quo, nec alterum prouenit, neutrum inuenditum derelinquit*, idem ibid.

QVÆSTIO III.

Quotuplex ſit Beneficium.

NOn ſunt beneficia omnia vniusmodi, quædã enim ſunt cõpatibilia, incõpatibilia alia, ſunt compatibilia quæ non excludunt aliud, hoc eſt quæ vna cum alio poſſideri poſſunt à beneficiario; incompatibilia, quæ retineri ſimul cum alio nequeunt, & hæc ſunt in duplici genere, quædam enim dicuntur eſſe talia, quod natura ſua, aut decreto Eccleſiæ ſic ſibi ſunt oppoſita, vt vno obtento, illico vacet aliud. Rebuffius *de diſpenſatione ratione ætatis parag. incompatibilia num.* 1. tales ſunt dignitates, *cap. quia nonnulli* 3. *de Clericis non reſidentibus* Parochiales Eccleſiæ, curata omnia beneficia, *cap. nonnulli ſupra cap. quia in tantum* 5. *de præbendis, cap. licet Epiſcopus* 28. *eodem titulo in 6. cap. cum ſingula officia* 32. *eod. tit.* Vicariæ item perpetuæ, *Clementina vnica de officio Vicarij*.

Secundo, ſimplicia ſub eodem tecto, ſi ſint conformia, *cap. litteras* 9. *de conceſſione præbendæ*, ſimplex cum duplici, ſi vtrumque ex ſua inſtitutione reſidentiam poſtulat, quia vtrobique, illam eodem tempore exhibere, nemo in duobus locis poteſt *cap. non poteſt* 21. *de præbendis in 6.*

A De hoc quoque ſunt genere regularia reſpectu ſæcularis & contra, *cap. nullus* 28. *de electione in 6.*

Sunt & alia quæ dicuntur incompatibilia, vt canonicatus duo, ſecundum Alex. III. *in decret.* 5. *extra de præbend.* vbi eorum multitudinem ait *canonibus inimicam eſſe, vtpote quæ diſſolutionis materiam, & euagationis inducit, certumque continet animarum periculum*: quare in duarum Eccleſiis ciuitatum, eodem tempore aliquem conſcribi non permittit Chalcedon. Concil. *can.* 10. *Non vnum Abbatem duobus Monaſteriis præſidere.* Concil.

B Agath. *canone* 57.

Præter hæc beneficia, quædam reperio quæ ſunt incompatibilia quidem, ſed impropriè, nam etſi ſine peccato retineri ſimul nequeant, tantam tamen ac tam acrem inuicem repugnantiam non habent, vt vnum vacet ad præſentiam alterius, quo de genere ea cenſenda ſunt, quæ ſeorſim ſumpta ſingula, poſſeſſori ſuo tantum ſuppeditant, quantum ei ad vitæ commeatus neceſſarios ſit ſatis, hæc enim quia decreto Concil. Tri-

C dent. *ſeſſ.* 14. *cap.* 17. cuilibet ſufficere ſingula debent, dicuntur Eccleſiæ voluntate ac inſtitutione incompatibilia.

Secundo diuiditur beneficium, in curatum & non curatum: curatum eſt, quod animarum curam habet: cuiuſmodi eſt id cenſendum, cui Eccleſiæ voluntate, eorumque qui eius extitere fundatores primi ac parentes, docendi, cohortandi, concionandi, ac adminiſtrandi Sacramenta munus incumbit, ac prouincia, *Clementina dudum de ſepulturis parag. verum Parochiales*, cum poteſtate li-

D gandi, & ſoluendi quos conceptus de peccatis dolor tanti beneficij capaces reddit ac idoneos, Innocent. in *cap. cum ſatis, de officio ordinarij*, qui vero Clericus, ad ſpiritualia tantum officia, vt horas decurrendas, ſacrificium Deo offerendum aſtringitur, hic cura animarum vacare eſt cenſendus.

Curati rurſus beneficij duo ſunt genera, vni nomen eſt Prælaturæ, non Prælaturæ alteri, non prælatura animos curat, ſed ſine poteſtate domandæ ſubditorum contuma-

E ciæ, coercendæ legibus audaciæ, puniendæ per eos commiſſæ culpæ, quæ duo, Prælaturæ ſunt propria munera, nam hæc procurationi alienæ ſalutis, iuriſdictionem adiicit, quam vt effectus neceſſarius poteſtas ſequitur, primo viſitandi, ſecundo recipiendi de viſitatis procurationes, id eſt ſtipendia, quæ ab iis antiquo Eccleſiæ more dari viſitatoribus ſolent, vt Archidiaconis, Archiepiſcopis *de cenſibus in 6. cap.* 2 Habet Prælatus ius inſuper de Clericis quorum eſt ſuſpecta vir-

tus, eorumque criminibus inquirendi, quarto, illa, eorumque auctores, cenſuris Eccleſiaſticis, ſuſpenſionis, interdicti, & excommunicationis quando eſt neceſſe, vindicandi pro merito.

Non curati, ſeptem ſunt ſpecies, quarum fere omnium fit mentio de *conſuetudine in 6. cap. 10.* ſcilicet prælatura ſimplex, dignitas, præpoſitura, perſonatus, officium, ſeu adminiſtratio, canonicatus, & ſimplex beneficium. Prælatura beneficium eſt, idque duplex, quod ordinariè poſſeſſorem ſuum, à poteſtate ordinarij eximit, eidemque iuriſdictionem in eos tribuit, reſpectu quorum Prælatus dicitur. Gloſſa in *Clementina de rebus Eccleſiæ, non alienandis*, cum Rebuff. *de pacificis poſſeſſoribus num. 68.*

Præpoſituræ proprium eſt, in multis locis, vt Remis, temporalibus cum authoritate præeſſe, ſeu rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem habere, 1. *qu. 3. ca. Saluator* 8. In quo ei, ex parte, ſimilis eſt Dignitas, quæ definitur.

Beneficium, quod ſine exemptione, habet iuriſdictionem fori externi ſpecialem, qualis eſt Archidiaconatus. Nec eſt tamen hæc Archidiaconorum iuriſdictio, à iure communi, ſed conſuetudine tantum. Fabric. *tract. de beneficiis, cum dignitate perſonatus, num.* 74. & Doctores, *in cap. cum ſatis, verbo, conuertendis, & in caput ſequens, verbo, promulgare, de offic. Archidiac.* cum eos excommunicare, ſuſpendere, interdicere, canonica iura non ſinant, quod tamen eos tentare ac impune facere conſuetudo multis in locis recepta patitur, ex *cap. dudum, de elect.* quam Senatus Pariſienſis, arreſto ſpeciali anno 1495. ſeruandam decreuit, in cauſa Archidiaconi Catalaunenſis aduerſus Epiſcopum, qui hæc Archidiacono munera, nec in vrbe, nec ruri cum prouinciam luſtraret, tentanda narrabat, Choppin. *de ſacra polit. lib. 1. tit. 8. num. 21.* Dignitateſque eiuſmodi obtinent Abbates, & alij Prælati, tam regulares quam ſeculares, Vicarius item Epiſcopi generalis, qui parem cum Archidiacono poteſtatem, ac iuriſdictionem in Clericos totius Dıœceſis obtinet, Laymanno teſte, de beneficiis *cap. 5.*

Perſonatus, hi dicuntur in miniſtris Eccleſiæ qui ſine iuriſdictione, prærogatiuam habent, & eminentiam in choro, Capitulo, ac ferendæ ſuffragio præ cæteris.

Sunt officia Canonicatus, quibus ex prima ſua inſtitutione, officium aliquod temporale perpetuo eſt annexum vt ſunt Theſaurariatus, Præcentoria, Scholariatus.

Canonicatus ſimplex (idemque eſt de Præbenda concedi ſolita in Eccleſiis Cathedralibus aut Collegiatis) ſimplex beneficium eſt, cui nulla qualitas ex iis ineſt quas ante memorauimus, nec habet eminentiam, A iuriſdictionem, aut adminiſtrationem.

Duplex è contra eſt, cui eminentia, iuriſdictio, aut adminiſtratio eſt adiuncta, & ita Papatus, Epiſcopatus, Dignitas, Prælatura, beneficia ſunt duplicia.

Poſtremo diuiditur beneficium, in regulare, & ſeculare *cap. cum de beneficio, de præbendis in 6.* & *Clementina vnica, de ſupplenda negligentia Prælatorum.* Regulare, quod à Monachis, aut regularibus tantum acquiri poteſt, ſeculare quod à ſæcularibus Clericis, id eſt, monaſtico voto, aut regula non obſtrictis, etſi regulari interdum committi B queat, nam primo, poteſt Nouitius religioſus in Epiſcopum eligi, *cap. nullus 28. de electione in 6.* modo factæ de ſe electioni ante obtentam Papæ licentiam, minimè conſentiat (inquit) Coraſius 3. *parte de beneficiis cap. 4.* quod tamen neceſſarium non exiſtimo, cum id canon citatus non exigat. Verba ipſa indicant, *Ad dignitatem Epiſcopalem ad quam Nouitij interdum eliguntur, talem in ſæcularib. aut regularibus Eccleſiis eligi minime prohibemus.*

Secundo, ad Parochiam quamlibet regu- C larem admoueri poteſt Canonicus regularis, vt habetur *cap. quod Dei 5. de ſtatu Monachorum*, etſi ſit de ordine mendicantium, Nicolaus Garſias, *parte 7. cap. 10.* non tamen ad Canonicatum, aut ſimplex aliud beneficium, quia tunc cauſa curæ animarum ſuſcipiendæ deſinit, ac ceſſat, ob quã religioſos eſſe Parœciæ capaces ius voluit, cum facultate tamen Papæ, ac ſuperiorum ſuorum, quam negandam non eſſe, cùm neceſſitas aut vtilitas Eccleſiæ poſtulat docent Laym. *de benef. tract. 11. cap. 4. num. 3.* Rodrig. *to. 1. regular. qu. 34. art. 4. & 5.* quodlibet autem beneficium, eſſe D ex prima inſtitutione ſua ſæculare præſumi debet Doctorum opinione ac ſenſu, in Romanæ Rotæ *deciſionib. deciſione 32.* Nauar. 1. *conſiliorum. tom. lib. 3. de præbendis conſil. 3. num. 1.* niſi contrarium oſtendatur ac probetur, *gloſſa pragmatica ſanctionis, tit. de collationibus §. item quod ad dictas*, aut ſpatio 40. annorum ſit per regulares poſſeſſum, Paponius *libro trium Notariorum 3.* quod tempus eſſe neceſſarium, vt vna Eccleſia præſcribat contra aliam, habetur in *cap. de quarta 4. de præſcriptionibus.*

E Pro regulari item eſt id beneficium habendum, quod eius fundatorem, ac authorem voluiſſe conſtat, vt à religioſis adminiſtraretur, non aliis, Reginal. *lib. 30. cap. 9. num. 535.* Nauar. *conſil. de præbendis 2. num. 1.*

Rurſus eſt vtrumque beneficium, duplex aut ſimplex. Duplex curam animarum habet eique adiunctam iuriſdictionem, ſimplex vtraque caret.

Regularia ſimplicia ſunt Prioratus ſimplex & canonicatus regularis. Duplicia autem

Abbatia; Prioratus conuentualis, & clauſtralis.

Sæcularia ſimplicia ſunt, canonicatus collegiatæ Eccleſiæ & capellania. Duplicia ſæcularia ſunt in duplici genere, quædam enim curam animarum habent, cum iuriſdictione in foro externo ſupra perſonas, cum titulo dignitatis, vt Papatus, Epiſcopatus, &c. quidam vero curam animarum habent, ſed ſine iuriſdictione in foro externo, vlloque dignitatis titulo, vt Parochiale beneficium, Vicariaque item Parochialis perpetua: quædam titulum habent ac eminentiam, ſed ſine iuriſdictione in Clericos, vt Præcentoria, Theſauriaratus, quædam iuriſdictionem habent ac dignitatis titulum, ſed non curam animarum, vt Archidiaconatus. Reginald. *lib. 19. cap. poſtremo ſect. 2. parag. 4. num. 82.*

DE BENEFICIIS MERE ſimplicibus.

QVÆSTIO IV.

Quid ſit Capella, quid Oratorium, & Altare.

Beneficium ſimplex tribus modis accipitur.

Primo, latiſſime pro omni beneficio, quod non habet curam alicuius, & ſic accipitur *cap. vltimo de præb.* vbi Greg. IX. aſſerit, cum de ſimplici beneficio prouideri alicui imperat, ad rectoriam & dignitatem tale ſe mandatum non extendere.

Secundo capitur latè, pro eo quod nec curam animarum, nec dignitatem aut adminiſtrationem habet, & ſic canonicatus dicitur beneficium ſimplex.

Tertio ſtrictius, pro beneficio, vi cuius, nec honor in choro, nec vox in capitulo habetur, nec vlla aliorum beneficiorum ei ineſt qualitas, non iuriſdictio, non adminiſtratio, non dignitas aut animarum cura.

Suntque horum beneficiorum ſpecies duæ, Præſtimonium & capella, illud onus non habet ſeruiendi in Eccleſia, quo onere iſta non caret, fuere enim Præſtimonia, alendis in ſtudio literarum Academicis, aut in bello militibus, cõſtituta primis temporibus ſtipendia, noſtro autem, atque eorum adeo qui nos præceſſere, pro veris ſunt habenda beneficiis, ſic enim nominantur à Boniſac. VIII. in *cap. quoniam 8. de conceſſ. preb. in 6.* Pio V. in *Extrauag.* quæ incipit, *ex proximo*, Nauar. *de Orat. cap. 21.* Fauetque ipſa ratio, nam ſpiritualis officij exequendi obligationem adiunctam habent, cui operam dare quo modo Clerici ſolent, Laicis non eſt conceſſum, quæ eſt Panormit. opinio Maynardi in *lib. 8. qu. cap. 4.* Pelei *in forenſib. lib. 1. art. 12.* Bleyani *de præſtimon. & oblat. in Theor. num. 9.* Quod ſi ea, beneficio alteri vniri contingeret, hoc ipſo deſinerent eſſe talia: eiuſque cui vnirentur, inciperent eſſe partes, membraque. Rebuff. *lib. 1. prax. tit. de Vicariis perpetuis num. 17.* Fabric. *de obit. & anniuerſar. num. 5. & 6.*

Capellæ nomine (ſiue id ſit ortum à Capellarum pellibus, quibus ſacella obtegere veteribus erat in more, ſiue à D. Martini cappa, quam qui Gallis olim cum authoritate gia Principes præerant, ſecum in bellum propitiandi numinis cauſa ferre conſueuerant, huic ferendæ, ceruices, collumque Regis nutu arbitrioque quiſquis è Clericis ſubmittebat, is Capellanus in eius exercitu curiaque audiebat, vt refert ex Valfrido Strabone, Augenſi Abbate P. Greg. *in tract. de benef. cap. 11. num. 10.* Capellæ (inquam) nomine, locum religioſum intellige, ſacro litatorio faciendo deſtinatum, ſine plebe curaque animarum, ad ambarum tamen vtilitatem ac commodum paratum, vt colligitur ex decretali Alexand. III. *ad audientiam 3. de Eccleſiis ædificand.* Ei qui præficitur, Capellani nomen habet, ac cum colligendorum iure prouentuum, Miſſæ aliquoties in ea dicendæ onus. Eſtque ſi fides Bleyano dari debet *in tract. de Altarib. & Oratoriis num. 15.* idem ac quæ apud nos appellatur. *Succurſalis*, ſeu auxiliaris & adiutrix Eccleſia, quippe quæ dependet ab altera, cui vicinia in cuius eſt vtilitatem ac commodum erecta, ſubiicitur. Sic Eccleſia S. Rochi, in ſuburbio S. Honorati Pariſ. ſubſidiaria eſt Parochiæ S. Germani ad Luparam. Enimuero quum hæc ſuo non poſſet omnes ambitu Parochianos complecti, placuit Epiſcopo, Capellam ſeu Eccleſiam auxiliarem erigi in quam ſuburbij populus Sacramentorum cauſâ coiret, ibique diebus Dominicis ac feſtis, ſacrum Miſſæ officiũ religioſe audiret, inditumque ſuburbanæ huic Eccleſiæ nomen S. Rochi, ea lege tamen, vt in ſignum collatæ ſibi in ea re gratiæ à matrice ſua Eccleſia, eam quotannis quater, in feſtis anni inſignioribus adirent, quibus poſtmodum diem adiungere placuit, qui S. Germano ſacer foret, vt ſic omnibus palam facerent, non ingratis beneficium à matrice ſua collatum eſſe, cum eſt hæc paſſa, eos à ſe loco ſeparari ac diſtrahi, de quo videri poteſt, Renat. *in ſua polit. lib. 2. titulo 7. num. 25. & lib. 3. tit. 3. num. 29.*

Hoc tamen tempore Capellæ nomen ad priuata Oratoria, propriaque cuiuſque familiæ ſacella, (vt ſic templis opponãtur,) reſtringi eſt certum: quare & *Oratoria*, ea *Altaria* à nonnullis appellantur, ad quæ, conceſſa olim à Papa matrici ſuæ priuilegia extendi nolunt,

vt exemplo probat Forgetus *in tract. Deci-* A
marum cap. 9.

A Capellania, Altari, & Oratorio Capella diſtinguitur, illa enim corpus nō eſt ab Eccleſia ſeiunctum, ſed eius pars quædam, omnibus patens ac peruia, Felinus *in cap. ex parte extra de reſcriptis*. Cum altare vni tantum familiæ, aut certo hominum generi, precibus ad Dei cultum fundendis inſeruiat, ei qui præerat, perſonæ nomen erat 1. *q. 3. can. quæſitum 4.* ſibique inter beneficiarios locum vendicabat. Guido Papa *q. 187.* ſi erat eius altare ſeu Capella Diœceſani authoritate fundata. Gloſſa *in cap. ſi beneficiorum extremum de* B
decimis, ex quo patet, duo ad eam exigi, dotem ſcilicet, id eſt, alendo Capellano reditus neceſſarios, & ſpiritualizationem, hoc eſt Diœceſani approbationem: Enimuero eſſe altare ac Capella beneficium non poſſunt, ſine iure ad obuētiones ac prouentus eius diurnos ac annuos, cumque vacat, eiuſdem collatione ab Epiſcopo, aut aperta Regalia à Rege, qui Epiſcopi vice in eo fungitur. At id occaſione dotis Capellæ ſuæ attributæ, Capellanus aſſequitur, vt eius exigendæ ius habeat, ſicut ab eiuſdem approbatione E- C
piſcopus, vt cum eſt poſſeſſore vacua, eam conferre, ſola fundatori præſentatione reſeruata, valeat. Nam quod à Guidone Papa loco citato aſſeritur, in hæredum eius poteſtate ac iure eſſe, illam, cui placet, modo idoneo poſſidendam dare, non probo, quia inſtitutio beneficiarij ad Epiſcop. aut eius Vicarium ſpectat, *cap. ex frequent de inſtitut.* nullaque eſt facta per Patronum laicum beneficij collatio, vt eſt in *cap. cum laici de iure patronat. decimo*, quia *non licet Laicis Clericos in* D
Eccleſiis præſumptione propria ordinare, niſi de eo priuilegium à Papa habeant, quali Reges Angliæ, Hungariæ, Aragoniæ, ac Delphinum frui ait Guidonis Scholiaſt. loco citato ad verſum *Delphinus qui cōfert.* Extra hunc caſum *altaria congregationibus canonicorum vel Monachorum per perſonas data, mortuis perſonis, libera redeunt in manus Epiſcoporum, niſi fuerint illis per eorum ſcripta vel priuilegia confirmata, 1. q. 3. can. quæſitum 4.*

Et quanquam ſint hæc Capellis, cum Oratorio erecto in beneficium communia, eſt tamen inter ea differentia non leuis. Nam eſt E
Capella Eccleſia ruri poſita, ad paganorum vtilitatem & commodum ædificata, qui ad Parochialem vnde abſunt, conuenire niſi ægre, diebus Dominicis ac feſtis nequeunt, quæ eamobrem auxiliatrix & ſuccurſalis dicitur à Fabric. in *Theor. rubrica de altaribus & Oratoriis*, cum Oratoria, vni familiæ inſeruiant, non quidem in Eccleſia vbi ſint ſita, ſed ſeparatim, ac per ſe exiſtentia, domibuſque profanis de Epiſcoporum facultate cohærentia. Sanc Eleutherius, vt eſt in *can. 30. cauſa 18. q. 2.* à matre ſua, oratorium olim extructum narrat, *in caſa quæ caſtellum dicitur & in eodem loco Monachos conſtitutos fuiſſe in quibus vnus erat Presbyter.* In Grangiis quoque fuiſſe oratoria, Gregor. IX. agnoſcit in *cap. auctoritate 27. tit. de cenſibus.*

Eſt & aliud inter ea diſcrimen, quod Oratorium à procurationibus quæ ratione viſitationis debentur, ſit liberum, *cap.* auctoritate, proxime citato, non item Capella.

Tertio ſæpe non ſunt Oratoria beneficia, vtpote indotata, nec quantum eſt ad decentem congruamque Presbyteri ſuſtentationem neceſſe, commeatus habentia, quæ eſt cauſa, cur Papalibus [illegible] ſubiiciātur decimis, quæ res, tamen in Ca[illegible]lis reperiuntur ambæ ſunt enim beneficia in titulum dari conſueta. Ioan. de Selua teſte in *tract. benef. par. 1. q. 3. num. 29.* Papalibus decimis ſuppoſita à Gl. in *cap. 2. de decimis in Clem.* etiam exprimenda in beneficiorum impetrātionibus, ex ſentētia Rebuff. in *tract. de nominat qu. 9. num. 29.* Loiſeti *in collect. ſub litera B. art. 3.*

QVÆSTIO V.

De Beneficiis ſimplicibus honoratis, & præcipuè de Canonicatu.

EST Canonicatus, ius ſpirituale percipiendæ præbendæ canonicæ, cum honore chori, & voce Capituli ex legitima electione vel receptione, canonico competens.

Dixi ius ſpirituale, quia Canonicatus eſt vere beneficium, vnde laïcis non licet eſſe Canonicis, *cap. in Eccleſia de inſtitut.* etſi in aliquibus Eccleſiis Papæ priuilegio, viris nobilitate ſua, ſtirpeque in prouincia vbi nati ſunt conſpicuis, liceat inter eos ſedem ſibi capere, iis cum de negotiis agitur, ſe adiungere, ſuoque loco ac ordine, ſententiam dicere: non ſunt tamen propriè, eoque ſenſu quo Canonici nomen hic ſumimus, de canonicorum gremio, cœtuque.

Eſt autem præbendæ cuius fit in definitione mentio, notio ſeu ſignificatio quadruplex. Accepta latiſſimè, idem ſonat, ac quod eſt in ære Eccleſiæ, jureque, tam mobile quam immobile, vnde eſt titul. *de præb. & dignitatib. & tit. de Clericis non reſident. in præb.*

Late ſumpta, idem eſt ac ſtipendium, ob impendendas, aut impenſas in Eccleſiam operas, debitum, & definiri poteſt, certa Eccleſiaſticorum prouentuum portio per ſe diſtincta, & ratione officij temporalis cuipiam præſtanda, vt Aduocato, vel Procuratori.

Stricte autem ac proprie Præbendæ nomen cum ſumitur, idem eſt ac *ius ſpirituale, ſeu facultas percipiendorum Eccleſiæ prouentuum ra-*

tione diuini officij in ea præſtiti. Eſtque præbenda hoc tertio modo accepta, beneficium, quod ex tribus eſſe rebus conflatum vult Gregor. in *ſyntagm. iuris vniuerſi lib. 15. cap. 23. num. 22.* annona ſcilicet ſtata & annua, quam *Groſſum* nominant, diſtributionibus diariis, quæ victualia ac manualia, appellantur à Pontif. in *cap. vnico de Clericis non reſid. in 6. & cap. olim de verbor. ſignif.* vbi etiam videntur hæ diſtributiones dici præbendæ, quibus tamen proprie loquendo opponuntur, cum præbenda detur abſenti canonico, diſtributio non item.

Poſtremo, conflatur præbenda ex fructibus menſæ commu[illegible]u Capituli reditibus, qui ſimul colligunt[illegible] nec certo diſtribuuntur tempore, ſed cum Canonicis viſum fuerit, quorum etiam abſentes ex cauſa legitima, vt ſtudiorum, ſunt participes: Longa tamen, eaque non interrupta conſuetudine, factum video, vt in pleriſque Eccleſiis tam Cathedralibus quam Collegiatis, abſentibus nihil detur, vt ſic omnes officium facere ne grauētur, amittendi ſtipendij ſibi debiti illecti metu.

Quarto eſt præbenda, fructus ipſius canonicatus, quo ſenſu dicitur, vulgo *non eſſe congruum vt præbenda careat, qui in canonicum noſcitur eſſe receptus cap. relatum 9. extra de præb.* hocque modo à nobis in definitione allata canonicatus capitur.

Quæ tres ſunt reliquæ, in ea definitione adiectæ particulæ, propria canonicorum munera explicant, nam vt omittam de ſeſſione ſeu ſtallo, ac honoratiore chori loco dicere, quem exedram interpretatur, P. Greg. *lib. 15. ca. 32. n. 12.* ius ſeſſionis & inceſſionis in proceſſionibus, Fabric. *in Theoria*, habent Canonici ius dicendæ ſententiæ, ferendique in Capitulo ſuffragij, dum ſuper controuerſis incertiſque iuris quæſtionibus, mentē explicare ſuam rogantur in conſeſſu fratrum, cui Decanus communiter præſidet. Eius tamen facultatis, iuriſque non ſunt alij decreto Concil. *in ſeſſione 22. cap. 4.* capaces, quam qui ſacro ſunt Subdiaconatus ordine inſigniti, quod & antea Clem. eius nominis III. ſtatuerat in *titulo de ætate & qualit. præficiend.*

Dictum idem volo de Canonicis quos honorarios, ſeu in herbis nominant, quos certum eſt, præter honorem chori, hoc eſt, ſeſſionis in eo inter fratres, proceſſionis ad loca pia cum cæteris, nullam ſibi Canonici prærogatiuam, aut propriam functionem ſumere poſſe, nedum regendæ Eccleſiæ, cuius eſt Canonicus tantum honorarius, poteſtatem in Capitulo, quia cum non ſit talis, niſi nomine tenus & habitu, vt fructus cum cæteris diuidere communes ac eorum ſibi partem petere nequit, ita nec opinari, aut ſententiam in Capitulo dicere, niſi de eius, id eſt, Canonicorum voluntate ac conſenſu.

Dicendum idem, de Aſſiſiis, Matriculariis, Manſionariis, Habituatis, Hebdomadariis, quos certum eſt non intereſſe Capitulo, & quanquam Aſſiſij quos ego cum ſummarum ſcriptoribus ſic dictos credo, quod ſint aſſidui, perpetuamque in choro Eccleſiæ nauent operam, canendo, litando, orando. Licet (inquam) iſtorum ſit hominum magna virtus, admiranda in Deum pietas ac Religio, tamen vt nō ſunt Canonici, ita nec eorum fruuntur honoribus: quare nec in cathedris pari cū Canonicis gradu locoque ſedēt, nec ad capitulū admittuntur cum ſe offerunt, cum enim eorum vices, vt ſerui dominorum ſolent, in choro obeant, decuit eos, vt ſunt ab illis propriis ſeiuncti officiis, ita & honorum prærogatiua diſtingui, & ita ferendi ſuffragij iure excludi.

Quanquam ſunt & alia inter eos diſcrimina, eaque non pauca, de quibus nos olim *to. 1. moral. Theol. tract. 11. q. 4.* præcipua ſunt quod Canonicis ſua reſignare beneficia ſit conceſſum, non Aſcriptitiis & Manſionariis ſine conſenſu Capituli, Fabric. *tract. de reliq. ſtipendijs num. 16. & 17.*

Alterum, quod diſpenſatus per Epiſcopum ſuper illegitimitate natalium, ſit beneficiorum quæ ab Aſſiſiis poſſidentur, non incapax, non item canonicatuum, Felinus in *cap. poſtulaſti de reſcriptis.*

Tertium, quod Cathedralis Eccleſiæ Canonici, ſummi Pontificis, ad eorum inſtar, qui dignitatem habent, delegati eſſe queant; non Aſſiſij, ſicut nec qui aliarum ſunt Eccleſiarum ſimplicium, etiam Collegiatæ Canonici.

QVÆSTIO VI.

De Beneficiis, non Curatis, quæ ſunt dignitates, Perſonatus & officia, & alijs quæ curam habent.

DE re certo quid dicam, vix habeo, cum hæc tria ſint inter ſe non raro confuſa; ſit pro argumento quod Primiceriatus primo perſonatus, deinde dignitas, mox officium appelletur *cap. cum acceſſiſſent 8. de conſtitutionib.* ſequar ergo, ex aliorum ſententia verius, quam mea.

Eſt dignitas beneficium duplex, habens præeminentiam cum iuriſdictione fori exterioris, aut vt ſcribit Duaren. *lib. 2. cap. 6.* adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum cum iuriſdictione, cuiuſmodi beneficia obtinent Epiſcopi & Abbates, quanquam ſit hæc in multis, qui nec ſunt Epiſcopi nec Abbates.

Primo enim ſine beneficio eſt aut prouentu, vtplurimum etiam ſine perpetuitate, vt in Prouincialibus & Generalibus Ordinum Mendicantium

Mendicantium, atque adeo in omnibus, qui in Conuentu aut Collegio ſuperiorem non habent, habent enim hi omnes adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum cum iuriſdictione in ſubditos, Sylu. *verb. dignitas pa-rag. 1.*

Secundo inuenitur cum beneficio, qualis eſt in Cathedralibus vel Collegiatis Eccleſiis dignitas Decani, Archidiaconi, Primicerij, quæ his agnoſcitur inſignibus, ac notis, præcedentia ſcilicet in choro, Capitulo & proceſſione; & hi aliquando iuriſdictionem habent, qua nonnunquam tamen carent. Coraſ. *parte 4. tract. 4. de benefic. cap. 3.* quia vſu & conſuetudine, qui eos gerebant magiſtratus, eam ſibi eripi ſunt paſſi: nec enim eſt vaſorum cuſtodia de qua Greg. III. *in cap. 4. de offic. Archid.* modo in eius poteſtate ac iure vt olim, ſed Theſaurarij vel Sacriſtæ.

Eſt perſonatus præeminentia in Eccleſia ſine iuriſdictione & adminiſtratione, vi cuius, alios non conſtitutos in dignitate, etiam ante ſe receptos, in choro, Capitulo, & proceſſionibus antecedit, vt Præcentor, Rebuff. *lib. 1. praxis tit. ſeculare benefic. quotuplex nu. 8.* Sylu. *verbo dignitas nu. 3.*

Eſt officium rerum Eccleſiaſticarum adminiſtratio ſine præeminentia & iuriſdictione, vt *Theſaurarius & Sacriſta.* Et hæc, de beneficiis non Curatis dicta ſunto.

Curatorum autem bipertita eſt diuiſio, quædam iuriſdictionem in vtroque foro obtinent, in interiori tantum, alia. Illa tam maiorem quam minorem Prælaturam continent, hæc illam non habent, vt Parœcia, quæ & Rectoria & Plebania dicitur, & beneficiarius qui ei præſidet Rector, *cap. vlt. de prabend.* & Parochianus, Plebanus, plebe late accepta pro populo, nec enim Plebanos tantum, ſed & nobiles, Parocho in iis quæ ad animæ ſalutem pertinent, ſubeſſe eſt certum. Vtpote, cui in perſona Petri, ſit à ſeruatore quondam imperatum, vt in fœcunda Sacramentorum, ac gratiæ pabula, quà monitis: quà opere ac exemplis induceret.

Quæ iuriſdictionem in vtroque foro obtinent, ſuntque ideo curata, Prælaturæ nomen habent, & quidem ſunt hæc quæ ſequuntur, iuriſdictionis externæ argumenta non obſcura, à Ioan. XXII. *in Extrau. execrabilis*, admemoriam ſempiternam poſita, *viſitare, inquirere*, procurationes petere ac recipere, cenſuris ligare, vinctos ſoluere, præſentatos à patronis ad beneficia admittere, poſſeſſore vacua idoneis conferre, ad ea eligere, electos confirmare, &c.

Internæ autem poteſtatis, ſeu iuriſdictionis in interno foro exercendæ, eſt hoc ſignum, de peccatis confeſſos, vereque pœnitentes abſoluere.

Eſt autem Prælaturæ genus duplex: maior vna, quæ eſt Epiſcopi, eorumque qui illum dignitate in Dei Eccleſia ſuperant, propria. Minor alia, cuiuſmodi eſt Abbatum, quos in ſignum prælationis, inſignibus & priuilegiis Epiſcoporum, ex Apoſtolica liberalitate ſæpe gaudere conſtat, eorumque ope benedicere, tonſuram dare, minores, religioſis quibus præeſt, conferre, capite mitram, pedum manibus geſtare, *cap. Abbates, & cap. vt Apoſtolica de priuileg. in 6.*

His affines ſunt Priores tam Conuentuales quam clauſtrales, vt patet, indicatque res ipſa, nam vt ſileam ab his, quando abeſt Abbas, cum poteſtate regi cœnobium, Conuentuales autem conuentus rectores eſſe ac Patres, etiam iis tanquam in dignitate conſtitutis, Pontificias literas dari poſſe, de ſuſcipienda delegati prouincia ad lites inter duos, aut plures colligitantes inuicem, iudicij ſui, ſententiæque æquitate componendas. Sunt autem clauſtrales, qui Monaſterij, in quo eſt ſedes Abbatialis, ac Monachorum curam gerunt, remanente paſtorali poteſtate, iureque penes Abbatem, à quo & amoueri poſſunt ex cauſa.

Conuentuales præſunt conuentibus ab Abbatia ſegregatis, habentque ab eius Prælato, vel Epiſcopo, omnimodam in ſubditos ſuos iuriſdictionem.

QVÆSTIO VI.

Explicantur Beneficiorum nonnullæ ſpecies à prioribus diuerſæ.

OCcurrunt in eorum texendo catalogo, primo Collatiua, & electiua: ſunt iſta quæ ex præuia electione ab his facta, qui ius ſuffragij habent, & ſubſequente Superioris confirmatione, electus obtinet, Collatiua, ea ſunt ac dicuntur, quæ Superioris libera, ſimplicique voluntate tribuuntur.

Secundo beneficia ſunt quædam iuriſdictionalia, alia minime, illa eo vocantur nomine, quod iuriſdictionem habeant, & quidem ſi erit hæc tantum pro animæ foro, Parochiam conſtituet, ſi pro exteriori ſupra Clericos, dignitatem; ſi cum iuriſdictione externa populus ei ſit ſubiectus, cui Sacramenta Confirmationis & Ordinis miniſtrari oporteat, Epiſcopatum, ſi ſit Dignitas cum præeminentia & iure deligendi Pontificis, Cardinalatum.

Non iuriſdictionalia ſunt ſimplex beneficium, Officium, & perſonatus, ſimplex eſt, quod neque curam habet animarum, nec adminiſtrationem rei Eccleſiaſticæ, nec iuriſdictionem, ſed tantùm obligationem dicendi horas, ſacrum, aut preces alias.

Tertio quædam ſunt beneficia Patronata, ſic dicta, quod ad ea patronus offerat Ordinario, cui hic illa conferat, collata eo inconſulto, ac ſine præſentatione, firmitatem non habent, facta de iis hoc modo donatio, eſt reſcindenda.

His fere ſunt ſimilia, quæ dicuntur patrimonialia, nam vt illa, id eſt, Patronata, his duntaxat ſunt danda, qui à Patrono præſentãtur, modo ad ea afferant omnia, quæ in ſacerdotij candidato, canonum leges exigunt, ita & illa, non aliis ſunt præbenda hominibus, quam qui ex fundatoris ſunt familia.

B Definiuntur autem hæc beneficia hoc modo, ſunt bona, iuri ſpirituali iuncta quæ nonniſi originariis, incolis vel habituatis alicuius patriæ, ciuitatis, aut Eccleſiæ conferri debent, quod de collatione facienda per obitum eſt intelligendum, nam vacantia per reſignationem, aliis quam prædictis habituatis dari poſſe, docet cum Charonda *li. 1. Pandect. tit. 9.* Bleyanus *in Theor. tract. de complurib. aliis benefic n. 27. litera h ad marginem.*

Quarto in beneficiis ſunt aliqua qualificata, affecta, monocula. Monoculum, beneficium eſt, quod ſolum ac vnicum collator conferendũ habet: qualificatum, quod certam qualitatem aut conditionem annexam habet, ratione cuius, vel certis Clericis, vel per certas perſonas, aut certo modo conferri debet.

Sunt de hoc genere præbenda Theologalis, Parochialis Eccleſia in muratis vrbibus, Epiſcopatus & Abbatia, nam vt prima, non niſi Licentiato aut Baccalaureo in Theologia dari poteſt, ita nec Parochia, niſi graduato in Gallia, extra eam autem, non alteri quam qui per concurſum, cæteris dignior iudicatur.

Quod ad Epiſcopatus & Abbatias attinet, non ſunt his præficiendi, niſi quos acceptos Regi & gratos eſſe conſtiterit, ab eoque præſentatos Pontifici, de quibus nos poſtea.

Quinto ſunt & beneficia quædam conſiſtorialia, principalia & ſuccurſalia. Conſiſtorialia eo appellantur nomine, quod in ſacro Romani Pontificis conſiſtorio ſcheda, & non ſupplicatione porrecta tribuuntur, ſeu quæ in conſiſtorio, habita prius diſcuſſione conferuntur, Gomeſius *in regul. de infirmis reſignant q. 14.*

Sunt Principalia, in quibus recens natis Baptiſmus datur, Sacramenta miniſtrantur, Euchariſtia in Paſchate ſumitur, Succurſalia, idem ſunt ac iuuandi proximi cauſa inſtitutæ Eccleſiæ, quæ non ſunt tamen baptiſmales, hoc eſt, ex ædificatæ ad reconciliationem animæ cum Deo in baptiſmate.

Eſt Præſtimonium, redituum Eccleſiæ certa portio, ſtudioſo dari ſolita, vt inde illi neceſſarij ad perficienda ſtudia, vitæ commeatus ſuppetant, Zerola in *praxi Eccleſiaſt. verbo beneficium num. 1. pag. 24.*

Sunt & inter beneficia, aliqua, quæ litigioſa ſunt, aliqua quæ pacifica, prioribus litigioſi nomen datur, quod ſuper iis, lis ſit mota, pendens, vt loquuntur, nec adhuc iudicum definita ſententia, habentque iſta beneficia id inter cætera, ne conferri valeant, donec ſit lis finita, Rebuff. *par. 1. prax. ad formam ſignaturæ verbo aut litigioſum*, nec ad ea præſentari, ſecus ſi quid fiat, eo ipſo irritum & inane cenſeri debebit.

Pacifica, ea dici ſolent, ſuper quibus non litigatur, nec à vero legitimoque eorum poſſeſſore quis petit, vt his cedat, aut decedat.

Notandum tamen, accidere nonnunquam, maximeque in Gallia vt non finita lite, conferantur ab ordinariis, ſi litigantium alter diem ſuum obeat, Rebuff. *in praxi benefic. ad primam part. ſignat. verbo aut litigioſum.*

Septimo ex beneficiis quædam ſunt reſeruata, alia non item. Reſeruata ſunt, quæ certis tantum ſunt hominibus, & per certos conferenda, quod fit, cum pro auctoritate ſua Pontifex, aliqua ſibi beneficia, aut alteri, reſeruat conferenda huic aut illi hominum generi, non aliis, vt videre eſt in mandatariis, & quanquam id ſibi non rarò faciendum putat Legatus à latere, ac executor, aliiue, de quibus in *cap. executor. de conceſſ. præb. in 6. & in cap. præſenti de offic. legati ibid.* Eſt id tamen proprie in iure Papæ, vt notatur in *cap. ſi eo tempore de elect. in 6.* & dicetur poſtea, cum de collatione diſputabitur.

Sunt & beneficia nonnulla, quæ communi vocabulo affecta nominantur, ſuntque ea, ſuper quæ Pontifex manum appoſuit (vt loquuntur) quæ manus appoſitio fit primò, cum Papa beneficium ſæculare regulari, aut vice verſa, regulare ſæculari commendat, nam ſi dum de eo, capaci tribuendo homini Papa cogitat, Commendatarius interim intereat, tale beneficium per eam commendam ſic affectum remanet, vt eius conferendi poteſtatem præter Papam, nullus habeat, per *regul Cancell. 3.*

Secundo, cum beneficium ſic à ſe pendere Papa ſignificat, vt ſuæ diſpoſitioni, arbitrioque ſubeſſe pleniſſime in poſterum velit, Bleyan. *de complur. benefic. nomenclat. numer.* 8.

Tertio fit hæc affectio per reſignationem coram ſummo Pontif., quia ex quo eſt hæc facta, collatoris ordinarij partes ſic ceſſant, vt omnis eius conatus ac opera, circa diſpoſitionem reſignati beneficij in manu Papæ futura ſit inutilis ac vana, vt ex Ioan. Selua refert Papon. *in lib. 2. tit. 8. arreſto 15.* niſi procurationem ad reſignandum à reſignante Banquario datam, ab eodem reuocatam conſtaret, nam tunc, vt ante, Ordinario, fas foret

ret ad reſignantis, preces, votaque, aures inflectere, ac reſignatario beneficium, de quo aliter ille in literis ad Pontif. ſtatuerat, conferre.

Sunt Præſtimonia, ſi dantur in titulum, beneficia, Flamin. *lib. 2. de reſign. cap. 2. num.* 123. à præſtando munere nomen habet, quod quidē erat nonnuſi admodum leue, nec enim recitandi officij onus adiunctum habent, Nauar. *lib. de orat. & horis cap. 21. num. 9.* ſed precum aliarum, vt orationis Dominicæ, in certo aliquo ac definito numero, nam ſi eorum originem ſpectes, ea olim in adoleſcentium commodum, dum literis operam darent, aut pugnantium pro fide, ac religione Catholica instituta fuiſſe reperies, Staphil. *in tract. de literis grat. circa 5. form. expect. num. 3.* ideoque nomen eis factum vt dicebam paulo ante, quod qui ea poſſiderent, munia, hoc eſt, obſequia lege debita, officiaque publicè exhibenda præſtarent, Bleyan. *de anniverſar. & oblat. nu. 3.* ex Hoſtienſi *in cap. poſtulaſti ext. de reſcript.* hoc tamen modo ſumpta Præſtimonia, beneficia non erant, cum eorum ſint Laici capaces, nec literarum ſtudia ſpirituale quidpiam, aut eius exequēdi ſpirituale ius habeant. Sunt tamē Præſtimonia beneficia, prout 1. modo conſiderātur, nempe vt habēt titulū, ſuntque cum aliis diuerſi generis compatibilia, vt patet, ſi ea tamen per Epiſcop. aut quempiam alium paris cum eo auctoritatis, aut maioris, beneficio alteri vnirentur, nomen ſuum perderent, perque eam vnionem beneficia eſſe deſinerent, vt ait Rebuff. *1. par. prax. rubrica de Vicariis perpet. num. 17.*

Eſt Plebania de qua fit mentio *in cap. finali, extra ne Clerici vel Monachi, & cap. 1. eod. tit. in 6.* beneficium Curatum, à Parochia tamen diſtinctum, quod iſti, id eſt Parochiæ, vna tantum ſubeſſe vicinia ſoleat, cum multas ſibi obſequentes Plebanus habeat, indeque fieri communis eſt DD. opinio, vt non ſit ſatis, in literis eius impetratoriis à ſancta Sede, narrare, quod curam animarum habeat, niſi vnà quoque exprimatur, Capellas illi aliquot, ac adiutrices Eccleſias ſubeſſe, Rebuff. *in 3. par. ſignatura*, iiſque Capellis Clericos perpetuos præfici, à quibus regantur, *nequeuntes ab ipſis abſque cauſa rationabili amoueri*, Bonif. VIII. *in cap. ſtatutum 1. ne Clerici vel Monachi in 6.*

Eſt Rectoria, de qua Pontifex *in cap. cum olim 38. extra de prabend.* & Lucius III. *decret. 3. de Clerico agrotante*, beneficium non ſimplex ex Innoc. *in extremo de Cler. agrotante*, vbi eſt, Rectoriam beneficij ſimplicis nomine non notari, eo quod quarundam Eccleſiarum rector, ab earundem Clericis eligi conſueſſet. Eſt ergo Rectoria beneficium, *ſed quod in Parochiali Eccleſia pralationis officio fungitur*, Clem. III. *in cap. 4. tuanos de Clerico agrotante.* Curam ergo animarum habet, *eod. tit. cap. de rectorib. Eccleſiarum 3.* idemque videtur eſſe ac Parochia. Nam quod Rectorem eum eſſe Bleyanus ait, qui cum duabus Parochiis adminiſtrandis ſit à Pontifice præpoſitus, earum alteram per ſubſtitutum, quem Lucius III. coadiutorem nominat, *in cap. de rectoribus 3. de Clerico agrot.* procurat, eſt contra praxim, nam Curati in Armorica, vt communiter Rectores vocantur à plebe, ita ipſi alio appellari ſe nomine non ſinunt, & tamen inter eos nulli ſunt aut pauci, qui binas ſibi Parœcias à Romano Pontifice impetraſſe dici queunt. Non eſt ergo Rector, idem ac qui cum ſit duarum Eccleſiarum Parochus, earum alteram per ſacerdotem qui vices ſuas obeat, regit ac gubernat, ſeruato ſibi Parochi nomine, eius occaſione Parochiæ in qua reſidet.

Sunt præter hæc beneficia, & alia, quæ deuoluta, Patronata, exempta & Monocularia vocantur in iure. Sunt deuoluta, quæ ab Ordinario collatore ob culpam aliquam ſuam, aut factum, quod hac pœna canones afficiunt, ad immediatum eius ſuperiorem conferenda tranſeunt. Excipe caſum, in quo Canonici Cathedralis Eccleſiæ, cum ſcienter eligunt indignum ipſo iure, aut per ſententiam cum formam traditam in Concil. generali non obſeruant, eligendi poteſtate ſunt priuati. Nam *tunc non ad dictum ſuperiorem, ſed ad Romanum Pontificem poteſtas eadem deuoluitur, ſicut in inferioribus Eccleſiis eſt cenſendum de elect. in 6. cap. quanquam 13.*

Verum enim (inquies) à Papa conferendi beneficij quod Romæ vacauit, ius ad Ordinarium delabitur, ſi non fuit intra menſem ab eodem Pontif. in Curia digno datum, non eſt ergo deuolutio, iuris ab inferiore ad ſuperiorem deriuatio.

Neg. eſt conſequ. & ad Antec. dicendum eſt, ad Ordinarium à Papa, ius præbendæ quæ Romæ vacauit, conferendæ, non deuolui, ſed ne eius vacatio iuſto longior quam neceſſe foret, Eccleſiis noceat, vt eſt in *cap. quam ſit 6. de elect. in 6.* Ordinario permitti à Pontif. *vt poſt menſem, à die quo dignitates, ſeu beneficia ipſa vacauerint, numerandum, ea conferre valeat tantum per ſeipſum, aut ipſo agente in remotis, per ſuos Vicarios generales in ſua Diœceſi exiſtentes, quibus id canonice ſit commiſſum*, Greg. X. *in cap. ſtatutum 3. de præb. in 6.*

Sunt beneficia quæ *exempta* nominantur, beneficia quæ ſunt extra ius ac poteſtatem ordinarij: quare ab eo conferri nequeunt, ſed eo duntaxat, cui ſunt à Pontif. Romano ſpeciali priuilegio addicta. Et quanquam exemptiones eiuſmodi, quod ordinarius non poſſint non eſſe odioſæ ac graues, tollendas ab Eccleſia ſtatuere Concil. duo Conſtant. & Trid.

in ſeſſione 24. cap. de reformat. 11. eas nihilominus abrogatas non eſſe, ſed adhuc in vſu communi verſari docet Peleus *in forēſib. l. 2. act. 4.* indeque probat, quod in iuridicis Lugdunenſium dierum conuentibus, ab his, quorum tum intererat ſententiam dicere, reſponſum conſtet, de controuerſiis capituli, à ſua, hoc eſt ordinarij iuriſdictione exempti, Claromontano Antiſtiti cognoſcendi ius non eſſe.

QVÆSTIO VIII.

An Monachatus & Capellania ſint Beneficia.

De Præbenda Monachorum ſimplici, ſeu iure depenſi quotidiani, ob officium in choro exhibitum, aut exhibendum eſt ſermo, nam Officia clauſtralia, haberi pro beneficiis in Gallia, oſtendetur poſtea, docetque Candid. *in tract. de benef. diſq.* 18. *art.* 1. *num.* 5. De præbenda ergo Monachorum, quid tenendum?

Proprie beneficium non eſſe, nec enim eſt ius perpetuum colligendi reditus, quos Monachus in res honeſtas ac neceſſarias arbitrio ſuo impendat, debito quidem vitæ ſubſidio carere nequit, hoc ei ex Monaſterij redditibus ſuppeditari oporteat, ſed hos exigendi, ac conuertendi in vſus ſuos, aut ex iis, boniſque Deo dicatis quibus vtatur ad voluntatem, fructum ſibi vindicandi aliquem, ius non habet: haberi ergo Monachatus pro beneficio, & Monachus pro beneficiario nec debet, nec poteſt. Eſſe tamen in Gallia ac Germania cœnobitas aliquos, qui ius exigendi fructus, ac recipiendi ſiue in prædio ſibi à Superiore aſſignato, ſiue ab adminiſtratore bonorum communium, Candidus aſſerit ſupra, *art. 2. dub. vnica num. 4.* quos quia manibus ipſi ſuis diſpenſant, ac in res ſibi vtiles ac bonas erogant, in beneficiariorum ponendos numero tradunt cum eo, Filliuc. *to. 3. ca. 1. q. 3.* & Gloſſa *in Clementin. diſpendioſam, verbo, beneficiis, rubrica de iudiciis.*

De Capellania iam eſt dicendum, quam à Capella in eo diſtingui aiunt, quod iſta locus ſit ſine plebe & animarum cura, per ſe exiſtens, extructuſque ad commodum viciniæ, quæ ad Parochiam diebus feſtis cōmeare facile propter diſtantiam non poteſt; Capellania vero, ſit quidem diuino cultui deſtinatus locus, ſed qui Parochiæ contineatur finibus, & ad quem omnibus ire ac ingredi ſit permiſſum: quare quod ſit intra Parochiæ ambitum, dicitur per ſe non exiſtere, communiter tamen ſumi pro eodem ſolent, Capella & Capellania, quæ quoniam erant olim intra Parochialis Eccleſiæ terminos ſitæ, & ad Parochianorum bonum extructæ, Succurſales

A dicebantur, Rebuffo auctore *tract. de decimis q. 6. num. 16.* & ſubiectæ Parochiæ, ſeu baptiſmali Eccleſiæ, quo præſuppoſito,

Dico primò, *Cum ſunt Capellaniæ auctoritate priuata, priuati cuiuſpiam hominis, domi ſua adſuum, & domeſticorum bonum extructa, non autem cum Epiſcopi conſenſu, non ſunt beneficia.*

Ratio eſt, quod tum non ſunt in rebus ſacris ac diuinis cenſendæ, quod in Laïci non ſit, iure locum ſacrum facere, *cap. ad hæc de religioſis domib.*

B Deinde eſt beneficium, ius perpetuum colligendorum fructuum, Eccleſiæ auctoritate, hoc eſt, Epiſcopi, fundatum: non habent hoc Capellæ, cum ſunt ignorante Antiſtite à loci domino domi ſuæ ædificatæ, Guido Papæ *in deciſionib q. 187.* quo ex fundamento infert defuncti hæredem abſque alia Epiſcopi, aut alterius in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti inſtitutione canonica, licitè ac libere eiuſmodi capellam conferre pro arbitrio poſſe, cui volet, quod dici verè non poſſet, ſi in beneficiorum ſerie foret, nam beneficiorum inſtitutio ſpectat ad Epiſcop. *cap. ex frequent. de in-*
C *ſtitut.* quare facta à Patrono laïco non valet, *cap. nullus laicus 16. de iure patronatus.*

Dico ſecundò, *Capellanias, quæ ſunt de conſenſu Epiſcopi cum dote, & poteſtate ſpiritualium functionum extructa, vera eſſe beneficia:* Ita Guido loco citato & eius Scholiaſt. Anton. Mathæus, Candid. *de benef. diſquiſit. 8. art. 2.* Rebuff. *in tract. de pacificis num. 87.*

Probatur primò, quia *1. q. 1. can. Apoſtolica,* Capellaniæ numerantur inter beneficia, & poſſunt annecti præbendæ per Decretalem Honorij III. *expoſuiſti 33. de præbend.* reſer-
D uata tamen fructuum parte congrua, earundem Presbyteris: idem ibid.

Secundo, habent Capellæ aliquæ ſuos reditus, vt Sacelli Diuionēſis Palatini, Pariſiēſ. ac Biturigum, & ſpiritualiſationem, hoc eſt Epiſcopi approbationem, at hæc duo cum concurrant, beneficium conſtituunt, Guido Papæ ſupra Bleyan. *de Capellan. num. 27.* eſt ius percipiendorum redituum, ex re Deo dicata, ſacraque, quæ ad Epiſcopi diſpoſitionem, inſtitutionem ſcilicet transfertur, ſola præſentatione patrono reſeruata.

E Tertio, quæ beneficiis accidunt, eorumque propriæ ſunt affectiones ac notæ, hæc in Capellis reperiri, eſt certum, nam dantur in titulum. Ioan. de Selua *in tract. benef. par. 1. q. 3. num. 9.* quædam eximuntur Papæ benignitate ac indulgentia à iuriſdictione Epiſcoporum, vt Capella Diuionenſis Sacelli, *cap. cum Capella Ducis Burgundi 16. de priuilegiis,* Lutetiana, vt eſt in Reſcripto Ioann. XXII. ad Philipp. Regem apud Chop. *lib. de domanio 3. titulo vltimo num. 9.*

Quarto, decimis ſubiiciuntur Papalibus.

Quinto, in noui alicuius impetratione beneficij Papæ debent exprimi, Rebuff. *in tract. nominat. q. 9 num. 29.*

Sexto, aperta Regalia, Rex eas confert vt beneficia reliqua, Ruzæus *in tract. Regalior. priuileg. 15. nu. 4.*

Septimo, ſunt Cãcellariæ regulis obnoxiæ, Gomeſ. *in regul. de infirm. q. 23.* quod & locum habere ait in oratoriis & altaribus, quæ à capellis non diſtingui niſi nomine tenus, vera eſt multorũ opinio, ſunt ergo Capellæ, quibus eſt annexa obligatio ſacri dicendi, aut officij perſoluendi Eccleſiaſtici, beneficia, cum ſunt authoritate fundata Epiſcopi, ac Eccleſiæ. Quod ſi ad Laïcos pertineant, nec ad illas inſtitui per Epiſcopum Clerici ſoleant, non ſunt beneficium, ſed Clerici patrimonium in cuius bonum cedit, Candid. *ſupra art. 3. dub. 1.*

QVÆSTIO IX.

An Coadiutoria in beneficiorum numero ſint habenda.

COadiutoriarum aliæ ſunt temporariæ, ſpirituales aliæ; ſunt & inter eas quædam, quæ purè dantur ac ſimpliciter, aliæ quæ cum futura ſucceſſione: de his ergo quæritur, an in beneficijs ſint cenſendæ, quique eas poſſident, beneficiati dici valeant.

Pro affirmante facit, quod coadiutor cum futura ſucceſſione, nouâ tituli collatione per Pontificem, vbi coadiutus animam Deo reddet, minime egeat, quod eſt argumento, cum ſibi iam collatum eſſe. At facit canonica tituli collatio per ordinarium, vt is cui eſt datus, ſit & nominetur beneficiarius: ergo pro tali eſt habendus.

Secundo, *Coadiutor ſæpe curam habet animarum, deque facultatibus Eccleſiæ ad ſuſtentationem ſuam, congruam recipit portionem,* Luc. III. *extra de Clerico ægrotante cap. de rectorib. 3.* interdum beneficia confert, eorumque reſignationes recipit, quæ propria ſunt beneficiati munera, parteſque: ergo, &c.

Antequam de re tota dicam ſententiam: Notare primo placet, coadiutorem tùm maxime in re temporaria à Papa aut Ordinario coadiuto dari, cum creatur eius iuuandi cauſa in adminiſtratione bonorum temporalium, à qua & Coadiutor dicitur in temporalibus, tamque longe patet eius prouincia, quam coadiuto placet, non amplius: vt enim ab aſſumentis voluntate pendet, ita & cum ea finem capit.

Secundo aduertendum, Coadiutorem in ſpiritualibus tùm dici, cum ad ſpiritualia Coadiuti officia obeunda, quibus præſtandis eſt impar, aſſumitur, ideoque & ab Ordinario ei

A ſubrogatur, vt hæc illius loco, viceque faciat, *cap. tua nos duxit 4. de Cler. ægrot. & cap. de rectorib. 3. eod. tit.*

Notand. tertio, Coadiutorem cum futura ſucceſſione, quod accidit, quando eſt cum expectatiua gratia admiſſus à Pontifice, id habere.

Primo, vt vacanti beneficio per Coadiuti obitum, præfici ſine alia eiuſdem Papæ collatione valeat.

Secundo, vt ſit Prælatus iuxta Flamin. *lib. 7. q. 20. num. 17.* maxime ſi eſt Epiſcopo, aut

B Abbati in ſubſidium datus, nam qui Parocho ſeni maleque affecto ſubſtituitur, vt maiori quam ille, auctoritate non pollet, ita nec dignitatem in Dei Eccleſia ampliorem, quam qua ille fungitur, vllam habet.

Iam ergo dico, *Nec Coadiutores beneficiatos eſſe, nec eorum Coadiutorias in beneficiis numerandas eſſe:* ita P. Greg. *in Inſtitutionib. rei beneficiariæ cap. 11.* Fabric. *de officiis & adminiſtrat. num. 19.* contra Nauar. *de orat. cap. 20. num. 18.*

Prob. primo, vna Eccleſia vnius debet eſſe Sacerdotis, non plurium. Concil. Chalced.

C *can. Clericus 10. & cauſa 21. q. 1. can. Clericus 2. & cap. cum non ignores 15. de præbend.* nec beneficium vnum, idemque, dari duobus poteſt; *ex cap. dilecto, filio 25. de præb.* eo quod ius ſpiritale diuidi, ſeu communicari inter plures nequeat, ſed duorum eſſet ſi Coadiutoria in beneficiis reponenda foret, ergo aut beneficium non eſt, aut canon falſo nititur principio.

Secundo eſt beneficium ius perpetuum colligendi fructus ei cohærentes, ob ſpiritale officium.

D At vtroque carere coadiutorem eſt certum, nam in primis, eum defungi propriis Coadiuti muneribus non eſt neceſſe. Enimuero eſt benignitate Pontific. S. Vandregiſili Abbas, Eminentiſſimi Maclouienſ. Epiſcopi cum futura ſucceſſione Coadiutor, quem tamen Lutetiæ fere ſemper verſantem, nec Coadiuto, nec Diœceſanis eius, operam nauare vllam conſtat, non eſt ergo Coadiutoriæ neceſſario annexa hæc facultas, Coadiuti partes vt expleat, officiaque ſpiritalia faciat.

E Habet quidem de beneficij prouentibus annuis, paria labori operæque ſuæ ſtipendia, ſed nego hæc ei eſſe vi beneficij debita, quia quidquid ex eo commodi fructuſque oritur, id totum eſt beneficiarij, quod coadiutori non competit, cum in *cap. de rectoribus 3. de Clerico ægrotante,* iubeatur eſſe contentus *portione redituum, cap. autem tua nos duxit 4. eod. titulo,* neceſſario vitæ commeatu.

Tertio, eſt hoc beneficij proprium, vt ab eo beneficiarius nomen trahat, at id Coadiutoriæ non conuenit, nec enim ab ea Coadiu-

tor Epiſcopi aut Abbatis, talis Eccleſiæ Epiſcopus aut Abbas, ſed illorum Coadiuua nuncupatur: ergo coadiutoriæ, non eſt beneficij concedenda appellatio.

Argumentis Reſpondendum, primo quidem, negando beneficij titulum à Pontif. collatum Coadiutori eſſe, quando eſt ab eo, cum futura ſucceſſione decoratus eo nomine, alioqui ad eum titulum ordinari poſſet, quod nemo dicet, niſi quæ prouentuum portio ei aſſignatur, ſtata eſſet, & inuariabilis ad modum penſionis, quæ non niſi cum vita exitum, finemque eſt viſura, quod non habet ea pars fructuum quæ Coadiutori tanquam operæ ſuæ ſtipendium à Coadiuto datur.

Ad ſecundum reſpondendum, Coadiutorem redituum quidem partem è beneficio conſequi, non vt eius poſſeſſorem ac Dominum, ob rationes allatas, ſed vt operæ ſuæ ſtipendium, quo modo daretur artifici, ſeruo, aut mercenario, ſi parem hi Coadiuto, ac Coadiutor ipſe operam præſtarent.

Ad beneficia quod attinet, negandum eſt in Coadiutoris iure eſſe, ea cõferre poſtulantibus Clericis, vt Forgetus *in tract. de perſon. Eccleſ. cap. 37.* definitum à Senatu Rothomag. tradit, & ſi foret, id eum vt Coadiuti ac Papæ commiſſarium facere, non autem vt beneficiarium.

QVÆSTIO X.

Inſtituendi Coadiutoris quæ ſint cauſæ.

DVæ, vtilitas Eccleſiæ, & perſonæ coadiutæ commoditas, Ioan. Andr. *in cap. fin. de Clericis non reſid.* de vtraque pro tempore iudicare, ſolius eſt Papæ, Flamin. *lib. 7. de reſignat. q. 20. num. 5.* ex Trident. *ſeſſ. 25. cap. 7.* Et quidem inter cauſas, quæ dandi Coadiutoris exigenti Epiſcopo iuſtæ exiſtimantur, ponenda eſt primo loco eius ſenectus ſeu ætas grauis annis, quæ fracta laboribus, cum pro dignitate vacare officio non ſinit, vt eſt *in cap. vnico de Clerico ægrotante in 6.* Ad ſenectutem adiungi debet tam animi quam corporis inualetudo periculoſa ac difficilis *7. q. 1. can. ſcriptis*, & extra *de Clerico ægrotan. cap. 3.* Rebuff. *de reprobata benef. viuenti impetrat. in praxi num. 59.* infirmitas omnis quæ nauſeam ac ſtomachum ſpectantibus afferat vt lepra *cap. de rectoribus ciuitat.*, vel ſi non talis, ſaltem quæ maiore anni parte duret, & ita eum facere officium non ſinit, *cap. niſi de renunt.* nempe quia oculis, manu, ac pedibus eſt captus, aut prudentia deſtitutus, *cap. vnico de Clerico ægrot. in 6.*

Eſt quoque inter cauſas creandi Coadiutoris legitimas, bonorum Eccleſiæ per Coadiutum dilapidatio, nempe quia cum non ſit frugi paterfamilias, aut prudentia ad ea vtiliter adminiſtranda careat, ea temere, ac in vſus non modo non neceſſarios, ſed ſæpe inutiles profundit, quod fieri, cùm è re non ſit Eccleſiæ, iuſta quoque eſt Pontifici, dandi Coadiutoris homini ſic male ſibi, male Eccleſiæ, prodiga nimis ac illiberali bonorum ſuorum profuſione conſulenti, quod cum facit, dicitur Coadiutor tàm Eccleſiæ causâ, quam Coadiuti factus.

Eſt & aliud; quamobrem eiuſmodi Coadiutor dici queat, ad vtilitatem Eccleſiæ ac Prælati datus. Nimirum amborum intereſt, Eccleſiam regi vt oportet, Epiſcopi quidem ne peccet, illius autem, ne fideli Paſtore vacua, hæreticorum iniuriæ pateat, ſibique commiſſas oues abſtrahi, rapique non ſine doloris graui ſenſu videat, quæ mala, Coadiutor cum impediat, aut certe impedire pro ſua in Deum charitate debeat & valeat, hæc eſt cauſa, cur Coadiutori creando initium eſſe ab Eccleſiæ, ac Epiſcopi vtilitate dixerim.

QVÆSTIO XI.

Epiſcopo ægrotanti Coadiutorem dare, cuius ſit munus.

QVod olim Epiſcopis facere ſolenne fuit, hoc tempore tentare eſt nefas. Enimuero ferè tum ſibi quiſque ſucceſſorem adoptabat, vt de Narciſſo ſcribit Euſeb. *lib. 6. cap. 9.* de Greg. Nazianz. & Athanaſ. Ruff. *lib. Eccl. Hiſtor. 11. cap. 3.* & Niceph. *lib. 11. cap. 26.* Sanc Theotecnus Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopus Anatolium ſucceſſorem eſſe ſibi voluit, Euſeb. *lib. 7. cap. 32.* Valerius Auguſtinum *7. q. 1. can. non autem.* Ioannem ex ſuis familiaribus hominem induſtrium, Meletius Alexand. Epiſcopus, Martianum Agelius Tripart. hiſt. *lib. 9. cap. 36.* Socrat. *lib. 5. cap. 21.* & ſi Flodoardo fides eſt in Remenſ. hiſtoria *lib. 1. cap. 3.* Sixtus Remorum Epiſcop. primus, Sinicium ſibi auxiliarem aſciuit, vt fecit conſecutis temporibus, B. Sulpitius Biturigum Antiſtes: nam deuexa iam ætate ad iutorem ſibi cooptauit Vulfelentem, cum quo etiam ſacræ ſuæ prouinciæ partem alteram communicatam voluit, vt eſt in eius vita apud Surium, mitto dicere Gregorio II. Traiectenſi Præſuli Adelbrinaracium à Capitulo in adminiſtratione Eccleſiæ datum eſſe, Adrianus Barlandus in Catalogo Epiſcop. Traiectenſium memorat.

Fuit hæc tamen Epiſcoporum de ſucceſſore ſibi eligendo, vſu longo firmata conſuetudo, ſublata de Eccleſia, Pontificum decretis Hilarij *8. q. 1. canone plerique*, Innoc. II. *can. Apoſtolica, ead. q. & cauſa.* Conciliorum item Antiocheni, vt refertur *8. qu. 1. can Epiſcopo*, Niceni

Nicæni, vt refert Auguſt. *in epiſt. 40. & 110.* A Coadiutor ergo hoc tempore vt fiat, quem conſulere, ac adire eſt neceſſe?

Dico primo, *Communiter Epiſcopi Romani partes eſſe, ægrotanti Epiſcopo aut ſeni, Coadiutorem cum futura ſucceſſione tribuere,* Trident. *ſeſſ. 25. cap. 7. & cauſa 7. can. qualiter 13.*

Ratio eſt, quod Eccleſiæ Cathedrali poſſeſſore vacuæ, ſucceſſorem dare, ſolius ſit Papæ; at quum hic ſeni Præſuli Coadiutorem offert in ſubſidium, eundem vult, erepto ex humanis Præſule cuius ſit Coadiutor, Epiſcopum eſſe mortuique ſucceſſorem: ergo, &c. B Quia tamen ad eum magiſtratum nulli, niſi quem Rex approbauerit aſpirare, multo minus oblatum capeſſere eſt licitum, eius nominatione eſt opus, vt eſſe iſto modo Coadiutor valeat, hoc eſt, cum futura ſucceſſione.

Dico ſecundò, *Duos eſſe caſus in quibus extra Galliam, Coadiutorem ſibi ſubrogare, ac dicere, pro tempore quo viuet Epiſcopo, Papa non conſulto licet.*

Primus eſt, cum perpetuo ad muneris ſui functionem impedimento tenetur, vt cum ſenio, vel infirmitate nunquam intermittente laborat, tunc enim cum conſenſu maioris C partis Capituli, ſibi vnum Coadiutorem aut duos eligere hic poteſt, *cap. vnico de Clerico ægrotante in 6. & 7. q. 1. can. quamuis 14.*

Secundus eſt, cum in dementiam Epiſcopus incidit, eamque perpetuam, *7. qu. 1. can. quamuis cit.* nam tunc in Capituli iure eſt, cum duabus eius partibus, Bonifacio id illis concedente, ita affecto Antiſtiti Coadiutorem dare, ſi tamen quum ille lucida (vt aiunt) ægritudinis interualla habet, *ipſe data petitione non ſe vlterius ad hoc miniſterium intellectum habere, nec ad alia officia, ſubuertente infirmitate poſſe fateatur aſſurgere, & alium ſuo loco expetat ordinandum 7. q. 1. can. 14.* D Quod ſi quem ſibi in animarum cura ſuffici nollet, *proprio ſe illius ſuffragio non indigere aſſerendo, tunc nihil per capitulum,* innouandum ſcribit Bonifac. VIII. *in cap. vnico de Clerico ægrotante in 6.* ſunt hæc eius id præſcribentis verba in citata decretali. *Nos earum in hac parte indemnitatibus præcauere volentes ſancimus, vt Epiſcopus ſenio, aut valetudine corporis grauatus, vel etiam alias adeo impeditus perpetuo, vt officium ſuum nequeat exercere, poſſit de ſui conſilio & aſſenſu Capituli, vnum aut duos Coadiutores* E *auctoritate Apoſtolica aſſumere, ad dictum officium exequendum, ſi vero Epiſcopus demens fuerit, & quod velit, aut nolit, exprimere neſciat, aut non poſſit, tunc eius Capitulum, vel duæ ipſius partes, eadem auctoritate vnum aut duos Coadiutores aſſumant, &c.* requiri autem Epiſcopi conſenſum cum lucida habet interualla habetur expreſſe *7. q. 1. can. quamuis 14.* vt eſt dictum antea.

QVÆSTIO XII.

Coadiutoris quæ ſint partes, quod munus.

SI præter temporalia nihil ei commendabitur, in eorum procuratione hærebit omnis eius induſtria, laborque. Quod ſi adhæc acceſſerit cura ſpiritualium, ſitque eamobrem in his Coadiutor Epiſcopo datus, ad eum ſpectabit *Eccleſiaſticarum rerum curam gerere, de animarum vtilitate cogitare 7. qu. 1. can. petiſti* 17. inquietos, *ſub diſciplinæ vinculo reſtringere, maturum & efficacem in omnibus ſe exhibere, ſollicitudinem habere & curam pro animarum ſalute 7. q. 1. can. petiſti.*

Secundo, ſi ita Pontifici placuerit, & Coadiuto non omnino hebeti & inſano viſum erit, beneficia eius loco conferre Coadiutor, eorumque reſignationes admittere poterit iuxta Oldrad. *conſ. 44. num. 2. & 3.* ſecus nequaquam, ſed ſolus Epiſcopus, niſi ille in ſpiritualibus, reque temporaria, Coadiutor foret, cum ampliſſima in re vtraque poteſtate: nam ſi tunc Coadiuto ob morbum vacare officio, aut Eccleſiæ adminiſtrandæ beneficiorum collatione, aut eorundem cum reſignantur, acceptatione, operam dare non licet, ſane contra officium eius Coadiutor non faciet, ſi in id ſedulus intendat animum, *cap. ſi cui de elect. in 6.*

Tertio, abſente vel annuente Epiſcopo, poteſt Coadiutor, ſi eſt ipſe Epiſcopus, & conſecratus, populum ſuper Miſſarum ſolenniis benedicere, Sacerdotij, ordinumque candidatos, inter ſacros miniſtros admittere, Tournet. *in arreſt. verbo Coadiutoria.*

Quarto, ſi ei adminiſtratio in temporalibus & ſpiritualibus erit commiſſa, poterit alienatione duntaxat immobilium excepta, omnia quæ iuriſdictionis Epiſcopalis exiſtunt, & quæ electo ac confirmato, exercere liberè ac impunè licet, ſecundum Bonifac. *cap. ſi cui 42. de elect. in 6.*

QVÆSTIO XIII.

An Coadiutoriæ cum ſpe futuræ ſucceſſionis in Epiſcopatus & Abbatias admittantur in Gallia.

DVbitandi cauſæ tres, prima, quod ſint maiora hæc Sacerdotia in ius nominationis regiæ tranſlata, lege pactitia Bononienſi inter Leonem decimum & Franciſc. primum. Altera, quod Coadiutorem imminente fatali hora ſibi dicere, idem videatur eſſe, quod in ſacrorum præfecturam quæ non niſi lectiſſimis viris eſt debita, ſucceſſorem

quaſi iure teſtamentario immittere, quo fœdius quicquam, ac Eccleſiæ pernicioſius accidere quid poteſt? cum qui magiſtratus ſola Dei benignitate tribuitur, eiuſmodi ſubſtitutionibus hæreditarium ius putetur. Tertia, quod Tridenti, qui interfuere Concilij causâ viri graues ac docti, eas ex communi Eccleſiarum vſu, bonoque eſſe negent, ideoque repudient, *ſeſſione 25. de reformat. cap. 7.*

Nihilominus non ſunt Gallis exoſæ Coadiutoriæ omnes, ægri enim ſenioque fracti Epiſcopi, qui per ætatem aut morbum explere partes ſuas nequeunt, iubentur in *Conſtitutione Aurel. artic. 7.* ſibi vſu rerum, doctrinaque conſpicuos, ſubſtituere homines, qui quæ ipſi nequeunt, miniſteria ſacra obeant: *Enioignons aux Prelats, qui par maladies, ou autrement, ne pourront vaquer à leur charge, & veiller ſur leur troupeau, prendre & receuoir Coadiuteurs & Vicaires, perſonnages des qualitez requiſes, tant pour la Predication de la parole de Dieu, qu'adminiſtration des ſaints Sacremens, auſquels pour ce faire leſdits Prelats aſſigneront, & ſeront tenus bailler penſion raiſonnable:* valebit ergo hæc Coadiutoris datio, ſi cauſa diligenter à S. Pontifice examinata, iudicatus hic erit Eccleſiæ neceſſarius, & in eum concurrere quæ à iure & decretis Concilij, in præfectis Eccleſiæ requiruntur.

Quod autem in fidelium bonum Rex Carolus in prædicta conſtitutione fieri præcipit, qui poſt eum regni habenas incredibili ſunt ſapientia moderati, Henricus IV. & Ludouicus XIII. ſententia ſua iudicioque approbare ſunt viſi. Nam Carolo Borbonio, Cardinalem Vindocinenſ. ex eadem gente, Coadiutorem cum futura in Archiepiſcopatum Rothomagenſem ſucceſſione dari Henrico III. placuit an. 1582. Lumbarienſi autem, & Riuenſi, cum ſuæ ſe prouinciæ fungendæ impares per ætatem ac morbum cauſarentur, permiſit Henricus quartus, vt à Clemente Papa octauo obtinerent, ſibi dum viuerent ſubrogari cum Coadiutorum iure ac nomine, nobiles viros DD. Betterium & Ioan. Daffis, ſic tamen vt dictis Epiſcopis cedentibus, aut decedentibus, ſeu regimini & adminiſtrationi dictarum Eccleſiarum quomodolibet præeſſe deſinentibus, ex nunc prout ex tunc, de perſonis dictarum Daffis & Bertier auctoritate Apoſtolica prouideret in Epiſcopos, mortuorum vice, locoque ſucceſſuros. Petr. du Clos *in Comment. ad Flam. Pariſis lib. 7. quæſt. 20. num. 6.*

Factumque ſcimus anno 1613. Regis Chriſtianiſſimi Ludou. XIII. poſtulatis, vt tùm vacanti Tholoſanæ Eccleſiæ Paulus Papa V. Eminentiſſimum Cardinalem de la Valette, cum abſoluta plenaque (vt aiunt) in res temporales facultate præficeret, quod & fecit. Tamen quia per ætatem ſacro necdum initiari ordine poterat (cum annum 23. necdum expleſſet) Illuſtriſſimum Dominum Philippũ Coſpeanum in ſpiritalibus Coadiuuam ei tribuit, ſicut & Epiſcopo Dignenſi affectæ valetudinis homini, nepotem ſuum D. de Boulogne, S. Catherinæ apud Pariſienſes, ordinis Vallis Scholarium Commendatarium.

Verum quoniam hæc Epiſcopi futuri ſubſtitutio in locum ægri, hæreditarium compendium quibuſdam videbatur, potius quam diuinum munus, viſum eſt fore è re cõmuni Eccleſiæ iis qui ad comitia Regni Rothomagum frequentes anno ſæculi huius 17. venerant, à Ludouico XIII. petere, ne quis in poſterum maiorum Ordinum dignitatibus, Epiſcopatui ſcilicet & Abbatiis Coadiutor accederet, quod & ipſe pro innata ſibi in illos beneuolentia annuit, tenuitque dum vixit, laudabilis hæc in optimo Rege Eccleſiaſticæ diſciplinæ retinendæ tenacitas: verum enim, paulo poſt quam ſanctiſſimam efflaſſet animam, Regina mater ab Illuſtriſſimis Epiſcopis Pariſienſi, Senonenſi & Maclouienſi nominatos, qui expleta humanæ conditionis ſorte ſibi ſuccederent, in Coadiutorem quidem Pariſ. cum futura ſucceſſione Dominum de Gondy, Abbatem de Buſeo, in Senonenſem Dom. de Gondrin, in Maclouienſem Dominum d'Alincourt, S. Vandregeſili Abbatem, à Romano Pontif. renuntiari, tam Regis nomine, quam ſuo petiit & impetrauit.

Vt vt ſit modo de Epiſcopatibus & Abbatiis, ſane conſtat valentibus Parochis adiutores in Francia non dari, Forgetus *in tract. de perſon. Eccleſ. cap. 37. num. 1.* & ita reiectos anno 1508. & 1518. præiudicio curiæ Rothomagenſis duplici, Clericos duos tradit, quos cum facultate ſuperioris, hos Parochi duo ſibi coadiutuas aſciuerant, Forget. *citatus*, & Fabric. *de officiis litera D. ad marginem.*

Excipiendus caſus in quo per ignorantiam, ſenilem ætatem, aut morbum Parochi minus adminiſtrationi forent idonei, nam tunc ab Epiſc. Coadiutores eis dandos eſſe decreuerunt Patres in Trid. *ſeſſ. 21. cap. 6. de reform.* certa his penſionis mercede condicta.

Similiter, quia præfici maioribus beneficiis, id eſt, Abbatiæ & Epiſcopatui nemo ſine Regis nominatione poteſt, ad quæ tamen aditus eſt, viaque per Coadiutoriam, à Papa Coadiutor Epiſc. dari in Gallia, Rege minime annuente, ac probante, cum futura ſucceſſione, nullus poteſt. Excipiendus eſt caſus in quo dictus Epiſcopus à Schiſmaticis captus aut à Turcis, carceri datus foret, *cap. ſi Epiſcopus de ſupplenda negligentia Prælat. in 6.* quia tunc verè Epiſcopatus non vacat, & ad vacantem tantũ nominare Regi eſt permiſſum. Idem dicendum cum ob corporis aut animi inualetudinem

inualetudinem partes explere ſuas nequit, Rebuff. *de Regia ad Prælatur. nominat. pag. 546. verſu fallit quando.*

Quarto, ſeiſcente Ludouico eius nominis XIII. ſublatæ ſunt è Gallia Coadiutoriæ in dignitatibus ac canonicatibus Eccleſiarum tam quæ Collegiatæ ſunt, quam quæ Cathedrales, fuitque hæc eius ſanctio frequenti approbata Senatu, eiuſque actis inſerta anno 1629. vt amodo legis inſtar foret. Eius ſane rationem ab arcani conſilij magiſtratibus anno 1642. habitam reor, cum Coadiutorias quæ inſtitutæ erant Metis Virduni ac Tulli, in earum vrbium Eccleſiis Cathedralibus ſententia ipſi ſua reſcidere, ac ne vllæ in poſterum fierent, Regis vetuere nomine.

DE COMMENDA,

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit & quotuplex.

Est Commenda, beneficij ſeu Eccleſiæ alicui commiſſæ cuſtodia, Gloſſa *in cap. nemo deinceps de elect. in 6.* commendare enim vt P. Greg. ait *in lib. Partit. iuris 3. tit. 8. litera d. in marg.* & Vlpian. *in leg. commendare dig. de verborum ſignif.* idem eſt ac deponere, quo ſenſu accipitur apud Auguſt. *Pſalm. 5.* vbi de depoſito agens ſic loquitur. *Si cui gladius committatur, & promittas ſe redditurum, cum ille qui commendauit popoſcerit, ſi forte gladium ſuum furens repetat, manifeſtum eſt tunc non eſſe reddendum.*

Differt tamen à Commenda depoſitum.

Primo, quod depoſitarius re depoſita vti nequeat, *lege ſi ſacculum dig. depoſiti.*

Secundo, quod ex eo cõmodum ſibi hic nullum aſſumere debeat, cum Commendatarius expenſas in rei commendatæ vtilitatem ac commodum neceſſarias, ex eius reditibus facere, ex eaque alimenta capere, ac debita poſſit perſoluere, ſicut is qui titulum habet, Rebuff. *par. 1. prax. benefic. rubr. de Commenda numer. 3.*

Cauſa eſt, quod Alexand. III. fide *in cap. ad hoc 1. de ſolut.* beneficiarius *debita ſui prædeceſſoris pro Eccleſiæ neceſſitate contracta ſoluere teneatur:* at eſt commendatarius ad tempus, inſtar beneficiarij & ſucceſſoris eius, cuius beneficium ſuæ eſt cuſtodiæ, curæque concreditum: ſi quid erit ergo ad eius reparationem neceſſe, id totum ex eius prouentibus ſumere, commendatario erit ſine culpæ ſuſpicione licitum.

Conueniũt autem depoſitum & Commenda. Primo, quod vt depoſitarius domino rem

A ſuam petenti negare nequit, *lege ſi depoſuero dig. depoſiti cap. bona fides de depoſito*, ita nec Commendatarius rem ſibi à Papa, aut Epiſcopo commendatam, iiſdem reclamantibus ac inuitis retinere valeat.

Secundo quod vt deponens rem ſuam, in eum, apud quem deponit, ius transfert illius cuſtodiendæ & conſeruandæ, depoſitarius autem onus ſubit cuſtodiæ & conſeruationis, ita & Commendatarius.

B Tertio, vt depoſitarius, rei depoſitæ proprietatem & poſſeſſionem ciuilem, in deponente agnoſcit, cum ipſe naturalem habeat, ita & Commendatarius, nec enim eſt beneficij ſibi commendati ad tempus dominus, ſed Eccleſia quæ ſeruandum tradidit.

Ex quo patet eiuſmodi commendis, initium eſſe factum à raritate hominum, qui merito vitæ, ſcientiæque, digni forent, quibus auctoritate Pontificis, demandari poſſet animorum procuratio cum fructu, cum enim eiuſmodi paucos haberet Eccleſia, viſum eſt Papæ è re communi ac priuata ſingulorum eſſe, dum reperiretur ad eam rem idoneus aliquis, curata beneficia alienæ curæ, prouidentiæque, regenda ad ſemeſtre committere, à qua commiſſione, Commendatario ac commendæ, fieri nomen eſt cœptum.

Eſt autem Commenda duplex, temporalis vna, perpetua altera, Piaſecius *2. parte praxis cap. 5. num. 40.* Papon. *trium Notarior. lib. 2. tit. de beneficiis regularib in commendam datis,* Gomes. *in regul. de triennali poſſeſſ. q. 5. & in regul. de infirmis reſignant. q. 13.*

D Temporalis definitos habet terminos, fitque ob euidentem Eccleſiæ neceſſitatem, aut magnum aliquod eius, ac commendabile bonũ quod quoniã à Commendatario ſperari tantum nequit, quantum à beneficiario, hoc eſt, proprio Parocho, cui animarum ſalus incumbit ex officio, vetuere Trident. Patres prudentiſſime ne Commendatarij magiſtratus, communiter diuturnior ſemeſtri foret, quod & Gregor. eius nominis X. his verbis ſanxit *in cap. 15. de elect. in 6. Nemo,* inquit, *deinceps Parœcialem Eccleſiam alicui non conſtituto in ætate legitima, & ſacerdotio commendare præſumat, nec tali etiam niſi vnam, & euidenti neceſſitate, vel vtilitate ipſius Eccleſiæ ſuadente.*

E *Huiuſmodi autem commendam (vt præmittitur) rite factam declaramus vltra ſemeſtris temporis ſpatium non durare. Statuentes quicquid ſecus de commendis Eccleſiarum Parœcialium actum fuerit, eſſe irritum ipſo iure.*

Perpetua alios non habet limites quam vitæ commendatarij, ad cuius ſolius vtilitatem ac commodum datur, P. Gregor. *partit. iuris lib. 1. tit. 27. cap. 2. litera h. in margine.*

Eſt autem inter vtrumque commendæ genus differentia multiplex.

Primo, temporalis, fructuum commendati

C

beneficij dominium Commendatario non A tribuit, niſi id Papa exprimat, quod perpetua tamen efficit.

Secundo, cum ſint hi futuro Parocho aut beficiato debiti, hos eidem Commendatarius præſtare debet, aut Eccleſiæ, non item perpetuus.

Tertio, non eſt commenda perpetua, niſi de regulari, ſicut nec temporaria communiter niſi de ſæculari.

Quarto, quæ datur ad vtilitatem Eccleſiæ, non datur commendatario in titulum, ſed in cuſtodiam, a qua etiã, cum eſt data à Capitulo, B remoueri poteſt, quando, & quoties, Papæ aut Epiſcopo è re videtur eſſe Eccleſiæ, cum quæ vtilitatẽ perſonæ reſpicit, tituli rationem habeât, vt docent Gomeſius ſupra, Reginaldus *li. 30.* quod ipſum argumentorum momentis, ac auctorum teſtimoniis planum facere non eſt difficile.

QVÆSTIO II.

An Commenda perpetua ſæcularis ſit Beneficium.

OMnino, ſententiam propè certam auctoritate, doctrinaque inter Theologos commendabiles reddunt hi Magiſtri, Flaminius Pariſius *lib. 11. q. 5.* Piaſec. *in praxi Epiſcop. parte 2. cap. 5.* Fabric. de Bleins *in Theoria tract. de officiis & adminiſtrationib. num. 13. & in ſigno C. ad margin.* Choppin. *lib. 1. Monaſtic. tit. 2.* Rebuff. *1. par. prax. rubrica de Commenda, num. 53. & in tract. de pacificis poſſeſſ. num. 35.*

Nec eſt hæc eorum opinio, argumentis D inops ac vacua. Pauca de multis ſeligam, ex quibus de cæteris facile ſit iudicium. Primum ergo argumentum, quo euinci poſſe videtur, ius fiduciarium in Sacerdotia, ab legitimo eorum titulo nihil diſcrepare, eſt in eo

Quod quæ duæ res beneficium conſtituunt, ius colligendi temporales reditus, functioque ſpiritualis, ambæ reperiantur in commendis.

Nam æquiparantur titulis, Flamin. *lib. 11. de reſignat. q. 5. num. 34.* Pet. Mathæus *in addit. ad Guidon. in deciſionib. Gratiop. qu. 152.* faciuntque vt qui eas poſſident, ſicut titulares ipſi, fructus ſuos faciant, quare & liberam eorum adminiſtrationem penes ſe habent, & *quicquid de prædictis rebus Eccleſiæ, vel eius patrimonio ſolerter ordinare, ac facere prouiderint, liberam habent, ut Sacerdos proprius, modis omnibus facultatem 21. q. 1. can. relatio 5.*

Quid? quod ad beneficia, quæ eos vt patronos noſcunt, præſentant? quod commendis ipſi ſuis cedere, ac in amici gratiam, cum penſionis onere Papa annuente, renunciare valeant, vt praxis ipſa, regnique vſus indicat.

De iure autem functionis ſacræ faciendæ, ambigi non poteſt, nam & horas legere, Prioratibus cum vacant, idoneos præficere, ad beneficia quæ ex commenda pendent, Epiſcopo inſtituendos dare, & offerre poſſunt, cum eſt neceſſe, quæ omnia iuris ſpiritalis ad munia, quæ ſunt ſimiliter ſpiritualia, non obſcura ſunt argumenta.

QVÆSTIO. III.

An facta Commendæ reſignatio publicari debeat.

OMnino: eſt enim regula de publicandis reſignationibus recepta in Gallia, tanquam lex regni. Du Clos *ad quæſt. 5. lib. 11.* Flamin. *num. 47.* ergo cum Commenda ſit in beneficiorum numero poſita, quod iſta exigunt, vt ſit eorum poſſeſſio rata ac certa, commendæ deeſſe non debet, ne ſit eius col- C latio irrita, & hæc fuit Rebuffi opinio in explicatione dictæ regulæ *gloſſa 10. num. 23.*

Scio eſſe qui Commendam à beneficiorum albo expungant ac obliterent, eo quod dicatur inſtar habere beneficij hoc tantum, vt notat Gloſſa *in can. Sanctorum diſt. 70.* ex quo concludunt, rem eo ſignificatam nomine, illi non competere, quod res, ac eius imago differant.

Secundo, confici id putant ex communi Summiſtarum axiomate, enimuero cum de Commendatario diſputant, eum aiunt procuratorem eſſe, de beneficiarij nomine ſilent.

Verum enim Reſpondend. Conſequent. falſam eſſe, nam etſi beneficij inſtar Commenda habeat, nego tamen inde ſequi rem tali ſignificatam nomine, ei non ſubeſſe.

Ad id quod additur, rem ab eius imagine ſpecieque diuerſam eſſe, additur veriſſime, ſed nego, id de commenda reſpectu beneficij proprie dici poſſe.

De procuratore quod affertur vim non habet, nec enim alterius cuiuſpiam negotia, ſed ſua Commendatarius agit, ſuamque in- E rem, cum Commendam à Papa ambit, ambitam recipit, procurator venit, quod beneficij rationem non impedit. Sanè quod Beneficiario cuilibet licet, facere Commendatario eſt permiſſum, nam & commendam cum beneficio in titulum collato, permutare poteſt, beneficia quæ à commenda ſua dependent conferre, eamque in Gallia reſignare, ac quæ ſunt iuriſdictionis ad eam pertinètis, per ſe aut Officiales cum facere nihil impedit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

Quando Commendæ earumque eſt vſus inductus in Eccleſiam.

ZErolæ fuit opinio, vt ſcribit Aluynus
de poteſt. Abbat. cap. 21. earum initia à
Leon IV. temporibus repetenda eſſe, Chop.
lib. monaſt. 1. *titulo* 1. *n.* 14. earum originem
apud Gallos ad Vrbani IV. & Bonifac. tem-
pora reiicit, quam ſacrorum commendatio-
nem munerum perpetuam, ſectatus Paul. II.
dicitur, etſi eum ab hac mente pro virili ſua
deducere Epiſcopus Portuenſis conatus eſſet:
quo enim die, aut ſequenti eſt ad Chriſtianæ
Reip. gubernacula Cardinalium admo-
tus ſuffragiis, ab eo admonitus fertur, ne
id vitium ad Eccleſiæ detrimentum ac per-
niciem porro ſerpere ſineret, quam ad vo-
cem reſpondiſſe fertur, Monaſteria 500. &
amplius à Pontificatu Calixtj III. in eam
diem commendata fuiſſe Clericis, voto reli-
gionis nullo deuinctis, Iacobus Papienſis *in*
Epiſt. ad Spinulam. Sane eſt in Appendice
Aymoini *lib.* 5. quod nobiles, Monaſterio-
rum tum poſſeſſores, & aurati equites Abba-
tum ſe nomine iactarent, quibus ad officium
ſatis eſſe videbatur, ſi Vicarijs ſuis, Decani
nomen relinquerent, ex quo factum eſt.

Primo, vt quod erat ad priuatum Clerico-
rum commodum inſtitutum, certum foret
Eccleſiarum exitium.

Secundo, vt ex eiuſmodi perpetua benefi-
cij commendatione facta Clericis ſæculi, ma-
narent ſenſim fiduciarij, ſeu verius clitellarij
alienorum ſacerdotiorum cuſtodes, in gra-
tiam procerum: quæ duo mala timeri non de-
bent, cum eſt Commenda ad certum tempus
contracta, quale fuit olim ſex mensium.
Enimuero quum non eſſet Epiſcopo ad ma-
num Clericus idoneus vllus, cui Parochiam
poſſeſſore vacuam conferret, ſolebat inte-
rim dum ſe talis quiſpiam offerret, probo eam
commendare homini pro tempore, Concil.
Carthag. 5. *can.* 8. quo exacto, ſi Eccleſiæ exi-
gebat vtilitas, ad aliud ſemeſtre prorogari
Commenda poterat, ideoque quia perpetua
non erat, nec beneficij rē ſortiebatur, nec no-
men, ſed cuſtodiæ, cui qui præerat, nec paſtor
dicebatur Eccleſiæ ſibi commiſſæ, nec benefi-
ciatus, ſed curator ac cuſtos, ideoque nec du-
plicis Eccleſiæ præfecturam gerere qui vnius
Rector perpetuus, alterius vero cuſtos, tutor-
que temporarius exiſtebat. Et quanquam hic
pro modo ſuæ duntaxat ſuſtentationis fructus
ſuos faceret, tamen tanquam procurator, bo-
na fide de reſiduo rationem reddebat Eccle-
ſiæ, Gloſſa *in cap. nemo de elect. in* 6. Rebuff.
1. *par. prax. in rubrica de commend.* ideoque
A Pontificiis legibus eiuſmodi Commendæ
non priuatam perſonæ vtilitatem ſpectabant,
ſed publicam Eccleſiæ, in quo eas à perpetuis
diſtinctas eſſe conſtat, quibus eſt a perſonæ
cui dantur, vtilitate principium. Differunt in-
ſuper, quod illæ, id eſt temporariæ, ſpiri-
tuale rei commendatæ commodum reſpi-
ciant, ſpectentque, (nam qui Parochiam com-
mendatam ad ſemeſtre habet, plenam eius in
Sacramentorum adminiſtratione mentium-
que regimine curam gerit,) cum quæ ſunt per-
petuæ, præter bonorum diſpenſationem, fi-
B duciariis poſſeſſoribus conceſſam à Pontifi-
ce, nihil habeant, ſpiritualia Priori Cœnobij
Regulari, aut Suppriori adminiſtranda relin-
quant.

QVÆSTIO V.

Vt Beneficium dari aliquod poſſit in commendam temporalem, quid ſit neceſſe.

PRimo, vt ad perpetuam, Papæ authori-
tas requiritur, ita & Epiſcopi ad tempo-
C ralem: neutra priuari ſine cauſa Commenda-
tarius debet, perpetua quidem, quia eſt
beneficium, *& contra Eccleſiaſticam probatur*
eſſe cenſuram, vt fruſtra pro quorundam volun-
tatibus quis priuetur, quem ſua culpa, vel faci-
nus ab officij quo fungitur, gradu non deijcit,
diſtinct. 56. *can. ſatis peruerſum* 7. quæ ratio,
quia locum habet ſimiliter in temporaria, vt
patet, ea deſtitui prouiſum ab Epiſcopo ſine
cauſa non poſſe, dixit Rebuff. *par.* 1. *prax.*
beneſic. rubr. de commend. num.

D Secundo, commendæ temporali ſtatuen-
dæ, item & perpetuæ, cauſa iuſta poſtulatur,
cum enim ex ambabus, earumque frequenti
vſu, infinita prope in Eccleſiam, vt à fonte
venenato dimanent animorum incommoda,
vt quod vitæ cœnobiticæ in eius profeſſori-
bus per capitis abſentiam lēteſcat ardor, quod
religioſæ diſciplinæ ſe paulatim remittat, la-
xetque rigor, quod aduerſus egenos hoſpiteſ-
que frigeſcat amor, neceſſe eſt detrimēta hæc
publica, mitigari ac minui iuſta cauſa, quam-
obrem commēdam inſtitui oporteat. Potiſſi-
ma ex Commendatarij repetenda eſt com-
E modis, vt notarunt P. Gregor. Rebuff. & alij
locis ante citatis. Quod ſi beneficium cuſto-
diæ alienæ traditum, ſit curatum, illaque ſicut
& commenda, certo ſit definita ſpatio men-
ſium, proindeque temporaria, quinque ſunt
illæ conditiones neceſſariæ, quæ habentur in
cap. nemo deinceps 15. *de elect. in* 6. prima vt il-
le cui commendabitur, annum ætatis attige-
rit 25. ſecunda vt ſit ſacerdos, tertia vt aliud
curæ ſuæ, cuſtodiæque commiſſum non ha-
beat, quarta, vt talis commenda ſit ſemeſtri
circumſcripta, hoc eſt, vltra ſex menſes non

prorogata, quinta, vt aperta, patenſque Eccleſiæ cum vtilitate coniuncta neceſſitas, aut earum altera eam poſtulet, ſexta, *vt Prioratus, Eccleſias, adminiſtrationes, & beneficia huiuſmodi, illa videlicet, quæ conſueuerunt per ſeculares Clericos gubernari, ſecularibus Clericis, alia vero, quæ religioſis duntaxat committi ſunt ſolita vel conferri, religioſis Monaſteriorum, quorum prælati huiuſmodi negligentes fuerint, conferendo.* Clem. V. in *Clement. quia regulares vnica de ſupplenda negligent. prælat. verbo Prioratus*, qua de re conſulendus Staphil. in *octaua forma literarum expectatiuar.* interim ſi de nobis conditionis eiuſmodi exigendæ cauſam quis roget, hanc audiet. Quod Monachus mundo, ſibique debeat eſſe mortuus, cui tamen videtur per ſecularia renaſci negotia, ſuique reuocationem ad animorum curam ac regimen: quare *ad ſecularem Eccleſiam tranſire, neque aliis quibuſcunque ſe negotiis implicare debet, 16. qu. 1. can. placuit 8.* neque in ciuitatibus aut Parochiis ordinari, Concil. Agath. *can. 27.*

Adhæc ſi Parochia commendanda iuris eſt patronatus laici, Patroni conſenſus eſt quærendus, nec ſine eo committi hæc vlli poteſt, vt conſtabit ex dicendis de patronatu, quemadmodũ nec è Benedictina familia Prioratus, aut mẽbra ex eo aut Abbatia dependentia vlli Laïco, ſic enim à Nicolao V. præceptum video, in reſcripto quodam, quo ordinẽ, ciuſque beneficia præmunita voluit, *anno 1450. ſeptimo Idus Maij. Inſuper*, inquit, *ne quis laicus à Monaſterio, Prioratibus, ac mẽbris decimas exigat, & ne Abbas, & Conuentus Priores & Suppriores obedientias Monaſterij Prioratuum & locorum prædict. quæ in vniuerſis regionibus obtinent, perſonis ſecularibus aſsignẽt, eadem auctoritate prohibemus, ſed illas eiuſdem ordinis Monachis duntaxat committant, vel in titulum conferant, ac prouideatur de eiſdem: decernentes commendas de illis, quibuſuis ſecularibus, vel alterius ordinis, ſeu conditionis perſonis factas, vel ſub quibuſuis formis verborum in futurum faciendas, ſeu concedendas, nullius exiſtere roboris ac momenti.*

QVÆSTIO VI.

An Commenda perpetua, incompatibilis ſit cum alia.

De temporali nulla eſt hic quæſtio, nam *Parœciales plures Eccleſias obtinere quis poteſt, quando vna pendet ex altera, vel vnam intitulatam, & alteram commendatam habet extra de electione cap. dudum 54.* idque ſine diſpenſatione, Rebuff. *de pacific. poſſeſſor. n. 45.* de perpetuis ergo præſens eſt diſputatio, cauſaque dubitandi eſt in eo, quod Abbatia, ſe-

A culari in commendam data, beneficium ſit ſimplex, at quæ ſunt talia, non ſunt cum aliis incompatibilia, niſi ſint ſub eodem tecto ac vniformia, & ad neceſſarios vitæ humanæ commeatus, beneficiario tribuendos idonea, quæ duo, non ſunt cum præfectura cœnobitica qualibet, neceſſario coniuncta, cum aliquæ ſint tam tenues, hi autem quibus committuntur, ea natalium nobilitate illuſtres, vt iis pro dignitate alendis, minimè earum quælibet ſufficiat, ſunt ergo eiuſmodi Abbatiæ, in beneficiorum ſimplicium ponendæ ſerie.

B Nihilominus cenſeo Commendas cœnobiorum plures, regulari in perpetuum poſſidendas tradi non poſſe, niſi Papá diſpenſante.

Ratio eſt, quod Abbas nomen ſit dignitatis ac officij. Abbates enim Iuſtinian. *in Cod. de ſumma Trinit. & fide Cathol.* ideo Reuerendiſſimos nominat. ac inter claras perſonas enumerat, venitque & appellatione Prælatorum Abbas, *cap. Apoſtolicæ de priuilegiis in 6.* Abbas *in Clementin. ſi principalis de reſcript.* quare delegatus eſſe Papæ Commendatarius

C poteſt ait, Choppin. *de polit.* Rebuff. *de pacific. num. 42.* quæ qualitas alteri tribui communiter nequit, quam qui eſt in dignitate poſitus, ſed non ſunt dignitates ſibi inuicem compatibiles: ergo nec Commendæ.

Secundo, beneficij regularis poſſeſſor, eſſe non poteſt Laïcus, niſi diſpenſante Pontifice: ergo nec plurium, at eſt Commenda perpetua de regulari beneficio, fiduciario ſæculari facta beneficium: ergo, &c. Quare *ſi Papa commendauerit beneficium regulare vni, & poſtea diſpenſauerit, vt duo incompatibilia obtinere poſsit, & vnum regulare, niſi dicat cum obtento, non cenſebitur diſpenſatus, quia Papæ voluntas eſt diſpenſandi ad vnum, non ad duo, alias dixiſſet. & diſpenſatio ſtricte debet intelligi.* Rebuff. ſupra.

D

Equidem quod de Epiſcopatib. eorumque pluralitate ſanxit Concil. *cap. 2. ſeſſion. 7. de reformat.* ne quis quacunque dignitate, gradu, aut præeminentia præfulgens, plures in titulum aut commendam recipere, aut retinere præſumat, hoc de præfecturis cœnobiticis in Commendam datis aut dandis, pari dici iure

E poteſt, itaque vt illi, ita & hæ ſunt iure incompatibiles, *cum felix ſit ille cenſendus non tantum, cui vnam Eccleſiam bene ac fructuosè & cum animarum ſibi commiſſarum ſalute regere contigerit*, Trid. *ſeſſ. 7. cap. 2. de reform.* ſed & Eccleſiæ ſibi commendatæ bona ſapienter ac honeſtè adminiſtrauerit.

Ad argumentum allatum initio reſpondend. non habere Commendam vnam, quod ſit cum alia incompatibilis, præcisè hoc nomine, quod ſit beneficium ſimplex, ſed quod ſæcularis ei us ſit incapax, nec enim regularia

gularia dari aliis poſſunt, quam qui profeſſi ſunt regulam, eius inſtituti propriam, ad quod ſpectat cœnobium poſſeſſore vacuum, fluxit hinc commune effatum, quæ regularia ſunt, regularibus dari oportere, ſicut ſæcularibus ſæcularia. Enimuero cum non ſit quiſquam per conceſſionẽ commendæ primæ, ſecundæ capax, niſi id Papa expreſſerit, quis non videt iuſte dici poſſe, cum ſecunda eſſe, primam iure incompatibilem? Itaque eſt Bleyani opinio *in tract. penult. Theor. num. 31. & 32.* noſtræ oppoſita, improbabilis nec tenenda, etſi eam Caſſadori eſſe dicat *in deciſione 34.*

QVÆSTIO VII.

Commendatario perpetuo quid ſit iure communi licitum.

QVod beneficiario iura canonica permiſſum volunt, hoc Commendatarius, conſcientiæ inuiolato iure vſurpare ſibi poteſt. Primo ergo perinde ac ille, ſuper commendæ reditibus tranſigere, eos ad plures locare annos poteſt. Ecquid porro? Cum beneficio quolibet in titulum collato commendam quoque ſuam permutare poſſe, ſcribit Rebuff. *de commenda nu. 53.* Bleyan. *in Theoria tract. de benef. in titul. & commend. num. 13.* Adhæc præſentare, ad beneficia quæ à ſibi commendato dependent, Commendatario licitum, quia vt ſunt fructus eius illi debiti, ita ſi percipiat, non peccat, at eſt in fructuum numero cenſenda præſentatio, ſicut & collatio: ergo, &c.

An autem beneficio cedere ſuo queat in alterius gratiam, iam eſt videndum. De eo vero ne ambigam, praxis ipſa prouinciarum omnium impedit, nam quid frequentius, quam ab vno ad alium, à ſene annis graui, ad viros, aut adoleſcentes tranſire Commendas? quod quia illi ceſſione iuris ſui cum Papæ conſenſione faciunt, eaſdem reſignare quin poſſint, dubitare hi ſoli poſſunt, qui reſignationem, iuris eſſe ceſſionem, in tertij commodum neſciunt, quid autem hæc vt rata ſit firmaque exigat, explicabitur poſtea cum de reſignatione.

Quarto, de Commendæ ſuæ prouentibus viuere commendatario integrum, indicat per Pontificem, ea de re in Bullato ſuo diplomate, commendæ conceſſiuo, facultas illi ſolita fieri: his verbis. *Prioratum N. cum omnibus iuribus & pertinentiis ſuis tibi auctoritate Apoſtolica commendamus, per te quandiu vixeris, & dictum Prioratum obtinebis tenendum, & etiam gubernandum, ita quod durante commenda huiuſmodi, de fructibus, redditibus, & prouentibus ipſius Prioratus N. diſponere & ordinare valeas, ſicut veri Priores ipſius Prioratus qui fuerunt pro tempore, ordinare & diſponere potuerunt & debuerunt.*

His tamen eos legibus colligere, fiduciario cœnobij præfecto eſt licitum, vt ipſius alumnis diſparatam menſam aſſignet, iuſtis inſtructam patrimoniis, omnique onere liberam, ex quibus neceſſaria iis omnia, familiæque Monaſticæ ſuggerantur. Renatus *Monaſtic. lib. 2. tit. 2.*

Quinto ius habet ſedendi in choro, ſuperpelliceo indutus: loco tamen à Cœnobitis tantiſper diſiuncto.

Sexto, ſi bona de cœnobio in eius ſubſidium alienari oportet, conſenſum ipſe ſuum iſtiuſmodi alienationi tribuet, eo deſtituta ſi erit, vt nullarum virium corruet. Ita indicatum eſſe inter monachos ſancti Ioann. de Vineis & Eminentiſſ. Cardinalem Gondium, eorum Abbatem Commendatarium 5. Februar. an. 1598. probat Charondæ teſtimonio *in lib 13. reſponſ. cap. 2.* & Chenut. *in lib. 1. decretor. cap. 7.* Fabricius de Bleins *tract. de benefic. in titul. & commend. num. 13. lit. a. ad marg.*

QVÆSTIO VIII.

Commendatario perpetuo facere, quid non ſit in vim Commendæ licitum?

PRimo, Monaſterij ſtatum immutare, lege eſt ei canonica ac ciuili prohibitum, Panorm. teſtimonio *in cap. quædam de elect. & in cap. de Monachis de præbend.*

Ratio eſt, quod ius Monachis dicere, leges eis ſciſcere nouas ac recentes, quas obſeruent, abrogare antiquas, nec poſſint, nec ſoleant, quid ita verò? nempe eſt omnis iuriſdictio à Principe aut officio. At Commendatarij nullam immutandi ſtatus Eccleſiaſtici, antiquandi Monachorum inſtituti, poteſtatem habent à Papa. Nec itẽ ab officio, ſeu magiſtratu quẽ agunt, quia beneficia quæ in commendam dantur, non niſi adminiſtrationis & cuſtodiæ cauſa dantur, *cap. cum nobis 19. extra de electione ſub finem*, nec hi quibus commendantur plus in ea ſibi vendicare iuris valent, quam in re depoſita depoſitarius, cum commendare nihil ſit aliud quam deponere, *lege commendare dig. de verbor. ſignificat*, ſed depoſitario re vti quæ ſuæ eſt fidei curæque credita non licet; multo minus in Domini perniciem abuti: ergo nec Commendatario Commenda, in Monaſterij commendati exitium: ergo, &c.

Secundo, non poteſt Cœnobiarcha fiduciarius, Clauſtralis præfecturæ prærogatiuam Priori electo, aut canonicè inſtituto abrogare, Chopp. *de domanio lib 3. tit. 28. num. 6.* Fabri-

eius ſupra *num. 35. litera K. ad margin.* Quam A in claſſem non includi Cardinales commendatarios aiunt, quod ex Pontificio reſcripto ea poteſtate ſint in ſuos Monachos præditi, qua Abbas regularis in cœnobitas ſibi ſubditos, quod reſcriptū, nos Cardinaliū vocamus *Indultū*, qua inducti, fretique cauſa, Iuridici regij in Gallia, abdicationem Prioratus Clauſtralis Belli loci apud Cœnomanos, à Cardin. Borbonio in Pelleterij perſona factā approbaſſe dicuntur an. 1573. Mitto dicere idem anno 1600. decretum contra cœnobitas Sueſſionenſes B S. Ioan. de Vineis, nam ſi fides eſt Renato Chopp. *lib. 1. Monaſt. tit. 2. num. 2. ad margin.* Fabric. & aliis, tùm ſunt à Senatu Prætoriano vetiti, ſibi Priorem communibus ſuffragiis legere, niſi prius Cardinali Gondio eorum Abbate Cōmendatario de re vniuerſa admonito, vt ſi vellet, electioni futuræ, per ſe, aut Vicarium intereſſet.

Tertiò, non poteſt Commendatarius poſt ſtata temporum præſcripta canonibus interualla, nouitium triplicis voti ſacramento, in Monaſt. ei gregis admittere conſortium, niſi ſit de Cardinalium numero, docent Chenut. C *tit. 1. decret. cap. 7.* Choppin. *lib. 1. monaſt. titulo 2. num. 2.*

Quarto, ſpirituali & ſacra cenſura, in Monaſtici ordinis viros non vtitur.

Ratio eſt, quod eſſe hæc ſine iuriſdictione non poteſt, at nulla Commendatario competit in Monachos, quare reos compeſcere, eorum contumaciam frangere, niſi ad id maiore quam alij poteſtate ſit præditus, commendatario eſt inhibitum: nam quum in vacuum ſacerdote templum immittitur, non ei ſacrum in Cœnobitas imperium tribuitur, nec D ei maiore cum imperio ac poteſtate Commenda datur, vt dicebam paulo ante, quam res quæpiam depoſitario ſeruanda committitur, ideoque velut tutor aut procurator, ita ſe cum Monachis geret, omnibus vt ſit gratus, inuiſus nulli, quod vt agat, meminiſſe eum oportet ius competere ſibi nullum emendandi per cenſuras, qui in Eccleſia commendata aut locis ei ſubditis, ſibi non obedit, qua de re Xiſtum quartum anno 1475. quarto Idus Martias, his verbis, in diplomate ſuo Pontificio decernentem audire iubet. *Commendatarij nullam habeant iuriſdictionem, ſeu executionem in dictis Monaſterijs, quæ tota ad patrem* E *reducatur, ita quod Commendatarijs nec Monachorum numeri taxatio competat, nec Nouitiorum receptio, nec benedictio in Monaſterijs, ſed eius rei cura penes Abbates, alioſque ordinis ſuperiores remaneat.*

Quinto, non ſuccedit fiduciarius Cœnobij Antiſtes, in demortui Monachi peculium, quum enim vita, moribus, ac profeſſione à regularibus differat, quod Abbati licet, qui illis in omni vitæ genere eſt ſimilis, eorundem autem amore ac charitate eſt pater, fiduciario permittere non expedit, vt æs bonaque cucullati ſacerdotis, in eius, tanquam in Monachi peculium ſuccedentis, poteſtatem ac manum veniant. Id ſane à Xiſto V. in cauſa Ciſtercienſium, Commendatariis in quodam ſuo diplomate de anno 1586. interdictum video, vt ex his eius verbis conſtat: *Commendatariis eorumque miniſtris, cæteriſque perſonis ſecularibus, quouis titulo ipſius ordinis Monaſteriorum fructus, prouentuſque percipientibus interdicitur, ne templa, & alia loca regularia, ad Monachorum vſum deſtinata, Abbatiarum huiuſmodi, quomodolibet occupent aut profanent, neue in illis mulieres cuiuſcunque conditionis introducant, nec ſeſe in bonis, per Monachos pro tempore decedentes relictis, illorumue ſpolijs, quomodolibet intromittant aut bona ipſa ſibi approprient.*

Eſt hoc ergo, quinto loco, fiduciario quanta maxima cura poteſt, euitandum, ne quæ regularibus, eorumque commodis parata ſunt ædificia, in ſuum ac ſuorum traducat vſum, nam quis ferat expelli domo ſua Dominum? ab alienigenis, ſuis per nefas, veros ac legitimos poſſeſſores rebus exui, tradi alienis? Id vero fiduciarium facere, quis non videt? cum quæ regularium domicilia ſunt propria, ſibi ſuiſque, auſu improbo arrogat? ab hac ergo alieni vſurpatione, vt à ſcopulo, in quem alliſa virtus certum eſt factura naufragium, Commendatarius aliò ſi ſapit, mentem ſuam ac cogitationem inflectet.

Sexto, quod olim Abbati iura canonum permittebant, vt ab inferiorum beneficiorum Primoribus, quos Priores nominát, æs quoddam annuum, Monaſticæ veluti præfecturæ ſymbolum exigeret, ſubiectionis autem obſequijque eorūdem aduerſus ſe, ſuumque cœnobium certum argumentum. Fiduciario cœnobij Antiſtiti exigere non licet, quod in illo, pecuniæ eiuſmodi poſtulandæ cauſa deſit. Enimuero pendi illā, à dictis Prioribus Abbati, quotannis erat in more, vt haberet hic, vnde ſumptibus faciendis par eſſet, qui ad commeatus inuehendos in Cœnobium pro comitiis, ad quæ quotannis ſemel, eiuſmodi regularium Prioratuum Præfectos conuocari erat ſolemne: at indicendi tales conuentus, ſæculari fiduciario ius eſt nullum, poteſtas nulla, ne diſparis profeſſionis homines, indecora compage inuicem coeant, deque his rebus conſilia agitent, quæ quia diuina ſunt, ac regularium propria, à ſeculari non ſunt tractanda Commendatario, maxime quod poteſtas quæ dirigit, quæ dictat, quæ conſulit aut imperat, ſine coercente, ſi elinguis non eſt ac muta, eſt ſaltem debilis, languens, mortuæque non impar, non eſt ergo in iure Commēdatarij inferiora beneficia, vt Prioratus ab eius pendentes Abbatia, grauare indictione pecuniæ annua.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IX.

An Beneficia omnia commendari poſſint in Gallia, & quæ non.

EXtitit hoc olim Romanorum Pontificum aduerſus Regulares omnes amoris teſtimonium perpetuas ſacerdotiorum fiducias, vt in irritum reuocandas crederent. Fecere id Innoc. VI. & Pius II. anno 1459. reuocato enim Calixti tertij priuilegio, inania B nullaque pronuntiauere cuncta beneficiariæ expectationis munera, ac commendationis ad Ciſtercienſium ſacerdotia, *etiamſi per reſignationem, & iuris ceſſionem, aut alias, etiam Cardinalibus, ſeu Officialibus Curiæ conceſſa eſſent.*

Auxit gratiam Sixtus quartus, cum anno 1475. ſpeciali ea de re diplomate ſanxit, vt Ciſtercienſium *Monaſteria commendata poſt mortem Commendatariorum, plenè, libere & integraliter redirent ad omnimodam Ordinis diſpoſitionem & prouiſionem. & quod nulli præficiantur in Abbates, niſi per Patres Abbates,* C *ſeu per Commiſſarios, & quod promoti ſint de ordine.* Decreuit idem Nicol. V. pro Monaſterio S. Mart. Turonenſis eiuſque beneficiis. *Commendaſque* de Prioratibus aut Capellis à maiori Monaſterio dependentes, *quibuſuis ſecularibus vel alterius ordinis, ſeu conditionis perſonis factas, vel ſub quibuſuis formis verborum in futurum faciendas, ſeu concedendas, nullius exiſtere roboris ac momenti.* Verum enim, ſi Primates quatuor Ciſtercienſis Ordinis quos Patres nominant, cum eorum communi Patre exceperis, qui & ipſe, Ordi- D nis eſt generalis Præpoſitus, ne vna quidem in eo eſt Abbatia, quæ commendari nequeat. Vt ſunt omnes, regiæ nominationi pactis Bononienſibus obnoxiæ, ita & à Papa committendæ, quibus erit Regi placitum, modo ſint iis præditi rebus, quas Leoni in Concord. *de regia ad Prælaturas nominatione parag. Monaſteriis, ad beneficia regularia,* exigere ab earum Candidatis eſt viſum: Abbatiæ ergo hæ quatuor, cæteræque quæ ſunt Ordinum capita in Gallia commendari Rege ita Chriſtianiſſimo permittente nequeunt, fuitque hæc eius conceſſio, eodem imperante promulgata, re- E lataque in acta magni Conſilij 6. Octob. ann. 1533. Rebuffo teſte *in Gloſſa parag. per præmiſſa, in verbo præiudicare verſu, hodie vero*, ab Henrico autem tertio in comitiis Bleſenſib. circa ann. 1579. *art. 3.* firmata his verbis: *Pour reſtablir, conſeruer & entretenir l'eſtat regulier, & diſcipline Monaſtique, voulons qu'aduenant vacation des Abbayes & Monaſteres qui ſont Chefs d'Ordre, comme Cluny, Ciſteaux, Premonſtré, Grandmont, le Val des Eſcholiers,* A *S. Antoine de Viennois, la Trinité dite des Mathurins, & Val des Choux, & ſemblablement és Abbayes de S. Edme, Pontigny, la Ferté, Morimont. Y ſoit pourueu par election des Religieux Profez deſdits Monaſteres*: quæ hîc inſerere placuit, palam vt eſſet, præter numerata Monaſteria, quibus & Regum beneficentia Henrici quarti, & Ludou. XIII. felicis recordationis, aliqua ſunt addita, à priore quidem quatuor, aut quinque quæ reformationem Caſæ Benedicti eiuſque mores ſequuntur, S. ſcilicet Vincentij ad Cænomanos, S. Martini Sagienſis, S. Sulpicij Bituricenſis, & Caſæ Bened. in eadem Diœceſi. A poſteriore S. Genoueſæ, & Fulienſis in Diœceſi Lemouicena: hæc proferre (inquam) placuit, vt cætera omnia Galliæ Monaſteria Rege poſtulante commendari à Papa poſſe conſtaret, quod ipſum exemplis probat Fabricius *in tract. de maiorib. & minorib. beneficijs num. 15. litera B. ad margin.*

Adhæc commendari alteri beneficium viuentis non poteſt, quia cùm ſit iure Eccleſiæ perpetuum, idem eius eſſe finis debet qui beneficiati non alius.

C Deinde, quod eſt alicuius proprium, ei ſine cauſa eripi non poteſt, ac ſubtrahi, *can. ſatis peruerſum 7. diſt. 56.* at id fieret ſi quæ vni beneficia, Papæ aut Ordinarij beneficentia ſunt affecta, hæc committi poſſent alteri, eique quoad viueret ab eorum alterutro commendari, cum enim ſint Commendæ perpetuæ in beneficiorum collocandæ ſerie, quæ horum affectiones ſunt propriæ, iis quàm optimo iure competunt, vt illa ergo colligendorum redituum facultatem beneficiario tribuunt, ita & iſtæ, at quis ſine crimine, li- D cere vlli putet, innocentis transferre bona in alium, ſibi forte meritis diſparem, non tamen aperte meliorem?

Dixi, cum eſt commenda perpetua, nam temporalis ad ſemeſtre, eo clauſo poteſt alteri dari ab Ordinario. Ecquid enim eius ſunt partes, Eccleſiarum res agere? ne quid eis detrimenti, miniſtrorum inopia accidat, prouidere? idoneos cum ſe aliqui tales offerunt, vt præfectos ac Patres præficere? facit hæc omnia Epiſcopus, cum Parochiam Rectore viduam, certoque commendatam homini, finito ſemeſtri, extra quod excurrere commenda E temporalis non ſolet, alteri quem ea prouincia dignum exiſtimat, præbet pro auctoritate quâ pollet, quod eſt Rebuffi monitum *par. 1. praxis rubrica de reprobata benef. viuent. impet. num. 45.*

Quarto profano homini, aut ſi Clerico, non tamen eorum Ordinum profeſſori, commendari in Gallia Antonianæ & Melitenſes Præceptoriæ non poſſunt, quia cum non ſint beneficia, ſed ægris perſanandis inſtituta domicilia, quod Ordinario in illorum eſt pro-

curatione licitum, idem non eſt in iſtorum prouiſione permiſſum: quare Chop. teſtimonio *lib. de ſacra polit. 3. tit. 5. num. 4.* ſubſunt hæ Præceptoriæ, œconomicæ poteſtati Præceptorum ordinis vtriuſque, non profanorum vrbis Decurionum, quod ſi ſunt hæ præceptoriæ beneficia, (de quo nos poſtea) non ſunt aliis *quàm fratribus illorum ordinum danda in titulum*, ſecundum Rebuff. *1. par. praxis rubr. de commenda num. 41.*

Quinto nec commendari domus poſſunt S. Triadis, ſeu Mathurinorum, quia pia ſunt hoſpitia, verius quàm Eccleſiaſtica beneficia, cum eorum regulari norma caueatur, *vt ſingulis noctibus, ad munus in hoſpitali coram pauperibus, pro ſtatu & pace S. Romanæ Eccleſiæ, & totius Chriſtianitatis, & pro benefactoribus communis fiat oratio. Item cura hoſpitum & pauperum omnium, euntium & redeuntium vni de diſcretioribus fratribus iniungatur, qui audiat eos, & vt expedire viderit, charitatis ſolatium adminiſtret*, quæ opinio eſt Chopp. *lib. Monaſt. 1. tit. 1. num. 12.* Fabric. *in Theoria rubrica des Commanderies*, de cuius veritate poſtea.

QVÆSTIO X.

In quorum ſit iure, commendare beneficia.

DE Romano Pontifice nulla nobis hic eſt quæſtio, vtenim eius eſt in Eccleſiâ poteſtas ſumma, ſumma eius, adminiſtrandæ Chriſti voluntate ac conceſſu, auctoritas, nihil non in eius cauſa poteſt, quod non eſt diuinis, aut petitis è naturæ ſinu legibus oppoſitum. De Epiſcopo, Capitulo, & Laïcis, omnis noſtra futura eſt diſputatio.

Dico ergo primò, *Laicos beneficia commendare non poſſe, nec in perpetuum, nec ad tempus.*

A commendis perpetuis enunciati probationem ordiar. Eſt diſpenſatio, vtpote iuriſdictionis ſpiritalis actio, eius qui ſpiritualem in Dei Eccleſia poteſtatem, diuino eſt munere nactus, opus proprium, quare in canonicis legibus diſpenſant hi tantum, qui eas mortalibus ſeruandas ponunt, aut eorum qui ſanxere, ſunt ſuperiores, vel illorum in magiſtratu quem gerunt ſucceſſores, ac proinde iiſdem auctoritate pares, ſed ſeculari credi beneficium regulare in commendam perpetuam non poteſt, nec vice verſa, ſeculare regulari ſine diſpẽſatione, id enim canonica lex prohibet *in ca. Monachi 2. de ſtatu Monachorũ*, nam ibi hi vetantur, *per villas & oppida per quaſcunq; poni Parochiales Eccleſias*, ad ſeculares autem quod attinet, admoueri hi non ſinuntur ad cœnobitica beneficia, nam in primis eum Monachum fieri vult Innoc. qui Abbas eſſe expetit *cap. cum ad noſtram 37. de*

A *electione*, cum non deceat aliquem magiſtrum eſſe antequam ſit diſcipulus *cap. officij 38. eod. tit.* aut in adminiſtrationibus Eccleſiæ Pontificibus ſociari, qui ab iis profeſſione & habitu diſcrepat *16. q. 7. can. innoua 22.* ob quam cauſam vetat Clem. V. *in Clement. 1. de elect. ne religioſus aliquis in Abbatem, vel prælatum alterius religionis vel habitus eligatur, quod rationi non congruat, vt homines diſparis profeſſionis, vel habitus, ſimul in eiſdem Monaſteriis ſocientur*: ſunt ergo regularia committenda regularibus, & ſecularia ſe-
B cularibus, *parag. volumus de collat. in Concordat.* Rebuff. *par. 1. prax. rubr. de diſpenſat. cum regular. facta num. 7.* ſed in hac lege diſpenſare laïcus non poteſt, vtpote quæ Pontificem auctorem habeat, ſitque ex fine quo refertur, adminiſtrationis ſcilicet Eccleſiaſticæ, ſpiritalis ac diuina, ab eo ergo creari commenda non poteſt vlla, quæ ſit perpetua.

Nulla item tẽporaria, quia non eſt hæc niſi de Parochiis, quibus dum idoneus paſtor ad earum regimen quæritur, ne plebs interim Chriſtiana Sacramentis deſtituta Dæmo-
C num iniuriæ pateat, commendatarius homo gnauus, bonique publici ſtudioſus, ab ordinario tribuitur, cui eius ac fideliũ in Diœceſi eſt ex propria muneris ſui ratione commiſſa cura, cuiuſmodi de Laïcorum turba quemquam eſſe quis putet? quare *eum qui ex priuilegio, vel alio iure ſeculi conferre poteſt, ne quidem ad breuiſſimum tempus commendare poſſe, decidunt Geminian. & Felinus idque etiam in Rege noſtro Chriſtianiſſimo recipit Probus in tract. regaliter. q. 19. & in Legatis à latere, ſi in eorum facultatibus de poteſtate commendandi nominatim*
D *cautum non fuerit*, Bleyan. de benefic. *in titul. & commend. num. 31.* quanquam quod de Legatis poſt Ludouic. Gomeſ. *qu. 15. de trienn. poſſ* auctor hic aſſerit Renato Chopp. non probatur, de his enim, eorumque poteſtate in Gallia differens, illis licere ait Monaſtici clauſtri munera, ſecularibus Clericis commendare fiduciaria lege *lib. 1. de ſacra polit. titulo 6. num. 5.* certius eſt, quod de Epiſcopis & Capitulo tradi ſolet.

Dico ergo ſecundò, *Capitulo ſede vacante fas eſſe, beneficium ad ſemeſtre conferre, maximè ſi eſt Parochiale, & cum animarum onere.*

E Ratio eſt in promptu, nempe, quod quæ Epiſcopo dum viueret in adminiſtranda Diœceſi erant licita, hæc non minori ſua laude, quàm fidelium fructu ac vtilitate, facere Capitulo, eo mortuo ſit permiſſum, ſed Epiſcopus ab breue tempus, puta ſex menſium, aut non multo ſecus, Parochias digno poteſt homini regendas, committere dum ſe alius ſubeundo par muneri offerat: ergo & Capitulum: Eſt tamen tempus, cum præſtitutum à Greg. X. ſemeſtre, prorogari poteſt vlterius à Capitulo, puta ſi non eſt à Papa Epiſcopus

A ſedi vacuæ ex vrbe datus, ſi de Parocho ipſe ſubrogandó rogatus, poſtulata non fecit, quia cum hoc fiat ex neceſſitate (inquit Rebuff.) *de deuolutionib. num. 78.* vt Eccleſiæ deſeruiatur, per hoc limitatur, *cap. nemo de elect. in 6.* Vt inſtante neceſſitate commendari Eccleſia Parochialis poſſit. Hæc ille, quæ non abhorrere à veriſimili, axioma commune iuris petitum ex regula iuris his concepta verbis indicat. *Quod non eſt licitum in lege, neceſſitas licitum facit, nam & Sabbatum ieiunare præceptum eſt: Machabæi tamen ſine culpa ſua in Sabbato pugnabant.*

B Confirm. Epiſcopo mortuo in his quæ ſunt neceſſaria, nec differenda ad promotionem noui, ſuccedere Capitulum vera eſt Summiſtarum, ac canonum opinio: at eſt neceſſe, viduam Rectore Parochiam, ei commendari homini, qui operam illi ſuam accommodet, bono eius inuigilet, mala quæ illi ac fidelibus veriſimilem minantur perniciem, auertat ac propulſet, reditus ne pereant, colligat, ac ſeruet. Talem ergo aliquem ad ſemeſtre Capitulum inſtituere poterit, *qui debeat fructus recipere, eos in Eccleſiarum vtilitatem expendere, aut futuris perſonis fideliter reſeruare de officio* C *iudic. ordinary cap. cum vos 4.*

Ad ſemeſtre dixi, Nec enim poteſtate aliquem vti ſua, cum alicuius noxa damnoque, natura ſinit. at eſſet Clerici inſtitutio, facta à Capitulo in commendam, Epiſcopo noxia, ſi foret hæc perpetua, nam ei ab iſto Parochia eripi, alteri conferenda non poſſet, cum ſit de ratione collationis, vt ſit perpetua, vtpote quæ ſine magna iuſtaque cauſa, reddi inanis non poſſit ac irrita, *can ſatis peruerſum eſt diſtinct. 56.*

Argumenti minor eſt certa, certa item maior, in his enim quæ ſunt neceſſaria nec moram ferunt, lex Capitulo indulget vt mini- D ſtret, *lege de pupillo parag. ſi quis dig. de noui oper. nunciat. & de inſtitut. in 6. cap. 1.* tradit Bonifac. Capitulum *præſentatos à patronis poſſe admittere, ſi ſint idonei, & eos inſtituere in beneficiis, ad quæ fuerint præſentati: licet ad Epiſcopum (ſi ſupereſſet) admiſſio & inſtitutio huiuſmodi pertingeret:* cuius rei cauſa non eſt alia, quam quia eſt id ad bonum commune neceſſarium, nec ad tempus creati Epiſcopi reiiciendum.

Dico tertiò, *Etſi Epiſcopus Parochias commendare Clerico Sacerdoti ad ſex menſes va-* E *leat, non vltra tamen.*

Pars aſſertionis vtraque Doctorum auctoritate, rationumque fide eſt certa, prior quidem, quia dare debet operam Epiſcopus, ne male ſit Eccleſiæ, male Parochiis, malè Chriſtianis, curæ ſuæ, fideique concreditis: ergo ſi Curato beneficio, de adminiſtratore gnauo ac diligenti prouideat, qui reditus eius colligat, illud dum Paſtorem habeat adminiſtret ac regat, nihil faciet, quod ad eius officium non pertineat.

Pars altera fidem mutuatur à decretali, Gregor. X. cui initium, *nemo deinceps 10. de elect. in 6.* in ea enim eſt, commendam Parœcialis Eccleſiæ, *vltra ſemeſtris temporis ſpatium non durare*, quidquid de illa, *ſecus actum fuerit, eſſe irritum ipſo iure.* Enimuero cùm Epiſcopum Eccleſiæ decretis obſequi oporteat, non obluctari, ab iis non diſcedet, commendæ tempus cum expleuerit, ſibi ab ea renouanda ad ſemeſtre alterum, temperabit.

QVÆSTIO XI.

An regula de infirmis reſignantibus, locum in Commenda habeat.

Habere, Gomeſius & Caſſadorus aſſerunt: ille *q. 13. de infir. reſignãt. verſu quibus non obſtantib.* iſte *deciſ. 32.* & hæc ſententia, ſi de perpetua agitur, ideò vera eſt, quia habetur loco tituli, & qui ea fruitur, eius gaudet obuentionibus, deque iis diſponit, peræque ac de beneficiis titularibus, vt tradit Alex. in *can. cùm autem diſt. 44.* Rebuff. *de commenda*, noſque ipſi antea.

In hac ſententia conquieſco, eoque libentius, quo illã Pontificis auctoritate firmatam video, ſic enim ille in Cancellariæ regula *de infirmis reſignantib. Item voluit quod ſi quis in infirmitate conſtitutus reſignauerit aliquod beneficium, dimiſerit, aut illius commenda ceſſerit, poſtea infra dies 20. à die per ipſum reſignantem præſtandi conſenſus computandos, de ipſa infirmitate deceſſerit, ac ipſum beneficium quauis auctoritate conferatur, per reſignationem ſic factam, collatio huiuſmodi nulla ſit, ipſumque beneficium nihilominus per obitum vacare cenſeatur.*

Non habet tamen ea regula locum in temporali commenda ob cauſam oppoſitam, nec enim datur in titulum, cum non conferatur Parochia, ſed commendetur, nec in ea inducatur vacatio, vt patet: ergo cum regula de collatiuis beneficiis, ac in titulum dari ſolitis loquatur, vt facile quiſque intelliget, qui quibus ipſa ſit concepta verbis, perpendet, commendam, quæ eſt temporalis, ſeniſque comprehenſa menſibus, non complecti, etiam me tacente res loquitur.

Dixit hanc ſententiam Gomeſius *q. 13.* contrariam, Rebuff. *parte 1. praxis ad regul. de infirm. gloſſa 7. & de pacific. poſſeſſ. ampliat. 5. nu. 35.* hoc vno fretus argumento, quod commendam temporalem, non ſecus ac perpetuam, ſua ſit complexus oratione Pontifex, eam enim ſimpliciter ac abſolute nominat, *qui inquit commenda ceſſerit*, cedit autem qui temporalem reſignat alteri, cui & nomen

ipſum commendæ conuenit, vt patet.

Antecedens propoſitio eſt neganda, hoc maxime nomine, quod quæ Commenda eſt temporalis, non conſeratur, nec in ea vacatio inducatur vlla, quæ duæ ſunt tamen eius commendæ, de qua Pontifex loquitur, notæ euidentes ac certæ.

QVÆSTIO XII.

Explicantur in Commendarum materia, dubia aliqua non omnino contemnenda.

PRimum, *An Commendatario animaduertere in Monachos ſibi non obſequentes liceat.*

Licere aſſerunt Boer, *in q. 271.* Faber Sebuſ. *lib. 1. Codic. titulo 3. definit. 34. num. 4.* Negāt alij, meoque iudicio probabilius: primo, quia culpis pœnam imponere eius eſt duntaxat, qui gladij in externo foro ius habet, in interno reprimendæ per cenſuras audaciæ: at eo carere Commendatarium nemo ambigit, nec enim Capitulo, cum quot hebdomadis culpas ſuas in eo Cœnobitæ recognoſcunt, intereſt, vt pro earum natura, ſua ſingulis ſupplicia inferat: ergo, &c.

Secundo, tantum eſt Commendatario licitum, & non amplius, quàm quantum ei ſummus Pontifex permiſſum eſſe voluit, at hanc illi facultatem non tribuit, vt liquet ex Bulla Xiſti IV. de anno 1475. à nobis allata antea: ergo, &c.

Quod ſi Cardinales id nonnunquam ſibi arrogaſſe, hiſtoriæ aſſerunt, hoc ſane non niſi voluntate ac conceſſu Pontificis tentaſſe eſt certum, quod enim communibus, hoc eſt, è vulgo Commendatariis, Romæ negatur, id Cardinalibus, hoc eſt, ſummis Eccleſiæ magiſtratibus ob dignitatem concedi debuiſſe ſcribit Ferrer. in *addit. nouis ad Guidon. Papam deciſ. 559.* non item cæteris.

Secundum, *An Nouitium poſt ſtata temporum interualla Commendatarius in Cœnobitarum conſortium admittere, eiuſque vota tria recipere valeat?*

Pro affirmatiua facit, quod in excipienda profeſſione votorum noui Cœnobitæ, Abbas poteſtate ad eam rem neceſſaria videatur eſſe præditus, cum ad eum *Religioſorum creatio ſpectet*, vt eruditè Boerius probat *deciſ. 260.* ergo cum fiduciarius Abbas proindeque non religioſus, verè ſit Abbas, parique cū titulario iure, in bona fructuſque collatæ ſibi Abbatiæ, quod Monaſtico Præſuli iura licere volunt, triplicis voti ſacramento obligatum, cooptarē in fratrem & filium, licebit etiam fiduciario.

Neganda eſt conſequentia, quod Nouitij è ſæculo in cœnobium, iuſta A legitimaque per vota tranſmiſſio ac cooptatio, eius ſit duntaxat, cui tam domus ipſa cœnobitica, quam qui eam inhabitant, obſequi imperanti debent, quo tamen carere iure Commendatarium nemo negat, cum ex Xiſti bulla, cuius ante meminimus, iuriſdictionem ſpiritualem nullam habeat: qua tamen qui eſt deſtitutus, in cauſa præſenti, aſcribendi ſcilicet inter Monachos Nouitij, facere validè quid poſſit, non video.

Nec me latet ſecus quàm nos ſenſiſſe olim hoc eſt anno 1598. excellenti doctrina viros, cum enim Fani S. Ioannis à Vineis cœno-B bitæ contenderent, ſuas, non autem Eminentiſſ. Cardinalis à Gondio, aut eius Vicarij partes eſſe, iurantibus in verba votiua ordinis, præſtare auctoritatem, à petitione excluſos ſua, Senatus ſilere iuſſit, additque (quod Religioſi Abbatis proprium eſt munus) votiuam nouitij profeſſionem ſuſcipere, in Cardinalis aut eiuſdem Vicarij iure eſſe.

Sed nego tantundem Clericis ſæculi Commendatariis licere, quantum Cardinalibus, hoc eſt Apoſtolici Senatus Patribus, vt enim hi Sacerdotes dignitate ſuperant, ita decet C regularia iſtiuſmodi Sacerdotia, illis maiori cum imperio ac poteſtate commēdari, prout aſſerit Panor. *ad cap. cum nobis olim de elect.*

Tertium, *An Priores fiduciarij ſeculares, Abbatis qui religioſus eſt, cœnobioque præeſt, vnde pendent prædicti Prioratus, imperiis parere debeant.*

Ne credam, inducor hac vna maxime cauſa, quod Cœnobiarchæ auctoritas, iiſdem, quibus domus ipſa regularis, terminis ſit concluſa, ei quidem obſequi religioſi debent, vt ſunt polliciti vouendo, non tamen ſæculares, D quos ſuis viuere legibus, non Abbatis aut Regularium, eſt certum, atque ita in Senatu Camberienſi decuſum eſſe, ſcribit his verbis Ioan. Faber in *lib. 1. Cod. tit. 3. definit. 34. Clericus ſecularis, beneficium regulare poſſidens in Commendam, non eum habet in ſuis cauſis iudicem, qui regularis ordinis ſuperior eſt.* Cauſa ergo Abbati regulari iuſta querendi nulli ſubeſt, ſi quæ imperat, Commendatarius non agat.

Quid ſi inter vtrumque, quidpiam accidat, quod alieno definiri iudicio oporteat? quid ſi E de reparanda domo agitur? quid ſi de diuidendis agris, ſi de alenda regulari familia inter eos lis ſit orta?

Erit hæc Epiſcopi, qui Commendatarij iudex eſt, arbitrio dirimenda, quia cum ille, id eſt Commendatarius, nihil habeat proprij iuris in beneficio, cuius plena proprietas, poſſeſſioque, penes Pontificem commendantem reſidet, non debet eius eſſe poteſtati obnoxius, qui iuriſdictionem in eum nullam habet, eſt enim non regularis, ſed ſæcularis Clericus, quem Epiſcopo obſequi iuſta præcipienti

pienti

pienti conuenit, non Abbati, cuius omnis au-ctoritas Monaſterij ſui finibus eſt cancelliſ-que circuncluſa.

Quartum. *An Priori Commendatario ſecu-lari, ſuccedat Abbas.*

Vt defuncti Monachi peculium, quæque induſtria ipſe ſua ac parcimonia dum viueret ad dubios fortunæ caſus comparauerat, com-mendatario Abbati ſunt neganda, vt cœno-bio in quo eſt vota religioſa tria profeſſus, tribuantur tanquam ſpeciali ſibi proprioque iure debita. Ita quæ de Prioratu Mona-ſtico Commendatarius, bona parcè viuendo acquiſiuit, non Prælato Regulari debentur, tanquam hæredi, aut Eccleſiæ commendatæ, ſed defuncti propinquis, Fabric. de *benefic. in titul. & comm. num. 42. litera q. ad margin.* quorum impenſis paranda quoque erit Chri-ſtiana eius corpori ſepultura, nam quod non-nullis eſt viſum, funebres hos ſumptus ad ſuc-ceſſorem in Monaſticum præſulatum perti-nere, non probo. Ælij enim Martiani *lege pe-nult. dig. de religioſ. & ſumptib. funer.* impen-ſa funeris ex hæreditate deduci ſolet, hære-dumque oneri incumbit.

De re præſenti loquuntur alij cum diſtin-ctione: aut enim (inquiunt) de ſalute animæ defuncti, procuranda precibus ac ſacrificiis eſt quæſtio, aut de funebri eius pompa, ſi pri-mum, quæ ſunt in eam rem neceſſaria, præ-ſtabit ſucceſſor in beneficio, nec ſumptibus in ſacrificia miſſaſque pro eius ſalute parcet.

Si alterum, funebre curabit officium, im-pendiaque pro pompa funerali dabit hæres: Hæc illi, quæ vt de impenſis in ſepulturã dicta ſunt veriſſimè, ita quæ de procuratione ani-mæ, precibus faciendis, ac ſacrificiis eius cauſa à defuncti ſucceſſore per ſe, & alios offeren-dis, pecuniaque in eam rem Presbyteris ſup-peditanda aſſeruntur, ſine probabili vlla ac vera ratione affirmantur.

QVÆSTIO XIII.

Commendarum in Gallia ſpeciale quid ſit. ac proprium

PRimo, vt per eas, non minus à Com-mendatariis, quam Titulariis, capta poſ-ſeſſione, claudatur Regalia, Papon. *lib. 2. titulo 13. arreſto 3.* E

Secundo, etſi extra regnis vt in Italia reſi-gnari cõmendæ in fauorem tertij nequeant, quod eas ſibi Papa reſeruet, ſuique iuris eſſe ve-lit, cùm vacant: quæ eſt cauſa, cur eas iuris in-terpretes vt affectas, & manuũ Pontificiarũ in eaſdem immiſſione, (vt aiunt) à quibuſlibet beneficiis ſeiunctas, conſiderent.

Nobis tamẽ in hoc regno viuere licet aliter, & facere, nã quia reſeruationibus in eo nullus eſt locus, commendas ſibi Papa ſeponere, ſui-

A que iuris facere non poteſt, nec proinde præ-cepto aliquo vetare, ne in tertij cõmodum re-ſignetur, aut cedãtur alteri, quòd in Italia & a-libi vſuuenire nõ poſſe eſt certũ, cũ hoc ipſo, quod beneficiũ commendetur, reſeruari cre-datur, iuxta Gomeſ. *in reg. de public. reſign. q. 4.*

Tertio, eſt hoc quoque Commendarum Galliæ proprium, quod qui iis ſunt cum fa-cultate regendæ Eccleſiæ ſibi commendatæ præpoſiti, in delegatos Rom. Pontific. iudi-ces aſſumi queant, vt notarunt Flamin. *lib. 12. de reſign. q. 1.* Chaſſanæus *ad conſuetud. Bur-*

B *gundicam titulo de ſucceſſione ſpuriorum nu. 58.* quia ſunt quaſi Prælati.

Quarto, extra regnum, mortuo beneficij commendati poſſeſſore, Commenda Romæ vacare cenſetur eo vacationis genere, modo-que, quo vacabat ante commendationem: quare & eodẽ impetratur vacandi modo, quo beneficiũ ante commendã vacare cõtigerat, cum in Gallia quãdo diem ſuum Cõmenda-tarius obit, vacare eius Commendã per obi-tum ſit cenſenda, eo modo, quo vacaret ſi in titulum, non in commendam poſſeſſa eſſet: quare ſi beneficium commendatum vacaue-

C rat per obitum, nunc itidem tanquam per obitum vacans impetrandum erit: ſin per re-ſignationem aut aliter, erit eius modi facien-da in illius impetratione mentio.

Quinto, etſi extra Galliã vacare Commen-da apud ſedem cenſeatur, licet antea vacaſſet apud Ordinarium, vt ſcribit P. du Clos *ad li. 11. Flam. de reſign. q. 5. n. 34.* Faber Sebus. *can. in lib. 2. Codic. tit. 2. definit.* 10. quia per manus appoſitionem, Pontifici affectum erat, non habet id tamen locum in Gallia, vbicunque ſine reſignatione Commendatarius moritur,

D relabitur eius Commenda ad ius eius Ordina-rij à quo conferri mos erat, vt ab eo, hoc ipſo tempore quo vacat conferatur, ſi antequam commendaretur, id poterat, Bleyan. *de benef. in titul. & commend num.* 15.

QVÆSTIO XIV.

An Hoſpitalia verè ac propriè ſint beneficia.

AFfirmantem partem tenent Coraſius de Beneficiis, Flamminius *lib. 10. de reſi-gnatione q. 4.* de Selua de Beneficiis *parte. 1. q. 3. num. 9.* Felinus in *cap. de quarta 4. de praſ-criptionibus nu. 15 & 16.* Du Clos *ad lib.* Flam. *de reſig. 10. q. 14. num. 9.* vbi habet plures ſe ſi-gnaturas ſuper prouiſionibus & commendis obtinuiſſe, diuerſarum Præceptoriarum tam S. Ioann. Hieroſolym. quàm Hoſpitalis S. Spiritus de Saxia in vrbe, *etiam per reſigna-tionem, & commendæ ceſſionem vacantium.*

Negantem Duarenus *de ſacris miniſteriis*

li.2.cap. vltimo, Gomeſius *in regulam de trien- nali poſſeſsione q.7.* Renatus *lib.3. de ſacra polit. tit.5.*ad vniuerſæ rei intelligentiam.

Notandum primò, Xenodochia non eſſe omnia vnius modi ac generis: quædam enim ſpeciali ſunt prouidentiæ Religioſorũ attributa, vt ſancti Antonij,& militarium Ordinum de quibus Clementina, *quia contingit 2. de religioſis domibus, parag. præmiſſa vero.*

Alia quæ Capitulis, aut Cœnobiis ſunt annexa, vt pars toti, & hæc in Abbatum, aut Decani,qui dictis Capitulis præeſt, poteſtate ſunt, quo de genere eſt Hoſpitale B. Virginis *de cauda forti,* in Cœnomanenſi prouincia.

Sunt & alia quæ profanis dantur hominibus adminiſtrãda, vt Remorum Pariſiẽſe, in Cãpania,Goneſij ad Lutetiam: Cæſaraugustæ in Hiſpania,& alia his nõ abſimilia,de quibus in Clement. *quia contingit 2. de religioſis domibus parag. vt autem præmiſſa.* Alia committuntur Clericis in titulum,vnde iuſtam operæ ſuæ in functione Eccleſiaſtica mercedem repetant, vt beneficiarij, qualia fuiſſe olim non pauca, indicant hæ Clementis V. voces in *Clement. quia contingit citata parag. vt autem præmiſſa*, quia ea in titulũ dari nihil prohibet, *niſi in illorum fundatione ſecus conſtitutũ fuerit, ſeu per electionem, ſit de rectore locis huiuſmodi prouidendũ.*Clem *ſupra.* Tale fuiſſe Xenodochium apud Nogentium Rotrodi, Perticenſis Comitatus vicum, ſcripſit Chopp. *de ſacra polit. lib.3. tit. 5. n.12* talem Corbolienſem leproſorum domum, quam ait beneficiario tradi ab Epiſc. Pariſienſi ſolitam.

Notandum 2. Valetudinaria quondam, publicaque egenorum domicilia, non ab alio regi moderatore fuiſſe ſolita, quam Eccleſiaſtico. Sane à ſacro Chalcedonenſi conuentu *actionis 15. can.8.* ſtatutum ſcimus, vt Clerici præfecti valetudinariis, qui in Cœnobijs, & diuorum martyrum baſilicis vitam agerent, Epiſcopali imperio, cenſuræque eſſent obnoxij.

Nec ignoramus, Pelagium primum, in ſuam Eccleſiæque clientelam ac fidem, Hoſpitale quod Childebertus, & Eutrotta eius vxor,magnis impenſis exædificauerant,accepiſſe. quæ res, eius de qua agimus, argumentum eſt non leue,Clericis nempe (quod erat nobis propoſitum oſtendere) Hoſpitales pauperum domos credi poſſe. A Mieciſlao ſane 3. Poloniæ Rege refert Cromerus in hiſtoria Polonica, hoſpitale Poſnaniæ à ſe extructum, curæ militum S. Ioannis commiſſum eſſe Hoſpitalariis autem fratribus,quos vulgo de Saxia nominant,Cracouienſe,cuius auctor fuerat,Iuo eius vbis Epiſcopus, Cromerus ſupra *l. 7.* ſicut & cætera totius Italiæ, quæ conſuetudo,tenuit ad tẽpora Pij IV.quo tempore ob iuſtas cauſas, ex eorundem fratrum turpi vita petitas, iuſſi ſunt abſtinere ab hoſpitalium omnium cura ac regimine, ſimulque ſunt omnibus priuari priuilegiis,quæ Ordini conceſſa fuerant ab Innoc.III.IV.& VIII. Alexand. III. Cœleſt. I. Bonifac. VIII. Vrbano V. Clem. V. & VI. Eugen. III. IV. & Benedicto XII.

Factum eſt ergo conſequutis temporibus, tam Pontificum, quam Conciliorum legibus, vt Noſocomij curam Laïci ſuſciperent, excluſis Clericis, extat Clement. V. ſanctio perſcripta his verbis: *Clement. 2. de prabend. per literas à ſede Apoſtolica ſuper prouiſione quorumlibet Clericorum directas de Xenodochiis, leproſariis, ſeu hoſpitalibus (etiamſi Eccleſias vel capellas, decimas, aut alia ſpiritualia iura noſcantur habere, nulli poſſe decernimus prouideri, niſi hoc in Apoſtolicis literis caueatur expreſſe.)* Iuxta hanc, Oppidanis Caſtri noui ad Carnutum, eſt in more nominare Alenconienſi Heroi œconomum ſeu Rectorem hoſpitalis ædis D. Laurentio ſacræ. Faciunt idem Fulgeriarum ciues, idem ædiles Ambianenſium, cum enim inter eos, & Epiſcopum, mota lis eſſet ſuper eius Xenodochij regimine, diceretque Epiſcopus ſuarum eſſe partium corrigere, viſitare, in ſumma quæ ad eius commodum pertinerent, pro auctoritate decernere, & *quod erat in ſaiſina præmiſſa faciendi, maxime cum fratres & ſorores dictæ domus in ſuo ingreſſu emitterent tria vota, reſpondit Senatus, ad quem erat delata cauſa, quòd ad Maiorem, & Scabinos pertinebat cuſtodia, dictæ domus ſcire ſtatum, audire computum, ponere tam ſanos quàm infirmos Clericos, & laicos, ponere & deponere magiſtrum domus,*&c. quæ eius ſententia Pontificiæ perquam eſt ſimilis, ſtatuit enim Clem. V. *in Clement. quia contingit 2. de religioſ. domibus,* Noſocomia amodo cõmittẽda non eſſe niſi viris prouidis, idoneis, bonique teſtimonij, *qui ſciant, velint, & valeant loca ipſa, bona eorum ac iura vtiliter regere*, his præſuppoſitis quæſtioni reſpondetur aliquot aſſertionibus.

Prima aſſertio, *Hoſpitalia ex ſua primaua inſtitutione, in titulum dari Clerico ſolita, ſunt beneficia*: Eſt authorum, quos citaui pro prima ſententia, Garciæ *1. par. cap. 2.* Rebuff. *1. par. prax. rubr. de reuolutionib. nu. 73.* Frederici *in tract. de permutatione qu. 14.* Renati *lib.3. de ſacra polit. tit. 5. n. 2. ad marg.* Et probatur.

Vbi ius eſt exigendi reditus,ob ſacrum miniſterium, authoritate Eccleſiæ conſtitutum, ibi eſt beneficium: at hoſpitalis pauperum domus, ab Epiſcopo, & fundatoribus data in titulum, id habet, nam tunc amborum voluntate, ob miniſterium ſacrum annuæ de eius domus reditibus obuentiones, conceduntur Clerico, cum obligatione nexuque; vt quæ ſibi de iuſta ſuſtentatione erunt reliqua, in pauperum, & hoſpitũ vtilitatem impendat.

Confirmatur

Confirmatur: nemo negat, Monaſticas Antoniani ordinis Præceptorias eſſe beneficia, quia dantur in titulum, & tamen publica ſunt, eorum qui ſacro ſunt ambuſti igne, valetudinaria; quæ ergo dantur in titulum hoſpitalia, verè ſunt in beneficiis habenda, Garcias *tract.1.par.1.cap.2.num.3.*

Confirm. Clementis V. imperio *in Clement. quia contingit de religioſis domib. parag. vt autem*, nullus ex locis ipſis, ſecularibus Clericis in beneficium conferri debet niſi in illorum fundatione conſtitutum fuerit aliter, ſeu per electionem, ſit *de rectore huiuſmodi locis prouidendum*, ſunt ergo hoſpitalia Clementis opinione beneficia in his 2. caſibus.

. Secunda aſſertio, *Hoſpitalia cùm laicis administranda committuntur aut Clericis, non ſunt beneficia.* Eſt authorum ſecundæ ſententiæ.

Eſt enim de ratione beneficij, vt ſit perpetuum: at à cura hoſpitalium, tam Clerici quam laïci adminiſtratores, remoueri poſſunt ac reiici, ſi non quoties videtur ac placet Epiſcopis, ſaltem poſt triennium, vltra quod prorogari eorum adminiſtratio decreto Concilij non poteſt in *ſeſſ.25.cap.8.*

Quid? *quod ſingulis* annis *adminiſtratores, tenentur* reddere rationem *adminiſtrationis ordinario*? Trid. *ſeſſ.22.cap.9.* quod in quibus hoſpitalibus nullæ, aut paucæ ſunt perſonæ, Concilium præcipiat, vt *fructus illorum in alium pium vſum, qui eorum inſtitutioni ſit proximior, ac pro loco & tempore vtilior conuertantur*, Trident. *ſeſſ.25.cap 8.* quæ omnia nimium quantum à natura beneficij ſunt aliena, hoc ergo nomine, neque per illud ſignificata, donari hoſpitale non poteſt, nec proinde beneficium dici.

Tertio, Beneficij non alius eſt capax, quam ſacerdos, vel Clericus, per primam ſaltem tonſuram, *cap. cum adeo 17. de reſcriptis, cap. ex literis 6. de tranſactionibus*, vbi dicitur ad id inhabilis, qui prima ſui per tonſuram deſignatione, ad ordines ſacros necdum eſt idoneus, ſed Laici quà tales non ſunt Clerici, & tamen in eos Xenodochij curam transferre iubentur Epiſcopi, per Clementinam citatam, *quia contingit de religioſis domibus, parag. vt autem*, ergo hoſpitalia omnia non ſunt beneficia, ideo de iis prouideri alicui non poteſt, vt habetur, *Clem. per literas de præb.* ſed tantũ Gubernatoribus ſeu Rectoribus, quaſi Tutoribus committuntur, cum obligatione ad reddendam rationem: vnde non beneficium, ſed officium habere dicuntur.

Quid ſi illis ſacellum, vt Goneſij & Vindocinis, ſit ad ſacrum litatorium adiectum? quid ſi ſuperior, cum religioſorum familia, procurandis hoſpitalibus, ac ſolandis morbidis, incumbat? vt Rhemis ac Aubinæi Biturigum? &c.

A Aſſertio tertia, *Ne tunc quidem hoſpitalia in beneficiorum ſunt numero collocanda, ſi eorum ſunt reditus, in laicorum poteſtate, tribuendi pro tempore Religioſis, aut ſecularibus Clericis qui ea procurant, agriſque operam ſuam in ſpiritualibus nauant, aut aliis quibus ipſi expedire iudicauerint.*

Nam colligendorum fructuum ius habet beneficiarius quilibet; quo tamen carere Religioſorum ſuperior ſupponitur, qui Xenodochio præſidet: non eſt ergo de beneficiatorũ cœtu, ac numero: ita iudicatum aiunt in centumuirali Senatorum Pariſienſium prætorio, anno 1567. pro oppidanis Aubinienſibus contra Dunglauium, præfectum Monaſtici conuentus, fundati anno 1419. à Belino Ducis Bituricenſis quæſtore, vt Xenodochij à ſe Aubeniaci conſtituti curam gereret, & anno 1571. par eſt dicta ſententia de Hoſpitali leproſorum æde Vindocinenſi: cùm tamẽ quæ erat inibi ſacra capella placando numini erecta, iuris ad ea tempora Epiſcopalis extitiſſet.

Cauſa tam aſſertionis, quam dictæ in Pariſ. Senatu ſententiæ, videtur, repetenda eſſe ex definitione beneficij, quia de eius eſt ratione eſſentiaque, certa redituum portio, eorumque procuratio Clerico aſſignata ad vitam: quorum ſit ſaltem quoad vſumfructum dominus, cum iure eos exigendi ob ſpirituale miniſterium: ſed in præſenti cauſa Xenodochia commandantur laïcis, non Clericis, ad quos etſi pars aliqua fructuum pertineat, non eo tamen modo, iureque, quo eſt neceſſe vt ab ea, illorum dici poſſint domini, cum vſus fructus eſſe ſine procuratione rei nequeat, quæ vtenda tribuitur, quæ tamen ex dictis, negata eſt religioſis, & Capellanis Clericis, quorum in hac materia, eadem eſt ratio quæ Cantoris, aut alterius cuiuſpiam Sacellani, qui ſuam beneficiariò diuiti, in adminiſtrando Prioratu operam cum pacto recipiendæ mercedis debitæ accommodat: ergo vt hic non eſt beneficiarius, ita nec illi.

Obiicies, eſt hoſpitalis domus reſignatio, de eorum voluntate tacta quorum intereſt, publicanda in loco, vbi eſt hæc ſita, aliter vacat, vt definitum eſſe à Romanis Iureconſultis in Rota anno 1586. & 88. memorant Felinus ſupra & Flaminius de *reſignatione lib. 10.q.5.num. 48.* at non alia reſignatio publicari eſt ſolita, quam beneficij, per *conſtitutionem 37.* Gregorij XIII. *parag. ſed ne.* Ergo hoſpitalia etiam in adminiſtrationem data ſecularibus, ſunt beneficia.

Minor eſt neganda, quia beneficiorum nomine, quorum eſt euulganda ceſſio, per conſtitutionem dictam Gregorij, non intelliguntur alia, quam quæ propriè ſunt talia, ex Gomeſio *q.7. de triennali poſſeſſione*, qualia ſunt, quæ ex Apoſtolica, vel ordinarij collatione canonica obtinentur, in quibus Xeno-

dochia nemo numerauerit, cum ad eorum regimen admouere idoneos, ſit populi cum conſenſu Epiſcopi, ex Choppino *tit. 5. lib. citati de ſacra politia.*

Sed enim (inquies) ſi non ſunt beneficia, cur illorum publicanda eſt reſignatio?

Nempe vt ordinarij habeant, à quo bonorum diſpenſatorum rationem exigere ac repetere valeant, vt eos facere Trident. *ſeſſ. 22. cap. 4.* imperat 2. vt Coloni intelligant, apud quem res pauperum & agrorum ſibi creditorum annua vectigalia deponant: Iuxta Felinum *in cap. cum delicta de reſcriptis*, Flam. *citatam num. 56.*

QVÆSTIO XV.

An Leproſorum domicilia, ſint Beneficia.

Leproſorum hoſpitia pari ſunt metienda iure, quo Xenodochia, ſuſcipiendis peregrinantibus deſtinata: quare vt iſtorum ſunt latifundia, cenſuſque, inter opes Eccleſiaſticas, ita & illorum.

Secundo, vt morticinij iure, Noſocomiorum bona gaudent, ita & Leproſariæ.

Tertiò, vt illorum Oeconomi rectoreſque exiſtunt vrbis ciues, in qua ſunt egenis nutriendis extructa, ita eorundem curatione ac opera, publica reguntur leproſorum domicilia.

Quarto, vt rei per ſe adminiſtratæ pauperum, quotannis Noſocomij rectores decreto Curiæ rationem Epiſcopo, ac ciuitatum Decurionibus reddunt, ita & leproſorum Curatores, magno Franciæ eleemoſynario aut eius Vicariis.

An autem huiuſmodi hominibus Oratoria, ſacro Miſſæ ſacrificio audiendo extructa, ſint beneficij Eccleſiaſtici titulo inſignita, iam eſt videndum, miſſiſque opinionibus variorum variis,

Dico, *Communiter non eſſe.*

Ratio eſt, quod ad ea Clerici inſtitui ab Epiſpoco non ſoleant, quod ad ſacrum eorum miniſterium ab adminiſtratore delecti, non ſint perpetui, cum ab eo ſi officio non fungantur, deſtitui poſſint, quod de reditibus, qui ſunt nutriendis leproſis attributi, in vſum Sacerdotis, qui illis autem dat confitentibus in Paſchate, aut præſentibus ſacrum dicit, pars tantum cedat aliqua non omnes, quæ ſunt eius rei in qua verſamur, argumenta non leuia, rem nempe beneficij nomenque leproſariis non poſſe cum ratione tribui. Quod ſi ſunt forſan aliquæ ea fundatæ lege, vt qui Sacerdos adminiſtrandis ſibi Sacramentis præſidet, eas poſſideat in titulum, regatque proinde pari more ac iure, quo à beneficiariis beneficia regi ſolent in Dei Eccleſia, tunc quin hoc

A cis nomen, iſque illo ſignificata competat, negatum non ibo, qua de re, ſi vnquam dubitandi ſe locus dabit, conſulendæ erunt erecti Oratorij teſtes literæ, priſca maiorum conſulenda conſuetudo: nam ſi nunquam non fuit, quin ad ſacri in prædicto loco miniſterij functionem, à Patrono, Clericus Epiſcopo oblatus fuerit, & ab iſto inſtitutus, aut ſine præſentatione vlla Patroni, ab eodem Epiſc. de eadem cum vacaret, dignus aliquis prouiſus, erit capella in leproſorum facta vſum, tituli appellanda nomine, non aliter: ita Greg. *li. 15.*
B *ſyntagm. cap. 21.*

QVÆSTIO XVI.

An Beneficia manualia quæ religioſis dari ſolent, vere ſint beneficia.

Manualia beneficia nomino cum Petro du Clos in *qu. 11. lib. 2.* Flamminij *de reſignatione num. 1.* beneficia quæ ad nutum ſunt ſuperioris relinquenda, ſeu quæ quoties
C ei eſt placitum, poſſeſſori adimit, ſuntque ideo iſtius obitu, aut conferentis voluntate, ac retractatione vacantia: Gloſſa *in Clement. quia regulares de ſupplenda negligentia Prælatorum*, Rebuff. *in praxi tract. de diſpenſatione cum regularibus facta num. 41.* & in decretali, *cum ad Monaſterium 6. de ſtatu Monachor. & regularium* dicitur quod alicui committi obedientia non debeat, *perpetuò poſſidenda, tanquam in ſua ſibi vita locetur, ſed cum oportuerit amoueri, ſine contradictione qualibet reuocetur.* Suntque eius generis beneficiorum duo genera, quædam regularia, ſecularia alia, illa ſolis committenda ſunt Monachis, vt Eleemo-
D ſynaria, Theſauraria, Sacriſtia, Celeriatus & ſimilia de quibus, Gloſſa *Clementina 1. de ſtatu monachor. parag. ad hæc*, hæc verò, id eſt ſæcularia, ſæcularibus danda ſunt Clericis, vtraque autem, an vera ſint beneficia ambigitur.

Et opinio Flaminin. *de reſignatione lib. 2. q. 11.* Rebuff. *tract. de nominationibus q. 9. nu. 25. & de diſpenſatione cum regularibus n. 41.* eſt affirmans.

Aliorum vt P. Gregor. *de beneſic. Eccleſ.*
E *cap. 11. num. 17.* negans.

Prior eſt veriſimilior, & probatur, ſunt manualia, peræque ac quælibet alia beneficia, ius percipiendi reditus ex re ſacra, ob officium ſpiritale, ergo beneficia.

At non ſunt (inquies) perpetua, quod tamen beneficium exigit.

Reſpondeo primo, eſſe aptitudine eiuſdem naturæ, cum verè perpetuis talia, *quia poſſunt remanere apud eos, quibus ſunt conceſſa, quoad vixerint permittente Abbate*, Guymierius *ad rubr. de collat. parag. item quod Parochialis*

chiali, Bleyanus *in Theoria tract. de manualibus & temporariis beneficiis*, Garcias *de benef. par. 1. cap. 2. num. 79.* quod ad veri beneficij rationem ſatis eſſe, docet Flammin. *qu. proxime citata num. 5.* dicitur enim perpetuum, quod certo tempore non limitatur, etiamſi detur ad beneplacitum ſuperioris Guymier. ſupra.

Deinde etſi conſuetudine effici nulla queat, vt beneficium manuarium ſit irreuocabile atque perpetuum, ſi Rebuff. eſt fides *de pacif. poſſeſſ. num. 277.* quia in actionibus quæ meræ ſunt facultatis, mos inuehi ac induci nulla valet, hoc eſt, conſuetudine induci nullus poteſt, vt ſi Abbas non eſt vſus poteſtate, quæ ei inerat, reuocandi beneficii, quod eſt natura ſua manuale, per hanc omiſſionem tale eſſe deſinat, vt ſcribunt Panorm. *in cap. ad noſtram, & in cap. Ioannes de Clericis coniugatis*, ex quo Doctores inferunt quod cum in ſolius Abbatis poteſtate ſit poſitum, religioſum ſuum loco mouere: nullà effici conſuetudine poſſe, vt beneficium quod eſt manuale, ſit irreuocabile, nihil tamen vetat, manuale fieri perpetuum eſtque vere eiuſmodi, cum à Papa, religioſo ad vitam traditur, Panorm. *in cap. inter Romanum de electione*, Rebuff. *de pacificis num. 281.*

Secundo cum collati ab ordinario, confirmatio à Pontifice petitur, & obtinetur, Du Clos *in comment. ad qu. 11. lib. 2.* Flam. *num. 1.* Rebuff. *de pacific. num. 279.* Bleyan. *ſupra num. 21.*

Ratio eſt, quod quando à Principe conceditur beneficium, pleno cenſeatur eſſe iure conceſſum: per hoc tamen non mutat naturam ſuam, *ſed eo vacante reaſſumit ipſam*, Rebuff. *ſupra.*

Reſpondendum ſecundo, Minorem falſam eſſe, ſempe intrmiecum ac eſſentiale beneficio eſſe, quod ſit actu perpetuum, nam Abbatiæ tam virorum, quam Monialium, vera ſunt proprieque dicta beneficia, & tamen hac Cœnobitarum, Regiſque voluntate, ac conſenſu, in ordine S. Benedicti, reforformationis caſæ Benedictinæ, ſuos habēt terminos, triennio præſtitutos, ſunt & Monialium Abbatiſſæ, omnes in Italia, erantque olim inſtituto Caroli IX. Gallorū Regis, temporariæ, huic enim dum viueret, ad religioſæ inter eas modeſtiæ, demiſſioniſque conſeruanda decora, viſum eſt ſuo imperio facere, vt earundem ſuffragiis, euoluto triennio, Abbatiſſa noua ſublegeretur antiquæ, quæ Cœnobium regeret, eique cum authoritate ius diceret, P. Gregor. & Choppin. *lib. 2. de domanio titulo 10. num. 20.* Regis decretum confirmauere habita Aurelijs publica regni comitia his enim placuit, vt poſthac Abbatiſſæ & Prioriſſæ eſſent, adueniente vacatione, triennales ex Veſtalium ſeu Monialium electione.

Verum enim, mos hic in Gallia, diu non

A tenuit, Henrico III. hoc ſuffragandi onere eas eximente, per ademptionem ſuffragij iuriſque ad electionem illis ante conceſſi, quod ad ann. 1578. accidiſſe Chopp. eſt author *lib. 1. monaſticon, tit. 1. num. 11.* dicit idem Charondas *lib. 1. cap. 9. pandectarum iuris Gallici*, Du Clos *in Comment. ad Flam. Pariſ. lib. 2. q. 11. num. 1.* non impedit ergo manuarij beneficij temporalitas, vt ſic loquar, quo minus, in veris reponi beneficijs poſſit.

Manuale ſane datur in titulum, Rebuff. teſte *in tract. nominationum qu. 9. num. 26.*

B reſignatur item in fauorem, idque validè, ſi expreſſa fuerit manualitas: alias eſſet reſignatio ſubreptitia, permutatur item cum alio fructuoſe, ſecundum Flamminium *q. 11. lib. 2. de reſignatione num. 6.* quæ duæ res ſolis ac propriis competunt beneficiis, vt probabitur poſtea.

Tertio, obſcurum eſſe aut dubium nulli poteſt, quin Prioratus ſimplex aut conuentualis, tam verè ſit beneficium, quam Monachatus, id eſt, ius conſequendæ Præbendæ in Monaſterio, at hic eſt beneficium, ex Ioanne de Selua *parte 1. qu. 2. n. 56.* Rebuff. *in praxi*

C *part. tract. de beneficiis regularibus num. 6.* Petro du Clos, ad Flammin. *lib. 2. de reſignatione qu. 1. num. 129.* ergo & Prioratus tam ſimplex quam Conuentualis, Rebuff. *ſupra*, ſed vterque eſt manuarius, cum ab Abbatis nutu & voluntate pendeat: verum ergo eſt, quod probare erat animus, beneficia manualia vera eſſe legitimaque beneficia, eaque perpetua; cum perpetuum id ſit quod ſine aliqua temporis limitatione conceditur, at manualia dantur iſto modo hoc eſt tempore præſcripto nullo, ad quod eorum ſe duratio porrigat, non

D vltra.

Confirmatur, pecuniâ ſibi munire aditum in religionem, eſt malum, cum huic operi olim eſſet per Vrbanum IV. adiuncta excommunicatio, vt patet ex *Extrauaganti 3. de Simonia*, quæ tamen, non aliorum eſt criminum pœna, quam quæ ſunt mortalia, vt eſt *in can. nemo Epiſcopatum 11. q. 3.*

Quid? quod extrudi Cœnobio debeat, qui ad illud, non pietatis venit ſtudio, ſed pretio, niſi forte in illo moram vitamque ordinarij licentia, ſinatur agere, quæ ei eſt omnino, ad Præbendæ Monaſticæ iura neceſſaria, Na-

E uar. iudicio *in Comment. 4. de regularibus nu. 25.* Leſſio *lib. 2. de iuſtitia cap. 35. dub. 23. num. 132.*

At huius rei cauſa eſt hæc vna, quod Monachatus ſit beneficium, eſt enim ius petendæ præbendæ regularis, ſeu portionis ordinariæ, ob officium ſpiritale obeundum à Monacho, orando, litando, pſallendo cum cæteris in templo, quæ eſt beneficij communis notio, ex dictis antea, eſt ergo Monachatus beneficium: ergo & manuarium.

QVÆSTIO XVII.

An Prælati & Abbatiſſa poſſint ad nutum, Beneficia Religioſis conceſſa reuocare.

CEnſent ita Doctores non pauci, Nauar. inter alios *lib. 1. conſil. titulo de filiis Presbyteror. conſ. 3.* idque iure communi *cap. Monachi, cap. cum ad Monaſterium de ſtatu Monachor. paragr. tales,* & in *Clem. vnica de ſuppl. neglig. prȩl. & in cap. ad noſtram, & cap. porrecta eod. titulo.* Huius ſuæ opinionis fundamentum hoc habet. Quod religioſus id ambire, ac in ſumma laude ponere debeat, quod ab aliena, id eſt Superioris voluntate pendeat, nec habere nolle aut velle queat.

Sententia oppoſita eſt Aluyni Minimi *de poteſt. Abbat. cap. 6. num. 2.* hiſque ſe tuetur argumentis. Primo, quod ſi ſententia Nauar. vera foret, tantundem ſuperiori liceret, quantùm Papæ, dum ſubditum ſuum quoties hic vellet, ſuo priuare beneficio poſſet, quod eſt abſurdum.

Secundo, quia ab eo titularis, hoc eſt, eius poſſeſſor legitimus, remoueri cum iuſta deeſt caſſa, non poteſt ſine infamia, quam alicui procurare, non vacat crimine: ergo, &c.

Duo tamen ſunt tempora, in quibus à beneficio cui præeſt, reuocari à ſuperiore inferior non poteſt. Primum eſt, cùm Monachus cui tale beneficium eſt à ſuperiore collatum, ſanctam Sedem, vt Abbatis ergà ſe voluntatem ratam habere vellet, ac firmam, interpellare eſt auſus, ita Petrus du Clos in ſuis *commentar. ſuper Flammin. lib. 2. q. 1. n. 1.* his *verbis. Quod de amotione diximus, intellige, ſi iuſta id agendi ſit cauſa. Excipitur tamen, ſi præfectio, Apoſtolica authoritate, ex certa ſcientia ſit confirmata, vt conſt. . t ex Mandoſio in praxi ſignaturæ gratiæ, tit. confirmationes verſiculo confirmatio fol. 40.* Gonzales ſuper regula *Cancellar. 8. de menſibus & alternatiua Epiſc. gloſſa 5. parag. 6.* Hæc ille.

Secundo reuocari ab Abbate Monachus, ac à ſuo manuali beneficio amoueri nequit, cum illud per reſignationem alterius, ſibi in manibus Papæ factam, eſt adeptus.

Probâtur primo, quæ dantur à ſuperiore alicui, hæc eidem, per inferiorem talis Prælati, nequeunt adimi ſine iniuria. Eſt enim facultas, donationis inſtar, quæ autem ſunt in alicuius poteſtate ac manu per donationem veri ac legitimi domini, hæc donatario eripi ſine iniuria nequeunt, cum ſaltem eorum vſu ſic priuetur, quod eſt contra iuſtitiam.

Secundo, Fit collatione Pontificis, beneficium è manuali perpetuum: at quod eſt tale, beneficiario non poteſt ſine culpa adimi: ita vero eſſe, patet. Enimuero Pontifex reſignatione, ideo de manuali beneficio ſuis factam manibus acceptauit, vt firma foret ac rata, quod ipſum reſignans & reſignatarius intendebant: ſcit enim Pontifex, eamobrē manuale à poſſeſſore ſuo reſignari in ſuis manibus, vt eius collatio facta reſignatario, ſit ab Abbate ſuo, quamdiu ipſe reſignatarius viuet, irreuocabilis: ergo, &c.

Adhunc caſum addendus eſt & alter, nempe cum per electionem canonicam, ad manuale beneficium quiſpiam eſt promotus, Gloſſa *in cap. Monachi, verbo non tenentur, de ſtatu Monachor.*

Nec à ſe inſtitutum in beneficio, reuocare Abbas Commendatarius poteſt in Gallia, vt de Vicario & Priore clauſtrali, docet Fabricius *in Theoria titulo de manu. & temporal. beneficiis ad margin. litera K.* niſi quieſt Commendatarius, idem quoque Cardinalis foret.

De iure tamen communi reuocare, ac deſtituere prouiſum à ſe de beneficio Abbas poteſt, ſi eius rei iuſtam cauſam habeat. Aluynus *de poteſt. Abbat. cap. 4.* cuiuſmodi foret, ſi daret libidini operam, ſi bona beneficij peſſundaret, aut tale quid ageret, pro quo à ſuo ſacerdotio amouendus foret, aut ſi etiam pro neceſitate maioris officij, de fratrum conſilio transferendus eſſet alio. Ita expreſſe *canon Monachi 2. de ſtatu Monachorum,* qui eſt ex Lateran. Concil. extra hos caſus non poteſt ſine culpa, manuali ſuo beneficio beneficiatus exui, Nauar. *lib. Conſil. 3. titulo de regular. conſil. 20.*

QVÆSTIO XVIII.

Quænam beneficia ſint Manualia.

IN manualibus beneficiis numerandi ſunt. Primo., Prioratus Cæleſtinorum & Vuillelmitarum, Fabric. *tract. de manualibus & temporalibus beneficiis num. 15.* & Benedictinorum reformationis, Caſæ S. Benedicti in Gallia. Nam hos de triennio in triennium, Vuillelmitas verò poſt quadrienniũ, Abbates autem montis Caſſini expleto quinquennio, mutari, ordinis inſtituto laudabili, Peleus refert *in forenſibus lib 1. actione 9. & 15.*

Secundo, manualis eſt item Operaria regularis, Vicariatus temporalis, Renat. *lib. 3. de domanio tit. 28. num. 6.* Charondas *in memorabilibus verbo Abbates.*

Sunt his adiungendi Primatus Mendicantium, & Carthuſianorum, cum hi definitum nullum tempus habeant, quo durare debeant, aut ſi eſt illis præſtitutum aliquod, eo finito ceſſent, nouumque recipiant poſſeſſorem, niſi ſuperiori aut Capitulo, dictos Priores in eo continuare munere, è re videretur eſſe communi Cœnobij.

Fuere

Fuere olim etiam Monialium præfecturæ manuales, vtpote quæ Caroli IX. voluntate, vt dictum eſt antea, triennales tantum eſſent, ac communibus religioſarum ſententiis eligendæ, iuxta Nicolai V. reſcriptum: ſunt tamen in præſenti perpetuæ, Henrici III. decreto, quod actis Prætoriani concilij inſertum eſſe, circa Seruatoris annum 1578. tradit Renatus *in lib. Monaſt. primo titulo 1. num. 11.* Fuiſſent quoque tales, hoc eſt perpetuæ, ſi vt Carolus ſanxerat, manſiſſent hæ præfecturæ triennales: nam id eſt perpetuum quod in potentia eſt tale, cum eſſe, & fieri poſſe, ſint paria iuxta Reginald. *lib. 30. de beneficn numer. 138.* vbi ait ideo manualia dici poſſe perpetua, quod per vitam beneficiarij poſſint non reuocari, ſi ita ſuperiori viſum erit, quod ad rationem, inquit, perpetui, ſufficit in beneficiis, ex Angel. & Sylu.

Sunt & Fulienſium Prælati, de eorum hominum genere, quorum Præfecturæ, beneficia dici manualia valeant, ſi tamen vera ſunt beneficia, & non potius Officia, cum Henrici quarti benignitate illis liceat, è cœtu ſuo eligere quoque triennio aliquem, in Abbatem Fullienſem, cuius exemplum ſequantur ſuperiores alij eiuſdem Ordinis, & ita magiſtratu ſuo, euoluto triennio exeant.

QVÆSTIO XIX.

Beneficiorum manualium affectiones quæ ſint ac quales.

Est hæc prima, quod in beneficiorum reſeruatione per Pontifices fieri ſolita, comprehendi non ſoleant. Caſſadorus *Conſ. 26. de prabendis*, Rebuff. *de pacific. poſſeſſ. num. 273.* Faber *in lib. 1. Codic. tit. 2. definit. 26.* de Selua *de benefic. parte 3 q. 68.*

Cauſa eſt, quod Pontifex, beneficij naturam mutare velle, illudque de temporali non cenſeatur efficere purpetuum, Flam. *de reſignat. lib. 55. q. 3. num. 95.* quod tamen accideret, ſi quæ beneficia ſunt manualia, hæc reſeruaret, danda bene de ſe, Eccleſiaque, meritis hominibus.

Secunda, quod in iis locum non habeat regula, de annali, aut triennali poſſeſſore, Domini de Rota *in decif. 739. par. 1.* Mohedanus *decis. 169. alias 340.*

Ratio eſt, quod ad nutum ſuperioris, hoc eſt, quando & quoties illi eſt placitum, qui illa poſſident, ab iis amoueri poſſint: ergo cum triennalis pacifica poſſeſſio, ius ad beneficium, poſſeſſori ſtabile ac firmum tribuat, vim hæc, locumque in manualibus habere nullum poteſt: alioqui exacto triennio, manuali ſuo beneficio priuari poſſeſſor non poſſet.

A Tertia, quod manualia publicari oporteat cum ſunt authoritate ſuperioris obtenta: Flammin. *de reſignatione lib. 2. q. 11. num. 3.* Fabricius *de manualib. vnitiſque beneficiis num. 7.*

Ratio eſt, quod verè ac propriè ſint beneficia: ergo vt cætera regulis ſunt Cancellariæ *de infirm. reſignantib. & publicandis reſignat.* comprehenſa.

Quarta, quod eorum, non ſit neceſſario facienda mentio, cum nouum Romæ à Pontifice beneficium petitur, Rebuff. *de pacific. poſſeſſoribus num. 279.* quia quæ ſunt iuris Papæ, exprimi non eſt neceſſe, cum leges, in pectoris ſcrinio reconditas omnes habeat, *de*

B *Conſtitut. in 6. cap. 2.* at quod beneficium ſit manuale, iuris eſt, non facti. Hæc ille.

Quid? quod beneficia declarari Papæ debeant, vt per eum, liceat hæc habere quæ ſibi ſunt inuicem incompatibilia: at cùm manuale poſſideri deſinat exacto certo tempore, non poteſt abſolutè cenſeri incompatibile cum eo quod à Papa petitur, ſed tantùm ſecundùm quid, pro eo nempe tempore quo poſſidebitur: ergo, &c.

Contraria tamen opinio in praxi eſt tutior ac ſequenda.

C Primo, quia talis eſt vſus Romanæ Cancellariæ auctore Flammin. *lib. 10. q. 2. num. 37. & lib. 2. q. 11. num. 7.* Dominis de Rota *deciſ. 29. lib. 1.* qui vſus, cum ſit pro lege, ab eo recedi non debet, ſi fides eſt Cardinali Pariſio *Conſ. 44. num. 17. vol. 1.* Flamminio *lib. 1. de reſignatione qu. 2. num. 8. lib. 10. q. 2. num. 15. lib. 3. q. 5. n. 55. lib. 7. q. 23. n. 10.*

Secundo, qualitates ſunt exprimendæ beneficij quod petitur, omniumque ante poſſeſſorum, alioqui gratia irrita eſſet ac ſubreptitia, ſecundum Decium *in cap. ſuper literis de reſcriptis*, Puteum *deciſ. 97. lib. 2.* Flamm. 10.

D *de reſignat. q. 2. num. 13. & ſequentibus.* At eſt manualitas beneficij, eius quædam qualitas: ergo, &c.

Tertio, de beneficio, quod quis in titulum obtinet, Papæ facienda eſt mentio, cum ab eo nouum poſtulatur, *cap. ſi proponente 42. de reſcriptis*, alioqui collatio eſt nulla, ſic enim in eo canone: his verbis. *Si proponente aliquo non ſe beneficium aſſecutum, ſuper prouiſione ipſius, (licet minus competens obtinentis) reſcriptum Apoſtolicum, de hoc mentionem non*

E *faciens impetretur, illud veluti fraudulenter obtentum, dicimus non valere.* Hæc Pontifex.

At manuale datur in titulum, *Clementina quia regulares 1. de ſupplenda negligentia prælatorum*, appellatur enim abſolutè & ſine addito beneficium, eius ergo particularis facienda eſt mentio in literis, quibus aliud impetratur à Pontifice.

Eſt & altera horum beneficiorum affectio, nempe quod à nominatione Regiâ ſint

exempta in Gallia, Peleus *in foreſ lib. 1. act. 9. & 11.* Choppin. *lib. 1. Monaſticon. tit. 1. nu. 3. & 5.* nec enim cum Monaſteria reformationis Caſæ Sancti Benedicti vacant, aut Prioratus Carthuſienſium, vel Vuillelmitarum, iis auctoritate Pontificis admouendus à Rege offertur aliquis, ſed eligendus cœnobitarum ſuffragiis, ſumma amborum voluntate relinquitur, Regis quidem, qui illis legendorum cuilibet conuentui magiſtratuum, libera comitia eſſe voluit, Pontificis autem, quia id illis quoque bullato diplomate permiſit, Charthuſienſibus quidem Alexand. III. hac verborum formula, *Confirmamus inſtitutiones factas, & faciendas Priorum per Capitulum generale cum poteſtate inſtituendi & deſtituendi Priores*, de Vuillelmitis autem ſic Innoc. ſent. 4. *Obeunte Priore generali veſtro, vel ſuorum quolibet ſucceſſorum, nullus ibidem præponatur, niſi quem fratres communi aſſenſu, vel maior pars conſilij ſecundum Deum prouiderit eligendum.*

Affectio quinta manualium eſt, quod ſint Indultariis, & graduatis indebita, Bleyanus *in theoria tractatu de manualibus & temporariis benefic. littera C. ad marginem*, Peleus *lib. 1. action. forenſ tit. 10.*

Ratio eſt, quod beneficia, indultariis non ſint debita, niſi quia ad ea nominantur à Principe, at ex hypotheſi nulla eſt Regis ad manualia nominatio: ergo.

Secundo, quæ Conſiliariis vi indulti ſui, beneficia conceduntur, eiuſmodi eſſe debent, quæ eis neceſſaria ad vitam ſuppeditent: nam ideo illis Indulta ſunt data vt inopiæ ſuæ conſulant.

At manualia non ſunt eiuſmodi, quia finito tempore ad quod extenduntur, nihil ſupererit, quod in neceſſarios vitæ ſuæ vſus Senatores Indultarij conferant: ergo, &c.

Reliquæ duæ ſunt eorundem beneficiorum affectiones, eæque quemadmodum duæ proxime præcedentes, ſolius Galliæ propriæ.

Prima, quod ſine iuſta cauſa, religioſo adimi à ſuo ſuperiore nequeant, Rebuffus expreſſe *in tract. de pacificis poſſeſſoribus num. 331. &* & *275. & in tractatu de nominationibus num. 25.* P. Gregor. *in partit. iuris lib. 1. tit. 27. cap. 6.* Du Clos *ad lib. primum*, Flammin. *qu. 11.* Gloſſa *pragmaticæ Sanct. parag. & idem ordo verbo perpetuis, tit. de collationibus*, cuius ego moris vnicam eſſe cauſam exiſtimo, nempe quod religioſo vis fieri videatur ac iniuria, cum ei res ſua adimitur ſine cauſa: quare cum ad Senatum appellaſſet olim Monachus quidã quod eſſet à Superiore deſtitutus, eius ſententia ad priorem eſt ſtatũ quaſi poſtliminio reſtitutus, ſi Rebuff. eſt fides *de pacif. poſſeſſ n. 331.* quod nõ obſeruat Italia, vbi quandocunque Abbati viſum erit, ab eo reuocari

A Religioſum poſſe, ſcribit Decius *in cap. ad noſtram num. 7. ext. de reuocatione vtilium.*

Secunda, beneficij manualis affectio, eaque Galliæ propria, in eo c[illegible]uod quibus in locis, inquit P. Gregor. proximè citatus, reformatio, probante Rege eſt cœpta, manuale ne quidem indulgentia, Romani Pontificis, (vt ait) perpetuum eſſe queat, in reformatis Galliæ Monaſteriis, in quo à iure nos communi diſcedere vel hinc fit planum, quod quæ beneficia, à Papa dantur alicui, hæc ei arbitratu inferioris Ordinarij, non poſſint

B adimi. Flammin. *lib. 2. de reſignatione q. 11. n. 8. & ſequentibus*, Rebuffus *de pacificis n. 279.* quia ab inferiore ſuperiori ius dici non expedit: quod tamen fieret, ſi quæ beneficia perpetua Papa eſſe voluit, hæc per conuentum ad hæc, aut illa reuocarentur tempora, quibus exactis, his exuendus poſſeſſor legitimus foret.

Ab ea tamen excipi lege Beneficia quæ Benedictinorum ſunt propria, ſcribit Gregorius, *ſupra, litera N. ad marginem*, his verbis: *Si manualis beneficij conceſſio fuerit, ex certa ſcientia ſummi Pontificis confirmata, non*

C *poterit adimi poſſeſſori, ex ſolo nutu, & arbitrio Abbatis, quia princeps intelligitur concedere pleno iure, & in perpetuum: lege beneficium de conſtitutione principis, exceptis Monachis S. Benedicti, quibus nihil prodeſt in iſtis beneficiis confirmatio Pontificis, quo minus à ſuis Prælatis amoueri poſſint.*

Infertur hinc, quod (notauit etiam Rebuffus *ſupra*) manualia dupliciter fieri perpetua. Primo collatione Pontificis. Secundo, cum authoritate ſua, calculoque, eorum collationem ab Abbate, certo cuipiam homini fa-

D ctam, confirmat & approbat, P. Gregor. *ſupra* Nicol. de Mil. *in ſuo repertorio in verbo beneficia manualia per Papam*, P. Mandoſius *in praxi ſignaturæ gratiæ tit. Confirmationes*, Hieronym. Gonzal. *ſuper regula 8. Cancellariæ de menſibus & alternatiua Epiſcoporum Gloſſ. 5.*

Cauetur tamen (verba ſunt P. Gregor. ſupra) *ne huiuſmodi prouocationes in Gallia, à Monaſterijs religionum reformatarum recipiantur, ne ea via detur aditus diſſoluendi diſciplinam ordinis, & neruum Eccleſiaſticæ religionis.*

E Quæ ergo cœnobia, vt dicebam paulo ante, ad antiquum ſplendorem ſtrictiori vitæ genere, primæque obſeruatione regulæ, remigrare ſatagunt, eiuſmodi manualis beneficij confirmationes nec petunt nec per Papã factas, recipere niſi iuſſa volunt, Bleyanus ante citatus *lit. G. ad marg.* Rebuffus *n. 279. verbo quod intellige.* Eſt hæc ſane fori conſuetudo laudanda non ſatis, Monachos beneficio manuali præfectos, Abbati peræque addicere, ac ſi hoc in eos meritum, ſolius Capituli, beneficium eſſet, ab eoque proinde re-

uocandum

uocandum cum luberet, Officia, certe regularia perpetua ne forent in reformatorum ædibus, ſed temporaria, magna eſt eorundem conſtitutum prudentia, cur non & beneficia?

QVÆSTIO XX.

An officia Eccleſiaſtica tam regularia quam ſecularia ſint beneficia.

Officiorum duo ſunt genera: quædam ſunt pure clauſtralia, vt Cameraria, Cellaria: Infirmaria, quæ non niſi Monachis adminiſtranda dantur à ſuperiore aut conuentu. Alia ſunt ſæcularia ac Canonicis conferri ſolita, vt Theſauraria, Sacriſtia, &c. Eſt autem officium adminiſtratio rerum Eccleſiaſticarum ſine iuriſdictione, Rebuff. *in Concord rubr. de collat. parag. prælatique ordinary.*

Prima aſſertio, *Eſt officiũ Sacriſtæ, ſeu Theſaurary vere & proprie beneficiũ*, indicat Boniſac. VIII. decretali 1. de *conſuet.* in qua hic Pontifex prohibet ne *vlli liceat de cætero niſi vnicum perſonatum vel dignitatem vel adminiſtrationem, vel officium perpetuum cum præbenda, in ſimul abſque diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ, in eadem Eccleſia obtinere*, cuius rei, cauſa, non eſt haud dubie alia, quam quod officium ſit beneficium, eſt ergo pro tali habendum.

Secundò, non eſt nominatio, ſeu ius Patronatus, propriè niſi de beneficio, ſed in Concordatis *titulo de collationibus parag. præfatique ordinary*, iubẽtur graduati ad ea nominari per ordinarios, & promoueri, vt indicant hæc verba, *præfati ordinary collatores, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, & officia ad eorum collationem, promiſſionem, nominationem pertinẽtia, graduatis huiuſmodi qui literas ſuorum gradnum cum tempore ſtudy inſinuauerint, conferre teneantur*: ergo cum graduatis non debeantur niſi beneficia, nec vi gradus nominentur ad aliud, officia ſi non omnia, ſaltem aliqua ſunt beneficia.

Tertio, *in clement. 1. de ætate & qual. ordinandor*, numerantur officia inter beneficia, cum qui ea poſſident iubentur ad ordines promoueri intra annum, *ex tunc donec ad eos promoti fuerint, nullo modo vocem in capitulo habituri*, quod etiam Trident. cum præcipiat, *ſeſſ. 22. cap. 4.* nec aliis ius ſuffragij in Capit. competat, quam beneficiariis, officia in beneficiorum numero ſunt ponenda.

Sanè in beneficiis ſimplicibus numeratur officium, quod definitur, Canonicatus cui adiuncta eſt adminiſtratio rerum Eccleſiæ ſine iuriſdictione, ſecundum Ioann. de Selua *tract. de beneficiis 1. parte q. 2.* Flammin. *lib. 1.* *Coraſium 4. parte cap. 3. n. 8.* & eſt de Celeraria textus apertus *in cap. dilecto 52. ex tra de præb.* vbi inter Canonicatus Trecenſis Eccleſiæ numeratur, at eſt Canonicatus ſicut & præbenda quælibet beneficium, ergo & officium.

Secunda aſſertio, *Officia regularia, etſi ordinarie non ſint beneficia, ſunt tamen in Gallia.*

Pars prima expreſſe defenditur à Fabricio *tractatu de officiis n. 5.* & probatur primo, non ſunt eiuſmodi officia, diuini cultus cauſa inſtituta, ſed ex conſequenti tantum: non ſunt ergo communiter beneficia, cum de eorum ſit ratione, vt Deo gloriam concilient, eiuſque honorem ac cultum, primo & per ſe promoueant, vtpote quæ pro obiecto ſpirituale officium habeant, in cuius procuratione beneficiarij induſtria occupari tota debet. Quod autem eiuſmodi officia, non ſint primo & per ſe diuini cultus cauſa inſtituta, patet hinc vel maximè, quod ſæcularia procurent, quod res domeſticas ſæpe ſibi commiſſas habeant, quibus inuigilent, ne dilabantur ac pereant, quod ne quid Religioſis in victu, ac veſtitu deſit, operam dare debeant, vt Celeraria.

Equidem ab Vrbano V. in Antoniano Allobrogum Cœnobio, Operarij clauſtrale munus inſtitutum conſtat qui templi tarta tecta procuraret, clauſtri, officinarumque Monaſticarum ædificia, ſimul cum hoſpitali ægrorum diuerſorio, in eum vſum aſſignata præceptoria Vapincẽſi, cum annuis eius prouentibus, non ſunt ergo officia clauſtralia omnia, ad Dei gloriam, cultumque, primo & per ſe in Monaſteriis frequentari cœpta.

Omnia dixi: nam id vnum pro fine quibuſdam ſpectare non eſt ambiguum, Deo laudem ſcilicet in cantu, ſacrorum ceremoniis vt exhibeant, ita Capiſcoli ſeu Cantoris officiũ clauſtrale in Antoniano Monaſterio Viennenſi, aliiſque eiuſmodi, in eo verſari nemo dubitat, vt chori cantum moderetur ac regat, cæteraque, quibus ex præcepto Eccleſiæ pietas erga Deum, ſanctoſque augetur ac creſcit, ſeruãda in diuino officio curet, quas res ex fine, primo, per ſe & immediate, ſpirituales eſſe quis non videt? erunt ergo eiuſmodi officia, ſi illis reditus aliqui annexi erunt cum eorum poſſidendorum iure, beneficia, eaque Eccleſiaſtica.

Talia eſſe vt credam, duæ me res impellunt.

Prima, quod Innoc. III. *in cap. dilecto filio 25. de præbendis*, agnoſcat Cellerariam in manibus Archiepiſc. Remenſis qui tum Legatus erat reſignatam eſſe, ab eoque illi collatam, cui conferri ac dari reſignanti placuerat.

Secunda, ſunt Officia regularia Theſaurarij, Sacriſtæ, & Eleemoſynarij v. c. in menſibus, collationi ſuæ repoſitos eſſe vult Ordinarius, eaque graduatis non neganda, cum iis menſibus vacant, quos iiſdem Pontifex

ſeruatos eſſe voluit in Concord. *rubrica de collationibus*, ſunt ergo in beneficiis cenſenda, nec enim nominationes ab vniuerſitatibus emanatæ (vt aiunt) impropriè dicta beneficia continent, *parag. ſi autem illi, & ibi*, Gloſſa *in verbo Beneficium parag. item quod vniuerſitates, & verbo beneficium rubrica de collationibus in Pragmat. ſanct.*

QVÆSTIO XXI.

An Præceptoria Cathedrales, Perſonatus & Patrimoniales Præbendæ, ſint vera beneficia.

SVnt Perſonatus in Eccleſiis Cathedralibus aut Collegiatis beneficia, quæ præeminentiam in choro aliquam, Capitulo aut proceſſionibus publicis habent, ſine iuriſdictione tamen in Clericos aut ſæculares vlla.

Sunt & Perſonatus, authore Nauarro *tom. 1. conſiliorum lib. 3. conſil. 8. de iure Patronatus num. 1. & 12. iuxta ſecundam editionem, & to. 2. lib. conſil. 11. de Simon.* ſimplicia beneficia, quæ tandiu durant, quandiu perſona non amplius, ſeu quorum terminus ac finis eſt idem, ac perſonarum quarum cauſa ſunt hæc approbante Eccleſia inſtituta, & de his duntaxat quæritur an ſint beneficia, nec enim alibi ſunt in vſu, quàm Hiſpaniâ.

Cauſæ dubitandi duæ: prima quod beneficium, vtpote ſpiritale quoddam ius, *cap. dilecto 25. de Præbendis*, eſſe ſine authoritate Eccleſiæ non poſſit, *de inſtitutionibus cap. 3.* ſine qua ſacrum nihil eſt, ac religioſum, *can. adhæc de religioſis domibus*, cùm tamen hæc beneficia, authoritatem exigere non videantur aliam, quàm priuati, à quo certa certo homini bona addicuntur, futura eo mortuo Eccleſiæ, impendenda tamen in opus ſalutare, ac pium.

Secunda, quod non ſint hi perſonatus perpetui, vt qui morte poſſidentis finiri ſoleant, cum tamen ſit iure Eccleſiaſtico ſic annexa beneficiis perpetuitas, vt ab iis ſit inſeparabilis, ex dictis antea.

Nihilominus in eorum ire ſententiam Nauarro placet, qui pro huiuſmodi perſonatibus ſcripſere, eos certè Nauarro teſte *loco citato*, Tarracon. Synodus & Hiſpani approbauere Doctores multi, à quibus etiam, beneficiis eorundem legibus ſunt accenſi, ob cauſas ſequentes.

Prima: quod à Synodo prædicta appellentur eo nomine *in cap. 6. de conſtitutionib.*

Secunda, quod poſſideri niſi à Clericis ſæcularibus aut regularibus nequeant.

Tertia, quod commutari poſſint ac reſignari: commutari quidem cum beneficiis aliis, reſignari autem Clericis, quæ ambæ res indicant eiuſmodi perſonatus, ſpiritalia eſſe beneficia cum temporaria beneficiis commutari poſſe nemo aſſerat.

Quarta, quod vacerit per matrimonium, cuius effectus cauſa, haud dubiè non eſt alia, quam quia ſunt beneficia, quorum coniugatus eſt incapax, *cap. quod à te de Cleric. coniugat.* Hæc Nauar.

Eſt vtraque ſententia probabilis, præ priore tamen poſterior, quam auctoritate Nauarri fretus ſequi qui volet, argumentis

Reſpondebit, primo quidem, negatione minoris, nam hoc ipſo quo concilium eiuſmodi perſonatus approbat: inſtituere eos quoque cenſetur in beneficiis, cum eorum approbatio, tacita ſit eorundem, cum hoc effectu creatio.

Secundi reſponſio ex antedictis eſt facilis.

Primo enim dici poteſt, perpetuari poſſe etiam vltra habentis vitam, quod ſufficit, vt beneficium dici poſſit perpetuum.

Secundo, cum dicitur beneficia perpetua eſſe oportere, id nonniſi de iure intelligendum eſt communi, ex Nauar. *ſupra num. 17.* non extraordinario, cum Papæ authoritate, poſſint eſſe certo definita tempore, per *cap. ſi gratioſe 5. de reſcriptis in 6.* his verbis: *Si gratioſe tibi à Romano Pontifice concedatur vt beneficia quæ tempore tuæ promotionis obtinebas, poſſes vſque ad ſuæ voluntatis beneplacitum retinere, huiuſmodi gratia per eius obitum expirat*, cum enim beneficium illud vere ſit ac dicatur temporarium, cuius non alij ſunt termini, quam qui vitæ ſunt beneficiarij præſtituti, non poteſt illud non eſſe tale, quod definitur vita Pontificis, quandoquidem diem obire ſuum hic prius poſſit, quam beneficiarius; & tamen datum à Pontif. beneficium ad tempus, non deſinit eſſe vere tale, cum ergo dicitur oportere eſſe perpetuum, id de iure eſt communi, & non extraordinario intelligendum.

Ad præceptorias quod attinet reſpondendum eſt cum diſtinctione, aut enim, ſermo eſt de Antonianis, D. Ioann. ad Hieruſalem, vel de iis, quibus iuuentutis inſtitutio eſt commiſſa. Quarum rurſus duæ ſunt ſpecies, priori nomen eſt Theologali, quod qui ea ſit inſtructus, docendæ ſit Theologiæ præpoſitus, quod cũ facere eſt neceſſe, bis aut minimum ſemel in hebdomada, vt in concordatis præcipitur *de collationibus parag. 1.* & quidem per ſe, & non ſubſtitutum, Rebuffus *in citatum locum, verbo quæro an poſſit.*

Primo, quia ſubſtituere ſibi poſſet in idoneum, quod in Eccleſiæ damnum vergeret.

Secundo, quia de faciendo, per ſe ſuo munere & non per alium, tacita quædam cum inter, & Eccleſiam, quæ ei hanc prouinciam detulit, interceſſiſſe videtur pactio: electi enim quæritur induſtria, non ſubſtituti, vt dicemus

poſtea

poſtea cum de reſidentia incidet mentio.

Præceptoriarum ſpecies altera, minoribus eſt in ſcholis occupata, nempe in docendis humanioribus literis, eique muneri præſtitutus olim erat Canonicus, cui nomen erat Scholaſtici, modo alij, tam profani, quam ſacri homines, hoc munus nullo diſcrimine obeunt, qua ex differentia, facilis eſt quæſtionis propoſitæ, obuiaque intelligentia, quam tamen perſpicuitatis gratia, ſequentes aſſertiones explicabunt.

Prima aſſertio, *Præceptoria Theologalis verum eſt propriumque beneficium.*

Primo, quia eſt ius colligendi reditus, ob ſpiritale officium, ei adnexum, quæ duo tantum, beneficij notio continet, eſt ergo præceptoria beneficium.

Maior probatur, eſt præbendæ cuilibet ius redituum Eccleſiaſticorum, officiique ſpiritalis obeundi miniſterium adiunctum, imo eſt ipſum ius, ex Rebuffo *in concordatis tit. de collationibus parag. 1.* & cum late ſumitur, ipſummet beneficium, ac dignitas ſecundum Ioan. de Selua *in tract. de beneficiis 1. parte qu. 3.* At eſt præceptoria Theologalis è præbendis Cathedralis Eccleſiæ aut Collegiatæ vna, eaque non vltima, ſic enim expreſſe nominatur, in Concordatis *tit. de collationibus parag. Statuimus inſuper quod ordinarius collator, in vnaquaque Cathedrali ac etiam Metropolitana Eccleſia canonicatum & præbendam Theologalem inibi conſiſtentem conferre teneatur vni magiſtro.*

Secundo, eadem ſunt Theologi onera, quæ alterius cuiuſlibet beneficiarij, tenetur enim ad reſidentiam, diurnumque horarum penſum, nec enim eſt ei deſtinata præbenda, lege Concordator. concedenda, *niſi onus reſidentiæ, lecturæ, ac prædicationis actu ſubire voluerit,* Concord. *ſupra.*

Quid? quod permutatio Theologalis præbēdæ, aut reſignatio eiuſdem, ei eſt, ordinario non probante, vetita, quæ omnia competere beneficiis, non rebus aliis nemo neſcit, eſt ergo Theologalis præbenda, beneficium.

Secunda aſſertio, *Eſt Præceptoria magiſtralis ac Scholaſtica referenda in beneficiorum numerum, hoc enim nomine appellatam eam à Rege video:* eſt hoc eius præceptum *in artic. 9. ſtatuum Aurel.* vt præbenda vna præceptori tribuatur, cum obligatione docendæ in ſcholis pueritiæ.

Secundo, qui Canonici ſunt præbendarij, iidem quoque ſunt beneficiarij: ergo ſi præceptoria Scholaſtica, præbenda olim erat, & Canonia, erat etiam beneficium: ſed verum eſt prius, ergo & poſterius.

Maior eſt certa, etſi enim Canonia, quæ præbendæ non cohæret, ſed tantum eſt ad tempus, qualis deſcribitur *in cap. cui cap. ſi Clericus de præbendis in 6.* & à Papa, ad effectum A obtinendæ dignitatis, conſtituitur, non ſit fortè beneficium, quia prouentibus annuis, religioſis ac ſacris caret, ſine quibus communis eſt opinio beneficium proprie nullum eſſe, nemo tamen negauerit, eam cum eſt coniuncta præbendæ, pro beneficio habendam eſſe, quia ei beneficij affectiones omnes conueniunt, maxime vero ius colligendorū redituum, ſacræque functionis exercendæ: ergo ſi erit præceptoria Scholaſtica canonia præbendata, ei quoque res erit, ac notio tribuenda beneficij. Talem vero eſſe ſcriptores docent, Charondas *lib. 10. reſponſ. cap. 13.* May- B nard. *lib. 1. q. 14.* Fabricius *in theoria tractatu de confratriis nu. 8. & littera D. ad marginem.* Eſtque his verbis, *in artic. 9. Aurelian. ſtatuum: Entre ladite Prebende Theologale, ou le reuenu d'icelle demeurera deſtiné pour l'entretenement d'vn Precepteur.* Sane Scholaſtici, canonici omnes olim erant, ac dignitate inter eos conſpicui, quod nomen ab iis quoque modo eſt cum honoris præcellentia, ſeruatum, eos Galli, lingua ſua appellant, *Eſcholaſtres*, quorum eſt hoc in præſenti munus inſtituendæ per alios pueritiæ, curam gerere, C ſcholis publicis dignos præficere, vt partes ſuas fideliter ac ſtrenue expleant, operam dare.

Pars aſſertionis altera ſequenti aſſertione explicabitur.

Tertia aſſertio, *Præceptoriæ, promiſcue tam Clericis, quam profanis hominibus committi ſolita, etſi reditibus ſacris ſint ornata, tamen non ſunt beneficia.*

Primo, quia de ratione beneficij eſt functio ſpiritalis, at talem præceptores ſi nullam habent.

D Secundo, eſt beneficium res quædam ita poſſeſſoris ſui propria, vt ea ſine cauſa, ab Epiſcopo priuari nequeat: at eſt horum præceptorum deſtitutio, permiſſa Epiſcopo, & Scabinis, ordinatione Aurelianenſis Comitij *art. 9.*

Tertio, Etſi Papæ beneficentia, beneficiorum collatio, in Laici iure eſſe poſſit, quo priuilegio gaudere Reges Franciæ, ſcripſere è noſtratibus Graſſalius & Ruzæus, de Apuliæ Principe, Nauar. *to. 1. conſiliorum lib. 3. conſil. 8. de iure patron. num. 10.* Gloſſa *in canon. im-* E *perium diſt. 10.* populo tamen aut alicui de turba, vt Scabinis aut Conſulibus nunquam id fuit licitum. Sane, ad clamorem electus populi, vetatur confirmari à Prælato *cap. ſuis de elect. capite autem auditis 29. eiuſdem tit. de electione*, fit mentio capituli, tanquam eius, ad quod ſpectet hæc actio, *cap. Maſſana 56. eodem tit.* Pontificis per Laïcos, & Canonicos, facta electio dicitur eſſe irrita, etſi conſuetudo id exigerit populi inueterata. At iſtorum magiſtrorum de quibus eſt hic ſermo, tam nominatio, quam electio, Epiſcopi eſt cum Ca-

pitulo, ac Scabinis vrbis, vbi docere debet: Chenutius *in addit. ad Papon. lib. 1. tit. 3. arreſto* 1. Forget. *de perſon. Eccleſiaſt. cap. 46. nu. 6.* Mayn. *lib. 1. q. cap. 13.* Bleyan. *in Theoria tit. de confratriis littera E. ad margin.* Eſtque his verbis *in artic. 9.* ſanctionis factæ Aureliis, *Lequel Precepteur ſera eſleu par l'Archeueſque, ou l'Eueſque du lieu, appellez les Chanoines de leur Egliſe, les Maires Eſcheuins, Conſeillers de la ville, & deſtituable par ledit Eueſque, par l'aduis des ſuſdits.*

Quarto, ſi qui Scholaſticis reditus aſſignantur, ſunt profani, id eſt, non neceſſario præbendæ cohærentes ac annexi, non eſt præceptoris magiſtratus, quo illi funguntur in ciuitatibus, ſacer, nec beneficij proinde appellandus nomine; verum eſt prius, enimuero in optione Capituli eſſe, dare præbendam Scholaſtico, aut reditus ei æquiualentes, declarauit Pariſienſis Curia aduerſus Præceptorem Abbæuillanum anno 1569. Charonda teſte *lib. 5. reſp. cap. 61.* Chenut. *in additionibus ad Papon. lib. 1. tit. 3. arreſto* 1. Guenois *in dict. librum primum tit. 3. num. 45* Bleyan. *de confratriis lit. F, ad margin.*

A Tholoſana vero ſtatutum memorat, Maynard. *lib. 1. q. cap. 10.* vt è præbendis canonicorum Albienſium ſingulis, tantum *detraheretur, quantum ſufficeret vt inde detracta ſumma præbendæ vnius obuentiones annuas æquaret,* & in Trident. *ſeſſ. 5. cap. 1. eſt quod magiſtro grammatices alicuius beneficij ſimplicis fructus ſunt aſsignandi quos tandiu percipiat, quandiu in docendo perſtiterit,* non ſunt hi ergo ſacri neceſſario.

Quarta aſſertio, *Præceptoriæ S. Antonij vera ſunt beneficia,* Flamminius *lib. 2. q. 14. nu. 9. & lib. 12. qu. 3. n. 8.* Corſetus *conſ. 66. nu. 2.* Du Clos *in 2. lib* Flam. *q. 14.*

Primo, quia ſunt ius percipiendi redditus ob ſpiritale officium; vt patet, cum magnæ in annos ſingulos, cedant his præceptoribus obuentiones Eccleſiaſticæ, pro obligatione horarum, ac miſſæ.

Secundo, quia continentur regula de infirmis reſignantibus, ex Flammin. *lib. 12. q. 3. n. 8.* quare vacant, niſi 20. diebus, ab earum reſignatione facta, reſignans ſuperuixerit, vt reſpondere Domini de Rota, die 14. Nouem. ann. 1548. at in ſolis beneficiis, habet locum hæc regula, vt ex his Sixti V. verbis ſit planum, item voluit, *quod ſi quis in infirmitate conſtitutus, reſignauerit aliquod beneficium, ſiue ſimpliciter, ſiue ex cauſa permutationis, vel alias dimiſerit, &c.* & poſtea, *quod ſi intra 20. dies à die per ipſum reſignantem præſtandi conſenſus computandos, de infirmitate deceſſerit, ipſum beneficium, per obitum vacare cenſeatur.* Verum eſt ergo, quæ regula comprehenduntur de infirmis, vera eſſe beneficia.

Et quanquam non eſſet, eſt tamen, vnde A aliunde fieri aſſertioni fides queat. Enimuero eſt Abbatia titulus, ſeu beneficium, at eſt Antoniana Præceptoria Viennenſis Abbatia, quæ enim ante Clem. VI. tempora Prioratus tantum nomen habebat, ab eo eſt in Abbatiam erecta ann. 1345. in Bulla autem à Xiſto IV. anno 1477. data ad Magiſtrum ordinis, ei prohibetur Præceptorias, quas beneficia nominat, alteri quam regulari conferre. *Beneficia,* inquit, *quibus imminet cura animarum non conferantur niſi expreſſe profeſſis & conſtitutis in legitima ætate & quod plura non poſſit* B *obtinere in ordine ſine diſpenſatione,* quo qui clarius.

Quinta aſſertio, *Etſi Præceptoriæ S. Ioannis Hieroſolymitani, non ſint in quorundam opinione beneficia,* vt Bertrandi *conſ. 140. vel 2.* Bleyani *de præceptoriis num. 32.* contraria tamen videtur eſſe vero propior.

Partis primæ ſunt hæc præſidia.

Primum quod Laicis & non Clericis permitti poſſint, quod in beneficiũ non quadrat, quod obtineri ſine tonſura non poteſt, *cap. cum adeo 17. de reſcriptis, & ca. 6. ex literis de tran-* C *ſactionibus.*

Deinde, quod dentur cum onere penſionis, quotannis ærario publico inferendæ, idque Pontifice non conſulto, cuius ſolius eſt, beneficiis partem demere fructuum ſignum ergo eſt, generalis præpoſiti, ordiniſque vniuerſi iudicio, non eſſe talia, quibus res, ac appellatio beneficij conueniat.

Stant à parte altera Coraſius *1. p. cap. 3. n. 8.* Rebuff. *de nominat. q. 15. num. 16.* Garcias *p. 1. cap. 4. num. 1. & ſequent.* ratione hac vna nituntur, quod Equites Hieroſolymitani perſo- D næ ſint Eccleſiaſticæ Deo ſacræ per vota, vereque religioſæ, quibus ius eſt ac poteſtas colligendi prouentus commiſſæ ſibi Commendæ, cum obligatione certarum precum, quas ex Ordinis inſtituto laudabili, Deo occinunt.

Quod ſi nonnunquam dicuntur Laïci, id fit ideo, quod non ſint ſacris ordinibus initiati, non quod perſonæ non ſint Eccleſiaſticæ, tales enim habendæ ſunt omnes, quæ Principi Deo in religione approbata inſeruiunt, Garcias *ſupra num. 10.*

E Sexta aſſertio, *Negari non poteſt quin patrimonialia beneficia, quæ in titulum perpetui beneficij dantur, vere ac realiter ſint beneficia Eccleſiaſtica:* ita docent Lud. Gom. *in c. poſtulaſti de reſcriptis,* Flammin. *lib. 12. de reſignat. q. 3. nu. 11.* Petrus du Clos *in q. 12. lib. 2. de reſignat. per Flammin. nu. 4. & 5.* Mandoſius *in Comm. ad regul. 29. reſeruationum qu. 15. num. 4. 16. & 17.* Antequam probetur, nota ea beneficia dici patrimonialia, quæ certæ familiæ gentiſque hominibus ſunt debita, quemadmodum & patrimoniales filij, qui loco ſunt certo nati, quomodo declarata concluſio ſic probatur,

beneficiis

beneficiis, de quibus eſt hic quæſtio omnia quæ canonicatibus competunt, in primis ius prouentuum.

Secundo, poteſtas ſacri officij, nam auctoritate Eccleſiæ ei qui illis fruitur, ob ſacrum miniſterium cui vacat, commeatus dantur ad vitam neceſſarij. Idem dicendum de præſtimoniis, ac capellaniis, quæ collatiuæ dicuntur, ſuntque auctoritate erectæ Eccleſiæ, nec ad fundatoris nutum reuocantur, Garc. *ſupra cap. 3. §. 1. num. 95.* Nauar. *de orat. cap. 20. num. 17.* Zeſola *in praxi par. 1. verbo beneficia parag. 1.* qua de re pluribus poſtea.

QVÆSTIO XXII.

An Burſæ Collegiales ſint Beneficia.

BVrſarum aliæ iuris audiendi cauſa ſunt inſtitutæ, vt Tholoſæ, Caturci, Auenione, aliæ viam parant diſcendis humanioribus literis, vt Pariſienſes fere omnes, de quibus ſit.

Prima aſſertio, *Loca Collegialia, humanioribus literis ediſcendis comparata, non ſunt beneficia:* quia cum hæc ſint perpetua, auferri nequeunt, at burſas adimi poſſe res ipſa loquitur: vt enim Burſarij Collegij, cui nomen eſt *de Mignon*, à Rege Chriſtianiſſimo, aut eius vices obeunte magno Eleemoſynario, inſtituuntur; ita & ab iiſdem poſſe deſtitui, pronunciauit Senatus 4. April. anni 1375. Charonda teſte *in additionibus ad Briſſonium lib. 1. Cod. tit. 32. n. 1.* Fabricio *in Theoria tit. de confratriis n. 2. lit. A. in margine.*

Secundo, beneficia ſunt perpetua, loca Collegialia ſeu burſæ non ſunt eiuſmodi, cum non niſi ad certum tempus dentur, nempe dum abſoluuntur ſtudia, Rebuffo teſte *in tract. nominationum.*

Secunda aſſertio, *Burſæ cum dantur in perpetuum, & ſolis Clericis, probabiliter ſunt beneficia:* ita Fabricius *de confratriis nu. 5.* Petrus Gregor. *lib. 1. partition. iuris tit. 27. num. 4.* quia cum iis ſpiritalia quædam obire in Collegiis munia competat, à quibus impediri nõ queunt: ſicut nec à iure colligendorum redituum, his eorum aliquid, quæ ad beneficium ſunt neceſſaria, deeſſe quis dicat? eiuſmodi Collegialia eſſe loca in Collegio Auenion. Sancti Nicolai de Auiciaco, tradit Bertrandus *conſil. 360. voluminis 2. parte 1.* & in Eccleſia S. Saluatoris in ſuburbiis montis Peſſulani & in Eccleſia S. Trinitatis Maguelonæ, Rebuff. *ſupra*, & P. Greg. Quare ex dictis 1. aſſertione ſequitur burſarios, ſeu Collegiatos primi generis, promoueri ad ordines, intuitu ſuæ burſæ non poſſe, Rebuffus *in praxi 1. par. tract. de Clericis, & à quibus creentur n. 19.* quia cum non ſint perpetuo inſtructi benefi-

A cio, non habent vnde certo alantur: ob quam cauſam, ab ordinibus reiici quoque debet, qui non habet vnde viuat, niſi præbendæ fructus, quam præceptorialem nominant, ſibi in compenſationem iuſti laboris, pro inſtitutione puerili conceſſæ, quia per aſſignationem talis præbendæ, fructuumque eius, non eſt canonicus, *cap. nonnulli 4. de magiſtris*, cum ea priuari poſſit: ergo cum non alius initiari debeat, quàm qui ex patrimonio, aut beneficio, ſtabilem habet annonã ad vitæ onera, ſequitur huic inter beneficia locũ non eſſe.

Confirm. Præceptoris ſemel inſtituti de-
B ſtitutio, per *art. 9. ordination. Aurelian.* Diœceſano, Capitulis & Conſulibus, ſeu Scabinis mixtim permittitur, quemadmodum & electio. Et quanquam multis in locis, ei præbenda vt iuſtum ſuæ in docendo operæ, præmium conferri ſoleat, id tamen non eſt perpetuum, cum in poteſtate ſit inſtituentium, eam aſſignare aut eius reditum, iuxta alternatiuam *art. 9.* prædictæ ordinationis, & deducta per Forgetum *in tract. de perſon. Eccleſ. cap. 46. num. 2. & 3.* Charond. *lib. 3. reſponſ. cap. 61.* quæ duæ res haud dubiè
C indicant Præceptoris officiũ inter beneficia ponendũ non eſſe, cum quæ iſtis ſunt intrinſeca, perpetuitas, iuſque præbẽdæ, ac functionis ſpiritalis exercendæ, ei non conueniant.

Idem de principalitate (vt aiunt) debet eſſe iudicium: nec enim Primario præciſe quà tali, functio vlla ſpiritalis competit, non ius colligendi reditus auctoritate Eccleſiæ conſtitutũ. Scio quidẽ per ordinationẽ Bleſenſ. *art. 77.* Primario prohiberi, ne Curatum beneficiũ vna cum munere habeat, quo fungitur in Academia, ſed nego inde ſequi eſſe ideo beneficium, cum quæ ei ſunt intrinſeca, pri-
D mariæ in Collegio dignitati, eiuſque præpoſituræ non competant.

QVÆSTIO XXIII.

An portiones quæ dantur quot diebus Clericis quibus incumbit ex officio, diuinæ vacare pſalmodiæ in Monialium Cœnobiis, aut diſtributiones canonicis debitæ ſint beneficia.

E NEquaquam, quia non dantur in titulum, ſed pro eo tempore, quo dicti Capellani operam ſuam monialibus nauant.

Secundo, quæ duæ res beneficium faciunt, titulus & obuentiones annuæ, in his portionibus non reperiuntur ambæ. In primis deeſt titulus, hoc eſt, ius ſacræ functionis obeundæ, cum ex Abbatiſſarum voluntate pendeant, ab iiſque, quoties & quàm ſæpe eſt placitum, remoueri queant. Non ſecundum, cum dotem, fundum, aut manſum aſſignatum pro dote

ſpecialiter nullum habeant, quod tamen eſt ad beneficij rationem neceſſe. Eſt autem Manſus (vt obiter hoc dicam) non villa, ſed agri tantum, quantum par boum arare vno die poteſt, Aluyn. *de poteſt. Abbat. cap. 16. nu. 2.* Hotamannus *in Comment. verbo feudum pro iugero accipi*, quæ fuit huius vocis priſca acceptio, viſitur enim adhuc hoc tempore Vrbani II. diploma perantiquum, in quo cum de redditibus agit Monaſterij Iuueniaci in Lotharingia; quod iuris eſſe Pontificum, ac D. Petro ait eſſe ſpecialiter ſubiectum, ſunt hæ loquendi formæ. *In tali pago manſus vnus, in tali manſus cum dimidio, &c.* & lege Franc. *lib. 1. cap. 83.* ſancitum eſt, *vt vnicuique Eccleſiæ vnus manſus integer, abſque alio ſeruitio attribuatur.*

Quod de portionibus eſt à nobis hic traditum, de diſtributionibus intelligere ſimiliter eſt neceſſe, quia à beneficiario de fundo, dote, aut corpore beneficij percipi non ſolent, ſed ratione perſonalis officij, ſeu ſeruitij, vt tradunt Olradus *conſil. 118.* Bellamera *conſilio 34.*

Secundo quæ beneficiis conueniunt, hæc diſtributionibus non competunt, nam nec reſignari queunt, nec ab eo peti qui officium præſens non facit.

EPITOME TRACTATVS *primi de beneficiorum varietate multiplici.*

Beneficium ſi vim nominis ſpectes, idem eſt ac bonum factum, ſeu actio beneuola gaudium capienti tribuens, Gloſſa *in Extrau. execrabilis Ioann. XXII. verbo beneficium*, quod cum ſtipendia facerent, quæ ab Imperatore dabantur militibus, tanquam ſuæ pretium operæ, beneficia ſunt à Iuriſperitis appellata. Quanquam ſunt qui huic voci nomen factum putent, quod hæc non omnibus promiſcuè, ac ſine diſcrimine, ſed certis tantum perſonis darentur ex Principis priuilegio, quod enim nos priuilegium, dixere veteres canonum interpretes, ipſique adeo Pontifices ac Iuriſconſ. *Beneficium* ſic *regula 16. de regul. iuris in 6.* ſcribit Bonifac. eius nominis VIII. *decere conceſſum à principe beneficium eſſe manſurum & regula 17. indultum à iure beneficium non eſſe alicui auferendum*. quo de beneficiorum genere ſunt induciæ dierum decem ad appellandum, annorum quatuor ad petendum reſtitutionem in integrum, quod beneficium minoribus 25. annis A conceditur, ſicut *ceſſionis* iis qui magno ære ſunt oppreſſi, vt ſi ſoluendo non fuerint, bonis apud magiſtratum iiſdem cedere liceat *lege 1. c. qui bonis ced. poſſint.*

Definitur autem beneficium *ius percipiendi bona Eccleſiaſtica toto vitæ tempore conſtitutum ab Eccleſia, ad ſuſtentationem Clerici, propter officium ſpirituale, quod titulo beneficij præſtare debet.*

Ex quo ſequitur Vicarium temporalem, Adminiſtratorem, Coadiutorem, & conſeruatorē item temporalem inter beneficiarios, B locandos non eſſe, quia illorum non ſunt ſtipendia perpetua, quod tamen beneficij natura exigit, *cap. admonet. cap. quod in dubiis 8. de renunciat.* vbi prohibentur beneficiarij Eccleſias *intrare, aut detinere, aut admittere inconſulto Epiſcopo*, quod eas perpetuas eſſe oporteat, ſicut & beneficia.

Quæ quoniam Epiſcopi auctoritatem ac conſenſum poſtulant, Oratoria ſine eius aſſenſu domi ædificata ad domeſticorum commodum, eo quod ibi quot hebdomadis litatorio ſacro diebus Dominicis interſunt; proprie in beneficiis numerãda non eſſe, DD. eſt C opinio quia vt eſt in *c. adhac 4. de relig. domib. c. nullus 17. c. nobis fuit 25. de iure patronat.* locus nullus ſacer ac religioſus eſt habendus, qui auctoritate Pontificis Romani, aut proprij, ad ſacrorum vſum, aut pauperum prouiſionem deſtinatus non fuerit, qua de re legendus Nauar. *conſil. de Simon. 43.* Rebuff. *de nominat. q. 15. num 17.*

Iuris ſit ſpiritalis in ea definitione mentio, vt ſignificetur, ſtipendia quæ Clericis dantur pro labore, ac temporali opera, de reditibus Eccleſiaſticis tãquam iuſta merces, beneficia D non eſſe, & ita feuda, annuaque ſtipendia magiſtri Grammatices, Procuratoris Capituli, aut Syndici, de quibus habetur *cap. 1. 4 & fin. de magiſtr. & 16. q. 1. can. poſſeſſion. 60. & 12. q. 2. can. quicunque 4. & 1. q. 3. can. Saluator*, in beneficiis ponenda non eſſe.

Diuiditur autem beneficium in Curatum, & non Curatum, iſti nomen eſt à cura animarum ſibi commiſſarum, qua caret non curatum. Curati ſpecies ſunt duæ, Prælatura, & non Prælatura, illa curam animarum habet: cum iuriſdictione in foro externo, quali præ- E ſtant Papa, Archiepiſc. Epiſc. & Abbates, *cap. quanto extra de offic. ordinarij, & Clement. 1. de elect. verbo prælatum:* nam & contumaces poſſunt cenſuris ad officium cogere, rebelles plectere, tonſuram, minoreſque ordines ſubditis ſuis nonnunquam dare, eoſdem de peccatis abſoluere Eccleſiæque, cũ ab ea ſũt cẽſuris, Eccleſiaſticis ſubmoti, reddere.

Inter Prælatos numerantur etiam cathedralis Eccleſiæ dignitates præcipuæ, vt Decanatus, Archidiaconatus, ſed male, cum interim fori iuriſdictione careant, nec vt Præla-

tus

tus, maioraque beneficia nominationi regiæ ſint obnoxia. Addo amplius, iuriſdictionis externæ ius eis nullum eſſe, nec enim viſitant, inquirunt, ſuſpendunt, excommunicant, à cenſuris abſoluunt, procurationes viſitatori debitas petunt ac recipiunt, quæ iuriſdictionis externæ certa ſunt indicia, vt habetur *cap. 1. 2. & 3. de cenſib. in 6.*

Non Prælatura, fori interni iuriſdictionem habet, externi nunquam, vt Parochialis Eccleſia, ſuntque eiuſmodi non *Prælaturæ*, ſeu beneficij ſine cura ſeptem ſpecies, à Bonifac. VIII. *in cap. conſuetudinem 1. de conſuetud. in 6.* comprehenſæ his verbis: *Statuentes vt cum vnum officium vix digne valeat aliquis adimplere, nulli liceat de cætero, niſi vnicum perſonatum, aut dignitatem aut præpoſituram, ſiue adminiſtrationem vel officium perpetuum, quocunque nomine cenſeantur, cum præbenda inſimul ſine diſpenſatione dictæ ſedis tenere.*

Eſt ſimplex prælatura, beneficium habens iuriſdictionem, & exemptionem à poteſtate ordinarij, ſed ſine cura animarum.

Dignitas eſt beneficium habens iuriſdictionem, ſed non exemptionem, vt Decanatus & Archidiaconatus.

Præpoſitura nec iuriſdictionem in foro interno habet, nec exemptionem, ſed tantum poteſtatem in temporalibus. Perſonatus, eſt Canonicatus, cui ſine iuriſdictione, & exemptione, prærogatiua quædam honoris, ac præeminentia in choro, capitulo aut proceſſionibus conuenit, præ cæteris canonicis illo antiquioribus.

Simplex beneficium, eſt quod nec dignitas eſt, nec canonicatus, quanquam hoc quoque nomine canonicatus appellari interdum ſoleat, ſicut & cætera beneficia, quibus non eſt animorum coniuncta procuratio, ſed obligatio ſacrificandi, aut legendi horas, hoc tantum.

Quo de genere ſunt Commendæ perpetuæ, nam & dantur in titulum, cum iure colligendorum prouentuum ob ſpiritale orandi officium, Panormit. *in cap. querelam de elect.* Gom. *qu. 5. de triennali poſſ. ff.* aut propter cuſtodiam, vel adminiſtrationem beneficij quod eſt beneficiario commendatum.

Præter hanc, eſt & alia, quæ temporalis dicitur, eo quod certis eſt circunſcripta temporum ſpatiis, nec enim cōmuniter eſt ſemeſtri diuturnior, *ca. nemo deinceps de elect. in 6.* Quare talis cōmenda nec beneficium eſt, nec ius ad illud Commendatario tribuit, qui ideo fructus non facit ſuos, nec eſt Prælatus, ſed tantum rei ſibi commendatæ procurator, ideoque à perpetuo, vel hoc nomine, eſt diſtinctus, quod iſti, commenda in propriam vtilitatem detur, temporali autem, ad bonum duntaxat Eccleſiæ, non ſuum.

Itaque ſi erit beneficium quod eius curæ commendatur, de Curatorum numero, ea illum eſſe ætate oportebit, quam in Parocho canones exigunt, *cap. commiſſa 35. de elect. in 6. & extra eod. tit. 7.* minor 25. annis, ad eam non eſt futurus idoneus, ſicut nec qui ſacerdotij charactere adhuc eſt inſignitus: ita Greg. eius nominis X. *cap. nemo deinceps 20. de elect. in 6.* his verbis: *Nemo deinceps parœcialem Eccleſiam, alicui non conſtituto in ætate legitima, & ſacerdotio, commendare præſumat, nec tali niſi vnam, & euidenti neceſſitate, vel vtilitate ipſius Eccleſiæ ſuadente. Huiuſmodi autem commendam ritè factam, declaramus vltra temporis ſemeſtris ſpatium non durare.* Cauendum tamen eſt Epiſcopo, ne beneficium regulare ſeculari commendet, & cōtra, id enim Clem. V. prohibet, *Clem. quia regulares, prima de ſuppl. neglig. prælat.*

Secundo, ne contra Trid. Synodi decreta peccaſſe Epiſcopus arguatur, dabit operam ne ei qui beneficium Curatum habet, aliud quodpiam cuſtodiendum tribuat: *Qui enim plura curata, aut alias incompatibilia ſiue per viam vnionis ad vitam, ſeu commendæ perpetuæ, aut alio quocunque nomine, & titulo recipere præſumpſerit, beneficiis ipſis ipſo iure, priuatus exiſtit,* Trid. *ſeſſ. 7. c. de refor.* in quo tamen diſpenſare Pontifici licitum, non tamen vt Commenda in damnum Eccleſiæ cedat, quia hoc eſſet, poteſtate ſibi diuinitus conceſſa, in ſuam aliorumque perniciem abuti, quod natura vetat. Itaque peccat Commendatarius.

Primo, cum ad honeſtam ſui ſuſtentationem non indiget, eſtque ipſa proinde ad vſus vitæ non neceſſaria.

Secundo, cum Religioſorum numerum imminuit, multoque hic pauciores, quam qui hactenus in Cœnobio vixere, alit ac retinet.

Tertio, cum eius incuria, culpaque, diſciplina religioſa interit.

Quarto, cum eam reſtitui, poſtquam eſt dilapſa, negligit, aut eius reparandæ ſtudioſos, ne priſco maiorum more, rituque vitam inſtituant, impedit.

De Coadiutoria agitur *7. q. 1. per 8. primos canones,* & extra *de Clerico ægrot. & in 6. eod. titulo.* Eſt autem eius vſus in Dei Eccleſia perantiquus, nam qui officium ob ſenectutem aut morbum, vel ſimilem aliam cauſam, facere non poterat, ipſe ſibi à Pontif. aut Epiſcopo petebat aliquem, ſcientia ac moribus ad animarum regimen idoneum, qui vices ſuas in fungendo munere obiret, vt habetur *cap. ex parte de Cler. ægrot. cap. grandi 2. de ſupplend. neglig. Prælat. in 6. 7. q. 1. can. petiſti.* Sic Auguſtin. Valerio Hipponenſi Epiſc. Coadiutor eſt datus, *7. q. 1. can. non autem 12.* Similiter Ariminenſi Epiſc. dolore capitis laborã-

ti ſubrogaſſe ſe Gregor. ſcribit, qui cum ad maiorem Dominici muneris gratiam adiuuaret, Gregor. *lib. 7. regeſti, indict. 2. ep. 49. ad Marcianum.*

Eſt autem Coadiutoria duplex, temporalis & ſpiritalis, illa rebus temporariis beneficij, ſi non promouendis, at certe vindicandis ab interitu dat operam, iſta diſciplinæ retinendæ tenax, ſpiritualia procurat, ne quid detrimenti accipiat Eccleſia, cui Coadiutor accedit, inuigilat.

Eſtque duplex, ſimplex vna, cum futura ſucceſſione altera, non detur hoc modo, niſi in Epiſcopatibus & Abbatiis, cum auctoritate Papæ, conſenſu Patroni, maximaque Eccleſiæ neceſſitate id poſtulante, Trident. *ſeſſ. vlt. cap. 7.*

DISPVTATIO SECVNDA.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit Collatio, quid Inſtitutio.

EST collatio libera vacantis beneficij conceſſio, nulla Superioris confirmatione indigens, Inſtitutio donatio eiuſdem, ſed coacta ad præſentationē Patroni, quem inſtituens, qui non eſt cōmuniter alius quam Epiſcopus, nec pro arbitrio repellere, nec à ſe præſentato, ſi eſt his inſtructus corporis & animi dotibus, quas in beneficiario canones exigūt, beneficium negare poteſt. Inſtituere enim Iuriſperitis, idem eſt ac hæredem dominii intus ſtatuere, ac in eius quaſi ſede collocare, vnde hi inſtitui dicuntur hæredes ab aliquo, quibus hæreditas poſt mortem ſuā poſſidenda relinquitur, *dig. de vulgari ſubſtit. lege 1.* ab eo ducta metaphora ad Epiſcop., inſtituere iſte Clericū dicitur, cum ei capeſſendi beneficij, ad quod à Patrono præſentatur, poteſtatē tribuit, qua cum Archidiaconus careat, eo quod Eccleſiæ ac Diœceſi vniuerſæ, cum auctoritate non præſit, negat Alexand. eius nominis III. *in titulo cap. 4. cum ſatis de officio Archid. eum habere inſtitutionem authoriſabilem*, hoc eſt, vt ibi loquitur, *nemini ſine licentia & mandato Epiſcopi, curam committere poſſe animarum*, fit tamen interdum inſtitutio in beneficio, quoad exercitium curæ tantum, & non quoad principalem titulum beneficij, *cap. in Eccleſiis 1. de capellis Monachorum*, nam ibi vult Vrban. III. in capellis Monachorum, ita *Capellanum inſtitui vt ex ſolius Epiſcopi arbitrio, tam eius ordinatio, quam depoſitio, & totius vitæ conuerſatio pendeat*, quod non dixiſſet Pontifex, ſi à titulo ſeiungi interdum inſtitutio non poſſet, & ad curæ exercitium cōtrahi, non verò extendi ad titulū, qui cum ſemel eſt capaci, idoneoque canonicè collatus, eidem ſine cauſa, eaque iuſta non poteſt adimi.

Et quia inſtitutione Epiſcopi, beneficiario in rem ſibi ab eo donatam ire, ac beneficium intrare eſt licitum, dixere aliqui inſtitutionem idem eſſe, ac miſſionem in poſſeſſionem.

Sed contra, eſt inſtitutio, Epiſcopi actio, eius ſolius propria, nec proinde communicanda cum Archid. vt patet, ex *tit. cap. 4. de offic. Arch. & cap. cum ex iniuncto 12. de hæreticis*, Archidiaconi autem in poſſeſſionem miſſio, de *officio Archidiac. cap. ad hæc 7.* ergo inſtitutio, & in poſſeſſionem miſſio differunt.

Non nego tamen huic voci, *Inſtitutio* nonnunquam poteſtatem hanc, vimque ſubeſſe, vt in *cap. ad hæc 7. de officio Archid* notauit Aluynus *de poteſt. Abbat. cap. 11. num. 3.* ſed contendo hanc ei ſolam non competere, interdum enim idem ſonat, ac collatio libera beneficii alicui facta, vt illi præſit, *cap. poſt electionem 7. de conceſſ. præbendæ, & de regulis iuris in 6. reg. 1. Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licite ſine inſtitutione canonica obtineri*. Interdum accipitur pro confirmatione electionis factæ ad beneficium, quæ ab Epiſcopo, aut alio fit ex priuilegio, *ca. cum & plantare, parag. in Eccleſiis de priuilegiis cap. cum olim de elect.* Proprie idem eſt, ac iuris ad beneficium facta collatio ei, qui fuit præſentatus à Patrono, ſeu Clerici à Patrono ad beneficium præſentati admiſſio: quare non eſt inſtitutio, libera beneficij conceſſio, cum præſentatus admitti debeat ſi eſt idoneus, Aluynus ſupra.

Inueſtitura eſt collationis, aut electionis factæ de aliquo, per annulum & virgam confirmatio, aut eius in poſſeſſionem miſſio. Ita enim ſe habent *Inueſtitura & inſtitutio* reſpectu beneficij, quo ſumi modo ſolent, cum de hæreditate ac feudo eſt ſermo. Sed hæres tum inſtituitur cum ei hæreditas tribuitur; veſtitur autem ſicut & feudatarius, cum iſti quidem facta feudi collatio confirmatur, alter autem, cum ab iis quorum intereſt, hæres cognoſcitur, poſſeſſionem ambo accipiunt, cum hic hæreditatem, & ille feudum adit, etſi hæc in rem aditio, ad rationem veri dominij non ſit vllo modo neceſſaria. Eſt ergo in eo beneficij inſtitutio poſita, quod beneficium præſentato per Patronum conferatur. Inueſtitura, & in poſſeſſionem miſſio,

ſio, in eo, quod per rei ſacræ beneficiario collatæ aditionem & ingreſſum, ius eius ad illam pleniſſimè cõpleatur & integrè, quod ſanè accidit, cum eius fit poſſeſſor, quæ duæ res ad beneficij retẽtionem ſunt neceſſariæ.

Pertinere autem ad Archiadiconum inſtitutionem corporalem, hoc eſt, beneficiarij non cuiuſlibet, ſed Epiſcoporum & Abbatum inductionem in poſſeſſionem, ſicut ad Epiſcopos ſpiritualem, vtpote qui ius ad ea beneficia conferre valeant, illudque tollere, cum res exigit, eſt perſpicuum ex *cap. inuncto 12. de hæretic.*

Quod ſi inueſtitura, hoc eſt, in poſſeſſionem miſſio, Decano nonnunquam tribuitur vt in *c. poſt electionem 7. de conceſſ. præb.* fit hoc ex priuilegio, & non communi iure. Olim, Epiſcopatuum & Abbatiarum inueſtituram, hoc eſt, electionis de ſe factæ confirmationem Epiſcopi & Abbates *per annulum & virgam* non niſi *per manum regis*, capiebant: quo etiam tempore, *hominium & fidem iurati in ſcriptis proferebant*, hæcque erat cauſa cur quoties opus eſſet, idem obſequi tenerentur; & ſi non facerent, confiſcatis eorum regalibus, culpam emendare cogebantur, non tamen ſine eorundem ac Eccleſiaſtici ſtatus iniuria: cum enim bona quæ tanquam Clerici adipiſcuntur Epiſcopi, ſint in Chriſti patrimonio & pauperum, eorum partem nullam decerpere Principes poſſunt ſine ſacrilega vſurpatione, eo quod naturæ perſuaſu, Deique voluntate, ſunt hi, qui beneficiis ſunt præfecti, bonorum Eccleſiæ diſpenſatores, quibus eos priuare, eſt iniuriam vimque certam æquitati facere. Sed de hac re copioſius aliq., quod eſt inſtituti noſtri, hoc dico modo, eſſe inſtitutionẽ præſentati per patronũ ad beneficiũ approbationẽ, patet ex titulo capitis, *cum ſatis 4. de officio Archidiac.* vbi negatur, *habere eum inſtitutionem authoriſabilem.* Hoc eſt, vt ibi Gregor. III. loquitur, *ſine licentia & mandato Epiſcopi, curam non poſſe vlli committere animarum*, quod enim nobis eſt collatio libera, aut coacta ad voluntatem alterius, hoc ipſum eſt canonum interpretibus inſtitutio, Gloſſa *in cap. auctoritate 4. de inſtitutionib.* quo ſenſu ab Innoc. III. ſcriptum video, *cap. inuncto 12. extra de hæretic. quod ad Epiſcopi officium tam inſtitutio, quam deſtitutio Sacerdotum noſcatur pertinere*, nec ignoro tamen pro miſſione in poſſeſſionem, inſtitutionis nomen accipi nonnunquam, vt in decretali ad *hoc 7. de Offic. Archidiac.* quę eſt Innoc. III. vbi ait à ſe ſcriptum antea, *quod inſtitutio corporalis, tam ſuper beneficiis, quam etiam dignitatibus ad ipſum debeat Archid. pertinere*, ſed nego hic inſtitutionis nomen in eum ſenſum à nobis capi, ſed vt eſt idem ac collatio neceſſaria ad Patroni mentem,

A aut libera, quo modo ſumitur in *cap. poſt electionem 7. de conceſſione præbendæ.*

Ad inueſtituram quod attinet, *leges eam nequaquam appellant conceſſionis, ſed poſſeſſionis*, Iuo *ep. 41. ad Paſchalem Papam.* Et quoniam poſſideri beneficia nequeunt, quorum titulus non habetur: qualia ſunt quæ iure, nec facto vacant, quo modo negat Innoc. eius nominis III. in *decret. 4. propoſuit de conceſſ. præbenda intentionis ſuæ eſſe inueſtituras de vacaturis factas, contra canonum inſtituta ratas habere*, id eſt de iis, eorumque iuribus B captas poſſeſſiones probare, quæ eſt inueſtiturę notio, apud Rebuff. *de pacif. poſſ. ſſ. nu. 19.* & in *cap. 7. de conceſſ. præbendæ*, in quas quoniam acceptione virgæ, & annuli, ac inducentis manu ibatur, inueſtituram *manualem* Iuo nominat *ep. 238. corporalem 65.* ad Hugonem.

Hanc concedere cuiuſlibet munus non fuit, ab ea excluſos Laïcos, indicăt hæc Iuonis verba, *manualis inueſtitura, per laicos facta, alieni iuris eſt peruaſio, ſacrilega præſumptio, quæ pro libertate Eccleſiæ, & honeſtate, ſaluo pacis vinculo, abſcindenda eſt*, Iuo *ep.* C 238. fuiſſe vero in Epiſcopi iure, loquuntur cùm Drogonis Archidiaconi querelę, tum Philippi Catalaunenſis factum, vt tempora illa erant, laudis plenum ac audaciæ, nam Drogonem quod de Eccleſiæ ſuæ Theſauraria inueſtiendum ſe curaſſet per alium, hac eum priuauit, Iuone teſte *epiſt.* ad Paſchal. Pontif. 41.

Ad Archidiaconum, deriuant hoc munus aliqui, vt Chopp. *de ſacra polit.* eorum opinioni fauet Innoc. III. *in decret. in tantum* D *36. de Simon.* vbi prauam illam conſuetudinem de Eccleſia tollendam ait, *per quam pro Eccleſiarum inueſtitura, marcham argenti, minores decani vaccam albam dari ſibi poſtulabant.*

Neque modo de Epiſcopatibus inueſtiri Epiſcopos olim conſueſſe, ſed & Canonicos & dignitates minorés, habes ex Innoc. III. decretali 4. & 7. *de conceſſione præbendæ*, in quarum poſtrema mandatarius Papæ dicitur inueſtitus in Capitulo, per collationem ſibi factam, Archidiaconatu vacante, id eſt, in eius poſſeſſionem, à Canonicis miſſus, ad quos eius collatio ſpectabat. *Ipſi*, inquit, E *intelligentes Archidiaconatus donationem ad eos deuolutam R. de Sancto Cadmundo illum vnanimiter contulerunt inueſtientes eundem de ipſo, & ſolemniter inſtallantes*, hoc eſt, in ea chori ſede collocantes, vbi in poſterum cum Canonicis cæteris laudes Deo occineret: *ſtallus* enim locus eſt in choro, vbi canonico in fratrem recepto ſedere licet, *inſtallare* autem, eum pro auctoritate concedere. Quod autem in eo canone dicitur *ſolenniter* id factum eſſe, hunc ſenſum habet, quod prædicto A chid. cæteriſque, cum inducerentur in

beneficium, data canonicorum inſignia fuerint, ſymbolaque inueſtituræ, quæ fiebat *per annulum* cumque aurçum [sic] in dignitatibus & officiis Godefrid. Vindocin. *lib. 1. ep. 6.* in canonicatibus *per librum & panem*. Florens *ad titul. de elect.* quæ inueſtitutæ ſicut & Epiſcoporum *per virgulam & annulum*, ſublatæ fuere poſtmodum à Greg. VII. Vrbano II. Paſchali II. hic enim cum Henrico IV. Imperat: Epiſcopatuum & Abbatiarum inueſtituras coactus conceſſiſſet, per virgam & annulum, facti pœnitens, eas in Later. Concilio reuocauit, approbante Eccleſia, quæ Romam ab illo conuocata, eius rei gratia venerat, vt teſtantur Abbas Vrſpergenſis in *Chronic.* Scholiaſtes Iuonis *ad epiſt.* 238. Otho Friſingenſ. in Chronico *lib. 7. ca.* 14. quod cum quidam arguerent, ac Papæ, & Epiſcoporum in eo Concilio factum temeritatis damnarent, fuere & ipſi de Henriciana hæreſi ſuſpecti ac notati, ſic enim tum ea vocabatur opinio, quæ in multorum inſederat animis, ab Eccleſia, eiuſque ſacris alienum eſſe, qui inueſtituras Epiſcopatuum per Laïcos fieri poſſe diceret, quod etſi non probaret Iuo, eo quod *hæreſis non ſit niſi in fide*; hunc tamen *qui in datione & acceptione virgæ, putat ſe habere Sacramentum, aut rem Sacramenti Eccleſiaſtici, prorſus iudicat hæreticum epiſt. 238.* iuris alieni inuaſorem ac furem. *Quod ſi congrua volumus rebus nomina dare, poſſumus*, inquit, *dicere, quod manualis illa inueſtitura per laicos facta*, alieni iuris eſt perſuaſio, ſacrilega præſumptio, quæ pro libertate *Eccleſiæ & honeſtate penitus abſcindenda eſt.* Id ibid. quæ me ratio impellit vt exiſtimem, huic voci *Inueſtitura* ſignificatum ſubeſſe duplicem, eſt enim interdum idem ac collatio iuris abſoluti ac integri in beneficio, quomodo ſumitur *diſt.* 69.

Alias inueſtitura idem ſonat, quod in poſſeſſionem miſſio, vt diximus: probant id teſtimonia è canonibus ac Iuone deprompta, de quibus nos paulo antea, quibus ad di placet, quod eſt in *cap. 40. de appellat.* ibi enim habetur ab Epiſcopo Metenſi Cancellarium canonice in Præpoſitum S. Saluatoris ab eiuſdem Capitulo electum (cum de perſonæ eius honeſtate conſtaret) confirmatum, cumque *ei domum & inueſtituram velles porrigere*, appellatione Decani ad Papam, impeditum eſſe, quæ de miſſione in poſſeſſionem intelligi, indicat hęc, quæ canonem claudit oratio. *Si contra te in modum denunciationis vel accuſationis duxerit proponendum, poſtquam pacificam ipſius præpoſituræ poſſeſſionem fueris aſſecutus, proponendi licentiam non negamus.* Sunt enim hęc relata ad domum, eiuſque inueſtituram, quæ ne fieret, Decanus obſtiterat.

QVÆSTIO II.

Ad collationem validam ex parte conferentis, quæ conditiones ſint neceſſariæ?

SEptem numerantur in iure, omneſque ſic à Pontif. requiſitę, vt vel vnius defectus ac abſentia, collationis factę aut faciendę irritatio ſit certa, ac indubia.

Prima eſt, vt non ſit niſi de beneficio vacante, *cap. qui in viuorum 1. cap. nulla Eccleſiaſtica 2. cap. relatum 3. & cap. poſt electionem 7. de conceſſione præbend.* quia quod eſt alicui debitum, quod ſpeciali affectum iure, eidem ſine aliqua ſua culpa non poteſt eripi, vt detur alteri. At eſt beneficium eius ſolius à quo canonicè poſſidetur, non alterius: quare Clericus qui ſcienter impetrat rem viuentis, habetur in iure infamis, adulter, & latro 3. *q. 2. can. audiuimus 4. ſeptima qu. 1. can. non furem 10.* & eſt deponendus, *can. audiuimus citato, à communione Eccleſiaſtica pellendus cap. qui viuorum 1. de conceſſ. præb.* ac beneficij ſic poſſeſſi eſt habendus incapax. Panorm. *in cap. 1. citat.*

Quia tamen Pontifex canonicis non tenetur legibus *cap. propoſuit 4. de conceſſ. præb.* nihil eſt rationis, quamobrem beneficium non vacans promittere nequeat, maxime in quibus locis Coadiutoriis eſt locus, quas ab eo concedi poſſe, habes *in cap. propoſuit citato, & cap. 2. de præb. in 6.*

Sanè viuentis beneficium, Communitati deſtinari ab eo poſſe, res ipſa, experientia vſuque probata quotidiano loquitur. Nam quis neſcit, bene quoſlibet de Religioſis mereri poſſe, beneficij quod poſſident ceſſione, in eorum, domuſque ſuę gratiam, quæ inopia premitur? Eoſdem autem reſignantes quis ambigit, poſſe annuente Pontif., beneficia eadem retinere dum viuent? Hoc autem quid eſt aliud, quam beneficia vacatura dictæ domui, aut Collegio aut Monaſterio promittere? Sane quæ duæ res dari beneficium necdum vacans impediunt, nempe futuræ ſucceſſionis aliqua ſpecies, & votum mortis captandæ, vt eſt in *cap. nulla Eccleſiaſtica 2. de conceſſ. præb.* non reperiuntur in Cœnobio, Cui Papæ voluntate ac conceſſu, reſeruatur beneficium ab eo poſſidendum, non tamen antequàm qui illud reſignat, diē ſuum obierit.

Non ſucceſſio, quia defuncto proprie non ſuccedit Cœnobium, cum beneficiarij locum non habeat. Non votum captandæ mortis, quia cum nullus ſpeciatim, ac in particulari, dictum beneficium ſit habiturus, nulli præbetur occaſio fati ei procurandi, qui illud ſe mortuo, dari Cœnobio poſtulat.

Conditio altera ex parte conferentis Antiſtis ad collationem validam neceſſaria, eſt, vt eum cenſura excommunicationis nulla aſtrictum teneat; ſacris enim per excommunicationem ſubmoti nominatim, ac declarati acta omnia, inania ſunt ac nulla, *ex ca. vnico, ne ſede vacante in 6.* cæterorum, vtpote quos Eccleſia tolerat, vt eſt in Martini quinti Extrauag. *ad euitanda,* geſta ſunt valida.

Huius vero conditionis exigendæ eſt hæc cauſa, quod excommunicatus de nomine, decreto Eccleſiæ iuriſdictione careat, quæ eſt cauſa, cur Gelaſius eius nominis primus, ab eo de anathematis vinculo abſolui aliquem poſſe non putet: ergo nec beneficium conferre vllum, cum collatio ſit ſuperioris actio, ac vt talis iuriſdictionis egens.

Tertio requiritur vt collatio ſit rata, quod libere fiat, id eſt, citra vim & metum *cap. ad aures & cap. 2. de his quæ vi metuque.*

Ratio eſt, quod donationi, cuius liberalitas eſt cauſa, nihil tam ſit oppoſitum quam coactio, cum de eius ſit ratione eſſentiali ac intrinſeca, vt ſit liberalis ac gratuita, at eſt beneficij collatio, eiuſdem donatio, *cap. vt benefic. ſine diminut. dentur cap. 4. & 7. de conceſſ. prabend.* eaque liberalis, vt eſt in *cap. licet 3. de ſuppl. negl. prælat. & in cap. 7. de conceſſ. præb.* his verbis. *Intelligentes Archidiaconatus donationem ad eos tam authoritate Concil. quam indulti ſibi priuilegij deuolutam,* eſt ergo beneficij à Superiore, aut quolibet alio, facienda ſine vi, metuque collatio.

Quarto ſine conditione *cap. 2. de elect. in 6. & 1. q. 2. can. cauete, can. quam pro ead. q. & cauſa cap. fin. de pact.* quia habet omnis pactio Simoniæ labem *36. q. 7. can. per laicos, cap. cum pridem 4. de pactis, cap. ſuper eo 7. de tranſact. cap. præterea 9. eod. tit.* niſi eſſet hæc conditio ex natura rei, aut diſpoſitione communi iuris, adiuncta collationi, vt quod is qui beneficium dari ſibi poſtulat, eius ſit capax, quod vacet; quod Collatarius in eo reſidebit, maxime ſi eſt Curatum, quia quæ benefici natura poſtulat, hæc diſerte & explicate ab ordinario in pactum trahi, aut conferri cum his conditionibus, quis arguat?

Remouenda quoque eſt in beneficij collatione alternatio: enimuero *cap. in electionibus 2. de elect. in 6.* à Pontif. Innoc. IV. *in electionibus, vota conditionalia, alternatiua, & penitus incerta reprobantur:* ergo & in collationibus, cum earum, & electionis eadem ſit cauſa.

Nec item, vno eodemque tempore, collatio copulatiue duobus fieri debet v. c. Petro & Claudio, quia à duobus eandem regi Eccleſiam non indecorum modo eſt, ſed & vetitum, *In apibus princeps vnus eſt, vnam ſequuntur ordine literario, imperator vnus, iudex vnus in prouincia. Roma ſimul vt condita eſt,*

A *duos fratres ſimul habere Reges non potuit, & parricidio dedicatur. Singuli Eccleſiarum Epiſcopi, ſinguli Archipresbyteri, ſinguli Archidiaconi, & omnis ordo Eccleſiaſticus, ſuis rectoribus nititur.* Hieron. ad Ruſtic. Monach. *ep. 4.* & refertur à Grat. totidem verbis *7. q. 1. can. in apibus 41.* quare ſicut duobus Monaſteriis vnum Abbatem præfici Epaunenſis Concilij canon 19. prohibet, & vni Abbates duos, aut beneficio alicui totidem beneficiarios. Itaque cum à Rege ad idem altare nominati duo eſſent, qui eiuſdem fructibus viuerent, B Rothomagenſis Curia id vt naturæ, decretiſque Pontificum contrarium, non ferendum duplici ſententia dixit anno 1527. & 1550. vt refert Fabric. *in Theoria, tract. de portionib. ad Laſcorum diſpoſitionem pertinent. litera I.*

Quinto eſt hoc quoque ex parte conferentis ad collationis validitatem neceſſe, vt tempus ei præſtitutum ſeruet, quod pro Cathedrali Eccleſia, aut Abbatia trimeſtre non excedit, *cap. ne pro defectu de elect. Concord. rubrica de regia ad Prælatur. nominat. cap. de multa de prabend. in 6.* Concordant Sylu. *verbo* C *Beneficium 6. qu. 6.* Vaſq. *in opuſculis dub. 5. de benefic.*

Quæ Epiſcopatu ac Abbatiis ſunt minora, hæc ſunt intra ſemeſtre conferenda, eius rei repetenda fides à *ca. nulla 2. de conceſſione præb.* vbi eſt his verbis: *Cum præbendas Eccleſiaſticas ſeu qualibet officia in aliqua Eccleſia vacare contigerit, non diu maneant in ſuſpenſo, ſed intra ſex menſes perſonis, quæ digne adminiſtrare valeant, conferantur.* Semeſtri elapſo, priuatur Epiſcopus iure conferendi, idque ad Capitulum, ſi ad vtrumque pertinebat collatio D deuoluitur, *cap. nulla 2. de conceſſione præb.* & demum ad Metropolitanum, *cap. 5. dilecto filio, de ſupplenda negligentia*, niſi beneficium exemptum eſſet, aut is foret Epiſcopus, quem de reliquorum numero, Pontifex exemiſſet peculiari aliquo priuilegio, nam tunc immediate, beneficium reuoluetur ad Papam. Alexand. III. in *cap. ſicut 2.* Innocent. III. in *cap. licet 3. de ſupplenda negligentia, & cap. literas & dilecto filio 5. eiuſd. tituli.*

Vt vt ſit, nulla futura eſt ordinarij collatio, ſi ab eo facta erit tempore exacto ſibi ad conferendum præſtituto, *cap. dilecto filio 5. de* E *ſupplenda negligentia*, cuius temporis initium non à die quo vacat, ſed ab eo, petendum eſſe, quo beneficium vacare cognoſcitur, habent canon, *quia diuerſitatem 5. de conceſſione præbenda, & canon 3. licet Magiſter de ſupplenda negligentia.* Sic enim prior. *Semeſtre autem tempus, non à tempore vacationis præbendarum, ſed notitia ipſius potius volumus computari.*

Alterius cuius auctor Innoc. III. ſunt hæc verba. *Tempore ſemeſtri, quo vel ad Archiepiſcopum, vel Capitulum donatio pertinebat, non à vacatione ſed à notitia computato.* Deuolutio

nis autem ab Epiſcopo ad Capitulum, ab eo autem ad Metropolitanum, meminit, his verbis: Innoc. in *decret. ne pro defectu 41. extra de elect. Statuimus vt vltra tres menſes Cathedralis Eccleſia, vel regularis prælato non vacet, intra quos iuſto impedimento ceſſante, ſi electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant eligendi poteſtate careant ea vice, ac eligendi poteſtas ad eum qui proxime præeſſe dignoſcitur, deuoluatur.*

Sexto, etſi requiratur, vt beneficium vni certæ perſonæ purè detur, ac ſine pacto, conditione, ac modo, eo quod ſi duobus collatum erit, collatio facta ſecundo futura ſit nulla *cap. ſi ſibi abſenti de præbend. in 6. & cap. dilecto filio extra eod. tit.* nulla item cum eſt Simoniaca, vt accidet ſi pactum habeat, quod canonicæ leges non probant, quale cum interuenit, ei vim ac firmitatem fore nullam declarauit Paulus II. in *extr. de Simon. 2. cui initium, cum deteſtabile*, eo quod ibi prouiſiones quaſlibet, ac collationes, quæ Simoniam ſubolent, inanes reddit ac nullas, etſi, inquam, omnis eſſe collatio debeat ſine pacto.

Canonicè tamen poteſt Epiſcopus alicui conferre beneficium ſub conditione, nempe, ſi aliud quod obtinet, reſignet, Rebuff. *in praxi parte 1. titulo de requiſitis ad collationem bonam numero 3.*

Et quanquam de ea materia copioſior nobis dicendi futurus ſit locus. Notare tamen interim lubet, prouiſo Simoniacè præſtanda duo eſſe. Primum eſt vt de iniuſta beneficij acceptione pœniteat. Alterum vt illud in ordinarij collatoris manibus reponat, nec alteri reſignet, quia eſſe reſignatio ſine titulo, iureque, in rem reſignandam non poteſt, quo tamen ſimoniacus caret, cum ad Chriſti ouile, non ſit per oſtium ingreſſus, ſed mala arte fraudeque, lupi inſtar.

Notare ſecundo placet, iuriſdictionis actus omnes, quos ſimoniacus exercuit, aut exercet, eſſe nullos, niſi excuſet ſubditorum bona fides.

Ratio eſt, quod iuriſdictione careat, hæc enim coloratum in miniſtro titulum exigit, aut verum, & tamen neutrum ille poſſidet: non verum, quia iure eſt ad beneficium ſimoniacè habitum inhabilis, *capite* enim *nobis fuit, de ſimonia 17.* iubetur eo priuari; *cap. autem penultimo extra de electione*, dicitur Epiſcopus diſpenſare poſſe, vt is, cui ignoranti beneficium ſimplex ſimoniace eſt collatum, illud, poſt reſignationem, in Ordinarij manu factam retineat, non autem ſi ſit prælatura. *Si alicuius electionem,* inquit in can. citato Pontifex, *propter Simoniam eo ignorante ac ratum non habete commiſſam contigerit reprobari, cum eo ſuper prælatione, ad quam taliter fuerat electus, illa vice non poteſt Epiſcopus diſpenſare, quamuis circa eum, qui ignoranter recipit bene-*

A *ficium per ſimoniacam prauitatem, poſt liberam reſignationem, Epiſcopi diſpenſatione tolleretur:* Eſt ergo ſimonia, in eo qui eius admiſſæ eſt reus cauſa certa inhabilitatis ad beneficium in quo contigit, alioqui diſpenſatione nulla opus foret, ſed inhabilis, titulo ad beneficium vero nullo nititur, nec item colorato, cum ei prætexi cauſa debeat, ſaltem in ſpeciē, & apparenter probabilis, qualis collationi ſimoniacæ obtendi nulla poteſt.

Et quoniam aſſerenti ſe beneficio donatum eſſe, credere ſine teſte iudex non debet, B nec ſimiliter populus, eamobrem factā ab Epiſcopo ſola voce collatio, non eſt in foro externo valida, quia Epiſcopo, aut Collatore ordinario aſſerentibus, ſe quempiam beneficio dignatos eſſe, non creditur, deque ea re fidem ambo ſine literis non faciunt, Rebuff. *in praxi par. 1. tit. de collation. num. 26. & in Concord. rubrica de mandato verbo ad probandum.*

Inſuper vt collatio ſit valida, beneficium dari per ſubreptionem non debet, id eſt tacita veritate, aut expreſſa falſitate, quæ ſi nota C fuiſſet Ordinario, beneficium collatum non fuiſſet, *cap. ſuper literis 20. de reſcriptis*, quæ autem exponi debeant explicabitur poſtea.

Adhæc exigit beneficij collatio vt ſit valida, eius erogatorem iure bono atque vſitato præfultum eſſe, quod eum de iure communi, priuilegio, aut conſuetudine, habere eſt neceſſe, nec amiſſum aut impeditum. Eo caret Epiſcopus, cum quo tempore beneficium erogat, confertque, ab Eccleſiæ eſt conſortio ſegregatus, ſacriſque interdictus. Nam earum rerum nullam auſpicato, valideque poteſt is D agere, quæ ei conueniunt ratione dignitatis quam in Eccleſia ſuſtinet, *cap. paſtoralis parag. verum de appell.* cum vt eſt in cauſa 11. *q. 3. can. cum excommunicato* 18. nulli cum eo commercium habere liceat: ergo nec ab eo recipere beneficium, aut petere.

Similiter à Capitulo ſede vacante accipere beneficium, quod ſolus Epiſcopus conferre poteſt, nulli licet, quod id iure ſit à Bonifac. VIII. prohibitum in *cap. 1. de inſtitutionib. in 6.*

Requiritur etiam ad collationem beneficij E validam, palam vt fiat, hoc eſt, præſentibus fidedignis, facit id enim ad remouendas lites, quæ vitari vix poſſunt, cum fit collatio clam & occulte, eſt tamen rata, etſi ſit iure ſuſpecta *ex ca. vnico vt benef. ſine diminut. conferantur,* Regin. *lib. 30. tract. 3. n. 246.* Quibus ego verbis admoneor, ad collationem ratam beneficii neceſſe eſſe, vt integre detur, cum in Lateran. Concil. *ſit prohibitum, ne quis illud conferendo, partem prouentuum ſuis vſibus retinere præſumat, ca. vnico vt beneficia ſine diminutione dentur.* Idem decretum video in

ca.

ca. maioribus ca. auaritia 10. *ca. vacante* 26. *de præb.* quare non poteſt Epiſcopus vni cuipiam dare beneficium, & ſibi, aut nepoti ſuper eodem reſeruare penſionem *ca. extirpanda de præb. & ca. prohibemus de cenſib.* nec poteſt dum dignitatem confert, reſeruare ſibi eius iura, *ca. cum veniſſet* 6. *de inſtitutionibus*, eſtque hæc beneficij imminuta conceſſio, ſeu totalis & integra, ſine iuris vllius, aut penſionis ſuper eo reſeruatione donatio, poſtrema ad collationis validitatem neceſſaria conditio.

QVÆSTIO III.

Ex parte Collatarij, ſeu recipientis beneficium quæ ſint conditiones iure communi neceſſariæ.

EX parte recipientis, exigit beneficij collatio vt ſit valida, voluntatem eius admittendi.

Secundo, requirit tam in ordine, ætate, moribus, quàm qualitatibus aliis quæ iure poſtulantur, eius obtinendi, fruendique capacitatem.

Vt autem ſit licita, tam ex parte dantis, quàm recipientis, requiritur vt beneficium ei detur, qui Clericorum more vult viuere, ſecundo, vt ordines, qui beneficio, fundatorum voluntate ſunt annexi, ſuſcipiat, cum erit neceſſe.

Tertio, vt in Clericali ſtatu conſtantiam tenere, & in Eccleſia ſibi collata ſeruire ſecum ipſe conſtituat 1. *cap. ſuper inordinata de præb.* Rebuff. 1. *parte prax. tit. de requiſit. ad collation. num.* 2. Sotus *lib.* 10. *de iuſtit. qu.* 5. *art.* 6.

Non peccat tamen qui beneficium ſimplex accipit, cum intentione conditionali, non perſeuerandi in ſtatu Clericali, ſi quid melius fors illi amica obtulerit, vt hæreditatem amplam, vt ſeruandæ per nuptias familiæ, ſpem prope certam Nauar. *ca.* 22. *de orat. num.* 112. Sanchez & alij.

Quarto, vt ſit beneficij collatio licita, recipi cum intentione non mala præpoſteraque debet, qualis eſt eorum, qui in beneficiis ſolos reditus ſibi ambiunt, Dei cultum ac gloriam non quærunt.

Quinto, qui beneficium recipit, ab omni excommunicatione etiam minori liber eſſe debet, ob cauſas poſtea explicandas.

Sexto, is cui beneficium tribuitur auctoritate Pontificis, ſacris eſſe debet hominibus aggregatus per tonſuram, quod niſi ſit clericali hoc inſignitus typo, Sacerdotium obtinere nequit, nam Laici, *Eccleſiaſtica tractare negotia*, prohibentur, *in ca. decernimus* 2. *de iudiciis*, proindeque & præeſſe beneficiis,

A quæ omnia functionis exercēdæ ſpiritalis ius habent, ex dictis ſupra. Nec ſi poſt obtentum, ſibique donatum beneficium, beneficiarius tonſura delibetur, fiatque Clericus, ideo eius retinēdi futurus eſt capax, cum verticale hoc inſigne, Clericaliſque teſſera, quam tonſuram communiter nominant, beneficij collationem præire debeat, Alexand. III. fide in decret. *ex lit.* 6. *de tranſact. & ca. cum adeo* 17. *de reſcriptis*, de qua ſi per literas authenticas minime cōſtabit, nullo iuris effectu quæ præſumptio ac anticipato iudicio, exiſtimari hæc poterit ineſſe beneficiario, quia quæ contingunt homini, eique qualitatem extrinſecùs compe-
B tentem afferunt, hæc in vllo eſſe non ſunt exiſtimanda, niſi claris id ac apertis argumentis aut teſtium fide, probetur. Idemque eſt de ordinibus ſacris, qui niſi de illis ſingillatim collatis pateat, periculum eſt n[illegible] ...natus, eius priuilegiis iudicum ſententia non gaudeat. Caſum Ruffiniacus excipit, in quo Presbyter de cuius ſacerdotio per literas Epiſcopi authenticas non conſtat, tam bene apud omnes audiret, tantaque eſſet nominis & famæ exiſtimatione, vti graue aliquid, perperamque factum de eo cogitare, tem[illegible]arium
C foret: nam tunc eum ſacerdotem eſſe, etſi nullis literis nulla probatione clara liqueat, pro tali tamen habendum eſſe ait, quod etſi de interno dictum foro aſſeratur veriſſimè, non tamen de externo, in quo nulli ſine teſte creditur, nulli cū quid ſolus aſſerit in alterius noxam ac præiudicium fides haberi ſolet.

Septimo, ad conſequenda Sacerdotia, debet Clericus ea eſſe ætate, quam canonica decreta poſtulant, iiſque carere morum, ingeniique vitiis, quæ hæc improbant, de quibus nos ſingillatim poſtea.

D

QVÆSTIO IV.

Beneficia conferre iure Ordinario, cui ſit in Dei Eccleſia licitum.

PRima aſſertio, *Beneficia omnia iure conferri poſſunt à Papa.*

Aſſertioni fides eſt à canone, & ratione, iſta quidem, quia eſt Pontifex bonorum Eccleſiæ diſpenſator ac Oeconomus: Ordi-
E nariorum autem Ordinarius: qua de appellatione ac nomine Baron. anno. Chriſti 142. & anno 216. Binius in notis Concil. Carthag. ſub Cypr.

Et vt de Pontificibus aliquid dicam, eſt Clem. III. *in decret. licet* 2. *de præb. in* 6. Innoc. III. *in cap. propoſuit de conceſſ. prebend.* digna immortalitate ſententia, prioris quidem, *quod Eccleſiarum, perſonarum, dignitatum, aliorumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum plenaria diſpoſitio, ad Romanū Pontificem perti-*

neat: quo quid ab eo, in rem præſentem dici A potuerit expreſſius, non video, nam ſi non eſt eius authoritas vllis circūſcripta terminis ſed quaquauerſum patet, non eſt in beneficiorum materia quidpiam, quod Pontifici donare, ac facere non ſit pro authoritate permiſſum.

Eunt autem in hanc ſententiam, Summarum ſcriptores omnes, & iuris periti P. Greg. *lib. 17. Syntagmat cap. 7. num. 12. & in tract. de beneficijs cap. 38. num. 6.* Rebuff. *lib. 1. prax. tract. de deuolutionib.* Coraſ. *par. 2. cap. 1.* Duarenus *lib. 3. cap. 1.* B

Sed quia hæc ab authoritate petita probatio iſti non placet qui Papam propriis legibus ſuam ſibi poteſtatem & iuriſdictionem ſtabilire ſtomachatur, cum tamen id neceſſarium eſſe fateri debeat, in quauis Rep. & principe qui ſuperiorem non habet, vbi populus ius ſuum in Magiſtratum aut Principem detulit: quanto magis, vbi hoc ius eſt à Deo, qui Petro & ſucceſſoribus dixit, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos*, ſine vlla loci, temporis, aut rei limitatione, vnde qui ſub illo paſtore non ſunt, in Chriſti ouili non ſunt. C

Probatur ergo ratione: ſuppoſita iuriſdictione vniuerſali in Pontifice in Eccleſiam *9. q. 3. can. cuncta per mundum* & tota *diſt. 22. can. omnes, & can. ſacroſancta* quam nemo Catholicus negare poteſt, bonorum Eccleſiæ adminiſtratio pertinet ad Clericos, vt patet ex tota *diſt. 63. & tota cauſa 16. q. 7.* & in primis ad Prælatos Eccleſiæ, cumque præ cæteris, qui illi & iſtis præeſt, & à quo eorum poteſtas omnis manat, cauſa enim prima agit cum ſecunda, D & ſine hac cum lubet: ita Papa cum ordinarijs beneficia confert, & abſque illis, cum videtur.

Secundo poteſt Pontifex quemlibet Clericū ordinare vbique genitum *9. q. 3. can. nunc vero 7. q. 1. can. paſtoralis* cum eius iuriſdictio quoquò ſe gentium fundat: ergo & ordinatis beneficia cōferre: Clerici enim ſine aliquo titulo, aut beneficio ordinari nequeunt.

Confirm. Sunt beneficia de iure poſitiuo, & Eccleſiaſtico, ergo à Papa diſpenſari poſſunt, non tantùm ſecundum iura & canones, E ſed etiam præter, cum ſit ſupra eiuſmodi iura, vtpote eorum auctor *cap. propoſuit de conceſſ. preb.*

QVÆSTIO IV.

Quid poſſit Concilium in collatione Beneficiorum?

DIco primò, *à Concil. Prouinciali, beneficia non conferri.* Nam conſideratur per ſe ſeorſim ab Antiſtite, vel cum eo, ſi primo modo, nullam habet poteſtatem, vt corpus ſine capite: ſi ſecundo, confert quidem, ſed non niſi auctoritate præſulis, & non ſua, itaut reliqui de concilio ſint ei conſiliariorum inſtar, qui non ſunt concauſæ collationis, ne quidem, ſine quibus non fieret collatio, niſi forte ex priuato alicuius prouinciæ ſtatuto aut conſuetudine.

De generali dubium eſſe poteſt, cum conſtet pleroſque in Concilijs exauctoratos eſſe, alios in eorum dignitates, officiaque ſublectos, quo modo Nectarius in Concil. electus eſt Conſtantinopol. Epiſcopus. Theodoret. *lib. 5. cap. 4.*

Dico 2. *Concilium Oecumenicū cui Papa præſit, aut alius eius nomine, poſſe circa beneficia, quantum ei Papa poteſtatis dederit, nec rata eſſe quæ in ijs diſpoſuerit, niſi à Papa confirmentur.* Quia non eſt iuriſdictio in Concil. à Chriſto immediate, ſed per Papam, vt probat Henriq. *lib. 6. cap. 5. num. 9.* Itaque quæ in Conc. Baſileenſi de beneficiis facta à Nicolao V. fuerant, confirmari debuerunt, alioqui tam fuiſſent irrita, quam eorum conſtitutio de Concilio conſtituendo ſupra Papam, quia, vt dixi, corpus deſtitutum capite, inane eſt, ſine vi ac poteſtate.

Dico 3. *in duobus caſibus Concilium Oecumenicum, beneficia conferre poſſe.*

Primo cum Papa propter manifeſtam hæreſim poteſtate ſua excidit, vel cum tempore ſchiſmatis, de vero Pontifice non conſtat: tunc enim Papatum conferre poteſt: ſicut Collegium Cardinalium vacante ſede, dando ei nempe iuriſdictionem ſpiritualem ſuper Eccleſiam, non quaſi ex authoritate ſibi diuinitùs ſupra Papam conceſſa, ſed miniſteriali poteſtate eiuſdē Eccleſię quæ dignitatem à Chriſto inſtitutam certo homini applicat, vt docuit Caiet. *to. opuſculor. 1. tract. 1. cap. 20. & ſeq.* & poſt eum Bellarm. *lib. 2. de Romano Pontif. cap. 17. in 3. opinione.* Nec tunc eſt corpus ſine capite, ſed ei præeſt Chriſtus Dominus, & Spiritus eius: Bellar. *lib. 2. de Rom. Pont. cap. 30.*

Dico. 4. *Collegium Cardinalium ſede vacante ius non habere conferendi beneficia.*

Prob. ex *Clem. ne Romani § 2. de elect.* vbi eis poteſtas omnis adimitur quidpiā exercendi, quod ad Romanum Pontificem pertinebat, dum viueret: ergo & dandi beneficia.

quæ

quæ Pontificij muneris pars eſt aliqua.

Confirm. ſic creando Pontifici ſtudioſe vacare Cardin. debent, dum ſunt in Conclaui, *quod ſi nequaquam de alio negotio intromittant, niſi forſan neceſſitas adeo vrgens incideret, quod eos oporteret de terra ipſius Eccleſiæ defendenda, vel eius parte aliqua prouidere,* Gregor. X. *in Concil. Generali Lugd.* & refertur, *cap. 3. vt periculum parag. 1. de elect. in 6.* conferendi ergo beneficij poteſtatem tum nullam habent.

Quod ad Legatos Cardinales de latere attinet, dicendum eſt, eos in ſua prouincia beneficia cum vacant, largiri poſſe, quia poſſunt ab excommunicatione abſoluere, *cap. ad eminentiam 20. de ſentent. excomm.* confirmare Epiſcoporum & Archiepiſcoporum exemptorum electiones, *cap. ſi Abbatem 36. de elect. in 6.* ergo & beneficia prouinciæ ſibi commiſſæ tradere, exceptis iis quæ ſunt reſeruata Pontifici *cap. 1. de officio legati in 6.*

Dixi, ſuæ prouinciæ, quia Legatio quaſi ordinarius, ei cenſetur præpoſitus cum auctoritate eam regendi: ergo & dandi beneficia, cum eorum collatio, ad bonum eius regimen ſit neceſſaria.

Quid ſi ab ea abſit? quid ſi in diſſita procul terra ex cauſa habitet?

Reſpondend. officio non ſecus fungi, poſſe quoſque beneficiis dignos iudicat, iiſdem præficere, ſecundum Bonifac. VIII. *cap. penult. de officio Legati in 6. parag. prohibemus,* & Innocent. III. *in cap. mouet ille, extra de officio leg.*

Quod autem iſtis legatis Cardinalibus, Papæ voluntate in beneficiorum donatione licet, id ipſum eius quoque Vicario, ac vices gerenti, vrbis moderandæ cauſa cum abeſt, reſpectu omnium præterquàm conſiſtorialium competit, quia tum eadem eius eſt, ac Pontificis poteſtas omnis ac auctoritas, *lege 1. Cod. de officio eius qui vices gerit alterius.* Quare non ſecus ac ille Legatus à latere, modo ſit Cardinalis, collationi ſuæ certa ſibi beneficia ſeponere in ſua prouincia poteſt: quæ cum vacare contigerit ab eo conferantur, & non ab Ordinario, Innoc. IV. *in cap. officij 1. de officio legati in 6.* Boniſac. VIII. *in cap. præſenti 3. eiuſd. tit.*

Sunt ab hoc numero excipiendæ dignitates maiores, poſt Epiſcopatum electiuæ, *cap. deliberatione 4. de officio legati in 6.*

Secundo, Regulares & Collegiatæ Eccleſiæ, ibidem.

Tertio, beneficia quæ ad præſentationem patroni Laici pertinent, gloſſa in *Clementinam per literas de præbendis*, aut quæ mixtim ad eum & Clericum ſpectant: nam eam Legatus patrono repugnante dare nequit, quemadmodum nec quæ graduatis, aut nominatis in Gallia ſunt debita.

A Cauſa eſt, quod quæ reſeruare ſibi Romanus Pontifex non ſolet, hæc Legati poteſtati non ſint obnoxia, *cap. quod tranſlationem 4. de officio Legati*: at quæ beneficia ex conſenſu Leonis, & Franciſci primi addicta ſunt graduatis, hæc reſeruare ſibi Papa non ſolet, vt habet *parag. declarantes de mandatis Apoſtolicis in concordat.* ergo, &c.

De dignitatibus autem & regularibus Eccleſiis eſt Bonif VIII. cõſtitutio in *cap. 4. de officio legati,* his verbis: B *Duximus inhibendum ne aliquis Apoſtolicæ ſedis legatus, Cathedrales vel regulares Eccleſias vel Collegiatas, ſeu ipſarum Cathedralium Eccleſiarum dignitates reſeruet.*

Tertia aſſertio, *Quæ Legatus, eadem quoque beneficia conferre in ſua Diœceſi Epiſcopo eſt licitum:* ita Pontifex in *cap. ex frequentibus 3. de inſtitutionibus & eodem titulo in 6. cap. 1. cap. cum ſatis de officio Archidiaconi*, priori enim illo canone ſeuere pro auctoritate Papa prohibet, ne quis beneficium in Diœceſi habeat, *ſine conſenſu* Epiſcopi, vel Officialium ſuorum, qui *hoc iure poſſunt*, in altero autem negat Bonif. in Capituli iure eſſe quæ ad Epiſc. C collationem pertinent conferre.

Quid? quod in Concil. *Aurelian. 1. can. 19* præcipiant Epiſcopi, *vt omnes Baſilicæ, quæ per diuerſa loca conſtructæ ſunt, ſecundum priorum canonum regulam, in eius Epiſcopi poteſtate conſiſtant, in cuius territorio poſitæ ſunt.* Eſt enim Epiſcopus ſacrorum Princeps, in ſua Diœceſi, eam ergo regere, ac moderari cum molitur, quæ ſunt officij ſui propria munia exequitur. Regi autem ab Epiſcopo Eccleſiam tum maxime quis non videt, cum Parochiis gnauos præficit, ac ſalutis alienæ ſtudioſos homines, quum altaribus, vbi ſacrificatur D *Deo placitos ſacris cultibus inſtituit, cum Patronorum conniuentia ſecuturos: 17. q. 7. can. decernimus 33.* hæc ergo conferre dignis, Epiſcoporum eſt munus.

Vicarij autem quem *Generalem* dicimus, eorum beneficentia ac liberalitate, non aliter: Rebuff. in *regul. Cancellar.* 13. Flamm. de *reſign. lib. 7. q. 2. n. 35.*

Et vt voluntate ac commiſſione Epiſcopi, (vt loquuntur) beneficia conferre Vicarius poteſt, ita & eorum reſignationes admittere, non aliter, vt expreſſe habet Bonifac. VIII. E *in cap. 3. de officio Vicar. in 6.*

Notare tamen placet cum Reginal. *lib. 3. tract. 3. num. 242.* Vicarium ex iure communi poſſe quæ ſunt neceſſitatis & iuſtitiæ, vt inſtituere præſentatos, confirmare electos, non quæ ſunt meræ libertatis, vt eſt beneficij collatio, etſi contrarium videatur dici in *cap. frequentibus 3. de inſtitutionibus.* Tunc autem ſpecialiter data Vicario cenſetur conferendi beneficij poteſtas, quando expreſſa eſt in literis ſui Vicariatus iniecta prouiſionis, collationis, ſeu inſtitutionis beneficiorum per ille

mare ei nefas eſſet.

QVÆSTIO VI.

An Beneficia Cathedralis Eccleſiæ, cum poſſeſſore vacant, conferre ſacri ſodales queant.

COnferri olim totius electione ſodalitij, ac de cõmuni canonicorũ Eccleſiæ ſententia, more ſcilicet veteri electionum renouato conſueſſe, Choppinus *lib. 1. de ſacra politia tit. 1.* aſſerit, cum hoc tempore ſecus fiat: nam antiquato electionum ritu, Canonicus quiſq; viciſſim fiduciarias præſtat operas Collegio, conferendis Eccleſiæ ſuæ beneficiis; ſunt de hoc genere in Celtica Eccleſia, Cathedrales ædes ſacræ, Catalaunenſis, Lingonenſis, Cabilonenſis, Virdunenſis ac Heduorum, in quibus ab Epiſcopis ad canonicos, canonicatuum conferendorum poteſtas eſt tranſlata. Itaque vt ſuo cuique hebdomas propria conuenit: ita & vacantes in ea præbendas donare poteſt, auctor ipſe Bonifac. in *cap. mandatum 41. de præb. in 6.* his verbis. *Mandatum beneficia eiuſdem capituli, ſiue dentur in communi per ipſum, ſiue per Canonicos eiuſdem Eccleſiæ ſingulares, vice ac authoritate capituli aut ex iure ipſius, de conſuetudine, vel ſtatuto, merito comprehendit.* Quam ad rem, non eſt neceſſe, Canonicum eſſe Presbyterum, aut ſacro aliquo ordine initiatum, ſi Rebuff. creditur *de nominationibus qu. 8. n. 3.* Eſt enim collatio iuriſdictionis actio, quæ ſtare poteſt ſine ordine ſacro, vt dicitur *de elect. cap. tranſmiſſam 15.*

At ſuffragari in Capitulo (inquies) aut eligere, nulli eſt eorum, qui ad ordines ſacros nondum ſunt promoti, licitum: ergo nec conferre beneficium, Clement. *vt hi qui de ætate*

Neganda eſt conſequentia, eſt enim hæc conſtitutio de numero pœnalium, nullo ergo modo eſt extra ſuum caſum extendenda.

Equidem vt potuere Romani Pontifices à ſacris arcere Comitiis Canonicos non initiatos quod prudentiæ habere tantum non credantur, quanta eſt neceſſaria eligendo Magiſtratui, qui Eccleſiæ ius dicat, mentiumque procurationem ſuſcipiat: ita & eorum cuilibet de Collegio, ius erogandorum canonicatuum dare potuiſſe quis neget? vt feciſſe Paulum eius nominis tertium, Agennenſis Eccleſiæ acta memorant. Enimuero cum viderent eius Canonici, perpetua inter ſe ac ferè nunquam interrupta eſſe animorum diſſidia, in canonicis in cœtum ſuum cooptandis, ſtatuerunt anno 1554. 13. Kalend. Sextil. vt *præbendarum eiuſdem Eccleſiæ collationes & prouiſiones earundem fiendæ, diuiderentur, & fierent per ſeptimanas inter eos diuidendas & aſſignandas, videlicet quod Epiſcopus Agennenſ. & eius ſucceſſores, habebunt duas ſeptimanas integras & continuas pro quolibet turno, & ipſis finitis quilibet Canonicorum habebit vnam ſeptimanam, ſecundum eorum ordinem & gradum, vſque ad finem turni*: quam Agennenſium pactionẽ comprobauit Paulus: quorum exemplũ ſecuti poſtmodum Lemouicenſes Canonici, antiquata de communi omnium voluntate ac conſenſu, priſcarum electionum conſuetudine, decreuere, *Quod Canonicatuum dictæ Lemouicenſ. Eccleſiæ, quorum electio ad Decanum, Canonicos, & Capitulum qui conferebant eligendo, communiter ſpectare conſueuerat collatio & prouiſio, quoties in poſterum vacabunt, ad canonicum exiſtentem in aquila chori Eccleſiæ ad beneficia conferenda tempore vacationis eorundem canonicatuum pleno iure deinceps ſpectabit & pertinebit, demptis dignitatibus Decanali Cantoriali & Archidiaconali quæ ad communem electionem vt ante pertinebunt*: Beneficia ergo Eccleſiæ ſuæ Canonici conferunt, quod erat probandum.

QVÆSTIO VII.

An conferre beneficia, in Laicorum ſit iure.

PRima Aſſertio, *De iure communi & ordinario, Eccleſiaſtica conferre beneficia Laico non licet*, auctor Alexand. III. in *decretali nullus 17. de iure patronatus. Nullus*, inquit, *laicus decimas aut Eccleſiam, aut quidquid Eccleſiaſtici iuris eſt, ſine conceſſione ſui Pontificis Monaſteriis vel Canonicis conferat*, quanquam multis ante ſæculis, in Synodo Romana tertia ſub Symmacho, prohibitum video, *ne laicis quamuis religioſis, vlla de Eccleſiaſticis facultatibus aliquid diſponendi, poteſtas tribuatur*, ab Alexand. item II. ne *per Laicos vllo modo quilibet Clericus, vel Presbyter obtineat Eccleſiam, nec gratis nec pretio 16. q. 7. can. 20. & cap. cum laici 10. de iure patronatus*, negat Alexand. III. *licere laicis, Clericos in Eccleſiis præſumptione propria ordinare*: & ita *ſi conſenſus* Epiſcopi nõ acceſſerit, nihil agi, quia *pro non dato habetur, quod ab illo datur: qui non poteſt de iure donare, cap. quod autem 5. de iure patron.*

Pœna tam in dantem laicum, quam recipientem Clericum ſtatuta à Lateran. Concilio, eſt excommunicatio, vt refertur in *cap. præterea 4. de iure*, indicatque his verbis Iuo in *epiſt. 158.* ad Vlgrinum Pariſienſ. Eccleſiæ Archidiac. *Quod ſi per laicorum violentiam intrudere ſe voluerit, tua fraternitas nouit antiquis regulis cautum eſſe, quod laicis nulla eſt attributa facultas Presbyterus in Eccleſia ordinandi, vel de Eccleſia reiiciendi, aduerſus quam formam, ſi Presbyter Eccleſiam irruperit, tui officij eſt in Presbyterum præſumptorem anathe-*

matis gladium exerere, & laicos huius perſuaſionis cooperatores, donec deſinant, à liminibus Eccleſiæ ſequeſtrare.

Secunda aſſertio, *Cōferre beneficia ex diſpēſatione Papæ eſt Laicis licitum*: ita ca. *ad ſupplicationē 9. de Renunt.* Inno. III. permittit Epiſcopo retinere beneficium, quod ei liberalitate regia collatum fuerat, & in *cap. dilectus filius 34. de præbendis*, dicitur Decanus Andegauenſis *ex donatione regis præbendarum eiuſdem Eccleſiæ collationē habere*, haud dubie, quia quod ipſe erat que ſui muneris, Rex poterat in Decanū tráſtulerat. Nec viri modo, ſed & feminæ, ex priuilegio Papæ beneficia tribuūt, vt Abbatiſſa, in *c. dilecta 12. de maioritate & obedientia*, ibi enim Honorius III. aſſerit Abbatiſſam de Bubrigen. *Canonicas ſuas, & Clericos ſuæ iuriſdictioni ſubiectos, propter inobedientias & culpas, à beneficiis ſuis ac officiis ſuſpendere* fuiſſe ſolitam: quod non potuiſſet, ſi eorum conferendorum, ius penes eam non fuiſſet, quod ſane conceptis verbis aſſerunt Cardinalis, in *cap. cum dilectus de conſuetudine*, Malretus in *tract. de elect. in 5. limitatione*, Rochus *de iure patron. q. 1.* Rebuff. *de nominationib. q. 8. num. 9.* cum beneficij collatio, non modo in ſe ſit ſpiritalis, vt habet Rebuff. *de nominatiqn. q. 14. nu. 72.* ſed etiam in effectu: nam primo & per ſe, eſt iuris ſpiritualis conceſſio, indirecte & ex conſequenti fructuum, qui etſi à cæteris materialiter ſpectati non differant: ſunt enim profani: tamen comparati ad officium ſpirituale, à quo ius eos percipiendi oritur, ſunt ſpiritales) collatio hæc (inquam) beneficij, ob eam cauſam inter cæteras, citra priuilegium Papæ, Laïco non competit, facta proinde ab eo, eſt nulla decreto Alexand. II. in *cauſa 16. q. 7. per Laicos*, inquit, *nullo modo quilibet Clericus obtineat Eccleſiam, nec gratis, nec pretio.* In hoc autem hominum genus his verbis animaduertit Paſchalis Papa; 16. *qu. 7. can. ſi quis. Si quis Clericus, Abbas, vel Monachus per laicos Eccleſias obtinuerit: ſecundum Apoſtolorum canones, & Antiocheni Concilij Capitulum, excommunicationi ſubiacet*: dicti huius eſt hæc ratio, quod Laïci non eſt inuigilare Eccleſiæ, eam doctrina & exemplo paſcere, ſed præſulum, quibus in perſona Petri dictum eſt à Chriſto, Ioan. 21. *Paſce oues meas*: ergo nec eius eſt prouidere de beneficiis, cum miniſtrorum in templis ſubſtitutio, Eccleſiaſticæ procurationis ſit portio, quæ principi non conuenit aut Laïco, niſi vt dixi ex ſpeciali ſolius Papæ priuilegio, ſtatuto, aut fundatione beneficij. De primo, ſic Regin. *to. 2. lib. 30. tract. 3. n. 245. ex Papæ priuilegio ſpeciali, Rex vel Princeps poteſt tale ius habere, quia quamuis Laicus non ſit ex officio, & poteſtate ordinaria capax iuris ſpecialis, ex ſpeciali tamen priuilegio poteſt illud habere.*

A Quia non magis collatio eſt ſpiritalis, quam præſentatio, aut electio, neutri enim conuenit, vt ſit in ſe talis, ſed tantum per ordinem ad aliquid quod eſt in ſe ſpirituale, collatio quidem, ad eius poteſtatem, qui ex officio, & authoritate ordinaria debet Eccleſiam regere & proinde conferre beneficia, à qua collatio, & præſentatio manant vt effectus, qui antecedenter tantùm ſunt ſpiritales, non in ſe: nam cum non niſi pop. conſenſu calculoque communi, ſedere olim in puppi Eccleſiæ, Epiſcopis licitum eſſet, eius votū, conſenſuſque erat neceſſarius, vt habet Concilij Sardi-

B cenſis *can. 6.* & Leonis I. decretal. 87. *tomo 2.* Conciliorum, inſerta his verbis: *expectarentur certe vota ciuium, teſtimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio Clericorum, quæ in ſacerdotum ordinationibus, ſolent ab his, qui norunt Patrum regulas cuſtodiri*: nihil ergo prohibet, id concedi modo Regi, quod à plebe naſcentis Eccleſiæ temporibus, vſurpatum fuit, nec ſine fructu.

Equidem habet Innoc. explanans Innoc. III. *decretalem quiſquis de elect.* non incurſurum in huius decretalis pœnas eum, qui à per-

C ſona laica inueſtituram acciperet, ſi id ei aut priuilegium, aut conſuetudo largiretur, confirmant id cum Lambertino *lib. 2. parte 3. q. 1. art. 11.* Reginald. *tom. 2. lib. 30. tract. 3. cap. 16. ſect. 4. num. 224.* vbi de inſtitutione loquens, quæ à collatione non eſt diſtincta, hæc habet: *Laicus non poteſt habere de iure communi ius inſtituendi, nec item ex conceſſione Epiſcopi, poteſt autem ex ſpeciali priuilegio Papæ, vel per conſuetudinem ab eo approbatam.*

D

QVÆSTIO VIII.

Conferre beneficia Papæ quo modo conueniat & quotuplici.

TRiplici, reſeruatione, concurſu & deuolutione.

Reſeruatione multis modis: primo iure communi, & hoc modo omnia beneficia Romæ vacantia per obitum, aut in itinere, eo ſcilicet eundo, vel inde redeundo, intra duas diætas, id eſt, quadraginta milliaria à loco

E vbi eſt curia, decreto Clem. III. in *cap. licet 2. de præbend. in 6. & cap. ſi tibi præſenti 34. eodem tit.* Papæ ſunt reſeruata: continet enim diæta 20. milliaria ex gloſſa ibi, *quæ millia prætor iubet ſingulis diebus eum conficere quem ad iudicium aduocat, authoritate qua pollet, L. vicena millia ff. ſi quis cautionibus*: beneficia ergo quorumcunque accedentium ad Curiam, aut inde recedentium, ſi in Curia, aut in locis vltra duas diætas à Curia non diſtantibus moriantur, Papæ reſeruantur. Si tamen de iis non prouideat intra menſem, ad ordinarium

cum

cum pleno iure relabuntur, decreto Gregor. X. *cap. ſtatutum 3. de prębendis, in 6.* his verbis: *Vt ij ad quos eorundem beneficiorum & dignitatum ſpectat collatio, ſtatuto non obſtante prædicto, denuò poſt menſem à die, quo & dignitates ſeu beneficia ipſa vacauerint, numerandum, ea conferre valeant.*

Si ergo Papa, in Curia Romana vacantia beneficia intra menſem, non à die vacationis, ſed à die eius cognitæ cõputandum, minime cõtulerit, ad ius cõmune facultas ea cõferendi quaſi poſtliminio rediẽs, ad inferiores locorũ ordinarios pertinet, qui proinde pro iure ſuo per ſeipſos, aut procuratores à ſe præſtitutos, ea conferent, hæc gloſſa eius canonis, & Azor. *parte 2. lib. 6. cap. 34. q. 6.* Idem dicendum, ſi beneficia curata, cum ſede vacante vacauerint, aut interim dum vacant, diem ſuum Pontifex obit, non deſignato ante homine cui dari debeant, *cap. ſi Apoſtolica ſede 35. de Prębendis in 6. Si Apoſtolica ſede vacante, aliquas Parœciales Eccleſias vacare contigerit, de cætero apud ipſam, ſtatuimus, vt de eis, ne ipſarum vacatio diutina periculum valeat animabus afferre, per eos, ad quos pertinet, poſſit libere ordinari.* Idemque faciendum eſſe Layman. ait *l. b. 4. tract. 11 cap. 11. num. 1.* licet viuente Pontifice talia beneficia vacarint, ſi ante obitum ſuum nihil *de ijs diſpoſuit,* ad alia tamen beneficia transferri hæc regula non debet, eo quod in iis ceſſet ratio periculi animarum, quo parœciæ diu vacantes non carent.

Secundo, Papæ reſeruantur beneficia Cardinalium & Curialium, ſeu familiarium Papæ, tametſi extra Curiam vacent, vt cum extra eam moriuntur, *Extrauag. ad regimen de prębend.*

Tertiò, dicuntur etiam quoad hunc effectum vacare in Curia, quæ ob crimen poſſeſſore ſunt vacua, in quod etiam priuationis, depoſitionis, aut tranſlationis dicta eſt à Iudice Eccleſiaſtico ſententia, Zerola *verbo beneficia 2.*

Quarto, vt alternis menſibus benefici acũ Epiſcopis, in ſua Diœceſi verſantibus, conferre Papa ſolet, ita octo ex duodecim ſibi ſepoſitos voluit, in quibus locis dicti Epiſcopi in Diœceſi ſua non reſident, nempe Ianuarium, Februarium, Aprilem, Maium, Iulium, Auguſtum, Octobrem, & Nouembrem, quatuor duntaxat intercalaribus relictis Epiſcopo, puta Martio, Iunio, Septembri & Decembri.

Vbi ex Couarr. *to. 2 practicar. cap. 36. num. 4. notare placet* aliud eſſe vacare in Curia, & apud ſedem Roman. vacant hæc beneficia in Curia, quorum poſſeſſor interit tam Romæ, quam alibi: vbi Pontificem agere tum contingit, aut quæ fuere Officialium Curiæ dum viuerent.

Vacant apud ſedem quæ reſignantur in Papæ manibus, etſi procul ab vrbe, vt Lutetiæ, aut in Germania reſignentur, certis danda hominibus, abſolute ac ſine modo, vel cum hac conditione, *nec alias nec aliter, nec alteri.*

Quinto, quia Dignitates in Eccleſiis Cathedralibus, poſt Epiſcopatum maximæ, Papæ ſunt reſeruatæ, item principales in Collegiatis per regulam tertiam Cancellariæ apud Mendoſ. *q. 21.* Garciam *parte 5. cap. 4. num. 21.* eas conferre ſolus poteſt.

Eas autem ſibi per reſcriptum reſeruat vt fecit in *cap. dudum 14. de præb. in 6* & in *cap. mandata 38. & cap. literis 39. de reſcript.* accidit id verò, cum ordinario dat in mandatis, certum vt hominem beneficio præficiat, in quo ei parendum eſt, ſecus collatio eſt inualida, in duobus caſibus: primus eſt, cum hic in reſcripto ſuo expreſſe ait ſe eam aliter factam inualidare *cap. ſi ſoli de conceſſione præbend. in 6.* Syluest. *verbo beneficium 6. qu. 6.* Reginald. *de reſcript. n. 270.*

Secundus eſt, cum non tantum ſuam Pontifex voluntatem, ſuper beneficio, quod vult ſuo mandatario conferri, literis ad Ordinarium datis ſignificat, ſed eum inſuper, ad illud ei dandum obligat, & tunc præbenda proximè vacatura, alteri non niſi inualide conferri poteſt *de conceſſione prębendæ in 6. cap. 1. §. ex parte 5. & 6.* Clement. *ſi dignitatem & cap. ſibi qui 12. de reſcriptis in 6.*

Extra hos caſus, collatio quidem contra reſcriptum facta eſt valida, quia reſcriptum Apoſtolicum, quo mandatur alicui prouidere de beneficio, ius ei nullum ad id ſpeciale tribuit, ſed tantum faciendi vt ordinarius, ſibi aliquod de his quæ vacare contigerit non neget, ſi eſſet tamen mandatarius per reſcriptum Papæ, factus alicuius Eccleſiæ canonicus, collatio de præbenda vacante, alteri quam illi facta, foret inualida, Bonifac. VIII. in *cap. ſi poſtquam 13. de reſcriptis in 6. nam eo ipſo quo canonicus auctoritate Apoſtolica fuiſti effectus, ius ad obtinendam prębendam proxime vacaturam, ibidem tibi acquiſitum extitit, eandemque quam cito vacauit, ex quo nulli alij debebitur, iuſte petere potuiſti, & ideo alteri conferri nequiuit.*

Aduerte tamen, Pontif. mandatis non complecti ſuis, etſi cum hac clauſula generali dentur, (*ad cuiuſcunque collationem pertineat*) non inquam, complecti ea beneficia quæ in iure nominatim ſunt excepta, niſi de illis expreſſa fiat mentio, cuiuſmodi ſunt

Primo, Dignitates electiuæ, quæ animarum curam habent: Bonifac. *in cap. cum in illis de prębendis in 6.* Clemen. *1. eodem tit.*

Secundo, beneficia curata vt Parochiæ ibidem.

Tertio, quæ ſunt iuris patronatus Laico-

rum, Couar. *in qq. practic. cap. 36. num 2* quia non cenſetur Pontifex iuri Laïcorum ex fundatione, dotatione, præiudicare velle, reſeruare tamen poteſt, quæ ſunt iuris Clericorum, *cap. cum dilectus de iure patronat.*

Quarto, quę ſunt ſuppreſſa, ſeu ſublata de Eccleſia, hæc non ſunt à Papa reſeruari ſolita, quia vt eſt in *cap. cum acceſſiſſet 8. de conſtitut.* dignitas ſublata per ſtatutum, quod eſt à Papa confirmatum, non cenſetur amplius vacare.

Quinto, non reſeruantur beneficia quæ aliis ſunt vnita, aut Epiſcopali menſæ coniuncta, *Clement. vnica parag. quadam de exceſſibus Prælatorum*, cauſa eadem quæ prioris membri, nempe quod vnita vacare amplius non ſoleant.

Sexto, nec reſeruantur quæ ſunt monocula, id eſt, talia vt præter illud ordinarius aliud nullum habeat quod conferat, Coraſius *de ſacerdotiis parte 4. cap. 1. nu 49. Regin. tom. 2. lib. 20. tract. 3. num. 207.*

Ratio eſt, quod cum Papa ordinario imperat, vt beneficium homini à ſe commendato tribuat, id de aliquo facere ſoleat: at hæc particula (*aliquod*) vtpote relatiua, ſupponit ad eius collationem pertinere ſimilia non pauca, eius quod mandatario vult dari: ergo ſi fuerit monoculum, in mandato comprehendi non eſt cenſendum.

Septimo, ſunt etiam Pontifici reſeruata beneficia quæ vacant, per promotionem ad alterum, cuius collatio ad illum pertinet, iuxta regul. Cancellar. *& Extrauag. ad regimen de præbendis*: ſimiliter cum beneficium confert alicui habenti alterum incompatibile, huius enim ipſo iure vacantis collatio, Papæ reſeruatur, ſicut colligitur ex citata *Extrauag. ad regimen*, & notant Garcias *par. 11. cap. 5. num. 51.* Laym. *ſupra num. 1.*

Modus alter generalis, quo Papa beneficia conferre eſt ſolitus, appellatur per præuentionem, aut eiuſdem, cum ordinariis collatoribus concurſum; eſt autem præuentio, gratiæ expectatiuæ ad beneficium primo vacaturum collatio, de qua ſermo eſt in *cap. dudum 14. de præbendis in 6. & cap. licet 2. ibidem. Clementina vt lite pendente.* Eſt concurrentia, ſeu concurſus, collatio à Pontifice facta beneficii eiuſdem, quod collatum eſt ab ordinario, cuipiam alteri ab eo diſtincto, quem Pontifex dignum illo credidit, *cap. quia de conceſſ. præbendæ*: nam etſi poteſtatem Ordinariis dederit conferendi beneficii, ſibi tamen maiorem ſemper ſeruatam voluit, *cap. dud. de elect. in 6.*

Ad id tamen eſt neceſſe, vt eos Pontifex, tempore præueniat, alioquin nihil proderit eius collatio, Abbas in *cap. inter dilectos de exceſſib. Prælatorum*, Regin. *lib. 30. ſect. 2. nu.*

A 236. Malderus proxime citatus: quæ temporis in conferendo præceſſio, vt nocet ordinariis, ita & indultariorum ius omne elidit, Bleyns. *tract. de pertinentibus ad Laicorum diſp. 5. num* 27. prout anno 1557. 27. Iulii, Peleo teſte, *lib. 5. actione 4.* pronunciatum ſcimus, aduerſus Regis indultarium, qui etſi de conceſſo ſibi indulto, Abbatem S. Iuliani apud Turones loco ac tempore certum feciſſet, quia tamen ante requiſitionem à ſe factam, vacantis prioratus, ab ea Abbatia pendentis, illum paſſus erat à Papa, al-
B teri poſtulanti deferri, iure eius conferendi excidiſſe eſt creditus, quod eſt argumento Indultariis locum nullum eſſe, cum Papa prius beneficium confert, quam hi de eo ſibi dando, in vim indulti ſui ordinarios interpellauerint.

Dixi *prius*, nam inter Papam & ordinarios inferiores, ita præuentioni eſt locus, vt qui prior contulit, eius ſit rata collatio.

Quid ſi ſatis non conſtet vter præuenerit; Papa an ordinarius?

Reſpondendum, eius futurum ius po-
C tius, qui poſſeſſionem prior iniit, Reginal. loco proxime citato *num. 36.* Sin autem neuter ex prouiſis in eam adhuc eſt miſſus, *is cui à Papa, vel legato collatum erit, alteri propter conferentis prærogatiuam ampliorem, eſt præferendus*, Bonif. VIII. *in ca. ſi à ſede Apoſtolica 31. de præbend. in 6.*

Tertius & poſtremus modus, quo à Papa beneficia conferri ſunt ſolita, deuolutione iuris ad illum alieni nititur, accidit que, cum ratione criminis, in collatione admiſſi ab ordinario, aut eiuſdem negligentiæ in conferendo, ius ad Pontificem redit, quo modo
D per Extrauag. *cum deteſtabile 2. de Simonia*, quæ ſunt ſimoniace acquiſita, ſic iuris ſunt Pontificum, vt ablata ſimoniacis, alteri cuipiam conferri ab iis valeant. Sic & illa, ad quæ ſtatuto per canones tempore, non eſt per patronum, loco demortui ſubſtitutus alius, iure illi dari poſſunt, quem ordinarius ad illa iudicaret idoneum, *cap. nulla de conceſſione præbend. & cap. quoniam de iure patronatus.*

In ſpecie vero, Capitulo cum eligendi, confirmandi, prouidendi, ius habet, deuo-
E lutio fit ab Epiſcopum, propter negligentiam vel defectum dicti Capituli, vt habetur in *cap. 2. de conceſſ. præb.*

Ab Abbate non exempto, aut aliis collatoribus à Capitulo diſtinctis, ſi hi ſtatuto tẽpore non contulere; aut ſi cõtulere quidem, ſed non niſi indigno, poteſtas deuoluitur ad Epiſcopum. *Clement. vnica de ſupplenda neglig. Quia regulares Prælati, prioratus, Eccleſias, adminiſtrationes, aut quævis beneficia ad eorum diſpoſitionem ſpectantia cum vacant, interdum committere negligunt, vel conferre in-* [illegible]

tra tempus in Concil. Later. conſtitutum, Diœceſani locorum in non exemptis, in exemptis vero Apoſtolica auctoritate negligentiam ſuper hoc ſuppleant eorundem.

Quod ſi Epiſcopus ſimiliter in his cōferēdis officio deeſt, fit deuolutio ad Metropolitanum & ab hoc ad Papam, *cap. cum ſingula 2. de præbend. in 6. parag. prohibemus.* Si autem eius negligentia aut defectus, contingat in beneficiis, quæ ad eum iure proprio pertinent, ius collationis ad Capitulum deuoluitur, vt eſt in *cap. nulla 2. de conceſſ. præbendæ his verbis: Cum Eccleſiaſticas præbendas, ſeu qualibet officia, in aliqua Eccleſia vacare contigerit, non diu maneant in ſuſpenſo, ſed intra ſex menſes, perſonis quæ digne adminiſtrare valeant, conferantur, ſi autem Epiſcopus vbi ad eum ſpectat, conferre diſtulerit, per Capitulum ordinetur, quod ſi ad Capitulum pertinuerit, & intra præſcriptum terminum hoc non fecerit, Epiſcopus ſecundum Deum, hoc cum religioſorum virorum conſilio exequatur:* quod tamen non eſt hoc tempore in vſu, cum Epiſcopus tam in his quæ ad eum iure deuoluto pertinent, quam quæ ſunt eius propria, Canonicos ad conſilium non adhibeat, ſed ſe ſolum, aut ſi aliquos, è domeſticis ſuis ac familiaribus vnum duntaxat, aut duos.

Declaratur praxis fori Gallici circa reſeruationes & mandata Apoſtolica in Gallia

PRimo in ea reſeruationibus locus eſt nullus, his exceptis quarum fit mentio, quæ eſt vna tantū, nempe de beneficiis in curia vacātibus, cui etiam vim deeſſe aiunt de Bleynſ. *in tract. de complur. alter. benef. nomenclaturis num. 6* Chopp. *de ſacra polit. lib. 1. tit. 7.* cum Epiſcopatus, à quo beneficium in Curia vacans dependet, eſt poſſeſſore legitimo vacuus: & ita aperta eſt in eo Regalia: nam tunc Regaliſtam ei proferendum, cui à Pontifice collatum eſſet, Peleus tradit *lib. 1. action. forenſ. act. 8.* huncque Papon. *lib. 2. tit. 3. arreſto 13.* fori morem eſſe aſſerit, quod reſeruationes ſint in Concord. & Baſil. Concilio ſublatæ omnes, reuocatæ Extrauagantes *ad regimen & execrabilis de præbend.* Addit & cauſam alteram, nempe quod grauari à Pontif. Regem non deceat, earum reſeruatione præbendarum, quæ ſui ſunt iuris, nec hanc vnquam eius fuiſſe mentem.

Secundo, reprobatur in hoc regno, omnium fructuum reſeruatio penſionis nomine, Rebuff. 1. *par. prax. rubrica de reſeruat. tam generalib. quam ſpecial. num. 14.*

Cauſa eſt, quod titulario relinqui aliquid oporteat vnde viuat.

Tertio, quod miniſtranti altari, ſubtrahi eius fructus non debeant: *In Cathedralibus, tamen Metropolitanis & Collegiatis Eccleſiis in quarum ſtatutis cauetur expreſſe, quod nullus ibidem dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem, vel officium obtinere poſſit, niſi in illis canonicus exiſtat, canonicos ad effectum obtinendi duntaxat, in ibi dignitatem vel adminiſtrationem, aut officium creare poteſt,* Concord. *in rubrica de reſeruationibus.*

Quarto, quod ad mādata attinet, ea generalia eſſe, & ad omnia loci alicuius, aut Eccleſiæ beneficia eſſe debent, factum ad vnam dignitatem aut præbendam non valet, quod tale mandatum reſeruationis ſit inſtar, cui tamē locus nullus eſt in Gallia, cuius morem hunc eſſe, ne ſpeciale beneficium aut dignitas v. c. Decani iubeatur à Papa dari mandatario, iudicaſſe Curiā, ſcribunt Papon. *l. 2. tit. 6. arreſt. 2.* Rebuff. 1. *par. prax. tit. de clauſula mand. n. 29.*

Quinto, vt Collatores teneantur obſequi Papæ mandanti dari beneficium, debet mandatarius præter inſinuationem literarum executori alium, iis eſſe moribus, ætate, ſcientia ac qualitatibus inſtructus, quæ iure poſtulantur in *cap. ſi eo tempore de reſcriptis*, idque tēpore inſinuationis & impetrationis mādati, vacationiſq; beneficii & requiſitionis eiuſdem vt ſibi conferatur, Choppin. *lib. 1. de domanio tit. 10. num. 17.* Bleyan. *de titulo num. 28. lit. L. in marginem*, Rebuff. *de mandat. Apoſtol.* Tournetus *to. 2. arreſt. litera M. art. 10.*

Excipiendus eſt caſus in quo Papa per clauſulam (vt loquuntur) derogatoriam literis de prouidendo mandatario ſuo incluſam, cum eo diſpenſaret in qualitatibus cum earum expreſſione cauſarum, quibus ad eam diſpenſationem concedendā impellitur, aliter mandatum eſſet inutile, ſecundum Tournetum ſupra, ſi beneficium tamen ex fundatione Sacerdoti dādum eſſet, cum mandatario diſpēſare in ætate Papa nō poſſet, quæ in eo eſſe talis debet, vt intra annū eſſe Sacerdos poſſit.

Sexto, quæ beneficia ſunt in Gallia certis hominibus danda, cum vacant, mandatariis non ſunt debita, Choppin. *de ſacra polit.* & Tournetus loco proxime citato, cuius rei afferri poteſt hæc ratio, quod Pontificem vni cuipiam prodeſſe, cum tertij detrimento non deceat, quod tamen vſuueniret, ſi quæ iſti, voluntate fundatorum ſunt danda, hæc Papæ imperio ſuo, mandatario deferenda forent: itaque anno 1570. Iun. 7. conſulto Senatus reiici mandatarium placuit, cum ille ſemipræbendam Eccleſiæ Senonenſ. Cantoribus, inſtituto veteri eius Eccleſiæ affectam, in vim mandati Apoſtolici peteret: de qua re Tourn. ſupra.

Adhæc ei mandato vis nulla foret in Gallia, quo Romanus Pontifex ſæculare beneficium regulari, aut regulare vnius ordinis, religioſo alterius Ordinis conferri mandaret. Moris huius Gallici eſt hæc cauſa, quod cum

odia reſtringi oporteat, vt eſt in regulis iuris: mandata quoque vtpote odioſa, quæ iura ordinariorum impugnant, coerceri ac ſtricte accipi eſt neceſſe: ergo cum beneficia, quæ certi ſunt Monaſterij ab eoque pēdentia, his dari potius debeant, qui in illo ſunt profeſſi, quàm aliis ordinis alterius regularibus, cum mandatur Ordinario vt religioſo cuipiam, regulare primo vacaturum tribuat, non niſi de beneficio quod ſit eiuſdem ordinis, mandatum capi debet, & ita iudicatum eſſe, 6. April. anni 1580. narrat Peleus in *act. forenſ. act. 35.*

Septimo, ne in mandatorum vſu, fraus vlla fiat, fori vſus habet, inquit, Lucius *lib. 1. tit. 5. arreſtor.* vt in ſacerdotiis, aliiſue id genus muneribus attribuendis, teſtes adhibeantur, quos & diplomatis inſcribi oportet.

Octauo, eſſe vtile mandatario mandatum in Gallia non poteſt, niſi bina diplomata Pontificia, ſeu Bullas habeat, quarum vni nomen ſit rigoroſæ, populari ſeu gratioſæ alteri: eſt popularis, ea per quam ordinario mandatarius commendatur à Pontifice, cum imperio, vt ei primo vacaturum conferat. Rigoroſa, quæ executori datur, vt mandatarium de primo vacaturo prouideat, quas ambas literas, ſeu Bullas edere hic ac denunciare tenetur, alioqui vis mandati eius omnis interit.

QVÆSTIO IX.

Intra quod tempus beneficia ab Ordinario conferri oporteat?

TEmpora eſſe certa, intra quæ beneficium conferre ſit neceſſe, ambigere non poteſt, qui Lateran. Concil. ſtatutum legerit, relatum in *cap. cum nulla paragr. cum vero de conceſſ. præb.* iam verò quanta hæc ſint, & qualia, eſt videndum.

Prima Aſſertio, *communis eſt omnium opinio reuocanda hæc eſſe ad ſemeſtre, cui fiat initium non à vacationis die, ſed habita eius notitia:* ita Pōtifex in decretali, *quia diuerſitatem 5. de conceſſ. præb.* aut quæ haberi poterat, iuxta Rebuff. in *praxi rubr. de deuolut. nu. 10.*

Enimuero, collatoris qui eſt in mora conferendi, vitioſa ac culpabili, negligentia legibus eſt canonicis punienda, iuris quod ei inerat, deuolutione ad alium: at cum beneficium poſſeſſore vacuum eſſe non ſcitur, de negligentia in eo tribuendo argui Ordinarius non poteſt: ergo nec plecti priuatione facultatis, ac iuris illud dandi.

Quæ ignorantiæ, eadem eſt quoque impedimenti cuiuſlibet ratio: quare vt inſcienti tam iure quam facto, tempus (vt loquuntur) non currit, vt excommunicato & ſuſpenſo: ita

A nec impeditis alterutro de his duobus modis, Rebuff. 1. *parte praxis titulo de deuolut. num. 14* Regin. *lib. 30. ſect. 6. n. 249.*

Dicitur autem quis imperitus eſſe iure, cum aliquid eſt in eo, ratione cuius eum canones iure conferendi priuatum volunt, vt cum culpa ſua aut aliter, eſt excommunicatus, vel ſuſpenſus, ab omni iuriſdictione, vel ſpecialiter à collatione beneficiorum: his enim cenſuris collatorem impediri ne valide conferat, habetur in *cap. vnico ne ſede vacante in 6.* Facto autem, eſt à collatione collator impedi- B tus, quum ab eo eſt loco diſſitus, vbi notum eſt, beneficij poſſeſſorem vltimum, diem obiiſſe ſuum.

Secunda Aſſertio, *Euoluto ad conferendum præfixo tempore,* ita iure ſuo collator excidit, vt ad illud ei niſi de conſenſu eius, ad quem eſt relapſum, redire non liceat: eſt authorum qui ſupra, Regin. *lib. 30. n. 253.* Malderi *dub. 5.* Rebuff. *de nominationibus q. 8. n. 11.*

Prima pars probatur, omiſſio formæ, aut temporis, ad operis validitatem requiſiti per Canones, aut ſtatutum, illud omnino inane reddit ac inualidum, Felinus *in cap. cum dile-* C *cta col. 13. ampliat.* 10. *de reſcriptis.* Rebuff. *de nominat. q. 14.* & ita Sanchez ac citati per eum authores, *lib. 2. de matrimonio diſp.* 24. *n.* 22. ex eo quod Trident. *ſeſſ. 25. cap. 15. de regularibus,* ad validitatem profeſſionis, annum nouitiatui tribui poſtulet, eumque integrum, eam nullam eſſe aſſerunt, non modo ſi hora, aut eius pars media deſit, ſed vel vnum de anno integro momentum: ſi ergo die ad conferendum ſtatuto, ordinarius non fecerit officium, ius perdet ſuum, et ſi vnâ tantùm poſt die, illud D conferat, collatio erit nulla, *ex ca. fin. de ſupplenda neglig. prælator.*

Secunda oſtenditur, quod eſt alterius, vſurpari eo renuente, validè nequit ac cum effectu: at ius conferendi beneficij, ab ordinario in negligentiæ ſuæ pœnam, ad ſuperiorem immediatum deuoluitur, & ab hoc, in alios gradatim: ergo eo nec iſti, nec ille priuari poterunt: ergo nec valide quidquam, ab ordinario, ſine illorum ac iſtius, id eſt, ſuperioris conſenſu, ad quem ius eſt delapſum: cum collatio iuriſdictionem in conferente poſtulet, qua tamen Collator Ordinarius qui iure con- E ferendi, ſuâ eſt negligentiâ priuatus, caret.

Et quod de collatore hîc dicitur, de patrono quoque intellectum volo, ex *ca. quia diuerſitatem 3. de conceſſ. prabenda,* à quo cum ad ſuperiorem ius præſentandi delabitur, quibus ille quoad præſentationem erat obligatus legibus, & hunc teneri eſt certum: quare ſi quarto menſe, à die vacantis beneficij, patronum oportebat dignum collatori offerre ordinandū: ita & tenebitur Superior intra idem tempus, ſicut patronum facere erat neceſſe, præſentare

ſentare

A ſentare ordinario idoneum. Tam autem ius conferendi quam præſentandi idonei, ad proximum deuolui patronum aut collatorem, ideo accidit ne beneficia diu vacent, vt eſt in *cap. nè defectu 41. de ſupplenda*: facta autem poſt tempus collatio eſt nulla, per *Clementin. vnicam de ſupplenda negligentia*, Gloſſam *parag. ſi quis de collat. in pragmat.* nulla item ſi fiat alteri, quam cui erat Patroni voluntate debitum, quia res tranſit cum ſuo onere, *lege alienatio, ff. de contrahend. emption.* ergo & ius conferendi: quare ſi beneficium, erat ab ordinario. Graduato tribuendum. is ad quem, B eſt eius negligentia ac incuria, ius illud conferendi delapſum, alium vacanti beneficio quam graduatum præficere, non poterit, Rebuff. *de nominat. q. 8. n. 11.*

Tertia Aſſertio, *Et, ad quem ab Ordinario, beneficij delabitur Collatio, tantum liberi temporis ad conferendum datur, quantum per leges iuraque ei competebat: à quo ad ſuperiorem deuolui, leges canonicæ imperant*: Lambertinus *de iure patronatus lib. 2 p. 3. q. 2. a. 3.* Zerola *de beneficijs dub. 3.* quia is, ad quem ius alienum in pœnam negligentiæ deuoluitur, Ordinarij loco ſuccedit: ergo quod illi, idipſum ſuperiori permiſſum erit. Sed ille certum hominem, vacanti beneficio non tenebatur ſubſtituere, niſi poſt elapſos 6. menſes à die cognitæ per eum vacationis: ergo nec iſte, id eſt, ſuperior, ei prouidere de ſucceſſore, niſi poſt ſemeſtre ab acquiſito ſibi iure per deuolutionem obligabitur.

Debet tamen in hoc caſu Epiſcopus: Eccleſiam Parochialem ſic vacantem, commendare, Clerico Sacerdoti, ne eius inopia, graue quippiam interim fidelibus accidat, quod in multis locis, maxime Galliæ, non eſt magnopere curandum ob deportum, cui cum eſt Parochi morte factum initium, vacanti Parochiæ, de miniſtro ad conferenda Sacramenta idoneo, prouidere incumbit Epiſcopo.

Aſſertio quarta, *Regulares Eccleſias, ac Epiſcopales, intra tres menſes à die quo vacant, idoneo committere homini eſt neceſſe*: Decreuit hoc Innoc. III. in *decretali ne pro defectu 41. de elect.* pœna non eligentium intra id tempus, certa eſt iuris ad eligendum ea vice priuatio, eiuſque ad eum deuolutio, qui proxime præeſſe dignoſcitur. *Is vero ad quem deuoluta fuerit poteſtas, Deum præ oculis habens non differat*, inquit ibi Innoc. *vltra tres menſes, cum conſilio Capituli ſui viduatam Eccleſiam, de perſona idonea ipſius quidem Eccleſiæ, vel alterius ſi digna non reperiatur in illa canonice ordinare.*

Aſſertio vltima, *Cum ampliãda ſint priuilegia*, iuxta *regulam iuris in 6.* ſemeſtre habet Epiſcopus integrum, vt de idoneis miniſtris, vacantes prouideat Eccleſias, ad quas, quadrimeſtri toto, neminem Patronus, Laïcus inſtituendum ordinario obtulit.

Ratio eſt, quod ius quod deuolutione acquiritur, qualitate perſonæ mutatur, & ex iure inſtituendi, fit conferendi, ex Lambertino loco citato, ſed ius conferendi non niſi ſemeſtri clauditur: ergo iuris per Epiſcopum acquiſitio, Laïci Patroni negligentia non perditur, niſi poſt 6. menſes.

QVÆSTIO X.

An Collator conferendi Beneficij poteſtatem iure ſibi conceſſam poſsit amittere & quomodo.

Aſſertio prima, *Poteſt Collator Ordinarius iure excidere, quod ei ex propria muneris ſui ratione conuenit, conferendi beneficij cum vacat.*

Doctorum eſt omnium veriſſima opinio: & probatur, excommunicari Collator poteſt in pœnam alicuius à ſe admiſſi criminis: at excommunicatus conferendi beneficij iure caret, quia ſine iuriſdictione, eſſe collatio nulla poteſt, at eam ſi cenſura non tollit ſaltem C ſuſpendit: enimuero *ab agendo, patrocinando, & teſtificando*, excommunicatos in prætoriis repelli oportere, dixit Alexand. IV. in *cap. decernimus 8. de ſententia excommunicationis in 6. & 15. q. 6. can. finali*; eximuntur ſubditi ab obligatione, nexuque dominis obſequendi, quos irretiendos excommunicationis vinculo Eccleſia credidit, cuius rei cauſa, reddi alia non poteſt, quam quod eorum eſt per hoc cenſuræ genus, coercita ligataque iuriſdictio: vera eſt ergo argumenti maior propoſitio.

Secunda Aſſertio, *Conferendi Beneficij iure collator cadit.*

D Primo, cum indignum ad aliquem Eccleſiæ magiſtratum, contra formam cap. tis *cum in cunctis 7. de electione*, eligit aut eligi patitur: eſt hæc tamen pœna ferendæ tantum, & non latæ ſententiæ, colligitur ex decretali citata, his verbis: *In conferendis prædictis beneficijs, vel officijs, poteſtatem amittat, & per Capitulum aut Metropolitanum (ſi Capitulum concordare nequiuerit) ordinetur*; ſimiliter ſi quem Epiſcopus beneficio admoueat, qui officium facere, aut in eo reſidere nolit, aut ne- E queat, *& qui receperit, quod contra canones acceperit, amittat, & qui dederit, largiendi poteſtate priuetur*, inquit Concil. vt eſt in *cap. nulli 3. de Clericis non reſident.* Adhæc conferre Ordinarius non poteſt (vt dixi) cum eſt excommunicatus excommunicatione maiore, & denunciatus, *cap. 1. ne ſede vacante in 6.* aut interdictus, *de electione cap. cum inter 16.* aut ſuſpenſus à iuriſdictionis vſu, *cap. cum dilectus 8. de conſuetud. cap. cum inter 10. de electione &*

electi poteſtate. *Si conſtiteris*, inquit Innocent. III. ibi, *quod electio facta à ſuſpenſis fuerit, ea omninò caſſata, ipſi Monaſterio (poſt ſatisfactionem condignam ſuſpenſionis & interdicti ſententiis relaxata) de perſona idonea conſulatur.*

Tertio, vt eſt iam dictum, conferendi poteſtatem amittit Ordinarius, cum ſtatuto ad conferendum tempore, officium non fecit, Rebuff. de *nominat. ad Prælaturas §. 1. verbo intra ſex menſes in Concordat.* Papon. *trium notariorum lib. 2. tit. de deuolutionibus.*

Quarto, cum ſciens & volens, viuentis adhuc ac ſuperſtitis beneficium contulit: nam cum vacauerit, extra eius poteſtatem erit illud conferre, ſi Rebuffo creditur, 2. *parte praxis tit. de reprobata beneficij viuentis impetratione n. 19.* Enimuero puniri hęc eius culpa debet, ſit id vero, cum de eius poteſtate ac manu, collatio eiuſdem ſubtrahitur, committenda Superiori.

Verum enim quia vt habet Gloſſa *cap. extremo de iure Patronatus*, ſua nemo poteſtate, iureque eſt priuandus, niſi de eo ſpecialis fiat expreſſaque mentio in Pontificum ſanctionibus, cuiuſmodi nullam in præſenti materia reperire eſt facile, ideo contraria mihi videtur opinio probabilis ac tenenda.

Quinto, beneficia (vt loquuntur) ſimplicia ab Ordinario conferri in Gallia nequeunt, cum eſt Epiſcopi morte aperta regalia, vt dicetur poſtea pluribus.

Sexto, ius conferendi beneficij amittit Ordinarius, cum eum Pontifex, tempore aliquanto etſi minimo, vt ſemi-horæ aut breuiori etiam, modo id teſtibus, aut ſcripto probari queat, in conferendo præuenit, Gloſſa ad *cap. ſi à ſede de prabend. in 6. verbo niſi appareat.* Coraſius 2. *parte cap. 1. num. 7. regula Cancellariæ 28. de veriſimili notitia.*

Similiter ius ordinario ſuum interit cum quæ beneficia ſunt Graduato, aut alicui de certa familia debita, hæc iſtis ille, cum poſtulantur, denegat: nam tunc euolutis 6. menſibus, ab eo poteſtas omnis in Archiepiſcopum, iuſque conferendi relabitur, qui & idcirco ſi ita graduato videbitur, interpellari iuſte poterit, vt quod æquitas, iuraque Concordatorum poſtulant, id ſibi non neget, quod eſt ſcientiæ ſuæ, meritiſque iure quam optimo debitum.

Iuris in beneficiis conferendis ordinarium iacturam facere dicunt alij, cum ei datus eſt Coadiutor ob amentiam, & non ſenectutem, Coraſius 2. *par. cap. 4. num. 10.* nam vt amentis nulla eſt prudentia, ita nec meritorũ diſquiſitio, nulla capacitatis ad beneficia neceſſariæ cognitio, iuſte ergo ei beneficiorum adempta eſt collatio.

Item cum beneficium Curatum aut dignitatem indigno dedit, aut dari eſt paſſus, *cap.*

A *cum in cunctis 7. de electione parag. vlt.*

Secundo, eius ſucceſſoris confirmandi poteſtate eſt priuandus, *cap. nihil eſt 44. de elect. Si hominem inſufficientis ſcientiæ vel inhoneſtæ vitæ, vel ætatis illegitimæ, approbauerit, non ſolum confirmandi primum ſucceſſorem illius careat poteſtate, verumetiam à perceptione proprij beneficij ſuſpendatur.*

Ad quem ergo eius pertinebit collatio? Si erit Epiſcopus exemptus, hæc eius auctoritas ad Papã deuoluetur illico, *cap. cum in cunctis*

B *7. de elect. & cap. quãquam titulo eod. in 6.* Sin minus, ad Archiepiſc. ab iſto ad Primatem, ab hoc ad Papam, cum in beneficiis Epiſcopatu minoribus peccauit Epiſcopus.

Inſuper priuatur iure ſuo Ordinarius, per reſeruationẽ Papæ, quæ duplex eſt, ordinaria, & extraordinaria, Ordinaria, eſt beneficiorum quæ Romæ vacant, vel in itinere ad vrbem, aut reditu ex eã, *cap. 2. de præb. in 6. & c. præſenti eod. tit.* niſi forte beneficium Romæ vacaſſet vacante ſede, id eſt, Papa mortuo, *cap. ſi Apoſtolica ſede de præb. in 6.* aut ſi viuente, moratur antequam eſſet collatum, *cap. 35.*

C *de præb. in 6.* idem dicendum, cum Papa illud intra menſem non confert, in his enim tribus caſibus, aut eorum aliquo, reſeruatione non obſtante confert Epiſcopus.

Extraordinaria eſt cum per reſcriptum Apoſtolicum præcipitur Ordinario, vt alicui beneficium præbeat, tunc enim eſt eius poteſtas cohibita, factaque alteri collatio quam commendato à Papa, eſt inualida in tribus caſibus qui habentur, *cap. 5. & 6. de conceſſ. præbend. in 6.*

Primus eſt, cum id expreſſe in reſcripto di-

D citur.

Secundus, cum datur executor, & ordinario ne alteri conferat, inhibetur.

Tertius, cum qui reſcriptum obtinuit, canonicatum non habet, tunc enim præbenda primo vacans ei eſt debita.

QVÆSTIO XI.

An præter Papam Epiſcopos & Capitulum conferendi beneficij poteſtatem habeant aliqui alij, tam Clerici quam Laici.

E IVre communi, vt ante eſt probatum conferrẽ beneficia Laïco non eſt licitum, 16. *q.* 7. *can. ſi per Laicos* 20. *can. ſi quis deinceps* 12. *can. ſi quis Clericus* 16. qui eorum aliquod ab eiuſmodi ſibi dari homine olim ambiebat, aut datum ſeruabat, *ſecundum Sanctorum Apoſtolorum canones, & Antiocheni Concilij Capitulum*, excommunicari iubebatur à Paſchali II. in *can. ſi quis Clericus 16. q. 7.* à Greg. VII. in *generali Synodo can. 1. & 2.* ei B. *Petri gratia, & introitus Eccleſiæ interdicitur, quouſque locum*

eum quem ſub crimine tam ambitionis, quam inobedientia cæpit, reſipiſcendo non deſerit.

Fuit in eiuſmodi genus hominum, aliquanto Alexand. III. mitior, etſi non omnino ſine pœna eſſe voluerit: nam in *cap. relatum 22. de iure patronatus*, eos vt indignos Paſtoris nomine, ac prærogatiua, ab officio reddi vult & beneficio alienos, niſi commoniti, accepta à Laicis beneficia reſignent, quæ ab iis iniuſte quoque ac nulliter poſſideri ait, in *cap. cura paſtoralis 11. de iure patron. Cum enim laici non poſſint in alios, niſi ius quod habent transferre, non tantum ſunt huiuſmodi conceſſiones cenſenda irrita*, ibid. ſed earum quoque auctores, è finibus eliminandi Eccleſiæ, Iuone Carnutenſi teſte, ac auctore *in epiſt. 158. ad Vulgrinum Pariſienſ. Archidiac.* lubet eum audire. *Quod ſi per laicorum violentiam, intrudere ſe Presbyter voluerit, tua fraternitas nouit, antiquis regulis cautum eſſe, quod laicis nulla eſt attributa facultas Presbyteros in Eccleſia ordinandi, vel de Eccleſia eyciendi. Aduerſus quam formam ſi Presbyter Eccleſiam irruperit, tui officij eſt, in Presbyterum præſumptorem anathematis gladium exercere, & laicos huius peruaſionis cooperatores, donec deſinant, à liminibus Eccleſiæ ſequeſtrare.* Quæ omnia confirmat Innocent. in decretalem *quiſquis 43. de elect.* duo addens. Alterum eſt, eum qui inueſtituram de manu laïci accipit, minori excommunicationi ſubiacere, vſque ad condignam ſatiſfactionem: alterum, pœnam hanc non incurſurum qui à perſona laïca inueſtituram acciperet, ſi id ei priuilegium aut conſuetudo largiretur. Clariſſime Concil. Nicæn. 2. *canone 3. Si quis Epiſcopus magiſtratibus ſecularibus vſus per eos Eccleſiam obtinuerit, deponatur & ſegregetur, & qui cum illo communicant*, ſimili in eos pœna animaduertit canon Paſchalis *Papæ 16. q. 7. can. ſi quis. Si quis*, inquit, *Clericus Abbas vel Monachus per Laicos Eccleſias obtinuerit, ſecundum Apoſtolorum Canones & Antioch. Concilij Capitulum, excommunicationi ſubiaceat.*

Nec Clericos modo qui ſe à Laïcis inſtitui ſinunt, Pontificij multant Canones, ſed & collatores, qui id genus hominum ad Sacerdotia promouent: his enim primo ingreſſus interdicitur Eccleſiæ *16. q. 7. can. ſi quis & can. nullus laicorum eadem cauſa & q.*

Secundo, quia per eos Eccleſiæ libertas læditur, cum beneficia, quod eſt Pontificis ac Epiſcoporum munus proprium, Clericis conferunt, pœnis tenentur Bullæ cœnæ, ac canonum, nec excommunicationem proinde vitant, quæ ab immunitatis Eccleſiaſticæ violatoribus ſubiri ſolet.

Sunt tamen Laïci, quibus Papæ priuilegio beneficia conferre licet, *Garz. par. 1. cap. 2. n. 33.* Theſaurus *par. 2. prax. verb. Beneficium cap. 8.* Laym. *de Prælat. Eccleſiaſt. q. 20. tunc enim*,

A inquit hic auctor, *Laicus non agit auctoritate propria ac ſeculari, ſed Apoſtolica:* eſtque hic tunc per commiſſionem ſeu conceſſionem ſummi Pontificis, capax ordinandæ Eccleſiæ per eius attributionem hominis qui illam regat. Sic in Concil. Tolet. 12. *can. 6.* Toletano Pontifici fas eſſe dicitur, *quoſcunque regalis poteſtas elegerit, in quibuſlibet prouincijs præficere præſules.* Nec ignoramus a Garzia ſupra *num.* 38. Theſauro loco citato ſcriptum, acquirere laïcum poſſe ius conferendi, ex conſuetudine immemorabili cum fama conſtan-

B te priuilegij, quæ duo cum pro Rege Chriſtianiſſimo faciant, hoc ei ius negari nequit.

Et quidem erogat beneficia in Gallia omnia, quæ eum auctorem ac fundatorem agnoſcunt, nec vt Canonicatus, qui patrocinij ſunt regij, poſſeſſore vacui nouum in defuncti locum acquirant, authoritate alia eſt opus, quam regia, quæ in Romani Pontificis voluntate ac eiuſdem conceſſione ſit fundata, Ioann. de Selua *par. 3. q. 5.* Choppin. *li. 1. de ſacra polit. tit. 1. num. 18.* Graſſallius *de iure Regalior. li. 2. cap. 1.*

C Et quidem Decanatum & præbendas Eccleſiæ Andegauenſis, collationis eſſe regiæ habetur in *cap. dilectus filius 34. de præbend.* Idem de *S. Seruatoris*, apud Bleſenſes Canonicatibus *S. Furſij* apud Peronam, *almæ Virginis Clerіacenſis, B. Petri de Curia apud Cenomanos, B. Mariæ Stempenſis, B. Spiri Corbeia, S. Stephani Trecenſis, Sanctorum omnium Moritania, B. Meloni apud Pontiſaram, Sacelli in vado Malaci, B. Mariæ ad Quintini fanum, S. Florentini ad Roiam oppidum, Sacelli ſacri apud Pariſios, Dionem, Biturigas, Bodrbonium S.*

D *Vulfrannij Abauillenſ. Idem de S. Andrææ* præpoſito apud Gratianopolim ac miniſtris eius, Eccleſiæ ſentiendum eſſe ſcripſit Guido Papa *conſil. 68. num. 5.*

Sunt & alia id genus beneficia non pauca in Gallia, à Rege pleno iure conferri ſolita, in iis numerandæ ſunt præbendæ, *Vadi de Maulny, Eccleſiæ Collegiatæ Victoriaci in Campania, Vicenuarum ad Lutetiam, S. Framburgi Syluanecti, S. Ludouici Senonibus, du Vautier in Bria*, &c.

Secundo, ſi fides eſt Graſſalio *li. 2. regalium iure primo, Illuſtriſſimus Francorum Rex in*

E *Eccleſia ſancta, per gratiam Dei*, (addere debuerat & Pontificis) habet, *facultatem conferendi dignitates & beneficia Eccleſiaſtica in regno ſuo*, quæ autem, & quales ſint hæ dignitates, dicetur poſtea cum de Regalia, eiuſque iure ſermo erit.

Tertio Regi quoque licitum ſimplicia demandare beneficia, tempore Regaliæ vacantia, Feraldus de *iure liliorum*, Graſſal. *li. 2. regalium ca. 1.* Philipp. Probus & Ruzæus. Speculator *titulo de legato §. nunc tractemus, verſ. veldie, & tit. ne ſede vacante §. item etiam Reges.*

Quarto, contuliſſe olim Gallos Reges Epiſcopatus, bene an male, nihil attinet dicere, ſed tamen contuliſſe, colligere cuique eſt facile, ex Cranzio in hiſtoria Saxon. *li. 2. cap.* 23. cum de Herimberto ei eſt ſermo. *Erat*, inquit, *vir præcipua religione Herimbertus, qui cum Carolum latere non poſſet, dignus eſt habitus, quem primum præficeret Eccleſiæ Mindenſi Epiſcopum, adiecitque illi miniſteriales non paucos.* Gloriatur ſane Carolomannus initio Concil. Francici ſub Zacharia anno 742. Epiſcopatus à ſe præclare inſtitutos, *ac ſuper eos conſtituiſſe Boniſac. Archiepiſc. qui erat miſſus S. Petri: Nec enim*, (inquit Iuo in *epiſt.* 65.) *poſt canonicam electionem Reges ipſos Apoſtolica authoritate à conceſſione Epiſcopatuum prohibitos videmus. Legimus enim ſanctæ recordationis ſummos Pontifices, aliquando apud Reges, pro electis Eccleſiarum, vt eis, ab ipſis Regibus concederentur Epiſcopatus ad quos electi erant interceſſiſſe, aliquorum, quia conceſſiones Regum necdum conſecuti fuerant, conſecrationes diſtuliſſe.* Ac vt exemplis res clareſcat, Nicetam (aiunt) à Theodorico, Treuirenſi Eccleſiæ Archiepiſcopum datum eſſe, Nicetium autem Chilperici iuſſu in vrbe Aquenſi Epiſcopatum conſecutum eſſe, Gregor. Turon. *li. 8. ca.* 20. Gundegilum item ſcimus, Sanctonicum Comitem cognomēto Dodonem, Regis imperio in Epiſcopum ordinatum eſſe, Gregor. Turon *li. 8. ca.* 22. Anno ſalut. 845. queſti ſunt Patres in Concil. Meldenſi *can.* 9. & 10. loca ſacra à Rege Laicorum poteſtati commiſſa eoſque velut cœnobitarum magiſtros & Abbates in Monaſteriis verſari. Scribit S. Fulbertus in *epiſt.* 8. ad quendam qui per cauſam inualetudinis miſſionem ab Epiſcopatu Pariſ. obtinuerat, ei ſubſtitutum eſſe Franconem, *eligente clero, ſuffragante populo, dono Regis, approbatione Rom. Pontiſic. per manum Senonenſis Metropolitani*, & proinde temere eum & imprudenter facere, cum tam precibus ad Regem, quam datis ad amicos, regnique proceres literis, ad eum Epiſcopatū reditum pararet: in epiſtol. autem 13. ad Senon. Archiep. queritur de Rege Roberto, quod Theodoricum quendam, contemptis Epiſcopis & clero, qui eum vt magiſtratu Eccleſiaſtico indignum, à gubernaculis Eccleſiæ remouerant, ordinari violenter voluiſſet, quod eſt eius auctoritatis, quam tum ſibi arrogabant Reges in Clericorum electione ad maiora Sacerdotia, argumentum non leue.

At enim (inquies) cum collatio in conferente iuriſdictionem exigat, reſpectu eius Eccleſiæ, cui per collationem beneficiarius datur, ſecundum Flamminium *li. 7. de reſignat. qu.* 21. qua tamen carere Laïcos conſtat, ex *can. laicus 17. q. 7.* etiam Principes, *canone nullus 1. diſt.* 63. vbi *ne inordinata hinc & incongrua fiat confuſio, cum nullam in talibus poteſtatem quemquam poteſtatiuorum, vel cæterorum laicorum habere conueniat*: prohibentur ſe electioni, & promotioni ingerere Epiſcopi, ni cenſuris plecti velint.

Quid? quod quicquid ab iis in Eccleſiarum regimine, *motu proprio ſtatuitur, quod earum etiam reſpiciat commodum & fauorem, nullius firmitatis exiſtat, niſi ab Eccleſia fuerit approbatum*? Innoc. III. in *decretali Eccleſia ſanctæ Mariæ* 10. *de conſtitut.* quod ſecus eſſet, ſi collegiatis Eccleſiis Principes, Collegas ac Canonicos, Cathedralibus autem dare poſſent Epiſcopos pro voluntate.

Vnde id ergo Reges habent, vnde Principes, vt beneficio poſſeſſorem, præbendæ vacuæ canonicum tribuant?

Conſuetudini id aſcribendum eſſe nonnulli aiunt, ſed eam Pontifex refutat ac reprobat in *cap. Maſſana Eccleſia 56. extra de elect.* quod eiuſmoni conſuetudo corruptela dici debeat.

Quid? quod iura ſpiritualia præſcribere Laïcus nequeat, eo quod illorum ſit incapax, ita in *cap. cauſam qu. 7. de præſcriptionib.* habet Alexand. III. *quod cum laici decimas detinere non poſſint, eas quoque nulla præſcribere ratione poſſe.*

Communis eſt opinio, id licere Regibus, Pontificum indulto, beneficentia ac priuilegio. Cum enim omnimodam in beneficiis poteſtatem habeant, quid prohibet, eos Laïcis facultatem ea conferendi dare?

Verum enim habent (inquies) beneficia ius ſpirituale, idque ad functionem miniſterij propriam, quæ cum cultum Dei, miſſas, Sacrificia, ac preces horarias pro obiecto habeat, & ipſa quoque eſt ſpiritalis. At poſſe Laïcos ſpiritale ius indulgere vili, quàm non eſt probabile?

Reſpondendum, ius regendæ Eccleſiæ, adminiſtrandi beneficij, faciendi officij, quod vtique eſt ſpiritale, non dari benficiario à Laïco, ſed ab inſtitutore Epiſcopo, aut ſi ſunt beneficia de eorum numero, quæ inſtitutionem non poſtulant, dari à Papa, mediante collatore Laico.

Reſpondendum 2. A Rege, cum beneficium alicui regendum tradit, ſua collatione hoc duntaxat facere, vt eius fructus, aliaque temporalia percipere illi liceat, docet hoc Corſetus in *tract. de poteſt. reg. qu.* 11. Aſtipulatur Iuo *epiſt. 65. ad Hugonem Lugdun. Archiepiſcopum.* cum de conceſſis per Regem Epiſcopatibus loquitur.

Quæ conceſſio, inquit, *ſiue fiat manu, ſiue nutu, ſiue lingua, ſiue virga, quid refert? cum Reges nihil ſpiritale dare ſe intendant, ſed tantum aut votis petentium annuere, aut villas Eccleſiaſticas, & alia bona exteriora, quæ de munificentia Regis obtinent Eccleſiæ, ipſis electis concedere*, vnde Auguſt. ſuper Ioan. *1. parte tract.*

tract.6. Quo iure defendis villas Eccleſiæ, diuino an humano? diuinum ius in ſcripturis habemus, humanum in legibus Regum.

Reſpondendum 3. (& hæc reſponſio omnium eſt meo ſenſu optima) etſi ius ſpiritale demandari à Rege nemini poſſit communi iure, poſſe tamen ex priuilegio ac indulgentia Romani Pontificis.

Ratio eſt, quod quæ ſunt iuriſdictionis, exerceri queant à non Presbytero, cum id ei ſancta ſedes indulget: ergo & beneficiorum collatio, cum hæc haud dubie, ad bonum Eccleſiæ regimen pertineat.

Antec. eſt decreto Alexand. III. notiſſimum in *cap. tranſmiſſam* 15. *de electione*: ibi enim quæſtioni à nonnullis motæ, ecquid ab Epiſcopo, confirmato quidem, ſed ſacris necdum initiato ordinibus, coerceri delinquentes Clerici poſſent, reſpondet *& ex quo electionis ſuæ confirmationem accepit, de talibus & conſimilibus, eum quod iuſtum eſt, & Eccleſiaſticæ conuenit vtilitati, ſtatuendi facultatem habere liberam*, dictum eſt ergo veriſſimè, *quæ ſunt iuriſdictionis*, obiri ab alio poſſe, quam Presbytero,

At non ab eo (inquies) quem necdum à Laïcorum cœtu, per tonſuram Epiſcopus ſemouit.

Sed contra, quæ iuris ſunt Eccleſiaſtici, non diuini, in his diſpenſare Papam poſſe nemo ambigit, at quod beneficia dari à Laïco nequeant, humani eſt iuris, hoc eſt Eccleſiaſtici, cum in ſcriptura, eorum ne minimum quidem extet veſtigium.

Confirm. tam ſacrum eſt ac ſpiritale, ius nominandi ad beneficia, quam ea cum vacant, mandandi idoneis, ſed primum patroni poſſident, de Eccleſiç aſſenſu ac voluntate, & patebit ex dicendis poſtea Maneat ergo, quod fuit in reſponſione tertio loco poſitum, Regem & Laïcos, beneficiis Eccleſiæ ex priuilegio admouere, quos iis adminiſtrandis aptos norunt ac dignos.

Tale Carolo Magno conceſſum ab Adriano Pontif. cum conſenſu 153. Antiſtitum, qui Romano concilio tum præſentes aderant, ab eoque, Archiepiſcopos & Epiſcopos, per prouincias inueſtiendi facultatem traditam, habet canon Adrianus Papa XXII. *diſtinctionis 63.* & vt *niſi à rege laudaretur, & inueſtiretur, Epiſcopus à nemine ſacraretur*, ſtatutum quoque tum aiunt, *vt quicunque contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo innodatus foret.* Ius idem Pipino antea tributum à Zacharia, ſcribit his verbis Lupus Ferrar. *epiſt.* 81. *Pipinus à quo per maximum Carol. & religioſiſſimum Ludouicum Imperatores duxit Rex noſter Carolus Caluus originem, expoſita neceſſitate huius regni, Zachariæ Romano Papæ in Synodo cui martyr Bonifacius interfuit, eius accepit conſenſum, vt acerbitati temporis, induſtria ſibi probatiſſimorum decedentibus Epiſcopis, mederetur.*

Vt vt ſit ea de re: probare tamen iuſte nemo poteſt: quod à Regibus eo tempore factitatum hiſtoriæ referunt: nam quis ferat Laïcos cœnobiis præfici? beneficia ad Dei cultum inſtituta militibus tribui? Dedit Ludouicus Pius, vt eſt in eius Capitularib. *lib. 2. cap 8. & li. 5. cap. 321,*

Quid? quod Eccleſiæ commiſſum ſibi fuiſſe regimen Carol. Caluus aſſerit, Capitular. quæ ſuo ſunt nomine tranſmiſſa per prouincias *cap. 1.* Queritur Bonifacius martyr in *epiſtola ad Zachariam*, quod ſuo tempore, *maxima ex parte per cunctas ciuitates, Epiſcopales ſedes tradebantur Laicis cupidis ad poſſidendum*, in quo etſi Reges omnes non peccaſſe ſit certum, conſtat tamen per eos Eccleſiis cum vacarent, Abbates & Epiſcopos, vſque ad Capeti tempora ditos eſſe, Eumbertum Corbeienſi Monaſterio, Theodoricus præficit, Ludouicus Caroli Calui Frater, Veniloni Senon. Archiepiſcopo S. Columbæ, cœnobiaque eius vrbis reliqua tribuit.

Nihilo fuit eo melior Carolus is de quo proxime ſum loquutus, nam Epiſcopatus, & Abbatias quibus erat placitum, temere dabat ac ſine delectu: quare cum ſapienter Concil. Meldenſ. Patres *can. 9.* admonent, timendum ſibi eſſe, *ne tam manifeſta religionis deſtructio regni ſui fieret deſolatio*, cui ſunt perquàm ſimilia, quæ à Lupo Ferrar. Abbate ad Hincmarum ea de re ſunt ſcripta *epiſt. 44. Vereri enim ſe ait ne ſuis inimicis eiuſmodi collationibus, Rex gaudium pariat exoptatum, ſubditis autem ſuis illum vnice amantibus opprobrium.*

Verſabatur hoc forte D. Ludouico ob oculos, cum à ſuo ad Pontificē oratore, diploma de Epiſcopatibus conferendis impetratum reſpuit, quod id ſibi illæſa cōſcientia velle ac tentare nefas crederet, Rebuff. teſte in *proœmio Concordat.*

De Regibus id dixiſſe ſit ſatis: videamus reliquos. Flandrenſem Comitiſſam narrat, Innoc. III. in *decret. dilecto filio 40. de teſtibus*, apud ſe queſtam eſſe, quod bene mereri de Clericis, donatione ſex præbendarum ſacerdotalium, per præpoſitum Arienſem ſibi non liceret: Dixitque in *cap. dilectus filius 34. de præbendis* Decanus Andegau. donationē Regis, omnes eius Eccleſiæ canonicatus conferre ſe ſolitum, quod non dixiſſet, ſi eos dignis dare nomine Regio, maximè culpa fuiſſet in Laïco, ex Pontificis Romani priuilegio.

Quinto, & hoc quoque eſt Pontificis, erga Gallos beneficium non vulgare, quod Eccleſiæ Cathedralis vacantibus præbendis, Canonici viciſſim ac per orbem, (turnum

barbari nominant) defunctis viros antiquis A
nouos Clericos ſubſtituant, à quibus hæc regi
queant, cum enim in eorum cœtum aſcribe-
retur nemo, niſi electione, pluriumque vo-
catus ſuffragiis, placuit priſca hac electionum
murata formula, vt cum ea quoque candida-
torum ambitus, emptitiaque aut emendicata
Canonicorum ſuffragia tollerentur, vnum
aliquem de eorum numero deligere, in quem
cæteri, ius quod ſibi deligendi ſacerdotis com-
petebat, transferrent, factum inde ei conſue-
tudini initium, quæ in multis Galliæ Eccleſiis
viget, vt canonica cuique dies aſſignetur aut
hebdomada, in qua præbendam, quæ in Ec- B
cleſia ſua poſſeſſorem amiſit, ſinguli per vi-
ces, idoneo homini erogent. Quo de more,
extat Agennenſis Eccleſiæ cum Epiſcopo ſuo
inita tranſactio, anno 1542. confirmata à Pau-
lo III. bullatis tabulis 4. Nonas Octob. eiuſd.
anni, his verbis: *Item ſtatuerunt & ordinaue-
runt, quod loco nominationum, & electionum,
canonicatuum & præbendarum, eiuſdem Eccle-
ſiæ, collationes & prouiſiones eorundem fiendæ
diuidantur, & fiant per ſeptimanas inter eos di-
uidendas, & aſſignandas, videlicet quod Epiſco-
pus Agennenſis, & eius ſucceſſores, habebunt* C
*duas ſeptimanas integras, & continuas pro quo-
libet turno, & ipſis finitis, quilibet Canonico-
rum habebit vnam ſeptimanam, ſecundum eo-
rum ordinem & gradum, vſque ad finem turni,
&c.*

Simili vti iure conſtat Capitula Virdunen-
ſe, Metenſe, Tullenſe, Engoliſmenſe, Picto-
nicum, San Florianum, Petragoricenſe, Le-
mouicenſe, cuius conſtitutio, de beneficiis
eius Eccleſiæ ab Epiſcopo, & canonicis viciſ-
ſim conferendis, eſt a Iulio III. Pontif. anno
1550. codicillis approbata ſub forma ante à D
nobis allata.

Verum eſt ergo, in multis Galliæ Eccle-
ſiis, ab Epiſcopo, aut ſacris ſodalibus, id eſt
canonicis, circulari quadam poteſtate ad id
ſibi conceſſa mutuo, (hoc eſt vt communiter
loquimur) per turnum canonicatus erogari
ſolitos. Speciale eſt in hoc genere quod de
Canonicis S. Germani apud Pariſios nar-
rant, habere eos ſingulis ſuis canonicatibus
certa beneficia adnexa, eaque cùm vacant,
conferre non per orbem.

Sexto, quod alibi eſt in vſu, vt beneficia E
quæcunque & quorumuis ordinum regula-
rium, qualitercunque qualificata, & vbicun-
que exiſtentia, extra Romanam curiam ali-
ter vacantia quam per reſignationem, Papæ
conferre liceat, 6. menſibus anni Ianuario
ſcilicet, Martio, Maio, Iulio, Septembri, &
Nouembri, quia ea ſibi beneficia reſeruata
voluit, vt ex regula Cancellariæ eſt planum, *de
alternatiua pro Epiſcopis reſidentibus*, Zerola &
Piaſec. in *Concord. Germaniæ & Poloniæ 2. par.
praxis c. 8.* quod (inquã) ſit alibi in Gallia locũ
nõ habet præterquã in Armorica & Prouin-
cia, quibus in Prouinciis, Februario duntaxat,
Aprili, Iunio, Auguſto, Octobri, & Decem-
bri menſibus, bene mereri de Clericis, eos ad
beneficia promouendo cum vacant, Ordina-
riis, quãdo reſident eſt licitum: quare in aliis
regni prouinciis ac Diœceſibus, quos li-
bet, ad Eccleſiæ regimen, modo ad id ap-
tos ac capaces, vocare Epiſcopi, cæterique
collatores poſſunt. In quo duo illis conceſſa
beneficia Pontifex voluit, primum, ne quæ
his menſibus Paſtore carere contingeret, à
ſe, aut ſucceſſoribus conferri poſſent, aut re-
ſeruari antequam vacarent. Alterum, vt intra
tres menſes, à die notæ vacationis in loco be-
neficij, Sacerdotia quæ à Põtifice non eſſent
collata, poſſint ab Ordinariis tribui.

Clementus VII. ſtatutum ſic habet. *Placet
nobis, quod per quamcunque reſeruationem, gra-
tiam expectatiuam, aut quamuis aliam diſpoſi-
tionem ſub quacunque verborum forma, per nos,
vel authoritate noſtra factam, vel faciendam
non impediemus nos, quominus de illis cum
vacabunt, de Februarij, Aprilis, Iunij, Au-
guſti, Octobris, & Decembris menſibus, liberè
diſponatur per illos, ad quos eorum collatio, pro-
uiſio, præſentatio, electio, ſeu quauis alia diſpo-
ſitio pertinebat, reſeruatione, aliaue quauis diſ-
poſitione, authoritate noſtra factis, vel facien-
dis, non obſtantibus quibuſcunque. Quoties ve-
rò aliquo vacante beneficio in Iannar. Martij,
Maij, Iulij, Septemb. & Nouemb. menſibus,
ſpecialiter diſpoſitioni dictæ ſedis reſeruatis, non
apparuerit intra 3. menſes à die notæ vacatio-
nis in loco beneficij, quod alicui de illo Apoſtoli-
ca authoritate prouiſum fuerit, ex tunc & non
antea ordinarius de illo libere diſponere po-
terit.*

TRACTATVS PRÆCEDENTIS Epitome.

CAPVT PRIMVM.

Ad quem pertineat Eccleſiaſtica beneficia conferre.

ACquirendi beneficij modi ſunt varij, præcipui qui ſe-
quuntur, Collatio, prouiſio, præſentatio, inſtitutio, ele-
ctio, & reſcriptum, ſeu mandatum Papæ, Bonifac. VIII.
*cap. cum illis 16. de præbendis in 6. §. illi vero &
§. cum autem*, quibus accedit Triennalis poſ-
ſeſſio, & ordinatio ſine titulo aut patrimonio,
prioris fit mentio in regula Cancellar. *de
triennali*

triennali poſſeſſore. Alterius in *cap. accepimus 13. de ætate & qualit. præficiend. cap. propoſuit 6. de filiis Presbyter. cap. cum ſecundum de præbend. 16.*

Iure autem conferendi, communiter carent Laïci, *cap. cum plantare 3. de priuil. parag. Eccleſias*, his verbis: *Eccleſias igitur & decimas de manu Laicorum, ſine conſenſu Epiſcoporum, tam illos, quàm etiam quoſcunque alios religioſos recipere prohibemus.* Quod ab Alexand. III. in ea eſt decret. contra Laïcos tùm ſtatutum, placuit & Pontificibus aliis, vt Innoc. III. in *cap. in Lateranſi Concil. cap. 3.* Alexand item in *cap. relatum 21. de iure Patronatus*, Gregor. VII. *in can. ſi quis 12. cauſæ 16. q. 7.* Paſchali III. *can. ſi quis 16 einſd. cauſæ & quæſt.* & aliis, *in can. conſtitutiones, can. per laicos, can ſi plures parag. Vt ergo can. laici, can. decimas ead. qu. & cauſa. cap. Meſſana cap. quiſquis de elect. can. imperium 5. diſtinct.* 10.

Ex priuilegio tamen ius hoc habent Reges aliqui, ac Principes: De Rege Galliæ eſt Innoc. III. teſtimonium in *cap. dilectus filius 34. de præbend.* vbi Andegau. Capituli, Decanique procurator, Pontificis ad eum reſcriptum, de certo quodam Clerico aſciſcendo in aliorum numerum, eo maxime nomine reprobat, quod in *eo mentio non fiebat, quod præfatus Decanus, ex donatione Regis, præbendarum eiuſdem Eccleſiæ collationem haberet.* Quod enim aliena facimus opera, hoc ipſum per nos poſſe fieri non eſt ambiguum. At in conferendis Andegau. Eccleſiæ canonicatibus, Decani miniſterio Rex vſus dicitur: ergo quod illi donatione Regis facere licuit, & Rex potuiſſet, ſi id ei viſum foret.

Quid? quod *diſtinct. 63. can. Adrian. XXII.* ab eo & vniuerſa Synodo Rom. 153. Epiſcoporum, inueſtituram Epiſcopatuum Carolo-Magno conceſſa narretur? quod *can. in Synodo 23. einſd. diſtinct.* Leo Epiſc. cum vniuerſo Clero, Othonem Imperatorem eadem poteſtate ſit dignatus? Quod Regem Angliæ pari frui iure exiſtimet P. Gregor. *in partitionib. iuris lib. 1. titulo 26. cap. 11. in ſcholiis lib. c.* Comitiſſam item Flandriæ conferre ſolitam habes, in *cap. dilecto 11. de teſtib: & cap. cum dilecto extremo de conceſſ. præb.* quod cum non proprio vllo iure ac ordinario, potuerit, (quia tale nullum Laïcis competit) ad priuilegium eſt recurrendum, dicendumque, ius conferendæ præbendæ, quod in ſolo Clerico reſidet, à Pontifice illi Regibuſque conceſſum eſſe, Clerici autem nomine, Papam in primis intelligendum cenſeo.

Deinde Epiſcopum, ad hunc enim, beneficiorum omnium quæ in ſua ſunt Diœceſi, donationẽ ordinario ſpectare iure, habes 16. *q. 7. can. omnes Baſilicæ can. nullus ead. q. & cauſa, & cap. 1. cap. ex frequentibus, cap. cum veniſſet de inſtitution.* Bene tamen de vllo me-

A reri, collatione beneficij non poteſt, niſi ſit confirmatus *cap. auaritiæ 5. de elect. in 6. cap. qualiter 17. & cap. noſti 9. extra eod. titulo*, his verbis: *Noſti quomodo Lincoln. electus concedendi honores vel præbendas aut aliàs diſponendi de rebus Eccleſiæ (cum ſua non ſit electio confirmata) non habeat facultatem:* quare ſi quæ forte beneficia interim vacauerint, à futuro ſucceſſore conferentur. P. Gregor. in *partit. iuris lib. 1. tit. 27. cap. 11.* Gloſſa *in cap. cum olim de maiorit. & obed.*

B Inferendum ex dictis primo, habendos pro intruſis, qui non Epiſcopi aut Romani Pontif. aut collatoris ordinarij auctoritate, ſed ſua, ac propria beneficia, poſſident. Quia non ſunt ea, quo modo canones exigunt, aſſecuti legitimè.

Inferend. vt ab intruſis, quales ſunt qui vi, fraude, malaque arte, ac præpoſterè ad beneficia fecere ſibi aditũ, honeſte ea ac iuſto retineri non poſſe. Quia quod eſt alterius, & non ſuum, ei, ad quem vt Dominum pertinet, eſt reddendum. Sed non eſt beneficium, quo quis, collatore inſcio, aut ſine Patroni C conſenſu irrepſit, in eius iure, qui ſic tacite ac ſilenter illud inuaſit: ergo, &c.

Inferendum 3. in Sacerdotiis acquirendis (quæ nos beneficia dicimus, præſcriptioni locum non eſſe, *16. qu. 3. can. dilectio 7. Quia quæ quis ſua auctoritate vſurpat, quia nullo titulo vſurpare incipit, præſcribere non poteſt*, Gratia. ibi, *§. poteſt etiam aliter, & can. ſi ſacerdotes 10. verſu item ea, & can. Clerici 11. ibid.* in quo eſt, ea quæ de Eccleſiæ bonis iniuſtè poſſidentur, in ius proprium, præſcriptione temporis non tranſcribi, & in *reg. Cancellariæ de triennali poſſeſſore*, negat Pontifex, à poſ-D ſeſſione triennali pacificâ, intruſum iuuari poſſe.

Cap. 2. *Quot modis Papa Beneficia conferat.*

Summus Pontifex beneficia confert proprio iure, vel deuoluto, vel præuentionis ex concurſu cum ordinariis, aut reſeruatione.

Proprio iure confert ea beneficia quæ ſibi ſunt immediate ſubiecta, vt Cardinalatus.

Deuoluto, quæ ob Ordinarij, aut beneficiarij culpam aliquam, ad Pontificem ſic relabuntur ac redeunt, vt eorum collatio illius E tantũ ſit propria, nullo modo ordinarij: cuiuſmodi ſunt ea beneficia: primo, de quibus cum vacant, Collatores ordinarij intra tẽpus iure canonico ſtatutum, quod eſt ſex menſium, non prouiderunt, *cap. poſtulatis 15. & cap. nulla de conceſſione præbendæ*, fieri hæc vero computatio temporis debet, non à die vacationis, ſed eius notitiæ, & ceſſante omni impedimento, Innoc. III. in *decret. licet 3. de ſupplenda negl. prælator.* nec à quolibet ad Pontificem fit ea deuolutio, ſed ab eo duntaxat, qui non habet ſuperiorem alium: Innocent. ibid.

taleſque ſunt reſpect: Papæ, vt Archiepiſcopus & Primas, non alij.

Similiter ob Patroni negligentiam, ius per conſolidationem ad eum deuoluitur, qui ad illius præſentationem debuiſſet inſtituere, Leſſ. *lib. 2. cap. 34. dub. 6.* Sanch *conſilior lib. 2. cap. 3. dub 59. num. 5.* habetque expreſſe *decretalis quoniam 3 de iure Patronatus*, petita ex Later. Concil. vbi dicitur beneficium ab Epiſcopo idoneo eſſe conferendum homini, quando ſibi ſuper ordinando, Patroni non conſentiunt: transfertque hæc deuolutio ius de quo eſt quæſtio, ante ſententiam declaratoriam, etiam pro interno foro, quia vt habet Theſaurus in *praxi par. 2. ver. beneficium cap. 9.* non fit hæc in pœnam negligentiæ tantum, ſed maxime damni prohibendi cauſa, quod eſt Eccleſiæ tali negligentia iuſte metuendum, Sanch. *conſil. lib. 2. cap. 1. dub. 6. num. decimo ſexto.*

Et quoniam ſæpe ſunt in inſtituendo præſentato per patronum, Epiſcopi negligentes, viſum eſt Pio V Bulla ſpeciali cui initium eſt, *In conferendis*, ſtatuere, liberum vt Patrono foret appellare Archiepiſcopum, aut Pontificem ſummum, ſi à data præſentationis ad Parochiam Epiſcopus intra bimeſtre, ad eam præſentatum non inſtituerit.

Secundo, Papæ ius conuenit conferendi beneficij, quod ſibi reſeruatum eſſe voluit, quia etſi ad Epiſcopum ſpectet beneficia, cum vacant, in ſua Diœceſi conferre, 10. *q.* 1. *can. regenda*, coerceri tamen hæc facultas poteſt à Pontifice, cum eſt Eccleſiæ vtile, aut ad bonum priuatorum aut publicum neceſſe. Quia cum ſit hic Ordinariorum ordinarius, eique ſoli plena ſit, ac nullis definita limitibus data à Chriſto poteſtas adminiſtrandæ Eccleſiæ 2. *q* 6. *can. qui ſe ſcit*, eam contrahere pro arbitrio poteſt, aut laxare. Nec refert quod illam cum Epiſcopis communicandam eſſe duxerit, nam non ideo eã ſe priuatum voluit, iureque illam ad ſe reuocandi, cum placeret, aut dandi beneficij, quod in eius Diœceſi vacaret, quia vt eſt in decret. Bonifac. VIII. quæ incipit *dudum 14. de prab. in 6.* maior eſt Romani Pontif. quam Epiſcopi cuiuſlibet alterius, poteſtas in Eccleſia, & licet eadem eſſet in Epiſcopis, Papæ tamen cum eos in conferendo tempore antecedit, *potior debet eſſe conditio eo præſertim quod ſecundum canonicas ſanctiones, per ſpeciem generi derogatur.*

Sintque hæc de Patroni ad præſentandum aut Collatoris ad conferendum incuria, negligentiaque dicta.

Cap. 3. *Ob quæ peccata iuris, conferendi beneficij ad Superiorem deuolutio accidat.*

Ad peccata, ob quæ fit iuris iſtius ad Superiorem deuolutio, ſpectant quæ ſequuntur, Epiſcopi indigni aut canonici ſimiliter indigni, ad dignitates Eccleſiæ maiores electio.

Secundo, beneficij facta indigno per Epiſcopum, aut Capitulum collatio: nam præterquam quod ſunt ambæ iure irritæ, etiam ſunt Collator, & electores poteſtate conferendi, ac eligendi pro ea vice priuati, poteſtaſque ad proximum, ſuperiorem plerumque deuoluitur: ita de Collatore & electoribus, habetur in *cap. cum in cunctis 7. de elect.* vbi triennio à beneficiis ſuis, male hoc eſt, contra canonum formam eligentes, ſunt ſuſpenſi, ac tunc eligendi poteſtate priuati dicuntur, *Epiſcopus autem ſi contra hanc formam ſ ceris, aut conſenſeris fieri, in conferendis beneficiis & officiis poteſtatem amittit, & per Capitulum aut Metropolitanum, (ſi Capitulum concordare nequiuerit) ordinatur & in cap. nihil eſt 44.* eiuſd. tituli iubetur is ad quem pertinet electi ad regimen Eccleſiæ confirmatio, diligenter examinare & electionis proceſſum, & perſonam electi, *vt cum omnia rite concurrerint munus ei confirmationis impendat, quia ſi ſecus fuerit incautè præſumptum, non ſolum dejiciendus eſt indigne promotus, verum etiam indigne promouens puniendus.*

Iure præuentionis, Pontifex bene meritis de Eccleſia beneficia tribuit, cum ad primo vacaturum expectatiuam illis dat gratiam, de quo decretalis eſt Bonifac. VIII. 14. cui initium eſt ab his verbis: *Dudum venerabilis*, quod illi ſoli eſt permiſſum, cum nondum vacant, certæ perſonæ promitti, & ad illud ius dari nequeat, per *cap. dilectus 10. de præb.* ne promiſſario, hoc eſt, ei, cui eſſe præbenda primo vacatura Epiſcopi voluntate debita, detur occaſio captandæ mortis alicuius è Capitulo.

Iure concurſus, confert beneficia Pontifex, cum ordinarium anteuertit, cum prius tempore aliquanto quam ille, ea petenti tribuit, quia Papa, vt dicebam, habet poteſtatem pleniſſimam *cap propoſuit de conc ſſ præbendæ*, Epiſcopi ſemiplenam, quia in partem ſollicitudinis, non plenitudinem poteſtatis ſunt vocati 2. *quæſt. 6. can. qui ſe ſcit 12. cap. ad honorem 4. de authoritate & vſu pallij.*

Infertur primo, quod elapſo ad conferendum tempore, non poteſt amplius Epiſcopus purgare moram, quia iure ab eo ad Superiorem, facta eſt beneficij deuolutio: ergo & ſublata excuſandi ſui, iuſta occaſio proindeque eius ab illo facta collatio inaniſeſt ac irrita etiamſi die proxime poſt ſemeſtre conſequenti contuliſſet, quia tum poteſtate ad id neceſſaria caruit.

Infertur 2. cum ob Patroni, aut Epiſcopi negligentiam beneficia deuoluuntur ad Archiepiſcopum iſti incumbere, qualitates ſeruare omnes quas illum in collatione prima adhibere aſſequi erat neceſſe, Rebuff. *in prax: par. 1. rubr. de deuolut.* quia

es tranſit cum ſuo onere.

Infertur 3. quod etſi Pontifici, bene mere- de omnibus liceat: donatione rerum Eccle- æ, non poſſe tamen, cum illum Ordina- us anteuertit, quia eſt eius collatio rata, qui rior confert: quod ſi erit dubium, cuius ollatio facta prius fuerit, poſſidentis con- itio, debebit eſſe non poſſidente potior. Quod ſi neutri poſſeſſio fauerit, quia neuter am cœpit: tum enimuero is qui à Papa aut ius Legato à latere, (vtpote prærogatiuam maiorem habentibus) promotus erit, illi erit anteferendus, quem calculo ſuo, ſuffragioque dignatus erit Epiſcopus, Laym. *de Eccleſiaſt. benefic. cap.* 10. *n.* 2.

CAP. 4. *Quæ beneficia ſibi Papa reſeruare ſoleat.*

Sibi quoque Pontifex certa beneficia reſeruat, quorum ſic eſt eius collatio propria, vt per alium facta inanis ſit ac irrita.

Et quidem dignitates, poſt Epiſcopalem maiores in Eccleſiis Cathedralibus, ac principales in Collegiatis, iuris vult eſſe ſui, vt habetur in Regula Cancell. 3. apud Garciam *p.* 5. *cap.* 1. *num.* 256. Piaſecium *in praxi Epiſc. par.* 2. *cap.* 5.

Secundo, reſeruat ſibi omnia beneficia vacantia, vt eſt apud Garciā ſupra *n.* 438. menſe Ianuario, Martio, Maio, Iulio, Septembri, Nouembri, in quibus, beneficia quæcunque tam curata, quàm non curata cum vacant, à ſe conferri vult, & non ab Ordinariis, quibus ſex alios, dummodo in Epiſcopatibus quiſque ſuis reſideant, relinquit ad conferendum liberos, facto numerandi initio, à Februario, & ſic conſequenter vſque ad Decemb. quod ſi non erunt illi *perſonaliter* in Diœceſibus ſuis ſtabiles, nec gratiam alternatiuæ prædictæ acceptauerint, quatuor tantum menſibus nempe Martio, Iunio, Septembri, & Decembri vacantia conferent, prout fit in Armorica,

Eſt tamen, cum Epiſcopus beneficia in menſibus Papæ vacantia validè largitur, nempe ſi poſt tres menſes, à die vacationis cognitæ in loco beneficij, nulla diſpoſitio, aut Papalis gratia appareat: ſi eſſet hæc tamē facta, nec prouiſi culpa vlla latuiſſet in prouincia, quia per morbum, aut impedimentum ſimile quodpiam, de ea docere non potuit Epiſcopum, Papæ collatio rata foret, vt declaraſſe Greg. XIII. dicitur in Bulla 42. quæ incipit *quā in Eccleſia.*

Tertio, Papæ reſeruantur omnes Patriarchales, Archiepiſcopales, & Epiſcopales Eccleſiæ, Monaſteria, Prioratus, Dignitates, Perſonatus & Officia, necnon Canonicatus cæteraque beneficia Eccleſiaſtica cum cura, vel ſine cura, regularia, vel ſecularia quæcunque illa fuerint, quæ apud ſedem Apoſtolicam, quocunque modo vacant, aut ſunt in poſterum vacatura. Bened. XII. *in Extrauag. ad*

A *regimen* 13. Clem. III. *in c. licet* 2. *de præb. in* 6. ſi tamen vacarēt in Curia, cum ſedes ipſa vacat, aut de iis nihil intra menſem Pontifex diſponeret, *ij ad quos eorundem beneficiorum collatio pertinet, ea poſt menſem à die, quo dignitates aut beneficia ipſa vacauerint numerandum, conferre poterunt,* Greg. X. *cap. ſtatutum* 3. *de præbend. in* 6.

Quarto, quæ beneficia ſunt certæ perſonæ affecta per Papam, quia hæc alteri conferri nequeunt, eidem eſſe reſeruata cenſentur, *cap. vt noſtrum* 56. *de appellat.* ſi tamen ea cum

B Romæ vacant, intra menſem non darentur, locum fore decretali Gregor. X. quæ eſt *in cap. ſtatutum* 3. *de præb. in* 6. Layman. aſſerit, *tract.* 2. *de benif. cap.* 11. *num.* 1. quod negant alij apud Garc. *par.* 5. *cap.* 1. *num.* 100. hac maxime freti cauſa, quod ei derogatum fuiſſe exiſtiment per Extrauag. Bened. XII. *ad regimen.*

Quinto, reſeruat ſibi Pontifex beneficia omnia quæ vacant per obitum legatorum ſuorum, ac Officialium curiæ. Eorum item, qui cum ad eam accederent, aut inde domum repeterent, ſunt Romæ mortui, aut in

C locis, vltra duas diætas à Curia non diſtantibus, Benedict. XII. in *Extrauag. ad regimen de præbend.*

Sexto, ſunt beneficia propter crimen hæreſis vacantia, reſeruata ſedi Apoſtolicæ, per conſtitut. Pij quinti, quæ incipit, *cum ex Apoſtolatus de anno* 1566. Similiter & quæ collata ſunt perſonis, quibus dari prohibentur propter genus, aut Apoſtaſiam à fide ex conſtitut. Gregor. XIII. incipiente, *In Eccleſiis.*

Septimo, ſunt beneficia propter Simoniam confidentialem acquiſita, reſeruata Pont. ex conſtitut. Pij V. quæ incipit: *Et vt*

D *Simoniacæ prauitatis.* Ibi enim habetur, *quod qui dignitates Eccleſiaſticas Simoniacè acquiſiuit, illis eſt ipſo iure priuatus, & in futurū ad eas inhabilis:* & alibi, quod obtenta per Simoniam confidentialem ſic vacent, vt de iis ſtatuere, ſoli Pontifici ſit permiſſum.

Octauò, Confert etiam Pontifex, licet impropriè, mandando Ordinario, vt beneficium primò vacaturum certæ perſonæ donet, eſq; ab iſto, Papæ iubenti obſequendum ſub peccato, proindeq; neceſſario, niſi impetrans tale reſcriptum ad beneficium vacans, aut vacatu-

E rum, nomen ſuæ dignitatis in precibus ſuppreſſiſſet, ſic Lucius III. *cap. ad aures* 8. *de reſcriptis,* quia cum non ſit voluntatis noſtræ, inquit Pontifex, vt perſonæ pluribus reditibus abundantes per literas noſtras pauperes Clericos ſuper minoribus beneficiis inquietent, in quibus actor ſuæ dignitatis nomen ſupprimit, vires nolumus obtinere.

Secundo, nec tunc reſcripto eſt parendum, cum pro alio Papa interceſſit *cap. mandatum* 38. *& cap. Abbatem* 40. *eod. tit.* aut is qui reſ-

criptum impetrauit, non eſt legitimæ ætatis, A *cap. ſi eo tempore nono de reſcript. in 6.* aut is qui beneficium iam habet, literas de nouo ſibi conferendo impetret, non facta de eo in literis ipſis mentione, *cap. cum adeo 17. de reſcript. cap. ſi proponente 42. eod. tit. cap cum teneamur 6. de præb.*

Cap. 6. *Ad quos Epiſcopos pertineat beneficiorum collatio.*

Etſi ad Epiſcopum iure communi collatio beneficiorum omnium, tam quæ Patronata ſunt, quàm libera, in Diœceſi ſua pertineat, vt habetur in *cap. 1. de capellis Monachorum, & cap. cum & plantare parag. in Eccleſiis de priuileg.* ſunt tamen & alij quibus id ex priuilegio competit, cuiuſmodi ſunt Legati à latere, & in quibuſdam locis Nuncij ipſi. Piaſec. *2. par. prax. par. 2. cap. 5. art. 1. num.* 41. cum ad id ſpecialem habent poteſtatem, non aliter, Laym. *cap. 10. num. vlt.* nam tunc cum id illis Apoſtolica ſedes permittit, beneficia prouinciæ in qua ſunt Legati & Nuncij, conferunt, & non aliter, nec alibi, vt ſcribit Innoc. IV. *in decret. Officij noſtri 1. de offic. legati in 6.* Idem ſentiendum de Abbatibus, quibus Papæ beneficentiâ ius eſt mitræ, ac poteſtatis quaſi Epiſcopalis in ſuos: nam his cum ſint ſæpe ab Epiſcopo etiam quoad populum exempti, inſtitutio ac deſtitutio beneficiorum, etſi non omnium, competit, vt eſt in Clem. *de ſuppl. neglig. prælat.* habetque Piaſecius loco ſupradicto cum ibi citatis.

Inferendum ex dictis primo, inter Legatum à latere & Epiſcopũ, præuentioni in collatione beneficiorum locum eſſe, *cap. ſi à ſede de præb. in 6.* quia cum ea vterque donare poſſit, ſi de prouiſorum iure agetur, erit huius maxime præ alio habenda ratio, qui erit primo prouiſus.

Inferend. ſecundo, etiam in Legati iure eſſe, conferre beneficia quæ ſunt Patronatus Eccleſiaſtici, *cap. cum dilectus de iure Patron.* non item quæ ſunt Laïci, quia cum legati par ſit cum Papæ eiuſdem benignitate auctoritas, vt omnia hic poteſt quæ ad ſpiritale ſunt animarum commodum opportuna, & non alia; ſic & Legatus: at vbique confert ille beneficia primi generis, non ſecundi: ergo nec Legatus.

Inferend. 3. beneficiæ quoque quæ ad exemptos pertinent, à Legato reſeruari ac conferri poſſe, quia non ſunt hæc à Pontifice excluſa, cum ei poteſtatem eſt largitus, omnia quæ in ſua prouincia vacant, conferendi.

Cap. 5. *An Epiſcop. poſſit interdum conferre beneficia quæ iure Papæ ſunt reſeruata & quando.*

Etſi beneficia reſeruata Pontifici, communiter ab eo ſolo conferri debeant; poteſt ex eis aliqua Epiſcopus conferre. Et primo quidem vacantia per reſignationem, quia non ſunt hęc proprie de eorum numero, quæ ſibi ſepoſita, ſuæque collationi relicta eſſe vult Pontifex, quia in Regula Cancellar. 8 illa ſignate à reſeruatione vacantiũ excipit, exceptio autem in non exceptis firmam regulam in contrarium, vt eſt communis Doctorum ſenſus.

Et quia quæ permutantur, reſignari in ordinariorum manu ſolent, & hæc quoque licet Papæ ſint affecta, conferri cumpermutantibus poſſe ab Ordinario, Piaſecij eſt opinio loco ſupra cit. *art. 2. num. 4. & 5.* quia etſi hæc ei præciſa à Pio V. facultas eſſet, ab eodem B tamen eſt relaxata poſtmodum in conſtitut. quæ incipit. *Quanta Eccleſiæ Dei,* ac ad terminos iuris communis reuocata, quo iure cum Epiſcopo reſignationes permutationis cauſâ factas, probare liceat ac admittere, *cap. cum vniuerſorum de rer. permut. & cap. vnico eod. titulo in 6.* licebit & hoc tempore.

Secundo, Parochiales quoque Eccleſias in menſibus Papæ reſeruatis vacantes, confert indirecte Epiſcopus, inquantum offert Legato aut Nuntio, vel Papæ ipſi inſtituendum, quem per examen tam à ſe, quàm Doctoribus inſtitutum, digniſſimum reperit. C

Tertio, nec eſt Epiſcopus in culpa, cum reſeruata Pōtifici, vi indulti ſibi, aut Prouinciæ, vel nationi integræ conceſſi, iis tribuit, quibus ſunt debita, quia Concordatis derogari niſi de conſenſu partium mutuo, non poteſt: ergo nec reprehendi Epiſcopus, cum ea, licet à Pontifice ſibi reſeruata, ei confert cui ſunt vi Concordatorum debita.

Quarto, confert Epiſcopus in vim *cap. ſi Apoſtolica de præb. in 6.* Eccleſias Parochiales reſeruatas, ſi non fuerunt collatæ viuente Pontifice. Piaſecius ſupra *num.* 112.

D Quinto, prouiſum à Papa *in forma dignum* de beneficio reſeruato, Epiſcopus ex iuſta cauſa priuare poteſt, eumque examinare tam de ſufficientia, quàm veritate narratorum in literis *Clement. vnica de offic. deleg.* Rebuff. *in praxi tit. de reſcript. nu. 4.*

Sexto, admittit reſignationem litigioſi beneficij, etſi illud conferre non poſſit. Pariſ. *lib. 2. q. 3. & 16. num.* 5. Piaſecius *lib. 2. cap. 5. art. 2. num.* 14.

Cap. 7. *Quid poſſit Capit. circa beneficia eorumque collationem cum vacant.*

E Capitulum ea conferre beneficia non poteſt ſede vacante, quorum collatio ad ſolum Epiſcopum pertinet, *cap. 2. ne ſede vacante cap. vnico eod. tit. in 6.* eſt enim in *cap. 2. citato,* quod eſt Honorij his verbis: *Nuſquam inuenitur cautum in iure, quod Capitulum vacante ſede fungatur vice-Epiſcopi in collationibus præbendarum,* niſi forſan ad Capitulum & Epiſcopum coniunctim pertineret prædicti beneficij collatio, nam tunc Epiſcopi defectum ſede vacante ſupplere iure

coniunctionis

niunctionis Capitulo eſt permiſſum, Gloſ. in *cap. cum olim de maiorit. & obed.* quemmodum & cum procul abeſt, vt dicitur in *c. vnico ne ſede vacante.*

Poteſt tamen Capitulum vacante ſede beneficium ad Epiſcopi collationem pertinens, commendare ad tempus, donec ab eo prouiſum erit, cuius eſt collatio. Platec ſupra, præſentatos item inſtituere, & electos confirmare, *cap. cum olim de maioritate & obed.* beneficia ex cauſa vnire, quia ob neceſſitatem, iuriſdictionem Capitulo concedere Papæ placuit, ne ex defectu Epiſcopi, Eccleſia damnum ferret, Layman. *cap.* 10. *num.* 3. *tract.* 2. *de benef.*

Inferend. ex dictis primo, beneficia, ac eorum conferendorum poteſtatem, ad Capitulum per ſuperioris negligentiam non deuolui, *cum non ſit ibi ſuperior qui ea poſſit de facto vel de iure conferre, cap. illa deuotionis ſinceritas* 2. *ne ſede vacante.*

Inferend. ſecundo, à Capitulo creari poſſe Vicarium, qui ea Capituli nomine obeat & faciat, quæ à Capitulo in rebus, ac collationibus neceſſariis fieri eſt in more. quia cum in illis iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habeat, quod facere Epiſcopus poteſt, Capitulo negari non debet.

Inferend. tertio, Monaſterio vacanti, eiuſque bonis poſſe Oeconomum à Capitulo præfici, quia eſt id Epiſcopalis prouidentiæ pars non extrema, & ad praxim neceſſario redigenda, ne fortunæ, bonaque Monaſterij peſſum eant, aut impiorum violentiæ pateant: ergo cum in id incumbere, vacante ſede, Capitulum ſit neceſſe, quo publica ſalus Diœceſis, priuataque multorum continetur, qui fortunas, reſque Eccleſiæ pro virili ſua promoueat, curetque, ſi hominem idoneum probumque, Canonici de cœtu ſuo quempiam renuncient, ſane quod erit officij, charitatiſque in Diœceſim, facient. Id Epiſcopo vt ſit curæ imperatur à Pontif.

CAP. 8. *De requiſitu ad collationem beneficij validam.*

Vt ſit valida ac rata beneficij collatio, viri fieri Clerico, non multis debet, *cap. cum non ignores* 15. *& cap. tua fraternitatis* 20. *de prebend. in* 6. *& cap. dilecto filio extra de prabend.*

Secundo, intra tempus Canonicis præſtitutum legibus, *cap.* 2. *& cap. quia diuerſitatem* 5. *de conceſſio prabend.* quod eſt vt diximus ſex menſium pro minoribus beneficiis, in electiuis & prælaturis, trium, *cap. ne pro defectu de electio.* 41.

Tertio, ſine pacto, 1. *qu.* 2. *can. quam pio* 2. *cap. finali de pactis, cap.* 2. *de elect. in* 6. *cap. ſuper eo* 7. *de tranſactionib.* Alexandri III. in iſta decret. ſunt hæc verba. *Tranſigi ſuper re ſacra & litigioſa non poteſt, etenim res ſacræ vt poſſideātur aliquo dato, aut retento, ſeu promiſſo,*

A *ſpeciem credimus habere ſimoniæ,* dixit eandem ſententiam Innoc. III. *in cap. plerique* 7. *de pactis;* & Alexand. III. item 3. *in c.* 4. *eod. tit.*

Quarto fieri debet collatio gratuito, id eſt, ſine pretio, 16. *q.* 5. *can. per laicos, ac ſine munere linguæ, vel manus,* 1. *q.* 3. *can.* 15. *Nec pro paſtu* (inquit Innoc II. in Synodo Romana *can.* 2. vnde deſumptus eſt hic canon) *nec ſub obtentu alicuius conſuetudinis, ante vel poſt, à quoquam aliquid exigatur, vel ipſe dare præſumat, quoniam Simoniacum eſt, ſed liberè & abſque diminutione aliqua, collata ſibi dignitate atque*

B *beneficio perfruatur.*

Quinto, de beneficio detrahere nihil Collator poteſt, quod in ſuos, aut amicorum traducat vſus, *cap. vt beneficia ſine diminut. dentur, prima q.* 3. *can. extremo ſi quis, cap. de Monachis* 12. *cap. auaritia* 10. *de præb. cap. maioribus, cap. maxime, cap. vacante ac præb.*

Sexto, non clam & in tenebris beneficia ſunt danda poſtulantibus, ſed palam, ac in multorum oculis, quia clandeſtina collatio ſuſpicionem habet fraudis.

Septimo, debent conferri libere, non per

C metum aut per vim, *cap.* 2. *& cap. ad aures de his que vi metuſque.*

Cauſa eſt quod beneficij collatio, liberalis ſit donatio *ex cap. poſt electionem de conceſſ. præb.*

Nono, ſine alternatione, quę tunc accidit cum Collator disiunctiue illud tribuit, Petro v. c. aut Paulo, vel coniunctim ac copulatiue duobus, P. v. c. & Claudio, quæ collatio eſt iure nulla, nam hæc debet eſſe certa, non dubia, cum ſit liberalis ac benefica rei Eccleſiaſticæ donatio, facta alterutro de

D duobus his modis, quorum fit mentio, incerta eſt, vaga & ambigua, cum certo non ſciatur, cuius è duobus proprium velit eſſe beneficium.

CAP. 9. *Quomodo & quando Epiſcopus ius collationum amittit.*

Quinque ſunt modi, quibus Collator Ordinarius auctoritatem amittit conferendi quam habet.

Primus eſt, cum ei Coadiutor eſt ob amentiam, aut infirmitatem animi datus.

Secundus, cum quidpiam admiſit, cuius

E cauſa, eum iura canonica poteſtate collatiua priuant, vt ſi beneficium Curatum indigno contulit, ſi nolenti facere officium, *cap. cum in cunctis* 7. *extra de elect. & de Clericis non reſidentib cap.* 3. quod ſi indignum elegerit, eius confirmandi poteſtatem perdidit, *cap. nihil eſt de elect.*

Tertius eſt, quando Papa beneficij collationem ſibi ſeruatam voluit.

Quartus, cum Collator in cenſuram excommunicationis maioris, aut ſuſpenſionis ab officio, & iuriſdictione incidit, nā eſſe col-

latio ſine iuriſdictione non poteſt, ea carent excommunicatus excommunicatione maiore, & ſuſpenſus à iuriſdictione & officio, ergo.

Quintus eſt, cum culpa ipſe ſua, negligentiaque officium non fecit, nec cum opus erat, tempore ad conferendum præſtituto per canones, contulit, tempus autem illud pro Prælaturis maioribus, eſt trium menſium, ſex pro aliis beneficiis, *cap. ne pro defectu de elect. cap. nulla de conceſſ. preb.* nam tunc ab Epiſcopo ius conferendi beneficij ad Capitulum deuoluitur, præterquam in duobus caſibus: primus eſt, cum ad eum collatio pertinet, non vt Epiſcopum, ſed canonicum, ſecundus, cum iure deuoluto tantùm: nam tunc immediate ab eo ad Archiepiſcopum ius conferendi deriuatur ac tranſit.

Praxis fori Gallici circa Collationem beneficiorum in Regalia vacantium.

REgalia nomen eſt multiplex, eo enim interdum iura regia, feudaque intelligi Iuriſperitorum eſt opinio. Nonnunquam idem ſonant, ac poſſeſſiones datæ à Rege Eccleſiæ aut Hoſpitalibus, eadem lege qua feuda nobilibus tribuuntur, nempe vt danti hominium fidelitatem & obſequium præſtent, quo ſenſu bona Romanæ Eccleſiæ appellãtur, *Regalia ſancti Petri*, ſicut & Epiſcoporum iura, apud Rigordum anno 1029. cum de Philippo Auguſto loquens, ait ab eo, Regalia Epiſcopi Aurelian. & Altiſiodorenſ. occupata eſſe per biennium, quod ad bellum eunti; cum copiis delectuque, militum, vti debebant, præſto non fuiſſent.

Eſt & alia Regaliorum ſignificatio, ſecundum quam Galli Pragmatici intelligi iura Regis aiunt, quæ in conferendis minoribus beneficiis, ac eorum fructus parte aliqua retinenda, aut omnibus, ſibi arrogat, quandiu Epiſcopo fatis functo, non eſt ſubrogatus alius, qui Diœceſim regat. De regalibus eo ſenſu vſurpatis, futurus nobis eſt hic ſermo.

Dico ergo Regaliam eſſe ius quod *vacante aliqua Eccleſia Rex habet, vt fructus eius percipiat & eam conferat*, Gloſſa in *cap. 13. de elect. in 6.* dicunt alij Regaliam ius eſſe in Rege, tàm conſtituendi Oeconomi in Epiſcopatu & Abbatia vacantibus, interim dum defuncto Epiſcopo vel Abbati ſucceſſor quæritur, quàm prouidendi de præbendis, ac beneficiis ſimplicibus, quæ ambobus conferre, cùm viuerent erat ſolenne.

Facit hæc poteſtatis diuerſitas, vt exiſtimauerint aliqui, regaliam eſſe duplicem, ſpiritualem & temporalem. Eſt hæc, ius ſeu poteſtas in Rege, ſibi per deſtinatos homines quos Oeconomos nominant, vindicandi re- A ditus omnes beneficij vacantis per regaliam, interim dum antiquo Epiſcopo ex humanis erepto nouus, vel Abbati ſimiliter defuncto ſubſtituatur alius.

Spiritalis eſt certa in eodem rege authoritas, conferendi Clericis quos dignos crediderit præbendas omnes, quotquot in Eccleſiis regij iuris ac patronatus, iure vel facto vacauerint, quandiu hæ rectore, id eſt, Epiſcopo vel Abbate caruerint, Meſtræus *cap. 1.* Ruſæus, *priuil. 15.* Graſſal. *lib. 2. regal. c. 1. parag. quintum ſpeciale.* Porro Eccleſiarum nomine quæ vacant, intelligendæ ſunt Primo, Ca- B thedrales, ac Collegiatæ. Secundo, Abbatiæ. Tertio, Prioratus Conuentuales, vt declaraſſe Ludouicum XII. lege publicari iuſſa anno 1499. aſſerit Paponius *lib. trium notariorum tit. de electionis beneficiis ſub finem*, in illque ius habere Regaliæ Principem, communis eſt, receptaque regni ac Aduocatorum opinio, quod anno 1351. confirmatum à Ioanne Pontif. fuiſſe Boiquetus ait, ad *Epiſtolam* 40. *Innoc. III. lib. regeſti* 15. deque eo extare Bullam, in ordinat. *reg. parte veteris ſtyli Parlamenti tit. 31.* non obſcurè autem indicari *in* C *cap. generali 13. de elect. in 6.* quod quia de Rege ſpeciatim in eo nõ fit mentio, ius eius firmari hoc canone valide nũ poſſit, aliorũ eſt dicere, non meum. Eſt argumentum quod ex citata Innoc. epiſt. ſumitur, iſto longe potentius, nam & in Rege Philippo Auguſto ius Regaliorum fuiſſe non negat, vique eius, ſede vacante, eius bona fructuſque potuiſſe ſuos facere tacitè indicat. Equidem cum ille Aurel. ac Altiſiod. Epiſcoporum regalia, bonaque occupaſſet ſine cauſa, cum ſeuere arguit, *quod ad ea ſede non vacante manus non debuerat ex-* D *tendiſſe*. Fuit & in eo Philippus cenſura eiuſdem Innocent. opinione, dignus, quod *quam cito regalia ad manus eius deuenirent, domos & omnia faceret ſaiſiri, quod tamen cum ſedem Epiſcopalem vacare contingit, tantummodo fieri conſueuit.*

Regi ergo, ius hoc quo de agimus, negari non poteſt, niſi vna quoque Innocentio fides: qui etſi de parte Regaliæ altera, quæ præbendarum collationem habet, ſermo illi ſit nullus, ei tamen negari non debet, vt oſtendetur poſtea.

E Interim notare lubet, præbendæ nomine late ſumpto ac impropriè, intelligi in hac materia Capellanias, canonicatus ac alia quælibet ſimplicia beneficia, Ruſæus *priuileg. 15.* Paponius *de iure regalia verbo la difference eſt grande*, non autem Parœcias, nec Vicariatus perpetuos vt docent Guillelmus de monte Laudunenſi, *in Clementinam 1. de officio Vicarij*, Andreas *in additionibus ad ſpeculatorem, rubrica de præbendis*, nec item præbendas, quæ curam habent animarum, Papon. *libro 3. ſecretorum.*

Perpetuos

Perpetuos dixi, quia Vicariatus tẽporalis nõ eſt numerãdus in beneficiis, cũ enim de eorũ ſit eſſentia perpetuitas, ſecundũ Andream & Guillelmũ ſupra citatos, quę tamen non eſt Vicariatui annexa temporario, vtpote qui annis ſingulis aut ſæpius mutari queat, ſacerdotiis iis, quæ vacãte ſede Regi conferre eſt in more, adnumerari non debet.

Complecti verò ius Regaliæ vtrumque, id eſt, beneficiorum, quæ ſimplicia appellãt, conferendorum facultatem, ac inſuper bonorum temporalium vindicationem, ſeu perceptionem per Oeconomum, donec nouus Epiſcopus Regi ſe fidelitatis formula obligauerit, tam hiſtoriæ, quam priſcæ ſcriptorum veterum literæ probant.

De ſacerdotiorum donatione, eſt his verbis à Guill. Durando ſpeculatore teſtimonium in *cap. extremum rubricæ, Ne ſede vacante in decretalibus parag. vltimo. Mortuo Epiſcopo, in quibuſdam Eccleſiis Reges conferunt præbendas, ſicut illuſtris Rex Franciæ, in Eccleſia Carnotenſi, in qua nos Decanatum habemus*: Guillelmo longe antiquior Innoc. *ep.40. Illud forte*, inquit, *cum ſedem Epiſcopalem vacare contigerit, ſieri tantummodo conſueuit, & tunc, non ſolum domos, verum etiam decimas, & oblationes, & alia quæ inuenis, facis omnino ſaiſiri, & in quibuſdam Eccleſiis, confers præbendas vacantes.*

Dixit idem, ſed verbis paulo diuerſis Rigordus, cum de Epiſcopis Aurel. & Altiſiodorenſi loquens, ſcribit eos à Philippo, redditibus quidem ſuis priuatos, non autem ſpiritalibus, *Rex*, inquit, *eorum regalia confiſcauit, ſcilicet ea tantum temporalia, quæ ab eo feodaliter tenebant, & alia ſpiritualia eis in pace dimittens.*

Itaque cum Epiſcopo Regalia ab Oeconomo, ærarijque Præfectis reſtitui Rex præcipit, tam rei temporariæ adminiſtrandæ, quam ſpiritualis ac diuinæ integrum ei ius vult eſſe, ſic Pontifex *in cap. cum dilectus filius 32. de elect. Qui poſtea*, inquit, *regalibus receptis à rege, ad petitionem ipſius capituli à Venerabili fratre noſtro Epiſcopo Atrebatenſi, de mandato Metropolitani fuit in Presbyterum ordinatus, & aliquandiu nullo contradicente liberam & pacificam tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus adminiſtrationem obtinuit in Eccleſia Morinenſi.* Viden' vt Regalia cum præbendarum donatione, Eccleſiæque regimine, temporalia non reſpuat. De beneficiis nobile eſt Philippi Auguſt. in eam ſententiam teſtimonium, cum enim Epiſcopo regalia reſtitui imperat beneficiorum meminit, *Præterea præcipimus*, inquit, *quod ſi præbenda, vel beneficium aliquod Eccleſiaſticum vacauerit, quando Regalia in manu noſtra venerint, ſecundum quod melius & honeſtius poterunt, Regina & Archiepiſc. viris honeſtis & literatis, conſilio fratris Bernardi conferant.* Quod enim cum per negotia liceret, Rex per ſe facere conſueuerat, hoc Reginæ, aut matri, cum aberat ex vrbe, ſæpe voluit eſſe licitum, vt de D. Ludouico cum in Syriam cogitaret, auctores memorant, amantiſſimæ enim Blanchæ matri, ius pro arbitrio conſtituendi regni dediſſe non contentus, ab ea *dignitates, & beneficia Eccleſiaſtica vacantia conferri, fidelitates Epiſcoporum & Abbatum recipi, eis regalia reſtitui, & eligendi, dari licentiam Capitulis, vice ſua voluit.*

Eligendi dixi, nam vt dicere memini, cum de Epiſcopis agerem parte Theologiæ moralis prima, ad id honoris faſtigium eueh̃i nemo inſciente Rege, nedum repugnante poterat: quare Clericis de creando viduatæ Eccleſiæ Antiſtite aliquo, cogitare fas non erat, niſi eo prius permittente ac volente. Itaque id eis facere vt liceret, per Metropolitam datis ad eum ſuper ea re literis, rogabatur: huius moris teſtes hiſtoriæ, teſtes ſcriptorum literæ. Sunt hæ Hincmari ad Carolum pro eligendo Syluanectenſi Paſtore. Propterea, *Domine Clementiſſ. dignetur mihi dominatio veſtra literis ſuis ſignificare, quem vultis de Coepiſcopis noſtris, vt ei ex more noſtro literas canonicas dirigam, & viſitatoris officio fungens, in eadem Eccleſia electionem canonicam faciat, & aut per ſe, aut per literas ſuas, Vicario ſuo deferente, eandem electionem tam decreto canonico ſingulorũ manibus roborato ad me referas, vel per me, ipſa electio ad dominationis veſtræ diſcretionem perueniat.* Viden' vt Præſulis electioni Regium accedebat arbitrium, ac conſenſus, quem quum à Ludouico datum prò electione Altiſiodorenſis Epiſcopi facienda conſtaret, negat Bernar. in *ep.* 282. hanc irritari ab eo poſſe.

De perceptione redituum per Oeconomum, res eſt ſimiliter ſcriptorum teſtata literis: in primis narrat S. Fulbert *ep* 107. cuidam Bernardo in Abbatem electo Monaſter.ij, cui nomen eſt cella Bononi, à Comite Stephano cui ſe & matri Comitiſſæ approbandum obtulerat, *donum rerum temporalium ad idem pertinentium Monaſterium*, eſſe traditum, hoc eſt remiſſa quoad temporalitatem iura Regaliæ.

Et, quoniam videri inſolens, nouumque multis poterat, quæ ſacris bona dicata ſunt vſibus, in commodum cedere Principum, vt eſt in Hincmari *ep. 5. cap.* 41. hæc ab iis conceſſa video locis piis, Clericis, aut fœminis Deo ſacris. De fœminis locisque religioſis, eſt hæc Ludouici VII. teſtamentaria ſanctio. *Ego Ludouicus poſt obitum Epiſcopi Pariſienſis bonæ memoriæ Theobaldi, Epiſcopatus, & regale, in noſtram manum venit, & ſimiliter Capiceriæ reditus, ſed cum oblationes & reditum altaris nollemus aſſumere in vſus regios. Notum faci-*

mus quidquid capiebamus in Capiceria Eccleſiæ Pariſienſis, vacante ſede, & Epiſcopatu in manu Regia exiſtente, conuentus ſororum de hedera, quoties vacauerit Epiſcopatus, donauimus habendum.

Qui conſequutis poſtmodum temporibus vixere Reges, profanos regaliorum reditus ſacellanis Palatij Pariſienſis dedere poſſidendos, nominatim Carol. V. Carol. VII. Ludouic. XI. anno 1465. Carol. VIII. an. 1483. Ludouic. XII an. 1498. Franciſcus I. Kalend. April. an. 1514. Henric. II. 3. Idus Nouemb. an. 1547.

Longe tamen meo ſenſu conſultius facerent, qui in vacuos Diœceſani Pontificatus, annuaſque ſacrorum obuentiones, publica iniecta manu, eas per Oeconomum adminiſtrant, ſi quod decreta Pontificia imperant, illas, reique Eccleſiaſticæ prouentus omnes, futuro ſucceſſori ſeruandos crederent. Conſulit hoc Hincmarus *epiſt. 5.* iubet Alexand. III. in *decretali cum vos 4. de offic. ordinar. quoniam res & facultates Eccleſiæ non in Imperatorum atque Regum poteſtate ſunt ad diſpenſandum & inuadendum, ſed ad defenſandum atque tuendum*, Hincmar. *loco citato.*

Neapolitani ſane Reges, qui ſe olim Epiſcopalium Sedium cuſtodes ſunt profeſſi, quos, cùm hæ vacabant colligendis earũ fructibus Oeconomos dederãt, cogebant eius curationis rationem nouo Antiſtiti reddere: ſunt ergo vt ex dictis patet. Regaliæ partes duæ, quarum prima altaria conferenda reſpicit, præbendas, perſonatus, cæteraque id genus beneficia, interim dum nouus veteri mortuo viuus valenſque Antiſtes ſubrogetur. Altera reditus commodaque amplectitur Eccleſiaſtica, lege Caroli ſeptimi de anno 1452. Palatini Sacelli attribuenda Canonicis, quod fuit probandum.

QVÆSTIO XII.

An ius Regaliæ ita perſonæ adhæreat regiæ, vt ſit alteri incommunicabile.

De ea re nonnulli ambigunt, ſed ſine cauſa, nam pertinere quoque ad Reginas Rege abſente vel mortuo, ſi prolis nomine nondum ad regendum per ætatem idoneæ, regno præſint, Diui Ludou. factum indicat, de quo ſupra.

Eſt præterea Philippi tertij, ea de re procuratoriis regni codicillis reſponſum additũ, in hæc verba: *Si forte contigerit ſedem Epiſcopalem vel aliquam Abbatiam in Regalia vacare, volumus, vt Canonici Eccleſiæ, & Monachi vacantis Monaſterij. veniant ante Reginam & Archiepiſcop. Remenſem, ſicut ante nos venirent, & electionem petant:* ſanctum quidem Ludouic. conſtat, cum ad loca ſacra expeditionem parabat, ſanctiſſimæ matri Blanchæ, procurandi, ac de beneficiis quandiu abeſſet, diſponendi vt luberet, poteſtatem feciſſe. Procurationis ac mandati verba ſic habent. *Nos chariſſimæ matri noſtræ & Dominæ conceſſimus & volumus, quod ipſa in hac noſtra peregrinationis abſentia, plenaria vtatur poteſtate recipiendi, & attrahendi ad regni negotia quos ſibi placuerit, dignitates etiam & beneficia Eccleſiaſtica vacantia conferendi, fidelitates Epiſcoporum & Abbatum recipiendi, & eis Regalia reſtituendi*, quo nihil ad poſitæ quæſtionis intelligentiam dici poterat expreſſius.

Nec modo Regina mater, cum Rex eſt extra prouinciam bellis externis occupatus, eius vices in electionibus, iureque Regalium agit, ſed & filius ipſius primogenitus, quem Delphinum appellant, aut alius, cui regni adminiſtrationem Rex ab eo cum abſcederet, commiſit. Ita Innocent. III. in *cap. cum inter 17. de elect.* vult aſſenſum ſuum de Epiſcopo Capuano electo poſtulari, vnaque apoſtolicæ confirmationis gratiam, eo quod Conſtantia Henrici VI. Imperatoris & Neapolit. Regis vidua, ei Frederici filij ſui impuberis tutelam teſtamento reliquerat, proindeq; & iura regaliæ, quibus adminiſtrandis per ætatem par adhuc Fridericus non erat. *Mandamus*, inquit, *quatenus inuocata Spiritus ſancti gratia, perſonã idoneam per electionem canonicam, concorditer aſſumatis ad regimen Capuanæ Eccleſiæ, conſequenter ad audientiam noſtram nuncios idoneos tranſmiſſuri, per quos à nobis vice regia poſtuletis aſſenſum & Apoſtolicæ confirmationis gratiam.* Neque tamen cum Regis in nominando, præſentando ad beneficia, Regalia admittendo, Regina aut Principes Vicaria fungebantur opera, iura acquirebant regalia, ſunt enim hæc ſic coronæ nexa, vt ab ea diuelli, ac ſeiungi nequeant.

Sunt ſanè Cathedrales omnes Eccleſiæ à dominica procerum iuriſdictione exemptæ, nec generali Panagij conceſſione comprehenſæ, ſic Rigordus in vita Philippi Auguſti, *Reges*, inquit, *Francorum prædictas Eccleſias*, (id eſt Epiſcopatus & Abbatias) *in ſua libertate ſemper cuſtodire cupientes, quibuſcunque Principibus terras cuſtodiendas tradidiſſent, tamen Eccleſias ſub poteſtate ſua & protectione retinuerunt*, quod & notat auctor *prærogatiuarum Regis Angliæ cap. 15.* his verbis: *Quando Dominus Rex dat vel concedit alicui manerium vel terram cum pertinentiis ſuis, niſi ſciat expreſſam mentionem, de feodis nobilibus, aduocationibus Eccleſiarum, tunc Rex reſeruat ſibi eadem feoda aduocationes cum dotibus.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XIII.

An præter collationem præbendarum, & bonorum temporalium vindicationem per Oeconomum, de quibus priori quæſtione; ſint & iura alia regalia propria.

CVm ſit hæc quæſtio facti, non iuris, ei abunde ſatisfecero, ſi quæ regni praxis ab omni æuo extiterit, paucis oſtendero. Ordior ab Hincmaro: hic enim data ad Ludouic. III. epiſtola, eum rogat, vt regalionum iura, in Eccleſiæ Bellouacenſis cauſa, valere ſinat, proindeque vt Clericis per eum liceat, Epiſcopum ſuffragiis communibus ſibi creare, creato bona eius Eccleſiæ propria capeſſere, Metropolitani manu ac opera, characterem, cæteraque Antiſtitum inſignia ſumere. *Vt ſicut*, inquit, *ſacræ leges, & regulæ præcipiunt Archiepiſcopis & Epiſcopis conſimiliter earum Diœceſeon electionem concedere dignemini, & conſentientibus Clero & plebi, eum vobis adducant, vt ſecundum miniſterium veſtrum, res & facultates Eccleſiæ, quas ad defendendum, & tuendum vobis Dominus commendauit, ſuæ diſpoſitioni committatis, & cum conſenſu, & literis veſtris, eum ad Metropolitanum Epiſcopum, & Coepiſcopos qui eum ordinare debent tranſmittatis:* his enim rebus contineri Regaliam colligitur ex epiſtola D. Bern. 170. ad Ludouic. iuniorem: ibi enim poſt recenſitam electi in Lingonenſem Epiſcopum, propenſiſſimam aduerſus eum voluntatem, periculum eſſe ait, ſi Rex ei moleſtus eſſe pergat, ac ne conſecretur impediat, *ne multorum religioſorum aduerſum ſe, quod non expedit, deuota corda turbet, & Regalibus ſuis, quæ ad Eccleſiam pertinent, non paruum incommodum acquirat.* In quo autem hic electi aduerſus illum, bene affectus animus ſe proderet, indicat, cum ait, nolle, niſi eodem annuente Rege, bona Epiſcopalia, cæteraque quæ Antiſtitum propria ſunt munera, attingere, *Electus*, inquit, *fidelis eſt, non autem eſſet fidelis, ſi veſtra & non per vos habere vellet, necdum ad veſtra manum extendit, necdum ciuitatem veſtram ingreſſus eſt, necdum prorſus ſe intromiſit de aliquo.*

Sita ergo fuit in eo Regalia, primo, vt non niſi permittente Rege, antiquo Præſuli ſubrogaretur nouus: quare eius eligendi cauſâ, coire Clericis ſine eius facultate ac venia; fas non erat. Id Philippi Auguſti oratio indicat, cum de profectione in Syrã cogitaret, in procuratorios regni Codicillos relata, id loquitur Bernardi querimonia, *ep.* 224. ad Stephan. Præneſtin. Epiſcop. *electiones Epiſcoporum prohibentur fieri, & ſicubi id præſumptum à Cle-* A *ricis fuerit electus, Epiſcopari non ſinitur. Sedet in triſtitia Eccleſia Pariſien. proprio deſtituta paſtore, & nemo, de ſubſtituendo alio muſſire audet: & epiſt.* 222. Ioſlenum Sueſſion. Epiſc. *de quo iure obſecro præſumis, vt Chriſti ouibus paſtores præfici non permittas?*

Secundo, & hoc ad regaliam pertinet; quod electo bonis frui Epiſcopatus non liceret, niſi Rex vellet: *Rex*, inquit Iuo Carnot. *epiſt.* 49. ad Paſchalem II. loquens de Gaione in Beluacenſem Epiſcopum, communibus cleri ſuffragiis electo) *ab omni bona voluntate turbatus, non vult electioni aſſenſum præbere, nec electo bona Epiſcopalia dimittere.* B Quod cum Ludouicus iunior faceret, nec Catalaunenſem Eccleſiam regi ab electo ſineret, apud Ioſlenum Sueſſionenſ. Epiſcopum, quo tunc Rex vtebatur familiariter, queſtus eſt in *epiſt.* 321. Bernardus, his verbis: *De quo iure obſecro, de quo iure præſumis, vt Chriſti ouibus, paſtores præfici non permittas, vt his quidem electorum promotionem prohibeas, aliis vero, quod eſt inauditum, dilationem electionis inducas?*

Tertio, & hoc ſibi Regaliæ nomine, competere dicebant Reges, vt electum, ſi ſibi acceptus foret, conſecrari à Metropolitano, C datis ad eum literis, ſinerent: eſt in *epiſtola* 2. Ioann. Papæ decimi, ad Carolum Caluum, humilis ac demiſſa culpę deprecatio per Giſlebertum admiſſæ, in Hilduino conſecrando ſinę Regis iuſſione. Fuerat hic in Leodienſem Epiſcopum, communibus cleri ſuffragiis aſcitus, & quia metus erat, ne ex aulæ emanaret aliquid, quo facta de eo turbaretur electio, ſuam benedictionem non differendam ratus, Giſlebertum adit, deque eo impetrat, eam ſibi primo quoque tempore vt impertiat, quod & fecit iniuſſu Regis, in quo ſe læſum, iuraque regni violata, cum D Carolus apud Ioann. acerba oratione queſtus eſſet, hoc ab eo reſponſum tulit. *De hoc quod contra veſtra ſceptra Giſlebertus inutiliter geſſit valde doluimus, eo quod priſca conſuetudo, & regni nobilitas cenſuit; vt nullus Epiſcopum ordinare debuiſſet abſque iuſſione Regis.* Hac auctoritate pollere ſe Reges cum crederent, nihil non ſibi arrogabant in hoc genere, de vi per eorũ vnum, Metropolitano & Comprouincialibus Epiſcopis facta, vt electum hominẽ de Simoniaca hæreſi accuſatum conſe- E crarent, Iuo cum Rudone Normanniæ Dapifero expoſtulat *epiſt.* 20. nec enim fœdius eſſe quidquã poteſt, quàm cuius doctrina eſſe cunctis debet pro oraculo, vita pro exemplo, deflagret omnium odiis, ſannisq; & ob vitia quibus ſcatet, ad contemptum pateat hæc eſt cauſa cur de electi moribus, deque ſeruata forma in eius electione canonibus præſcripta Regem per Metropolitanum, aut eius Eccleſiæ Clerum, qui ſibi illum in Epiſ-

copum optauerat, admoneri ante eſſet neceſſe.

De Metropolitano fidem faciunt, ex Hincmari epiſtola depromta verba, quæ in quæſtione præcedenti ſunt poſita. De clero eiuſque teſtimonio in illius gratiam, ſic Lupus Ferrarienſ. in *epiſt. 98. Æneam cuius præconia præmiſimus, concorditer omnes eligimus, Pontificem habere optamus, quamuis enim tanta prudentia ac probitate præcellentiſſimus Rex noſter polleat, vt ſolum eius iudicium de viro memorato poſſet ſufficere, tamen, &c.* Ita ſi Regi probabatur electio, tum enimuero, conſecrandus ad Metropolitanum, eiuſque ſuffraganeos ad id deſignatos mittebatur, facto tamē ante, eidem Principi fidelitatis iuramento.

Prioris ego rei exemplum reperio, in Fulberti *epiſt.* 107. ibi enim habetur, Benardum quem ſibi Monachi Cellæ Bononi vice Patris præeſſe voluerant, oblatum primo Comitiſſæ, & eius filio Stephano Comiti fuiſſe, exinde Tricaſſinorum Præſuli benedicendum. *Obtulit,* inquit, *fratrem prædictum nobiliſſimæ Comitiſſæ, ſub cuius ditione locus ille conſiſtit, & Stephano Comiti eius filio, à quibus donum rerum temporalium, ad idem pertinentium Cœnobium ſuſcepit. Dehinc vero ſtatuit, cum Venerabili Menardo, Trecaſſinorum Præſuli, cuius Eccleſiaſtica authoritate electionem huiuſmodi corroborari oportuit, atq; ab ipſo animarū curam ſuſcipi, necnon Abbatis benedictionem, ſecundum inſtitutionem Patrum celebrari.*

De Epiſcopatus autem, ad quem nouus erat Epiſcopus, ſuffragatorum ſententiis vocatus: de Epiſcopatus (inquam) gubernaculis ante non capeſſendis, quàm ſuæ hic in Principem fidelitatis profeſſionem ſanctiſſima iuris iurandi religione adhibita edidiſſet, loquitur, Iuo Carnotenſ. in Epiſtola ad Paſchalem II. 206. his verbis. *Reclamante Curia,* inquit, *plenariam pacem impetrare nequiuimus, niſi prædictus Metropolitanus per manum, & Sacramentum, eam fidelitatem Regi faceret quam prædeceſſoribus ſuis, omnes Remenſes Archiepiſcopi & cæteri Regni Francorum quamlibet Religioſi fecerunt:* hanc enim Carolo Caluo, vt eſt in eius Capitularibus, *quinto Idus Septemb. an.* 873. ab iis præſtitam ſcimus. *In placito generali apud Gundulphi villam Ingelberga Regina, & Legatis Sedis Apoſtolicæ, Formoſo & Gaderico præſentibus,* qua autem forma quibuſque verbis iuramentum hoc concipi oporteret, declarant Epiſcopi, apud Gundulphi villam coacti, vt in ſuis ad Caroli Capitularia commentariis adnotauit Reuerendus P. Sirmundus: hanc ego fidelitatis formam, in iiſdem Capitularib. his perſcriptam verbis reperi. Quantum ſciero, & potuero, adiuuante Domino, conſilio, & auxilio, ſecundum meum miniſterium fidelis ero, vt re-

A gnum quod vobis *Deus donauit, vel donauerit, ad ipſius voluntatem, & ſanctæ Eccleſiæ, & debitum regium honorem veſtrum, & veſtram, fideliumque ſaluationem habere, & continere poſſitis.*

Sunt ergo Regalia Gallis pridem in vſu, pridem permiſſa eorum Regibus. Memini enim à Gregor. eius nominis XI. impetratam Rothomagenſi Archiepiſcopo facultatem, ineundi ſacri regendarum mentium magiſterii in Neuſtria, ſacramento non niſi per Procuratorem præſtito, quod in Rega- B liorum materia, non recipit Gallia: quare & antiquis eius moribus derogatum tùm eſſe per Regem oportuit, vt in ſua ipſe epiſtola Gregor. loquitur, quam ad regaliorum fidem, æternamque demiſſionis in eo laudem, inſerere hîc placet.

Gregorius Epiſcopus, &c. *Cum nuper Venerabilem fratrem Petrum, olim Epiſcopum Narbonenſem, in Archiepiſcopum Rothomagenſ. electum, in Eccleſiam Rothomag. duximus transferendum, præficiendo eundem dictæ Eccleſiæ; idemque Petrus electus, qui chariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Regi Francorum illu-* C *ſtri, ratione temporalitatis dictæ Rothomagenſ. Eccleſiæ, homagium, & fidelitatis debita iuramentum prout fertur præſtare tenetur, pro ipſis præſtandis, eiuſdem Regis præſentiam adire nequeat, & ſicut accepimus, idem Rex intendens dictum Petrum fauoribus proſequi gratioſis, regaliam quam ratione vacationis dictæ Eccleſiæ idem habere dicitur, ac omnia iura ratione huius competentia remittere, & ipſum ad præſtandum huiuſmodi homagium & fidelitatis iuramentum per procuratorem de ſpeciali gratia admittere.* Habes ex his Gregor. verbis,

D Primo, Regaliam, rem Gallis inſolentem non eſſe, nec à Pontifice improbatam.

Secundo Regi competere, ratione vacationis Eccleſiæ.

Tertio, homagium, ac fidelitatis iuramentum, ei ratione temporalitatis Eccleſiæ eſſe debitum.

Quarto, eidem Regi ab Epiſcopo per ſeipſum, & non per Procuratorem præſtari oportere.

Quinto, aperta Regalia, bona Eccleſiæ temporalia in Regis manu eſſe. *Nam ſuffi-* E *cit,* (inquit Bern. in *epiſt.* ad Stephan. Præneſtinum 224. loquens de Catalaun. Eccleſia paſtore vidua, cuius bona, Ludouicus fratri ſuo dum vacabat, vtenda reliquerat iure regaliæ) *Non ſufficit ſpoliari bonis præſentibus domos Epiſcopales, etiā in terras, & in homines, manus ſacrilega circumquaque deſæuit, totius inſuper anni ex eis ſibi reditus vindicando, Commiſit rex germano ſuo Roberto, vices Epiſc. & ille in cunctis terris, rebuſque Eccleſiaſticis poteſtatiue verſans, & pro vice ſua vbique haud ſegniter agens, infert hoſtias non plane pacificas,*

ſed

clamores, &c. Clariſſime idem Ludouic.
Codice manu exarato, quem ſeruari Lute-
Renatus ait, *lib. de ſacra polit. 1. tit. 5. No-*
t, inquit, *tam futurorum poſteritas ſecutura,*
m modernorum præſentia, quod glorioſiſſi-
Rex Ludouic. Ludouici Groſſi filius vacan-
piſcopatu, dum vniuerſa ad Epiſcopalem ſta-
pertinentia, in ipſius eſſent poteſtate, roga-
r admonitu, &c.
Ortam autem eſſe Regaliam Galli ſcrip-
es vt Meſtræus *cap. 1.* Charondas 1. *Pande-*
rum iuris Gallici cap. 9. aſſerunt, à ſingulari
lorum Antiſtitum erga Clodoueum in-
atione animi: hos enim narrant, in Con-
Aurelianenſi iura ei conceſſiſſe Regaliæ
memoriam accepti ab eo beneficij, Atala-
morte, quem non minus fortiter, quam
Galliæ feliciter, ſtrauerat.
Quam id vero parum probabili ratione,
cium appello ſapientum: Nempe darent
doueo Antiſtites, quod nec hi concedere
ab his recipere ille poterat? Ecquid intel-
bant ius componendæ vniuerſæ Eccle-
Papæ ſoli competere? Ioan. vltimo. *Paſ-*
es meas, prouinciarum autem ſingula-
beneficia, Epiſcoporum qui illis præeſ-
, ſic ſubeſſe poteſtati curæque, vt de illis,
tratu ſuo plene diſponere Papæ ſoli eſſet
miſſum, *cap. propoſuit de conceſſione praben-*
p. 1. de tranſact. cap. inter dilectos de fide
ment.
quo iure vtrum hic priuari ab Epiſcopis
erit, aueo ſcire de his authoribus, qui
s ſunt ſententiæ principes ac patroni. De-
, qui tam ſtudioſe de reditibus Eccleſiæ
endendis in eiuſdem commodum, legem
ant, *can. 7.* Concil. Aurelianenſ. primi,
lege, iubentur Epiſcopi eos inſumere
ba ſunt Canonis) *in reparationibus Ec-*
rum, alimonijs ſacerdotum, & pauperum
ione, vel redemptionibus captiuorum, eam
erent, ius in illos, ac beneficia vnde ma-
, attribuendo Regibus? quam id vero
m veri ſimile?
emini quidem ad honores Eccleſiaſticos
e voluere aditum, quem Rex non pro-
t, ſed nego ideo, ius ei conferendæ va-
s Eccleſiæ Cathedralis, ab illis rite con-
m eſſe. Quod cuilibet è clero, & populo
at, vt aſſenſum electioni daret, hoc Re-
luere negatum eſſe. Indicat non obſcu-
oncil. Aurel. 5. *canon 3.* his perſcriptus
is: *Vt nullum Epiſcopatum per præmia li-*
dipiſci, ſed voluntate Regis iuxta electio-
cleri ac plebis, ac conſenſu vtriuſque, à Me-
litano cum comprouincialibus conſecretur, ſi
amplius eius æui Epiſcopi tributum vo-
Regibus, vt fecere auctoritate priuata,
conſulto Pontifice: ita & inualide: nam
ſcet Regibus, ſicut ſanxit octaua Synodus
Romana commendat Eccleſia, electioni-

A *bus Epiſcoporum ſe immiſcere, vel aliqua eas ratione impedire,* Iuo *ep. 47. ad Manaſſem Remorum Præſulem.*

Regaliæ originem repetunt alij à ſacratis Deo ædibus, quas Chriſtianiſſimi Reges ad eius, Sanctorumque cultum toto regno magnis exædificauere ſumptibus, huic enim religioni, ac in diuos cælites admirandæ pietati, quoniam ius eſt nominandi annexum, ex Rocho Curtio *in tract. ſolemni de iure Patronatus, verbo in Eccleſia. q. 5.* ideo Robertus
B *lib. 3. rerum iudicatarum cap. 1.* Florens, in *rubricam de elect. circa finem.* Bochellus *in additionibus,* ad Petri Guenois *collationes, tit. 1. lib. 1. lit. I.* & alij, credidere coniunctam conferendi beneficij poteſtatem ei eſſe.

At enim, ex iis quæro, cur quod priuatis hominibus eſt vetitum, id ſit in Rege tentare ac facere non impune modo, verumetiam laudabile? Si erectum templum, ſi locupletatum idoneis prouentibus, ad miniſtrorum vitam ac luminaria, ius in erigente ac dotante ſequitur, eius attribuendi idoneo homini ac capaci, cur eo carent hic, & ille, priuati ho-
C mines, hac commemorabili inter alias, cõſtituti à ſe beneficij laude inſignes? cum eiuſdem cauſæ idem quoque eſſe effectus debeat.

Quare aliò confugiunt Rufæus, Graſſal. & Paponius: ille quidem *1. parte præfat. nu. 5.* ad ius canonicum, hi ad conſuetudinem, omni memoria maiorem, quorum ego opinionem, prioribus paulo meliorem, etſi non omnino certam vt exiſtimem, faciunt hæc argumenta, primum, quod eius, ac fundationis meminerit, Gregor. eius nominis X, in *cap. graui 13. de elect. in 6.* nec principes arguat,
D *qui ab ipſarum Eccleſiarum, cæterorumque locorum fundatione, vel ex antiqua conſuetudine, iura ſibi huiuſmodi vindicant cap. graui citato:* ab ea Couar. *2. to. practicar. cap. 36. n. 4.* Ioan. de Selua *tract. de benefic. 23. 2. part.* Chaſſan. *in Catalogo 5. parte conſid. 24. num. 177.* Corſetus *de poteſtate regia q. 11.* Florenſ. *ſupra* ab ea (inquã) & à conſuetudine iura regalia arceſſenda aiunt, quoniam quæ tempore poſſidentur, cuius neſcitur initium, poſſidentur ratione præſcriptionis valide, & efficaciter, *l. 3. ff de vſucapion.* at id habet locũ in regalia, quæ
E vt memorat Philippus pulcher in Philippina à ſe edita a. 1334. aliquãto nẽpe tẽpore antequã regni habenas caperet, vim regno toto, retroactis longe ante ſæculis obtinuerat. Eius ſane cauſæ, vti iuſtæ regaliorum originis, meminit Ludouicus eius nominis XII. in ſua ordinaria de anno 1466. & Carolus V. in alia de ann. 1373. cuius meminere auctores Galli. Sane cum anno 1277. inter Regem & Archiep. Bituricen. ſuper hoc iure orta eſſet controuerſia, conſuetudinem conſuli placuit, quæ quum pro Rege non faceret, cauſa cecidit,

Præſulique præbendarum collatio eſt relicta Choppin. *de Domanio lib. 2. titul. 9. numer. 5.*

Sunt qui Reges hæc ſibi Regaliorum iura vindicare, hoc nomine, inter cætera aſſerant, quod cuſtodes ſint Eccleſiarum omnium dum vacant: ita Canoniſtæ in Canonem Generali 13 *de electione in 6.*

Equidem Regem Baldus iureconſultus in *in proœmio decretalium ad cap. quanto, de iudiciis*, honorifico compellat nomine cuſtodis Cathedralium omnium, cui opinioni ſicut & præcedenti vt dicebam proxime, fidē eſſe ac initium aiunt, à verbis, teſtimonioque, Gregor X. in *cap. generali 13. de electione*, ſupra *citato in 6.* Vbi tam conſuetudinis præſcriptæ quam cuſtodiæ Eccleſiarum meminit, ab iiſque iura regalium, quorundam opinione ſenſu prætendi à Regibus indicat, verba canonis ſunt iſta *Generali conſtitutione ſancimus, vniuerſos & ſingulos qui regalia cuſtodiam ſiue Guardiam aduocationis, ſeu defenſionis titulum in Eccleſiis, Monaſteriis, de nouo vſurpare conātes, bona Eccleſiarum Monaſteriorum, & vacantium vſurpare præſumunt, quantacunque dignitatis honore præfulgeant*: Et paulo poſt, *qui autem ab ipſarum Eccleſiarum cæterorumque locorum fundatione vel ex antiqua conſuetudine iura ſibi huiuſmodi vendicant, ab illorum abuſu ſic prudenter abſtineant & ſuos miniſtros in eis ſollicite faciant abſtinere, quod ea quæ non pertinēt ad fructus ſiue reditus prouenientes vacationis tempore, non vſurpent.* Guymerium ſanè pragmaticæ ſanctionis interpretem conſtat, huc tanquam ad veram regaliorum originem aduertiſſe animum: ſic enim in *verbo Regalia ſub ſinem, §. item quod dicta 5. par. tit. de annatis, ipſis Regibus, in tali antiquo iure eſt deferendum, præſertim cum conſuetudinem ipſam, Papa ſciat, & toleret, & præſertim de Rege Franciæ, vt patere poteſt, per Bullas Romanorum Pontificum loquentium de Regaliis, quæ ſunt in theſauro regio*, quæ eſt etiam Choppini ſopinio *lib. 1. de ſacra polit. tit. 5. num. 13.*

Vt quis de hoc iure ſenſus ſit meus eloquar, lubet aduertere, quæ hoc iure continentur, tria eſſe, homagium, ſeu fidelitatis iuramentum, collationem beneficiorum ſimplicium, ac poſtremo receptionem temporalium, nec habere omnia ab eodem fonte originē Primum, Rex ſibi feudorum iure principali vindicat, occaſione directi dominij in feuda, terraſque regni ſui, nec enim clam eſſe aliquo exiſtimo, cum iuramento fidelitatis, Dominis præſtandum eſſe homagium à Vaſſallis, ita Iuo Carnut. *epiſt. 87. ad Gaufridum*, de eo queritur, *quod milites illos qui beneficia Monaſterij haberent, tanquam eos ſibi reſeruans, hominatum Abbati facere non permitteret*, pro qua voce Helmodius in hiſtoria Otho Friſing. *lib. 2. de reb. geſt. Frider. 1. cap. 5* Amoin. *lib. 5. cap. 41. hominium habent, & homagium.*

Alterum, nempe quod beneficia ſimplicia Rex conferat, habet à Pontifice Romano, qui iuſtas ob cauſas hoc ei, magni beneficij loco tribuit, non autem ab Eccleſiarum fundatione, vt ſomniarunt aliqui, alioqui eſſet hæc erogandi Sacerdotij auctoritas in omnibus, quorum aliqua extaret in Eccleſias templaque liberalitas, quo quid abſurdius?

Tertium, originem habet à veteri feudorum iure, quo militaria beneficia caduca fieri vltimi clientis obitu, patronumque eo caſu, primi anni fructus lucrari, pro clientariis fundi renouatione & inſtauratione, ſcribit Bleyanus in Theor. *tract. de Annatis num. 4.*

Vt vt ſit de cauſa, certe conſtat Gregor. X. teſtimonio, conſiſtorialis beneficij reditus, dum vacat à Rege occupari poſſe, qui cum ad id, regaliorum omni iure niti ait, *præter reditum altarium*, hoc eſt, eam pecuniæ ſummam, quæ ſacrificanti datur Epiſcopo, nec enim eſt hæc tam Epiſcopatus fructus aliquis, quam operæ in dicenda miſſa, ſtipendium ac merces.

Ex dictis elici poteſt hæc regaliæ definitio. Eſt ius Regi competens, ob Eccleſiarum cuſtodiam, non longiſſimi quidem poſſeſſione tēporis, ac conſuetudine præſcriptum, cuius neſciatur initiū ſed Papæ volūtate, ac beneficētia acquiſitum, ius (inquam) adminiſtrandi imperfecte & ſecundum quid, in ſpiritualibus, & temporalibus beneficia conſiſtorialia in regno vacantia, vt in Philippino diplomate dicitur, cuius eſt hæc in rationalibus Pariſienſibus inſcriptio. *Declaratio Regis Philippi, pro beneficiis vacantibus in regalia.*

Dixi *ob cuſtodiam*, eius enim fit mentio in decretali, citata Gregor. X. & epiſtola 5. Hincmari *cap. 41. Sicut Epiſcopus*, inquit, *ſuas & Eccleſiaſticas facultates ſub debita diſcretione in vita ſua diſpenſandi habet poteſtatem; ita facultates Eccleſiæ viduatæ, poſt mortem Epiſcopi penes Oeconomum integræ conſeruari iubentur futuro ſucceſſori Epiſcopo*: quare ibidem paucis interiectis ait, Regum eſſe eas tueri ac cuſtodire, non perdere.

Additur *adminiſtrandi ſaltem imperfecte in ſpiritualibus.* Quia beneficia ſimplicia Reges cōferunt tā morte, quàm reſignatione vacantia, quorum collatione regi Eccleſiam vtcunque, & ex parte, ſummiſtarum eſt opinio.

Quid? quod eligi Epiſcopus & Abbas, cum eſt opus, nequeant, niſi impetrata eius rei à Rege licentia, vt de cæteris taceam, eſt hæc in procuratoris regni codicillis Reginæ coniugi à Philippo Auguſto datis, cum Hieroſolymitani belli prouinciam adminiſtrandam ſumpſit, adiecta clauſula. *Si forte contigerit ſedem Epiſcopalem, vel aliquam Abbatiam in regalia vacare, volumus vt Canonici Eccleſiæ,*

vel

vel Monaſterij vacantis Monachi veniant ante Reginam, ſicut ante nos venirent, & liberè ab ea electionem petant, hanc autem poſtulantibus concedere, ecquid non eſt adminiſtrandæ in ſpiritualibus Eccleſiæ, quadantenus operam dare?

Dixi *non præſcriptum conſuetudine*, quia cum Laïcus iſtiuſmodi iuris ſit incapax, vtpote ſpiritualis, præſcribi ab eo non poteſt.

Ad quæ autem ſe beneficia ius regaliæ porrigat eſt incertum, cum ad omnia ſibi regni beneficia, ius regaliæ non eſſe, Ludouicus XII. non obſcure his verbis innuat. *Prohibuimus*, inquit, *omnibus noſtris Officiarijs, ne poſſeſſionem Archiepiſcopatuum, Epiſcopatuum, Abbatiarum, aliorumue beneficiorum, in quibus ius regaliæ, aut cuſtodiæ nobis non competit, inuadant ſub pœna ſacrilegij*, fuere enim olim Cathedrales Eccleſiæ non paucæ in Gallia, in quibus liberalitate regia, Regaliæ locus nullus erat: quare quæ tum in illis beneficia vacabant, hæc antiquo iure canonum, ſeruabantur Epiſcopo futuro conferenda, quo beneficio, in primis Cameracenſem Eccleſiam cohoneſtatam video, Atrebaticam à Philippo II. ſecundum Probum *q. 60.* Senonenſem à Ludouico iuniore, anno 1156. Ambianenſem à Philippo II. Ludouici filio, de Altiſiodorenſi extat Philippi II. diploma in hæc verba. *Nouerint*, &c. *Quod nos intuitu pietatis & ob remedium animæ noſtræ, & parentum noſtrorum, damus & concedimus in perpetuum Eccleſiæ Altiſiodorenſi, quicquid iuris habebamus in Regalibus Altiſiodorenſ. vacante ſede: ita quod Decanus & Capitulum eiuſdem Eccleſiæ cuſtodient Regalia ſede vacante, & omnes prouentus qui ex inde procedent, & præbendas, ſi quas interim vacare contigerit ad opus futuri Epiſcopi: ſaluo ſeruitio noſtro equitationis, exercitus & ſubmotionis: ſicut Epiſcopi Altiſiodorenſ. nobis fecerunt ann.* 1206.

Eſt hoc tamen Altiſiodorenſis Eccleſiæ priuilegium, vt pleriſque alijs, eius auctoritate qui dederat, ereptum hoc tempore, cum in iis, ſacro conſtante interregno, Rex regalia collationum iura exerceat, vt in aliis regni Eccleſiis, iuxta Papon. *lib. 3. pag.* 83. contra priſci æui ſcriptores, qui hanc regaliorum poteſtatem definiebant Ligeri flumine.

Sanè conſtat, Armoricæ Epiſcopatus omnes fuiſſe olim, ab hoc onere liberos, teſte Probo, & Meſtræo *cap. 4.* nam ſi eſt ius regalium, à patronatu templorum, eorumque fundatione repetendum, vt habet Archidiacon. in *can. imperium diſt.* 10. & alij de quibus nos ſupra, cum Britonum Eccleſia Francico imperio ſit prior, vt ex eo colligit Renatus *polit. lib. 1. tit. 7. num. 10.* quod Euſebius Nannetum Epiſcop. Turon. 1. Conc. ſubſcripſerit & Aurelianen. 1. Epiphanius, quo tempore inter Reges Chriſtianos Franciæ, primus

A Francis imperitabat Clodoueus, ab eo eiuſque præceſſoribus, non potuit eſſe Britonum Eccleſia, ſacris dotata reditibus: nec proinde ius eis in illas ſacri competere patronatus, & tamen, nulli eius prouinciæ Epiſcopatui iam parcitur, in eandem ſunt omnes legem ac conditionem reliquorum Franciæ incluſi, vt loquitur praxis ipſa, in ratione priſci agendi computorum ſita, quam inſertam aiunt, *libro adnotato litera G. ab anno 1346. ad 1359.* Beneficia ergo maiora omnia, cuiuſmodi ſunt commiſſa Epiſcopis, ac Primatibus, B quæ ſunt cis Ligerim & vltra, ſubeſſe hoc tẽpore Regaliæ, ab eaque Epiſcopatum regni nullum immunem eſſe, ſcribunt Peleus in forenſib. *lib. 1. act.* 17. Loüetus *in arreſt. lit. R. art.* 56. vetuitque ann. 1608. Senatus, in cauſa Bellicenſis Epiſcopatus, ne Aduocati in poſterum ius Regaliæ ad certas reſtringerent prouincias, earumque loca peculiaria, ſed illud iiſdem quibus Galliam circumſcribi finibus amodo docerent, ac crederent, & ita Epiſcopatus complecti omnes, niſi hunc & illum ab eo exemptos eſſe numero Rex vellet. Seruinus in *forenſib. volum. 3. act. 1.* Loüet. *ſupra art.* C 56. & 58. cum de arreſto loquitur dato in cauſa Engoliſmenſis Regaliæ an 1607.

Notare tamen hic lubet, priuilegia, iuriſque Regaliæ remiſſiones, quas Rex poſtulanti Epiſcopo annuit, perſonales eſſe vt loquuntur, proindeque ab eo, ad ſucceſſores non tranſire, ſed cum eo parem habere exitum finemque, Brodeus ad Loüet. *litera R. art. 56.* Fabric. *de ann. & depor. num. 40. litera T. in marg.* opinionis ſuæ, fundamenta bina proferunt, primum *ex cap. veniens 8. de tranſactionibus*, vbi tranſactio inter perſonas & Eccleſias facta, aliis obeſſe nec poſſe, nec D debere dicitur. Alterum ex decretis, præiudicioque Senatus multiplici, quibus, eiuſmodi remiſſiones, cum priuilegiati vita finem reperire ſtatuit ann. 1599. Iulij primo, iiſque nonobſtantibus Regaliæ locum dandum videri, vt eſt eius auctoritate factum aduerſus Andegau. 23. Iul. 1573. Pictauien. 24. Decemb. 1574. & alios, de quibus Charond. *lib. 1. Pandect. tit.* 17. Choppin. *lib. 2. de domanio.*

Notandum 2. quod ſi qui hoc tempore (quod non puto) Epiſcopatus eſt à Regaliæ E iure, Principis liberalitate, donoque exemptus, beneficia quæ interim vacabunt, dum defuncto nouus Epiſcopus ſublegitur, à Rege præſentandus Papæ, reſeruanda eſſe ſucceſſori, ab eo, quibus volet cōferenda poſtea.

QVÆSTIO XIV.

Quæ ſint ea beneficia quæ aperta Regalia Rex confert.

NOn alia, quam ſimplicia, vt eſt in Philippina, ac decreto computorum; cui initium, *dum Epiſcopus*.

Quare dignitates, quæ iuriſdictionem in foro externo habent, multorum opinione, improbabili tamen, iuris non ſunt regalis, ſed ſunt futuro Epiſcopo reſeruandæ, vt eas viris idoneis conferat, aut electioni relinquendæ, vt de Decano aut Præpoſito Eccleſiæ tam Cathedralis, quàm Collegiatæ eſt dictum antea, etſi enim ius fori neuter habeat, ſunt ambo tamen in numerum primarum Eccleſiæ dignitatum referendi, argumento eſt quòd iudices eſſe poſſunt, at ad eam prouinciam eligi communiter non ſolent, niſi qui in dignitate ſint poſiti.

Verum enim cum beneficia ſimplicia conferri poſſe à Rege, iure regaliæ dicimus, de iis tantum id intelligi volumus, quæ in ſolius ſunt Epiſcopi poteſtate, ac iure.

Ratio eſt, quod per Regaliam, Rex defuncto ſubſtituatur Epiſcopo, in his, quæ ad ſacerdotiorum collationem pertinent: ergo de his, per eum prouidebitur, non aliis, quã quæ Epiſcopo ſi viueret, conferre fas foret, Ruſæus in *tract. Regaliæ priuil.* 15. *n.* 4. *in fine*.

Et quia ad Capitulum Lugdunenſe ſpectat dictæ Eccleſiæ præbendas idoneis committere, & non ad Archiepiſcopum, ſecundum de Selua *de beneficiis* 2. *parte q.* 23. quod ope beneficioque regaliæ in cæteris Rex Eccleſiis poteſt, hoc illi, tentare in iſta eſt prohibitum, quo ex numero ſunt ea tamen excipienda beneficia, quorum quia Rex eſt Patronus, eorundem quoque eſt fundator, Graſſalius *lib.* 2. *cap.* 1. Selua 1. *parte q.* 7. in quæ Epiſcopo mortuo, tantundem Regi licere aiunt, quantum in cætera.

QVÆSTIO XV.

Qui ſint effectus Regaliæ.

PRimus eſt efficere, ne beneficia quæ cum vacarent, ab alio quã Rege collata ſunt alicui tẽpore regaliæ, triẽnij poſſeſſione pacifica, præſcribi poſſint: ita Papon. *li.* 3. *ſecretarij tit. de regalia, verbo Ceux qui tiennent*, Arnulphus Ruſæus in *tra. iuris regaliæ priuilegio* 23. & 42. Franciſcus Duarenus *li.* 7. *de benef. ca.* 12. §. 6. Enimuero nemo neſcit, cum qui triennio beneficium pacificè, ac ſine lite poſſedit, hoc ipſo ſic eius poſſeſſorem fieri, A vt eo amodo iuſte priuari non poſſit, per *cap.* 1. *de præſcriptione*, & quartum *de ſupplenda prælatorum negligentia*, quibus adiungendum Leonis X. reſcriptum *in Concord. tit. de pacificis*, cui tamen, ſicut & citatis Pontificum decretalibus, cum de regalia agitur nullus locus eſt in Gallia, vtpote quæ regni legibus, ante trigeſimum annum expletum, præſcribi nequeat, Rebuff. in *tract. de pacificis n.* 35.

Porrò progreſſus eſt Graſſalius: nam *lib.* 2. *de iure Regaliæ cap.* 1. negat ius hoc vllo B præſcribi poſſe tempore. Sunt hæc eius verba. *Quantocunque tempore quis poſſederit beneficium, quod cecidit in regalia, poteſt inquietari à regaliſta, donec regalia fuerit impleta, hoc enim caſu collatio ab alio, quam à Rege Chriſtianiſſimo facta, eſt nulla, & incolorata, & de hoc eſt ordinatio in ſtylo Parlamenti, in abbreuiatis inſtructionibus ſub tit. de quib. cauſis Parlamentum cognoſcere poteſt art.* 4. Hæc ille.

Verum enim, ſententia Rebuffi ſola eſt vera, & tenenda, quod à Ludou. XII. ſit ſtatutum, regaliæ vis vt omnis intereat completo ab eius apertura anno trigeſimo, C & ita factam à Rege collationem poſt id tempus, inanem eſſe ac nullam.

Effectus Regaliæ alter eſt, beneficia per eam vacãtia ſic à Collatorũ poteſtate ſubducere, vt hæc, ab illis alteri quam regaliſtæ, dari nequeant, nedum ab eis reſeruari, Ioan. Gall. *qu.* 20. & 93. *addit.* Rebuff. *in tract. de nominat. q.* 15. *num.* 10. Bleyan. *tract. de titulo & intitulat. lit. I. in marg. ſub finem.*

Expectanti tamen Apoſtolico etiam recepto, & in poſſeſſionem miſſo, cum præferri, D cui à Rege aperta Regalia beneficium collatum foret, hancque regni praxim eſſe, Pariſienſis Curiæ iudiciis approbatam, decreta iudicant, quæ in commentarios ſuos tranſcripſere Charond. *lib.* 7. *reſponſ. cap.* 1. & Chopp. *lib.* 1. *de ſac. politia tit.* 7. Ruzæus *de iure regal. priuil.* 9.

Effectus tertius, Regaliæ eſt, quod beneficia ſic afficiat, ac Regaliſtis addicat, vt ad illa nominari graduati nequeant, Vincentius Cigautius in *tract. de factis principum cap.* 1. Rebuff. *de nominat. q.* 15. *n.* 8. Graſſa- E lius *lib.* 2. *cap.* 1. Gloſſa pragmat. in *parag. item quod dicta in verbo regaliæ de annatis*, in quo derogari Concord. *tit. de collationibus*, ſatis intelligit, quiſquis meminit per illa certa illis, eaque deſignatis menſibus, vacantia beneficia ſeponi, quibus in re literaria eorum acuatur induſtria.

Eſt autem aſſertionis hæc cauſa, quod beneficia iuris patronatus Laïcorum, affici ſic certis hominibus nequeant, vt ad ea præſentare patronis non ſit permiſſum. At id accideret ſi graduatus ad id aſpirare beneficium poſſet, quod ratione regaliæ collationis

tioniseſt regiæ.

Quid? quod Graduatis ea tantum beneficia ſint debita, quæ iuris ſunt Patronatus Eccleſiaſticorum, qualia eſſe, quorum collatio ad Regem beneficio Regaliæ pertinet, quis exiſtimet?

Quarto, eſt hic quoque effectus regaliæ proprius, reddere impuberem, quique ætatis annum ſeptimũ necdum eſt egreſſus, capacem (vt aiunt) obtinendi Canonicatus in Eccleſia qualibet, etiam Cathedrali: Graſſal. *lib.2.cap.1.* Loüetus *verbo beneficium*, quo de effectu quid ſentiam, dicam poſtea.

Quinto loco, in effectis regaliæ eſt hoc quoque ponendum, quod ſe Reges ſacrorum canonicorum Catalogo aſcribant, ſacraque amicti veſte, id eſt, lineo ſupparo, cum Eccleſiaſticis collegis, diuini cultus miniſterium obeant, Feraldus *lib. de priuilegiis regni Franciæ, in 7. iure liliorum*, vbi tradit, Regem in Canonicorum album, trium maxime Eccleſiarum Galliæ, Cænomanenſis, Andium, & S. Martini Turonenſis relatum eſſe, moreque ſingulorum, cum in iis verſatur vrbibus, annonam diariam, iuſtumque ſacri laboris, operæque in procuratione diuini miniſterij ſtipendium, petere iuſte poſſe, ac capere.

Sextus eſt, mandatarios Papæ, à beneficiis per regaliam vacantibus excludere, quo de effectu, moreque Galliæ auctores Choppinus *lib.1.de ſacra polit.tit.7.* Charondas *lib. 7. reſponſionum cap.* 1. Papon. *lib. 2. tit.5. arreſto 7.* ita authoritate Regis ac Curiæ, reiectum aiunt, cui Nicolaus IV. Canonicatum Lauduni vacantem tempore regaliæ, dari mandauerat, aſtipulantur Guillel. Durand. *tit. de legato*, Ruſæus *priuileg.9.& 14.*

Septimus eſt, litigantes iure omni eius beneficij priuare, ſuper quo litem indictam habent, ſi cum ſe aperit regalia, nulli adhuc eorum eſt, per iudicem attributum, Bleyanus *tract. de titulo pag.262. lit.I. in marg.* Paponius *lib.2.tit.3.arreſto 7.*

Probatur, quæ beneficia, cum aperitur regalia, iure non ſunt & facto repleta (vt aiunt) collationis ſunt, ac poteſtatis regiæ, at quandiu lis durat, tamdiu beneficium ſuper quo lis eſt intentata, vacare iure eſt cenſendum: ergo cum beneficia tempore regaliæ vacantia, conferri à Rege ſolo debeant, Capitulo in horum collatione, aut cuilibet alteri nihil licet, cum nec Pontifex vacantia in Curia conferat, ſi Ioanni de Selua *in tract. de benefic. 2. par. q. 23.* Ioanni Gallo *lib.5. arreſto 150. &* Rebuffo eſt fides *in tract. nominat. q. 15. num.9.* quod eius benignitati, ac in Regem beneficentiæ planè incredibili, verius quam legi vlli de regalia, debet attribui.

A

QVÆSTIO XVI.

Explicantur dubia ad materiam de regalibus ſpectantia.

PRimum, *Quæ bona temporalia complectatur Regalia, & an naturalia ſolum?*

Bona ego temporalia naturalia, ſeu fructus naturales nomino, quos, vel quæ, terra, ſeu fundus, beneficiario alendo attributus, vbere, lætoque ſinu parturit, præter quæ ſunt & alia, quæ dicuntur ciuilia, cuiuſmodi ſunt

B quæ Epiſcopale ſigillum, aut ciuilis iuriſdictio gignit.

Dico ergo primò, *Fructus naturales temporalium, pro quibus recognoſci, ac fidelitas Regi ab Epiſcopis ſolita eſt iurari, eidem pro rata temporis, quo eſt aperta Regalia, debitos videri.*

Ratio eſt, quod beneficij, peræque ac rerum dotalium fructus, ſint pro oneribus debiti. *Cum ſecundum Apoſtolum qui altario ſeruit viuere de altari debeat, & qui ad onus eligitur, repelli non debeat à mercede,* Innoc. III. *in cap.*

C *non ſecundum 16. de præb.* quare inter defuncti beneficiarij, hæredes & ſucceſſorem in beneficio, pro rata temporis, quo ille beneficij munera expleuit, diuidi fructus conſueſſe, habet Fabric. *lib.1.tract.2.de patrimonio num.50.* ſed aperta Regalia tam per ſe, quam Oeconomum, id Rex laborat, ne vacantis Epiſcopatus aut Abbatiæ bona temporalia, vt domus, caſtra, prædiaque inuadantur, aut pereant, quæ eius caritas, curaque, ſine mercede eſſe cum non debeat, mirari nemo debet, ſi quo tempore, conſeruandis Abbatiæ vacantis aut Epiſcopatus bonis dat operam, eorum ſibi

D fructus vendicet, ſanctæ Capellæ canonicis applicandos, in quo eum contra ius, faſque nihil facere probat, Coquill. in *quæſtio. & reſponſ.* 154. Choppin. *lib. 2. Monaſt. titulo 1. num.7.*

Dico ſecundò, *Emolumenta quæ ex Epiſcopali colliguntur iuriſdictione*, legibus Galliæ ſic eſſe inter Capitulum, regioſque diuidenda Oeconomos, vt quæ ex ſigillo proueniunt, pro collationibus, Confirmationibus, inſtitutionibus, literis tonſuræ & Ordinum, diſpenſationibus, & eiuſmodi aliis, Capitulo re-

E linquantur, quæ vero ex ſigillo proueniunt, pro citationibus, monitionibus, inſinuationibus, vniuerſeque ex omnibus dependentibus à iuſtitiæ tam ciuilis quam criminalis exercitio, hæc ad Oeconomum pertineant, vt anno 1587. vacante Epiſcopatu Andeg. fuiſſe cautum, recitant Chenut. *in decret.tit.1.cap.4.* de Bleyns *de Annatis litera T. in margin. qui litera V. eiuſd. tract.* aſſerit Regi, eiuſque dono ac munere, ſanctæ Capellæ Pariſ. deberi,

iura decimarum, ac deportuum, pro rata temporis, à die obitus defuncti Prælati computandi.

Dubium 2. *Quando, & quo tempore, regaliæ ſit locus in Gallia.*

Vacante Epiſcopatu, aut conſiſtoriali aliquo ſimili beneficio, vt Abbatia, & conuentuali Prioratu, vacant autem quatuor his modis maximè, permutatione, obitu, reſignatione, & rebellione aduerſus Regem, permutatione quidem, & reſignatione, quia Regi tantundem hic licet, quantum Epiſcopo fas foret, ſi viueret, at conferunt Epiſcopi beneficia, tam compermutantibus, quam reſignatariis, vacant hæc ergo, vtroque modo aſſignato tempore regaliæ.

De morte dicere nihil eſt neceſſe, cum per eam, beneficia poſſeſſore deſtitui ſit certum, factoque ac iure, vacua eſſe.

De rebellione, loquitur Forgetus in *tract. iuris regal. num.* 16. Peleus in *forenſib. lib.* 1. *act.* 27. nam ſi ſunt peccata grauia depoſitione digna, ſi qui ſcelus indignum homine, eoque miniſteriis mancipato Eccleſiæ conſciuit, de gradu deiici poteſt, eſſe fœdius nullum, maiuſque perduellione cum nequeat, eius auctorem ac conſcium, ferendum quis putet? quis in magiſtratu quem cum cura animarum obit, vt ſunt Epiſcopatus, & cœnobiarchia, cum multorum exitio, ſcandaloque retinendum exiſtimet?

Illico ſanè ac eſt Epiſcopi rebellio, per famam publicam, aut informationem notoria, etiam citra vllam condemnatoriam ſententiam, aperiri regaliam, cùm vſus communis regni, tum ratio ipſa indicat, quam auctoritate ipſi ſua ſtabiliunt, firmantque Forgetus & Bleyanus ſupra.

Dub. 3. *An dignitates Cathedralis Eccleſiæ, de eorum ſint beneficiorum genere, quæ vacent tempore regaliæ.*

Eo comprehendi iure non poſſe, qui aſſerunt, in eam mentem veniunt, quod eas, in curatorum claſſem tranſcribendas putent, ita autem vt ſentiant, auctoritas facit Ioan. Papæ XXII. in *Extrauag. execrabilis parag. quantum autem de prabendis tit.* 3. vbi dignitates haberi poſſe plures negat, quod curam animarum habeant: ergo cum quæ ſunt talia, in iure non ſint Regio cum aperta eſt regalia, dignitatum collatio futuro eſt reſeruanda Epiſcopo, Regi tribuenda nullo modo.

Secundo, ſunt dignitates opinione omnium, inter beneficia duplicia, at non alia quam quæ ſimplicia, rex conferre ſolet aperta regalia: ergo, &c.

Reſpondendum argumento priori, Archidiaconos in dignitatibus cenſeri quidem, negandum tamen, iis de iure communi iuriſdictionē in foro externo cōpetere, ſicut nec curam animarum in interno, quæ tamen eſt

A curati beneficij notio, cum in Philippina remouentur à iure regaliæ beneficia eius generis.

Scio illos in nonnullis Galliæ Epiſcopatibus ſuſpendere, excommunicare, & interdicere ſolitos fuiſſe olim, vt de Cathalaunenſi refert Renat. *de ſacra polit. lib.* 1 *tit.* 8. *num.* 21. proque hoc iure, per conſuetudinem quæſito, Archidiaconos poſſeſſorio agere in foro poſſe, ſed hæc cum forum externum ſpectent, ad rem non faciunt, quia Curata beneficia, proprie animorum procurationi, culparum expiatione per Sacramenta dant operam.

B Secundi argumenti neganda minor, ad confirm.

Reſpondend. nomine beneficiorum ſimplicium, quorum duntaxat collatio tempore Regaliæ permiſſa eſſe Regi dicitur, ea intelligi, quæ non ſunt Curata, hoc eſt talia, quæ qui poſſidet, cuiuſquam curam non habet, quo modo in *cap. ſi eo tempore* 9. *de reſcriptis in* 6. *& cap.* 1. *de filiis presbyteror. item in* 6. curati beneficij nomen capitur.

Quare veriſſima eſt opinio, Dignitates, Officia, Perſonatus in eorum eſſe beneficiorum ſerie, numeroque, quæ Regi conferre C occaſione Regaliæ eſt permiſſum, quia non ſunt hæc Curata beneficia propriè, cum non verſentur circa forum pœnitentiale, ſeu Sacramentorum adminiſtrationem, & diuini verbi prædicationem, *cap. dudum parag. verum ne Parochiani de ſepultur. in Clement.* ſed impropriè, quatenus eſt eorum vis omnis in iuriſdictione externa contentioſi fori, à qua habet, quiſquis ea eſt præditus, ius viſitationis, inquiſitionis, & abſolutionis impertiendæ à cenſuris cum eſt neceſſe, aut vtile.

D Dub. quartum, *In quos ſint vſus impendendi temporales vacantis Epiſcopatus reditus.*

Cum multa ſint, eaque illuſtria Regum Franciæ pietatis aduerſus Deum argumenta, tùm illud maximè, quod à prouentibus Eccleſiaſticis puras eſſe manus ſuas, animumque velint: quare eos iure ſibi regaliæ vacante Epiſcopatu debitos, non in proprium, ſed Eccleſiæ, ac miniſtrorum eius commodum traducunt, nam non contenti, eos nonnunquam pro regia ſua munificentia, futuro Antiſtiti ad inopiæ ſuæ ſubſidium, Oeconomi collectos manu ſeruare, Canonicis Palatini E ſacelli ad Lutetiam, ab longo iam æuo fruendos tranſcribunt, Et quidem, vt eius Theſaurario, iura à Pontif. Romano Epiſcopalia, Carolus eius nominis quintus obtinuerat; ita illum, eiuſque ſodales viciſſim eſt Carolus VII. temporalibus Epiſcopatuum vacantium bonis ad triennium dignatus, quam eius in Eccleſiam caritatem imitatus Ludouicus X. eadem eiſdem quandiu ipſi vita ſuperſtes foret, ad celebritatem diuini cultus ampliorem, inſtamque operæ in eo procurando mercedem

mercedem, attribui voluit, in quo, ei exemplo ipſe ſuo aliquot ante ſæculis Ludouicus Ludouici, Groſſi filius præiuerat, nam vt in Codice veteri manu exarato, quem ab Eccleſiæ B. Virginis Pariſienſ. tabulario,depromptum legiſſe ſe Renatus aſſerit, in *lib. 1. de ſacra polit. tit. 7. num. 16. dum vacante Epiſcopatu, vniuerſa ad Epiſcopalem ſtatum pertinentia, in ipſius eſſent poteſtate, rogatu & admonitione canonicorum ſanctæ matris Eccleſiæ Pariſienſis, luminaria amplificauit, atque ſicut in præſenti ſcripto continetur, abſque vlla imminutione ad decorem domus Dei, in perpetuum obſeruari præcepit.*

B Ex his ergo beneficiorum vacantium obuentionibus, ac bonis temporalibus, ærario regio, lucri accedit nihil ac commodi, Canonicis ſacræ Capellæ Pariſiorum, eorumque miniſtris non parum, hæc enim iis Carolus nonus in perpetuum attribuit, quem deinde ſunt ſecuti Franc. I. Henricus II. Carolus IX. quorum diplomata noſſe qui volet, Renati politiam conſulat, eiuſque *lib. 1. titulum 7.*

C Dubium quintum, *Claudi regaliam quando, & quomodo oporteat.*

De tempore certi nihil habeo, cum enim claudi hæc nequeat niſi poſt recepta à Pontifice diplomata, quibus nominatus à Principe, in vacantis Epiſcopatus poſſeſſionem ire permittitur, ſit autem incertum, quando ex vrbe ad eã ſint ventura, de tempore ceſſaturæ Regaliæ certo aliquid velle aſſerere, diuinare eſt. Quare ad alterum, quod eſt ſecundo loco in quæſtione poſitum, gradum facio.

D Et Dico, claudendæ hoc eſt terminandæ regaliæ, quatuor eſſe neceſſaria, primum eſt, nominati à Rege ad Epiſcopatum approbatio per Pontificem, ſeu admiſſio eiuſdem, bullato diplomate firmata, quia eius eſt ſolius creare Epiſcopos, ſolius, Dei Eccleſiam illis regendam tradere, facere, *vt in Eccleſiis ſeu capellis ſuæ Diœceſis, habeat canonicam obedientiam, ſubiectionem, & reuerentiam, iuſtitiam ſubiectionem, & reuerentiam, inſtitutionem, & deſtitutionem, correctionem ac reformationem, ac cenſuras Eccleſiaſticas, iuriſdictionẽ quoque cauſarum omnium, ad forum Eccleſiaſticum de iure ſpectantium, pœnitentias, & Sacramentorum omnium, quæ ab Epiſcopo ſunt recipienda.* Honor. III. in *cap. conquerente 16. de officio iudic. Ordinar.* Ergo cum finem regalia non habeat, niſi qui Regis beneficio vocatur ad Prælaturam, eius adminiſtrandæ ſit capax, quod non accidit, niſi poſt Bullas collationis ſibi de ea factæ teſtes, ex vrbe acceptas: claudendæ ergo regaliæ neceſſaria eſt Pontificis approbatio, literis teſtata authenticis.

E Secundo, his eſt addenda iuriſiurandi religio, de fidelitate exhibenda Regi.

Tertio, ab eodem, adiiciendæ ſunt ad ratiociniorum Præfectum literæ, quibus de præſtito ſibi iureiurando fides fiat.

Quarto, literis inſuper eſt opus, quibus ab eorundem ratiociniorum Præfectis, mandetur Oeconomo, ſeu regio Prælaturæ vacantis adminiſtratori, vt nouum prælatum poſſidere patiatur. Poſſeſſio quãdiu non capitur, regalia non clauditur, vt aduerſus Meldenſ. Epiſcop. pronunciaſſe Senatum Pariſienſ. 1577. ſcribunt Filleus in addit. ad Papon. *lib. 2. tit. 3. arreſto 3.* Charond. *lib. reſponſ. 1. cap. 3.*

Dubium ſextum, *An ex perduellione, aut tranſitione ad hoſtes, ante ſententiam, regaliæ ſit locus.*

Dubitandi eſſe hæc cauſa poteſt, quod excidere, ſeu iure conferendæ præbendæ priuari ſit pœna, at hæc neceſſario non ſubitur niſi per iudicis ſententiam.

Secus dixere alij, inducti hac cauſa, Quod regaliæ illico pateat aditus, ac Diœceſis paſtore eſt orbata, at hanc Epiſcopus tacite (inquiunt) abdicat, cum ad Principis hoſtes deficit: nam cum illã regere, cũ in ea ſubſiſtere ac manere nequeat, & patriæ ſimul ac Principis ſtudere hoſtibus, turpi fœdoque transfugio cum illam & iſtum deſerit, Epiſcopi nomen tacite abiicit, magiſtratui quem ea vox ſignificat, eiuſque procurationi renunciat.

Non placuit hæc opinio Ruzæo *priuileg. 35. de Regal. iure,* etſi ſit tam communi fori vſu, quam iudicio Senatus approbata. Hæc illi.

Rem ego diſtinctione conficiam, quam duplex explicabit enunciatio.

Prima, ſi de Epiſcopatus, id eſt, dignitatis Eccleſiaſticæ priuatione agitur, non eſt hæc ipſo facto, ac ſine declaratoria criminis admiſſi ſententia, ſubeunda neceſſario.

Primo, quia re ſua abire nemo debet ſub peccato, niſi iuſſus per iudicem, aut canonem. At eiuſmodi proferri nullus poteſt, & ſi daretur, ei non niſi poſt ſententiam parendum foret. Nam pœna Eccleſiaſtica, quæ hominem priuat, ſiue illa ſit temporalis, vt multa pecuniaria, ſiue mixta, inflicta etiam ipſo facto, vel ipſo iure, locum non habet in conſcientia, ante ſententiam, vt docent Syluest. *verbo Aſſaſinus,* Suar. *lib. 5. de legib. cap. 8. num. 5.* Azor. *tomo 1. lib. 5. cap. 7. q. 1 & 3.* Ergo cum beneficium res ſit ex ſpiritali iure, & prouentibus compoſita, maxime vero Epiſcopatus, perduellis eo non excidit ante ſententiam condemnatoriam.

Equidem cum Arnulphus Lotharij regis filius, & Remenſis Archiep. à Rege ad eius æmulos regnique deſciuiſſet, etſi Regi iuriſiurandi lege ac religione eſſet addictus, Hic-

tarchia tamen regio munere non excidit, niſi poſt ſententiam in eum dictam à Synodo ea de cauſa Remis coacta.

Enunciatio altera, ſimul ac pedem è regno Epiſcopus extulit, factuſque eſt regiarum partium deſertor, non expectata ſententia condemnatoria, regalia ſe aperit, quæque beneficia ab eo conferri debuiſſent, collationis eſſe incipiunt regiæ.

Ratio eſt, quod hæc ſit in fructu, at velle Regem, Reip. hoſtem ac ſuum his gaudere bonis, quæ ſolis tribui amicis debent, quis putet? quare cum ea non deceat eſſe ἀδέσποτα, ac ſine Domino, talem autem habere aliquem nequeant, niſi ei ſint collata, hæc illum, illico ac vacant, oportuit poſſe idoneo homini regaliæ nomine, iureque dare.

Dubium ſeptimum, *An Prioratus Monaſtici ſic regalibus ſubſint, vt ipſorum collatio, cum vacant, Regi competat non Capitulo, aut Pontifici.*

Non ſunt Priores omnes vniuſmodi, quidam enim ſunt Clauſtrales, Conuentuales, aut ſæculares alij *Clement. de reſcript. cap. 2.* Conuentuales præficiuntur conuentibus ſiue cœnobiis, à ſede Abbatiali remotis, habentque ab Abbate in Cœnobitas iuriſdictionem, & conſequenter dignitatem, qua priuari ab Abbate ſine cauſa nequeunt.

Clauſtrales ſunt ij, quibus clauſtrorum ſeu Monaſterij in quo eſt ſedes Abbatialis, Monachorumque in eo degentium cura demandatur, iuriſdictione tamen penes Abbatem remanente, à quo ab officio remoueri quoque poſſunt: ſeculares ſunt ij, qui poſſunt à ſimplici Clerico poſſideri.

Iam ergo dico primò, *Prioratus tam Conuentuales, quam ſimplices, quos ab Epiſcopo cum viueret conferri oportebat, eo fatis functo, deuolui ad Regem, ab eoque dum viget Regalia, conferri poſſe.*

Ratio eſt, quod quæ Epiſcopo erant in ſimplicium beneficiorum collatione permiſſa, dum ſuperſtes erat, hæc Regi, eo mortuo regaliæ ope ac beneficio ſint licita, ſed ex hypotheſi in Epiſcopi demortui iure erat eorum prioratuum collatio, nec ſunt ipſi curata beneficia proprie, non Parœciaca ſacerdotia, cum his non ſit, plebis Chriſtianæ curatio annexa vlla, quæ tamen eſt Parœciæ intelligenda nomine.

Verum enim (inquies) ineſt his Prioratibus animarum curatio, nam qui illis præſunt, animarum curam habent, *intraque annum computandum à tempore collationis, ſeu commiſſionis ſibi facta de ijs, & poſſeſſionis adepta, aut intra 25. ad ſacerdotium promoueri debent*, quod ſi ceſſante rationabili cauſa, id aſſequuti non fuerint, *eo ipſo*, inquit Clemens V. *nulla etiam monitione præmiſſa, prædictis prioratibus ſunt pri-*

A *uati, clementina ne in agro Dominico parag. cæterum.*

Reſpondendum, curati beneficij nomen, ad Parœciale reſtringendum eſſe, ex Bonif. VIII. mente, in *cap. ſtatutum 22. de elect. in 6.* vbi eſt his verbis: *Statutum Gregor. X. Papa prædeceſſoris noſtri, de ijs, qui ad Parœcialium Eccleſiarum regimen aſſumuntur promouendis ad ſacerdotium intra annum, alioquin ijſdem Eccleſiis ſint priuati, quod cum ſit pœnale, reſtringi potius conuenit quam laxari, declaramus ad Collegiatas Eccleſias,*
B *etiamſi aliæ Parœciales extiterint, & aſſumptos ad earum regimen, non extendi, ſed antiqua iura ſeruari debere potius in eiſdem.*

Eſt hæc ſententia probabilis, contrariam tamen in foro ſequi inter iudicandum magiſtratus regios, ſcribit Choppinus *de ſacra polit. lib. 1. titulo 7. num. 19.* quos quia ita ſentiendi cauſas habere probabiles exiſtimo, ab eorum in praxi opinione, minime recedendum cenſeo.

Dico ſecundò, *Prioratus qui clauſtrales appellantur, regaliorum iuri non ſubeſſe.*

C Cauſa eſt, nec obſcura nec leuis nempe quod ad beneficia ſola ius hoc Regaliæ ſe extendat, at non eſt Prioratus clauſtralis bebeficij cenſendus nomine, ſed perſonatus ſed Officij, Bleyan. *de benefic. cum dignitate n. 29.* Argumento eſt, quod non ſit perpetuus, quod in quibus cœnobiis regulariter viuitur, Prior ius non habet percipiendi reditus, ſed Abbas quod tamen eſt beneficio eſſentiale ac intrinſecum ex dictis antea. Poſtremo quod qui eo fungitur, à ſede Apoſtolica, vel legato eiuſdem, iudex delegatus dari non ſoleat, *Clement. de reſcript. cap. etſi*
D *principalis 2.* vt poſſunt beneficiarij in dignitate conſtituti, quod eſt argumento, pro tali eum in iure non haberi.

Dubium octauum, *An beneficium, cuius ius ac titulus, cuipiam eſt Clerico ritè à Pontifice, aut Epiſcopo collatus, vacet per regaliam, ſi eius, necdum eſt à prouiſo per eorum alterutrum, inita poſſeſſio?*

Omnino, quia locus eſt Regaliæ, cum beneficium vacat, vacare autem intelligitur, cuius non eſt certus & legitimus poſſeſſor, Robertus *rerum iudicatarum lib. 3. cap. 1.* Ioan.
E Gallus *parte 5. ſtyli Parlament. q. 163. & q. 188*

Confirm. non cenſetur vacare beneficium, cuius poſſeſſionem is ſeruat, cui ob culpam aliquam, lex canonica titulum, iuſque ademptum eſſe voluit, nam quæ iure vacant, his vltrò ac non accepta ante de eo ſententia declaratoria, & executiua, abire nemo debet ſub culpa: facit ergo ad complementum tituli poſſeſſio, hoc ſenſu, quod beneficiarius audire ac dici perfectus nemo queat, niſi re poſſeſſa, à qua beneficiarij rem, nomenque trahit, vacant ergo ſi non iure, at facto ſaltem ea

Sacerdotia,

Sacerdotia, quæ dominum & poſſeſſorem verum, certumque non habent, quo modo, bona vacantia, dereliċta, ac neglecta, dicuntur ἀδέσποτα, quod ea in poteſtate ſua manuque nemo habeat: quare quæ beneficia ſunt, eiuſmodi, hoc eſt necdum à quoquam occupata, ac poſſeſſa, regaliorum ſubeſſe iuri, Senatus cenſuit, Tourneto teſte *litera R. verbo regalia num. 23.*

Dubium nonum, *Ecquid cuſtodi Regalium, hoc eſt, Oeconomo regio, dum eſt poſſeſſore beneficium vacuum, liceat eius mobilia bona vendere, lacus piſcibus nudare, nemora ſcindere.*

Reſpondend. non alios Regi, eiuſque Oeconomis de beneficio vacuo fructus videri debitos, quam quos quotannis terra parturit, aut ſylua gignit: quare ſi cum viuere Epiſcopus deſiit, illi nec ſtagna piſcari, nec ligna ſcindere eo anno conſtitutum erat, id Oeconomo tentare & aggredi non licet, vt Senatuſconſulto veteri definitum tradunt ſcriptores Galli, quum enim anno 1263. inter cuſtodes Regalium Sueſſion. Eccleſiæ ac Epiſcopum, defuncti ſucceſſorem mota lis foret, *ſuper vinagiis, Boſcis, & Maioriis. De Boſcis determinatum eſt, quod executores Epiſcopi mortui habebunt Boſcum copatum tempore mortis ſuæ. De Maioriis vero determinatum eſt, quod ea quæ acciderunt tempore Epiſcopi, ſunt Epiſcopi, & ea quæ acciderunt tempore Regalium, ſunt Domini Regis, & pertinent ad huiuſmodi Maiorias, cenſus venta, inueſtitura & ſimilia*: Ita Renatus *lib. 2. de Domanio tit. 9.* ex vetuſto Curiæ Codice *folio* 130. Expreſſiora ſunt iſta quæ ex Ioann. Galli commentariis ſunt petita *parte 7. ſtyli Parlamenti. Cum ex parte Capitul. Aurelian. nobis denunciatum fuiſſet, quod cuſtodes Regalium Aurelianenſ. ſede Aurelian. vacante in groſſis nemoribus Epiſcopi Aurelian. faciebant vendas inconſultas & indebitas, ordinatum fuit quod vendæ inceptæ tempore Epiſcopi perficerentur, & expletabuntur. Vendæ vero, quæ in dictis groſſis boſcis erant mercatæ, & ſignatæ, tamen non erant venditæ, nec venditoribus liberatæ, non expletabuntur, nec vendentur.*

Dubium decimum, *An ſit ſatis, ne beneficium vacare cenſeatur in Regalia, eius poſſeſſionem per Procuratorem ingredi, eius ore linguaque, Regi fidelitatem promittere, ei ſe tanquam Domino ſubmittere.*

Priuſquam de quæſtione propoſita quid iudicij habeam, explicem, notare placet, beneficia quæ iure & facto ſimul, aut facto tantum, vel iure vacant, cum ſe Regalia, morte Epiſcopi aperit, ſi ſunt ſimplicia, in iure eſſe regio. Vacant iure, per non promotionem ad ſacros ordines, tempore per canones præſtituto, per contractum matrimonij, ingreſſum religionis, & profeſſionem ſecutam. Facto autem quando non eſt qui illa poſſideat, eſt

A autem poſſeſſio triplex, vt habet Gloſſa in *cap. cum noſtris de conceſſ. præb. Quædam* plus iuris habet, quàm facti, quædam iuris & facti multum habet, alia parum iuris, ſed facti plurimum, qualis eſt ea, quam quis corpore acquirit, & cui corpore incumbit.

Secundo notare lubet, veteri regni more, ac regia Philippi lege, in ius regium omnia beneficia per regaliam concedere, quæ cum diem ſuum Epiſcopus obit, nulli ſunt collata, aut ſi ſunt, eius cuius intererat in ea ingredi, incuria negligentia que non ſunt poſſeſſa. ita
B Philippus in Philippina. *Sçauoir faiſons que nos deuanciers ſont en poſſeſſion de donner les Prebendes, Dignitez, & Benefices vaquans de droict & de faict, ou de droict tant ſeulement, ou trouuez non occupez, & vaquans tant ſeulement de faict.* his ita præſuppoſitis,

Dico ſatis non eſſe, vt conferendi beneficij ius Regi ademptum cenſeatur, quod in eius poſſeſſionem, alieno, id eſt, Procuratoris miniſterio ac opera neopiſcopus iuerit.

Primo, quia poſſeſſionis fictę idem effectus eſſe non debet, qui veræ, ſed capta per alium poſſeſſio ficta eſt non vera, fit hæc
C enim in rebus mobilibus earum apprehenſione, in immobilibus vero ingreſſu vel ſeſſione, *lege naturalem parag. 1. dig. de acquirend. poſſeſſ.* quorum nihil ſimile in præſenti caſu accidit. Quod autem poſſeſſio quæ talis eſt tantum, fictione iuris, idem in præſenti materia non operetur quod vera, patet vel hinc maxime, quod eam Curia reiiciat, quod ei locum hic nullum in Regaliæ præiudicium eſſe velit, vt crebræ eius ac frequentes ſuper hac re datæ, diuerſis temporibus ſententiæ ſignificant.

D Quod autem nouus ſe Præſul fidum Regi ac fidelem fore, per ſe, & non alium, adhibita iuriſiurandi religione polliceri debeat, probant quæ ſequuntur.

Primum, quod tam iuramentum, quam cientare hominium, perſonæ ad Epiſcopatum electæ ſint annexa, alias iuſta Principis obſequia, quæ facturam ſe ore non niſi alieno ſpopondiſſet, detrectare poſſet, ac cum placet, eludere: quare ab electis fidelitatis in Principem, per ſeipſos iuratæ, exempla ſuppeditant hiſtoriæ plurima, nulla per alium.

E Quid? quod per alium quam Epiſcopum, Regem tangi, eius ori oſculum imprimi, (quæ in præſtando fidelitatis iuramento ceremoniæ, adhiberi ſolitæ erant) non deceat? promiſſa ergo Regi per procuratorem fidelitas, beneficiarium à regaliæ iure non eximit, alteri ergo, à Rege vt vacans conferri poterit, quam ei, cuius nomine Procurator eſt illi fidelitatem pollicitus.

Dubium vndecimum, *An Epiſcopo, cui Rex Epiſcopatus adminiſtrationem indulſit, munera Eccleſiaſtica conferre, conſtante Regalia liceat?*

Nequaquam; primo, quæ vt eſt *in reg. iuris reg. 81. In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus*, at quis credat, Regem, ſi de eo rogatus eſſet, poteſtatem Epiſcopo facturum fuiſſe conferendi vacantia ſacerdotia, quæ tum in eius ſunt iure, ob non clauſam regaliā? Deinde *in argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa de regul. iuris reg.* 78. firmum ergo ex eo argumentum duci nequit, quod regio permiſſu, res Epiſcopatus ſui negotiaque Epiſcopus adminiſtret, ad eum quoque ſimiliter, ſacerdotiorum in regalia vacantium collationes ſpectare, quam ego ſententiam hoc exiſtimo nomine, magis probabilem, quod *ſufferentia non tollit regaliam quoad collationē beneficiorū libro in regalia vacantium*, vt eſt iiſdem verbis *in lib. Curiæ*, qui inſcribitur, *olim folio* 21. Secus eſt de collectione fructuū, quos Epiſcopo cōcedere cū Regi placet, ante præſtitum ab eo fidelitatis iuramentū, eidem hos quoq; quam optimo debitos iure eſſe, nemo ambigit, dūmodo induciarum tempus ei à Rege cōceſſarum, Senatui, & Magiſtris rationum principalium probetur; exindeque manus regia ſoluatur, Renat. de *Domanio lib. 2. tit. 9. n. 19.*

Dubium duodecimum, *Quandiu & quanto temporis ſpatio, cenſenda ſit durare Regalia.*

De hac quæſtione duo habeo dicere; primum eam non claudi, *donec & quouſque futurus Epiſcopus debitum fidelitatis iuramentum fecerit*, fuerintque teſtimoniales de eo literæ, rationum Magiſtris, ſeu computorum cameræ exhibitæ, ab iiſque ærarij publici quæſtori ac Oeconomo regio imperatum fuerit, Epiſcopo amodo moleſtus eſſe ne pergat, ſed ſua eum poſſidere bona, eorumque fructus ſinat.

Secundum, iura regaliæ, non niſi poſt exactum triginta annorum ſpatium præſcribi poſſe: quare etſi recens factus Epiſcopus, officio fuerit functus, Regique fidelem ſe ac obſequentem fore, pollicitus fuerit, tamen ſi quia Regem latebat, ſi quia domo aberat, ſi quia nullus fuit qui peteret beneficium, quod Antiſtite fatis functo vacauit, illud ipſum non contulit, ſed Ordinarius defuncti ſucceſſor, Rex quoties & quando erit illi placitum, repudiato Epiſcopi candidato, deque beneficio ab eo obtēto auctoritate quâ valet egredi iuſſo, ante expletum tricennium, iure ſuo, id eſt Regaliæ, ſubrogabit alium, cui lege regni vſuque communi fori eſt prohibitum, ſi quando inter eum, prouiſumque ab ordinario, lis de iure beneficij exoriatur aliqua, cum eo componere, aut acquiſito iure in eius gratiam cedere, antequam ſuum Regalia effectum auctoritate ſit iudicis conſecuta, quia eſſet eiuſmodi ceſſio Regi noxia, vtpote eius iuri contraria.

A Quod ſi fortè à die quo beneficium vacaſſe conſtat, anni elapſi triginta forent, tum Regaliæ locus non eſſet, ita Ludouico XII. decernente anno 1499. his verbis: *Auons ſtatué & ordonné, ſtatuons & ordonnons qu'es collations en regale, qui par nous ſeront doreſnauant faites, ſera declaré le temps de l'ouuerture d'icelle, & ſi auparauant trente ans l'ouuerture auoit eſté que l'on ne deſpeche les collations & dons en regale.*

Dubium decimum tertium, *An in permutatione locus ſit Regaliæ, ſenſus eſt, vtrum Regi*
B *cum compermutantium alter compermutati beneficij poſſeſſionem non inijt, antequam eius loci vbi eſt ſitum, Antiſtes, diem ſuum obiret.* Vtrū (inquam) Regi liceat illud fruendum, regendumque dare poſtulanti regaliſtæ.

Licere vero vnica hæc mihi ex Philippina petita ratio perſuadet. Quod quæ beneficia vacant aperta regalia, hæc pleniſſimè regiæ ſint poteſtati quoad collationem obnoxia, at quæ poſſeſſorem deſiderant, vacant facto, conferri ergo vi regaliæ poterunt, Epiſcopo mortuo.

Verum enim (inquies) non eſt poſſeſſore
C beneficium vacuum, quamdiu eſt in alterutrius de compermutantibus poteſtate ac manu. At id in præſenti cauſa accidit: nam quamdiu negligentia ſua compermutans, compermutati beneficij cum ſuo, poſſeſſionem non init, remanet alter è compermutantibus poſſeſſor eius quod mutauit, *& fingitur non reſignaſſe*, non eſt ergo habendum pro vacuo.

Reſpondend. niti contra Regem fraudibus, in rem ſuam ac commodum licere nulli,
D fictiones autem in Regalia vt odioſas, vt graues, non recipi, Charondas *lib. reſponſion. 1. art. 4.*

Dubium decimum quartum, *An litigium Regaliam faciat: ſenſus eſt, an beneficiū, de quo inter duos aperta per Epiſcopi mortem Regalia contenditur, in ius incidat Regaliæ.*

Omnino, quia quæ duæ res Regaliæ locum faciunt, tempus quo ſedes vacat, & beneficij conditio, hæ pro Rege, eiuſque in beneficiorum collatione poteſtate in vim regaliæ, faciunt ambæ, nam ex hypotheſi, cum inter ſe in iudicio Clerici duo ſuper beneficio
E altercarentur, Epiſcopus viuere deſiit, & quia iſtud neutrius erat, ſi minus iure, facto ſaltem vacabat, cum eius poſſeſſionem neuter firmā haberet ac ſtabilem, facit ergo litigij ratio, vt beneficium vacare cenſeatur, maximè ſi litigium non ſit iniquum, ſitque is, qui de facto poſſidet, iuſtus beneficij poſſeſſor. Itaque ſi is qui verè poſſidet, iniuſtus ſit poſſeſſor, petitor autem qui litem intendit, titulum iuris habeat, & legitimam inſtitutionem, & interim pendente lite aperiatur Regalia, vacatione ſedis Epiſcopalis, nunc litigium faciet

Regaliam

Regaliam Annæo Roberto teſte *lib. 3. cap. 1. rerum iudicatar.*

Dubium decimum quintum, *An beneficia vacantia in regalia, reſeruare ſibi poſſit Pontifex.*

Non poſſe cum multa probant, tum illud, maxime, quod nullus reſeruationibus in Gallia ſit locus. *De cætero* (inquit Leo decimus in *Concordat. rubrica de reſeruationibus*) *non dentur aliquæ gratiæ expectatiuæ, ac ſpeciales, vel generales reſeruationes ad vacatura beneficia, per nos & prædictam ſedem non fiant, & ſi de*

B *facto per importunitatem, aut alias à nobis & ſucceſſoribus noſtris, & ſede prædicta emanauerint, illas irritas & inanes decernimus.* Reſeruatio generalis erit, ſi Papa collationi ſuæ, omnia in Regalia vacatura, cuiuſcunque tandem ſint generis ac modi reſeruet, vt in *regula 3. Cancellariæ in Extrauag. Ioan. XXII. execrabilis de præb.* Specialis, ſi vnum aliquod tale beneficium, à ſe tantum conferri velit, cum vacabit, proindeque illud ſeruari ſibi iubeat.

Cauſæ ita Leoni & Patribus ſtatuendi fuere plurimæ, quarum non hæc vltima, quod huiuſmodi reſeruatio, non dubium captandæ

C mortis votum expectanti ingeneret *cap. nulla de conceſſ. prabenda*, quod bonis omnibus, Gallis præ cæteris eſt exoſum, ideo de moribus noſtris, vſque regni, exterminari per Concordata placuit.

Quid ſi vacet in Curia?

Reſpondetur ne tunc quidem ſubeſſe Pontifici.

Cauſa eſt, quod ea duntaxat beneficia ſeponere ſibi Pontifex queat, quæ iuris ſunt ſui, qualia non eſſe quæ vacant in regalia, ex eo

D patet, quod hæc, ſic Regi ſint affecta, vt ab eo ſolo conferri poſſint, aut ſi ab alio, non niſi eius voluntate ac conceſſu, vt paulo ante exemplo Blanchæ ſanctique Ludouici procuratoriis regni codicillis vidimus. Enimuero amantiſſimæ matri optimus filius, cum poteſtate regendi regni, ius conferendi beneficia quæ interim dum abeſſet, vacarent in Regalia, tradidit.

Dubium decimum ſextum, *Quos fructus complecti regalia ſoleat.*

Non naturales tantum agrorum, ac feudorum, pro quibus, Regi tanquam ſupremo ac

E directo eorum Domino debetur hominium, idque pro rata temporis quo aperta manet regalia, vt Coquillæus tradit *in quæſt. & reſponſ. cap. 154.* cum Fabricio *de Ann. Deportu & iure reg. n. 38. litera S. in commentariis.* Sed alios, qui ex re, ſeu miniſterio ſpiritali, aut quopiam cum eo neceſſitudinem habente, ortum habent, qualia ſunt emolumenta ſpiritalis iuriſdictionis, quæ ita inter Oeconomos, & Capitulum, in cauſa vacantis metropoleos Biturigum diuiſa Fabricius loco citato *num. 39. litera T. in margine,* aſſerit, vt qui ex ſigillo Archiepiſcopali procederent, pro collationibus, confirmationibus, inſtitutionibus, literis tonſuræ, & Ordinum, diſpenſationibus, & id genus miniſteriis ſpiritualibus, hi relinquerentur Capitulo poſſidendi, qui autem ex ſigilli vſu, in citationibus, monitionibus, itemque inſinuationibus, aut exercitio iuſtitiæ tam criminalis, quam ciuilis naſcerentur, hi Oeconomo cederent, quod etiam Chenutij monitum fuit in *decret. tit. 1. cap. 4* & quanquam ſeruarentur olim Decimæ proxime futuro ſucceſſori, habet tamen hoc tempore communis fori vſus, Senatus præiudicio multiplici firmatus, vt pro rata temporis, a die Prælati defuncti computandi, in Regis vtilitatem ac commodum tranſeant, Chopp. *lib. 2. de Domanio tit. 9. n. 15.*

Dubium decimum ſeptimum, *Quibus ſe modis regalia aperiat in Gallia.*

Per Prælati obitum, reſignationem ac permutationem beneficij à compermutante poſſeſſi Forgetus in *tract. de perſonis Eccleſiaſtic. cap. 4.* Per Dignitatis nouæ adeptionem, vt Cardinalatus acceptati & recepti, Forget. in *tract. de iure regal. num. 31.* & quanquã nominatione ſola Cardinalis, ſeu eiuſdem, ad eum honorem per Pontificem ſic nominati proclamatione, beneficia non vacent, ſi eum tamen acceptat, ſi oblatum recipit, à die factæ per eum acceptationis, vacatura ſunt certe, ſecundum Fabricium *de deportu & ſimili vacationis modo.*

quarto, Prælati rebellio Regaliam parit, Forgetus in *tract. de iure regal. num* 16 & quidem cum eſt hæc notoria, cum per legitimam informationem cognita, ipſo iure, & citra vllam ſententiam condemnatoriam, locum Regaliæ tribuit, Bleyanus *de deportu,* & aliis ſimilibus vacantiis, *lit. T. ad marginem.*

Dubium decimum octauum, *vbi ab Epiſcopo exhiberi Regi iuramentum fidelitatis ſit neceſſe.*

Cauſa dubitandi in eo eſt, quod vt ſunt regni prouinciæ diuerſæ: ita & rationales. Principis, hoc eſt ærarij regij quæſtores, eius Prouinciæ colligendis reditibus præpoſiti, vbi verſantur, quos poſtea Pariſios transferant.

Quæritur ergo, an qui in minori Britannia beneficium eſt Regis benignitate, cum aperta eſſet regalia, conſecutus, officium præſtitiſſe ſit cenſendus, cum Nanneti apud ærarij magiſtros publicos, iurauit in fidelitate Principi debita, obſequioque, dum vita ſuperſtes erit, nullo non manſurum tempore.

Affirmantibus fauere videntur quæ ſequuntur. Primum, quod vbique eadem ſit quoad hoc quæſtorum regni auctoritas.

Secundum, quod cum indefinita propoſitio generalem vi ſua æquet, pari quoad hoc miniſterium præditi eſſe poteſtate omnes videantur.

Nihilominus in partem ire negantem oportet hoc tempore, quod anno 1624. 18. Aprilis Senatus Pariſienſ. ſanxerit, nuſquam niſi Lutetiæ, iure regni priſco ac veteri, præſtationem homagij ab Epiſcopo valide fieri poſſe ac licitè. Itaque cum eâ cōſtaret Nanneti à Leonenſi Epiſcopo exhibitam, iudicatum eſt, pro infectâ habendam videri, nec eadem clauſam fuiſſe regaliam, proindeque collatam à Rege prębendam, poſt datam Regi à Leonenſi Antiſtite fidem ſuam, de promouendis eius negotijs, obſequioque, quo vaſſalli ritu, ac fidelitate ſolent, ei non negando, videri benè ac legitime collatam eſſe. Significatum inſuper eodem decreto, non alibi quàm Pariſiis Regi fidelitatem iurandam eſſe, locum vbi id facere. Epiſcopos eſt neceſſe, computorum Lutetianorum cameram eſſe, qui de controuerſiis in regaliæ materia natis ſententiam ferrent, non alios ad id idoneos videri iudices, quam qui Pariſiis cauſis diiudicandis in foro præſunt. Tournet. *lit. R. num.* 64.

Dubium 19. *An aperta Regalia, reſignationes in fauorem admittere Regi liceat.*

Eſt reſignatio in fauorem, beneficij ceſſio in Superioris manus, cum deſignatione perſonæ, cui conferri Reſignans velit, quæ reſignatio, conditionalis ob cauſam duplicem dicitur: Flammin. *de reſignat. lib.* 1. *q.* 2. *num.* 14. *& ſequent.*

Primo, quia conditionē hanc coniunctam habet, ſi reſignatario placuerit.

Secundo, quia eſt addita clauſula, *nec aliàs, nec aliter, nec alio modo*, quæ in iure, conditionis vim ac nomen habet, cum conditione ergo facta reſignatio in manu Regis, vtrum ſit valida, & ab eo admittenda, cum eſt aperta Regalia, iam eſt videndum.

Poſſe autem, reſpondent ſcriptores Galli omnes, quia Canonicatuum ac ſimplicium beneficiorum in regalia vacantum, Rex eſt ſolus collator ordinarius: cum ergo (inquiunt) Papæ benignitate iſta præditum eſſe poteſtate oportuit, ſine qua reſignantibus fieri non poſſet ſatis, praxim hanc ſanè regni eſſe docent, Renat. *lib.* 1. *de ſacra polit. tit.* 7. *num.* 22. *in marg.* Tour. *in verbo Regalia num.* 81. Seruinus *in arreſtis.* Equidem non magis quantum cogitando poſſum aſſequi, repugnat reſignari beneficium cum deſignatione perſonę, *& non aliter, & alteri*, quàm idem, compermutari alteri, quia vtrobique lex Epiſcopo dicitur, qua lege, perſonæ nuncupatim aſſignatæ, beneficiū tradi debet, cuius fit cum alio permutatio. Sed Diœceſi paſtore orba, beneficia- A rij non quilibet, ſed ſimplices, ſua permutare inuicem beneficia, Rege annuente poſſunt: ergo & reſignare cum conditione, cuius facta eſt antea mentio.

Dubium 20. *An ius Regi competens beneficia conferendi quæ vacant in Regalia, ſit ordinarium.*

Quæſtionis eſſe ſenſus hic poteſt, ecquid Rex delegatum tantum in Sacerdotiis regali iure deferendis agat, an autem ſit hæc facultas, ſic eius cònnexa dignitati, vt ab ea ſeiungi nequeat.

Cohærere perſonæ regiæ regaliorum iu- B ra, nec ab ea diſiungi poſſe, & ita ordinaria ſibi poteſtate, non aliena, conferre beneficia, ſcriptorum eſt omnium communis ac peruagata reſponſio.

Enimuero eſt hic in Dei Eccleſia ordinarij cenſendus nomine, qui à Principe, lege, aut officio quod obit, rei gerendæ cuius occaſione dicitur ordinarius, facultatem habet, at hæc in Regem concurrere, in eo reperiri ac eſſe, cui non eſt cognitum? hoc ipſo enim quo imperat, quo regit, ad eum pertinere Regalia, eorûque iura omnia, nemo C negat: ab hac ergo nobili prouincia qua defungitur, perſonaque quam ſuſtinet ac tuetur, vt à fonte, manat hæc ſacerdotiorum, cum ſunt vacua, conferendorum auctoritas. Deriuatur item à Pontifice, ſacrorum in Eccleſia Principe, vt indicat, canon, Adrianus 22. *diſtinct.* 63. ab ipſarum Eccleſiarum, cæterorumque locorum fundatione, vel ex antiqua conſuetudine, *cap. generali* 13. *de electione in* 6.

Ergo Regi, cum nomine ordinarij in beneficiorum collatione, quæ Diœceſi Epiſ- D copo orba vacant, poteſtas non eſt neganda.

Quanquam non eſt ad eos reſtringenda limites, quibus Ordinariorum claudi ſcimus. Nec enim illa vt iſtorum, ad ſuperiorem deuoluitur, cum ſtato ac definito tempore ea non vtitur: nec enim in hac cauſa, ſuperiorem Rex vllum, Pontifice ſic permittente ac volente, habet.

Quid? quod vacantia Romæ beneficia, tempore regaliæ Papa ſibi tribuenda non exiſtimet, vt Ordinariorum? Ioan. Gallo teſte *q.* 150. & 20. quod non vt iſti, Patrono- E rum conſenſum expectare Rex debeat, quod patronis Eccleſiaſticis ante non conſultis, aut offerentibus, quem Rex beneficio admoueat, ei quem lubet, vltro præficit: quod Ordinariis facere non licet, cum iuri Patronatus Eccleſiaſticorum, ſi Papam excipias, derogare eorum nemo queat.

Eſt & aliud Regem inter, & Ordinarios diſcrimen non leue, quod apertis in Epiſcopatu Regalibus, reſeruare ſibi beneficia in Regis præiudicium Papa non ſoleat, id autem

autem eum in collationum exceptione, quæ iuris ſunt ordinariorum, tentare ac facere non ſit vetitum.

Eodem pertinet, quod Ordinariis, ea non ſit à beneficiario, debita reuerentia quæ Regi. Sit hoc pro fide, quod qui Ordinariis datam fidem fallit, non ſit illico Sacerdotio priuatus, quo ab iis eſt donatus; cum qui Regi promiſſum non ſeruat, aut ad eius, Reipublicæque hoſtes tranſit, Epiſcopatu excidat, quod etſi Ruzæo minus arrideat Regaliorum priuilegio 15. eſt id tamen tam noſtri, quàm priſci æui exemplis notiſſimum, anno enim 1520. cum in partes Caroli Cæſaris, inter quem, & Franciſcum primum, graues tum & acerbæ intercedebant ſimultates, iuiſſet Erardus, Cardinalis de la March, Leodienſ. & Carnutum Epiſcopus, ſuo eſt Epiſcopatu illico iuſſu Principis ſententia priuatus. Et quanquam, non ſit ſuus Pelleueo Cardinali ademptus, quem tamen cum bellis ciuilibus fremeret Gallia, Rege hinc pro iure regni ſibi debito pugnante, illinc Principum obſiſtente factione, ad eos defeciſſe conſtabat, certum eſt tamen, regaliorum nomine, iureque, canonicatum Senonenſis Eccleſiæ, cuius ille Epiſcopus erat, petenti Regaliſtæ à Senatu adiudicatum eſſe, quod inter hoſtes viueret.

Eſt Hugonis Capeti ad Ioann. Roman. Pontif. Epiſtola, eſt & alia ad clerum Gallicanum Durocortori Remorum, concilij cauſa coactum, in qua de Arnulpho Lotharij Regis filio queritur, quod regiæ aduerſum ſe beneficentiæ immemor, quod magiſtratus quē in Gallicana Eccleſia gerebat oblitus, quod iuriſiurandi immemor, cuius ſe religione ac fide iteratò obſtrinxerat, dedititiſſimum ſe illi fore dum viueret, ad hoſtes tamen, æmuloſque imperij Gallici tranſiiſſet, quod eius factum cum Synodus turpe iudicaret ac fœdum, enimuerò eum regio Hierarchiæ munere, quo tum fungebatur, Remenſique Præſulatu priuauit.

Dubium viceſimum primum, *An in principali Sacerdotiorum collatione, quæ à Rege aperta Regalia, fieri ſolet, locus ſit Regulæ.* Innoc. VIII. *de infirmis reſignantibus.*

Negat Tournetus, niſi id Princeps cum reſignantis aduerſus alterum beneficam voluntatem approbat, eiuſque beneficium reſignatario per reſignationem relictum tribuit, id velle ſe ſignificauerit.

Affirmant Choppin. *lib. 2. monaſt. titulo 5. num. 19.* Rebuff. *in Concord. de regia ad Prælaturas nominatione, parag. 1. verbo diſpendioſe,* quam eis mentem iniecifſe videntur argumenta ſequentia.

Primum, quod id Rex poſtridie Idus Octobr. ann. 1592. ſanxerit, eiuſque reſcripto Prætorianus Senatus calculos adiecerit.

Secundum; quod vacuo facto ſolio per Epiſcopi obitum, aut eius à Rege ad hoſtes infame tranſfugium, beneficia quot quot à cura animarum libera in eius Diœceſi vacant, collationis ſint regiæ, at cum æger qui in alterius gratiam Sacerdotium eiurauit; intra viceſimum ab eius gratioſa ceſſione diem, fato præripitur, illud idem cedentis obitu vacat: poterit ergo libere iterum à Rege, cui voluerit, erogari modo ſit dignus.

Confirm. cum patronus ad beneficium vacans per reſignationem, ordinario præſentauit idoneum, poteſt præſentare & alium, ſi hunc mori contingat ante 20. dies, quia non præſentauit in caſu mortis, fuitque prima præſentatio inanis, ac nulla; ergo & beneficium, ſemel iam ex ceſſione erogatum, Regi conferre eſt licitum, ſi quidpiam interim humanitus cedenti accidat, quod à Senatu Pariſienſi anno 1494. deciſum ferunt in cauſa poſſeſſoria pendente ſuper capella Sancti Laurentij in Eccleſia Meldenſi: *nam alia eſt vacatio per mortem, alia per reſignationem, & cum regula Cancell. 18. in vtilitatem facta ſit collatorum omnium, illi derogare collatores omnes debent:* ſecus eſt ſeruanda. Rebuff. *de regia. ad prælaturas nominatione §. 1. verbo diſpendioſe.*

Dubium viceſimum ſecundum, *An in collatione beneficij vacantis per Regaliam, ius ſpirituale tribuatur à Rege, & ſi non, à quo?*

Ius ſpirituale obeundi officij, ſacri faciendi, & cætera in quæ beneficiarium incumbere animorum cauſa eſt neceſſe, à Rege, prouiſo non dari eſt certum, quia ius procurandæ Eccleſiæ, ac conſcientiæ per Sacramenta, tam per ſe, quam ſubſtitutos ſibi homines repurgandæ, in Epiſcopis reſidet, nec licet Regibus, ſicut ſanxit octaua Synodus, regimini ſe Eccleſiæ immiſcere, Iuo *ep. 47.* eſt id Epiſcoporum proprium munus, quibus animarum ſuæ Diœceſis eſt commiſſa procuratio *10. q. 1. can. quæcunque, & 12. q. 1. can. præcipimus:* quare etſi ex priuilegio Papæ, beneficia Rex conferat ſecundum Rebuff. in *tract. nominat. num. 10.* non tamen ius ſpiritale illis annexum. Idem ibid.

Rationes ſunt iſtius rei plurimæ. Prima quod poteſtate ad id neceſſaria careat, cum ſit omnis Regum authoritas pene in procuranda communi pace ac ſalute inter ſubditos poſita, & non ordinanda Eccleſia.

Secunda, quod quia ſe Galli Reges auctoritate præditos aiunt, hæc in inueſtituris tota verſetur, at ſpirituale nihil hæ habent, cum per eas detur duntaxat ius in fundos temporales Epiſcopatuum, non in animas, non in Sacramenta. Inueſtire enim Rebuffo auctore *in tract. de pacific. num. 19.* idem eſt ac in poſſeſſionem mittere, ſecundum Innoc. III.

in decret. in tantum de Simon. 36. nec enim vt habet Iuo Carnot. *in epiſt.* 41. *Leges appellant inueſtituram conceſſionis, ſed poſſeſſionis*: ergo cum præter eam, beneficiario Rex nihil tribuat, ab eo ius functionis faciendæ ſpiritalis non obtinet.

Eccui ergo, de beneficio prouiſus à Rege, acceptam debet hanc gratiam? Miniſtro Eccleſiaſtico à quo inſtituitur. Inueſtitus, inquit Rebuff. *in tract. nominat. q.* 15. *nu.* 10. *conſequitur ius ſpirituale à Confirmatore, vel ab alio miniſtro Eccleſiaſtico.*

Dubium viceſimum tertium, *In qua beneficia cadere Regalia nequeat.*

Primo, monialium Cœnobia, quæ S. Claræ inſtituto viuunt ac legibus, regalium iure non teneri, pro comperto habeo, quia non Ordinarij collatio, ſed Monacharum electio, domus regimen Præfectæ confert.

Secundo, quæ ſunt à nominatione, regia exempta beneficia, hæc à regalibus ſunt immunia, cum ad ea non ſpectent alia, quam quæ Regem patronum habent, at iſti ad præfecturas muliebrium beneficiorum maximè S. Claræ, nominare non eſt in more, ergo nec ea in regalia vacantia conferre.

Et quamuis Henrici III. reſcripto, de anno 1578. nominationi regię ſubdita fuerint, priſtinam tamen ab ea exemptionem in iis manſiſſe, quæ ſunt ſanctæ Claræ, tribus magni conſilij præiudiciis eſt certum, Bleyano teſte in *Theoria lib.* 2. *tit.* 9. *& in tract. de beneficiis tam viror. quam mulier. nu.* 30. *lit. O. in marg.*

Secundo ſunt Monaſteria quæ S. Benedicti memoriæ ſunt dicata, maximè vero quæ montis Caſſini legibus viuunt, à regalium iure libera, vt à Senatu declaratum aiunt anno 1599. per cauſam hanc ſcilicet, quod non ſint eiuſmodi cœnobiorum Abbates perpetui, ſed quinquennales, ideoque exacto quinquennio quolibet, Capituli calculis continuandi ſint aut mutandi.

Quo Benedictinos, eodem gaudere quoque priuilegio Guillelmitas, nec eorũ præfecturas, cæteraſque id genus quæ ſunt electiuæ, certoque circumſcriptæ tempore, nec proinde perpetuæ, ſubeſſe regalibus dixit anno 1597. Senatus Tourneto teſte *verbo Regalia num.* 93.

Dubium viceſimum quartum, *An regulæ de veriſimili notitia locus ſit in Regalia.*

Sanxit Ioan. XXIII. qui primus eſſe huius regulæ auctor dicitur, ne facta beneficij collatio vllius roboris aut momenti foret, niſi poſt obitum, & datam gratiam huiuſmodi, tantum tempus effluxerit, quod interim vacationes ipſę de locis in quibus perſonæ deceſſerint, ad notitiam collatoris veriſimiliter peruenire potuerint.

Quæritur hic ergo, an ſi ſecus quid ſit factum in materia regaliæ, ſitque collatum à Rege beneficium, antequam tantum effluere temporis, à morte poſtremi poſſeſſoris potuerit, quantum erat propter locorum diſtantiam neceſſe, vt de eius obitu certum haberet nuntium, quæritur (inquam) an collatio per Regem occaſione Regaliæ ſic facta, valeat?

Dici poſſet primo, regulam hanc de veriſimili notitia, de earum non eſſe numero quæ vim habeant in Gallia, eo quod *ſtylus ſignaturæ habeat, quod ei ſit derogatum in hoc regno*, Gomeſ. *in reg. Cancell. de veriſimili notit. q.* 8. ſed quia aliam fori, regnique praxim eſſe ſcimus, in eoque legem hanc receptam, ac tanquam regni de Principis conſenſu factam eſſe, ſecundum Rebuff. *par.* 1. *praxis ad regulam de veriſimili notit. gloſſa.* 1. *num.* 1. alia nobis eſt quærenda reſponſio.

Dico ergo videri mihi probabile; nullam in hoc caſu fore Regis collationem, ſi eo ſit temporis puncto facta, quo probabili admodum coniectura, ad illum peruenire eius vacatio non potuit, quia cum præ ire moribus, vitæque innocentia populares ſuos Regem oporteat, quod ſit contra naturam à capite diſſentire membra, legibus eum aſtringi ſuis quoad vim dirigentem, pauci negant, Id vero ſi eſt certum, cauſa eſt dicta, Rex non ante, vacantia beneficia in Regalia vlli dabit, quam ſit probabile, certa ad eum, de illorum vacatione veniſſe nuntia.

Secus quam nos ſentit, ac loquitur Renat. *lib.* 2. *de domanio titulo* 9. ſed fundamento inani fretus, aut nullo. Veritas (inquit) opinionem anteuertit: ergo regulæ de veriſimili notitia locus, non eſt in regalia.

Conceſſo enim Antec. neganda eſt conſequ. quia etſi veritas opinionem præueniat, ſitque regia ſacerdotij vacantis collatio, tanquam verè vacantis obitu beneficiarij, non ſequitur tamen Regem regula de veriſimili notitia, quæ vim legis habet in Gallia, non teneri.

Dubium viceſimum quintum, *An quando non purè ſuo ſe Epiſcopatu abdicauit Epiſcopus, ſed iure ſibi reſeruato donandi beneficia quæ vacabunt, Rex non ſecus, aperta per ceſſionem reſignantis regalia, ea conferre poſſit.*

Certum eſt, non niſi annuente Principe, poſſe Epiſcopatu ſuo decedere Epiſcopum, cum iure penſionis annuæ de eius fructibus exigendæ.

Ratio eſt 1. quia onus imponi beneficio nullum poteſt, ſine conſenſu Patroni Laïci, eius enim intereſt, beneficij à ſe fundati bona non diſtrahi, eoque beneficiarium redigi, vt cumerit opus, illum redactum ad ino-

piam de neceſſariis ad communes vitæ vſus A iuuare nequeat.

Certum eſt 2. poſſe Epiſcopum, cum facultate Papæ, ac Regis, ius beneficiorum collatiuum, penſionis ſibi nomine ſeruare quia eſt hæc aſſignanda in fructibus. At in prouentibus Epiſcopatus, habenda eſt præ cæteris, collationum ſacerdotalium ratio, reſeruari hæ ergo cum facultate Papæ ac Regis poterunt.

Quæritur hic ergo, an cum de amborum cōſenſu, ſacra præfectura Epiſcopus ceſſit ea legè, vt ſacerdotia cum vacabunt in ius eius B tranſeant, conferenda cui volet, ea Rex tradere nihilominus queat, in vim apertæ regaliæ, per reſignationem Epiſcopatus.

Quorundam eſt opinio, id poſſe Principem, nec collationum retentione, in eiurando Pontificatu, Regaliorum effectum præpediri.

Sed contra, eſt pactorum fides, ſi peccare nolit, ſeruanda cuique. At tacita Regem inter, & reſignantē Epiſcopum intercedit pactio, de hoc fructuum genere, quod eſt in beneficiorū collatione poſitū, nomine pen- C ſionis ſeruando: ergo ei nequit adimi ſine adimentis culpa, quæ duplex eſt, infidelitatis & iniuſtitiæ, vt enim ſtare promiſſis, eaque facere, ad fidem ſpectat, ita ea fallere, & à data fide recedere, ad infidelitatem. Ad iniuſtitiam autem, quia cum Epiſcopus ius ad beneficij ſui fructus habeat, de quorum numero eſt beneficiorum collatio, iis priuari ſine iniuſtitia non poteſt, priuatur autem, cum quæ ex pacto inter eum, & Regem mutuo, vacantia beneficia conferre debebat, hoc facere minimè permittitur. D Ergo contra iuſtitiam. Rex ergo contra quàm reſignanti licere voluit, non poteſt ſacerdotia dare quæ vacant in regalia, ſi Epiſcopatu ſe ſuo abdicauit Epiſcopus, eorum donandorum iure, penes ſe reſeruato.

DISPVTATIO TERTIA.

DE ELECTIONE.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit Electio.

EST electio, perſonæ idoneæ ad dignitates & honores Eccleſiaſticos, plurium ſuffragiis *canonicè facta vocatio*, ſeu vt loquuntur alii, *Plurium in perſonam capacem & idoneam conſenſio ſolennis & legitima, ad prælaturam adminiſtrandam Eccleſiæ.*

Vocatur *conſenſio*, quæ eſt electionis formalis cauſa, & non *optio*, vt loquitur Rebuff. *li.1.ca.13.* aut *Euocatio*, vt habent Coraſius, & Gaufrerius in *Synopſi decretalium ad titul. de elect.* Sylu. *verbo electio* 1. Petr. Gregor. *lib. Syntag. 17. cap. 12. num. 18.* Quamuis enim ſimpliciter loquendo ac phyſice, electio ſit medij alicuius præ alio approbatio, ad aliquem finem (vbi enim intellectus media fini conſequendo opportuna, ſecum ipſe librauit, vnum aliquod quod plus cæteris eo conferre iudicat, voluntati proponit ac offert, quod iſta approbans, electionem facit, vt Philoſophi Theologique docent cum D. Tho. *1.2.q. 13.*) etſi (inquam) ſit electio rei approbatio, ac conſequenter à conſenſu differat, cum conſenſus ſit alicuius rei ab intellectu propoſitæ, quaſi bonæ acceptatio, cui electio ordinem ad finem adiicit, cum comparatione mediorum ad illum, eſt tamen ſpectata vi vocis, propriè conſenſus animorum, iudiciorumque, in re aliqua volenda concordia, ſicque non vnum actum, ſed plures ſibi ſimiles

E ſignificat, *1. ad Corinth. 7. Nolite fraudare inuicem niſi ex conſenſu.* Sic *nō coitus, ſed cōſenſus matrimonium facere dicitur*, quæ cauſa eſt, cur conſenſum nonnulli exiſtiment, non ſimpliciter vnum actum eſſe, ſed duos, intellectus nempe & voluntatis mutuo conſentientium. Eodem ergo modo plures electores, ſinguli ſuis ſuffragiis quempiam approbantes vt idoneum, vbi conſenſerint, electionem feciſſe dicuntur. Conſiſtit ergo electio, in illa mutua conſenſione ad aliquid, itaut ſingulorum ſeorſim ſumptorum ſuffragium, electionem faciat, ſed conuocati, communiter conſenſum

præſtare debent, vt ait Coraſius *part 4 cap.3. num.11.* Debet hic autem eſſe *legitimus*, id eſt conformis legibus, quæ certas in electione circumſtantias exigunt, ſine quibus non ſit hæc futura rata ac valida, *Legitimus* item, quia niſi ſit à perſonis quæ ſint capaces electionis, futura ſimiliter eſt illegitima.

Sunt autem ad eligendum hi duntaxat apti, qui ſunt de Collegio Eccleſiæ vacantis, aut benefic j electiui, item qui impedimento carent, quale cenſuræ pariunt excommunicationis, & ſuſpenſionis ab officio, *cap. cum inter de elect.* defectus item ætatis, ordinis ſacri, &c. Erit ergo conſenſus hic eligentium legitimus, ac *ſolennis* ſi formam ſequatur, quam præſcripſere canones, eſt enim ſolenne, idem ac quod certis legum inſtitutis obſeruatur, *leg. 7. dig. de in integr. reſtitut. Solenne ius*, quod Romæ vigebat, priuatorum conuentione non mutandum, *leg. 27. de reg. iur. Solennia accuſationis in lege ſi parag. quidam Dig. de adult.* ſubſcriptiones, inſcriptiones & ſatiſdationes de conueniendo reo.

Solennis item tertium numerus vſurpatur pro ſeptem, quos teſtamentis faciendis adhiberi lex iubebat. *Solennes actiones* quæ certis erant concluſæ formulis *leg. 2. parag. deinde dig. de orig. iuris.*

Addita eſt in definitione vox *eligentium* numero multitudinis, quia vnius non eſt electio, ſed nominatio & præſentatio *cap. 1. de elect. & 16. q. vlt. can. vltimo. & 18. q. 2. can. Abbatem 2.*

Quid ſi Collegij pars amplior, eligendi erit incapax?

Penes reliquos, qui illud, cum cæteris componunt, ius eligendi remanet, Syluest. *ver. electio 1. num. 2.* & colligitur ex *cap. gratum de poſtul.* Prælatorũ in quem locum Gloſſa ait, etiam ad vnum ius electionis deuolui poſſe, cæteris vel mortuis, vel inhabilibus, quod Vlpianus dicat, ius plurium, ac electionis in vnum recidere, & ſtare vniuerſitatis nomen vt conuenire poſſit, & conueniri, lege, *ſicut dig. quod cuiuſcunque vniuerſitatis*, iſte tamen ſolus, eligere ſe non poſſet, vt nec ſe ad beneficium offerre, *cap. per veſtras de iure patronatus*, id enim ambitionem olet, nec carere ſuſpicione poteſt arrogantiæ, qui magiſtratus ambit Eccleſiæ.

Eſt tamen, cum in vno, eligendi poteſtas reſidet, quanta eſt ad id opus neceſſaria, nempe cum in ipſum eſt ab electoribus aliis compromiſſum.

Eſt autem electio duplex, propria & impropria, illa confirmatione ſuperioris eget, non iſta: quare illa, hoc eſt ſtricte proprieque ſumpta electio, ius non dat in beneficio, ſed tantũ ad illud: iuxta *c. finale de conceſſ. præb. in 6.* quod tamen poſterior efficit, quã ob cauſam, A dicenda eſt collatio potius, quam electio, vt ait Rebuff. *lib. 1. praxis cap. 13 n. 4.*

Eſt & altera inter eas differentia, nempe quod ſi electo humanitus aliquid ante confirmationem acciderit, beneficium non iſtius obitu, morteque, ſed vltimi ante eum poſſeſſoris vacet: quare ſi eius beneficij, quod non niſi improprie eſt electiuum, definitionem dari tibi poſtulaueris, reſpondebitur, appellandum id eſſe, ad quod alicui ius plenum per ſuffragia, independenter à cuiuſquam alterius confirmatione tribuitur. ex quo ſequitur, electum illico ac eſt ei de beneficio ſic electiuo B prouiſũ, illud adminiſtrare ac pro arbitrio regere poſſe, quod is qui eſt de numero propriè electorum, non poteſt ante confirmationem, *cap. noſti, cap. qualiter*, aliter iure ex electione quæſito priuatur, *cap. auaritia de elect. in 6.* Epiſcopi autem & prælati omnes qui promoueri, confirmari, aut à ſede Apoſtolica conſecrari debent, ſi ante acceptas ab ea literas authenticas, Eccleſiã ad quã ſunt electi adminiſtrent, fructuum perceptione priuantur, ſuntque eorum acta irrita, Capitula autem, Conuentus, & quicunque alij eiuſmodi Prælatos C recipiunt, aut eis obediunt, à beneficiis ſuis ſuſpenduntur, Laym. *lib. 4. tract. 2. cap. 12. num. 2.*

Debet autem hæc plurium in vnum conſenſio, canonicè fieri, hoc eſt ſecundum formam à Canonibus *de elect. cap. ſequentia. cap. 17. 14. 24. & 28. 35. & 39.*

QVÆSTIO II.

D *Electionum quot ſint formæ, ſeu modi.*

TRes, non amplius Innoc. III. in *cap. quia propter 42. de elect.* per ſcrutinium, compromiſſum & inſpirationem.

Prima, quæ & communiſſima, eſt in qua, tres de electoribus, ſingulorum ſuffragia inquirendo, & ſcrutando quid quiſque ſentiat, colligunt, vnde & ſcrutatores communiter ſunt dicti, ſcrutinium enim eſt ſecreta examinatio & exploratio, num quis vt eligatur ſit idoneus, quæ ſint autem de huius electionis eſſentia, habet Sylu. *verb. electio 2. num. 12.* E vniuerſe dici hoc debet, vt rata ſit facta hoc modo electio, eſt neceſſe, vt maior ac ſanior pars Capituli in eundem conſentiat, ſicut habetur in *cap. in Geneſi, cap. quia propter 42. cap. Eccleſia veſtra 1. & 2. de elect.*

Eſt compromiſſum, electorum mutua inter ſeſe conuentio, qua arbitri ſententiæ, iudicique, ſtaturos ſe ſpondent, hinc compromiſſarij Iudices, qui ex compromiſſo ſunt ſumpti, aut ad quos ex compromiſſo eſt itum. Cum enim vota ſuffragantium non raro diuidi

nter ſe contingat,ex quo accidit Eccleſiæ
otia non geri, ſed protrahi, aut perdi, pla-
Pontifici, vt electoribus poteſtas eſſet eli-
li vnius cuiuſpiam hominis, aut plurium,
um ſe iudicium ſequuturos ſuper elect o-
cienda, aut facta religioſe ſponderent.
per inſpirationem electio, cum vno
impetu eundem omnes ſibi præeſſe ap-
nt, ac in eundem, vno omnes quaſi cor-
z ore conſentiunt.
ſt autem hæc inſpiratio duplex, euidens
, qua nempe diuinæ vocationis ad regi-
n Eccleſiæ, argumenta vnum aut plura,
initus è cælo datur electoribus, hoc eſt iis,
orum intereſt, mortuo dignum qui procu-
impoſterum, Eccleſiam ſublegere, vt ac-
iſſe ſcimus Diuis Ambroſio & Nicol. vt
in *diſtinct. 61. can. ſtatuimus 8.* quorum pri-
us, *cum nondum eſſet baptiſatus, eſt electus, al-
r ex laico: beatus autem Seuerus ex lanificio
t aſſumptus.*

Eſt altera quaſi euidens, eſtque in eo quod
tractatu nullo præcedente in vnum omnes
conſpirent, Coraſ. inſpirationem veram no-
minat & quaſi inſpirationem *parte 4. cap. 3.
num. 9.* Panorm. in *cap. quia propter 42. de
elect.* Sylu. *verbo elect. 2. num. 27 & 28.*

Vtvt ſit de nomine, eligendi Abbatis aut Prælati canonice in Dei Eccleſia, tres ſunt modi, per Scrutinium, inſpirationem & compromiſſum, nempe, cum variantibus electorum ſententiis, nec inter ſe de futuro Antiſte aſſentientibus, de Capitulo aut conuentu duo aut tres ſeliguntur viri graues ac probi, quorum ſit prudenti iudicio ſtandum, *cap. cauſam quæ cap. in cauſis de electione,* & hi Clerici eſſe debent, iuxta *caput contingit de arbitris,* in quo prohibetur, *ne ſuper rebus ſpiritualibus compromittatur in Laicum,* data autem ab his quibus licet, Compromiſſariis eligendi poteſtas, reuocari ab iiſdem nequit, ſi tractatus eſt incœptus, *cap. in cauſis de elect. 30. & res non eſt integra, quia in tractatum iam proceſſerunt electores ibid.*

QVÆSTIO III.

Electionem quæ fit per Scrutinium præcedere quid debeat, quid ſubſequi.

HAc de re, quemadmodum & de triplici electionis forma agitur in *Rubrica de elect. lib. 1 decretal. capp. 14. 24. 35. & 39.* ad varios autem electionum ritus pertinent *cap. 8. 21. 30. 32.*

Et primo quidem non niſi Prælato defuncto, & ita Eccleſia vacante, eligi debet qui ei ſuccedat, *7. q. 1. can. factus 5. can. Nouatianus 6. can. denique 9. ead. q. & cauſa,* niſi forte prior ob culpam aliquam ſuam, ab Eccleſiæ A ſit gubernaculis ſubmotus *7. q. 1. can. 1. ſub. fin.* aut depoſitus ob inualetudinem animi *can. ſcripſit mihi 2. eiuſd. q. & cauſa,* vel ob ſenectutem *7. q. 1. can. petiſti 17.* aut de conſenſu Papæ & electorum, ad aliam commigrarit Eccleſiam *can. mutationes 34. can. Epiſcopus 27. Concil. Carthag. 4.*

Secundo, non niſi præceſſore ſepulto, facienda eſt electio, *cap. nullus 7. diſt. 79. cap. bonæ memoriæ 36. parag. electionem, extra de elect.*

B Tertio, non niſi poſt tertium depoſitionis eiuſdem, *diſt. 79. can. nullus 7.* non ad clamorem populi *cap. 2. de elect.* nec per ſortes *26. q. 2. can. non ſtatim, can. non exemplo.*

Quarto, non niſi poſt auditum aut celebratum Miſſæ ſacrificium, idque de S. Spiritu, ac poſt præſtationem iuramenti, ſecundum formam Baſileens. Conc. *in pragm. ſanct. parag. & cum humana de elect.*

Quinto, poſt abſentium omnium, qui ius eligendi habent, citationem legitimam ad locum, & diem certum habendi conuentus, *cap. quod ſicut 28. parag. ſi autem, verſu quod ſi,* C *cap. venerabilem 34. parag. obiectionib. cap. coram 35. cap. bonæ memoriæ 36.* ſi tamen vocari non poſſent ſine periculo, aut vocandi ex ſtatuto, aut conſuetudine non forent, ab ea omiſſione non haberet electio vitium *cap. cum in Eccleſiis 33. de præb. in 6.* Florens. *ad titul. 6. de electione.*

Sexto, vbi electioni faciendæ dies præſtituta aduenit, tres de omnibus, quibus ius eſt eligendi, ad plura vota ſcrutatores creantur, quorum hoc eſt munus, ſingulorum ſcrutari ſuffragia, eaque ſcribere, ſcripta publicare, publicata inter ſe conferre, vt ſi hæc in duos, D pluresue fortè ſint diuiſa, is demum renuncietur electus, in quem eligentium maior pars vel ſanior conſenſerit, *cap. quia propter 42. cap. auditis 29. cap. Eccleſia 48. cap. Cumana 50. cap. in Geneſi 55. de elect. cap. cum inter 21. §. diſcretioni veſtræ, eod. titulo.*

QVÆSTIO IV.

Explicantur dubia quædam circa prædicta.

E PRimum, *An vnius aut alterius de electoribus abſentia, electionem iure nullam efficiat.*

Quæſtioni pridem eſt ab Innoc. III. reſponſum, in decretali *Eccleſia 57. de elect.* enimuero eius opinione, ſenſuque, in eo *cap.* his duntaxat rebus euertitur electio, *quæ attentantur contra formam Lateran. Concil. non autem alia, quæ ponuntur, ibidem.* At quod præſentibus omnibus, qui debent, volunt, & poſſunt commode intereſſe, ſic fiat electio, vt vnius duntaxat abſentia, reddatur hæc irrita,

ad formam prædicti Concil. non pertinet, eodem authore Pontif. in citato canone: ergo, &c.

Poteſt tamen qui ſe contemptum queritur, quia non fuit vocatus, de iniuria ſibi in ſui præteritione irrogata, expoſtulare apud iudicem, ab eoque exigere, vt electionis quæ ſe inſcio eſt celebrata, acta ſint omnia inania, ipſaque adeo electio reſciſſa iaceat vt nulla, *cap. bona memoriæ 36. in fine de elect. cap. quod ſicut 28. & cap. coram 35. eod. titulo.* Sane per canones eſt hæc nulla, ſi quis per contemptum, aut omiſſionem non vocetur, niſi poſtea propter bonũ pacis, is, qui contemptus eſt, conſenſerit, *cap. 28. 34. & 36. de electione.*

Secundum, *Quænam ſint beneficia in quibus electioni ſit locus.*

Si tam beneficij, quam electionis nomen, late ſpectaueris ac improprie, vt fit, cum pro eo accipitur, ad quod alicui ius tribuitur per ſuffragia, & confirmationẽ ſuperioris, dignitas quælibet Eccleſiæ tam Cathedralis quam Collegiatæ, electiua appellabitur, cũ ad eam, non niſi per electionẽ vlli aditus pateat, & de hoc numero ſunt Præpoſituræ Eccleſiarũ Cathedraliũ, & Collegiatarum, argumento *cap. dudum 22. de elect.* Decanatus *cap. cum in iure 33. eod. tit.* Prioratus *cap. cum cauſam 27. cap ſacroſancta 51.* Canonicatus in aliquibus Eccleſiis, *cap. cum Eccleſia 31.*

Quod ſi electionis vim ac nomen ad propriũ eius ſignificatum reſtrinxeris, non aliud inter beneficia electiuum habebitur, quam quod proprie prælaturæ nomine cenſetur, ſeu in quo aliquis inſtituitur, vt ſit caput Collegij, & quaſi ſponſus Eccleſiæ regularis aut ſæcularis, Laym. *lib. 4. tract. 2. cap. 12. nu. 1.* fauet opinioni, electionis definitio, quam ex *cap. quia propter 42. de elect.* nominant vocationem *perſonæ idoneæ ad Prælaturam ſuperiorem,* cuiuſmodi eſt ſummi Pontificis, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, & Abbatiſſarum, Gaufrerius in *ſynopſi decretal. ad titul. de elect. verſu ad Prælaturam.*

Tertium, *An electo ius ad beneficium, eiuſque prouentus competat.*

Si de dominio agitur, eo electum ante confirmationem factæ de ſe electionis, carere non eſt ambiguum, quia per hanc plenum acquiritur, quod eſt electione inchoatum, eius enim ope beneficioque, ius ad rem electo datur, hoc eſt eius à ſuperiore poſtulandæ facultas quædã, cui, niſi ſit aliquid quod impediat, obſecundare ſuperior debet ac obſequi.

Quod autem electione ius in re, & quaſi beneficii dominium electo non detur, ſunt hæc argumenta.

Primum, quod quæ ſunt ſua, adminiſtrare, A deque iis ſtatuere cuique liceat ſine ſcelere. At ante confirmationem electionis de ſe factæ, adminiſtrare electo non eſt integrũ *cap. qualiter 17. & cap. noſti 9. de elect.* his verbis: *Noſti quomodo Lincoln. electus concedendi honores, vel præbendas, aut alias diſponendi de rebus Eccleſiæ, (cum ſua non ſit electio confirmata) non habeat facultatem,* id tentantis, pœna certiſſima eſt, iuris ex electione quæſiti amiſſio *cap. quæſito cap. auaritiæ de elect.* eorumque omnium quæ ex ea, aut ob eam facta ſunt, B irritatio *cap. qualiter 17. eod. titulo:* non eſt ergo ante confirmationem factæ electionis, beneficij, ac fructuum quos parit, is qui ad illud eſt electus, perfectus dominus.

Alterum argumentum ſic habet, Non vacat beneficium morte electi, ſed præceſſoris ſui, ſi illum naturæ, fatoque concedere accidat, antequam ſit eius à Superiore confirmata electio, ſecundum Ioan. de Selua 3. *par. q. 1. nu. 8.* non eſt ergo electus, eius dominus ac poſſeſſor vi electionis præcisè ſumptæ, ſed confirmationis quæ ei ſuperuenit.

Quartum, *An beneficia electi ad Præla-* C *turam illico vacent, ac eſt ad eam vocatus plurimis ſuffragiis.*

Non vacare, niſi poſt eius confirmationem, imo etiam ſubſecutã conſecrationem, ſcripſere multi, & quidẽ veriſſimè Quia cum ante non ſit eius poſſeſſor ac dominus, parũ iuſte fieret, ſi beneficia ex quibus neceſſaria ad vitam ſubſidia colligit, ſibi dimittenda forent. Enimuero cum ſit incertum ecquid eum calculo quoque ſuo ad Eccleſiæ puppim admouere Superior debeat, teneretur rerum ſuarum aleam, incerto euentu ſubire, quod nemo aut pauci aſſerent; D quo ergo vacatura ſunt tempore?

Poſt elapſum trimeſtre tempus ſacris canonibus ad conſecrationem definitum: ſic enim Later. Concil. vt refertur *cap. cum à cunctis 7. de elect. Cum electus fuerit & confirmationem electionis acceperit, & Eccleſiaſticorum bonorum adminiſtrationem habuerit, decurſo tempore de conſecrandis Epiſcopis à canonibus definito, is ad quem ſpectant beneficia, quæ habebat, de illis diſponendi liberam habeat facultatem.*

Quid ſi eſt à Superiore confirmatus, à E Metropolitano autem, aut Epiſcopis numero tribus conſecratus, non tamen Epiſcopatus ad quem eſt electus, poſſeſſionem inire eſt permiſſus?

Quod de Parochiali Eccleſia Doctores narrant, hoc ego de Epiſcopatu reſpondeo: Ergo vt Parochiæ prioris poſſeſſio, iuriſdictioque non amittitur, niſi poſtquam Parochus ſecundæ, poſſeſſionem eſt ingreſſus, ſecundum Nauar. *lib. 1. conſ. 14. de elect.* Henriq. lib. 10. cap. 34. ita nec beneficiorum, quæ Epiſcopatu, ad quem quis eſt electus,

ctus, ſunt minora, poſſeſſione Epiſcopus excidit, nec conſequenter eorum adminiſtratione ac fructibus, qui Epiſcopatus ad quem eſt electus, poſſeſſionem non eſt adeptus, Laym. *ſupra nu. 2.*

Quintum, *quando, & quo tempore facienda ſit electio.*

Vacante ſede, *diſtinct. 79. can. nullus 7. cap bonæ memoriæ 36. parag. poſt electionem de elect.* Ad tempus quod attinet, non idem eſt ſeruandum in omnibus. Et quidem vltra decem dies, Pontificis ſummi electio prorogari ac differri vetatur, *in cap. vbi periculum 3. parag. hoc ſacro de elect. in 6.* Epiſcoporum & Abbatum, vltra trimeſtre, *can. poſtquam 50. can. obeuntibus diſt. 63. cap. ne pro defectu 41. de elect.* in aliis beneficiis non eſt vltra ſemeſtre differenda, *cap. ne pro defectu 41. de electione*, alioqui eius faciendæ ius amittitur, & ad ſuperiorem deuoluitur, *can. poſtquam 11. diſtinct. 50. cap. ne pro defectu citato*, niſi ſteterit per Superiorem, ſine cuius licentia eſſe nequit electio, quo minus intra ſtatutum tempus, per hos ad quos ſpectabat, fieret, quia ſic culpa electores vacant: ergo & pœna, quæ negligentium eſt propria, iure ergo tum ſuo priuari non debent.

QVÆSTIO V.

An ad ſuffragium quemlibet admittere electionis præſidi ſit permiſſum.

NEquaquam, nec enim primo, impuberes ſuffragii ferendi cauſa, inter eos qui dandi ius habent, recipere eſt in more, cum prudentiâ ad hoc opus tam Eccleſiæ vtile ac neceſſarium careant, *cap. ex eo 32. de elect. in 6.* Nec puberes, niſi ætatis annum vigeſimum ſecundum expleuerint. *Clement. penultima & finali de ætate & qualitate præficien d.* & ſint ſacro ſaltem Subdiaconatus ordine initiati, *Clement. vt ij qui de ætate & qualitate.* Niſi qui eligunt, eorum eſſent Ordinum incapaces, vt Moniales.

Secundo, ſunt ab electorum remouendi munere, in quos dicta eſt à Superiore ob eorum culpam aliquam interdicti ſententia, *cap. 1. de poſtulat. prælat.* remouendi item excommunicati maiori excõmunicatione, *cap. illa 39. de elect. Qui enim minori excommunicatione eſt ligatus licet grauiter peccet, eligere tamen non prohibetur, vel ea, quæ ratione iuriſdictionis ſibi competunt, exercere; cap. ſi celebrauit 10. de Clerico excomm. celeb.*

Tertio, eligere nequeunt ſuſpenſi ab officio *cap. dilectus 8. de conſuetudine cap. cum inter 16. de elect.* Irregulares, quique indignum aliquando, aut de Laïcorum voluntate ac conſilio elegere ſibi ac Eccleſiæ Prælatũ, *ca. quiſquis extra de elect.* Similiter nec eligere poſſunt conuerſi, nec qui furioſi ſunt ac amentes, quia infantibus comparantur, nec qui in eo cœnobio aut ordine, cui Prælatus quæritur, expreſſe non ſunt, aut tacite profeſſi, *cap. ex eo 32. de elect. in 6.* his verbis. *In Eccleſiis quoque regularibus, vel Monaſteriis, ij qui non ſunt tacitè vel expreſſe profeſſi, non debent cum profeſſis, vel conuerſi Laici cum Clericis, electionibus intereſſe.* Quare etſi Clericorum ſit ac Monachorum eligere, *diſtinct. 62. cap. 1. verſu electio Clericor. diſt. 51. cap. vlt. parag. ſed nec ille diſtinct. 63. can. ſacrorum*, non poſſunt tamen Clericus & Monachus alterius Eccleſiæ, quam cui Prælatus quæritur, eius electioni intereſſe, *cap. conſtitutis 47. de elect.* niſi forte de Archiepiſcopo eligendo agendum foret, nam cum ad eius Suffraganeos Epiſcopos ſpectat, Eccleſiæ Præſule deſtitutæ ſubrogare idoneum, *cap. ſi Archiepiſcopus 6. de tempore ordinat.* electioni intereſſe hi poterunt, quæ eius cauſa ab antiquiore fiet Suffraganeo, ſi tamen morbum, ætatem, aëris inclementiam, difficultatem itinerum cauſati, moramq; facerent, aut venire renuerent, expectandi non forent, *cap. cum inter 18. cap. cum nobis 19. cap. quod ſicut 28. parag. ſi autem de elect.*

Nec ſunt decreto Clement. Papæ quinti, in Concil. Vienn. ad eligendum idonei, qui ex vno aliquo Mendicantium ordine, ad non Mendicantem, etiam cum Papæ facultate tranſiere, his enim nec in Capitulo ſententiam dicere, etſi de ea rogentur ab aliis qui id componunt ac conſtant, nec deinceps ad prioratus aut officia quæcunque ordinis aſſumi queunt, per *Clementin. primam, de regular.*

Ab eo itẽ munere, arcentur qui aliquando cum ſe ad electionem faciendam, aperuiſſet aditus, hanc non fecere legitime ac canonicè, vel indignum elegere qui gubernacula capeſſeret Eccleſiæ, *cap. cum in cunctis 7. parag. Clerici, cap. innotuit 20. parag. habito ergo cap. Cumana 30. parag. finali, cap. bonæ memoriæ 23. cap. ſcriptum 20. parag. fin. de elect. 1. q. 5. can. ſi qui Epiſcopi 25. q. 2. can. denunciamus.*

Quanquam vt quod res eſt eloquar, non omnis in perpetuum ad electionem iure excidit, qui indignum elegit, ſed primâ tantum quæ occurret, eſtque eius reparandæ cauſa inſtituta, in qua eſt peccatum, *cap. cum in cunctis 7. cap. vintonienſis 21. cap. ne pro defectu 41. parag. ſtatuimus.* Imò nec eſſet pro ea vice priuatus ſuffragio, qui indignum elegiſſet, talem eum eſſe neſciens, *cap. innotuit 20. de elect. verſu parcentes non modicum*, nec ſi impedimenti conſcius immerenti ſuffragium dediſſet, ſed conatu irrito quia non eſt ob cauſas certas ſecuta electio *c. perpetuo 7. de elect. in 6.*

Facit & Pontificis authoritas in decretali *iſta quotidiana 39. de elect.* vt quidam exiſtimauerint excommunicato minori excommunicatione, fas non eſſe ſuffragari cum cæteris in Capitulo, quod factam à tali homine de Epiſcopo electionem, confirmandam ſibi non ante Pontifex duxerit, quam *ſuppleſſet de plenitudine poteſtatis ſi quis in ea, ex eo fuiſſet defectus, quod quidã interfuiſſent electioni euſdem, qui ex ſola participatione, in ſimplicis excommunicationis laqueum inciderant, cap. illa citato.*

Sed pace eorum ſit dictum, non ſit ab excommunicatis hoc excommunicationis genere, electioni præiudicium, quandoquidem quæ ſui ſunt muneris obire, eiuſque occatione, debita exercere officia valeant, vt eſt in *cap. extremo tituli de Clerico excom. miniſtrãte* Nec refert quod ſupplere ſe Pontifex aſſerat, quæ in eiuſmodi electionem vitia ex iſtiuſmodi hominum præſentia irrepſerant.

Primo, quia talia aliqua pro certo fuiſſe non ait, ſed ſi quæ extiterint, ea ſe authoritate Apoſtolica obliterare ac tollere.

Secundo, quia in his ſæpe Romani Pontifices, pacandæ quorundam conſcientiæ gratia diſpenſant, quæ hi facere cum quibus diſpenſatur libere potuiſſent ac ſine crimine.

Pergamus porro, ſuntne præterea quibus ſit iure interdictum eligere?

Omnino, in primis id ſibi nequeunt arrogare Laici hoc tempore *cap. quiſquis 43. cap. Maſſana 56. de elect. cap. dubiũ 31. parag. cæterum ex parte de Decimis, & 1. q. 7. can. ſi quis omnem, 16. q. 7. in principio.*

Dixi *hic tempore*, nam olim in Oriente & Occidente, plebis in Epiſcoporum electione, non modica erat auctoritas, vt patet ex Synodica Nicæni Concil. epiſtola ad Ægyptios, ibi enim ſcribitur, Epiſcopos in locum demortuorum oportere ſubſtitui μόνον εἰ ἄξιοι φαίνοιντο καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο συνεπιψηφίζοντος αὐτοῖς, καὶ ἐπισφραγίζοντες τοῦ τῆς καθολικῆς Ἀλεξανδρείας Ἐπισκόπου. In occidente verò etiam votis omnium, Epiſcopi electionem factam fuiſſe, conſtat ex Cypr. epiſtola 68. ad Cæcilium & Polycarp. Siricij epiſt. 1. *cap.* 20. Cæleſtini *ep. 2. cap.* 5. Leon. 67. ibi enim habes in Epiſcoporum electionibus expectari vota ciuium, teſtimonium populorum, honoratorum arbitrium, vel vt Leo loquitur tenendam *ſubſcriptionem Clericorum* honoratorum teſtimonium *ordinis conſenſum & plebis.*

Huncque veterem electionis Epiſcoporum ritum, quo plebe præſente, imò & eiuſdem ſuffragiis eligi hi ſolerẽt: In Africa obſeruatũ fuiſſe conſtat ex electione Eradis ſucceſſoris Diu. Auguſt. de quo extat epiſt. eius 120. & Cypr. 68. vbi de Clericorum ordinationẽ loquens, hæc habet. Quod vt que idcirco tam diligenter & caute conuocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris miniſterium vel ad Sacerdotalem locum indignus obreperet. Propter quod de traditione diuina, & Apoſtolica obſeruatione obſeruandum eſt, & tenendum, quod apud nos quoque, & fere per prouincias vniuerſas tenetur, vt ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem cui præpoſitus ordinatur, Epiſcopi eiuſdem prouinciæ proximi quique conueniant, & Epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſimè nouit, & vniuſcuiuſque actum de eius conuerſatione perſpexit, qua ex oratione ſit hoc planum.

Primo, electioni Epiſcoporum interfuiſſe populum.

Secundo, eius conſenſum fuiſſe ad eam neceſſarium, cũ enim nõ deceat inuitis Epiſcopum dari, ad caritatem ac prudentiam Eccleſiæ pertinebat, plebi non niſi hominem qui gratus illi foret ac acceptus, dare in Præſulem, non tamen ſic, vt cogerentur Epiſcopi quemcunque hæc poſtulaſſet, admittere, vt patet ex epiſt. Cæleſt. citata & Stephani decreto *diſt. 63. can. noſſe*, nã ſi quem contra canones, Patrumque decreta voluiſſet, tandiu eam & Clericos per electionis Præſulem conuocari ſolitos aiunt, donec in vnum aliquem conueniſſent qui foret idoneus, docet id Gelaſius Papa in epiſt. à Grat. relata *diſt. 63. can. plebs.* huncque morem tenuiſſe vſque ad Greg. I. tempora, imo & ad ea, quibus vixere Carol. & Ludouic. Imperatores, colligere licet, ex *lib.* 1. Capitul. & epiſt. Iuonis. Sed de hac re alias nos pluribus, nempe *tomo 1. de Sacrament. tract. de Epiſcopu.*

Deinde eligere ſibi ſucceſſorem nemo ſinitur, vetuit id Bonifac. Papa II. ad ann. 525. vetuit & Martin. in Concil. nec non & Hilarius in *Synodo Rom. can.* 5. quicquid ſecus quam eſt ab his decretum attentabitur, inane erit ac nullum *8. q. 1. can. 4.* quia vt ait Innoc. Papa II. *in Concil. Rom. can.* 10. hoc ipſum eſt velle per ambitionem & auaritiam, Eccleſiaſtica officia amicis ac conſanguineis hæreditario quaſi iure relinquere, quod non decet.

Fas tamen eſt Epiſc. cum canonicis aut aliis ad quos ſuffragandi ius ſpectat, de ſucceſſore agitare conſilia, 8. *q. 1. can. Apoſtolica*, aut vt certum ſibi aliquem ſublegere hominem liceat, impetrare à Põtifice, quod Zacharias Bonifacio Moguntino Arch. cõceſſit, vt refertur *7. q. 1. can. petiſtis* 17. *Si eundem*, inquit, *diuina volueris clementia poſt tui diem tranſitum ſupereſſe, ſi eum aptum cognoueris ea hora, qua te de præſenti ſæculo migraturum cognoueris, præſentibus cunctis tibi ſucceſſorem deſigna.*

QVÆSTIO VI.

In Electione vitare iura quid imperent.

PRimum, ne clam fiat, ſic enim Innoc. III. in *cap. quia propter 42. de elect. Cum electio fuerit celebranda præſentibus omnibus qui debent, & volunt & poſſunt commodè intereſſe, &c.* Itaque ſecus facta dicitur irrita *cap. in Geneſi 55. de elect.*

Secundo, ne ſorte, *cap. Eccleſia 3. de ſortilegijs.*

Tertio, ne ſine eorũ aſſenſu quorũ intereſt, quia ædem ſacram, ea fecere lege Patroni vt nemo ei niſi quem probarent, præeſſet vnquam, *cap. cum veteri 12. de elect. cap cum olim 8. de arbitris*: quare erit electio inanis ac ſine viribus, ſi ad conſilium adhibiti non erunt, quorum conſenſus fuit ex pacto Electorum ac Patroni mutuo requirendus.

Quarto, ne fiat populi iudicio 8. *q. 1. can. qui vos, & can. ſi ergo can. nec nemũ 8. q. 2.* ac cũ coactione. tumultus enim & iniuria reprobantur in electionibus *cap. 10. de elect.* & in *epitome Ant August. par. 1. lib. 4. tit. 4. & 12.*

Quinto, habet electio vitium cum ſit de indigno, exciduntque electores in pœnam electi iſtiuſmodi hominis, eligendi iure pro ea vice *cap. cum in cunctis 7. cap. quia propter 42. de elect.* & ad triennium beneficiis ſunt ſuis ſuſpenſi, *cap. cum in cunctis parag. Clerici,* & electus in Epiſcopum non poteſt aſſumi *cap. per inquiſitionem 26. de elect.*

Eſt autem indignitatis, quæ electionis vires infringit, genus duplex, Panormit. *in cap. graue nimis, citatum.*

Primum, tria illa complectitur quæ continentur in decretali *cum in cunctis de elect. & in cap. licet canon. eod. titulo in 6.* inſcitia ſcilicet, improbitas, & ætas non legitima, habetque hæc indignitas, vt non tantum eligendum impediat, ſed & electum deiiciat.

Secundum ad culpam refertur, & ad eos pertinet, qui mortifera noxia tenentur, & hos eligi non poſſe, & ſi eligantur factam de iis electionem eſſe nullam, error fuit Valdenſium, qui aliter pauperes de Lugduno ſunt dicti, Ioannis item Wiclefi, & Armacani, quos exiſtimaſſe aiunt, omnis poteſtatis, dominiique fundamentum eſſe caritatem, quæ nullum poteſt cum mortali culpa habere commercium. Quam id autem ſit à vero alienum ac abhorrens, vel hinc patet, quod tam agrorum ac rerum incerta dominia forent, quam eſt ambiguum, incertumque an qui ea poſſident, Deo ſint accepti gratique; inſuper quod veri nulli apud eas gentes quibus lux Euangelij nunquam affulſit, Reges eſſent, vtpote quibus cum fides deſit, eius caritatis ſunt expertes, quæ ex animo labem A mortalem abigit, eſtque gratiæ fundamentũ in adultis neceſſarium.

Quid? quod Paulus, honorem magiſtratibus dyſcolis ac malis exhiberi velit? quod Chriſtus tributa Cæſari negari nolit? quos conſtat tamen, cum Deo amicitiæ nullo vnquam communi obſtrictos fuiſſe vinculo, quæ me cauſa impellit vt credam, electioni quominus ſi[illegible]ta, nullum à mortali culpa impedimentum eſſe, ac proinde, ſi quis de ſe factam approbet, aut ab eo cuius hæ ſunt partes, confirmari, ac pro rata validaque haberi B curet, non peccare. Quia cum quoties, & quando, electo viſum erit, à culpa expedire ſe, Deoque reconciliari poſſit, nihil ab eã incommodi aut damni, beneficio ad quod eſt electus, timere debet.

Quæ tamen crimina ſunt publica, cuiuſmodi ea ſunt cenſenda, quæ in iudicio probari poſſunt, hæc iter ad ſacerdotia per electionem obtinenda claudere, ſcribit Archidiac. *in canon. inſcripta 8. q 1.*

Ratio eſt, quod irregularitas, ad firmitatem electionis tollendam cauſam habeat idoneam, at eſt infamis, quam in claſſem co- C gendi ſunt qui vitiis ſcatent, quæ quia patent, ſuntque nota omnibus, poſſunt in iudicio alieno teſtimonio probari, infamem faciunt, & ad beneficium inhabilem, qui ergo cum crimine tali hoc eſt publico eligitur ad ſacerdotium, eius electio eſt nulla.

Quinto, electio nulla redditur per negligentiam electi, eamque duplicem, primo ſi factæ de ſe electioni intra menſem conſenſum non præbeat, iure conſentiendi deinceps eſt priuatus, modo conſentiendi libertatem habuerit, Laym. de *benefic. cap. 12. num. 5.* ſi D intra trimeſtre confirmationem non petit, inanis hæc ac nulla eſſe incipit niſi iuſta aliqua cauſa eius dilationem excuſet.

Septimo, electio facta metu, ipſo iure eſt nulla.

Octauo, nulla eſt item quando per abuſum poteſtatis Laicæ, eligi ſe quis patitur ad eam dignitatem, cuius cauſa eſt inſtituta electio, ex decretali Gregor. VII. 16. *q. 7. & ex cap. quiſquis electioni de elect.* pœnis quæ qui eſt eiuſmodi tenetur non paucis, prima eſt excommunicatio, quæ interdum eſt ferendæ ſententiæ, aliquando latæ. Eſt ferendæ in *cap.* E *præterea 4. de iure patronatus*, latæ *in can. ſi quis 12. cauſa 16. q. 7.* qui eſt Gregor. VII. in Synodo.

Decretalis Nicol. II. quæ incipit, *ſicut Domini 16. q. 7.* Eccleſias cum recipiuntur à Laïcis, interdicto ſubiicit, *capite præterea 4. de iure*, eós Eccleſia moueri, & ſi perſtiterint à miniſterio Eccleſiaſtico & ordine deponi imperat, *Clericus*, inquit, *qui Eccleſiam per laicos ſine proprij authoritate Epiſcopi receperit, communione priuetur, etſi perſtiterit, à miniſterio*

Eccleſiaſtico & ordine deponetur, capite autem quiſquis 43. de elect. eos in eo ſtatu conſtituit, *vt ineligibiles fiant, nec abſque diſpenſatione ad aliquam valeant eligi dignitatem. Qui vero electionem huiuſmodi, quam ipſo iure irritam eſſe cenſemus, præſumpſerint celebrare, ab officiis & beneficiis penitus ſuſpendantur, per triennium eligendi tunc poteſtate priuati.*

At enim quæret aliquis, ad quid ſit beneficium ineligibilis, qui à Laïco Domino, non habente Apoſtolicæ ſedis priuilegium, dignitatem recipit aut beneficium?

Ad omnia, donec à Papa fuerit diſpenſatus, Diaz. *cap.* 53. *pratt. criminal.* Theſaur. *prax. Eccleſ. par.* 2. *cap.* 8. Qui autem illud via electionis factæ per abuſum laicæ poteſtatis accipit, eſt ad dignitates Eccleſiaſticas ineligibilis, niſi cum eo diſpenſetur, quod poteſt facere Epiſcopus, Theſaur. ibi.

Nono, eſt electio nulla quæ eſt ſimoniaca *cap. penult. de elect.*

Decimo, id operam electores dare debent, ne vota eligentium ſint conditionalia, vel alternatiua, *cap. ne in electionib.* 2. *de elect. in* 6. *& cap. vnico de poſtulat. in* 6.

QVÆSTIO VII.

Quid ſit electioni eſſentiale ac intrinſecum, quid accidentale.

QVæ ad electionis formam pertinent, vti partes quædam eius ſubſtantiales, Gloſſa. *cap. quia propter* 42. ad hæc capita reuocat, nempe vt ſit libera non coacta, non metu ac timore expreſſa, non publica, ſed ſecreta, id eſt nemine præter ſcrutatores, tabellionem & teſtes eius conſcio, quarto, vt electus ſuffragiorum numero coelectos ſuperet, quinto vt eorum fiat publicatio, ac numeri ad numerum, meriti ad meritum & zeli ad zelum collatio, eo ſenſu quo ante eſt explicatum.

Quæ autem electioni accidunt, ſuntque meræ eius ſolemnitates, in maiori paulo ſunt numero.

Et quidem primo loco poni miſſa debet, celebranda de S. Spiritu ab electoribus, aut ſaltem ab his audienda, cum receptione ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſub eius finem.

Secundo, ante tractatum electionis, flexis omnes genibus, hymnum *Veni ſancte Spiritus,* alternis recitant.

Tertio, Omnium nomine vnus quiſpiam ab his ad id delectus, clare electoribus ſignificat, mentis ſuæ, ac cæterorum non eſſe, vllum ad ſuffragandum admittere, qui illius ſtatutis incapax.

Quarto, ſi quis ea ſit poteſtate præditus, præſentes ab excommunicatione & A cenſuris abſoluit, ſed in ordine duntaxat ad effectum electionis faciendæ canonicæ.

Quinto, ecquid ſit congregatorum cœtus legitimus, is qui eidem preeſt, ſingulos publice interrogat.

Sexto, ſi qui ſint forte quorum ſit ius dubium, quibuſdam nempe ad eam admitti ſe debere ac poſſe contendentibus, negantibus aliis, de eo preſes ad conſilium referet, ac quod plurium erit ſuffragiis concluſum, fieri præcipiet.

Patet hinc primo, ſtare electionem poſB ſe, etſi vota ſua electores ore tenus, & non obſignatis dent ſchedis, vt ante probauimus.

Patet 2. magiſtratu Eccleſiaſtico ad quem aliquis eſt ad plura medietate ſuffragia electus, ei ante ſententiam abeundum neceſſario non eſſe, quia ætatem completè non attigit, quam ad eius pacificam poſſeſſionem iura poſtulant, nam vt habet Nauar. *lib.* 3. *conſil. tit. de regular. conſil.* 75. *parag. his non obſtantibus,* quando legi cuipiam poteſtas duplex ſubeſt, eſt in ſingulorum arbitrio, illam ad benigniorē ſenſum flecteC re, cum ergo lex de ætate ad capeſſendam dignitatem Eccleſię per eiuſdem leges neceſſaria, de cōpleta poſſit & incōpleta intelligi, quid eum vetat, qui integrā necdum eſt aſſecutus, ſed eam duntaxat eſt ingreſſus, de eius initio ac progreſſu, & non de exitu in vtilitatem ſuam, & commodum capere. Id ſi poteſt, (vt poſſe Portelius aſſerit *parte* 1. *caſuum caſu* 13.) dicta eſt cauſa, beneficium, ad quod eſt hic electus, de quo agimus, retinere ſibi poterit, quandiu de eiuſdem poſſeſſione, per iudicis ſententiam decedere, ob D defectum ætatis minime iubebitur.

Quid? quod ab accidente aliquo, (vt eſt ætas) electio vitium non trahit, à quo iure ipſo, factoque ſit irrita? At eſt ætas, electionis accidens quoddam, non autem pars eius aliqua, ſine qua ruere eam oporteat.

Primo, quia in eius forma, nulla ab Innoc. III. in decret. *quia propter,* fit illius mentio.

Secunda, quia etſi fieret, nihil tamen contra eam peccatum eſſet, cum in dubio an ius loquatur de annis completis aut inE completis quoad dignitates in quibus fauor conſideratur, annus inchoatus pro completo habeatur, ſecundum Panormitan. *in cap. ad noſtram de regular.* Sylu. *ver. tempus,* & Portelium loco ante citato, vbi habet quod *quando lex aliquid alias iure natura licitum, irritat propter defectum ſolemnitatis præſcriptæ iure tantum poſitiuo, ſi ipſum fiat, validum eſſe in foro conſcientiæ, donec reſcindatur in externo.*

Dixit eandem ſententiam Florens Anteceſſor Aurelian. magnæ vir eruditionis in

titul.

titul. de elect. & electi poteſt, quem de hac materia copioſe diſſerentem legiſſe non pœnitebit.

QVÆSTIO VIII.

Peracto Scrutinio, & electione, quid proxime ſequi debeat.

ELecti Confirmatio, quam rectè definiet quiſquis illam electionis factæ, à Superiore approbationem dixerit, quæ electo ius in beneficio conferat. Eſt autem approbatio, ſuperioris iudicium, declarantis rem probe & legitime factam eſſe, & ad eam ſuffragium quoque ſuum afferentis, eamque quaſi adhuc pendentem, & fluctuantem ſtabilientis. Et quia temerè facit ac imprudenter, quiſquis ignota, ſibique non perſpecta approbat, id in primis laborare confirmantem oportet vt intelligat, ecquid ijs ſit electus, animi corporiſque dotibus, quæ Prælatum decent, an quid inter eligendum admiſſum, quod eſſet decretis Pontificum non conſonum. Inquiret hic ergo, tam de electionis proceſſu quam forma, an fuerit canonica, an ſolemniter, ac iuxta canonis *quia propter* regulas, ac præſcripta, celebrata; an electus ſit idoneus, quam ad rem, quatuor ſunt requiſita, ætas legitima, morum honeſtas, literatura ſufficiens, & vt de legitimo matrimonio ſit ſuſceptus Gregor. XIV. in Bulla quæ incipit, *Onus Apoſtolicæ ſeruitutis*. Eſt autem hæc Legatorum S. Sedis aut Nunciorum in ſuis prouincijs diſcuſſio propria, qui ſi forte tum nulli in ijs erunt, committetur ordinarijs, non eorum Auditoribus aut Vicarijs alijſue miniſtris, cum per ſeipſos munus hoc inquirendi exercere iubeantur à Pontif. loco proxime cit. *Si tamen Prælatus inquirens per ſe non poſſet ob locorum diſtantiam teſtes examinare circa articulum aliquem, vt legitimos natales, vel ætatem, licebit ei articulum illum alteri perſonæ in dignitate conſtitutæ ſubdelegare, non autem vniuerſam inquiſitionem*: hæc Greg. Quam illico, eiuſque proceſſum omnem, qui inſtituerit, Romam ad Pontific. confirmationis impetrandæ gratia, electio ritè examinato & probato mittet. Nec dicere negliget, an 30. ætatis annum compleuerit, *cap. cum in cunctis 7. de elect.* an in Theolog. vel iure canonico ſit Doctor, vel ſaltem publico alicuius Academiæ teſtimonio ad alios docendos iudicatus ſit idoneus; an ſit bonæ famæ, vitæque integræ, an in Eccleſiaſticis ſit functionibus verſatus: nam de his omnibus doceri Pontificē oportere monet Greg. XIV. in Bulla citata.

Addebantur & alia pleraque, quæ non ſunt modo in vſu, vt de patria, de Doctoribus, quibus puer aut adoleſcēs operā dediſſet, num rerum alienarum procurationem geſſiſſet vnquam, num geſtorum rationem fideliter domino reddidiſſet, affirmanti ære ſe alieno non teneri, accedere debebat ad fidem, eius, cuius procurator fuerat, fides ac authoritas. Sic enim de Willeberto ab Hincmaro, adſiſtentibus Prouinciæ Epiſcopis, examinato, vt Catalaunenſis ordinaretur Epiſcopus. *Quia miniſteria domni regis habuit, requiſiuimus ſi idem Dominus Rex ab eo aliquid repetit, vel repetere debeat, vnde nobis ſua voluntas neceſſaria foret, & porrectæ ſunt literæ cum ſigillo domni regis, continentes quod de omnibus quæ illi commiſſt optime rationem ei reddiderit, & nihil ab eo repetebat, & nunquam repetere debebat:* vbi de patria, doctrina ac fide examinati cōſtiterat, de eo intelligere volebat examinans, ecquid caſte, piè ac religioſe viuere amodo vellet, ecquid ſubditos docere, ſacrarum literarum pabulo eos alere, domi ad eorum, Eccleſiæque commodum manere poſtmodum, niſi cum abeſſe eſſet neceſſe, animum induceret, quæ placere ſibi omnia, facturumque pro virili ſua vbi reſponderat, libellus in quo fidei ac profeſſionis Catholicæ præcipua continebantur dogmata, porrigebatur ab eorum aliquo, qui examini præſentes erant, *vt legeret coram omnibus quæ in eo ſcripta erant, & ſi ita credere, ac tenere vellet, manu ſua ſubſcriberet, & Archiepiſcopo ſuo habenda traderet*: ita formula promotionum quæ numero eſt vndecima in *2. tomo Concil.* P. Sirmundi, & deprompta ex codice manuſcripto Leodienſi.

His peractis, dies, hora ac locus futuræ ordinationis, ab eo qui facturus illam erat, ordinando dabatur Antiſtiti, prius commonito, ne ſe ad diuina offerret myſteria, niſi purgata à culpis conſcientia, ſic enim hæc explico, quæ in formula promotionis citatā leguntur, his verbis: *Commonitus eſt idem Wilbertus ab Archiep. ſuo Hincmaro, vt ab infantia ſua per ſingulos gradus ſuos, prænunciaret Domino vitam ſuam, quatenus in denominata die ad tanti oneris dignitatem, gratioſius accedere valeret.*

QVÆSTIO IX.

Quo præſente, ac conſcio, fieret ea Epiſcopi electi examinatio.

VT Metropolitani, hoc eſt, Archiepiſcopi munus hoc erat propriú, de moribus, vita, & eruditioné ordinandi inquirere, ita & cæterorum Antiſtitū, qui ei vt Patri in Prouincia debebant obſequi, in tanto tamque neceſſario ad Dei gloriam opere, præſentes ſe ſiſtere. De plebe & Clericis, eſt in citata iam ſecúdò promotionū formula, locuples teſtimoniú, nam ibi habetur Willebertum *pleniter fuiſſe examinatum coram Epiſcopis & coram clero ac plebe.* De Epiſcopis Metropolitani ſuffraganeis, eſt item in eo indice, his verbis: *Conuenientibus apud Cariſiacum pro examinatione Willeberti Presbyteri, qui futurus erat Catalaunenſ. Epiſcopus, Hincmaro Diœceſis Remēſium Archiep. item Hincmaro Laudunenſium Epiſc. Hodone Belgiuacorum Epiſc. cum legatis, Hrotaldi, Erpoini, Hilmeradi, Raginelmi & Joann. eiuſdem Diœceſis Coepiſcoporum, vicem eorundem patrum ſuorum, cum tractorijs, ſicut regulæ præcipiunt, exhibentibus.* His adiuncti erant Vuenilo Rothomagenſium Archiep. Herardus Turonorum Archiep. Egilo Senonum cum ordine, Clero, & plebe Catalaunica, decretum Canonicum manibus ſingulorum roboratum ferente, Willebertumque quondam Sacri Palatij Presbyterum à ſe electum, ab Hincmaro & eius Epiſcopis petente ſibi ordinari.

QVÆSTIO X.

A quo electi confirmatio peti debeat.

A Superiore, & quidem iure communi electum Abbatem, & non exemptum, confirmat Epiſcopus 18. *q.* 2. *cap. hoc tantum,* Epiſcopum Metropolitanus, *cap. cum dilectus de elect. cap. Epiſcopi* 1. *diſt.* 64. Metropolitanum Patriarcha, vt colligitur ex *cap. antiqua de priuil.* canon tamen, *quia per ambitiones* 6. *diſt.* 64. eum confirmari vult ac ſacrari à comprouincialibus Epiſcopis, ſequenda eſt cuiuſque loci ac Prouinciæ conſuetudo.

Quid de Patriarcha? eum confirmat Pontifex, cum *omnes ſiue Patriarchij apices, ſiue Metropoleon primatus, aut Epiſcopatuum cathedras, vel Eccleſiarum cuiuſlibet ordinis Romana inſtituerit Eccleſia, diſt.* 22. *can. omnes* 1. *can. ſuperior diſtinct.* 21. *can. nullus omnino* 16. *qu.* 7. *& cap.* 13. 23. 32. *extra de elect. & cap. ſi Abbatem,* 36. *eod. titulo in* 6.

At enim quando ſe confimandum offerre Metropolitæ electus debet?

A *Intra tres menſes poſt conſenſum electioni de ſe celebratæ præſtitum: quod ſi iuſto impedimento ceſſante, intra huiuſmodi trimeſtre tempus omiſerit, electio eadem, eo ipſo viribus vacuetur. cap. quamuis Eccleſia* 6. *de elect. in* 6.

QVÆSTIO XI.

Quando oporteat Electum conſecrari, & à quo.

B COnfirmationem ſequitur conſecratio, hoc eſt benedictio, quæ cum ad eum pertinebat, qui electum confirmauerat, ſtatim poſt factam eius confirmationem, celebrari conſueuerat. Florens in *titul. de elect.* eſtque ex formula promotionis Willeberti Catalaunenſis Epiſcopi perſpicuum, in qua habetur, Biduo poſtquam ab Hincmaro examinatus fuerat, ab eo cæteriſque comprouincialibus Epiſcopis, ſacratum eſſe. Id fieri ſi per cauſam iuſtam non poterat, confirmato, trimeſtre ad conſecrationis procuranda ſibi C ſolennia, iure permiſſum erat, *can. quoniam diſt.* 100. intra quod id ſibi beneficium ex negligentia ſi non quærebat, fructus reſtituere iubebatur, quos toto eo tempore perceperat: Piaſec. *parte* 2. *prax. Epiſcopalis, ca.* 1. *num.* 21. *de elect.* quod ſi ſimiliter infra tres menſes alios, conſecrari negligeret, erat ipſo iure, ſua priuatus Eccleſia, Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 2. *de reformat.*

Verum enim, cuius erāt hæ partes propriæ, Epiſcopum confirmatum ſacrare? Dixere nonnulli fuiſſe has Primatis, quod Leo Papa D inſinuat in epiſt. *ad Anaſtaſ.* 82. vt refertur, *can. de perſona* 4. *diſt.* 95. cum à Metropolitano vult Primatem edoceri de conſecrando Epiſcopo, *vt ordinationem ritè celebrandam eius confirmet authoritas.*

Papæ Leonis decretum confirmant ad Hugonem Papæ Legatum, & Primatem Lugdun. datæ ab Iuone literæ, in quibus de eo queritur quod contra priſca Regni iura vellet Senonenſ. *electum, ante conſecrationem ſuam ſibi præſentari, & iure Primatus ſui obedientiam & ſubiectionem profiteri:* Iuo *ep.* 65. in quo Patrum qui Carthag. Concilio 2. in- E terfuerant, authoritate niti videbatur Hugo: ſic enim illi *can.* 12. eiuſd. Concil. *Placet omnibus, vt inconſulto Primate cuiuſlibet prouinciæ, tam facile nemo præſumat, licet cum multis Epiſcopis, in quocunque loco, ſine eius præcepto Epiſcopum ordinare.*

Sed Primatem in his & ſimilibus locis pro Metropolita, accipi contendit Florens: quod ſecundum Africanæ Eccleſiæ conſuetudinem, qui in ſingulis prouinciis Epiſcopus eſſet ordinatione antiquior, diceretur *Primas ſeu primæ ſedis Epiſcopus,* in Concilis autem *Metropolitanus.*

Metropolitanus.

Eum ſane veteri Concilior. Eccleſiæque vſu, Epiſcopos conſecrare ſolitum, aut eius mandato Comprouinciales Epiſcopos omnes, aut ſaltem tres eorum, reliquis aſſentientibus per literas, ſcriptores memorant, iubentque id Patres in Concil. Nicæno 1. *can.* 6. Laodicænum *can.* 12. Carthagin. *can.* 12. *Epiſcopum* (inquiunt) *non oportet præter. iudicium Metropolitani & finitimorum Epiſcoporum conſtitui ad Eccleſiæ principatum*, Laod. *can.* 12. *quod ſi præter voluntatem & conſcientiam Metropolitani fuerit ordinatus, hunc concilium magnum & ſanctum cenſuit non debere eſſe Epiſcopum*, Nicæn. *can.* 6.

In Gallia tamen vt omnium ferè Prælatorum nominatio ſoli eſt Regi à Leone X. permiſſa, ita & Pontifici ſoli eorum eſt confirmatio, ſeu inſtitutio debita, in cæteris autem proprio Apoſtolicæ ſedis iure, eiuſdem confirmatio præualet, ſi prior aditus fuerit, quia concurrit in poteſtate & iuriſdictione cum ordinariis omnibus, eiuſque, quam illorum eſt collatio potior, *can. cuncta per mundum can. per principalem* 6. *q.* 3. *cap. ſi à ſede* 31. *de præbend. in* 6. Electos ſane Pontifex tam ſponte ipſe ſua, quam eorum adductus prece, confimabat olim cum volebat, de quo Vrbani II. ad Archiepiſcopum Senon. extant literæ, ſic enim cum de Iuone loquitur *epiſt.* 2. *Cum à te conſecrationis gratiam pro more petiuiſſent, tua ei fraternitas manum imponere recuſauit. Ad nos igitur ipſis venientibus, & conſecrationis eiuſdem gratiam depoſcentibus, nos qui viri religionem iamdudum noueramus, petitioni iuſtæ deeſſe nequiuimus, &c.*

Sunt autem in ordinatione Epiſcopi eæ ſeruādæ ceremoniæ, quas adhiberi in Dei Eccleſia eſt ſolenne: & primo quidem eum ordinari oportet à tribus Epiſcopis, è quibus duo ſuper eius ceruicem & caput ponunt & tenent Euangeliorum codicem, tertio ſuper eum fundente benedictionem, *Conc. Carthag. can.* 2.

2. Epiſcopi qui adſunt, eiuſdem caput *manibus* ſuis tangere debent, *can. Epiſcopus* 7. *d.* 23.

Tertio, chriſmate in capite & manibus ab eo qui illum conſecrat, vngitur, quam vnctionem eiuſdem ordinationi intrinſecam ac eſſentialem eſſe, colligitur ex his Innoc. verbis in decret. *de ſacra vnctione cum veniſſet ad Apoſtolicam ſedem Braccarenſ. Epiſcopus, qui in conſecratione ſua ſanctam non acceperat vnctionem, quoniam apud vos non conſueuerunt Pontifices cum conſecrantur inungi, nos quod illi defuerat mandauimus in ipſo ſuppleri facientes, caput eius & manus aſſiſtentibus duobus Epiſcopis, ſecundum morem Eccleſiaſticum ſacro chriſmate deliniri.*

Quarto, non niſi die Dominica ad horam diei tertiam, ordinari Epiſcopum vetat Anacletus in *epiſt. ad Epiſcopos Italiæ*, mitto cætera, quia ex Pontificali cuique ſunt obuia.

Ne cui tamen foret ordinati conſecratio dubia, literas manu ſua ſubſcriptas, ad populum & Clerum à quo electus fuerat, Ordinato dabant Epiſcopi qui conſecrauerant, vt his cum opus eſſet, vteretur ad fidem de re vniuerſa faciendam ambigentibus, ſic enim *Concil. Mileuit. canon* 14. his verbis: *Deinde placuit vt quicunque deinceps ab Epiſcopis ordinantur, literas accipiant ab ordinatoribus ſuis manu eorum ſubſcriptas, continentes conſulem & diem, vt nulla altercatio de poſterioribus, vel anterioribus oriatur.*

QVÆSTIO XI.

An de digniſſimo fieri debeat electio.

ASſertio prima. *Qui indignum ſuffragio ſuo, hoc eſt, ignorantem, hoc eſt, improbum, aut ex illegitimo ortum concubitu, vel ætate necdum idoneum, vel non facturum officium, ad curata beneficia aduocat, aut hæc ei confert, cùm alius haberi poteſt ad eorum regimen, natura, cæteriſque aptus artibus, quas canonica iura poſtulant, culpam mortalem contrahit.* Docent hoc Theologi ingenio præſtantes ac doctrinâ. Malderus *de benef. dub,* 6 S. Thomas 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. Reginald. *tom.* 2. *lib.* 30. *tract.* 3. *cap.* 14. *n.* 195. Candid. *de benef. diſquiſ.*

Tuetur ſe hæc opinio ratione, Conciliis, ac Pontificum decretis. A poſtremis ordior; duo ſe præcipuè offerunt, Alexand. III. & Pius V. ille *in cap. graue nimis* 29. *de præbendis*: alter in Conſtitutione, quæ incipit, *In conferendis*. Quibus locis ſeuerè ambo prohibent ne collatores, aut alij, quibus ius eſt eligendi, beneficio præficiant, moribus ac vitâ turpem. Quod ſanè ab iis ſine culpa fieri non poſſe, indicant Patres in Trident. *ſeſſ.* 24. cap. 1. Eodem pertinent argumenta ſequentia, Primum, eſt indigni electio, aut collatio beneficij ei facta, fidelitati contraria; nam id laborare Epiſcopos eſt neceſſe, nequando (quod ſe impedituros ſunt polliciti) rem Eccleſiæ peſſundent: at eam euertunt electione indigni: faciunt ergo electores contra officium & fidem.

Deinde contra iuſtitiam commutantem in re graui, vtpote qui Eccleſiæ operam minimè deferunt, ſtipendiis parem, quibus donantur, vt eius commodis inuigilent. Faciūt etiam contra iuſtitiam diſtributiuam; nam bona communia ſunt pro ratione meriti diſtribuenda inter eos, quibus ad ea ius eſt aliquod: iuſtitia enim diſtributiua virtus eſt, per quam ſeruatur æqualitas inter proportionem meriti, & proportionem præmiorum in eorum diſtributione, aut bonorum cōmunium: ſed beneficia bona ſunt communia, quibus eò quiſque eſt dignior, quo eſt melior ac doctior, quod indignus non habet: eum ergo digno præponere, non vacat crimine, oppoſito diſtributiuæ iuſtitiæ.

Fuere tamen olim qui ſecus crederent, vt de aliis taceam, eſt locuples ea de re conceptúmque his verbis teſtimonium

Bartholi in *l. quidam 2. digeſt. de legatis.* A *Ex hoc nota quod licet committatur electio in aliquem, tanquam in bonum virum, non reprobatur eius electio, licet potuerit eligere meliorem, ſufficit enim quod indignum non eligat.*

Id ſi eſt ſatis, ſane Doctoris huius opinione ac ſenſu, non peccabat ante Concil. mortaliter, qui dignũ digniſſimo, & digniore præteritis, adminiſtrando beneficio præeſſe volebat.

Dixi, *ante Concil.* nam poſt eius decretum in *ſeſſ. 24. cap. 1. de reformat.* & Pij V. conſtitutionem, de qua dictum eſt antea, ſi de electione eius agitur, qui præficiendus eſt beneficio Curato, ſi magis digno prætermiſſo, eligatur minus dignus, eligens aut conferens peccatum mortale contrahit, & eſt electi ad beneficium tale, aut prouiſi de eo, in Comitoli ſententia, *reſponſio. lib. 1. q. 77.* reprobanda, non quia ipſo iure eſt nulla ſed quia irritanda.

Aſſertio ſecunda, *non peccant mortaliter qui ad beneficia ſimplicia vt canonicatus, dignos eligunt, aut hæc illis adminiſtranda tribuunt, non autem digniſſimis, aut dignioribus, ſed tantũ venialiter.* Ita authores poſtremo loco cit.

Et probatur 1. quia talis eſt collatorũ praxis, quos omnes culpæ in hoc genere mortiferæ arguere, eſſet imprudentiæ non leuis.

Secundo, *exceptio in non exceptis firmat regulam,* Sed à beneficiis, quæ dignis dari nequeunt, cum eſt digniorum copia, excipiuntur ſola curata, vt & Epiſcopalia, ſicut ex *cap. 1. ſeſſ. 24.* nulli nõ poteſt planum: ergo alia, quæ ab his ſunt diuerſa, vt ſimplicia, non neceſſario dignioribus ſunt debita.

Quid? quod in *ſeſſ. 24. c. 12.* Concilium cum de beneficiis Cathedralium conferendis diſputat, non niſi eorum partem mediam magiſtris ac Doctoribus conferendam ſuadeat? quod eſt indicio illud voluiſſe, partem eorũdẽ alterã, dignis poſſe ab Epiſcopis mãdari.

Et quanquam eſſet: hoc argumentum, vtpote in coniectura ſitum, roboris ad faciendam fidem non magni, ad eam tamen valeret non parum, quod Romæ à Pontifice fieri eſt ſolitum, cum enim communiter præbendas cum vacant, dignis non neget, crimini dari, nequit Epiſcopis, ſi eorum ſimiles, hoc eſt, ſcientia, virtute & moribus idoneos, Canonicis aggreget, aut beneficio ſimplici præficiat, quia iura antiqua nõ ſunt reſpectu eius, ita plana vt in curatis, quæ ſi eſſent (inquit Diana loco citato) adhuc oppoſitum videretur introductum, & ipſemet ſummus Pontifex prædicta beneficia ſimplicia dignis confert abſque concurſu, & hoc modo videtur abrogata conſtitutio iuris antiqui. Hæc ille.

Dixi *ad canonicatus & beneficia ſimplicia*: nam quæ animas curæ ſuæ ac procurationi commiſſas habent; ſic ſunt decreto Concilij & Pij V. affecta dignioribus, vt ab eo diſcedere, Epiſcopis & electoribus ſit piaculare.

Scio quoſdam ſecus ſentire, ſed eorum iudiciũ, ſenſumque Innocentio, & Patribus, iuſte anteponendum quis putet? ſuum explicauere iſti, *in ſeſſ. 24 cap. 1.* ſuum ille in *cap. vnico tit. vt beneficia ſine diminut. conferantur,* his verbis, *Non ex affectu carnali, ſed diſcreto iudicio debuiſti Eccleſiaſticum officium & beneficium in perſona magis idonea diſpenſare.*

QVÆSTIO XII.

An qua lege Epiſcopi & electores, eadem quoque teneãtur Principes, dignis anteponere digniores?

PRo affirmante ſunt hęc argumenta.

Primum, quod ad eos peræque ac B Epiſcopos pertineat hæc Concilij admonitio in *ſeſſ. 24. cap. 1. Omnes & ſingulos qui ad promotionem præficiendorum, quodcunque ius, quacunque ratione, à Sede Apoſtolica habent, aut alioqui operam ſuam præſtant, hortatur, & monet vt in primis meminerint, nihil ſe ad Dei gloriam, & populorum ſalutem poſſe vtilius facere, quam ſi bonos paſtores promouere ſtudeant, eoſque alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis vtiles iudicauerint, præfici diligẽter curauerint.*

C Secundum, quod cum eorum plerique, electoribus, eorumque iuri ſucceſſerint, quo illi nexu, vinculoque ſtringebantur erga Eccleſiam, vt eam non niſi digniſſimis regendam traderẽt, eodẽ hos quoque aut ſimili obligari eſt neceſſe, cũ qui honorũ, idẽ eſſe quoq; particeps onerũ debeat. Quare exiſtimat Leſſ. *l. 2. ca. 34. dub. 14. n. 64.* peccare mortaliter, qui ad beneficia curam animarum vel aliam magni momenti functionem habentia in Eccleſia, omiſſo digniore, dignum poſtulant, eligunt, aut patrono offerunt, & *dub. 12. num.* D 56. idem de Patronis dicendum ait, qui quos dignos eſſe, per viros probos & idoneos, certo non intelligunt, ad beneficia offerunt.

Huius opinionis eſt & alterum præſidium, prioribus non infirmius, nempe quod Principes, beneficiorum non ſint Domini, ſed Oeconomi, vt hi ergo officium non faciunt, cum quorum negotia gerunt ac promouent, hæc quam poſſunt optimè non agunt, ita nec collatores, cum dignantur Eccleſiæ beneficiis, quos non conſtat, cæteris ſcientia, moribus, induſtria, ac virtute priores eſſe, nec his proinde ab arte, aut natura inſtructos præſi- E diis, quæ ad rem communem Eccleſiæ, eiuſq; priuatã cui præſidẽt, bene & prudenter adminiſtrandam, vitiis non corrupta ratio exigit.

Ab his diuerſa ſentiunt, ac dicunt Antonin. Diana *par. 1. tract. 15. miſcell. reſol.* 40. Reginald. *to. 2. lib. 30. tract. 3. cap. 14.* Prioris ſunt hæc verba. *Qui ius habent conferendi beneficia per prouiſionem liberam, vt Papa, ac nonnunquam Princeps ex priuilegio, vel conſenſu tacito Eccleſiæ, non tenentur eligere digniores, niſi in promptu ſint, ſed ſufficit eligere dignos, alioqui tenerentur ſemper digniorem quærere, quod à Papa, vel à Regibus exigere durum eſt.* Hæc ille: quæ non videntur à vero aliena, prior tamen

men

men ſententia vt tutior: ita mihi quoque A ſequenda videturin praxi.

QVÆSTIO XIII.

Vnde petenda ſit beneficiariorum ad beneficia dignitas, & quis ſit in hac materia cenſendus alio dignior?

Eſt dignitas in hoc genere idem ac capacitas, fungendique officii vis ac facultas, quam multa, naturâ inter ſe, ac genere differentia componunt: vt eruditio, probi- B tas morum, auctoritas, vſus, experientiaque longa rerum in procuratione mentium, quæ tam naturę, quam humanæ dona induſtriæ, in vnum eundemque cum coeunt, dici vix poteſt quantam in ſubditorum animis commotionem faciant, quantam, & quàm vberem bonorum omnium meſſem in Eccleſiæ horreum inuehãt. quare cum rarò in vno eodemque coniuncta, ſocietatem firmam ac ſtabilem habeãt, eſt hæc in iudicio de cuiuſque capacitate maiore aut minore faciendo, tenenda cautio: primo vt C intelligatur, quid, & quantum beneficii cuiuſque ratio poſtulet, quibus vt fructuoſe adminiſtretur, ac cum laude, præſtare eius poſſeſſorem artibus oporteat, quædam enim ſunt Sacerdotia, quæ authoritate reguntur ac potentia, vt ſunt Epiſcopatus ferè omnes inferioris Germaniæ, qui hæreticorum inſeſſi armis circunſtrepunt, ad hos enim eſt hoc quiſque cenſendus capacior, quo eſt opibus, genereque illuſtrior.

Sunt alia, quæ pietate adminiſtrantur, ac rerum multiplici ſcientia, vt Parochiæ, & has nobilibus dari non multum eſt neceſſe, quia D dignitas quæ ad beneficia regenda in vnoquoque petitur, non eſt, inquit D. Thom. 2. 2. *q. 63. art. 2.* dignitas ſimpliciter, & ſecundum ſe, quo modo dignior eſt, qui eſt charitate perfectior, *& magis abundat in ſpiritualibus gratiæ donis, ſed per comparationem ad bonum commune.* Id ibid. Et ideo inquit idem Doctor 2. 2. *q. 185. art. 2. in corpore qui debet eligere aliquem in Epiſcopum, vel de eo prouidere, non tenetur aſſumere meliorem ſimpliciter, quod eſt ſecundum charitatem, ſed meliorem quoad regimen Eccleſiæ, qui ſcilicet poſſit Eccle-* E *ſiam & inſtruere, & defendere, & pacifice gubernare*: ad hoc enim bonum commune beneficia cum ordinentur ex rei natura fieri poteſt, vt doctus ſanctiori idiotæ præferri debeat, expertus meliori, qui tamen rerum vſu, experientiaque non pollet, eo quod, inquit D. Thom. 2. 2. *q. 63. art. 2. ille qui minus eſt ſanctus, & minus ſciens, poteſt magis conferre ad bonum commune, propter potentiam, vel induſtriam ſecularem, vel propter aliquid huiuſmodi: & quia diſpenſationes ſpiritualium principaliter ordinantur ad vtilitatem communem ſecundùm illud 1. ad Cor. 12. vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem, ideo quandoque abſque acceptione perſonarum in diſpenſatione ſpiritualium, illi qui ſunt ſimpliciter minus boni, melioribus præferuntur.*

QVÆSTIO XIV.

An de improbo ad beneficium electio, aut eiuſdem eidem per Epiſcopum facta collatio ſit rata.

Ad beneficia aſſilire nonnunquam homines, innocentis vitæ falſa opinione, & quadam aſſimilatæ virtutis ſpecie, cum ſint tamen infinitis contaminati vitiis, notius eſt quàm vt à me dici ſit neceſſe. De his hominibus præſens eſt quæſtio, an ſacerdotia quæ ementita probitate ſic ſunt adepti, tuta conſcientia retinere poſſint, ſeu an ea capeſſere valeant, cum ad illa, per electores, aut collatores vocantur.

Fuitque Canoniſtarum opinio, eius qui mortiferam labem habet, electionem nullam eſſe, ita Butrius in *ca. poſtremum de Clerico excomm. 16.* Innocent. quoque *in idem caput*, electionem eius, qui ſcienter indignum eligit nullam eſſe pugnat. Mens fuit eadem Panormit. in *ca. graue nimis de prabend. 39.* Immolæ in *eand. decretal.*

Quibus ne aſſentiar maximè ſi eſt crimen occultum, his inducor argumentis.

Primo, quod nuſquam à Pontifice, aut Conciliis declarata ſit inanis ac nulla eius electio, qui vitia ſua falſa virtutis emendicatæ imagine texiſſet, quod eſſet tamen neceſſe, vt facta de eo electio foret nulla. Sane conſtat decreto Gregor. X. in Concil. Lugdun. vt eſt in *cap. licet canon 14. de elect. in 6.* Alex. III. in Concil. Later. relato in *cap. cum in cunctis 7.* ad regimen Parœcialis Eccleſiæ neminẽ aſſumi poſſe *niſi ſit idoneus moribus, ſcientia, & ætate*, eius tamen ad illam promotionem, ex alio quam ætatis defectu, reprobari non legimus, vt ex vtroque canone liquet.

Secundo, ſi eſſet criminoſi electio, iure ipſo, factoque nulla, cum quæ latent ſciri nequeant, niſi ab eorum conſcio producantur in lucem, aut eũ cũ magna ſua infamia ſe prodere eſſet neceſſe, aut beneficio ſine ſententia decedere. Ad quæ tamen naturali, diuina aut Eccleſiaſtica cũ lege nõ teneri, nemo eſt tam parũ intelligens, qui non ſciat, & probabitur poſtea. Sequi vero duo hæc incommoda, aut eorum alterum, fit hinc planum, quod in hac tam ingenti, auidaque ſiti Eccleſiaſticorum redituum, qua vruntur plerique omnes Catholici, eos nolle, aut Sacerdotia quæ illos vbere, fœcundoque fœtu pro generant ſponte

nulloque cogente crimine relinquere, nemo credet: eſt hic ergo venturus certò in eius ſuſpicionem, ſi iniuſtius beneficium deferat, cum infamia aliqua, non eſt ergo de criminoſo facta electio irrita.

Confirm. tam ſunt decreto Concilij, & Pontific. Pij V. digniores, hoc eſt vſu rerum, ſcientiaque cæteris præſtãtes viri, præficiendi beneficijs, quam qui probis inſtructi ſunt moribus: at cum illorũ præ dignis, nulla habetur ratio, nõ eſt iſtis facta ſacerdotij collatio irrita, ſed irritanda. Nam licet conſtitutio Pij V. quæ incipit *conferendis edita* 1566. 21. Martij Pontificatus ſui anno 1. collationes in quibus non eſt ſeruata forma à Concil. Trid. præſcripta in *ſeſſ. 24. cap. 1. de reform.* vt inanes, ac ſine vi reprobet, liquet tamen ex eadem conſtitutione, ſecus ſi factum fuerit, nec digniori ſit beneficium collatum, collationem nullam non eſſe, ſed annullandam: ergo à pari, ſi erit ad beneficium, errore conferentis, aut eligentium, admotus, è Clericorum gente, ſcelere contaminatus aliquis, non erit eius promotio irrita, ſed reſcindenda.

Dico tamen ſecundo, *Crimina quæ ſunt publica, iter ad Sacerdotia Eccleſiaſtica intercludere.*

Probatur, Non eſt infamis infamia iuris, aut facti, capax beneficij. At crimina quæ ſunt publica, infamiam authori ſuo creant, vel enim ſunt talia, quia poſſunt in foro teſtium probari fide, aut ſunt communi, publicáque omnium comprehenſa conſcientia: at vtroque modo cum ſunt publica, infamiam adiunctam habent, quæ ab irregularitate nunquam eſt ſeiuncta, qua qui laborat, ad ſacerdotia Eccleſiaſtica non intrat, ſecundum Nauar. in ſumma *cap. 25. nu. 133.* vbi tribus ſacris canonibus probat, eum qui ſciens ſe eſſe irregularem, aut ſcire debens, ſacerdotium Eccleſiaſticũ capit, mortiferi peccati reum eſſe, nec vllũ eſſe accepti beneficij titulum: & quanquam non eſſet hæc Nauar. opinio vera pro interno foro, vt Butrio explananti, Innoc. III. decretalem *can. noſtris de conceſſione præb.* placuiſſe video: ibi enim credit non fieri irritam ipſo iure collationem beneficij, factam irregulari, ſed tantum in foro exteriori, quod probare videntur hæc verba Concil. *ſeſſ. 22. cap. 4.* in extremo. *Nec aliis in poſterum fiat prouiſio, niſi iis qui iam ætatem, & cæteras habilitates habere integre dignoſcuntur, aliter irrita ſit prouiſio,* hæc enim phraſis, *ſit irrita,* niſi addatur, *ipſo iure aut facto,* iuxta modum loquendi canonum, ſententiam ferendam potius indicat quam latam, etſi (inquam) non eſſet per delicta publica collatio irrita, ſed irritanda tantum, vera tamen foret aſſertio, eorum conſciis omnem ad beneficia aditum clauſum eſſe, cum idem ſit ea aſſequi non poſſe,

A ſeu ad illa eſſe inhabilem, & his priuari poſſe.

Dico tertiò, *Qui viri boni præ ſe ſpeciem cum ferrent, eſſent tamen improbi, beneficium ſunt conſequuti, in eo remanere poſſunt, donec per Iudicem cogantur illud dimittere.*

Quia cum illis ſit collatum, ab eo qui poterat, nec eius obtinendi, ſint iure factoque, incapaces, nihil eſt rationis, quamobrem ſponte, & non coacti à Iudice, eo abire debeant, ac poſſidendum alteri linquere.

Confirm. Rem nemo quæ iuris eſt ſui deſerere, fruendamque alteri tenetur dare, ſed B qui inani, & falſa oſtentatione virtutis, beneficium eſt adeptus, eius eſt poſſeſſor legitimus, quamdiu per iudicem ſeruare illud ſinitur: primo, quia eſt ei à Superiore vero collatum: ergo cum collatio ſit donatio, hæcque in donatarium, rei donatæ ius ac fructus, tanquam ſuo poſſeſſori tribuat, erit prouiſus de beneficio ob virtutem, quam habere ſe fingabat, eius ſic ſibi collati ab Epiſcopo, iure quam optimo poſſeſſor.

Contraria opinio eſt Adrian. *in qq. de reſtit.* Alens. *in 4. par. q. 24. memb. 5. art. 5.* Altiſiod. *in 4. lib. ſuæ Theol. ſumma in qq. de reſtit. q. 7.* C hæc pro ſe habent argumenta.

Primum, quod qui ementita, fictaque virtute ſacerdotium obtinuit, Eccleſiæ impoſuit: ergo cum reparandæ iniuriæ neceſſitatem fraus afferat, debet hæc extra aleam, dãnique periculum poni: At eſſe id nequit, niſi ſacerdotio eius poteſtati, iurique relicto, ad quem eius ſpectabat collatio.

Anteced. eſt falſum, quia qui beneficium ambit, Epiſcopum non decipit cum ius hic nullum habeat, vi cuius ille hoc eſt beneficium poſſidens culpas ſuas prodere, ſeque D teneatur manifeſtare cum infamia. Itaque ſi ſe deceptum Epiſcopus queritur, ſibi ipſi imputare debet, qui, quod erat neceſſe, de vita, moribus, ac indole beneficium ſibi dari poſtulantis, doceri per alios non curauit.

Deinde eſt dolus omnis, calliditas, fallacia, & machinatio ad circumueniendum, decipiendum & fallendum alterum compoſita, quale hic nihil interuenit, eſt enim fallacia in verbis mendacibus, machinatio in eorum artificio, calliditas in reticendo, quod eſſet detegendum. At qui ad beneficium E per hypochriſim aſpirat, poteſt de ſe nihil dicere, & vitia ſua non tenetur vulgare: dolo ergo, in Eccleſiæ beneficia irrepſiſſe, ac collatori feciſſe fucum, fraudemque, dici non poteſt.

Secundum, fraus ſua patrocinari nulli debet: ergo nec criminoſo quæſita per hypochriſim virtutis opinio.

Reſpondendum primo, nullum hic dolum intercedere, vt eſt paulo ante oſtenſum.

Secundo, cum dicitur, dolo ſuo iuuari debere

bere neminem, de dolo intelligitur, qui doloſo dantaxat eſt vtilis, at quod beneficium ab eo, qui per ſpeciem virtutis illud obtinuit, ante ſententiam dimitti nequeat, in fidelium vtilitatem cedit ac commodum, quum quæ ab eo ſunt geſta, rata ſint futura ac valida, quod non accideret, ſi cui Parochia eſt ab Epiſcopo collata, quia probus credebatur, cũ animo tamẽ eſſet improbo, menteque corrupta, Parochus non eſſet, ſic enim confeſſiones ab eo exceptæ, matrimoniaque quibus præſentiam ſuam commodaſſet, inania nullaque eſſent, quod multis exitiale foret.

QVÆSTIO XV.

Electi obligationes quæ ſint, & quales?

SVnt hæ nomine, reque multiplices; primo intra mentem, electionem de ſe factam acceptare debet, eique conſenſum dare vel recuſare, alioqui iuſto impedimento ceſſante, iure quod ei ex electione competebat excidit, *cap. quam ſit Eccleſiæ 6. de elect. in 6.* quod ius eſt ad rem tantum, non in re, Innoc. III. *in cap. cum veniſſent de reſtitut. in integrum*, Pialecius in *proœmio prax. Epiſc num. 5. de elect.*

Secundo, trimeſtre quod erat olim, petendæ confirmationi factæ de ſe electionis, à Greg. X. electo conſtitutum, à Nicol. III. eſt ad mentem contractum, *cap. cupientes 16. de elect. in 6.* eſt hæc ergo ſecunda obligatio electi ad Cathedrales aut regulares Eccleſias, vt *intra vnum menſem poſt conſenſum, vel poſt obtentam de ipſius electione notitiam, ad ſedem ipſam iter arripiat, aut quàm citò abſque fraude poterit*, quod ſi non licebit, mitti Procuratorem oportebit, qui eius abſentiam excuſet, eiuſque nomine confirmationem poſtulet, *cap. cupientes* citato, quia magnis tamen locorum interuallis ſunt à Romana Eccleſia particulares diſſitæ, nec ſit facile vlli, vno menſe, è Germania, Gallia, Hiſpania ſuperatis Alpibus aut Apennino, penetrare Italiam ac vrbem, Gregor. X. viſum eſt in Lugdun. Concil. tres ad eam rem electo menſes largiri, intra quos officio ſi non fungitur, eo ipſo eius electio viribus priuatur: *Cæterum*, inquit Pontifex, *quiuis electus intra tres menſes poſt conſenſum electioni de ſe celebratæ præſtitum, confirmationem electionis ipſius petere non omittat. Quod ſi iuſto impedimento ceſſante intra huiuſmodi trimeſtre tempus omiſerit, electio eadem eo ipſo viribus vacetur.*

Tertio, ad Epiſcopatum, aut Regularia, beneficia electus, ſi iure aut conſuetudine confirmari à ſancta ſede conſueuit; electus (inquam) ante confirmationem ſui à ſancta ſede, & electionis de ſe factę, beneficij ad quod eſt electus, aut nominatus, regimine ac adminiſtratione tam in toto quam in parte, tam in temporalibus, quam ſpiritualibus, abſtinere debet, *cap. noſti 9. de electione cap. venerabilis 7. de conſuetudine*, ſecus facere, & ſub titulo Procuratoris aut Oeconomi, ad id ſe ingerere, eſt electionis de ſe factæ iure omni carere velle, ita Gregor. X in *cap. auaritiæ 6. de elect. in 6.* his verbis: *hac generali conſtitutione ſancimus vt nullus de cætero adminiſtrationem dignitatis, (ad quam electus eſt) priuſquam celebrata de ipſo electio confirmetur, ſub Oeconomatus, vel procurationis nomine; aut alio de nouo quæſito colore in ſpiritualibus vel temporalibus, per ſe, vel alium, pro parte, vel in totum, gerere vel recipere, aut illis ſe immiſcere præſumat. Omnes illos qui ſecus fecerint, iure, (ſi quod eis per electionem quæſitum fuerit,) decernentes eo ipſo priuatos.*

Quarto, debet electus confirmationis ſuæ teſtimonium literis exaratum habere: Enimuero licet ſolo verbo Papæ, gratia compleatur 25. q. 2. *can inſtitutionis Clem. vlt. de ſepulturis*, quoad exercitium tamẽ requiritur literarum expeditio, Pialec. *par. 1. prax. in proœmio de elect. nu. 6.*

Quinto, debet electus intra 3. menſes à confirmatione conſecrari. De Metropolitano eſt id expreſſe ſancitum, *in can. quoniam 1. de conſecrat. Placuit vt quiſquis Metropolitanus vltra tres menſes conſecrationis ſuæ ad fidem ſuam exponendam, palliumque ſuſcipiendum ad Apoſtolicam ſedem non miſerit, commiſſa ſibi careat dignitate.* Iure autem nouo tam hic, quam Epiſcopi cæteri. *Si munus conſecrationis intra tres menſes non ſuſceperint, ad fructuum reſtitutionem tenentur, ſi intra totidem menſes, poſtea id facere neglexerint, Eccleſiis ipſis ſunt iure priuati.* Trident. *ſeſſ. 23. cap. 2.*

Sexto, de non alienandis rebus ſuæ Eccleſiæ, ſed de ſeruandis, ſacroſancta iuriſiurandi religione interpoſita, fidem ſuam obligare electus debet: iurare item Papæ ſe fore fidelem, cuius iuramenti forma extat, *in cap. Ego N. 4. de iuramento. & cap. dilecti filij de maiorit. & obed.*

QVÆSTIO XVI.

An electus confirmatus, ſed non dum conſecratus, exercere ea poſſit quæ ad iuriſdictionem pertinent.

QVæ ad enodandam hanc quæſtionem ſunt neceſſaria, explebo paucis propoſitionibus.

Prima, licet Epiſcopo confirmato ſed non conſecrato iudicare, excommunicare, beneficia conferre, inſtituere, deſtituere, cæteraque obire munera, quæ ab Epiſcoporum iuriſdictione pendent, huius propoſitionis firmamentum eſt Cæleſt. III. decretal. *tranſmiſſam* 15. *de elect.* in qua quid ſui ſit animi, mentiſque declarat, his verbis: *Ex quo electionis tua confirmationem accepiſti, dotalibus & conſimilibus (præter ea quæ maiorē diſcuſſionē exigunt, & miniſterium conſecrationis deſiderant) quod iuſtū eſt, & Eccleſiaſticæ conuenit vtilitati, ſtatuendi habeas liberam facultatem* Quid ſi Epiſcopus, poſſeſſionem collati ſibi Epiſcopatus non adiit? quid ſi eum poſſidere necdum cœpit?

Secunda, propoſitio. Beneficia dare poteſt Collator ordinarius, hoc eſt Epiſcopus confirmatus, etiamſi ab eo cuius intereſt, in Epiſcopatus ſui poſſeſſionem non ſit miſſus, Rebuff. *in praxi rubrica de ſimonia in reſignat. num. 26.*

Ratio eſt, quod electi, aut prouiſi de beneficio, ius omne à prouiſione ordinarii ac facta electionis eius confirmatione pendeat. Quæro enim, quid ſimplici ſacerdoti, aut Notario, quorū eſt beneficiariū in poſſeſſionē mittere, in adminiſtranda Eccleſia, ac dandis ſacerdotiis iure canonum, ac Dei liceat? ſi eorum nulla eſt ad hanc rē facultas, quid ab iis, ad complementū iuris in conferendis beneficiis neceſſarii, Epiſcopus aut Abbas ex miſſione ſua in poſſeſſionem expectare poſſunt; aut capere?

Si tamen Epiſcopatus & Abbatia non vacarent per mortem, ſed per reſignationem, non poſſent Epiſcopus & Abbas conferre, ante captam poſſeſſionem.

Ratio eſt, quod quandiu quis officium facere in beneficio ſinitur, illud ipſum adminiſtrare, & beneficia, ſi quæ ex eo pendent conferre poteſt: at electus, aut prouiſus per reſignationem, reſignantem ſuum ſicut ſupponitur, munus vt prius, obire patitur: ergo quandiu hic in poſſeſſione beneficii ſui relinquitur, valide confert & licitè; ſicut qui eſt in poſſeſſione præſentandi, iure præſentat, licet verè ius præſentandi ſpectet ad alium, *cap. conſultationibus 19. de iure patronatus.*

A Propoſitio 3. Electus licet non conſecratus, nec ſacerdos, poteſt diſpenſare in omnibus caſibus qui iure ſunt permiſſi Epiſcopo.

Ratio eſt, quod iuriſdictio, eiuſque vſus, à ſacerdotio aut conſecratione non pendeant, ſed eſt diſpenſatio iuriſdictionis actio: ergo &c. concedere ob eam cauſam indulgentias, eidem eſt etiam non ſacerdoti licitum. D. Thom. *in 3. ſentent. diſt. 20. q. 4. art. 2.* non tamen conferre ordines, chriſma conficere aut calices conſecrare, quia hæc opera in eo à quo fieri debēt, ſacerdotij characterem præſupponunt, vt eſt probatum, B *in tract. de perſonis.*

QVÆSTIO XVII.

Quando & in quibus caſibus Confirmatione ſit opus.

DIſceptatur hæc quæſtio à Fabric. Rebuffo 1. *par. prax. rubr. de noua prouiſione num. 14. & ſequent.* aiuntque ei primo locum non eſſe in prioratibus per Prioriſſam C regi ſolitis. Sed pace eorum ſit dictum, nam Moniales quæ fontis Ebraldi inſtitutum vitæque modum, ſub felicibus Abbatiſſæ eius loci auſpiciis ſequuntur Prioriſſam ſibi è cœtu ſuo, triennio quoque deligunt, cui incumbit ex præſcripto regulæ de electione ſua primo, quoque tempore Abbatiſſam docere, ab eaque confirmari velle: Eſt ergo Virginum in Prioratibus, quæ ius eligendæ ſibi Prioriſſæ habent, confirmationi locus.

Eſt etiam in beneficiorum vnionibus, quas D etſi Epiſcopus facere ex cauſa valeat, *cap. expoſuiſti de præb.* factas tamen per eum confirmari, & ſi vitioſæ fuerint, aut defectu laborauerunt, vitia oportere corrigi tradit Rebuff. 1. *par. prax. rubr. de noua prouiſione & ſimpl. nu. 15.*

Tertio, quoniam raro ſunt monialium ratæ electiones ac firmæ, eas confirmari à Superiore ſuo eſt neceſſe. Et quidem *ſi per formam compromiſſi fuerit in electione proceſſum,* E *& electæ pars aliqua ſe opponat: ſi minor, ipſius confirmetur electio*, inquit Bonifac. *in decret. Indemnitatibus 43. de elect. in 6.*

De ſtylo tamen curiæ, non ſolent Abbati, quamuis ſit eius forte vitioſa electio, dari literæ eius approbatiuæ, ſed noua illi indulgetur prouiſio, ex decreto Alexand. VI. *in titulo de ſignatura gratiæ*, prout notauit idem qui ſupra Rebuff. *num. 20.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XVIII.

An electio facta ſine ſchedis, ſit rata.

EST hæc quæſtio pertractata (quod ſciam) à paucis, & hos ipſos, in duas contrarias partes diſtractos video.

Negantis partionum ac defenſorem Portelium video *in dub. Regul. verbo electio num.* 14. cũ ait de ſubſtantia electionis eſſe, iuxta Gloſſ. *in cap. quia propter 42 de elect.* vt ſecreto, & ſigillatim per ſcriptũ recipiãtur, ſuffragia. Mihi mens eſt alia, enimuero *ſeſſione 25. cap. 7. de reformat.* iubent Patres, vt *qui electioni præeſt Epiſcopus, ſiue alius Superior, clauſtra Monaſterij non ingrediatur, ſed ante cancellorum feneſtellam, vota ſingulorum audiat, vel accipiat.* Sed audire, eſt per aures recipere, & non per ſcriptum, verba enim, quibus lex eſt perſcripta, in propria ſua ſunt accipienda notione, non impropria: ergo cum audire, non ſit ſchedam ſibi porrectam explicare, legere, aut in manus ſumere, ſed loquentem excipere, quod ipſum tamen ad electionem ſufficere Concil. aſſerit, facta ore tenus, & non ſcripto, rata habenda eſt, ac valida.

Eſſe autem ſenſum hunc Concilij daclarauit Congregatio explanandis eius controuerſiis præpoſita, vt notarunt ad *cap. 6. dicta ſeſſ.* 25. Farinac. & Marzilla, his verbis: *Abbatiſſarum vota ore tenus accipi poſſunt à Superioribus cum duobus teſtibus.* Quare eſt argumentum pro contraria opinione allatum, plane falſum ac negandum.

Primo, quia quæ ſunt alicui rei ſubſtantialia, ſic ſunt illi intrinſeca vt ſi tollantur, tolli quoque eius ſubſtantiam ſit neceſſe, quod tamen in præſenti non accidit, cum ex dictis, explicata verbis, voceque ſuffragia, electionem eiuſque vim ac naturam non perimant.

Secundo, nego id Concil. dicere, quod aduerſarij narrant, vult enim duntaxat Superiores, Abbates, & alios, *eligi debere per vota ſecreta, ita ut ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur. ſeſſ. 25. cap. 6.* quibus verbis, vt liquet ab electoribus non exigit, vt hi ſua dent ſcripto, aut ſchedis obſignatis ſuffragia ſed ſolum, vt tres illi, qui de capitulo electi erunt, vota ſecreta à ſuffragatoribus audita ſcribant, literiſque vt de eorum numero conſtet, mandent.

At ſic ſecreta non erunt vota (inquies) cum quæ in oculis trium aut quatuor hominum fiunt, publica dici debeant, ſecreta nunquam.

Neganda eſt Maior: nam quid eſt ſecretum? *Quod à nemine, vel à tam paucis ſcitur, quod neque eſt famoſum, neque notorium.* Nauar. *En-*
A *chirid. cap. 18. num. 52.* Diu. Thom. 2. 2. *qu. 70. art. 2. ad 2.* at id in præſenti materia accidit, cum quæ Notarij, ſuperioris, aut ſcrutatorum committuntur auribus, non ſint hæc famoſa, aut notoria. Itaque cum Concil. imperat, electionem per vota ſecreta, ſpectat id vnum, Nauarro teſte *in conſil. 4. de elect. num. 4.* Portelio *in 1. parte caſuum caſu* 14. vt Capitulis
B vetet, ne quid permittãt aut fieri ſinãt, ex quo electorum publicari nomina accidat, id ſi fiat, electionem inanem fore ac nullam. Quæ erſi ſint à nobis, ſpectato iure Concilij, dicta veriſſimè, ab hac ſunt tamen excipiendæ regula, religioſæ familiæ, quibus ex propria inſtituti ratione, aut Ordinis voluntate ac imperio incumbit, Superiores ſibi ſuos vel Officiales per ſchedas eligere obſignatas, quod Sixtum V. anno 1587. amodo vt in Franciſcanorum familia ſeruaretur, ſpeciali ſanxiſſe diplomate, auctor eſt Portelius, loco qui notatus eſt proxime.

QVÆSTIO XIX.

C *An ſi eorum aliquis, qui ius eligendi habent ad eam non vocetur, electio ſit valida.*

DIco primò, *Ad electionem Prælati conuentualis, vt Guardiani, aut Prioris in aliqua Mendicantium familia, non eſſe ad eius validitatem neceſſe vocari abſentes omnes.*

Ratio eſt, quod eorum præſentia, ac citatio, in eorum tantum ſit electione neceſſaria, quibus canonicus aliquis titulus tribuitur, ſecundum Felinum in *cap. cum omnes de conſtit.* Portelium *in dubiis regular. verbo electio num. 12.*
D at talis nullus Guardiano aut Mendicantium Priori datur: ergo, &c.

Dico ſecundò, *Ad Epiſcopi, aut Abbatis electionem, eos omnes vocandos eſſe qui ad eam ius actiuum habent, cap. quod ſicut 28. de elect. quod ſi eos vocatos non fuiſſe conſtiterit, ſed contemptos, infirmanda eſt electio taliter celebrata, niſi poſtea propter bonum pacis, curauerint conſentire, ibid.*

Non eſt ergo eiuſmodi electio, ad quam aliquis, electorum, ius ſuffragij habentium non eſt vocatus, irrita ipſo iure ac facto, ſed
E reſcindenda, ſi ipſe velit, contemptum ſuum in iudicio proſequi, & electionem ſe abſente factam, infirmari à iudice. Ita Innoc. in decret. *Bonæ memoriæ 36. de elect.* ibi enim factam de Archipresbytero *electionem à ſe reſciſſam ſcribit, quod inuentus ſit fuiſſe contemptus, licet vnus ſolus extiterit, cum plus in talibus conſueuerit contemptus vnius obeſſe, quam multorum contradictio in præſenti.*

A vocando vero, excuſat vocandi, difficultas, vt ſi abſens, eſſet extra regnum, Gloſſa in *cap. coram de elect.* vrgeretque ex alia parte,

moralis habendi Prælati neceſſitas, Portelius in *dubiis regular. verbo electio num.12.* quæ neceſſitas eſt ex periculo petenda, quod ex electione in tempus aliud dilata, aut reiecta timetur, de quo arbitrari, Superioris eſt cum peritorum conſilio.

Secundo, à vocandis abſentibus excuſat periculum, quod ijs, aut electoribus, aut miſſo ad eos vocandos metuitur vidit hoc Pontifex in *cap. quod ſicut 28. de elect.* vbi vocari quidem omnes oportere ad electionem ſcribit, ſi tamen *ſine periculo poßint conuocari*: ergo opinione Pontificis excuſat, à conuocandis abſentibus, periculum.

Dico tertiò, *Per Electorum*, vnius aut plurium abſentiam, vim ſuam electioni non adimi, ſi iuri ſuo renuntient, aut adeſſe vocati, reſpuant: ita Pontif. *in decret. 28. de elect. Qui contempti*, inquit, *non fuerint, ſed ad electionem vocati, ſiue nequiuerint, ſiue noluerint ad electionem celebrandam accedere, ipſorum abſentia non poteſt electionem impedire.* Sentiendum idem cum tacent, nec electionem in eorum abſentia factam infringi petunt, quia eſt hæc eorum patientia, ſilentiumque, conſenſus inſtar, nam *qui tacet conſentire videtur de regul. iuris in 6. reg. 44.* at eſt facta de aliquo electio rata firmaque, cum ab his approbatur, quorum intereſt, reclamare ac loqui, cum eam valere nolunt: ergo, &c.

Quid ſi ex cauſa abſint? quid ſi venire, iuſto aliquo impediti negotio non poſſint, aut nolint?

Si in ciuitate, verſentur aut loco, vbi fit electio, mitti ad eos, ſcrutatores debent, quibus ſenſum ſuum explicent, ac ſuffragium dent, vt docent Sylu. *verbo electio 1. q.5. dicto 1.* Zechius & alij. Si procul degunt, in eorum eſt poteſtate, Procuratores mittere qui ſint è gremio, ac Capitulo, (nam ad eam rem deligi alij, hoc eſt, extranei nequeunt, ſecundum Laym. *lib. 4. tract. 2. cap.12 num. 4.*) mittere (inquam) idoneos poſſunt homines, qui ſuo nomine ſuffragentur, ac eligant: Sylu. Zerola Zechius ac alij.

QVÆSTIO XX.

An per ſortes iure canonico fieri poßit electio.

DE Eccleſiaſtica ſermo eſt, non alia, nam ad ſæcularem, de ſæculari magiſtratu, adhiberi ſortes poſſe, tenent Sanch. *lib. 2. in Decalog cap.38 num.58.* Azor. *to.1. Inſtit. lib. 9. ca.12. q. vn.* D. Thom. *2.2. q.95. art.8.* Angel. *verbo ſors num.2.* Tabiena *eod. q.5. n.6.*

Ratio eſt, quod rem temporalem ab euentu quærere, aut ſorti committere, malum non ſit intrinſece, nec ex lege canonico cum vllo cohærens crimine. Ergo de Eccleſiaſtica ſola

A eſt quæſtio, cuius à ſortibus, exitum aut modum non petendum eſſe definiuit Honor III. *in cap. Eccleſia veſtra 3. de ſortilegiis*, vt enim eſt ſpiritalis, vtpote ad beneficium, quod eſt ſpirituale, ordinem habens, regi à fortuna non debet, non cæco impetu fieri animi, aut imprudenti: fuit ergo iuſta Eccleſiæ cauſa, ſortium vſum in electionibus Eccleſiaſticis, æterna prohibitione damnare.

Sentiendum idem de Officiis ordinis, idèm de Nouitij in eum cooptatione ac delectu, B Portelius *de dubiis regular. verbo electio.* Eſt autem officium, aliquarum rerum adminiſtratio, non habens fori externi iuriſdictionem, quales ſunt in religione Procurator Conuentus, Sacriſta, ianitor, & Vicarius Conuentus in Prælati præſentia, quos ſortibus ad propria ſua muñia vocari, iiſque, per illos quibus ſuffragãdi ius eſt, illa in Cœnobio, diſtribui prohibet Honor. Enimuero cum ſacra ſint hæc officia ex fine, cauſa imperante & modo, quo obiri ea eſt neceſſe, hoc eſt ad præſcriptũ formâque Superioris ac regulæ, Eccleſiaſtica dici debẽt; proindeque prohibi- C tione Honorij cõprehenſa eſſe, Indicant hæc quidem electionem ſic factam eſſe illicitam, an autem ſimiliter ſit inualida, iam eſt videndum. Meaque eſt opinio pro tali non habendam: quia id nuſquam decreuere Pontifices, nuſquam Concilia: ergo cum actioni vis ſua adimi non debeat, niſi ab eo qui poteſt, & feciſſe conſtat in aliquo canone, de quo certi nihil extat, non eſt facta per ſortes electio, iure inanis, ipſoque facto, niſi in caſibus à iure expreſſis, qui ſunt tres numero.

Primus eſt in electione ad Prælaturam per *cap. quia propter de elect. 42.* qui in eo peccaue- D rit, eligendi poteſtate priuari ea vice poterit, Theſaur. *par. 2. prax. verbo electio cap. 2.*

Poſſe dixi: nam non eſt ipſo iure priuatus, ſicut habent Gloſſa *cap. quia propter* & Theſaur. proxime citat.

Secundus eſt in electione Officialium regularium, & Superiorum, quia fieri hoc debet per ſecreta ſuffragia, itaut ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur, alias eſt irrita, & qui aliter ſe ſinit eligi, eſt ad omnia beneficia, & officia in religione obtinenda inhabilis, Trid. *ſeſſ.25. de regular. cap.6.*

E His caſibus tertium adiicit Portelius in *dub. regul. verbo electio. n. 4.* nempe cum de Nouitio inter religioſos ad Capitularium ſuffragia aggregando agitur, cum enim ſortito aliquid agere, ſit eius euentum ſorti committere, quam tamen in re ſacra, ac Nouitij ad Dei cultum initiandi receptione, dominari non deceat mirum videri nulli debet, ſi repudiatis ſortibus, ſuffragia regulares ipſi ſua in receptione Nouitij dare, more in Eccleſia conſueto debeant.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXI.

Ad electionis ſubſtantiam, ſeruare quid ſit neceſſe.

PRimo, vt ſecreto fiat, eo modo quo eſt explicatum antea ſeruataque loci, ac Eccleſiæ, ſeu conuentus conſuetudine in quo fit: itaque ſi per ſchedas, ſcriptaque ſuffragia creari in eo Prælatum mos communis habeat, erit hic religioſe obſeruandus.

Secundo eorum eſt in communi, facienda publicatio.

Tertio, à facta electione ſtatim eſt illicoque facienda eius denunciatio, actu nullo contrario interpoſito.

Quarto, vt electus cæteros ſuffragiorum numero ſuperet. At qua parte? Non alia, quam cuiuſque Eccleſiæ, ordiniſque ſtatuta poſtulant.

Quinto, vt tres aſſumantur de Collegio qui vota ſingulorum exquirant, ac enuntient. Sanxit id Romanus Pōtifex in *cap. quia propter 42. de elect.* his verbis: *Statuimus vt cum electio fuerit celebranda, præſentibus omnibus, qui debent, & volunt, & poſſunt commode intereſſe, aſſumantur tres de Collegio fide digni, qui ſecretè & ſigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta mox publicent, in communi.*

Sexto, nō ſunt alij ad electionem aſſumendi, quam qui ſunt de gremio Collegij aut Conuentus, *cap. cum dilectus de elect.*

Septimo, ad eam ſunt vocandi omnes, qui ius habent ſuffragij.

Quid ſi intereſſe nolint? quid ſi venire vocati recuſent ac abnuant?

Eligent hi ſoli, qui præſentes aderunt, etſi numero non ſint abſentibus pares, quia vt habet Innoc. III. *in cap. cum nobis 19. de elect.* ad *electionem faciendam accedere cum nolunt, alienos ſe faciunt, propter quod electioni concorditer à præſentibus celebratæ contradici nequeat.*

Sane cum quid à pluribus fieri, iure aut Pontificis voluntate exigitur, *ſi aliquis ex ipſis cum poſſit, noluerit intereſſe, debent duo nihilominus in cauſa procedere,* Cœleſt. *decreto in ca. prudentiam 21. de offic. iudicis deleg. parag. adiicimus*: erit ergo à Præſide, ac electoribus qui aderunt, facta electio, rata firmaque, etſi numero paucioribus, quam qui abſunt, quia cum moniti de officio, facere illud negligunt, ac ideo vocati venire renuunt, eodem habentur loco, ac ſi non forent de Capitulo.

Quid ſi quo tempore, vota ſuper profeſſione futura Nouitij, aut electione Abbatiſſæ vel Abbatis exiguntur, domi, qua eſt hæc futura, verſetur Prouincialis

A præpoſitus cum ſecretario?

Coire cum cæteris ad eligendum Concilij ſocietatem poterit, & quam procurandis cœnobij negotiis magis idoneam crediderit, calculo ſuo ſuffragioque dignari.

Ratio eſt, quod capituli pars ſit præcipua vtpote qui ſit in eo inſtar capitis, Moniales ac religioſi membrorum, in quę ab eo, vim, motum ac ſenſum ad res magnas, Ordiniſque proprias manare deceat.

Quæ me cauſa impellit vt credam,
B eundem Prouinciæ præpoſitum, vna cum Cœnobitis cæteris poſſe ad vota regularium tria, Nouitium poſt exactum probationis annum ſuffragio ſuo admittere. Enimuero *cui licet quod eſt plus, licet vtique quod eſt minus, de regul. iuris in 6.* Sed magis eſt, ad Cœnobii puellaris regimen vocare Virginem, quam dare. Nouitiæ in religionem aditum, per profeſſionem.

Minor probatur, Eſt Abbatiſſæ ad id munus vocatio, vera electio canonica, quia eſt ad modum, formamque facta, quæ eſt à canonibus preſcripta, ſecrete nempe, per-
C que ſchedulas obſignatas ac ſecretas: at non eſt Nouitiæ in ordinem cooptatio, electio, nam quæ ei procuratio committitur? quæ in ordine gerendi officij poteſtas datur? quæ regendi Cœnobij? non eſt ergo Nouitij ad profeſſionem receptio, vera canónicaque electio, nec proinde actio quæ dignitatę par ſit ei, ac æqualis.

Quid? quod Abbatiſſa, vt regendi munere ac poteſtate in Moniales ſuas: ita quoque perſonæ dignitate quam ſuſtinet, Nouitiam
D præeat? minus eſt ergo iſti inter Moniales locum per vota regularia tribuere, quam illam calculo ſuo ſuffragioque, ad eum dignitatis apicem euehere, quę ſi ſunt vera, eſt haud dubie in Prouincialis iure Nouitiam Religioni per ſuffragium ſuum aſcribere, aut eandem excludere.

Poſſe autem Prouincialem præpoſitum, cum conuentu in electionem Abbatiſſæ ſuffragando concurrere maximè in S. Francisci ordine, docet Portelius in 1. *par. caſuum caſu 30.* quem tu conſule.

E

(.·.)

QVÆSTIO XXII.

An ſuperiori liceat non confirmare electum.

PEccat ſuperior, ſi qui pluriũ eſt ſuffragiis renunciatus Abbas aut Epiſcopus, cum non confirmet, Nauar. *lib. 1. conſilior. titulo de elect. 5.*

Ratio eſt, quod cui ius ad rem aliquam competit, ab ea impediri ſine culpa nequeat, eſt enim iuris in re, aut ad rem tranſgreſſio, iniuſtitiæ actio. At electo, ius ad rem ad quam eligitur, competit, quod ei tamen defectu confirmationis interit: ergo ſuperior, qui ſine cauſa eam negat, à vero rectoque aberrat cum reſtituendi onere.

Sane committit in ius commune, in *cap. quia propter 42. de elect.* in quo præcipitur, vt facto, ac examinato ſcrutinio plublicentur vota, ſcrutatores autem ſiue ſcrutinij examinatores, *vota cunctorum diligenter exquirant, & in ſcriptis redacta mox publicent, vt is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel maior pars Capituli conſentit*, quod ſuperior ex hypotheſi non facit, cum eum non approbat, nec præficiendum conuentui curat, pro quo tamen fuere omnes, aut pars maior ſuffragantium.

Quid ſi electus eſt indignus? quid ſi ob culpam aliquam ſuam, aut Canonicam maculam, beneficium non meretur?

De eo eſt admonendus per Præſidem, vt ſe de culpæ admiſſæ ſuſpicione purget, ac quæ in eius fama, nomineque maculæ inhærent, argumentis, teſtiumque non malorum fide eluat, ac diſſipet. Quia de iure naturali eſt ac humano, nemo vt damnetur, niſi prius auditus, & conuictus. At ab officio ad quod eſt electus aliquem excludere, eſt eundem in re graui damnare, id ergo facere Præſes non debet, facit autem, cum electum pro auctoritate confirmare renuit, antequam de eius vita, moribuſque inſtituta quæſtione, vt facere iubetur in *cap. poſtquam 2. & in cap. nihil eſt de elect.* eum ſacerdotio aut officio, ad quod eum admouere electoribus placuit, indignum repererit, Innoc. III. in citata decret. eſt his verbis præſcripta ſanctio, *Volentes huic morbo adhibere neceſſariam medelam irrefragabili conſtitutione ſancimus, quatenus cum quiſquam ad regimen animarum fuerit electus, is ad quem pertinet ipſius confirmatio diligenter examinet, & electionis proceſſum & perſonam electi, cum omnia ritè concurrerint munus ei confirmationis impendat, quia ſi ſecus fuerit incautè præſumptum; non ſolum deijciendus eſt indignè promotus, verum etiam indignè promouens puniendus.*

A Equidem (quod eſt Portelij admonitum) Clericũ ſibi à Patrono oblatum, niſi cum indignum eũ eſſe, apertis conſtat argumentis, reſpuere Epiſcopus honeſte nequit, vt probabitur poſtea: ergo nec electum ſuperior, à quo approbari expetit.

QVÆSTIO XXIII.

An qui electioni præſides, nominare poſſit vnum aliquem de Conuentu, quem ſuffragatores eligant, aut eoſdem orare, vt vnum alteri præferant.

DIco primò, *Id electionis Præſidem non poſſe*: quia eſt hoc electionem contra ius eligentium ad vnum cogere, ac arctare, quod eorum libertati vim affert, ac iniuriam, cuius tamen præcipue eſt in hoc negotio, habenda ratio *Nolo certam vobis deſignare perſonam* (aiebat Iuo ad Beluacenſ. Religioſ. *epiſt. 22.*) *ſed habere liberum electionis arbitrium*, quam retineri non poſſe C ac ſeruari exiſtimabat, ſi de multis deſignaretur certus aliquis in Paſtorem eligendus præ ceteris: vt enim à natura facti ad placendum his ſumus, qui prodeſſe queunt, aut nocere, non eſt improbabile, in eam ituros ſententiam electores, quam Præſidi gratam putauerint, & ita incurrendæ eius offenſæ metu, eo ſe daturos, quo inclinauerit, quo quid eſt libertati ad eligendum neceſſariæ aduerſum magis? Quare cum de ſubrogando Antiſtiti defuncto, digno homine, Beluacenſes acri Iuo acuiſſet ſer- D mone in *ep. 43.* eoſdem admonet, ſibi in eo nõ fuiſſe propoſitũ, perſonam illis aliquam commendare ſpecialiter, ſed quod amici amicis ſubinde ſolent, ſuum ſuper electione, futuriſque Epiſc. ac Abbatum meritis, aperire conſilium. Et quidem cum ſit *ars artium, onus onerum, regimen animarum*, non alium ab illis renunciari oportere Epiſcopum, *quã qui ſciat de theſauro ſuo proferre noua & vetera, qui nouerit mores ſubditorum*, Iuo epiſtola 22.

Dico ſecundò, *Peccare item Præſidem cum qui ſuffragandi ius habent exorat, vt quempiam in ſuffragando alteri præferant*, eſtque E prælati electio facta hoc modo, inanis ac nulla.

Ad rationem prima aſſertione allatam, addi hæc debet,

Quod facta metu electio, reſcindi debeat: at talis eſt eius, pro quo eligendo Præſidem oraſſe conſtat: primo, quia preces iteratæ viri grauis, & ſuperioris, metum generant, ac inuoluntarium Sanch. *lib. 4. de matrim. diſp. 10. num. 2.* Et quanquam tales non forent; hoc eſt, importunæ ac frequentes, ſunt tamen cum reuerentiali coniunctæ metu, vtpote

quæ

quæ ab eo cui eſt reuerentia debita, ſunt factæ, cuiuſmodi omnes metum ac inuoluntarium in eius parere animo, qui ſic cogatur, res eſt, ſummiſtarum confeſſione, ſi non certa, at certe non improbabilis. Ita tradit Leſſiu *li. 2. de iuſtit. cap. 17. dub. 6. nu. 4.* Ea quæ ſolo metu reuerentiali ſunt facta, poſſe reſcindi, eumque qui commodum inde percepit aliquod, ad reſtitutionem teneri, quæ eſt opinio Sylu. *reſtitutio 2. dicto 7. & verb. metus q. 12.* Nauar. *lib. 3. de reſtit. cap. 1. nu. 332.* quia eſt talis metus, iniurioſus ei cui imponitur: libertatem enim eius impedit, cogit, ac reſtringit, eiuſdem qui ſic cogitur voluntate repugnante ac inuita.

QVÆSTIO XXIV.

Quæ ſint pœnæ conſentientium in electionem, quæ eſt cum abuſu ſecularis poteſtatis facta.

SVppono primò, Laïco ius ad Prælati electionem competere nullum poſſe, quia eſt ius eligendi ſpiritale. At ſpiritualia tractare Laïco, earum cum dignitas tum Eccleſiæ maieſtas non ſinit: *de iudiciis cap. 2.*

Quid? quod de Eccleſiæ negotiis, iure & regimine, arbitrari ac ſtatuere, fas laïco non ſit per Pontificem, cum Epiſcopi & Abbates operā ad id eius mutuari vetentur per canonē Eugenij in Synodo è qua fragmentum Gratianus in *rubric. de iudiciis cap. 2.* retulit his verbis: *Sed & Epiſcopi & Abbates, Archiepiſcopi & alij Eccleſiarum Prælati de negotiis Eccleſiaſticis, maxime de illis quæ ſpiritualia eſſe noſcuntur, laicorum iudicio non diſponant cap. 2. de iudiciis,* ergo cum vnum aliquem de multis eligere, qui ad puppim ſedeat Eccleſiæ, ſpiritualis ſit actio, vt patet ex eius obiecto, cum animorum, Eccleſiæque procuratio, quo tendit electio, profanum nihil ac temporale oleat, ad eam admitti Laïci nec poſſunt, nec debent ſine Pontificis Romani facultate ac venia, cuius eſt duntaxat, in Eccleſiæ legibus ac prædeceſſorum ſuorum diſpenſare.

Suppono ſecundo, à quoquam (ſi Pontificem Romanum exceperis, cuius eſt ſumma, pleniſſimaque in Eccleſia authoritas) à nullo (inquam) Abbatis aut Epiſcopi eligendi ius Laïco concedi poſſe, quia eſt electio, vtpote perſonæ idoneæ ad regendam Eccleſiam vocatio, iure canonico interdicta Laïco, at in eo ſolus diſpenſat Pontifex: ergo ad eam Principis imperio, aut Clericorū qui ſunt de Collegio, conceſſione liberali ac gratuita, recipi hic ſine peccato non poterit: iam ergo

Dico primò, *Eum qui per abuſum poteſtatis Laicæ, dignitatem Eccleſiaſticam aſſequitur, eius dominium plenum ac integrum non habere.*

Antequam probetur, notare placet, tum A electionem per abuſum poteſtatis Laïcæ cenſeri celebratam, ſi laïcus ita ſe illi immiſcuit, ac Clericorum libertatem ad quos proprie electio pertinebat, quouis modo impedierit.

Secundo, etiam in electione abuſum intercedere, cum Clericorum opera precibuſque, electioni interſunt Laïci.

Tertio, cum conſenſum ſæcularis Principis Clerici exigunt, vt qui eſt ex eorum cœtu electus ad vacantem Eccleſiam, hanc illi eius voluntate ac aſſenſu tenere liceat.

B Quarto, cum eligunt, inquit Innoc. & poſt eum Comitol. *in reſpon. ſ q. 78.* minis alicuius potentis adacti, his ita præſuppoſitis probatur aſſertio.

Primo Doctorum teſtimonio, quos paulo poſt proferemus, ſecundo ratione.

Non eſt electus, dignitatis ad quam eſt per abuſum laïcæ poteſtatis vocatus, verus eius ac legitimus poſſeſſor, ſi eſt electio de eo facta nulla. Verum eſt prius Gregor. VII. teſtimonio *16. q. 7. can. quoniam, & ead. cauſa & 7. can. ſi quis præterea,* vbi eſt his verbis: *Si quis Epiſcopatum vel Abbatiam, vel aliam Eccleſiaſti-* C *cam dignitatem de manu laicæ perſonæ ſuſceperit nullatenus inter Epiſcopos vel Abbates habeatur,* & in *cap. Maſſana 56. de elect.* hæc habentur, *Edicto perpetuo prohibemus, ne per laicos cum Canonicis Pontificis electio præſumatur, quæ ſi forte præſumpta fuerit, nullam obtineat firmitatem,* quæ eſt etiam opinio Theſauri in *praxi verbo Beneficium 8.* Laym. *in tract. de quæſtion. canonic. q. 23.* Comit. *loco paulo ante cit.* Panormitan. in decretal. Innoc. III. *quiſquis de electione 43.* vbi expreſſe notat electionem quamuis à Clericis celebretur, ſi ad eam D accedat poteſtatis ſecularis abuſus, eſſe nullam, quod Innoc. in decretali ſua longe ante his verbis decreuerat. *Quiſquis electioni de ſe factæ per ſecularis poteſtatis abuſum conſentire præſumpſerit, contra canonicam libertatem electionis commodo careat.*

Dico ſecundò, *Qui ex Clericorum ordine, beneficium per abuſum poteſtatis Laicæ ad quod eſt electus, acceptat ac capit, his teneri pœnis.*

Prima, quod niſi illud contra ius acceptum, & à Collatore donatum dimittat, communione ſit priuandus, ac ab Eccleſiaſtico E miniſterio & ordine deponendus: ita Patres in Lateran. Concil. vt refertur in *cap. præterea 4. de iure patronatus,* vbi *Clericus qui Eccleſiam per Laicos ſine proprij Epiſc. authoritate recipit, communione priuatur, & ſi perſtiterit, à miniſterio Eccleſiaſtico & ordine,* deponi iubetur.

Secundo eſt ad idem beneficium ineligibilis, *cap. quiſquis 43. de elect.*

Tertio, excommunicationi ſubiacet, quæ non eſt latæ ſententiæ, ſed ferendæ, nam im-

poni præcipitur verbo imperatiui modi in *cap. prætereade iure patronatus 4. communione priuetur*, non eſt ergo iure impoſita, ſed imponenda, quæ excommunicatio minor eſt non maior, Comitol. *lib.1.reſp.q.78*. quare ſi quis cum ea celebret, irregularitatem non incurret, idem ibid. *nu.4*.

Quarto, qui à Laïco inſtitui ſe ſinit, eſt eo ipſo ad dignitates Eccleſiaſticas ineligibilis niſi cum eo diſpenſetur: ſic Innoc. III. *in cap. quiſquis 43. de elect. Ineligibilis*, inquit, *fiat, nec abſque diſpenſatione ad aliquam valeat eligi dignitatem*, quæ diſpenſatio poteſt dari ab Epiſcopo, Theſaurus *part. 2. praxis verbo beneficium* 8. quia quando permittitur diſpenſatio, refertur ea facultas ad Epiſcopos, alioqui fruſtra adderetur, cum conſtet diſpenſare poſſe Pontificem, Layman. *de prælatis Eccleſ. qu.24*.

Quinto, qui à Laïco non habente à Pontif. priuilegium, beneficium aliquod recipit, fit non ad dignitates tantum, ſed ad beneficia quælibet alia inhabilis, donec diſpenſetur, Diaz. *cap.53. praxis criminalis*.

Sexto, (inquit Innocent.) quiſquis per ſæcularis poteſtatis abuſum electioni de ſe factæ conſentire præſumit aut celebrare, *quam electionem*, inquit idem, *ipſo iure irritam cenſemus, officiu & beneficiu eſt ſuſpendendus, & per triennium eligendi poteſtate priuandus*.

Dico tertiò, *Beneficia per abuſũ poteſtatis Laicæ acquiſita dimittenda eſſe in conſcientia*. Quia eorum prouiſio collatioque fuit nulla, *cap. quiſquis 43. de elect. ca. Maſſana ca. 56. præterea 4. de iure*, ſed quod non eſt acquiſitum legitime, ſeruari iuſte nequit, relinquendum eſt ergo ei cui eſt debitum, quod ſi nolit, ad id per cenſuras cogi poterit, quibus ſi non pareret per contumaciam, erit hæc depoſitione à beneficio officioque plectenda *cap. præterea 4. de iure*.

QVÆSTIO XXV.

Explicantur dubia quædam circa formam electionis, quæ fit per ſcrutinium.

PRimum, *In quibus beneficiis locum habet electio per ſcrutinium.*

In Cathedralibus, cum Epiſcopus, aut ſuperior quilibet alius in defuncti locum eſt eligendus, & in Collegiatis tam regularibus quam ſæcularibus, quibus iure, aut inmemoriali conſuetudine facultas eſt Prælati eligendi à quo regantur, niſi propter culpam aliquàm ſuam, aut negligentiam ſit hæc ad Superiorem deuoluta, *cap. nulla de conceſſione præb. cap. licet de ſupplenda neglig. præl.* Fit autem hæc iuris deuolutio in conſcientiæ foro ante omnem ſententiam ſecundum Theſaur. A *par.2. praxis verbo beneficium cap. 9.*

At enim (inquies) ſubire pœnam niſi iuſſus à iudice per ſententiam, nemo debet, at eſt hæc iuris ab electoribus facta deuolutio ob negligentiam, pœna quædam: ergo, &c.

Reſpondend. ad Minor, quòd à ſuffragatoribus ad Superiorem immediatum, mortuo ſubrogandi hominis idonei ius recidat, meram non eſſe negligentiæ pœnam, ſed charitatis, prouidentiæque opus pleniſſimum. Enimuero quo eſt Paſtore, tanquam Patre viduata Eccleſia longius, hoc eſt damnis expo- B ſita pluribus, eo ergo tanquam ad finem, ſpectat hæc iuris deuolutio, vt Eccleſiarum incommoda, animarum detrimenta vitentur, quæ ex electorum negligentia in faciendo officio conſequi eſt neceſſe, Sanch. *lib. conſil. 2. cap.1. dub.6. n.16*.

Quod autem non ſit ea deuolutio pœna eius generis, quæ ſententiam exigat, ſic probatur. Pœna quæ ipſo facto incurritur, iureque aliquo priuat, obligat in conſcientia ante ſententiam. Talis eſt hæc iuris quo de agimus, ab ordinario ad Superiorem deuolutio, nam C ipſo facto ſubitur, eſtque iuris priuatio in his, quorum in eligendo tarditatem punit Pontifex facta eius iuris conceſſione alteri, qui eorum ſit immediatus ſuperior.

Dubium ſecundum, *Quot requirantur perſonæ ad Collegium, & iura eius retinenda.*

Tres minimum ad familiam componendam requiri homines, Iuriſperitorum eſt opinio, quia familia ſicut & congregatio quælibet, conſtare capite debet ac membris, at id cœtus habet, tribus coagmentatus partibus, quarum vna capitis inſtar habeat, reliquæ duæ corporis. Neque tamen eſt neceſſe ad ſtatum D Collegij, vt actu Rectorem habeat, ſufficit vt ipſi aliquis è Collegis poſſit præfici, ſi in eo ſit aliquis ad eam præfecturam idoneus.

Duo ergo Capitulum ſeu Collegium non componunt, quia tunc vel caput in eo nullum erit, aut ſi erit, vnico tantum conſtabit membro, non pluribus, quod eſſe nequit, primo quia vt habet Gloſſa *Clement. Vt ii de ætate & qual. ordinandor, Prælatus & Capitulum diuerſa ſunt, & nomine Capituli non comprehenditur Prælatus*: ergo ſi duo tantum erunt in Prælatura, aut Cœnobio, non corpus, nec capitularis erit cœtus.

E Deinde cum in Capitulo poteſtas ſit coercitionis, hoc eſt, facultas puniendi delinquentes, ſtare hæc non poteſt inter duos Nam ſi eorum alter reſiſtat alteri, quis hunc imperanti coget obſequi, cum illum iſto fortiorem eſſe oporteat? quare ad rationem Capituli tres minimum perſonæ ſunt neceſſariæ, ad faciendum populum decem, ex quibus ſi quæ forte diem ſuum obeat, populus actu non erit, donec alia defunctæ ſubſtituta, cum numerum reparet. In eo tamen, etſi pauciores forte numeret

numeret quàm eſt dictum, populi iura remanent, ſicut & Capituli in duobus, quorum, *Vnum*, inquit Laym. *q.18. de Prælat. poterit alterum in Prælatum eligere.*

Dubium tertium, *An electio per ſortes ſit valida.*

Illicitam eſſe, quia eſt prohibita in *cap. Eccleſia de ſortileg.* nemo ambigit, qui Eccleſiæ præcepta contemni ſine culpa non poſſe intelligit. An autem ſit pariter inualida, controuerti video, meaque eſt opinio, iure pro tali non habendam.

Quia nuſquam id decreuere Pontifices, nuſquam Concilia: ergo cum actioni vis ſua non debeat adimi, niſi ab eo qui poteſt, & feciſſe conſtat in aliquo canone, de quo certi nihil extat, non eſt facta per ſortes electio, iure inanis ipſoque facto, niſi in caſibus à iure expreſſis.

Primus eſt in electione ad Prælaturas, per *cap. quia propter de elect.* 42. Aſſentiuntur Suar. *to.1. de relig. tract. de ſuperſt. lib.2. cap.12.* Laym. *lib.4. tract.10. cap.3. num.9.* Qui in eo pecccauerint poterunt poteſtate eligendi ea vice priuari, Theſaur. *par. 2. prax. Eccl. verbo electio cap.2.*

Poſſe dixi, nam non ſunt ipſo iure priuati, ſicut habet cum Theſauro loco cit. Gloſſa *cap. quia propter de elect.*

Secundus eſt, in electione Superiorum & Officialium regularium, quia fieri hæc debet per ſecreta ſuffragia, itaut ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur aliàs eſt irrita, & qui ſe aliter ſinit eligi eſt ad omnia beneficia & officia in Religione obtinenda eſt inhabilis, Trident. *ſeſſ. 25. de regular. cap.6.*

His caſibus tertium Portelius *de dubijs regul. verbo electio num. 4.* adiungit, nempe cum de Nouitio inter religioſos ad plura capitularium ſuffragia aggregando agitur, cum enim ſortitò aliquid agere, ſit eius euentum ſorti committere, quam tamen in re Religioſa, ac Nouitij ad Dei cultum initiandi ſuſceptione, dominari non deceat, mirum eſſe nulli debet, ſi repudiatis ſortibus, ſuffragia Regulares ipſi ſua, more in electionibus conſueto dare debeant.

Dubium quartum, *Sitne electioni eſſentiale quod ſcrutatores tres ſint numero, non pauciores nec plures.*

Quorundam fuit opinio, electioni vim nullam eſſe poſſe, niſi qui vota inquirant, eaque publicent, tres ſint numero, ijque de collegio, cuius cauſa fit electio, Boerius *in cap. 23. de elect. litera O.* Contra pugnant alij, Ab his ſtandum exiſtimo qui Pontificis mentem expreſſam in *cap. quia propter*, ſequendam aiunt, quo cauetur vt *tres de Collegio aſſumantur. Si tamen inquit, Mandagotus cap. citato, ſecus factum, fuerit*

A *irritari propter hoc electio non debebit*, traditque Boerius *ad cap. proxime citatum, litera R.* quod etſi ſcrutatores ſex in electione Abbatis Calens. fuiſſent adhibiti, quorum tres erant de Collegio, & tres aliunde, iudicaſſe Romæ Pontific. quique diiudicandis iuris de conſcientia ambigui controuerſiis in foro præſident, ratam hanc eſſe, Tutius eſt tamen à Concilio àc canone quia propter non recedere.

Dubium quintum, *An qui electioni propter morbum, aut ſimile aliquod impedimentum intereſſe nequit, poſſit, qui vices ſuas in ferendo ſuffragio expleat, idoneum aliquem ſibi ſubrogare*
B *de collegio ſuo hominem.*

Dubitandi cauſam Concil. *ſeſſ. 25. cap. 6.* verba ſuppeditant, quod enim eo loco Patres negent, ei qui electioni faciendæ cum auctoritate præeſt, fas eſſe, Prouinciales *Abbates, Priores, aut alios quoſque titulares, ad effectum electionis faciendæ conſtituere, aut voces, & ſuffragia abſentium ſupplere*, abſenti quoque fas non eſſe aiunt, deligere cui vices in ſuffragando ſuas tribuat.

Verum enim in oppoſitam Doctores fere omnes opinionem abeunt, paucos à multis
C ſeligam, de quibus cæterorum ſit iudicium, aciem ducit Cardinalis Mandagotus, proximime ſequitur Boerius *in tract. de elect.* per eundem Mandagotum in lucem edito, his aſſentiuntur Laym. *tract. de prælat. Eccl. cap. 4. q. 43.* Portel. *in dub. regularib. verbo electio num. 2. additionis ad addition.*

Ab his ſtandum eſſe Doctoribus, vt exiſtimem, facit hæc Romani Pontif. oratio *in cap. ſi quis iuſto de elect. in 6. ſi quis iuſto impedimento detentus, in electionis negotio ne-*
D *queat commodè intereſſe, poteſt nedum vni prout dicitur in Concil. generali, ſed etiam pluribus vices ſuas committere.* Idem habetur *in cap. quia propter 24. de elect. parag. vlt. & cap. ſcriptum eod. tit.* ergo cum à iure antiquo recedi nequeat, niſi cũ eſt à nouo emendatum & correctũ, non ſit hoc autẽ quo de agimus, ambigẽdi cauſa mihi ſupereſſe iuſta vlla nõ poteſt, quin & hoc tẽpore cuique impedito, ne comitijs ſuper electione futuri Prælati habendis intereſſe queat commode, ſibi ſubrogare quempiam liceat, qui tanquam procurator, committentis nomine ſuffragium
E ferat,

Nam ad Trident. reſpondetur, per illud prohiberi duo dũtaxat, quorum neutrum in præſenti negotio locum habet, in primis enim Regularibus prohibet, ne ad dandum ſuffragium eligantur aut deſignentur noui titulares, aut Abbates, ſecundo ne abſentium vota ſuppleantur, quorum neutrum, quiſquis alieno ore, hoc eſt Commiſſarij ſententiam in Capitulo dicit, infringit ac violat; nam Abbati aut Titulari nullus hic

locus, qui delecti ambo ab electionis præſide, pro abſente dent ſuffragium. Nullus item ſuppletioni vocum, nam hæ tunc ſuppleri dicebantur, cum abſente Capitulari, eoque nulli partes ſuas committãte, is qui electioni præerat imperabat alicui, ſiue is Collegij pars foret, membrumque, ſiue non, vt pro abſente ſententiam diceret, ac ſuffragium cum cæteris daret, quod fieri nec poteſt nec debet, quod in detrimentum boni communis ac publici, ea redundare ſuppletio poſſet.

Id autem ita eſſe vt dicitur, nec Concilio viſum fuiſſe vnquam, prohibere Procuratorum vſum in electionibus, cum quis votum ſuum ob morbum v. c. aut quodpiam tale impedimentum dare per ſe nequit, reſpondiſſe Congregatio ad cap. Concil. citatum dicitur. Sic enim Marzilla in ſuo libro declarationum Cardinalium *ad cap. 6. ſeſſ. 25. Procuratores vero legitime conſtituti, cum generali mandato ad eligendum, non excluduntur, dummodo non habeant mandatum de certa perſona eligenda, tunc enim votum non eſſet ſecretum.*

Patet ex dictis non poſſe lege vlla aut ſtatuto prohiberi Regularibus ne amodo (cum eis intereſſe publicis ordinis ſui Comitiis per cauſam honeſtam ac iuſtam non licebit) aliquem de Capitulo qui ſuo nomine ſuffragetur, tanquam Procurator, ſibi ſubſtituant, quia legi Pontificiæ vim ſuam, nulli, cuius ſit poteſtas Pontificia minor, abrogare eſt licitum: at eſt Religionum omnium in ſciſcendis ſtatutis auctoritas Pontificiæ impar, vt quæ ab ea, tanquam à capite riuulus aliquis dimanet, quæ ſunt ergo à Cõcil. Later. ſub Innoc. III. decreta ſapienter de Procuratore ab his ſi velint conſtituendo, qui ob negotia ad electionem accedere vocari nequeunt, Religioni alicui conceſſum, non eſt, decreto aliquo antiquare contrario.

Patet ſecundo, ſic eſſe in iure Capitularium, ius ſuo loco ferendi ſuffragij dare alicui, vt neminem in particulari de Collegio notent, quem excluſis alijs ad Prælaturam vacantem vocet. Hoc enim eſſet extra ſcrutinium, publica re ſuffragium, quod non licet. Deinde eſſe ſingulorum vota, ſecreta debent. At quod ſcitur à Procuratore, quodque ſcripto ab abſente committitur, non eſt arcanum, vt declarauit, Marzilla teſte *ad cap. 6. ſeſſ. 25.* Concil. Congregatio Cardinalium.

Quid ſi infirmus eſt in ciuitate? Ei tunc quoque erit liberum mittere de Collegio, aut alium aliquem de alterius Eccleſiæ gremio, qui quod ille faceret ſi præſens foret, idoneum ad gubernacula ſuo calculo euehat. Quod ſi ipſe ſenſum explicare ſuum malit, bini eum ſcrutatores conuenient qui

A quam in partem inclinet, & pro quibus aut quo faciat, de eius ore reſcient. Nec erit, pro quolibet alio negotio ab electione diſtincto ad eundus poſtea, Mandagotus *tract. de elect.* Boerius ibi littera in ſcholiis R. qui ambo quoque aſſerunt, ſcrutatoribus, vbi ad cœtũ reuerterint, in id incumbendũ eſſe ante omniia, vt vota electorum publicent, factaque collatione numeri ad numerum, zeli ad zelum, cum in quem pars maior ſaniorque conuenerit, clare ac diſtincte renuncient.

B Dubium Sextum, *An procuratores ad conuentum mitti bini queant, & ſi poſſunt, an eundem tam ſuo, quam mittentis nomine eligere debeant.*

Quæſtioni primo factæ reſpondit olim Boniſac. VIII. *in cap. ſi quis iuſto 46. de elect. in 6.* eſtque in eo illius reſponſio, quod Capitularis quilibet, quem ad ſua, aut aliena negotia, infirmitas, timor, aut impedimentum ſimile quodpiam is domo egredi non ſinit, non vni tantum, *prout dicitur in Concil. generali, ſed & pluribus, committere vices ſuas poſſit, dum tamen eorum cuilibet det in ſolidum poteſtatem eligendi,* C videlicet vt vnus ſine alio eligere queat. Quod ſi ambo ad Capitulum admitti poſtulauerint, *audire eos non expedit, quia poſſent vota ſua dirigere in diuerſos, ſicque res non haberet exitum, & quod ab eis hoc caſu fieret, non valeret, ſed is admittatur duntaxat, quem Capitulum vel pars maior elegerit,* quod ſi alternarent Canonicorum ſuper ea reſententiæ, nec in vnum è duobus conſentirent, tum enimuero qui primo eſt loco in procuratorio poſitus, præferri debebit alteri. Boniſ. in *cap ſi quis 46. de elect. in 6.*

D Ab eodem quoque, poſtremæ eſt quæſtioni in eadem decretali, factum ſatis: nam Procuratoris, quod ſuo tanquam Capitularis dat nomine, & alieno; id eſt eius à quo deputatur idem vult eſſe votum, nam ſi ſunt diuerſa, quam diuerſitatis huius prætexet cauſam? cum enim in eum ferri ſuffragium, debeat qui cæteris eſt opinione ſua potior, & ad gubernandum aptior, qua ab eo conſcientia deflectet, quem pro tali habet, vt ad alterius minus illo digni partes tranſeat?

E Excipiendus eſt caſus, in quo *de certa perſona eligenda, ſibi dominus ſpeciale dediſſet mandatum, tunc enim in illam eius, & in aliam, ſuo nomine licite poterit conſentire cap. ſi quis iuſte 46. parag. porro cum vſus.*

Dubium ſeptimum, *Quid ſit collationem fieri numeri ad numerum zeli ad zelum, & an hæc ſit ſubſtantialis electioni, quæ fit per ſcrutinium.*

Publicato ſcrutinio mox, id eſt nullo actu extraneo interiecto, facienda eſt, collatio numeri ad numerum, hoc eſt, examinandum quis

quis electorum plura ſuffragia tulerit, ad quem eligentes numero ampliori tranſierint, vt is electus eſſe conuentui renuncietur à Præſide.

Fiet collatio zeli ad zelum, ſi Præſes cum ſcrutatoribus intelligat vtra pars meliorem elegerit, vtra minus vitioſum. Et quidem ſi electus (inquit Boerius *ad cap. 31. Mandagoti*) ijs eſt animi, corporis, ac natalium ornatus dotibus, quibus eum præſtare canones volunt qui ad puppim ſedet Eccleſiæ, vt quod ſcientia, moribus, ac ætate eſt ad aliorum regimen ſufficiente ac idonea, non autem alius, B quem hæc omnia, aut aliqua de illis ornamenta, vnum aut plura deſtituunt, qui primum eligendum ſibi crediderint, hi poſtremos zelo ac iuuandæ Eccleſiæ voluntate ſuperaſſe dicentur, quod dignum illi, onerique parem ſibi præficiendum exiſtimauerint, non iſti, in quem magna natalium, maiora morum animique dedecora coëunt.

De ſecunda quæſtione, quod ſtrictim dici poteſt ac breuiter, hoc cum ſummarum ſcriptoribus aio: eſſe collationem hanc de qua eſt quæſtio, electioni intrinſecam, ita ex Bartholo *in tract. de Epiſc. in 1. part. lib. 3.* Boerius *ſupra litera D.* & probatur. C

Habet decretalis Innocentij *quia propter de elect.* earum rerum ſeriem quibus electionem ne ruat conſtare eſt neceſſe, ſed in ea collationis zeli ad zelum meritique ad meritum fit mentio: eam ergo non omittent, qui operam in eligendo ſuam luſiſſe nolent.

Deinde, cui nō eſt compertū, ei tantum Eccleſiæ magiſtratum; cuius cauſa fit electio, eſſe lege canonica debitum, in quem maior, ſaniorque Capituli pars aſſenſerit. Iam vero ſcire aueo qui id electionis præſidi conſtare D queat, niſi collatione facta numeri ad numerum? quæ tamen non foret neceſſaria, ſi vnus duntaxat nominatus eſſet, habet enim collatio omnis terminos duos, quorum vnus in eo comparatur alteri, quo an iſto maior ſit, aut minor, planum eſſe queat.

Dubium octauum, *An ad electionem canonicis aut Regularibus progredi liceat, cum à conuentu quo ſuffragandi cauſa venerant*, de eorum ſe numero, abſque neceſſitate non pauci ſubducunt? Si Capituli pars maior remanet, id quorſum venere electores, ſuntque vna coacti E abſoluere poterūt: quia Capitulū eſſe creditur, vbi pars eius maior viſitur, ibi Collegium, vbi plures degunt, quam qui inde abſunt: quare ſtari tunc debet iudicio partis maioris & ſanioris; quodque facit ac ſtatuit, pro rato eſt habendum: quare eo vnde diſceſſere, reuocare illos non erit neceſſe, cum paris ſit contumaciæ vocatum non venire, & cum veneris, ſine cauſa abſcedere inſalutato hoſpite.

Quid ſi pars maior conuentum deſerat? quid ſi domum conſulto, ac communicato inter ſe conſilio redeat?

Reſpondendum, his qui ſunt reſidui, mouendum nihil tum eſſe, ſed tempora electioni alias faciendæ magis opportuna, expectanda eſſe. Quia quod Capituli pars maior decernit ac cenſet, ſequi id minor debet, at cum illa domum re infecta remigrat, cum animorum conſenſione incredibili, omnes è cœtu ad ſua quiſque negotia abeunt, iuſta eſt manentibus exiſtimandi cauſa, id illos feciſſe & facere, vt cœtum ſoluant, cui eorum voluntati, pars minor debet obſequi, nec ad electionem proinde progredi, niſi inſtaret terminus ad eam à iure præſtitutus, aut eſſet in mora periculum, in hoc caſu, inquit Laym. *qu. 42. de Prælatis pars minor in Capitulo manens abſque aliis eligere aut decernere non prohibetur.*

Dubium nonum, *An cum agitur de aliquo negotio in Capitulo, deſiniri illud ſchedis debeat, & ſi non, an ſuffragia certa eſſe oporteat.*

Non ſunt ſchedæ alibi adhibendæ neceſſario, quam in Prælatorum electione: quare ſi quid eſt ambiguum ſi, quid incertum, quod plurium terminari iudicio oporteat, id lapillorum qui varij ſint inter ſe coloris, aut fabarum fit iactu in vrnam: prudens hic tamen eſſe debet, non cæco animi factus impetu, nam qui ſine delectu, clauſiſque, vt aiunt, oculis, lapillum, albus ne an ater foret, neſcius, in vrnam mitteret, nihil faceret.

Primo, quia errantis non eſt voluntas: ergo cum qui temerè ſuffragatur, penſi nihil habēs quid moliatur ac agat, erret, nihil facit. Antecedens probatur multis legibus & ratione. In lege enim *nihil* Conſenſui *digeſt. de regul. iuris*, eſt his verbis: *non videntur qui errant conſentire.* Quid enim, inquit lex, *tam contrarium conſenſui quam error?* & *in lege ad probationem Cod. de locato & conducto* eſt *inſcientiam errantis non habere conſenſum.*

Ratio idipſum peruincit, Suffragio ad id cuius cauſa datur & exigitur, vis eſt nulla, ni ſi dato voluntarie. At temere non tantum, ſed fortuito quoque cum lapillus in vrnam mittitur ſine delectu vllo perſonæ cui datur, aut negotij cuius cauſa exquiritur, voluntariè non datur; nec in vrnam mittitur Quid eſt enim voluntarium? Id cuius principium eſt in aliquo cognoſcente ſingula in quibus eſt actus, Ariſtot. *lib. Ethicor. 3. cap. 1.* quod erranti non conuenit, vt patet: ergo cum qui modo de quo loquimur ſuffragatur, ad perſonam de qua deliberatur in Capitulo, aut negotium quo de agitur, indifferenter ſe habeat, addo amplius, nec ſciat, an eo lapillo quem manu gerit, illi prodeſſe, aut obeſſe, probare aut reiicere queat, non cenſetur eius ſuffragium voluntarium, cum eius circunſtantias ignoret, quare nullum putari debet,

Secundo, eſt electio ex Diu. Thom. 1. 2. *q.* 13. voluntatis internæ actio, quæ tum elicitur, quando prius intento fine, & cognito per intellectum, ea de multis mediis quibus ad eum perueniri poteſt, vnum aliquod poſt conſultationem accipit, quo ad illum tendat, ac conſequatur ſi poſſit ac liceat, at tale nihil facit, qui quem primo fortuna illi lapillum obtulit, cepit, immittendum in illum vrnæ loculum quem fors daret, nam nec iſte, finem vllum ſuffragij ſibi ſui habet animo propoſitum, nec actum externum efficacem vllum ad eius aſſecutionem dirigit: non fuit ergo eius electio vera: ergo nulla.

Dubium decimum, *In electione facienda peccari quando, & quomodo accidat.*

Primo, peccatur, cum ab eis fit electio, vel cum eis qui eligendi ius nullum habent, quo de genere ij ſunt omnes, qui cenſura ſunt aliqua nexi, & ſunt denuntiati, aut notorij Clericorum percuſſores, nam communis eſt Doctorum opinio, eiuſmodi homines dare vacanti beneficio miniſtrum ac præſidem non poſſe, & in *cap. 1. de appell.* habetur, quod excommunicato denũciato rem negotiaque cũ fideli habere, in communi vita non liceat.

An autem eligi excommunicatus queat, res eſt explicanda.

Aut enim ſcienter facta eſt electio, aut ignoranter, ſi ſcienter, irritandam eſſe quidam aiunt, vt eſt in textu decretalis *ſi celebrat. de excomm. miniſtr.* ſi ignoranter, validam eſſe volunt ac firmam. Eius opinionis fautores ſunt ac patroni Sylu. in *verbo excommunicatio 4. num. 4.* Pet. à Soto *lectione vltim. de excomm.*

Quibus obſiſtunt Innoc. *in cap. vltimum ſi celebrat. de Clerico excomm. miniſtr.* Butrius & Ioan. Andr. *ibid. num. 5. & 10.* Couar. *in cap. Alma mater. 1. par. parag. 8. num. 3.* Comit. *lib. reſponſ 6. q. 28. num 4.* quorum mihi ſententia priore videtur probabilior ac potior. Quare vt electionis cauſa, conſilij ſocietatem coire, aut eligere nequeunt ſuſpenſi ab officio, *cap. cum dilectus de conſuet. cap. cum inter de elect.* Irregulares *cap. is qui de ſentent. excomm. in 6. parag. vlt.* aut qui ſcienter celebrauit in loco interdicto ibid. qui ſcienter indignum ſeu incapacem eligit, *cap. cum in cunctis 7. de elect.* aut qui culpa ſua, aut aliter poteſtate eligendi excidit: vt (inquam) hi omnes eligere canonica vetantur lege: ita ſi id moliantur ac tentent, aut eligentibus præſentiam ſuam accommodent, peccant, quia canonum præſcripta non ſeruant.

Peccant ſecundo, qui in Eccleſiis regularibus aut Monaſteriis expreſſe aut tacite non profeſſos, item laïcos conuerſos ad eligendum admittunt, quia curn decreto Boniſac. VIII. in *cap. ex eo quod 32. de elect. in 6.* eligere ac *cum Clericis, electionibus intereſſe non ſinantur,* non poſſunt non eſſe, ac videri culpabiles, ſi contra quàm Pontifex prohibet, agant, ab iiſque ad cæteros, à quibus ad id munus plenum caritatis ac meriti admittuntur, culpa tranſit: nec enim vt eſt apud Apoſt. ad Rom. *cap.* 1. digni hi ſunt tantum morte, qui diuina humanaque conculcant iura, ſed & qui ea violantibus conſentiunt: quare ab iis eiuſmodi homines, quique illorum ſunt in inhabilitate non abſimiles, à dicendo ſuffragio repelli debent, quod ſi ſit hæc dubia poterunt quidem dum de ea conſtiterit plenius, ad ſuffragandum admitti ea lege, illorum vt ſuffragia non plus valeant, quam de iure debeant, Abbas in *cap. Cumana de elect. num. 2.*

Tertio, peccant electores, cum electionis faciendæ modus, præſcriptaque per canones ratio non ſeruatur.

Dubium vndecimum, *Qualia eligentium vota eſſe oporteat ac ſint neceſſaria.*

Eccleſia paſtore viduata, (nec enim beneficiũ viuẽtis legitime ab eo poſſeſſum dari poteſt alteri, *ca 2. & 3. de conceſſ. præb & ca. 2. eod. tit. in 6.*) Eccleſia (inquam) vacante intra tres menſes à die vacationis, ſi de prælatura agitur, *cap. ne pro defectu 41. de elect can. poſtquam y aiſt. 50.* ſi de aliis beneficiis intra 6. menſes, omnes quibus ius eligendi competit, ad electionem ſunt vocandi *cap. bonæ memoriæ 36. de elect. cap. quod ſicut de elect.* ſi modo ſint in prouincia, *cap. coram dilecto filio 35. de elect.* & commodè ex eo vocari loco poſſint, vbi forte verſantur ſpectatis circunſtantiis, ac cuiuſque loci & Eccleſiæ conſuetudine, Gloſſa & Abb. *in cap. coram 35. de elect.*

Quod ſi electorum quiſpiam in ciuitate commorans, electioni ob infirmitatem, aut quampiam aliam ſimilem cauſam intereſſe non poterit, eius ſuffragium erit à ſcrutatoribus inquirendum, ac renunciandum electoribus aliis, Sylu. *ver. Electio 1. q. 5. dicto 1.* Nam de electorum numero eligi aliquot oportet, qui ſingulorum vota gnauiter exquirant, exquiſitaque fideliter perſcribant, *cap. quia propter de elect.*

Hæc autem debent eſſe cum de Epiſcopo eligendo laboratur de digniſſimo. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 1. & 8. q. 1. can. licet 15.* cum de electione ad Cathedrales aut Collegiales Eccleſias agitur, Coraſius *parte 4. cap.* 3. non ad alias, Coraſ. ibid.

Tertio, debent ea vota pura eſſe, certa, abſoluta, non conditionata, aut alternatiua.

Quarto, danda ſunt à capacibus, non idoneis, ſed dignis ac dignioribus, quod ſi hi ad electionem venire vocati neglexerint, aut cœpta electione exierint, qui reliqui erunt, modo maiorem ipſi partem ſuffragantium componant, ad electionem procedere poterunt, Sylu. *ſupra q. 5. dicto 5.* Laym. *de benef.*

cap.

cap.12. nu.4. Qui autem *in eo loco non eſt, de quo aduocari debuit, iuſtoque impedimento detentus venire non poteſt vnum aliquem procuratoris* n omine de collegio aut conuentu conſtituet qui vicem ſuam obeat, *cap. quia de elect.* quod ſi ad electionem accedere quidem valeat, ſed nolit, ſuoque iuri pro ea vice renunciet, ordinario & communi iure, non erit cogẽdus, niſi eius abſentia in præiudiciũ Eccleſiæ ceſſura videretur, Armil. *ver. electio n.28.*

Votorum verò, vbi primum erunt collecta, antequam fiat ad alia negotia tranſitus, facienda eſt publicatio. *Electiones*, inquit Pontifex, *in cap. quia propter 42. de elect. clandeſtinas reprobamus, ſtatuentes, vt quam cito electio fuerit celebrata, ſolenniter publicetur*, quia ea mutare poſtea non licet, *cap. publicato ſcrutinio 58. de elect. & cap. in cauſis 30. eod. tit.*

Dubium duodecimum, *Eligi ad beneficia qui nequeant.*

Ad Epiſcopatum & Prælaturas euehi per electionem nequeunt minores annis 25. *cap. innotuit 20. de elect. parag. quamuis autem*: in eo tamen diſpenſari poſſe tradit ibi Innoc. III. *cum non fuerit prohibentis intentio*, (Alexandri ſcilicet III. in Lateran. Concil.) *qui ſucceſſoribus ſuis nullum potuit in hac parte præiudicium generare, pars poſt eum, imo eadem poteſtate futuris, cum non habeat imperium par in parem.*

Tertio, eligi nequeunt crimine notati, *diſtinct. 85. can. 1. cap. omnipotens 4. de accuſat. valde enim graue eſt vt vir de quo ſcelera nunciantur (cum ante requiri & diſcuti debeant) honoretur*, quæ autem crimina, eligi eum vetent, qui de illis eſt ſuſpectus aut conuictus, habet Conc. Toletan. 4. in *can. 18.* qui refertur à Grat. *diſtinct. 51. can. qui in aliquo 5.* quæ non ſunt ab his diuerſa, quæ aliquem ab ordine remouent.

Quarto, ſchiſmaticus eligi prohibetur, *can. nos conſuetudinem diſt. 12. & cap. diligentia tua 5. de elect.* excommunicatus maiori excommunicatione, *cap. poſtulaſti 7. de Clerico excom. miniſt.* & minore *cap. ſi celebrat. 10. eod. tit.* Simoniacus *cap. Matthæus de Simonia*, homicida, *cap. ex literis 10. de exceſſib. præl.* publicus aleator, *cap. querelam de iureiur.* Irregularis, *cap. is qui de ſentent. excom.* ſuſpenſus *cap. cum dilectus 8. cap. per inquiſitionem 20. de conſuetud.* Interdictus *cap. cum inter de elect.*

In Abbatem autem non poteſt eligi nouitius, & non profeſſus regulam, *cap. cum cauſam 27. de elect. In vno enim eodemque officio, non debet diſpar eſſe profeſſio*, quod etiam in lege diuina prohibetur, dicente domino. *Non arabis, ſimul in boue & aſino, id eſt homines diuerſæ profeſſionis, in officio vno non ſociabis*, *26. q. 7. can. in noua 22.* Et paulo poſt. *Qui in adminiſtrationibus, Eccleſiæ Pontificibus ſociantur, diſcrepare non debent profeſſione nec habitu*,

A ibid. quare *cum Abbates tales eſſe non debeant qui per profeſſionem Monachi & Canonici regulares non fuerint*, vult Gregor. eius nominis IX. in decret. *cum in magiſtrum 40.* ad amotionem eorum procedi, qui tales fuerint.

Secundo, cæteris qui eſt melior, virtutumque omnimoda ſuppellectile inſtructior, eſt his ante ferendus, quorum minor eſt virtus, minor ad regendum Eccleſiam induſtria, *2. q. 1. can. hi quæcunque.*

Tertio, non alius in Epiſcopum aut Abbatem eligi debet, quam qui moribus iuxta, ac
B eruditione maxime Eccleſiaſticarum rerum, cæteris ſi minus præſtat, at certe non omnino ineruditos, earumque rerum rudes æquat, *cap. cum in cunctis 7. de elect. cap. qualiter 17. cap. cum nob. 19. de elect.*

Quarto, nec ſuſpenſis *cap. dilectus 8. de conſuet. cap. inter de elect.* nec excommunicatis ad dignitates, officiaque Eccleſiaſtica eſt aditus, *cap. per inquiſitionem 26. eod. tit.*

Sexto, remouentur ab Epiſcoporum & Abbatum numero, qui ſunt alterius ordinis, *Clement. 1. de elect. & in Extrau. vnica de poſtulat. prælat.* aut Eccleſiæ, ad quam paſtor per
C electionem quæritur, *cap. cum ſingula 32. de præb. in 6. & diſtinct. 61. can. nec emeritis.*

Septimo, in Abbatem eligi Canonica iura nolunt, qui in regula Monachali non ſit inſtructus, *cap. officij 38. de elect.* & ſacro aliquo ordine initiatus, *diſt. 60. can. innouamus diſt. 61. can. Oſius.*

Dubium decimum tertium, *Quænam ſint beneficia, quæ in electiuis numerari debeant.*

Beneficiorum quæ per electionem deferuntur, tres ſunt ſpecies, quædam enim ſola
D indigent electione, & propter implicitam collationem, eiuſdem ſunt, inquit Bleyanus in *Theor.* naturæ, cum purè collatiuis, dicunturque propterea collatiua electiua. quædam ſunt quæ confirmationem ſubſequentem exigunt, & hæc dicuntur electiua confirmatiua. Tertij generis ſunt ea, quæ electiua ſunt proprie, & in quibus locum habet nominatio regia, cuiuſmodi ſunt Abbatiæ *16. q. 7. can. Abbas 8. q. 2. canon Abbatem.* Prioratus Conuentua les, Patriarchatus, Archiepiſc. *diſt. 63. can. Metropolitano*, Epiſcopatus, *cap. cum in*
E *cunctis 7. de elect. can. nos re 12. diſt. 63.* Ad ſecundum genus pertinent Præpoſituræ Eccleſiarum Collegatarum, *cap. 1. de elect.* (niſi aliud conſuetudo aut fundatio exigat) Decanatus item Cathedralium in multis locis, vt Syluanecti in æde B. Mariæ Principe & ſancti Reguli De Prioribus exemplum ſuppeditat Prioratus Monaſticus, eorum quæ ſunt tertij generis, Epiſcopatus & Abbatiæ, ad quæ tamen beneficia per electionẽ non venitur in Gallia, exceptis paucis, quæ ſuæ eſſe nominationis Rex noluit: eiuſmodi ſunt Ordinũ capita, vt S. Bernardi, S,

Triadis ſub nomine Maturinorũ, S. Norberti, Vallis Scholarium, Grandimontis, Carthuſienſium, Billetorum, Fullienſium, Benedictinorum de reformatione S. Mauri, Canonicorum S. Auguſtini in æde D. Genoueſæ ſacra apud Lutetiam, quibus agente apud Chriſtianiſſimum Regem Eminentiſſimo Cardinali Rupefucaldio, poteſtas eis eſt ab eo facta deligendi ſibi è ſuo cœtu Abbatis; cui inſignia magiſterij generalis, ac præfecturæ in ordinem vniuerſum cõferrent, renouandæ, aut in alium triennio quoque transferendæ.

Conceſſum idem Religioſis è S. Benedicti familia ſub reformatione Caſæ Benedictinæ, quorum Oeconomiam, vt probarunt Leo X. Clem. VII. Paul. III. Paul IV. & qui poſtmodum rexere Eccleſiam Pontifices Romani: ita approbarunt Galli Reges Carol. IX. Henricus III. IV. & Ludouicus XIII.

Dubium decimum quartum, *An ſit peccatum, dignum digniori præponere, cum beneficia per concurſum ſunt danda.*

Dico primò, *In mandandis ſacerdotiis, tam ab eo qui mandat, quàm ab eo cui mandantur, peccari grauiter, cum quæ per concurſum, & oppoſitionem meritorum dari debent, non conferuntur digniſſimo.*

Facit ad propoſitionis huius fidem authoritas tam expreſſa Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 18. de reformatione* quàm Patrum, variis locis aſſerentium, non alium, quam qui meritis cæteros antæit, ad Parochiale beneficium quod eſt poſſeſſore deſtitutum, admouendum eſſe: Illuſtriora ſunt quæ continentur in *canone, Metropolitano* 10. *diſt. 65. can. licet* 15. *cauſa* 8. *q.* 1. in priore enim Leo Papa mentem ſuam his verbis edíſſerit ac explicat: *Metropolitano defuncto,* (quod enim hic de eo dicit, eſt de Parocho ſimiliter intelligendum, cum ei incumbat alienæ ſaluti operam dare, ſicut & Metropolitæ:) Metropolitano igitur defuncto, inquit Leo, *cum in loco eius alius fuerit ſubrogandus, Prouinciales Epiſcopi ad Metropolim conuenire debebunt, vt ex Presbyteris eiuſdem Eccleſiæ, Diaconus optimus ordinetur.* Habet hæc in altero, *can.* Gratianus ex Hier. petita commentariis in Leuiticum. *Requiritur in ordinando Sacerdote præſentia populi, vt ſciant omnes, & certi ſint, quod qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotiũ.*

Tridentini mens eadem, loco citato. *Peracto deinde examine renuntientur quotcunque ab his idonei iudicati fuerint, ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus, ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis.* Et paulo poſt. *Cum inſtitutio erit ab alio, quam Epiſcopo facienda, tunc Epiſcopus ſolus, ex dignis eligat digniorem; & cap. 1. eiuſdem ſeſſionis. Omnes vero & ſingulos, qui ad promotionem præficiendorum ius habent, hortatur ac monet, vt meminerint eos alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis vtiles iudicauerint, non quidem precibus, vel humano affectu, ſed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curauerint.*

Habet his contentanea Diu. Thom. 2. 2. q. 63. *art.* 2. reſponſione enim ad primum tradit, eligere quidem poſſe Prælatos de conſanguineis ſuis eos, qui æque ac alij, qui mandari ſibi ſacerdotia poſtulant, his regendis erunt idonei: non autem ſi erunt his alij digniores, quales in adminiſtranda Eccleſia prætermittere, eſt alienis peccatis communicare, vt Trident. verbis vtar loco proxime citato, ac *mortaliter peccare,* cum teneantur Epiſcopi (verba ſunt Concil. eo loco) *quos digniores & Eccleſiæ magis vtiles iudicauerint, non precibus, aut humano affectu, & ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis præficere.*

Secundo, digniorem aut digniſſimum digno poſtponere in concurſu eſt Eccleſiam magno, inſignique priuare bono, quod ei tam elector, quam collator, ex officio ac contractu, quodam inter hos & illam tacito, procurare tenentur; illam quidem de ſtipendio collatori & electoribus exhibendo, quod ſit eorum meritis, operæque par & æquale, hos autem, de obſequio ei exhibendo: quod tamen non faciunt, cum dignum digniori, aut digniſſimo anteferunt, cum quo quiſque eſt doctrina maiori præditus, quo cæteris virtute præſtantior, hoc Eccleſiæ adminiſtrandæ ſit aptior.

Dixi in concurſu, & in beneficio *cui animorum incumbit procuratio,* nam cum Epiſcopi cæterique qui Parochiis præſunt, in animorum bonum incumbere debeant, rudes docere, errantes in viam reducere, ægros ſanare, hæreſes extirpare, nec huic prouinciæ tam graui ac neceſſariæ vlli ſint alij pares, quã qui ſunt experientiſſimi, bonarumque artium, ac virtutum ſuppellectile inſtructiſſimi, his minus idoneos præferre, quid eſt aliud quàm in re graui, ac momenti non vulgaris, Eccleſiam prodere, ſeque cum multis præcipitem in certam mortem dare? cùm à Præſulum induſtria curáque in retinenda recta fide, boniſque moribus, animorum ſplendor maieſtaſque pendeat Eccleſiæ, vt ab eorundem inſcitia, incuriaque in excolenda ſibi commiſſa plebe, certa animorum pernicies.

Quid? quod *Leuitici 8.* hunc ſibi Deus in Sacerdotem, qui omnes virtute non æquabat modo, ſed etiam coniectura non admodum improbabili ſuperabat, dari voluit? cuius rei fuit hoc argumentum non leue, quod eius virga in omnium floruit oculis, eaque arida, ac alieno tempore: qua de re conſulendus Orig. *hom. 8.* Regem autem, qui Iſraeli ius daret, hunc vngi iuſſit qui cæteris eminebat,

quoque

quoque alius non erat in vniuerſitate populi melior 1. *Reg.* 10. legendus Greg. *lib.* 4. *Reg. cap.* 4.

Equidem ſunt inſtitutæ præfecturæ Eccleſiaſticæ primario, diuini cultus gratia, ſecundario autem vt virtutis, qua quiſque præſtat, induſtriæque, ſint præmia. Abit ergo à fine, cuius cauſa Eccleſiæ placuit erigere beneficia, qui ad ea non eligit, aut eadem adminiſtrāda digniſſimo non committit, quando ſunt per concurſum, aut oppoſitionem virtutis, ſcientiæ, atque meritorum conferenda.

B Neque tamen ideo collatorem ac collatarium, reſtituere quidquam eſt neceſſe, non quidem Eccleſiæ, cum non ſit damno affecta, quia qui ei præficitur, tali præpoſitura eſt dignus, non digniori, quia tunc dignior non habet ius ſtrictum ad illam, ſed largum, honeſtatis atque decentiæ, & ita non fit ei propriè iniuria. Deinde quia in tali caſu beneficium inſtitutum eſt principaliter propter ſeruitiū Eccleſiæ, & non propter eos qui ſunt ſeruituri: ita Cand. *de benef. diſq.* 18. *art.* 8. *dub* 3. *aſſert.* 5.

C Eſt tamen beneficij facta in concurſu collatio alteri quam digniori, nulla, ex conſtitutione Pij V. quæ incipit, *in conferendis*, lubet eum audire ſic ibi loquentem. *Authoritate Apoſtolica collationes & inſtitutiones Parochialium Eccleſiarum ab eiſdem Epiſcopis & omnibus alijs ordinarijs contra formam Concil. Trident. præſcriptam, præſertim in examine per concurſum faciendo, factas, aut in futurum faciendas, nullas, irritas, nullius roboris vel momenti fore & eſſe, nullumque prouiſis ius aut titulum etiam coloratum poſſidentibus præbere, ex nunc ſtatuimus, decernimus & declaramus.*

D Dubium decimum quintum, *An ad peccati fugam ſit ſatis beneficia ſimplicia dignis dare.*

Affirmat Filliucius *to.* 3 *de benefic. tract.* 41. *cap.* 4. *q* 9. *num.* 181. Ab eo diſſentiunt qui nobiſcum non peccare mortaliter electores, aut Collatores aiunt, cum digniorem aut digniſſimum digno poſthabent, id tamen ſemper, aut frequenter facere peccatum eſſe mortale, docent Leſſius *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 14. *num.* 66. Reginal. *lib.* 30. *trac.* 3. *num.* 197.

E Dicti ſui cauſam hanc habent, quod in eo Collatores præuaricentur ſuo muneri, beneficiaque, eorum ignorantia, morumque turpitudine, quibus ea largiuntur, inquinent.

Sed pace eorum ſit dictum, aut nunquam eſt peccatum, aut ſemper. Nam ſi Eccleſia non læditur, cum vnum aliquod ſimile beneficium digno tribuit, cur cum multis multa?

Deinde cum hic ſalus hominum, Eccleſiæque non agatur, ſed tantum beneficiarij in legendis horis, dicendo ſacro, idque pa- A ri omnes merito, laudeque, ſi ſacrificij, fructuſque ei debiti ex opere operato habeatur ratio, quæro cur hic quam ille ſit beneficio ſimplici dignior? cum ambo ſi velint, pari fructu orare, ac litare poſſint?

Excipiendi ſunt hi caſus: primus, cum in Eccleſia in quam eſt aſſumendus beneficiarius, nullus eſt aſſumpto dignior, nam ex vicinis eiuſdem prouinciæ, aut alienis, alium vocare non eſt neceſſe, quod eſſet iiſdem Eccleſiis ea vocatio damnoſa ac exitiabilis, vtpote quæ eaſdem veris ſuis ac legitimis miniſtris priuaret.

Secundus eſt, cum beneficium quod vacat, eſtque conferendum, non magni eſt ad Eccleſiæ, & animarum commodum momenti ac ponderis, vt ſi vnum tantum, aut duos habeat, qui ex officio ſacro intereſſe debeant quod ibi fit, & quidem quam rariſſime. Enimuero non videtur tum Eccleſia lædi grauiter præpoſitura minus digni: ergo nec peccari grauiter. Candid. *ſupra dub.* 2. Aragon. 22. *q.* 63. *art.* 2.

Cauſa eſt, quod materiæ leuitas à mortali excuſet, at quod ſemel ac iterum dignior prætermittatur in huiuſmodi beneficijs, non niſi modica fit Eccleſię iniuria: ergo, &c.

Oppoſitum dici debet cum magni refert tale beneficium dari digniori, aut digniſſimo, vt ſi ab eo multorū aliorum collatio dependeat, ſi ſuo poſſeſſori ius det ſuffragij, in præcipuis regni Capitulis, Nauar. *Miſcellan.* 38. *de oration.* quia in tali caſu, non poteſt non eſſe dignioris aut digniſſimi deſertio dānoſa Eccleſiæ, fidelibus periculoſa ac grauis, quod cum accidit, eam à mortali culpa non ſeiungi, dixit Leſſius *num.* 66. vt proxime dicere me memini.

Tertius eſt, cum fundatorum voluntate, ex certa ſumendi ſunt familia, aut Eccleſia, qui rectore ſuo deſtitutam adminiſtrent, nam tunc eius familiæ digniſſimo vacantis Eccleſiæ habenas committere, ad fugam culpæ eſt ſatis.

Ratio eſt, quod obligatio præferendi digni digniori, fundatorum in Eccleſiam beneficentia compenſata videatur, adeout quantum ei per grauamen libertatis tam ſuæ, quam ordinarij, in non arciſcendis vndecunque magis idoneis decedit, tantum eidem accedat commodi, per reditus, ac obuentiones annuas, quas prædictis fundatoribus Eccleſię dare placuit, ad alendum idoneum hominem qui Deum precibus ac ſolitis in Eccleſia religionibus coleret: vide *canon. nullus* 13. & *can obitum diſtinct.* 6.

Dixi (*idoneum*) nam mihi non eſt improbabile, tum maxime patroni aduerſus Eccleſiam quam fundare appetit, voluntatem admittendā non videri, cum eam (maxime ſi

curam animarum habet) deferri indignis præcipit : quia vt eſt hæc pactio à charitate, prudentiaque aliena, ita eſt cum animarum periculo coniuncta: neque enim eas curari, aut ad virtutem dirigi, ab ignaris eſt facile.

An autem vt in Collatore, ita & in patrono locum hæc habeat aſſertio dicetur poſtea.

Ad hos caſus addendi ſunt & alii ex Nauar. *miſcell. 38. de orat.* Regin. *lib. 30. cap. 14. num.* 200. Leonardo *cap. 34. dub.* 13. in quibus ſine peccato, præterito digniore eligi ad beneficium dignus poteſt.

Primus eſt, cum omnium, aut maioris partis ſuffragia conſpirant in vnum aliquem minus idoneum, nam tunc in ſententiam eorum ire, vt dignior excludatur, non eſt peccatũ, quia hoc non eſt ad illud cõcurrere. Enimuero eligere minus dignum, non eſt crimen, niſi cum ſpes eſt obtinendi dignioris, quæ tamen hic eſt nulla, vt ſupponitur, cum plurium ſuffragia ferantur in minus dignum, eumque omnes, aut plures velint, præferri cæteris, beneficioque præfici poſcant.

Secundus eſt, cum digniorum in electionem minus digni liber conſenſus interuenit (modo tamen per eam non multum lædatur Eccleſia, vt fit cum indiget dignioribus) nam ex *regul. iuris 27. de regul. in 6. ſcienti, & conſentienti: non fit iniuria, neque dolus*, at ex hypotheſi, in præpoſituram digni præ digniore digniſſimi quique quorum intererat ſe non negligi, conueniunt, ſeque illi poſt poni non abnuunt: ergo, &c.

Tertius eſt, cum patronus dignum ordinario inſtituendum, non digniorem offert, nam illum, & non iſtũ recipere conuenit, ſanxit id Toletan. Concil. *9. can. 9.* vt refertur *16. q. 7. can. decernimus 33.* vult item Cæleſtinus in *epiſt.* ad Epiſc. Galliæ 2. *cap. 5.* vt cum eſt voluntate fundatorum certo homini & ex certa familia, aut Eccleſia, beneficium affectum, ei detur: ſitque facultas Clericis retinendi, ſi ſe viderint præ grauari, & quos ſibi ingeri ex tranſuerſo agnouerint, non timeant refutare *diſt. 61. can. nullus* 413.

Quartus eſt, cum iuſta aliqua eſt cauſa, recedendi à canone, quo dignis præponi digniores imperatur, vt ſi electus ſit pius, ſi pauper, & bene de Eccleſia meritus, pauperesq; propinquos habeat, quos ab eo, ſubſidio pecuniario, aut quopiam alio ad vitam opportuno, iuuari conueniat, Nauar. *miſcellan. 38. num. 5.* Regin. *lib. 30. cap. 14. tract. 3. num.* 200.

Quintus eſt, cum beneficium per reſignationẽ, reſignatario regendum committitur, Leſſ. *lib. 2. cap. 34. dub. 13. nu. 61.* Regin. *lib. 30. cap. 14. num. 179.* Caiet. *verbo be-*
A *neficium.*

Primo, quia reſignantis non ſunt hæ partes, dare operam vt Eccleſiam adminiſtrent digniſſimi, & tamen piam eius aduerſus alium voluntatem refelli ſæpe non expedit.

quid? quod iuxta decretum Concil. *in ſeſſ. 24. cap. 1.* ad reſignantem non pertineat eligere ad beneficia, aut ea conferre?

Secundo ceſſat in eo cauſa quæ electionem vitioſam efficit, nempe fidelitatis, ac
B iuſtitiæ ratio, quem electione indigni, aut collatione beneficij eidẽ facta, vel facienda lædit, nemini eſt ambiguum: nec enim reſignanti rẽ cõmunem Eccleſię agere ex propria muneris ſui ratione incũbit, nec violari aut lædi hæc poteſt, cum ſibi iſte hominẽ ſubrogat, à quo peræque commode, ac laudabiliter regatur ac eam ipſe pro virili ſua adminiſtrabat antea, cum ab eo aliud poſtulare Eccleſia videatur non poſſe. Extra hos caſus peccatum eſt ſaltem veniale, dignum in collatione Canonicatuum, aut ſimplicis beneficij digniori præponere, quia eſt hoc
C à fidelitate diſcedere, quæ Oecononum ac diſpenſatorem obligat ad diſpenſandũ quã ei fas eſt optime bona Domini ſui, quod nõ facere, eſt minimum peccatum veniale.

Dubium decimum ſextum, *An electio digniore prætermiſſo ſit irrita, & an ei à digno reſtitui quid oporteat.*

Eſt ſane in ſacerdotiorum Eccleſiæque regimine, habenda digniorum præ dignis ratio: id enim caritas aduerſus Deum fideleſq; exigit, quos ad virtutem, ab illis plura quàm iſtis, recepturos auxilia nemo ambigit. Nã vt eos doctrina præeunt, vt virtute illis ac merito nõ
D cedunt, magna in omnem partem habitura eſt eorum oratio ad imprimendum in popularium ſuorum animis, vt vitiorum odium, ita & amorem recti ac virtutum, quod ipſum ſolum ſi eſſet, enim verò electoribus ac Collatori ſatis acre potenſque calcar foret, ad maieſtatem tuendam Eccleſiæ, digniorum in ea adminiſtranda optione præ dignis.

Dubium decimum ſeptimum, *An digni electio ſit irrita præ alio ſe digniore*

Aſſertio prima, *Cum ſunt digniores in electione, aut Collatione dignitatis aut beneficij præ-*
E *teriti, non eſt irrita dicti ſacerdotij facta alij quam digniori collatio*: ita Comitol. *lib. 1. reſponſion. q. 77.*

Ratio eſt, quod hæc ſit à capaci ac potente facta dignis ac capacibus, præter quæ duo collatio vim vt habeat, iureque ſit conſcientiæ rata, accedere quid debeat, non video.

Secundo, Collationi factæ ab ordinario non impedito, aut electioni, quæ eſt à capacibus, vis ſua, ponduſque non perit, niſi ex cauſa, ſecus ſit Pontifici viſum, aut peccet illa contra formam præſtitutam à canonibus: At horum

horum nihil in cauſa præſenti accidit: non vltimum, nam vt proximè dicetur, non ex hoc reprobatur electio, quod poſſit alius inueniri magis idoneus, dummodo qui eligitur ſit aptus.

Non primum, nam etſi Pij V. conſtitutio quæ incipit *in conferendis*, *edita anno* 1566. 21. *Mart.* inanes reddat ac irritas collationes omnes, in quibus ſeruata non ſit forma perſcripta a Trident. *in ſeſſ.* 24. *cap.* 18. *de reform.* in qua eſt, vt beneficium digniori detur; nihilominus ex eadem conſtitutione liquere ait Comitol. ſupra, ſi ſecus ſit factum, collationem nullam non eſſe, ſed annullandam.

Secunda aſſertio, *Ne ſint electio ac collatio in foro contentioſo inualidæ, ſatis eſt dignum eligi.*

Confirmat hanc ſententiam canon, *Graue nimis* 29. *de præbend.* vbi eſt his verbis: *Præcipimus, vt prætermiſſis indignis, idoneos aſſumant qui Deo & Eccleſiis velint, & valeant gratum impendere famulatum.*

Docet id ipſum ratio, cum non ſint per ſpecta, clareque electoribus, ac Ordinario collatori merita ſingulorum cognita, in magnas hi redigerentur anguſtias, ſi tam ſeuere foret ſingulorum qui magiſteria Eccleſiaſtica ambiunt, diſcutienda induſtria, examinanda capacitas, vt collata minus digno, idoneo tamen, firmitudinem non haberent.

Deinde ſi non eſt electio rata, niſi de digniori facta, & ipſa patietur calumniam, & tam electus, quam prouiſus, ambigere merito de iure ſuo poterunt, cum neſciant, an cæteris dignitate præſtent, ac meritis, eo autem ambos cogere, hanc vtrique religionem dare, quæ ab officio dignè, ac cum laude præſtando eos cohibeat, aut auocet, è re communi eſſe quis putet?

Aſſertio tertia, *Qui dignum hoc eſt ſcientem, & probum hominem, hiſque rebus quibus excellit Eccleſiæ futurum vtilem, beneficio digniore prætermiſſo, donat, Eccleſiæ aut communitati fidelium nihil eſt quod reſtituat.*

Quæro enim cui Eccleſiæ? at eſt hæc digni electione hominis, extra omnem metum ſubeundæ in bonis ſuis ac iuribus aleæ, aut ſimilis alicuius iacturæ. Beneficio? at illud, ſi eſt electus ſibi traditæ cum illo prouinciæ, par ac æqualis, ſi ea dignus ac ſacerdotio cui hæc cohæret, vt effectus cauſæ ſuæ, prudenter geret omnia & ex fide, nihil diſtrahet, nihil incuria perdi ſua ſinet, orabit loco ſuo ac tempore, in ſumma, quæ officii ſunt ſui, curæque ſicut gnauus frugique paterfamilias, ſine cuiuſquam offenſa faciet. Si quid ergo vlli oportet ab Ordinario reſtitui, maxime præterito ac digniori. Id verò quam non eſt probabile? Quæro enim quid & quantum ei ſit reddendum? Deinde quo iure fretus dignior poſtulare id queat? cum ius nullum in beneficio

A actuale habeat, ſed congruitatis tantum ac decentiæ.

Tertio, reſtituere eſt rem alienam, aut ei æquivalentem ac parem [illegible] rependere, damnaque quæ ſunt per culpam illata, ſarcire, vel eorum æſtimationem refundere. At nihil horum in caſu præſenti accidit, nec enim à digno in digniorem aut digniſſimum quidpiam eſt profectum quo amborum lædentur opes, aut eorum iuri vis fieret, nec digniſſimo aut digniori quidquam ille abſtulit, quod illorum eſſet, cum beneficium quo carent, quia eſt digno collatum, nunquam fuerit eorum proprium, nec ius hi in illo habuerint, quo ſint per eius collationem digno factam eo priuati. B

Contraria ſententia fuit Caiet. 22. *q.* 63. *art.* 2. *parag.* 7. Palud. *in* 4. *diſtinct.* 15. *art.* 2. quod beneficia non ſint tantum operæ à beneficiario collocatæ ſtipendia, ſed meritorum præmia, in quorum diſtributione, digniores præferri dignis cum debeant, quod his dabitur (inquiunt) reddi illis oportebit.

Sed eſt reſpondendum, ius omne quod illis, id eſt dignioribus competit, in maiori adminiſtrandi beneficii capacitate, quam quæ digno conuenit, fundatum eſſe: quare cum C eius violatio, non ſit proprie iuris in re transgreſſio, quæ ſola reſtitutionem parit, non erit illa, iſtius faciendæ cauſa neceſſaria.

Obiicies, Eccleſiam dare velle ſtipendium alteri quàm digniori, non conſtat, cum eius in ſtatuendis beneficiis, ac prouentibus aſſignandis hic ſit ſcopus, vt eligatur digniſſimus, cui conferantur. Dat ei ergo Eccleſia inuoluntarie, qui tantum eſt dignus.

Ad antecedens dicendum, proponi in eo D veriſſime, Eccleſiæ in conferendis beneficiis Eccleſiaſticis intentionem eſſe, iuſta ſtipendia miniſtro digniſſimo tradere, cum eius interſit, multorum induſtriam ad commodum, prudenſque ſui regimen, mercede, eaque non vulgari acuere; eſt tamen falſum, hæc eam nolle tribui niſi ei, qui verè ſit omnium digniſſimus: hæc enim, digno præſentato, à patronis, aut electo dari patitur: nec enim à Confeſſariis vlla iniici religio collatoribus eſt ſolita, nec patronis, aut electoribus, cum præſentant, eligunt, aut beneficio cumulant, qui his ſunt inſtructi conditionibus, quæ eos ſacerdotio dignos reddūt, E non digniſſimos: quod facere tamen Confeſſarios, eſſet neceſſe, ſi ob neglectum digniſſimi, à Collatore aut electoribus facienda eſſet aliqua reſtitutio.

Quarta aſſertio; *Dignum qui eligit aut ei ſacerdotium tribuit, dignioribus aut digniſſimis omiſſis, reſtituendi Eccleſiæ aliquid, nexum contrahit.* Ita ſentiunt, Sotus *in libro* 4. *de iuſtit.* 4. 6. *art.* 3. *ad* 6. Adrian. *in* 4. *de reſtitut. parag. quia determinatum eſt*, Regin. *lib* 30.

tract. 3. cap. 14. num. 196.

Probatur, reſtituendi obligatio ex re aliena duntaxat oritur, quæ ſit apud alium, vel iniuſta actione aut contractu, neutrum hic cernitur, non res aliena, quia beneficij collatio digno facta homini, eſt rata, vtpote capaci, ab eo vt ſupponitur, qui ad id authoritatem habet, quanta eſt opus. Non iniuſta actio, quia cum digni ad beneficium electio, aut eiuſdem facta illi per Epiſcopum collatio, Eccleſiæ non ſit futura noxia, nec hic aut electores teneantur ex iuſtitia, optimos quoſque ei miniſtros quærere, ſed bonos, non eſt digni per electores ad beneficium electio, aut per Epiſcopum eiuſdẽ facta illi collatio iniuſta, nec proinde hic & illi contra iuſtitiam Eccleſiæ debitam faciũt: obligationẽ ergo reſtituendi non contrahũt.

EPITOME TRACTATVS De Electione ex Canonibus, Concilijs ac decretis Pontificum.

CAPVT PRIMVM.

Quinam in Epiſcopos & Abbates eligi debeant.

Eligi debent ad magiſtratus Eccleſiæ, qui ſcientia, moribus & ætate ſint idonei, *Clem. de ætate & qualitate præficiendor. cap. cum in cunctis 7. extra de elect. Irreprehenſibiles enim eſſe conuenit, quos præeſſe neceſſe eſt corrigendis, diſtinct. 61. can. in Sacerdotib. 2.* eos inſuper qui eligũtur tanto ab aliis interuallo rerum notitia ac eruditione ſeiungi cõuenit, quanto cum erũt electi à fidelibus poteſtate different, ſi fides eſt S. Auguſt. apud Gratian. *1. q. 1. can. vliſsimus 45.* his verbis: *Vliſsimus computandus eſt, niſi precellat ſcientia & ſanctitate, qui eſt honore præſtantior, vt enim ad hoc eligitur, qui vt cæteris proſit, ſicut præordinatur dignitate, ſic præminere debet ſanctitate, alioqui cur cæteris præfertur, qui nulla meritorum gratia à cæteris aſſumitur?* Quare qui rerum eſt Eccleſiaſticarum ignarus, vt ab Eccleſiæ remouendus eſt regimine, ita & à paſſiua electione, *diſt. 36. can. 2. quia literis carens, ſacris non eſt aptus officiis ead. diſt. can. 8. cap. cum in cunctis 7. de elect. verſu, & literarum ſcientia.* Multo minus ei ad Eccleſiæ gubernacula patere debet aditus, qui malis eſt moribus: quare de excommunicato non eligendo cauetur, *in cap. extremo verſu ſi tamen ſcienter de Clerico excomm. miniſt.* de non

A vocando ſchiſmatico *24. q. 1. can. pudenda 33.* de remouendis autem ſuſpenſis mandatum habes, *in cap. per inquiſitionem 26. de elect.*

In Abbatem autem nequit eligi qui ex matrimonio non legitimo eſt natus, *cap. cum in cunct. 7. de elect. verſu & de legitimo, &* licet *in cap. 1. de filÿs presbyteror.* permittantur qui ex fornicatione ſunt nati, ad ſacros ordines promoueri, cum fiunt Monachi,

B vel in congregatione canonica viuunt regulariter, *prælationes tamen nullatenus habere poſſunt.*

Pari pœna plectuntur, qui non ſunt profeſſi, *cap. cum cauſam 27. cap. cum ad noſtram 37. cap. cum in magiſtrum 39. de elect. cap cum nullus 28. eiuſdem tit. in 6.*

Item qui rerum vſu experientiaque non valent, quæ autem ad ordinem ac inſtitutum ſpectant non callent, *cap. officij 38. de elect.* eo quod illos antequã diſcipuli fuerint, magiſterium capeſſere reliquorum non deceat, *cap. cstato verſu, Nos autem.*

C In eandem cogendi ſunt claſſem, quibus eſt de crimine aliquo non leui in foro dicta dies, *cap. omnipotens 4. de accuſat.* qui ordinem nunquam ſunt profeſſi, ſed mere ſunt Laici. *Diſcere enim prius quiſque debet antequam doceat, & exemplum religioſæ conuerſationis de ſe potius aliis præſtare, quam ſumere.* Hormiſda Papa in *epiſt. 3. ad Epiſcopos Hiſpan. cap. 1.* Senſus idem canonum 4. 5. 6. 8. & ſeptimi *diſt. 61.*

Qui ætatem per canones neceſſariam, non ſunt aſſecuti, Abbates eſſe nequeuut, *ca. eam 10. 4. cap. indecorũ 3. de ætate & qual. præfic.*

D nec qui ſacro Preſbyterij ordine intra annũ inſtitui nequeũt, *c. vt Abbates 1. eod. tit.* nec qui alterius ſũt profeſſionis aut ordinis ab eo, ad quem in Abbates eliguntur, *de poſtul. prælat. verſu necnon profeſſorem, Extrauag. vnica inter communes, & in Clement. prima de elect.* eſt his verbis: *Prohibemus ne religioſus aliquis in Abbatem vel Prælatum alterius religionis vel habitus de cætero eligatur.*

Tempora ſunt tamen duo numero, in quibus bona id canonum venia fieri non eſt vetitum.

E Primum, cum Religioſus, ſæcularis aut regularis cuiuslibet Eccleſiæ, fit eorum calculo qui ſuffragandi ius habent, Epiſcopus.

Secundum, cum qui ex canonico factus erat Monachus, ad canoniam ſuam ex cauſa reuertitur, hunc enim præfici Monachis, eorumq; fieri Abbatem poſſe, reſpondit Innoc. III. in *cap. intelleximus 12. de ætate & qualitate præficiendorum.*

Nec hi modo à Cœnobiorum ſunt præfecturis remouendi, qui inſtitutum ſunt ac regulam

regulam profeſſi aliam, quam quæ eſt frequenti recepta vſu, in eo Monaſterio quo vocantur vt ei præſint, ſed & illi, qui alterius ſunt domus cœnobiique incolæ, etſi inſtituti, vitæque genere ſint inter ſe quam ſimillimi, ita Pontifex *in cap. cum ſingula 32. de præbend. in 6. prohibemus*, inquit, *ne Prioratus, vel Eccleſiæ, aut adminiſtrationes, ſeù officia vnius Monaſtery conſueta per eiuſdem Monachos gubernari, committantur deinceps abſque authoritate ſedis eiuſdem, alterius Monaſtery Monachis gubernanda, nec hactenus commiſſa dimittantur eiſdem.*

Dixit eandem ſententiam Cæleſtinus Papa in *epiſt.* ad *Epiſc.* Galliæ. *cap. 4. & 5.* relatus à Grat. *diſtinct. 61. can. 12. & 13.* mens fuit opinioque Gregor. eadem *lib. 11. epiſt. 16. Commonemus*, inquit, *fraternitatem tuam vt nullum de altera eligi permittas Eccleſia, niſi forte inter Clericos ipſius ciuitatis, in qua viſitationis impendis officium, nullus ad Epiſcopatum dignus potuerit inueniri.*

Et quoniam iura quæ de habenda ratione qualitatis perſonarum in eligendo Clemens V. obſeruari præcipit in *Clem. 1. de ætate & qualit. præficiendor. parag. nos Volentes*, quibus hæc ad honores Eccleſiæ aditus intercluſos eſſe velint, indicare non erit inane. Ab his ergo decreto Pontificum, remouentur Simoniaci *cap. ſuper eo 12. cap. ſi alicuius 59. de elect.* Schiſmatici *24. q. 1. can. pudenda*, niſi per diſpenſationem, *cap. quia diligentia 5. de elect.* Excommunicati *cap. Vltimo verſu ſi tamen ſcienter de Clerico excomm. miniſtr.* Auari & non hoſpitales, *diſt. 85. can. 1.* Suſpenſi *ca. per inquiſitionem 25. de elect. cap. 1. de poſtulat. prælat.* Minores annis 30. *cap. cum in cunctis, cap. cum nobis 19. Verſu de legitima tamen de elect. cap. ex ratione 2. cap. indecorum 3. cap. eam 10. 4. de ætate & qualit. præficiend. diſt. 51. can. Vlt. parag. qui nondum*, niſi forte eſſet ea dignitas ad quam fit electio eiuſmodi, cui animarum cura non immineret *cap. Vnico de ætate & qualit. præfic. in 6.*

Ad hoc genus hominum adiungi ſequentes debent, & ita non ſunt in Prælatos eligendi illegitimi, *cap. 1. de filiis Presbyt. cap. cum in cunctis 7. de elect.* in ſacris non conſtituti *diſt. 60. can. innouamus, diſt. 62. can. Oſius parag. ſed aliud.* Accuſati ac denunciati *cap. omnipotens 4. de de accuſation.* dignitatem ambientes *8. q. 1. can. in ſcripturis can. ſciendum can. qui Epiſcopatum 11.* Quod ſi de Abbate creando deliberabitur, ad eam prouinciam admitti Nouitii non poterunt, *cap. cum in Magiſtrum cap. 49. de elect. cap. nullus 4. 28. eod. tit. in 6. Clem. 1. de ſtatû Monachor.* In ſumma, quiſquis ad magiſteria aſpirat Eccleſiæ, debet apprime eſſe eruditus, & doctus, irreprehenſibilis, maturus, pauidus *8. q. 1 can. oportet 12.*

Cap. 2. *Vt electio ſit valida, rataque, quæ* A *conditiones ſint neceſſariæ.*

Omnis autem electio vt ſit rata ſecundum formam à canonibus præſcriptam eſt facienda, quia eſt hæc electioni ſubſtantialis & intrinſeca: ergo ſpecifice implenda.

Confirm. tam eſt forma ad electionem requiſita per canones, ad eius validitatem neceſſaria, quam quæ poſtulatur ad alienationem & matrimonium, ſed facta rerum Eccleſiæ per Clericos abalienatio ſine ſolennitatibus quas canon *ſine exceptione cauſa 12. q. 2.* exigit, eſt irrita, inanis item ac nulla, à marito coniugalis fides fœminæ data, niſi vtrin- B que mutuo coram Parocho ac teſtibus, matrimonij ſe legibus ſancte obligent: cuius rei cauſa, non eſt haud dubiè alia, quam quod poſitæ ad contrahendum formæ non ſint ſeruatæ: ergo à pari ſi qui præſtituuntur electoribus eligendi modi, ab his iſti diſceſſerint, erit per eos facta electio, ſine vi ac momento, proindeque irritanda.

Confirm. vnio non vocatis vocandis facta & ſine cauſæ cognitione eſt nulla ipſo iure, quia actus omiſſa formâ conceptus nullarum eſt virium, *cap. cum dilectus de reſcript. lege* C *cum ij parag. ſi prætor dig. de tranſactionib.* quo argumento DD. freti, cum Rebuff. in *commentar. ſupra formam mandati Apoſt. verbo, ac volentes*, aſſerunt mutatione qualibet etiam leui in ſubſtantialibus mandati ſolennitatibus, reddi illud nullum: ergo & à pari corruet electio, forma ſi ſua caruerit integra, aut parte eius aliqua.

Etſi autem ſit electio valida non ſeruatis iuris apicibus, ſed ſubſtantiali forma duntaxat, non ſunt hi tamen contemnendi facile, ne via litibus pateat. Ita Ludouic. Portelius in D *dub. Regular. verbo Electio num. 14.* vbi ait, D. Franciſci ſectatores ac æmulos, cum de præficiendo ordini magiſtro Generali, aut Cœnobij vnius cuiuſpiam Rectore agunt, facere officium, cum ſubſtantialia adhibent, etſi electionis apices prætereant, aut non ſeruent.

Sane non eſt electio ipſo facto nulla, ſi vnus quiſpiam ad eam non vocetur, ſed irritanda duntaxat, ſi velit, *cap. bonæ memoriæ 36. de electione:* ſimiliter ſi de nocte fiat vt dicitur in *cap. eod. tit.* dummodo tanta in conclaui E vbi hæc fit, luminarium ſit copia, quanta diſpellendis tenebris ſit idonea, Portelius *ſupra numero 5.* eiuſque tùm continuandæ iuſta non deſit cauſa, vt ſi electio ſit incœpta, ac in eius ad ſequentem diem dilatione, moraque, non leue ſit periculum, Rodrig. *to. 2. qq. q. 51. art. 15.* Nauar. *lib. conſil. 1. tit. de elect. conſil. 2.* at huius rei cauſa non eſt alia, quam quia non ſunt hæc ſolennia, electioni eſſentialia, ſed eius aliqua tantum accidentia: non ſunt hæ ergo electionum minutiæ, ſic ad earum eſſentiam neceſſariæ, vt earum defectu, abſentiaque corruant,

Quod ne accidat opus eſt,

Primo, vt ſecreto, & ſigillatim per ſcriptum electorum recipiantur ſuffragia.

Secundo, vt eorum publicatio coram fiat, ac in cœtu eligentium communi.

Tertio, vt illico ac ſtatim poſt ſcrutinij publicationem, nullo actu cótrario interpoſito, eorundem inter ſe fiat collatio, *ca. 42. de elect.*

Quarto, vt electo maior pars ſuffragetur Capituli. Portelius ſupra *num. 14. cap. cum inter 21. parag. diſcretionis veſtræ, cap. cum in iure 33. cap. venerabilem 34. cap. coram. 35. & cap. ſcriptum 40. paragr. per Apoſtolica ſcripta de elect.* Quod autem preter allatas, nulla ſit alia inſuper ſolennitas ad electionis ſubſtantiam neceſſaria cum fit per ſcrutinium, colligitur ex his Innocent. Papæ verbis in decret. *Quia propter 42. de elect. Statuimus, vt cum electio fuerit celebranda, præſentibus omnibus qui debent & volunt, & poſſunt commodè intereſſe, aſſumantur tres de Collegio fide digni, qui ſecretè, & ſigillatim vota cunctorum diligenter inquirant, & in ſcriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorſus appellationis obſtaculo interiecto, vt is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel maior & ſanior pars Capituli conſentiat: aliter electio facta non valeat.* Hæc ille.

CAP. 3. *Electionis quotuplex ſit forma.*

Electionis tres ſunt duntaxat formæ, per Scrutinium, Compromiſſum, & Inſpirationem, *cap. quia propter 42. de elect.* Eſt ſcrutinium quando vota ſingulorum ſigillatim ac ſecretè inquiruntur, ac inquiſita ſcribuntur ab vno de ſcrutatoribus.

Eſt compromiſſum, quádo electio facienda viris idoneis tribus aut quatuor v.c. committitur, vt electorum partes agant, Eccleſiæque viduatæ de paſtore prouideant *cap. cauſam quæ 8. cap. cauſis 30. de elect.*

Inſpiratio eſt, cum afflante S. Spiritu omnium in vnum vota conſpirant, moribus ſcientia ac ætate ... dignum prouincia, ad quam eorum ſuffragiis vocatur.

CAP. 4. *Electio ne ſit vitioſa, quid exigat.*

In eligendo autem ne quid peccetur, tenenda eſt hæc ratio, ſocietatem coire conſilij Electores debét, vt ad quem diem, hebdomadam, aut menſem eos conuenire oporteat, de plurium conſenſu ſtatuant, ſtatutumque abſentibus renunciandum curent, quos omnes citari conuenit *cap. quod ſicut 28. parag. ſi autem de elect. cap. venerabilem 34. parag. ſi obiectionibus cap. eorum 35. eod. titulo.* Quod ſi aliquos non vocatos fuiſſe conſtiterit, ſed contemptos, irritanda erit electio penitus, taliter celebrata, niſi poſtea propter bonum pacis curauerint conſentire *cap. quod ſicut 28. de elect.* ſi tamen non eſſent in prouincia, aut procul poſiti moneri de electione futura nequiuiſſent,

A electioni vis facienda nulla foret, *cap. quod ſicut citat.* P. Gregor. *in Inſtit. iuris lib. 1. tit. 29. litera H.* Pupillus tamen ſiue impubes poteſt non moneri, & in Regularibus Eccleſiis, qui non eſt profeſſus, *de elect. in 6. cap. 32.* & apud Minoritas qui biennium à profeſſione non exegit, quo tantum tempore ius olim habuiſſe ſuffragij ad electionem, auctor eſt Portelius *de dub. regular. verbo elect.* quem morem in multis Monialium cœnobiis non ſine fructu inuectum conſtat, quod communiter impubes, ac filiæ quæ à profeſſione biennium B nō ſunt egreſſæ, prudétiâ tantum ac ratione non polleant, quanta deligendis ad dignitates ac Monaſteriorum officia puellis, è cœtu ſuo idoneis ſit ſatis, in eam includi claſſem debent furioſi, & amentes, quos ius infantibus comparat, excommunicati & interdicti non tolerati, nam cum omnis cum illis ſit fideli cuique, extra neceſſitatis tempora, cógreſſio vetita: ecquid eos ad illa commerciorum genera illicere, quæ facere, aut obire ipſi nequeunt ſine crimine, vlli poteſt eſſe glorioſum ac laudabile?

C Vbi de die inter electores conuentum erit, tum enimuero ad ſeſe mutuo de loco habendæ electionis referent, de quo dici hoc vniuersè poteſt, communiter alium non eſſe à capitulo *cap. in cauſis de elect.* vel choro Eccleſiæ *cap cum nobis de elect. cap. qua fronte 25. de appell.* aut quopiam alio honeſto, (nam cameræ Epiſcopalis aut palatij fit in *cap. qua fronte* citato métio) eò vero ſuffragandi cauſa, priuſquam electores conueniant, miſſam omnes de Spiritu ſancto audient, prout in Concil. Baſil. præcipitur, *in pragm. ſanct. paD rag. & cum humana de elect.*

Sacro religioſè audito à ſingulis, vel dicto, ad ectionem venitur: cuius, cum per ſcrutinium proceditur, eſſe hæc forma debet. Primo, communi conſenſu ad plura ſuffragia, tres de Collegio deliguntur, qui ſcrutatores appellantur, eo quod ſcrutentur ſuffragia, eaque in ſcripta redigant, redacta antequam alio diuertatur, publicent. Poſt publicationem ſequitur collatio, hoc eſt numeri ad numerum, zeli ad zelum, meritorum ad merita comparatio, ac ſi forte in duos aut tres ſuffragia diuiſa fuerint, is præferendus erit aliis, in E quem eligentium maior pars vel ſanior conſenſerit, *cap. quia propter 42. de elect. cap. Cumana 50. cap. in Geneſi 55. cap. Eccleſia 57. eod. titulo.*

CAP. 5. *Per quid electio reddatur vitioſa.*

Electionem ſi de facto vitia quæ ſequuntur, irritam non reddunt, at certe talem quæ reſcindi valeat.

Primum, quod ſit facta, omnibus qui intereſſe poterant ac debebant, non vocatis, *cap. bona memoria de elect.*

Secundum

Secundum, quod ante obitum beneficiarij cui ſubrogari ſucceſſor debet, ad eam ſit ventum *7. q. 1. can. factus 5. can. Nouatianus 6. ca. ſcire, cán. petiſti, can. denique 9. eiuſd. quaeſt. à cauſa*, niſi forte Epiſcopus in cuius locum viuentis adhuc, ſublectus fuiſſet alius, factus fuiſſet Monachus *7. q. 1. can. temporis parag. item cum aliquis*, aut alium ſibi ob ſenectutem, aut inualetudinem ſubſtitui peteret *ead. q. & cauſa can. ſicut vir parag. eſſe his authoritatib. can. nihil parag. ecce & can. petiſti.*

Tertio, nec debet electio fieri antequam defuncti Epiſcopi aut Abbatis corpus terræ ſit mandatum, niſi fortè ex cauſa neceſſaria ac vrgente *can. nullus 7. diſt. 79. cap. bona memoria 36. parag. electionem extra de elect.*

Quarto, ne de vitio ſit ſuſpecta, electio non debet in ſummo Pontificatu differri vltra decem dies, *cap. vbi periculum 3. parag. hoc ſacro de elect. in 6.* vltra trimeſtre in aliis prælaturis, *can. poſtquam diſt. 50. cap. ne pro defectu 41. & & cap. vltimo de elect.* vltra ſemeſtre in cæteris beneficiis, alioqui ipſo iure, eligendi poteſtas vt caduca, ad proximum ſuperiorem deuoluetur, *cap. ne pro defectu 41. de elect.* cui tantum ad præſtationem officij liberi temporis iura canonica tribuunt, quantum per eadem, alteri, à quo ad illum, eligendi ius eſt dilapſum, licebat. Si iuſtam tamen aliquam ſibi fuiſſe non eligendi ſuo tempore cauſam electores probarent, vt quod per Superiorem, ſine cuius licentia eligere nequeunt, ſteterit, quo minus intra ſtatutum tempus elegerint, iure ſuo non exciderent, quia eius iactura, negligentiæ in fungendo ſuo munere cum oporteret, certa eſt pœna, at cum cauſam obtendere iuſtam quis poteſt, quamobrem quidpiam non fecerit, quod eum ex officio oportebat facere, de culpa, negligentiaque non poteſt argui: ergo nec puniri.

Sexto, canonica non eſt electio, cum fit ad clamorem populi *cap. 2. de electio.* vel per ſortes, *cap. vlt. de ſortil. & 26. q. 2. can. non ſtatim can. non exemplo*, vel per Simoniam, *cap. penult. de elect.* nec cum electo, *ſuper prælatione, ad quam fuit taliter electus, illa vice poteſt Epiſcopus diſpenſare. ibid.*

Septimo, vota ab vnoquoque, de vno emitti debent certa, pura, ſine conditione, alternatiua non valent, *de electio. in 6. cap. 2. de poſtulat. prælator. in 6. cap. vnico.*

Nec dubia, vt ſi in ſcheda ſuffragium quis ſuum ſub hac verborum forma conceptum tribuat. Eligo Petrũ vel Iacobũ, nec cũ conditione datas, nempe ſi vocem ipſe ſuam ab opere futuro pendere elector velit, vt ſi dicat, Petrũ eligo, ſi ſe his virtutibus eſſe præditum probauerit, quæ virum decẽt natum ad imperium. Rodrig. *to. 2. qq. q. 51. art. 4.* nec publica, quia ſecreta ſingulorum eſſe debent ſuffragia: *cap. quia propter 2. de elect.*

CAP. 6. *De Confirmatione electi.*

Electioni autem adiungenda eſt confirmatio, *cap. cum in cunctis 7. extra de elect. cap. cum nobis 19. & cap. 44. eod. titulo*, quam à ſuperiore proximo petere electus debet, *cap. poſtquam 3. de elect.* hanc tamen ei concedere niſi facto prius de eius vita, moribuſque examine, iura vetant, ibid. quæ quoniam *melius poſſunt, vbi eſt conuerſatus agnoſci, inquirantur ibid.* Greg. III in decret. *poſtquam citata proxime*, cõfirmans autẽ communiter non eſt alius quam Metropolitanus, *diſt. 64. can. 1. in fine can. extra 5. can. illud 8.* niſi prouincia primatem haberet, tunc enim confirmare electum ad eum pertinet *diſt. 65. can. de perſona 4. & in Concil. Carthag. 2. can. 12. Placet omnibus* (aiunt ibi Patres) *vt inconſulto Primate cuiuslibet prouinciæ, tam facile nemo præſumat, licet cum multis Epiſcopis, in quocunque loco ſine eius vt dictum eſt, præcepto, Epiſcopum ordinare*, quod tamen non fuiſſe olim Gallis in vſu probant Iuonis querelæ *epiſt. 65.* de Hugone Lugdun. Primate qui ab Archiepiſc. Senon. contra Eccleſiæ Gallicanæ morem poſtulabat, *vt ante conſecrationem ſuam illi præſentaretur, & iure primatus ſui ſubiectionem & obedientiam profiteretur*, cui in eo parendum non eſſe, argumentis ex conſuetudine regni oppoſita contendit. Certius eſt quod de iis qui ad Roman. Pontificem immediate pertinent, ſcribit Innoc. III. in *cap. nihil eſt 44. de elect. parag. cæterum, & cap. cupientes 16. eod. tit. in 6. verſu quoad illas*, nam ad percipiendam ſui confirmationem, eius ſe conſpectui præſentare perſonaliter, aut alterius cuiuſpiam opera ad id eos vti oportere aſſerit niſi quid excuſet, quæ autem in eam rem expenſæ fient, erunt ex beneficii reditibus, reddendæ ei qui fecit.

Nec eſt tamen electo impertienda confirmatio, niſi examinato, examinis materia ætas, ſcientia, natiuitas. Inquirendum enim eſt primo, de electi ætate, & an eam attigerit quæ canonibus eſt præſcripta *cap. cum nobis 19. de elect.* an ea ſit literatura præditus, quæ ad functionem officii ſit neceſſaria, ibid. an ex legitimo natus connubio *cap. cum Vintonienſis 25.* an ab iis ſit electus penes quos ius eſſet eligendi *cap. querelam 24. eod. tit.* aut poteſtatis ſæcularis ope, auxilioque, *cap. quiſquis electioni 43. eod. tit.* quod ſi rite facta non erit electio, contra eam appellari poterit, niſi confirmata fuerit *cap. conſtitutus 46. de appellat.* aut electioni conſenſerit, niſi cauſa noua emergente *cap. nulli 8. de elect. in 6.*

Quod ſi electoribus gratus erit, qui per eos eſt ad Epiſcopatũ vocatus, Epiſcopus per quẽ confirmari eum conuenit, operã inſuper dabit, vt diligenter de eius moribus inquirat, nempe, ſi de nullo ſibi eſt crimine conſcius, *quod eum adhoc officium vetet accedere, pariter*

ſitne verum, quod nunquam amicus domum eius ingreſſus eſt, & verum ex neceſſitate, an ex tenacitate talis ſit, Greg. *lib.12. epiſt.* 6. Adhæc ſcire cum oportet, an *ſecundum formam canonum*, canonice facta ſit electio, *cap. quia diligentia* 5. *de elect.* in ea ſi non ſit peccatum, negari à Superiore confirmatio non debebit, *cap. ſi poſtquam 3 de elect.*

CAP. 7. *Quid electo per eius confirmationem tribui à confirmante Epiſcopo ſoleat.*

Per confirmationem autem confertur adminiſtratio libera, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus, exceptis his quæ ſunt ordinis, quæ dantur per conſecrationem: ergo vt his dare operam electo antequam conſecretur, non licet *cap. quod autem 28. parag. ſuper eo autem*: ita temporalia regere, antequam confirmetur, non ſinitur, niſi forte, quia periculum eſſet in mora, nec niſi ægre Papa à quo eum confirmari oporteret, ob locorum diſtantiam conueniri tam cito poſſet, quam Eccleſiæ ad quam eſt electus vtilitas exigit, ſic enim Innoc. teſte in *cap. 28. de elect. parag. cæterum de Metropolitanis Angliæ, Franciæ, Alemanniæ & aliarum partium remotarum, qui concorditer ſunt electi Rom. ſedes patitur, Eccleſiarum vtilitate penſata, quia ſi tanto tempore, quouſque poſſet electus confirmationem à ſede Apoſtolica obtinere, regalia non reciperet, Eccleſia quæ interim adminiſtratione careret, non modicum incurreret detrimentum.*

Qua ex oratione diſcere hoc primum cuique facile eſt ac pronum, viduatæ Eccleſiæ, quandiu defuncto Antiſtiti nouus non ſubrogabatur à Pontifice qui eam regeret, bona, poſſeſſiones, ac iura Regalia in Regis fuiſſe manu.

Secundo, hæc Epiſcopo non fuiſſe reſtituta à Principe, niſi poſt factam ſui à Metropolitano conſecrationem, præſtitumque cum hominio fidelitatis iuramentum.

Tertio, neminem niſi ab Imperat. laudatum, ac inueſtitum, ſacrari potuiſſe, Leone in Othonis gratiam id vetante *diſt. 63. can. in Synodo* 23 quo pariter iure Henricum V. Imper. à Calixto II. donatum refert Anſelmus Gemblacenſis Abbas, ab eoque, *electum recipere Regalia per ſceptrum*, ſolitum: Fuitque olim cum noui Præſules Galli, à Regibus ſcipionem ſictum aſſumerent, annulumque paſtoralem, quam Eccleſiaſticæ dignitatis veſtituram, iuſque regium Gallicum vocabant.

Sane de ſe refert Iuo *epiſt. 8. cum virga paſtorali à Rege ſibi intruſi ad Eccleſiam Carnotenſ. adductum eſſe*, Gaufridum autem Epiſcop. à ſede Apoſtolica damnatum, *virgam paſtoralem reddidiſſe & annulum*: Et hæc de Confirmatione dicta ſunto.

CAP. 8. *De electi conſecratione.*

Eam ſequebatur conſecratio, quã per manuum impoſitionem fieri conſueſſe, indicat *Concilij Carthagin. 4. canon 2.* & quidem tertio poſt confirmationem menſe, Anſelmi. Cantuar. *lib. 3. epiſt.* 149. ad eamque adhiberi ſolitum Metropolitanum, aut ſaltem ex comprouincialibus Epiſcopis tres numero, *reliquis aſſentientibus in ſcriptis habent*, Anaclet. 1. *epiſt. 2. & Concil. Antiochen. 1. canone 21. Præter voluntatem, & conſcientiam Metropolitani ordinatus quiſquis erit, hunc concilium magnum & ſanctum, cenſuit non debere eſſe Epiſcopum, Concil. Nicæn. primum can. 6.* quod de Abbate dici nequit, *cum Abbatis benedictio, nulla ſit Sacramenti repetitio, vel huius benedictionis abſtinentia, non impediat virum ad hoc electum, ad procuranda bona ſpiritalia, vel temporalia*, Iuo in *epiſt.* Equidẽ vt idem ſcribit in *epiſt* 57. *promotionem Abbatis non facit Epiſcopalis benedictio, ſed fratrum communis electio, cum tamen ipſam benedictionem conferat Dominus, non ſecundum meritum dantis, ſed ſecundum fidem & benedictionem recipientis.* Sed vt vnde deflexit, eo reuertatur oratio, in Epiſcopo conſecrando Metropolitani præcipuas eſſe partes, Gelaſius Papa ſcribit in epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ, dum eos admonet, vt Metropolitano debitam reuerentiam exhibeant, à quo ſubſtitui decedenti Epiſcopo nouum ſciant, & viciſſim ſi *Metropolitanus humanæ conditionis ſorte receſſerit, à comprouincialibus Epiſcopis, ſicut vetus forma tranſmiſit, vnanimiter modis omnibus ſacrari conſtituant.* Quod cum Hugo Cardinalis, Lugd. Primas, ac ſanctæ ſedis Legatus in Gallia, ferendum non crederet, ſibique Senonenſem Archiepiſcopum, ante conſecrationem præſentari vellet, mirari ſe Iuo in *epiſt. 65.* ait, quod *cum tam iſta, quam generalia inſtituta abſolute Metropolitani conſecrationem contineant, priuatis legibus, & nouis traditionibus, veteres remouere contendat.*

Sexageſima autem ſexta, paſſurum ſe negat conſecrationem Epiſcopi extra prouinciam fieri. *De eo*, inquit, *quod conſecrationem Niuernenſis electi, ad noſtram Diœceſim pertinentem, Auguſtoduni facere diſſuaſiſtis, ſimpliciter dico paternitati veſtræ, quia nec diſpoſitionem noſtram reprehendimus, quoniam reuerentia veſtra deferimus, nec tamen approbamus, quia nec ex conſuetudine, ordinem huius conſecrationis habemus, &c.*

Qua ex oratione, ſicut & præcedenti, patet primo, Metropolitani auctoritatem eſſe in electo ſacrando non vltimam.

Secundo, extra *eius conſcientiam*, ſacrari à Comprouincialibus non potuiſſe lege canonum: Innoc. I. *in epiſt. ad Victricium Rothomag. Archiep. cap. 5.* quod Concilia prohibent, Laodicen. *can. 12.* Antiochen. 12. facta ſine eius conſenſu conſecratio, nulla cenſebatur. *Illud ante omnia clareat, eũ qui ſine conſcientia Metropolitani conſtitutus fuerit Epiſcopus, iuxta*

magnam Synodum, Epiſcopum eſſe non debere, Concil. Arelat. 2. *can. 6.* nec Metropolitani modo ſed & finitimorum, id eſt, è vicinis prouinciis Antiſtitum, iudicium ad electi conſecrationem fuiſſe neceſſarium, indicant hæc è *can. 12.* Laodic. Concil. petita verba, *Epiſcopum non oportet præter iudicium Metropolitanorum & finitimorum Epiſcoporum, conſtitui ad Eccleſiæ principatum.*

De conſecrationis autem forma & ſolenniis conſulendus eſt, cum Pontificali Ordo Romanus.

B

DISPVTATIO QVARTA.

DE POSTVLATIONE & Reſcriptis.

EST Poſtulatio *alicuius perſonæ apud Superiorem ad Prælaturam cuius tamen eſt ob defectum canonicum incapax, facta ab iis qui ius habent eligendi,* vnanimis *petitio.* Dicitur *petitio,* quia cum ſit gratia, ſolius eſt ſuperioris eam concedere.

Secundo, ad eam eſt diſpenſatio neceſſaria, cum poſtulatus, Prælaturæ ad quam petitur, iure ſit incapax, ſed diſpenſat ſolus ſuperior: eſt ergo poſtulatio, facta Superiori petitio, de aliquo ad Prælaturam, &c. Additur *ob defectum Canonicum,* quia quæ maculæ nomini alieno inhærent, hæ ſi ſunt Eccleſiaſtico iure inuectæ, abſtergi ac emaculari auctoritate Pontificis poſſunt, non morales: quare qui culpis ſuis male audit, aut eſt per eas infamis, poſtulari ad Eccleſiæ regimen nequit, quia non eſt moribus ad laudem commendabilis, ſicut eum in *cap. à cunctis 7. de elect.* Pontifex exigit.

Dicitur cuius *erat incapax,* nam ſi his animi, naturæ, virtutis ac gratiæ dotibus præſtaret, quibus oportet Pontificem ornatum eſſe, cum poſtulari nihil eſſet neceſſe, ſed eligi *cap. vnico de poſtulat in 6.* Ideo ſi diſpenſatum erit cum aliquo illegitimo, vt ſit Epiſcopus, ad eum honoris gradum eligi tamen non poterit, ſed poſtulari, quia remanet illegitimus, nec eam labem Epiſcopalis diſpenſatio adimit, Rebuff. *in Concord. rubr. de regia ad Prælaturas nominat. verbo vltimo dicitur.*

Porro poſtulandi ius habent, qui eligendi, *cap. bonæ 2. de poſtul.* cuiuſmodi ſunt Cathedralis & Collegiatæ Eccleſiæ Canonici. Poſtulari autem eos nõ repugnat, qui ſummo iure non

A poſſunt eligi, dummodo nõ ſint omnino inidonei, & eorum impedimentũ ſit tale, vt eo nõ obſtante, vtiliter & honeſte poſſint præeſſe Eccleſiæ. Ob eam cauſam peti ad Præfecturã regularem poſſunt, qui annis ſunt 25. minores, non literaturæ ſufficientis ac idoneæ, ad Epiſcopatum illegitimi, non tamen ex hæreſi ad fidem conuerſi. Similiter Eccleſiæ vnius Epiſcopus, qui in alia eligi non poteſt, poſtulari poteſt, *ex cap. fin. de poſtulat Prælator.*

Poſtulationem autem is ſuperior admittit, qui ſuper electionis impedimento, & defectu canonico diſpenſandi ius habet, quod duobus facere modis ſolet, primo expreſſe, implicitè alio, expreſſe verbis, nempe cum factam de alio poſtulationem approbat; implicite, cum poſtulatum ad beneficium, ad quod eſt poſtulatus, admittit. Nec eſt id ignorandum, quod qui aliquem ob culpam aliquam ſuam conſequendi beneficij non capacem poſtulant, poſtulandi iure priuari debeant, ſecundum Corraſ. *cap. 1. & 3. de poſtulatione Prælat.*

Et quanquam in multis cum electione poſtulatio conueniat, magna tamen eſt inter eas differentia.

Conueniunt primo, quod ambæ à capaci-C bus & idoneis, de perſona capaci fieri debeant.

Secundo, quod omnes, qui ius eligendi habent, ſiue ſint Eccleſiaſtici, ſiue Laïci, ad poſtulationem, peræque ac ad electionem faciendam vocari oporteat.

Tertio, quod ſicut electionis, ita & poſtulationis decretum, ſolenniter fieri in ſcriptis debeat, & ſubſcriptionibus poſtulantium roborari, vt eſt in *cap. 4. de poſtul.*

Quarto, quod à neutra vbi eſt facta canoni-D cè, recedere liceat, nam cum electo ad Prælaturam ad quam eſt plurium ſuffragiis electus, ius competit, quo priuari ſine iniuria non poteſt: ita ſi à poſtulatione, poſtquam eſt ſuperſcriptionibus poſtulantium roborata, & præſentata Romano Pontifici approbanda, recedere poſtulantes poſſent, Papæ *frequenter illuderetur & iudicium eius ex eorum pendere arbitrio videretur, cap. bonæ memoriæ 4. de poſtul.*

Quinto & hoc cum electione commune habet poſtulatio, quod vt electio ſine cõſenſu Regis præuio non fiebat; aut ſi in pupillari E adhuc ætate, ſine eorum voluntate, quibus tam eius, quam regni tutela & cura commiſſa erat, ita nec poſtulatio: ita Innoc. III. cum de Colocenſi Epiſcopo, ab Hungaris ad Strigonienſem Archiepiſ. poſtulato agit, de eo quoque rogatum ſe eſſe ait à Rege. *Licet Chariſſimus,* inquit, *in Chriſto Filius noſter Hungariæ illuſtris tunc Dux & Rex regni Hungarici, nepotis ſui regis nomine, cuius tutelam & regni curam ipſi frater eius commiſerat gubernator, precum ſuarum primitias ad nos pro prædicto Co-*

Quin

lucenſis poſtulatione tranſmiſerat: eſt hoc ergo poſtulationi cum electione commune, quod vtraque aſſenſum requirat Principum à quibus beneficia dependent, ad quæ quis poſtulatur aut eligitur.

Differunt primo, quod in poſtulatione, omnium vel duarum ſaltem partium ſuffragia requirantur, *cap. illa quotidiana* 39. *de elect.* cum in electione pars maior ſufficiat.

Secundo differunt, quod electio non ſit niſi de eo qui ſit de gremio eligentium, cum poſtulatio admittat extraneum.

Tertio, quod non niſi de digno ſcientia, moribus & ætate fiat electio, *de elect. cap cum in cunctis* 7. poſtulatio eſſe queat de incapaci & indigno; ſic non profeſſus poteſt poſtulari, *cap. cum Monaſterium* 13. *de elect.*

Optio eſt ius eligendæ præbendæ quæ vacat, quia poſſeſſa eſt melior, quo iure gaudere antiquiores canonicos habetur *de conſuetud. in 6. cap. finali:* ſic tamen, vt eo vti intra viginti dies debeant, *ne prætextu eius conſuetudinis prouiſiones auctoritate Apoſtolica faciendæ, vltra debitum differantur,* Bonifac. ib.

De Reſcriptis & Mandatis.

SVnt Reſcripta, reſponſa: ſic *reſcripſit*, pro reſpondit, vſurpauit Iuſtin. *in Inſtitut.* vulgoque Reſcripta Principum, dicuntur literæ, quibus illi ad libellos præſentium, vel ad magiſtratuum abſentium conſultationes, quid ſibi fieri placeret de re ſuper qua conſulti erant, explicabant, faciuntque eiuſmodi reſponſa ius, quod etſi ad omnes non pertineat, nec ſit illis proinde commune, eſt tamen vnius cuiuſpiam proprium, aut duorum, inter quos motæ ſunt lites: ſunt enim conſtitutionis inſtar, *lege 2. Cod. de legibus*, quæ, quis in dictis, factis, aut rebus aſſequendis tenendus modus, explanat. Reſcriptorum autem quæ ſunt huius generis, cum ſunt Pontificia, ſpecies ſunt duæ: quædam ſunt contentioſa, & ad lites, de quibus eſt *cap. ſtatutum* 11. *de reſcriptis*: quædam ſunt, quæ Sacerdotiorum, ſiue beneficiorum nomine dat Pontifex: & horum, genera ſunt quatuor: quædam enim ſunt, quæ dantur contra ius commune, & proprie vocantur diſpenſationes, ſeu priuilegia, vt cum Papa, diſpenſat ad plura beneficia, quæ de iure ſunt incompatibilia, aut alicui, per alium facere officium, à proprioque abeſſe beneficio vult eſſe licitum. Quædam ſunt iuſtitiæ, ita dicta, (inquit Rebuff.) *in praxi benefic. ſupra Bullam cænæ, verbo gratiam vel iuſtitiam, quia iuſtum continent & honeſtum*, & ad hoc genus pertinere omnia eſt planum, quæ de iure ſunt communi. Erunt ergo reſcripta iuſtitiæ, mandata ſeu literæ, quibus aliquid indulge- A tur, quod eſt de iure communi, nec negari proinde honeſte poteſt, vt ſi læſo dentur à Pontifice literæ, quibus ei facultatem tribuat deligendi ſibi iudicis, qui de cauſa ſua cognoſcat, aut ipſemet eum deſignat aut ipſe de re conſultus, mentem ſuam ſuper ea, quidque ſequi conſulentem oporteat, explicat. Et quia Clericos, non obire compita domoſque, ſtirpis emendicandæ cauſa, æquitas ratioque poſtulant, quod id perſonæ, quam in Eccleſia ſuſti- B nent, maieſtas non ferat, reſcriptum quo Epiſcopo Papa præcipit vt à ſe promotis, ſine re familiari, aut beneficio, primo vacaturum conferat: eſt (inquam) tale reſcriptum reſcriptũ iuſtitiæ, quod nihil ſit æquius quã promoto ſine beneficio ac patrimonio, ſacerdotium primo vacaturum conferri, quod eum non deceat, cum ordinis dedecore infamiaque, mendicato viuere, in eo enim cum magna ſit æquitatis honeſtique ratio, literæ quibus hoc Epiſcopo datur in mandatis, *Iuſtitiæ* appellantur; cum hoc tamen diſcrimine quod quædam dentur C in forma pauperum, de quibus *in ca. ſi pauper Clericus* 30. *de præb. in* 6. aliæ, quæ ſecundum formam & conceptionem præſcriptam in *cap. cum ſecundum* 16. *extra de præb.* quibus cum iubeantur Epiſcopi, prouidere Clericis de Sacerdotiis vnde viuant, aut reditibus, & Pontificiæ eos obſequi voluntati ſit iuſtum, literæ quæ id ab illis exigunt, nomen habent iuſtitiæ.

Quarta reſcriptorum diuiſio eſt, in obreptitia, inciuilia, inutilia & ſubreptitia.

Sunt obreptitia, in quibus aliquid ab impetrante cælatur, quod debebat exprimi, ex- D preſſumque, principem ab eius conceſſione impediſſet, *lege ſi hac lege parag. patronum, dig. de in ius voc.*

Sunt ſubreptitia, quæ ſunt per narrationem impetrata inanem ac falſam, quæ ſi cuiuſmodi res erat, Pontifex noſſet, certo hanc impetranti negaſſet. Falſum, idem eſt ac quod veritati eſt oppoſitum, ſeu mendax.

In inciuili ſeu irrationabili veritas quidem narratur, ſed quia ipſum eſt contra ius, fas, æquum ac bonum, reiicitur vt bonis moribus contrarium. Eiuſmodi reſcripti exem- E plum eſt, cum Princeps è ſubditis ſuis quempiam, ab ære alieno quod contraxit, vult ſine cauſa exemptũ eſſe. Item ſi vetat ne eum lex vlla ſtringat, ſi pro auctoritate eum à communibus Eccleſiæ præceptis liberet: ſunt enim hæc vt æquitati aduerſa, ita nec in bene morata ciuitate iudici toleranda: quare ab eiuſmodi reſcriptis appellare in Gallia, Aduocatis eſt in more, Rebuff. teſte loco ante cit. *num.* 130. eaque de falſitate, obreptione, ac iniuſtitia arguere, quæ cum natura

tura ſua ſint mala, publicæque vtilitati contraria, mirari nemo debet, ſi cui fama ſua virtuſque, lucro eſt potior, reſcripta eius generis improbet, nec in tabulas referenda publicas exiſtimet, quia vt ſunt iniqua, vt recti neſcia, iuſta cuique eſt credendi cauſa, hæc eſſe ſubreptitia, proindeque non ſeruanda, Butrius *in cap. cum adeo de reſcript.* Idem cenſendum de obreptitiis, nam quia mendacium admittitur, non tantum ſi falſum dicitur, ſed etiam cum veritas occultatur, 11. *q.* 3. *can. quiſquis* 80. pari ambo puniri pœna debent, nec in iudicio recipi.

QVÆSTIO PRIMA.

An inter literas gratiæ & Iuſtitiæ, intercedat aliqua differentia, & quæ.

INtercedere, eamque multiplicem, probant quæ ſequuntur. Primo, quod ſi quæ olim alicui ſunt à Papa conceſſa priuilegia, contra id quod petitur, in reſcripto gratioſo facienda ſit mentio, alioqui tale reſcriptum pro inani nulloque, in præiudiciū priuilegiati reputabitur: ita *cap. conſtitutus* 19. *de reſcriptis*, Innoc. eius nominis III. reſcriptum ſuum de aſcribendo in canonicorum Bituricenſ. numero certo quodam homine, caruiſſe robore cenſuit, quod in Bituricenſi Eccleſia certus eſſet Canonicorum numerus inſtitutus, & C per Rom. Pontif. confirmatus, de quo cum impetrans *non feciſſet in ſuis literis mentionem, intelligendū erat, circumueniſſe prædeceſſorē eius & dictas literas veritate ſuppreſſa impetraſſe.*

Pontificij huius oraculi aſſignari hæc cauſa poteſt, quod eorum ſuppreſſio, quæ ad bene merendū de aliquo, nouæ cōceſſione gratiæ, Pontificem inflectere, aut ab ea annuenda retrahere queunt, eandem viribus exhauriat, vt colligitur, ex *cap. poſtulaſti* 27. *& ad aures* 8. *de reſcriptis*, vbi Lucius III. literas in quibus actor ſuæ nomen dignitatis ſuppreſſerat, vires obtinere poſſe negat. D

Quod in iis quas *iuſtitiæ* nominant, locum non habere, Alexand. III decretalis *cum ordinem* 6. *de reſcriptis* indicat. Enimuero cum ſuper decimis inter ſeculares Clericos, & Ciſtercienſis Ordinis Monachos mota lis foret, ab his eas pendi oportere, cum illi dicerent, quod de ſuo priuilegio Ciſtercientes, ſuoque ordine tacuiſſent; reſpondit Pontifex, id eis, quo minus priuilegiis ſibi ab Apoſtolica ſede conceſſis gauderent vt cæteri, obeſſe non debere. E

Sunt ergo literæ iuſtitiæ ratæ ac validæ, etiamſi de aduerſarij priuilegio, cum impetrantur, mentionem non faciant, maxime ſi facit illud ad cauſæ meritum, vt ſi cui concedatur exemptio à penſitatione decimarum,

A in reſcripto non eſt neceſſario eius priuilegij facienda mentio ſecundum Rebuff. in *tract. de different. inter reſcripta n.* 21.

Secundum diſcrimen, quod inter vtramque ſpeciem intereſt, in eo verſatur, quod reſcripta iuſtitiæ, ſeu ad lites, ſine mandato ſpeciali impetrari per alium nequeant, *cap. nonnulli* 28. *cap. ex parte decani* 33. *de reſcript.* Gratiæ autem poſſint, vt notauit le Gauſtre *in ſynopſi decretal. rubr. de reſcriptis.*

Tertium eſt, quod reſcripta iuſtitiæ, ſeu ad lites, nihil iuris tribuant, ſed de eo iam quæſito cognoſcere iubeant, cum quæ ſunt gratiæ, B nouum ei qui illa impetrauit, præbeāt. Exemplum eſt in eo, quē nihil tale cogitantem, Superior beneficio eſt dignatus: hic equidem eius collatione, fit collatæ ſibi rei Dominus, nouoque iure auctior, quam erat antea, cum qui Iudicem ſibi, cauſæque ſuæ quæſitorem ac arbitrum à Papa petiit, eius impetratione, ius nouum non impetiet, nec fiat eius cauſa acceſſione noui tituli, potior ac melior quàm ante.

Quarto differunt à reſcriptis iuſtitiæ ea quæ meræ ſunt gratiæ, quod illa cauſæ cognitionem exigant, propter clauſulam quæ eis ſemper eſt iure ciuili inſerenda: Canonico autem, quamuis actu & de facto non ſit inſerta, ineſſe tamen intelligitur nempe: *Si ita eſt, ſi conſtiterit, ſi preces veritate nitantur, ſi vera ſit fides ſuggerentis, cap.* 2. 12. 15. *&* 26. *de reſcriptis.*

Quinto differunt, quod literæ gratiæ ſignari à Papa ſoleant per *fiat*, ab aliis per *Conceſſum.* Quæ autem ſunt iuſtitiæ per *Placet*, cui voci adduntur hæ literæ cum obſignantur à Cardinali *S. D. N. P. N. Cardinalis*: In eo quoque differunt, quod in literis gratiæ totum Papæ nomen in prima linea capitalibus literis ſeu maiuſculis ſcribatur. In iis verò quæ ſunt iuſtitiæ, prima tantum nominis Papæ litera, ſit capitalis.

Sexto diſtinguuntur, quod literæ *gratiæ*, ſeu gratioſæ, ad eos poſſint dirigi qui non ſunt in dignitate conſtituti, nec Cathedralis Eccleſiæ canonici, cum aliæ, hoc *eſt iuſtitiæ*, iis duntaxat dirigi queant, qui ſunt in dignitate, aut Eccleſiarum Cathedralium canonici. Sic Bonifac. *in cap. ſtatutum* 11. *Sancimus vt nullis niſi dignitate præditis, aut perſonatum obtinentibus, ſeu Eccleſiarum Cathedralium canonicis, cauſæ, auctoritate literarum ſedis Apoſtolicæ, vel Legatorum eiuſdem, de cætero committantur.*

Septimo differunt, quod gratioſæ plumbum habeant filis ſericis appenſum: Iuſtitiæ vero, canabinis: le Gaufre *in ſynopſi decret. rubr. de reſcript.*

Octaua differentia eſt in eo, quod literæ iuſtitiæ, ſeu reſcripta, vltra annum non valeant, ſic Innoc. III. in *cap. plerumque* 23. *de reſcriptis*, his verbis: *Cum non ſit malitijs*

hominum indulgendum, vt ſi quis literas noſtras impetrans, intra annum, poſtquam copiam iudicum habuerit, ex malitia, vel negligentia poſtpoſuerit vti eis, auctoritate poſteriorum valeat conueniri, &c. Prætereа quod re adhuc integra morte concedentis expirent, *cap. relatum* 19. *de offic. iudic. delegati*. Cum reſcripta gratiæ, tamdiu durent quamdiu non ſunt reuocata, aut per non vſum amiſſa non fuerint, vt patet, ex *cap. eam te 7. de reſcriptis*, clariſſime in decretali *ſi cui 36. de præb. in 6.* vbi eſt his verbis: *Huiuſmodi conceſſio, quam, cum ſpecialem gratiam contineat, decet eſſe manſuram, non expirat etiam re integra per obitum concedentis, ſecus ſi ſuper prouiſione certæ perſonæ facienda, ſit data poteſtas eidem, non ob ſuam, ſed eius, cui prouideri mandatur, fauorem vel gratiam, illa quidem expirat omnino, ſi concedens re integra moriatur.*

Nono, quod reſcripta iuſtitiæ eius ſucceſſori non noceát aduerſus quem ſunt impetrata *cap. 36. de reſcript.* Gratiæ autem, ſucceſſores eius aduerſus quem ſunt impetratæ obligent, *cap. eam te. 7. de reſcript. cap. ſi cui 36. de præb. in 6.*

QVÆSTIO II.

Quotuplicia ſint reſcripta gratiæ?

CVm ſit gratia idem ac fauor *lege 7. parag. quæſitum dig. de minorib.* vnde natæ ſunt formulæ hæ dicendi Gratiam iuriſiurandi facere, *l. 32. & 41. dig. de iureiur.* pro eo quod eſt neceſſitatem implendi iuriſiurandi remittere, gratiam interdicti facere, apud Suet. *in Domitiano cap 14. & canonis* pro eo quod eſt permittere vt id fiat, quod eſt edicto, ac canone ſeu lege vetitum: cum (inquam) gratia idem ſit ac fauor, tot eſſe eius ſpecies, generaque eſt neceſſe, quot à Pontifice deriuari ad fideles beneficia, genere, fructuque diuerſa poſſunt. Et omiſſis breuitatis cauſa priuilegiis ac diſpenſationibus de quibus eſt dictum antea.

Reſcripta gratiæ quædam ſunt, quæ vocantur *noua prouiſio*, alia, quibus nomen eſt *Rationi congruit*. Eſt noua prouiſio, cum de nouo beneficium impetratur à Pontif. & impetranti confertur, quod accidit, quantum fas eſt intelligere, quando in eius collatione Pontifex vitia ſingillatim corrigit omnia, à quibus radicalia inanis ac vitioſa ſolet: Ita in *cap. cum adeo 17. de reſcript.* Innoc. III. canonico cuidam beneficium cum donaſſet, nomine eius, præbendæque quam alibi obtinebat ſuppreſſo, vtrumque in literis ad Mediolanenſem datis ſupplendum credidit: quod cum illi mirabile viſum eſſet, reſpondit Pontifex, certo id ſe feciſſe conſilio, non temere, *cum in literis* A *nec de præbenda ipſius mentio haberetur, nec Modoecenſis Epiſcopus, imo nec Clericus diceretur in eis, & in literis ipſius eſſet hæc adiecta conditio, ſi dignus exiſteret ad Eccleſiaſticum beneficium obtinendum.*

Reſcriptum, cui nomen eſt *rationi congruit*, eſt in quo Papa rationem explicat, redditque, cur beneficium ei dari oporteat, cui reſcriptum tribuitur, hoc appellatum nomine. Exempli cauſa, impetrauit ab Vrbano VIII. quiſpiam beneficium, ſed ſine bullis, has ſi eo mortuo conſequi ab Innocent. eius B ſucceſſore cupiat, hæ ſic expediri poterunt, Innocentius, &c. *Rationi congruit & conuenit honeſtati, vt ea quæ de Romani Pontific. gratia proceſſerunt, licet ſuperueniente eius obitu literæ Apoſtolicæ ſuper illis confectæ non fuerint*, ſuum plenum conſequantur effectum.

Secundo diuiduntur reſcripta gratiæ, in ea quæ ſunt in forma pauperũ & quæ in forma & ſunt cõcepta communi. Priora ſunt in quibus pauperi Clerico nõ habenti vnde viuat, præcipitur Epiſcopo a Pontifice, vt de beneficio vacanti aut vacaturo prouideat; cui ille vt te- C neatur obſequi, tria admodum ſunt neceſſaria: primum, vt is pro quo ſcribitur beneficio careat, ſic Bonif. VIII. expreſſe in *c. ſi pauper 30. de præb. in 6. Si pauper*, inquit, *Clericus, cui, cum beneficiũ nullũ haberet, mandabatur de beneficio per Epiſcopum prouideri, aliud antequam ſit prouiſum eidem, beneficiũ fuerit aſſecutus, prouidere Epiſcopus, cũ ceſſet cauſa mandati, non tenetur.* Quare in *cap. poſtulaſti 27. de reſcriptis*, negat Innoc. III. reſcriptum Pontificium vtile ei debere eſſe, aut poſſe, qui paupertatis nomine, ſuo commendatus Epiſcopo cum eſſet, repertus eſt Vicariam poſſidere perpetuam: *nec* D *enim beneficio carere dici debet, cui competenter ex huiuſmodi vicariæ prouentibus eſt prouiſum:* quare cum mandata, quæ ſuppreſſa veritate ſunt obtenta firmitate careant, nec Pontifex ex certa ſcientia ſuper obtinendo beneficio ſcribat, quin faciat de primo in ſuis literis mentionem: Innoc. ibid. Mandatario non eſt beneficium vi mandati, in pauperum forma conceſſi debitum, ſi aliud eſt iam conſecutus, quod ei redditus ſuppeditet, quanti ad vitam ſint ſatis.

Secundo, vt in forma pauperum man- E datario mandatum ſuum proſit, debet eſſe vitæ innocentia commendabilis.

Tertio, ab his liberum impedimentis eſſe, quæ iuxta Patrum decreta canonica, hominem à beneficio remouent. Sic enim, Innoc. in forma mandati pauperum Clericorum expectantium, apud Rebuff. in practica Cancell. 860. *Mandamus quatenus de vita & conuerſatione ipſius N. qui vt aſſerit beneficium Eccleſiaſticum non obtinet, & quem per certos examinatores ſuper hoc à nobis deputatos, de literatura fecimus diligenter examinari, quæque in illa*

la repertus eſt idoneus, ad beneficium, ſi eum vita laudabilis, & honeſtæ conuerſationis reperieritis, & beneficium Eccleſiaſticum aliquod non obtineat, aliudque canonicum impedimentum non obſiſtat, ei de aliquo beneficio Eccleſiaſtico cum cura vel ſine cura, dummodo in Eccleſia Cathedrali, prouideri faciatis.

Reſcriptum in forma communi, eſt quod Diœceſanis dari ſine ſpeciali verborum delectu, formaque ſolet, hoc ſolo ſuſpiciendum nomine, quod Epiſcopos grauet, eoſque ad prouidendum mandatario de beneficio obliget.

B Eſt & aliud reſcriptum gratiæ, *perinde valere* dictum, quod datur ei qui de collatione beneficij ſibi facta per Pontificem, ambigens ecquid valeat, necne, eundem orat, vt ſi quod in eam vitium irrepſit, pro ſolita ſua in omnes caritate, illud reparare ne grauetur, nam tunc ſuis Pontifex literis ſignificat, velle ſe collationem factam, perinde valere, ac ſi principio rata fuiſſet ac valida, & iſta clauſula (inquit Rebuff. *in forma mandati in Concord*) non tollit ius interim tertio per collationem aliam, aut prouiſionem acquiſitum, quod enim à Bonif. VIII. de mãdatis eſt dictũ in *cap. quamuis* 8. *de reſcript. in 6.* ius per alia poſteriora mãdata quæſitum alteri, non perimi, hoc de redintegratione iuris antiqui, comparatione alterius, ante eam conceſſam habiti, debet intelligi: ſed quàmuis is, cuius gratia per quam mandabatur ei in certa Eccleſia prouideri de beneficio proxime vacaturo, per Papam fuerat reuocata, reſtituatur denuo ad eandem, illi tamen, cui poſt reuocationem, & ante reſtitutionem prædictas ſimilis gratia in eadem Eccleſia facta fuit, niſi de hoc expreſſe Pontifex dixerit, anteferri non debet: ergo nec is, cui reſcriptum *perinde valere* eſt conceſſum.

C An autem hoc ſit validum, ratumque, literis non expeditis Doctores ambigunt, in eam partem cum Ludouico Gomeſio abeo, vt exiſtimem, gratias eiuſmodi reualidatorias, vocibus *perinde valere* exprimi ſolitas, momentum ad ingenerandam fidem habere nullũ, niſi expeditis à Pontifice, ſuper earum validitate literis.

D Ratio eſt, quod ſubrogatum, naturam eius cui ſubrogatur, cum omnibus ſuis qualitatibus induat, *cap. Eccleſia vt lite pendente*, ſed gratia quam reualidatoriam nominãt, principali, hoc eſt primo conceſſæ ſubſtituitur: ergo cum hæc expeditionem literarum exigat, exigent & reualidatoriæ.

E Confirm. per eiuſmodi gratias ius amiſſum reſtauratur, & per eas nonum acquiritur: quas ergo prima prouiſio qualitates poſtulat, poſtulat & reualidatoria: ergo vt illa literis deſtituta non auditur in foro, ita nec iſta. Caſus ſunt tamen non pauci, in quibus

A exceptioni eſt locus, de quibus Ludouic Gomez *in regul. de non iudic. iuxta for ſup.*

Poſtremo in reſcriptis gratiæ, eſt id adnumerandum, quod ſi *neutri* dicitur, daturque tùm maxime, cum eſt inter duos lis mota, ſuper eodem beneficio, ſuper quo tamen, ius neutri certum vllum eſſe, tertius quidam diuerſus à prioribus aſſerit, qua motus opinione Pontificem orat, vt ſi neutri ius ſit ad beneficium acquiſitum, hoc ſibi ille, pro cætera ſua benignitate attribuat. Quod ſi plures duobus illud ambiant, impetrabit reſcriptum *ſi nulli*, quo videlicet, ſi nulli ius acquiſitum fuerit, ei poteſtatem facit Pontifex, illud ſibi quo modo, rituque canonicæ leges ſinunt, vindicandi.

QVÆSTIO III.

Quotuplex ſit reſcriptum iuſtitiæ.

Reſcripta iuſtitiæ, ſolent à Principe adminiſtrandæ iuſtitiæ cauſa dari: ſi ergo hic quempiam de Senatu iuri dicundo extra ordinem duobus aut pluribus præficiendum exiſtimet, erunt literæ, quibus hanc ei facultatem tribuet, reſcripti iuſtitiæ appellandæ nomine, has autem tribus concedere modis Papam conſueſſe, auctor eſt Rebuff. *tomo 1. de ordination. reg. tract. de reſcript. num.* 116. per viam breuis, commiſſionis, & reſcripti ſpecialiter nuncupati. Reſcriptum per viam commiſſionis à Papa conceſſum, eſt quando hic Epiſcopo, aut cuipiam Romano iudici, aut pluribus extra vrbem commorantibus, cauſam examinandam committit, *cap. cæterum cap. ſedes de reſcript.* quam aliis ſimiliter committere nequeunt cum ſint nudi miniſtri. Id ex *Clem. 1. de officio delegati*, colligere eſt facile, ibi enim habetur, quod *iudices ſuper receptione, tertium in cauſa ciuili, necnon executores ad prouidendum aliquibus a ſede Apoſtolica deputati, aliis poſſint committere licite vices ſuas*: ergo cum exceptio in non exceptis firmet regulam, deſignati cum auctoritate à Pontif. ad ius dicendum, ſubſtituere ſibi nequeunt, qui id miniſterium ſuo nomine ac loco obeat.

Secundo, cum induſtria perſonæ deligitur, non poteſt hęc ſubrogare aliã quæ vices ſuas expleat, *cap. quoniam parag. ſi autem de offic. deleg.* at habet omnis commiſſio, perſonæ delectum: ergo, &c.

Reſcriptum ſpecialiter nuncupatum, eſt mandatum à Pontifice ad aliquem datum, ſuper expediendo aliquo negotio, in quo declarat, quo ſe modo gerere delegatus debeat, cum falſitas eſt expreſſa aliqua, aut veritas ſuppreſſa, Innocent. III. *in cap. ſuper*

literis 20. de reſcriptis.

Inciuile ſeu irrationabile, in quo veritas narratur quidem, ſed ipſum eſt contra ius, vel vtilitatem publicam, & in praxi hoc iure vimur in Gallia, vt procuratores contra reſcripta huius generis, dicere Gallice ſoleant: *Ie dis que ces Lettres ſont ſubreptices, obreptices, inciuiles, & irraiſonnables*, fieri enim poteſt, vt pars vera narrauerit, ſed princeps non concedenda conceſſerit, vt ſi debitori permittat debita non ſoluere, quod ratio non ſinit: ſed de hac re copioſius poſtea.

QVÆSTIO IV.

Quibus rebus redditur reſcriptum nullum.

PRimo, vis reſcripti perit, quando impetrans, illud eſt à Principe conſecutus per narrationem falſam facti, aut reticentiam veritatis, aut allegationem iuris, quod ad ſe pertinere intendit: ſed falſo, cum enim Principem culpis fauere non deceat, mirari nemo debet, ſi tam dolo malo, quam per errorem ac ſimplicitatem à veritate ad mendacia deflectentem, fructu eum reſcripti à ſe obtenti carere velit.

Quare eſt hoc reſcriptis omnibus commune, vt cum clauſula hac hypothetica ſint expreſſe, aut tacitè concepta, *ſi preces veritate nitantur*, expreſsè quidem, cum ab imperatore, tacitè vero cum à Papa poſtulantur: nam vt eſt in decretali Alexand. III. *ſecunda de reſcriptis*, in literis Pontificum, *intelligenda eſt hac conditio etiamſi non apponatur, ſi preces veritate nitantur*: quare ſi falſæ ab eo ad quem diriguntur inuentæ fuerint, momentum ad id, cuius cauſa ſunt obtentæ, habituræ ſunt nullum, & qui obtinuit, vti falſarius à iudice delegato, etiam abſque accuſatione ſolenni, extra ordinem puniri poterit.

Quid ſi per errorem ac ignorantiam, & non conſulto deditaque opera, impetrans peccauerit?

Locus quidem accuſationi falſi, nullus tunc ſuberit, cum enim imprudenti proindeque innocenti excideret falſa narrare, non poteſt ei id imputari ad culpam: ergo cum accuſatio crimen deſideret, dies illi de falſitate, dici apud iudicem non debebit.

Valebit ergo reſcriptum (inquies) obtentum per mendacium?

Valere aiunt Iuriſperiti aliqui, ſed non ego. Quia conceſſio hypothetica, hypotheſi non poſita, nullarum eſt virium, eo quod conceſſio vim ſuam ac firmitatem accipit à voluntate concedentis, quam hic tamen à conditionis euentu vult pendere: eius ergo

A non poſitio, abſentiaque, argumentum eſt defectus voluntatis in concedente, concedendi quæ ab eo poſtulantur. Sed habent reſcripta omnia clauſulam non abſolutam illam quidem, ſed hypotheticam, *ſi preces veritate nitantur*: ergo ſi erunt hæ falſæ, reſcripta quoque erunt falſa, nulla ac inania.

Erit ergo impetranti nefas, gratia per Pontificem in iis conceſſa vti? Omnino, etiam ante ſententiam, vt colligitur ex ſequentibus, quæ ſunt è Gratiani commentariis deprompta, *25. q. 2. can. dicenti 16. Scire*, inquit,

B *oportet*, quod Clementiſſimus Princeps, generalibus legibus conſtituerit, *illa ſacra vniuſcuiuſque ſupplicãtis deſiderio conceſſa praualere, & effectui mancipari, quæ cum iuris & legum ratione concordant, ea vero, quæ ſubreptione, vel falſis teſtibus forſitan impetrantur, nullum ſupplicantibus ferre remedium.*

Deinde, cum de re aliena poſſidenda, aut in ſuos vſus cõuertenda agitur, nemo ambigit vt id ſine culpa fiat Domini, id eſt veri, legitimique poſſeſſoris voluntatem exigi, eo quod rei alienæ contrectatio, Domino rationabiliter inuito

C ſit mala, ſed pœnæ peccato debitæ remiſſio, indulgentiarum, aut beneficij conceſſio, bona ſunt Papæ ac Principis, quæ impetranti tribuuntur, ea tamen lege & non aliter, ſi quæ hic illis expoſuit, à vero non abhorreant: ſecus ergo, ſi hic aliquid narrauerit, quam veritas patitur, conceſſis vti, vtpote voluntati concedentis oppoſitis non poterit.

Secundo reſcriptum contra ius non valet, *25. q. 2. can. reſcripta*, quia Superioris legem ac iura abrogare & tollere inferiori non licet, Clem. *ne Romani de elect. cap. inferior de*

D *maiorit. & obed.* De naturali ſimiliter, ac gentium res eſt certa: nam vt illud eſt immutabile *diſt. 9. can. finali*: ita nec eſt per reſcriptũ Principis minuendum, ſicut nec gentium, quod naturali eſt quàm ſimillimum. Accedit quod Imperiali lege ſit ſtatutum, vt quæ contra leges fiunt, pro infectis habeantur *25. quaſt. 2. can. imperiali lege non dubium Cod. de legib.*

Tertio, eſt reſcriptum impetranti inutile, ſi nomen eius non exprimit, ſi dignitatis & beneficij quod iam hic obtinet, in libello

E ſupplici, quem alterius à Pontifice conſequendi cauſa dedit, mentionem non fecit, *cap. proponente 42. & cap. cum adeo 17. de reſcriptis, & cap. 8. eod. titulo.*

Quarto, ne fruſtra ac ſine effectu obtentum videatur, in eo qualitatis perſonarum, & corporum, aduerſus quæ impetratur, facienda eſt mentio: quare ſi aduerſus Monachos petatur, exprimendus eſt ordo, eius non expreſſio, reſcripti eſt irritatio Alexand. teſtimonio, *in cap. cum ordinem 6. de*

reſcriptis

reſcriptis, Sic enim ille. *Si contra vos ſuper decimis vel aliis (quæ ordini veſtro ſpecialiter ſedes Apoſtolica indulſit) non facta mentione Ciſtercienſis ordinis, literæ fuerunt à ſede Apoſt. impetratæ, per eas minimè teneamini reſpondere.*

Quarto reſcriptum non valet, factum contra ius, aut vtilitatem publicam, quia cum non ſit veriſimile Principi cordi eſſe vni cuipiam prodeſſe homini, cum aperto cæterorum diſcrimine, quam non eſt quoque probabile id ab eo reſcriptum conceſſum eſſe, cum futuri ex eiuſmodi notitia incommodi certa ſcientia, & ita fraude, doloque impetratum eſſe.

Quinto, reſcriptum ad lites mentionem primi non faciens, nullius eſt roboris, *poſſintque priores iudices ad deciſionem cauſæ procedere, nec ſecundæ literæ obtinent alicuius roboris firmitatem. Si verò in ſecundis literis mentio fiat de commiſſione priori, prædicta cauſa à priorum eſt exempta iudicio, cum eædem literæ non ſint veritate tacita impetratæ, cap. cæterum 5. de reſcriptis*: ita reſpondendi, Alexandro Pontifici cauſæ fuere duæ, prima, quod reſcripti prioris ſuppreſſio, reddat ſecundum obreptitium proindeque nullum, nec enim eſt mendax modo, qui falſa loquitur, ſed & qui narranda celat 13 *q. 3. can. quiſquis 80. & lege præſcriptione Cod. ſi contra ius.* Cauſa altera à iudice petitur, cui haud dubie iniuria fieret, ſi vbi eſt à Pontifice, aut Principe, dirimendo negotio præpoſitus, ſine cauſa ab ea abire prouincia iuberetur, *lege litigatores dig. de arbitr.* Fit autem quantum eſt ſatis ad ſecundi firmitatem, prioris reſcripti mentio, quando hæc in eo particula ponitur, *non obſtantibus literis prioribus*, patet ex *cap. cauſam quæ 17. de iudiciis*, ibi enim, iudici à ſe delecto, qui de controuerſiis inter Abbat. Vindocin. & Archidiacon. Carnotenſ. enatis cognoſceret, cū Pariſienſ. Archidiaconū. Innocentius ſubrogat, & ita priorem reuocat, in hunc modum loquitur, *mandamus, quatenus non obſtantibus prioribus literis, in cauſa ratione praua procedatis.*

Sexto, reſcripta ad iudices duos data non valent, cum de alterutrius prioritate non conſtat, quia eorum executioni ſuperſedere eos Alexand. imperat, donec de Rom. Pontif. voluntate conſtiterit, *ne pro varietate literarum, cauſarum fines valeant impediri cap. ſane ſi 2. de offic. iudic. delegati.*

Septimo, ſi quid in modo dicendi contra Grammaticorum regulas peccatum in reſcripto fuerit, vires nullas eſt habiturum, *cap. ad audientiam 11. hoc tit.*

Octauo, vt reſcriptum ad beneficia ſit ratum ac validum, debet impetrans exponere Pontifici, tam penſiones, quas ſuper beneficiis quibuſcunque eius liberalitate obtinet, quàm beneficia quælibet alia etiam

A minima, veri in hoc genere omiſſio, vel ſuppreſſio, Papæ literis vim omnem, ad id, cuius cauſa ſunt obtentæ, adimit, ſola mentio generis, licet omnes ſub ſe ſpecies contineat, non ſufficit: ſed ſpecialiter ſpecies ſingulæ, loca, perſonæ, negotia, eorum qualitates, conditiones, & differentiæ ſunt deſignandæ. De perſonis fit mentio in *cap. cum ordinem 6. de reſcriptis*, de qualitatibus in *c. ad aures 8.* vbi Lucius eius nominis III. *literas, in quibus, actor ſua nomen dignitatis ſuppremit, vires non vult obtinere.* De Vicariatu perpetuo, ac penſionibus in *cap. poſtulaſti, 29. & 31.*

B *ad audientiam eod. tit.*

QVÆSTIO V.

Quomodo ſe gerere Iudex debeat, quando aliquid eſt ſuppreſſum Pontifici, aut falſò narratum, & ita tali narratione inutile ac falſa ei fuit impoſitum.

RESpondet Innoc. III. in decret *ſuper literis 20. de reſcript.* quod qui per dolum, vel expreſſo falſo, vel ſuppreſſo vero reſcriptum obtinuit, *in ſua peruerſitatis pœnam, nullum ex literis Pontificiis commodum conſequatur.* quod ſi per errorem, & ſimplicitatem id contigerit, ita diſtinguit, vt ſi ſuppreſſa veritas, vel expreſſa falſitas tanti ſit momenti, quæ tacita vel expreſſa nullas prorſus Pontifex literas dediſſet, vel ſaltem difficilius, reſcriptum eius ſit inane, nullum, ac ſine viribus, nec à delegato ſit procedendum, ad eius rei diſquiſitionem, cuius cauſa impetratum fuie. *Sin autem talis ſit expreſſa falſitas, vel occultata veritas, qua quamuis fuiſſet tacita, vel expreſſa, Pontifex nihilominus literas ſaltem in forma communi dediſſet, delegatus non ſequens formam in literis oppoſitam ſecundum ordinem iuris procedere poteſt.* Eſt ergo in eo caſu reſcriptum validum ac ſequendum.

QVÆSTIO VI.

An Iudex cui ex vrbe reſcriptum mittitur obreptitium aut falſum, approbare illud debeat, vel vſi loquuntur in foro Aduocati voce barbara, interinare.

RESpondet ipſa pro ſe æquitas, id ſine ipſius certa pernicie eſſe non poſſe. Quia iniquitatis apertæ comprobatio, virtutis eſt, iuſtitiæque euerſio.

Quid? quod non modo qui ſunt improbi, ſed & qui illis conſentiunt, digni ſint morte Paulo teſte ad Rom. 1. quare nec Roman. Pontifex, nec qui ſunt inter Principes, Dei

ac honeſtatis amantes paulo plus cæteris, ſibi cum cauſa non eſt honeſta, obtemperari volunt. Sane Pontifex in *cap. ſi quando 5. de reſcriptis*, examinari ab Epiſcopo reſcripta ſua, eorumque qualitatem patitur, ac ſi forte ei ex iuſta cauſa non probentur, de eo vult admoneri, vt quæ praua illi ſuggeſtione inſinuata meruerit, pro auctoritate reuocet, quod ipſum facturos quoque ſe Reges Galliæ aſſerunt, vbi de reſcripti ſui indignitate, illis per magiſtratus ac iudices conſtiterit. Sic enim Philippus Pulcher. *Les Lettres du Roy ſeront miſes en execution diligemment par les Iuges, ſinon qu'ils ayent cauſe iuſte parquoy ils ne le doiuent faire, auquel cas ils nous reſcriront, & rendront leſdites lettres à ceux qui les porteront.* Sunt his perquam ſimilia quæ Carol. VII. ſanxit, ſic legitur hoc verborum ſchemate. *Nous voulans obuier à tels inconueniens auons diſcerné & declaré, declarons & diſcernons que noſtre intention eſt, que nos Iuges n'obtemperent à nos lettres, ſinon qu'elles ſoient ciuiles & raiſonnables.*

QVÆSTIO VII.

An audiri debeant qui literas Papæ aut Principis aiunt eſſe ſubreptitias, falſas aut obreptitias.

OMnino, modò id probare poſſint, *cap. porrecta 6. & cap. ad noſtram 5. de confir. vtil.* vbi Papa confirmationem ait non valere, quam religioſus impetrauit ſuper temporali adminiſtratione, ſeu prioratu ſi tacuit ſe regularem. Cum enim *regularibus perſonis non conſueuerit Apoſtolica ſedes aliqua confirmare*, inquit Innoc. III. *mandamus, quatenus confirmationes quas ab ipſis canonicis (cum regulares exiſtant) noueritis taliter impetratas, denuncietis irritas & inanes.* Quare vacare culpa Iudices nequeunt, ſi quem innocentem exiſtimant prætextu reſcripti regij condemnent, aut opprimant, quia vt eſt in *can. Iulianus cauſa 11. q. 3.* & in actis Apoſtolor. Deo obſequendum eſt magis quam homini, nec mandata fieri ſua Princeps iubet, niſi ſint iuſta, & facienda cum cognitione cauſæ.

QVÆSTIO VIII.

Quod ſit reſcriptum cui nomen eſt, Cum ſecundum Apoſtolum.

EST reſcriptum, *cum ſecundum* Apoſtolum, mandatum Pontificium, quo *neceſſitatibus pauperum Clericorum qui nullum ſunt beneficium adepti, ſedes Apoſtolica ſuccurrit, cap. 27. de reſcriptis*, vocaturque alio nomine *in forma communi, cap. 1. de ætate & in forma pauperum*, quia generaliter pauperibus Clericis tale reſcriptum tribuitur, & quia iuſtum eſt, pauperibus non negari quæ ad vitam honeſte traducendam faciunt, appellantur eiuſmodi literæ, *litera iuſtitiæ cum ſecundum Apoſtolum*, quia ſunt canoni 16. *de prabendis*, conſentaneæ; in quo Innoc. III. *tandiu per ordinatores, vel ſucceſſores eorum, prouideri vult ordinatis, donec per eos Eccleſiaſtica beneficia conſequantur, extra de prab. cap. 16.* & quia communiter pro omnibus ſic ordinatis, Papa literas dabat ad Ordinarios, ideo vocantur, *in forma communi cap. accepimus de ætate & qual.*

QVÆSTIO IX.

An reſcripto cuilibet inſeri hæ voces debeant, ſi preces veritate nitantur?

IVre ciuili reſcriptum eſt nullum, in quo deeſt hæc clauſula, Canonico ſubintelligitur, *etiamſi non apponatur*; Alexand. III. in *cap. ex parte 2. de reſcript.* & quidem non valere reſcriptum quod eſt ad lites, niſi expreſſe ea verba contineat, ſcribit Rebuff. *1. par. prax. benef. rubr. de reſcript. gratiæ & iuſtit. num. 54.* ad cuius rei fidem facit, quod quæ Reges reſcripta magiſtratibus deferenda in bonum impetrantium tribuunt, ſi non verborum pari forma, ſenſu ſaltem ac notione non abſimili ſint concepta, his enim ad quos ea dirigere placet, vti vocibus ſolent, *ſi vobis conſtiterit, s'il vous appert, ſi apparuerit, ſi ita eſt*, quam conditionem in literis gratiæ minime neceſſariam eſſe, cum conceduntur motu proprio, vel hinc patet, quod an veræ ſint aut falſæ probari non ſit neceſſe.

QVÆSTIO X.

An reſcripta ius in re tribuant.

SErmo eſt de reſcriptis gratiæ: nam quæ ſunt ad lites componendas, quæ ad ius ſuum cuique tribuendum, & ideo literæ, ſeu reſcripta iuſtitiæ nuncupantur, nouum ius litigantibus non tribuunt, ſed de quæſito ac proprio ſingulorum cognoſci præcipiunt. De reſcriptis ergo gratioſis tota præſens eſt quæſtio, cui ſatisfiet dicendo, per ea quidem, ius ad rem, hoc eſt, ad vacatura beneficia concedi impetranti, & non in re. Nam vt hic Epiſcopum, vbi primum eorum aliquod morte legitimi ſui poſſeſſoris vacare incipit, de eo ſibi non negando ſollicitare poteſt, quod eſt habere ius ad rem; ita eſt ei prohibitum illud occupare tanquam ſuum, quæ iuris in re affectio eſt, ac proprietas: poſſe autem Clericum, cui ex vrbe Pontifex reſcriptum dedit ad beneficium

ficium primo vacaturum, illud à collatore ad quem Pontificiæ literæ ſunt directæ, petere cum vacat, quia cum Pontifex de primo beneficio prouideri mandatario imperat, eſt hoc ei beneficium per manuū à Papa appoſitionē ſic affectū vt alteri conferri ſine iniuria nō poſſit, quia iuris alieni violatio ſeiungi nequit ab iniuria, at expectans, vt eſt in *Extrau. execrabilis de præb. & dignit.* ius habet ad beneficium, quod eſt ei per literas Papæ affectum, *cum illi pro quo ſcripſit* debeatur *cap. quamuis 38. de præb. in 6.* ergo, &c.

QVÆSTIO XI.

An literæ in forma pauperum, ac communi concepta pro Clerico patrimonium aut beneficium habenti, à Papa ad Epiſcopum dari poſsint.

POſſunt quidem, ſed iis obtemperare decreto Bonifac. Epiſcopo non licet, quia cum clericus tantum domi in ære aut poſſeſſione habet, quantum ei eſt ad vitam neceſſe, in pauperum numero haberi, eoque appellari nomine non poteſt: ergo cum his duntaxat, literæ quas in *forma communi & pauperum* nominant, prodeſſe canones iubeant, ea ne poſſint gaudere gratia diuites, Papa vetat: ſic enim in *cap. ſi pauper 36. de prabend. in ſexto*: quare ſi ex quo prouideri de beneficio pauperi Clerico, Epiſcopus eſt iuſſus, *aliud ante quam ſit prouiſum eidem, beneficium fuerit aſſecutus, prouidere ſibi Epiſcopus, (cum ceſſet cauſa mandati) de cætero non tenetur.* Bonif. *cap. citato*, quia caput *cum ſecundum 16. de præbend.* quo iubetur Epiſcop. tandiu ei Clerico, quem ſine titulo de quo neceſſaria vitæ perciperet, eadem ſubminiſtrare, donec in aliqua Eccleſia ei ſtipendia militiæ Clericalis aſſignaret, Epiſcopum obligare ceſſat, *cum talis ordinatus de ſua, vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ habet*, Alexand. III. *cap. Epiſcopus 4. de præb.* At enim quanta eſſe hæc debet, vel cuius, & quanti valoris beneficium eſſe conuenit, quod ad mandatum Pontificis, pauperi conferri oportet cum vacat?

Primo, de annuis hæreditatis propriæ, aut auitæ prouentibus, certi quid aſſeram, non habeo, niſi quod hæc Clerico, ne ad infamiā ſtatus ſtipem corrogare teneatur, id ſuppeditare debeat quod ad vitam ſit ſatis.

Certius eſt, quod ex antiqua regni praxi conſtat, Clerico, cum ſe Epiſcopo ad ſacros promouendum ordines offerret, fuiſſe ad hanc rem ſatis, ſi quinquaginta libras francicas haberet in reditibus annuis, Rebuff. 1. *par. praxis benef. rubrica de reſcript. in forma pauperum num.* 20. nec proinde beneficium maioris valoris ac pretij, vi reſcripti Pontificij,

A fuiſſe olim illi debitum, quia tamen hoc tempore carius viuitur, nec quæ ſumma olim expēſis annuis ac diurnis par erat, ſatis eſt modo ad depenſum quotidianū & annale, non credere Epiſcopum officio, literiſque Papæ, Clerici ad Epiſcopum commendatitiis, facturum ſatis, ſi beneficiū eius valoris ac ſummæ, non maioris, illi in vim reſcripti Pontificij conferēdum putaret, quia ſic illum extra inopiam, ac mendicandi periculum, cum Ordinis dedecore non poneret, quod tamen eſt neceſſe.

B Neque tamen (quod ſecundo loco dicere habui) commendato à Papa, *in forma communi ac pauperum*, beneficium in Cathedrali Eccleſia neceſſario eſt debitum, quia cum ſit pauper, & forte obſcuro loco natus, contemneretur à Canonicis cæteris, quod eſt Epiſcopo, ac optimo cuique ad pacem, vitandum in primis.

QVÆSTIO XI.

C *An is pro quo à Pontifice dantur ad Epiſcopum literæ, ad beneficium admitti ſine examine debeat.*

NEquaquā, quia quæ à canone ſunt præſcripta, aut Conciliis, hæc ſunt ab Epiſc. obſeruanda, niſi cum eo diſpenſet Papa: at de moribus, vita, ac ſcientia examinari Clerici debent, cum beneficia Eccleſiaſtica ambiunt: ergo.

Eſſe id quidem in vſu communi, nec ab Epiſcopis omitti poſſe ſine culpa, vt credam, faciunt ipſæ Pontific. ad Epiſcop. literæ, in quibus de vita Clerici, cui de beneficio vult

D prouideri, inquiri vult non ſegniter, ac ſi eſt macula aliqua corporis aut animi notatus, quę ſtatū Clericalem non deceat, à poſtulatis ſuis cum reiici, ac beneficio ſibi deſtinato excludi. Iudicium ſit penes lectorē: ſic ergo Pontifex in ſuis ad Epiſcopum pro paupere Clerico in forma communi. *Venerabili fratri Epiſcopo tali & Capitulo Eccleſiæ N. de N. pauperis Clerici N. Diœceſis apud Apoſtolicam ſedem conſtituti ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de vita & conuerſatione ipſius Clerici, qui vt*

E *aſſerit, beneficium aliquod Eccleſiaſticum non obtinet, & quem per certos examinatores, ſuper hoc deputatos à nobis, de literatura examinari fecimus diligenter, &c.* nam quantum fas eſt arbitrari, ex his Papæ verbis datur intelligi, nemini, niſi qui de moribus ac literatura antè examinatus fuerit, patere ad beneficia vacatura aditū, nec his ab Epiſcopo præfici quēquā poſſe, in vim reſcripti Pontificij, de cuius doctrina periculum ante non fecerit, multo magis de vita, indole, ingenio. Verum eſt tamen Pontificem pro ſua in Graduatos be-

neficentia, de eorum capacitate quæſtionem A
inſtitui nullam velle, quod ab vniuerſitate,
cuius iudicio quantum deferri in hoc nego-
tio oporteat, nemo non videt, ſacerdotio do-
nandi ab Epiſcopo offerantur.

QVÆSTIO XII.

Vt impetranti reſcriptum ſit vtile, quid eum oporteat facere?

SI ſit in ciuili materia à Principe conceſ-
ſium, cui ſubeſt impetrans, adire hic magi- B
ſtratum debet, qui iuri dicundo eiuſdem no-
mine præſidet, & ad illum ab eodem eſt reſ-
criptum, vt quæ ratio fieri in impetrantis
cauſa ſuaſerit, hæc agat, iuſque tam illi, quam
parti, fideliter vt virum bonum decet, reddat.
Dicendum idem de impetrante Pontificio,
huic enim, ſi ſuum ſibi reſcriptum vult eſſe
vtile, is eſt interpellandus ante omnia, quem
cauſæ ſuæ Pontifex arbitrum eſſe, in ſuo reſ-
cripto imperat, ab eoque poſtulandum, vt de
negotio quod ei eſt à Pontifice commiſſum,
& poſt inſtitutam ſuper eo quæſtionem,
ſententiam dicat. Quod quia vtiliter, ac C
cum effectu tentare nequit, niſi eius au-
ctoritate fretus, qui eum impetranti iu-
dicem dedit, Pontificias ille ea de re, ad iſtum
literas deferet, viciſſimque alias ab eo capiet,
quibus ei poteſtas fiat citandi aduerſarij, *cap.
exhibita 19. de iudicijs*, qui ſi dicto erit audiens,
ſeque iudici delegato coram eo dicturus cau-
ſam ſteterit, tam eum, quàm qui ſe ab illo læ-
ſum queritur, ſuper his, quæ ſunt in libello, &
reſcripto expreſſa audiet, ac ſuper his, niſi à
parte appellatum eſſet, ſententiam feret, *iux- D
ta reſcripti ab impetrante obtenti tenorem cap.
cum R. canonicus I anu. 35. de officio iudic. de-
legati*, & ſi forma erit in reſcripto exequendo,
iudici delegato præſcripta à Pontif. ab hac
non diſcedet, ſi ſententiæ ſuæ robur, vimque
ineſſe volet, formæ enim, quam Papa iudici
delegato præſtituit, neglectus ac omiſſio,
eiuſdem eſt irritatio, vt eſt in decret. Honor.
III. *Venerabili fratri 37. de offic. iudic. deleg.*
Clariſſimè *in cap. cum dilecta 12. de reſcript.*
vbi proceſſum contra reſcripti ſui formam fa-
ctum, irritum eſſe ſignificat Innoc. III. his
verbis: *Propter quod proceſſum ipſorum contra E
noſtri formam reſcripti, ac iuris ordinem atten-
tatum, irritum decernimus & inanem*, non ab-
ſimili multantur pœna, qui de his inquiren-
dum ſibi, aut decernendum quidpiam cre-
dunt (quorum in reſcripto nulla facta eſt
mentio, *cap. cum olim 32. de offic. iudic. deleg.
parag. quia vero*, cum enim eſſe ſententia ra-
ta nequeat ſine poteſtate, qua tamen carere
Commiſſarium conſtat, cum hanc ei Papa
per reſcriptum non tribuit, patet nec ius ab eo
dici, nec quæſtionem poſſe de his inſtitui,
quorum in reſcripto ſuo Papa non meminit,
niſi forte eſſent hæc ſibi ſic connexa, vt in-
telligi eorum alterum, alio ignorato non poſ-
ſet, nam tunc, quia *quod de vno connexorum
ſtatuitur, ad alterum connexorum extenditur,
cap. tranſlato 2. de conſtit.* quod de eorum vno
decernet in ſuo reſcripto Pontifex, *neceſſe eſt
vt de altero intelligatur cap. tranſlato*, ſupra.

QVÆSTIO XIII.

An reſcripta Pontificia impugnare, aut ab iis appellare parti liceat.

DVbitandi cauſa vnica, eaque ex cano-
num præſcriptione petita. Enimuero
cum iudicibus delegatis ſiue ad lites, ſiue
ad beneficia, cauſas à Papa committi, cum
hac clauſula *ſublato appellationis remedio*, con-
ſtet *ex ca. ſicut 1. de reſcriptis*, non ſine cauſa
poteſt ambigi, ecquid in hac reſcriptorum
materia, appellationi ſit locus.

Dicendum nihilominus eam recipi, pri-
mo, quia eam Alex. Papa III. non reprobat
in *ca. ex parte 2. de reſcr.*

Secundo, quia cum ſalus ſua cuique cordi
eſſe debeat, eius procurandæ via claudi nulli
debet, clauderetur autem ſi adiri Superior,
eiuſque ad opem in neceſſariis ſuis tempori-
bus implorandam, implorari charitas non
poſſet, à ſententia ergo definitiua iudicis ap-
pellare, cuilibet cum iniuſte grauatur, eſt
permiſſum, ſi modo à Pontifice, ſecundum
reſcriptum obtineatur, in quo primi facta
mentio fuerit, cum iterata delegatione eiuſ-
dem cauſæ.

Ad obiectionem allatam reſpondend. eſt,
his verbis *appellatione remota*, eam duntaxat
inhiberi, quæ in iure non indulgetur, vt ſunt
moratoriæ, fruſtratoriæ, & à futuro grauami-
ne, quæ paſſim iure canonico ſolebant ad-
mitti *cap. 53. extra de appell.*

Ad partem quæſtionis alteram reſpon-
dend. impugnari reſcripta poſſe, primo cau-
ſando ea eſſe ſubreptitia, aut ſuppreſſione ve-
ri, Papæ fuiſſe impoſitum, vel Principi: Re-
gia quidem hoc refelli modo conſueſſe, indi-
cat, in iis eludendis Aduocatorum in foro lo-
quendi modus: nam ea negant eſſe vera, ta-
liaque, quibus admitti fides debeat, ſic enim
illi: *Je dis que ces lettres ſont obreptices, ſubre-
ptices, inutiles, & inciuiles*, quo ea vitio labo-
rare cùm probauerint, his obtemperan-
dum non eſſe, argumento eſt, quod Pontifi-
ciæ non ſit mentis, poſtulatis impetrantium
annuere, eaque facere *niſi veritate nitantur
ca. ex parte 2. de reſcriptis.*

De Rege non poteſt ambigi, cum in *art.*
66. Carol. eius nominis VII. literis ſuis ad
iudices

iudices, ac magiſtratus, vim ineſſe nolit, ſi ſunt iniuſtæ, ſi inciuiles ac ſubreptitiæ: *Voulons que les Iuges n'obtemperent à nos lettres, ſinon qu'elles ſoient ciuiles & raiſonnables: voulons que les parties les puiſſent debattre, & impugner de ſubreption, obreption & inciuilité.*

Et quia metuendum erat ne fraude, dolo, aut malitia expreſſæ, ab impetrante literæ, populum laterent, & ita ſine pœna forent, iudici dat idem Carolus in mãdatis vt eas pro tribunali vitioſas pronunciet, obreptitias, nullas ac irritas, in quo eſt eius ſanctio, canonicæ non abſimilis, cum Innoc. literas in quibus impetrans ſe religioſum eſſe tacuerat, tanquam *tacita veritate ſubreptas, vult denunciari non valere cap. porrecta 6. & cap. ad noſtram 5. de confirm. vtili*, ſic enim eſt petitioni aduerſæ partis, iudicis ſententia conformis, *& iuxta iudicij formam ſententiæ quoque forma dictatur* quod in cap. licet *Heli 31. de Simonia*, ſeruari Pontifex imperat. Enimuero cum literas ſuas cõprobari à iudice impetrãs poſtulat, eas nõ modo qui reus eſt vt ſubreptitias, inanes, ac nullas, reiici oportere, ſed etiam in expenſis condemnandum eſſe contendit, quod & accidit, cum prædictas literas teſtium fide vitioſas eſſe iudici conſtat, nam tunc pro fori, magiſtratuumque inibi præſidentium ſolenni more, ſic dicitur: *Auons declaré & declarons les lettres impetrées par tel eſtre ſubreptices, obreptices, & auons debouté l'impetrant de l'interinement & effet d'icelles, & ſi l'auons condamné aux deſpens.*

Secũdo, impugnari reſcripta ſolent, cũ Papæ voluntatem ac Principis literis conſtat, conceſſis per eos impetranti, eſſe oppoſitam: quare ſi quid illi indulſerint, quod nocet alteri, dicent, qui partes eius agent in iudicio Aduocati, mandata Papæ ac Principum, intelligenda eſſe *cum iuſtitia & ſaluo iure alterius lege auctoritatem, & lege meminerint Cod. vnde vi.* Item, quod in fraudem variis ſunt illi impetrantium precibus inducti, quod quæ illi conceſſa eſſe voluere, non noſſent, certo illi negaturi ſi ſciuiſſent *lege fin. dig. de conſtit. princ.*

Tertio, vt reſcripta effectu careant, ſatis eſt ſi de falſitate ſint ſuſpecta, quia niſi veritate preces fulciantur, ſunt hæc Pontif. decreto nulla, *cap. 2. de reſcript.*

Quarto, ab incommodis, quibus rem communem multorum, aut aliquorum priuatam afficiunt, impugnari reſcripta poſſunt, cum enim infinita illa, qua fideles omnes vt filios, paternè Papa proſequitur, charitas non ſinat, prodeſſe eum vni cuipiam cum damno tertij, vt eſt in *cap. quamuis 8. de reſcript. in 6. & cap. ſuper eo 15. de officio iudic. deleg.* abhorret à vero, ſuis voluiſſe literis impetrantem iuuare, cum multorum detrimento aut ſcandalo, quod enim in pauperum cauſa factum

A ſe Gregor. negat in *cap. nihil 2. de præſcript.* quilibet alius pari veritate, iureque, in litigantium rebus dicere poteſt, præiudicium facere ſe eorum alteri literis ſuis nolle: ita mandati ſui rationem habendam negat, qui beneficium in literis tacuit: aut *non poteſt ei ſine ſcandalo prouideri, cap. cum teneamur 6. de præbend.*

Eſt & alia reſcripti infirmandi ratio, nimirum ſi perſonas, aut loca ſpeciatim non denotat, nec enim extenſio fit ad alia loca, vel perſonas, *cap. 35. 34. 36. de reſcript.* nec ab vno vacationis modo ad alium *cap. 6. eiuſd. tit. in 6.*

B Secundo, ſi cum duo reſcripta ſunt ad diuerſos iudices data à Põtif. ſuper vnõ eodemq; negotio, ſecundũ, primi mentionem, aut reuocationem non contineat, nam tunc defectu huius conditionis, reſcripta talia non valent, quod ſi res erit obſcura, de ea referendum erit ad arbitros, eorumque ſequendum iudicium *cap. paſtoralis officij 14. de reſcript.* aut ad ius commune, à quo illa interpretationem & ordinem recipiunt *cap. 17. 18. & 20. eod. tit.*

C

QVÆSTIO XIV.

An reſcripta amitti aut finiri tempore ſoleant.

DIſtinctione explicanda eſt hæc quæſtio, aut enim de reſcriptis agitur, quibus poſtulanti gratia conceditur, aut de his quæ ius commune explicant ac continent: ſi primum, finiuntur anno: ſi ſecundum, ſunt perpetua, quemadmodum & quæ iuſtitiæ nomen habent, niſi fortè ea dolo, aut negligentia impetrantis, anno toto latuerint, eique hoc modo inutilia extiterint *ca. ex parte 12. de reſcr.* Clariſſimè Lucius III. in *c. 9. eiuſd. tit.* vbi eſt his verbis: *Si literis dolo vel negligentia vti poſtpoſuerit, excuſari non debet, ſi autem quia iudicis copiam nequiuerit habere, per poſteriores literas non poterit conueniri.* Reſcripti ergo vis perit, quando eo per annum impetrans non eſt vſus, Maſuer. *in ſua pract. rubr. de literis*, fitque huic anno initium à data literarum Rebuffr ad *tom. 2. conſtitut. regiar. tract. 1. de reſcr. q. penult. num. 176.*

E Secundo, reſcriptũ ad lites morte concedẽtis amittitur, niſi executioni mandatũ fuerit cõteſtatione litis, aut citatione partis antequã illa euenerit, ita Vrban. III. in *c. gratum gerimus 20. de offic. iudic. deleg.* & in 19. eiuſd. tit. Lucius item III. *Nos itaque*, inquit, *conſtitutioni veſtræ reſpondemus, quòd ſi lis fuerit ante præceſſoris noſtri obitum conteſtata, mandatum morte collatoris nullatenus expirat. Si vero ante litis conteſtationem deceſſit, non eſt à iudicibus, quos delegauerat, ex delegatione huiuſmodi prouidendum.*

A Tertio amittitur ceſſione impetrantis, quia per quas cauſas quid ponitur, iiſdem & tollitur *de reg. iuris reg. 1.*

Quarto, per reuocationem Pontificis *cap. vlt. de reſcr. in 6.* cum enim vana virtutis imagine, ſpecieque impetrantium falli queat, mirum eſſe nulli debet, ſi vbi ſe error, frauſque explanauerit, eam reuocatione conceſſæ per reſcriptum ſuum gratiæ, corrigat, *de reſcrips. in 6. cap. vlt.* deque ea, doloque admoneri ab his, ad quos huiuſmodi reſcripta dirigit gratiſſimum habeat: ſic enim *ca. 5. de reſcript.* Alexand. B *mandatum noſtrum reuerenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non poſſis, rationabilem cauſam prætendas, quia patienter ſuſtinebimus, ſi non feceris, quod prauis nobis fuerit inſinnatione ſuggeſtum.*

DE MANDATIS APOSTOLICIS.

EST huius vocis, *Mandatum*, notio multiplex. Interdum enim idem eſt ac officium, gratis ab eo qui ſuſcepit exhibendum, vel vt ipſi ſcripſimus *de contractibus*, contractus bonæ fidei, de eo, quod ſine mercede fieri conuenit, periculo mandatoris exequendo, inter quos iure ciuili licet.

Inde autem dictum tradit Iſidor. *lib. 5. ca. 24. etymol.* P. Faber ad *legem 70.* quod olim in commiſſo negotio alter alteri manum dabat, *per nuntium tamen aut epiſtolam ſuſcipi poſſe, quia conſiſtit in nudo contrahentium conſenſu*, nemo eſt, qui dubitet Faber *loco citato*, quæ autem mandatario in mandatorem actio competat vi mandati, & contra, diximus in *tract. de contractib.*

Secundo eſt mandatum, maxime cum Principem auctorem habet, ſanctio, præcepta de prouincia digne ac laudabiliter adminiſtranda continens: Gloſſa in *authent. de mand. princip.* ſeu reſcriptum eius quodlibet, quo quidpiam præcipit aut vetat, quo modo vſurpatur in *ca. cũ contingat 24. de reſcr.* cum Rothomag Archiep. dat Pontifex in mandatis, vt illud intrepidus exequatur, quod ei ſecundo loco eſt mandatum, id *eſt præceptum.* quæ propria quoque eſt mandati notio, cum ei particula additur *Apoſtolicum*, hac enim voce, ſignificari eius auctorem ac Principem, & nihil amplius, ſcriptores aiunt, quare non nude, cum ad ordinarios datur, poni in literis Pontificiis ſolet, ſed cum addito de prouidendo *ca. mandatum 38. de reſcript. ca. literis Apoſtolicis 39. & ſeq.* in eorum enim primo, mandatũ directum ad Epiſcopum dicitur, vt *faciat magiſtrum* [illegible] *in canonicum recipi*, in poſtremo autem iubetur Abbas qui mandatum receperat Apoſtolicum, vt Clerico de aliqua Eccleſiarum ſui Monaſterij prouideat, quæ omnia indicant, & mandatum præceptum eſſe, & cum eſt Apoſtolicum, ad Epiſcopum, Abbatem, aut Capitulum dirigi, ſuper beneficio, ei vbi primum vacauerit, non negando, quem illis Pontifex literis ſuis commendatum cupit.

QVÆSTIO PRIMA.

Quæ forma mandatum ad Epiſcopos dari iure communi debeat.

HAnc in vſu, ante Concordata Romæ fuiſſe reperio, cuius fit mentio: *in decr. Capitulũ 30. de reſcr.* enimuero cõſtat Põtificẽ dare ante omnia ſolitum ad Epiſcopum, aut Capitulũ monitorias literas (quaſi primarias preces) quibus eos de beneficio mandatariis tribuendo cum vacaret, admonebat. Verùm quia ſæpe morem admonenti non gerebant, monitoriis literas addere præceptiuas & executorias placuit, C *cap. Capitulum citato, & cap. conſtitutus 19. eod. titulo*, ibi enim ſcribitur quod Decano & Capitulo Bituricenſi Innoc. Papa tertius, cum mandatum eius de certo Clerico in canonicum & fratrem recipiendo, admittere non curaſſent, *eis præcipiendo mandaſſe, vt quod mandauerat, adimplerent ſibi ſuper hoc executoribus deputatis*, quorum erant hæ partes, Ordinarium iuſta Pontificis eludentem imperia ad officium cogere, quod ipſis tamen aggredi ac tentare fas non erat ſi monitoriæ ad illum præceſſiſſent nullæ, idem D qui ſupra auctor & teſtis in *cap. ex inſinuatione 37. de reſcriptis mandamus*, inquit, *quatenus ſi nulla ſuper hoc monitoria præceſſerint, executoriis ſuperſedeatis iiſdem, dummodo eædem executoriæ de monitoriis fecerint mentionem*, has tamen ſi non ex malitia, ſed ex ignorantia, aut innata ſimplicitate animi tacita veritate vel ſuggeſta falſitate mandatarij impetraſſent, illarum non carerent commodo, *Si talis expreſſa ſit falſitas, aut vel veritas occultata, quæ quamuis fuiſſet expreſſa vel tacita, Papa nihilominus in communi literas dediſſet, cap. ſuper* E *literis 20. de reſcrip.*

Quid ſi vt eſt iuſſus, Papæ, mandata Ordinarius non faciat? quid ſi beneficium poſſeſſoris vltimi obitu vacuum, conferre renuat?

Collatio futura eſt nihilominus valida, Rebuff. in *proœmio rubricæ de mandat. Apoſtolicis in ipſum autem executorem poteſtas prouiſionis huiuſmodi transferetur, & executor ipſe canonicatum incontinenti mandatario dare poterit ac præbendam ſi vacat, vel cum obtulerit ſe facultas, ca. ſi capitulo 5. de reſcript.* Ne quidpiam tamen

tamen executor peccet in hoc genere, Ordinarium admonere prius officij, ab eoque poſtulare debet, vt commendato ſibi à Pontifice præbendam, vbi vacauerit non recuſet, quia vt eſt in *cap. ſi Capitulo 5. de conceſſ. præb.* executori ſcripta ſua Papa non dirigit, *niſi vt Capitulo exigente mandatum Apoſtolicum exequatur.* At negligentiæ, aut in recuſando beneficio peruicacis imprudentiæ, honeſte non poteſt argui Ordinarius, niſi cum id quod rogatur, aut de quo vti officij ſui parte aliqua negligēda admonetur, facere abnuit: ergo, &c.

QVÆSTIO II.

Epiſcopis ac cuilibet ordinario dandi mandati quæ ſit ratio, formaque in Gallia.

NOn alia, quam quæ in Bonon. conuentu à Leone ſeruari eſt iuſſa, quam ex Concordatis exſcriptam placet hic ponere, ne conditionum ignoratione, rerumque quibus conſtat, mandata ſint Pontificia, inania, nulla ac irrita.

Et primò quidem ſalus eis præfigi debet, quam narratio excipit, exinde addi debet tam diſpoſitio, quam impedimentorum remotio ſubſequitur explicata hic vocibus, *Non obſtantibus forſan, &c.* ita mandatorum partes ſunt quatuor ſalutatio, narratio, diſpoſitio, nonobſtantiæ, Rebuff. in Concord. *de forma mandati verbo vita.*

Et quidem eſt is ſalutandus initio, ad quem mandatum datur, cuiuſmodi ſunt Epiſcopus, Canonici, Capitulum, *cap. mandatum 41. de conceſſ. præb. cap. ſi capitulo 5. eod. tit.* tam coniunctim, quam diuiſim, concord. *in forma mandati*, hoc tamen diſcrimine quod, cum collationes communiter per Epiſcop. & Capitulum fiunt, grauari ambo mandatis pluribus, quam binis non poſſint, cum tamen ſi ſeparatim ac diuiſim conferant, habeantque Epiſcopus & Capitulum ſpectati ſeorſim, ſinguli ſuas collationes, vt ille duobus, ita & iſtud totidem vrgeri mandatis poterit, Rebuff. in *forma mandati verſu capitulo.*

Narratio cauſas habet, quibus impulſus Pontifex, in eam mentem venit vt crederet, pro mandatario, dandas eſſe ad Epiſcop. commendatitias literas: ſunt hæ autem, vita ex præſcripto virtutis traducta ab infantia, ac religionis zelus, ſignificatæ his vocibus ambæ: *vita ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, ſuper quibus dilectus filius N. apud nos, fide digno commendatur teſtimonio, nos inducunt vt ſibi reddamus ad gratiam liberales*, *Leo in Concord. rubrica de forma mand.* cum tamen commendatur infans canonicis, ac Capitulo, non virtutis ac meritorum, ſed ſpei duntaxat his verbis, in princi-

A pio mādati, fit mentio: *Laudabilia infantilitatis indicia prout fide dignorū teſtimonijs accepimus, veriſimiliter præſumi, &c.* Diſpoſitio quæ mandati pars eſt tertia, beneficia notat, de quibus vult Pontifex prouideri mandatario videlicet *de canonicatu, & præbenda aut dignitate, perſonatu, adminiſtratione, vel officio, aut alio beneficio cum cura, vel ſine cura; etſi Parochialis Eccleſia, vel eius perpetua Vicaria, aut Capella fuerit*, Leo in Concord. *rubrica de forma mand.* Eſt tamen ab eorum beneficiorum numero excipienda dignitas verè electiua,

B aliudque beneficium ſimile, nam quæ eligendo dignitas conferri ſolet, etiamſi poſt Pontificalem ſit maior, vi mandati mādatario eſt debita, Rebuff. in Concord. *rubric. de forma verbo non exiſtat*, quia *poſtquam*, inquit id ibid. *de electiua excepit, de collatiua, & alia quacunque conceſſiſſe videtur, cap. nonne de præſumptionib.* & exceptio in non exceptis firmat regulam *lege 1. aūg. de reg. iuris.*

Nonobſtantiæ, quæ mandati partem vltimam componunt, impedimenta excludunt omnia, quæ mandatario opponi, cumque ab

C effectu ſibi conceſſæ gratiæ remouere poſſent, cuiuſmodi foret, ſi conſuetudine, pacto, aut lege certus canonicorum eſſet numerus, quem excedere Eccleſiæ prædictæ non liceret, iſque iam expletus foret. Eo pertinent hæ voces: *Etiamſi in eo ſtatuto aut priuilegio expreſsè caueatur quod nulli de dignitate, perſonatu, adminiſtratione prouideatur, niſi cum effectu illius Eccleſiæ* Canonicus exiſtat, *& nonobſtante de certo canonicorum numero, &c.* Leo in Concord. *de forma mandati*: nam niſi legi, ſtatuto, aut conſuetudini, de prædicto Cano-

D nicorum numero Papa derogaret, locum ſibi mandadatarius inter eius Eccleſiæ Canonicos haberet nullum, *cap. conſtitutus de reſcriptis*

QVÆSTIO III.

An mandatum per Pontificis ceſſet obitum.

CVm res adhuc eſt integra ceſſare mandatum pauca hæc è *libro Inſtitut. 3. deprompta, tit. 27. de mandato parag. 9 & 10.* in-

E dicant. *Rectè quoque mandatum contractum, ſi dum adhuc integra res ſit, reuocatum fuerit, euaneſcit. Item ſi adhuc integro mandato, mors alterutrius interueniat, id eſt, vel eius qui mandauerit, vel alterius qui mandatum ſuſceperit, ſoluetur mandatum.*

Verum enim, quia mandati, quod eſt contractus, alia eſt quam Pontificij ratio, quod de illo Iuriſconſultus aſſerit, non debet ſimiliter in iſto, de quo eſt ſermo, accipi. Enimuero cum mandatarij ac mandantis eadem ſit perſona moraliter, ne [illegible] niſi

quatenus iſti probandum videbitur, eo ſublato de viuentium numero, mandati quoque ceſſare vim omnem, ac in irritum reddi eſt neceſſe, quod in Pontificio locum non habet, eo quod non eſt de gerendo negotio, aut mandantis re familiari promouenda, cuius proinde voluntas atque conſenſio ſit ad eius effectum neceſſaria.

Dico ergo primò, *Papa mandatum commoriente non emori, etſi necdum ſit executioni mandari cœptum.* Quia per gratiam, quæ mandatario literis eſt Pontificiis facta, ius eſt quæſitum ad beneficium, non in re, ſed ad rem, item implorandæ Iudicis aut executoris operæ, vt eorum ope, in poſſeſſionem canonicatus ac præbendæ ſibi à Pontifice conceſſæ, vbi vacauerit, mittatur, quod eſt Pontificis admonitum, *in cap. ſi cui 36. de præbend. in 6.* his verbis: *Si cui ſit gratioſe conceſſa facultas vt auctoritate Apoſtolica poſſit aliquibus perſonis idoneis in certa Eccleſia prouidere, vel beneficia conferre, huiuſmodi conceſſio (quam, cum ſpecialem gratiam contineat decet eſſe manſuram) non expirat etiam re integra per obitum concedentis.*

Executor enim ſuper gratia facta, à Papa datus, eo mortuo etiam re integra gratiā exequitur, Bonif. VIII. Ita ſtatuente, in *cap. 9. de officio Iudicis deleg. in 6. Si ſuper gratiis,* inquit, *cuiquam ab Apoſtolica ſede facta executores fuerint deputati, æquum eſſe cenſemus, vt ſicut ipſa gratia (licet nondum ſit in eius executione proceſſum) morte non perimitur concedentis, ſic nec etiam re integra perimatur executoribus data poteſtas, quam veluti gratia prædicta acceſſoriam, naturam ſequi congruit principalis.* Multo minus eam interire eſt cenſendum, cum res non eſt integra, eo quod mandatarius in canonicum eius Eccleſiæ quæ eſt deſignata à Pontifice, eſt ab Epiſcopo aut Capit. aſcriptus, aut aliquid circa eum eſt factum, quod ad gratiæ executionem pertinet, Rebuff. in Concord. *rubrica de mandat. Apoſtol. parag. ſtatuimus primo, verbo ſui Pontificatus,* Gloſſa *in parag. item voluit verbo viſum de collat. in pragm.*

QVÆSTIO IV.

An facta beneficij collatio alteri, quam mandatario teneat.

RAtam eſſe nemo negatum ibit, qui, vt diximus antea, collationi tum vim eſſe meminerit, cum eſt ab habente poteſtatem, capaci, & non impedito facta.

Certa ſunt tamen tempora, in quibus eſt nulla: primo cum Pontifex de præbenda proxime vacatura in aliqua Eccleſia, nec vlli iure debitā, prouideri nominatim voluit, hanc

A ſi Ordinarius alij duxerit conferendam, *talis collatio in mandatarij præiudicium attentata, nullam obtinet firmitatem cap ſi poſtquam 13. de præb. in 6.* Cuius rei rationem hanc reddit Bonifac. ibid. quod eo ipſo quod mandatarius factus eſt auctoritate Apoſtolica canonicus, *ius ad obtinendam præbendam primo vacaturam ibidem, illi acquiſitum extitit, eademque quam cito vacauit, quia nulli alij debebatur, iuſte petere potuit, & ideo à prædictis licet ignorantibus, alteri conferri nequiuit.*

B Secundum eſt, quando mandato clauſula decreti eſt addita, *de conceſſ. præb. in 6. cap. 1.* Ibi enim ſignate Innocent. IV. aſſerit Epiſcopo facultatem ademptam omnem eſſe eius conferendi beneficij, quod Pontifex certo addixit homini, quia ea deſignatione, ſic eſt *illi pro quo conferendo ſcriptum extitit, affectum, quod de illo alteri facta collatio, non obtinet firmitatem, cap. ſi Capitulo 6. de conceſſ. præbend.*

Tertio eſt, beneficij per Ordinarium alteri quam mandatario facta collatio, inanis ac irrita, cum contra executoris voluntatem, aut

C eius reſeruationem eſt facta. *Quod enim contra talem reſeruationem, & inhibitionem ab eo, ad quem beneficij reſeruati collatio pertinebat, fuerit attentatum, non tenet, cap. executor 4. de conceſſ. præb.*

QVÆSTIO V.

An mandatarijs quos in Canonicos recipi Papa iuſſit, fructus aliqui ſint debiti, priuſquam præbendam fuerint aſſecuti.

D AD quæſtionis intelligentiam notare placet: primo, huiuſmodi homines quos Prælaturam primo vacaturam expectātes, ceu Canonicos in herbis communiter nominant, beneficiatis adnumerandos non eſſe, Gloſſa in *cap. vnicum verbo ius ad rem de offic. delegati in Extrauag. communib.*

Ratio eſt, quod titulo careant, quod iuſtam nullam ſacri defungendi officij, & eius occaſione colligendorum fructuum prætexere valeant: præbendam quidem, vbi vacauerit, expectant, non habent tamen.

E Notand. 2. Fructus tam qui ſunt annui, quos *groſſes* vocant, quam qui diurni, quos diſtributiones manuales appellant, non aliis communicari ſolitos, quam qui cooptati in Canonicorum Collegium, eius partem aliquam faciunt.

Dico iam ergo, mandatarios, quandiu non eſt ab Epiſcopo aut Capitulo factum ſatis Pontificis imperio, de beneficio eis dando cum vacabit, ſacrorum prouentuum partem ſibi nullam vendicare iure poſſe, quia necdum ſunt Canonici, nec ius in re conſecuti

cuti: quare nec ſtallum in choro ſtabilem, nec in Capitulo vocem habent, Rebuff. *de reſeruationib. parag. in cathedralib.*

At enim (inquies) ſunt canonici, non ſunt ergo obuentionibus, quas præbendæ poſſeſſori ſuo pariunt, priuandi. Sane Mandatarium ſuum Innocent. III. recipi in Canonicum & *de redditibus Eccleſiæ ſibi ſingulis annis adſignari prouentus, donec ei ſit in beneficio præbendali prouiſum*, imperat, *in cap. cum dilectus 27. extra de prebend. in cap. autem cum M. Ferrarienſis 9. extra de Conſtitut.* vult idem Pontifex iſtiuſmodi canonicos de ſuper creſcentibus fructibus partem recipere, conuerſo *quod ſuperfuerit in communes canonicorum vſus, ſiue aliter prout melius videbitur.*

Reſpondend. cum diſtinctione. Nam vel ſunt mandatarij, à Canonicis ſponte & vltro recepti inter alios, vel ſolo Pontificis imperio.

Si primum, debent hi illis, redituum ſuorum partem, quanta ad vitam eſt ſatis, non negare, aut certe quidpiam aliud, ex quo commeatum ſibi neceſſarium accipiant. Quia vt ait Gloſſa citati *cap. cum M. Ferrarienſ. in verbo induſtriam*, qui ſponte & vltro aliquem in ſua Eccleſia recipiunt, ſibi in eo præiudicant. Si alterum, nec niſi Pontifice id iubente, in ſuum, hoc eſt, Canonicorum numerum Canonici mandatarium allegerint, ad nihil tenentur: quare iuxta priorem ſenſum intelligendus eſt Innocent. non ſecundum, quæ eſt Bleyani opinio in *Theoria de titulo & intitulato multiplici num. 26. 27.*

QVÆSTIO VI.

An mandatum ad alios, quàm qui beneficia ipſa conferunt, dirigi à Pontifice poſsit ac ſoleat.

CAuſa dubitandi, eſt quod Collatoris ſolius, fit in Concordatis mentio. *Statuimus*, inquit Leo, *& ordinamus quod quilibet Romanus Pontifex, literas in forma mandati, iuxta formam inferius annotatam dare poſſit hoc modo, vide licet vnum collatorem habentem collationem decem beneficiorum in vno, &c.* hinc enim non obſcure ſequi eſt planum, Pontificiis de mãdato recipiendo legibus teneri hos duntaxat, qui præficere beneficiis quos volunt, poſſunt.

Nihilominus ad alios ſe quoque Pontificum mandata exporrigunt, ita ſentiendi cauſæ duæ.

Prima, quod collatio, non beneficij donationem tantum, ſed & præſentationem ſignificet, eſt pro exemplo fideque, quod in *cap. vt beneficia ſine diminut. dentur*, quidpiam ex iis detrahere, quod in ſuum, aut ſuorum com-

A modum collatores vertant, ſeu ere Papa vetet: at Patronos, peræque ac collatores tenere ea culpa poteſt: ergo vt his dare Pontifex de prouidendo mandata poteſt, ita & iſtis. Collationis ſanè nomine præſentationem quoque intelligi habent, Gloſſa in *Clem. vnica de rerum permutat.* Rebuff. *de Collationib. parag. ſtatuimus 2. gloſſa conferantur*, item & commendam, *cap. nemo de elect. in 6.* Rebuff. *de pacific. poſſ. ff. ampliat. 5. num. 35.*

Secúnda, à praxi communi vim habet,
B hæc enim, maxime Romana, cum inſtar ſit legis, pro norma, ad quam noſtra dirigi oportet opera, eſt habenda. At à Pontifice, dari interdum mandata ad Patronos Eccleſiaſticos conſtat, non ſecus quam ad Collatores, ſunt hi ergo in Rubrica de mandatis, collatoris intelligendi nomine, quod erat probandum.

QVÆSTIO VII.

C *An mandatarius vtraſque Pontificis literas, vt valide quid faciat, exhibere debeat.*

BInas Pontificem dare ſolitum literas, tam priſca veterum decreta Pontificum, quam res ipſa, experientiaque indicant. Eas Populares & imperioſas, gratioſas & rigoroſas nominant, ſunt primæ, quæ & gratioſæ ſeu populares appellantur, quæ à Pontificis, erga candidatum ſuum benignitate profectæ, dantur ad ordinarium, vt illum cum licebit, canonicis ſuæ Eccleſiæ adnumeret.

D Imperioſæ, ab imperio, tam Pontificis quam executoris nomen habent, ſed diuerſimode, illius quidem ad executorem, vt mandatum impleri ſuum curet, iſtius autem ad Ordinarium, cui vt vidimus, cum obſequi Pontifici, eiuſque iuſſa facere renuit, imperat pro auctoritate, vt eius Candidatum, hoc eſt mandatarium, beneficio cum poſſeſſoris ſui obitu vacauerit, dignetur. De his ergo literis ambigitur, ecquid ambas teneatur mandatarius, an verò earum alteras edere, & denunciare ei ſufficiat? Sufficere argumenta ſuadere bina
E videntur.

Primum, quod cum non ſint ad Antiſtitem, ſed ad executorem datæ, eas illi oſtendi prodique non ſit neceſſe. Alterum, quod Leonis X. conſtitutione, in Concord. *rubr. de Mandat. Apoſtolicis*, qua earum literarum formula præſcribitur, nominatim nihil ſit cautum.

Dicendum tamen, cum bullis mandati, executoriales quoque Ordinario in Gallia indicandas eſſe: Fabric. *Theor. tract. de titulo num. 20. litera I. in margine*, Papon. *lib 3. tit. 6. arreſto 3.* alioqui mandatarios, non niſi

vnas edentes, nihil agere, earumque proinde denunciationem ac editionem eſſe nullam, quam eis mentem nobiſque, Curiæ antiqua praxis, veteri firmata Senatuſconſulto iniicit, cuius meminere Rebuff. in Concordata *rubrica de forma mandati in verbo præſentata*, Peleus *in forenſibus lib. 2. actione 34.* Accedit & ratio, ex rei ipſius petita decentia. Nam quid eſſe fœdius poteſt, quam eo Epiſcopum redigi, vt ab aliquo cogatur, iuſſa recipere ac facere inferioris ſui? In id ergo connitendum eſt omnibus, ne hanc Epiſcoporum famæ, nominique labem inprimant. At id facit mandatarius, cum propter ipſius rei pondus ac grauitatem, vtraſque Ordinario literas exhibet, ſic enim eum tacite admonet, ſibi vt conſulat, nec in eas ſe cogi anguſtias negligentiâ parendi Pontifici ſinat, vt iterato id ſibi Pontificis nomine, à ſubiecto ſibi Clerico imperari audiat, ambas ergo à mandatario Antiſtiti, aut Ordinario, oſtendi literas, hoc eſt populares ac imperioſas, æquitatis eſt ac decentię, quę violari non poteſt ſine nota aliqua imprudentiæ.

Ita ad argumenta oppoſita reſpondere non eſt difficile, primi enim neganda eſt ſequela, ex altero autem vtpote negatiuo, nihil ſequitur. Et hæc quidem dicta ſunto de quæſtione propoſita ſatis probabiliter, quanquam ſi fides eſt Choppin. *lib. 1. de ſacra politia titulo 5. num. 20.* vſus fori modo habeat, vt populares ac gratioſas literas, Ordinario oſtendere hoc tempore ſit ſatis.

QVÆSTIO VIII.

An Legatus Pontificius derogare mandatario valeat, quodque ei beneficium ratione mandati ſui eſt debitum, conferre alteri?

NOn poſſe vt credam, facit hæc ratio petita ex Clement. *ne Romani 2. de elect.* *Lex ſuperioris per inferiorem tolli non poteſt, corrigi, aut immutari, aut quidquam ei detrahi ſiue addi, aut diſpenſari:* ergo nec mandatum, quod eſt priuatæ legis inſtar: tollitur autem, cum contra quàm oportet, & velit Pontifex, inane per legatum redditur, aut eius executio, impeditur, collatioce beneficij facta alteri, quam mandatario Pontificis Romani candidato: ergo, &c.

Quid ſi in eius eſt iure, Pontifice id annuente, reſignationes admittere?

Reſpondend. ex accidenti mandatarij obeſſe iuri, legatum tum poſſe. Quia non alia ei affecta ſunt beneficia, quam quæ poſſeſſoris morte vacant, & aliunde Legatus vtitur ſuo iure, nihil eſt ergo de quo iuſtè queri mandatario liceat, ſi dum reſignás viuit, beneficio ſe ſuo in alterius gratiá exuat, ex quo accidat, vt eo donari, ab ordinario non poſſit, Rebuff. in *Rubricam tract. de mandatis Apoſt. in verbo libere conferre vbi habet certum eſſe quod non obſtantibus gratiis expectatiuis beneficia permutari poſſint, & libere ac ſine fraude in manibus Ordinary reſignari, cap. vnico de rer. permutat. in 6. cum nihil depereat expectanti, nec mandatum ius tangat. ſingularis canonici, cap. finali de preb. in 6.*

QVÆSTIO IX.

An mandatariis præferendi ſint Indultarij aut nominati.

NEquaquam, dixit hanc ſententiam Bonifac. VIII. *in cap. cum cui 7. de prebend. in 6. Eum cui Canonicatus alicuius Eccleſiæ à ſede Apoſtolica eſt collatus, licet nondum ſit in ea receptus, decernimus in aſſecutione præbendæ omnibus præferendum, quibus poſtmodum ſimilis gratia eſt conceſſa, licet iſti primo literas ſuas præſentauerint, & primo recepti fuerint in eadem*, hæc Bonifac. quorum ſunt quam ſimillima quæ habentur *eod. titulo, cap. ſi qui auctoritate 12.* maxime vero ad rem facit Leonis conſtitutio in Concordatis, concepta his verbis: *Declarantes proſequentes huiuſmodi mandata quoad beneficia ſub illis comprehenſa, ordinariis collatoribus, & graduatis ſimplicibus, nominatis præferendos eſſe, noſque & ſucceſſores noſtros, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes & officia, cæteraque beneficia Eccleſiaſticia ſecularia, & quorumuis ordinum regularia quæcunque & quomodocunque qualificata, tam in menſibus graduatis ſimplicibus, & nominatis, quam ordinariis collatoribus præfatis aſsignatis vacantia, ac etiam ſub dictis mandatis comprehenſa, libere conferre.* Conſulendus Rebuff. in *eum locum.*

QVÆSTIO X.

An Mandatum complectatur beneficia tam quæ in regno ſunt quam extra.

EXempli cauſa, dat in mandatis Ordinario Pontifex, vt Clericum quam humaniſſimè ſemper apud ſe in vrbe habuit, beneficio aliquo cum vacauerit, cohoneſtet, quæritur, an ea Papæ præceptio, in illa duntaxat Sacerdotia cadat, quæ ſunt in Eccleſia cui ordinarius præſidet, an contra, alia quoque contineat extra prouinciam, regnumque ſita?

Reſpondend. nullum ab eo onere eximi, omnia pari lege modoque, mandato Pontificis diplomatico affici.

Primo, quia pro mandatario facit Pontificis

cis iuſſu, vt enim eſt indefinita, ad nullum nuncupatum reſtricta, vniuerſali æquiualet: ergo eiuſmodi, quæ in eandem legem omnia cogat, vt ſint mandatario cum vacabunt, obnoxia.

Secundo, cum canon non diſtinguit aut Legiſlator, nec diſtinguere quoque ſubditos conuenit: At eſt mandatum priuatæ legis inſtar, cuius auctor ac Princeps eſt Pontifex, nec cum illud ex vrbe ad Ordinarium deſtinat, vlli in ſpecie beneficio alligat, ſed tacite omnia per particulam hanc indefinitam, *Beneficium*, denotat ergo, *ſi primo vacet in regno, acceptabitur quod in eo vacauerit, ſi mandatarius ſit ad regni beneficia idoneus, ſi extra vacet, debebitur etiam illud mandatario habili, quia onus reſpicit totum patrimonium lege ſi fideicommiſſum, parag. 1. dig. de iudic.*

Quid ſi Mandatarium ad eum dirigat Pontifex, qui vnicum tantum in regno beneficium habet quod conferat, extra illud autem nouem.

Reſpondend. Valere mandatum, & ita primo vacaturum candidato Pontificio dandum eſſe.

quid ſi eum velit Pontifex ad regni beneficia admitti, vnum autem in eo duntaxat Ordinarius habeat, quod conferat?

Reſpondet Rebuff. *de mandatis Apoſtol. parag. 1. in verbo in nominationib.* mandato eiuſmodi vtpote vitioſo parendum non eſſe, primo quia habet vim reſeruationis, ſecundo votum captandæ mortis, *cap. 2. & 3. de præb. in 6.* quod eſt vitandum.

QVÆSTIO XI

Ad quem ſpectet beneficij collatio vi mandati facienda, quando qui Epiſcopatu aut Abbatia in gratiam tertij abire ſtatuit, beneficiorum ſibi donationem omnium reſeruatam voluit.

RESpondend. cum diplomatico aſtrictum mandato eſſe, qui, quod eſt in fructu, ius ſibi ſacerdotiorum retinuit.

Ratio eſt, quod etſi non ſit verè Abbas, quia titulus ab eo in reſignatarium eſt tranſlatus, eſt tamen fictione quadam, poteſtate item ac iure talis: Fictione quidem, quia quæ veri Abbatis ſunt partes, adminiſtrare Eccleſias, earum ſtudere commodis, gnauos illis ac induſtrios præficere rectores ac magiſtros, has ille exequitur ac obit. Iure autem, quia non alio, quam Abbatiali iſta molitur ac facit: quare eum qui commodum, idem quoque ſentire onus debeat, ad reſignantem deriuari grauamen mandatorum oportet, nullomodo ad reſignatarium.

Confirm. Subrogatus capere naturam de-

A bet eius, cuius in locum ſubrogatur, *lege ſi cum paragr. qui iniuriarum dig. ſi quis cautio* At reſignatarij vices reſignans implet cum confert, quod enim eius eſſet facere, ac vacante Eccleſiæ moderatorem dare, hoc reſignans facit: eſt ergo eius in hac parte quaſi Vicarius, proindeque ei ſubrogatus, quod ergo reſignatario curandum foret, ſi ſacerdotiorum collator eſſet, in id reſignantem incumbere eſt neceſſe, & ita cum eorum aliquis de hoc genere hominum qui ab illo pendent, viuere deſierit, beneficiariis mandatarium
B adiungere.

QVÆSTIO XII.

Vt mandatum valeat, ſitque ratum, quid ſit neceſſe.

PRimo fieri ſcripto debet: ratio eſt, quod Concordata literarum meminerint ſicut & canones, quæ autem exarata ſunt literis, eadem quoque ſunt ſcripta.

C Quid? quod Bonifac. eius nominis VIII. in *cap. executor. 4. de conceſſ. præb. in 6.* Clem. item in *Clement. de reſcriptis cap. vltimo*, eas exigant? nam etſi verbo fiat gratia; de ea tamen fieri fides nequit ſine ſcriptura, quod enim de priuilegiis Alexand. III. ſtatuit in *cap. porro 7. de priuileg.* nempe ne iis fides ſit vlla, niſi eorum tenore inſpecto, hoc de mandatis pari iure, ſi non meliori dicere poſſumus cum Rebuffo in Concord. *rubr. de mandat. parag. literas, verbo ad probandam gratiam.*

Secundo, oportet vt mandatum eadem ſit
D ſcriptum manu: ſi titulum, id eſt ſuperſcriptionem excipias, quam à Notario, aut alio ſcribendi perito, fieri nihil vetat. Quare etſi ſufficiat Pontifici ſubſcribere, id eſt adiunctione nominis ſui ac ſigilli, teſtari ſuo imperio datas eſſe ſcriptaſque ad Epiſcopum mandati literas, eas vitiari tamen eſt neceſſe, ſi in manu ſubſcribentis Papæ, ac characterum expreſſione, vel minima tantum appareat diuerſitas. Si tamen prima linea, inquit Rebuff. *parag. 1. de mandat. verbo quaro prima linea vſque ad verbum vita, ſcriberetur vt aſſolet*
E *literis longiù per vnum, & totum mandatum per alium, non minus valeret, & hoc ſeruatur de ſtylo curiæ Romanæ.* Hæc ille.

Tertio, nomen quoque mandatarij, integrè, & non diminutè ac ex parte literis debet exprimi, Gomeſ. *de annali poſſeſſione qu. 32.* Ægidius *deciſ.* 185. quia ſi nomen eius qui commendatur, abbreuiatè ſcriberetur, reciperet illius contractio ſenſum multiplicem, vt ſi pro Antonio ponatur *A*, mandatum detorqueri poterit ad Arnulphum, Amedeum, Andream, peræque ac ad Anton. id autem

eſt vitandum.

Ex quo infertur, mandatum fore nullum, ſi in eorum, qui eodem vtuntur nomine, varietate multiplici, vni potius quam alteri beneficium detur, niſi coniecturis, argumentis, & teſtibus, omni fide maioribus, clare probari queat, de eo prouiſum, illum ipſum eſſe, quem ordinario commendatum à Papa fuiſſe conſtat, Gomeſ. *de annal. poſſeſsione qu. 32.*

Quarto eſt mandatum Papæ de prouidendo, vt diximus paulo antea, inſinuandum collatori ordinario vna cum bullis executorialibus, alioqui eius manus non ligari, hoc eſt non impediri, quominus ille cum volet, beneficium vacans conferat, docent Paponius *lib. 2. tit. 5. arreſto 3.* Peleus *in forenſibus lib. 1. actione 34.* Fabricius *de titulo litera I. ad marginem num. 22.*

Quinto, debet mandatum ad aliquem dirigi, alioqui iure eſt nullum, *ca. mandatũ de reſcr. in 6.* ac ſi eum, ad quem dirigitur, habere plures Epiſcopatus, aut Abbatias contigerit, ille tantum Epiſcopatus, aut Abbatia mandato grauabitur, in quo aut qua mandatarius fuerit nominatus, per mentionem eius expreſſam: nam vt eſt in *cap. cum in illis 16. de prabendis in 6. expreſſo vno caſuum prædictorum, mandatum ſup. r hoc factum, (quod debet de ſui natura reſtringi, ad alios extendi non debet:)* ergo nec quæ in Epiſcopatum mandata cadent, Abbatiæ applicari poterunt.

Sexto, Mandata de prouidendo, vt apud Gallos rata ſint ac vtilia generalia eſſe debent & ad omnia alicuius Eccleſiæ, vel loci beneficia, Rebuffus in *prima parte praxis tit. de clauſula mandatorum num. 29.* quem refert & ſequitur Paponius *in lib. 2. tit. 6. arreſto 2.* quia in Gallia reſeruationibus per pragmaticam ſanctionem & concordata nullus eſt locus: Rebuffus *prima parte praxis tit. de reſeruatione*, Gregorius Tholoſ. *lib. 17. Syntagmat. cap. 10.* Fabricius *tract. de compluribus, aliorum beneficiorum nomenclaturis num. 5.* Excepta vnica illa de vacantibus in curia beneficiis, quæ nuncupatim iuris eſſe ſui Pontifex voluit, non poteſt ergo vi mandati ſui, certum aliquod ſibi ac ſpeciale reſeruare beneficium.

Septimo, eſt hæc mandati ſeruanda forma in Gallia quam ſibi Leo in concordatis præſtituit, *in rubr. de mandatis §. vt obuietur,* & ita qui mandaret Epiſcopo, aut collatori ordinario vt commendato prouideret de dignitate tãtum, aut de dignitate, adminiſtratione, Parochia, aut Canonicatu, prætermiſſa mentione capellaniæ, vel officij, non reciperetur in Gallia, vt declaratum fuit anno 1527. 24. Martij.

Similiter & mandato vis nulla inerit, ſi non derogetur ſpeciali clauſula indulto, ſi quod

A habent Canonici, aut Epiſcopi, vt eorum beneficia mandato vllo non grauentur, aut eorum numerus noui Canonici acceſſione augeatur. Ita à Tholoſano prætorio ac Rothomagenſi definitum eſſe memorat Scholiaſtes Concordatorum in *rubric. de forma mandati verbo cum ergo ſub finem.*

Octauo, non debet mandato ineſſe fraus vlla, ſubreptitium enim ipſo iure eſt nullum, *Clement. 1. de prabendis*: quare ſi eſt impetratum ab eo qui ſe fingebat dignum eſſe, erit ea conditione deficiente, inane, *cap. cum adeo de*
B *reſcriptis*, cum Papæ non ſit propoſitum, indignum commendare, aut commendatum beneficio, quo eſt indignus, præficere.

Nono, ne mandatum ſit irritum, nulla ei deeſſe dictio de illis debet, quæ mandatis ſunt eſſentiales, Rebuff. *1. par. prax. benefic. rubric. de mandatorum Apoſt. clauſula num. 1.* de quibus nos antea.

Decimo, mandatorum, ſicut & literarum quas Apoſtolicas nominant, literam ſeu characterem à quo iis ſit initium, capitalem eſſe conuenit, Papæque nomen *ſolenniter & extenſe ſcribi*, Rebuff. *in Concor. rubrica forma*
C *mandati verbo Leo verſu & nota, primaque litera nominis Papa plena eſſe debet, & extra ordinem aliarum literarum, vt habetur in pract. curia Rom.* idem ibid.

QVÆSTIO XIII.

Quid facere Mandatarium ſit neceſſe ne ei beneficium negari queat ab ordinario!

PRimo, mandatum ſuæ nominationis inſinuaſſe ei debet, ad quem eſt à Ponti-
D fice tranſmiſſum, puta ordinario, vel Canonicis, ad quos cum ſpectabit Sacerdotij vacantis collatio, non niſi congregatis in Capitulo ſignificabitur.

Cauſa eſt, quod quando quid à pluribus geri debet, in id incumbere vna congregati omnes debeant: aliter actus non valet, vt ex Bartol. probat Rebuffus *tract. de nominat. qu. 14. num. 74.* Quare dum Canonici coeant, de rebus Eccleſiæ deliberaturi, mandatario expectandum erit captandaque dies habendi cœtus, quod ſi mandatarij odio, aut bene merendi de amicis voluntate ac ſtudio, cum be-
E neficium vacare in Eccleſia ſua contigerit, cœtum habere nollent; dabit operam vt illum Decanus, ad ſtatum diem pro auctoritate indicat, quod ipſum facere ſi abnuerit, habebitur mandatarij petitio eodem loco, quo mandati Pontificij inſinuatio: Fridericus *conſil. 190.*

Secundo, Illico ac poſſeſſoris obitu, beneficium rectore deſtitutum erit, ſibi illud vt Pontificis commendatione debitum, poſtu-

lare

lare mandatarius debet, quia hac conditione ac lege, à Pontifice ad Ordinarios Apoſtolicæ venere literæ, de ſacerdotio ei non negando cum eius conferendi aliqua ſe dabit occaſio, ſi eius ſe amore ac deſiderio teneri oſtenderet, idque verbis ac oratione, aut libello ſupplici co'latori innueret, quo ſtatui, fierique iuſtius nihil potuit.

Ecquid enim Epiſcopo ac Canonicis honeſta eſt, iuſtaque exiſtimandi cauſa, quamdiu beneficium non petitur, iiſdem, à mandatario factam ſibi per Pontificem gratiam, remitti, aut hac illum vti non velle: quare valebit collatio ab ordinariis facta, ſi antequam id ſibi dari mandatarius vellet alteri eſt ab iis datum, Peleus in *forenſibus lib.1. actio 4.* vbi refert pro impetrante Apoſtolico, aduerſus regium indultarium eſſe ita pronunciatum 17. Iulij 1557.

Tertio, debet Mandatarius illo ipſo puncto temporis quo literas Pontificis ordinario denunciat, his ornatus eſſe animi & corporis dotibus, quæ ad validam beneficij poſſeſſionem ſint, tam iure communi, quam ſpeciali voluntate fundatoris neceſſariæ, Doct. in *cap. ſi eo tempore de reſcriptis in 6.* Choppinus *lib. 2. domany tit.10. num.17.* vbi arreſtis duobus ſtatutum ait, niſi inſtructo qualitatibus, proindeque capaci cum ad beneficium vi mandati ſe ſui inſinuat, Papæ commendationem prodeſſe non poſſe, cum tamen ſufficiat nominatos ab Academiis & Rege, eſſe tum capaces beneficij cum vacare incipit, iuxta Lateran. Concilium in *parag. cum vero tit. de collationibus.* Cauſa tam curiæ quam nobis, ſic ſentiendi eſt vnica, nempe quod id Bonifac. Papa octauus exigat in capite ſi eo tempore *de reſcriptis in 6. Si eo,* inquit, *tempore quo tibi de beneficio cum cura, vel ſine cura mandauimus prouideri ad obtinendum curatum beneficium, idoneam non habebas ætatem, tibi licet nunc legitimæ effectus ſis ætatis, auctoritate literarum huiuſmodi, cum tempore datæ ipſarum adhuc non eſſes idoneus, de beneficio curam animarum habente, nequaquam poterit prouideri.* Quæ etſi de Curatis beneficiis ſint dicta, trahi tamen oportere ad omnia ſcribit Bleyan. in *Theoria rubrica de titulo nu. 22. litera K. ad margin.*

Quarto, id mandatario curandum eſt in Gallia ante omnia, vt mandatum ea forma ſit conceptum, quam concordata ſtyluſque curiæ præſtituunt, nam cum forma rebus ſit ac actibus ſubſtantialis & intrinſeca, eius integra præteritio, aut aliqualis ex parte tantum læſio, mandati eſt interitus, certaque irritatio: conſiſtit hæc vero in ſequentibus, primo, vt is ſalutetur initio ad quem à Pontifice mandatum datur: ſecundo, vt hic voluntatem ſuam animumque exprimat: tertio, vt beneficium in ſuis ad ordinarium literis notet, quo mandatarium ab Epiſcopo aut Capitulo donari cupit, Canonicatum v.c. aut Capellam, aut Parochiam, *cap. 4. cum in illis 16. de præbend. in 6.* quia beneficiales literæ modum vnum exprimentes non includunt alium.

Quinto, cauſam continere mandatum debet quæ ad eius conceſſionem Pontificem impulit, putà mandatarij merita, virtutem, zelum, eius inopiam, aut ſuam ipſius beneficentiã, & tunc ceſſante ea cauſa non propterea ceſſat mandatum ac gratia Doct. in *cap. ceſſante 60. de appellat.* Rebuff. *parte 1. praxis tract. de clauſulis mandatorum num. 5. quia licet Papa gratiam ſe facere ob ſeruitia ſibi impenſa dicat, vel zelum, tamen ex quo rem non ſpecificat, dicitur ſimplex liberalitas, & non donatio ob cauſam,* Rebuff. *ſupra num.6.*

Sexto, eſt id quoque neceſſe, vt mandatarius ab omni excommunicationis ac cenſuræ ſoluatur nexu. Nam impetrari, aut dari ab excommunicato beneficium non poteſt, *cap. 1. de reſcriptis in 6.* eique conceſſa gratia quælibet, præterquam abſolutionis conſequendæ à vinculo quo tenetur, eſt nulla *Ipſo iure, reſcriptum ſeu proceſſus per ipſum habitus, non valet ſi ab excommunicato, ſuper alio quam excommunicationis articulo fuerit impetratum,* Greg. IX. *de reſcript. in 6. cap.1.*

Septimo, nec dati mandati tempus, eſt in iis literis omittendum, quibus conceditur, *cap. penult. de reſcriptis in 6.* nam in id incumbere Pontifices eſt neceſſe, modo vt quam optimo in chriſtiana republica gerãtur omnia: at hic in eo magnam partem eſt poſitus, vni ne alter noceat, quod vitare tamen non eſt facile, ſi literæ, nota diei quo ſunt datæ careant, enimuero cum qui prior eſt tempore, potior quoque ſit iure *de regulis iuris in 6.* periculum eſſet ne qui eſt tempore prior poſtponeretur alteri qui eſt poſterior.

QVÆSTIO XIV.

Ad quæ beneficia dari à Papa mandatum poſſit, & ad quæ non?

MAndatis Apoſtolicis contineri beneficia nequeunt.

Primo, quæ iuris ſunt Patronatus Laïcorum tantum, *cap. tum dilectus 28. de iure Patronatus 5.* Nec quæ coniunctim eorum ſunt & Eccleſiaſticorum nominationibus obnoxia, Rebuff. *de nominat. q.15. num.4.* Ruzæus *in tract. de mandatis Apoſtolic. in 2. par.*

Ratio eſt, quod ſic Pontifici prodeſſe fas eſt alicui, vt iuri nocere alieno ei ſit nefas. Noceret autem, ſi quod Patroni Laïci munificentiæ eſt debitum, ac verè etiam eidem conceſſum ab Eccleſia, ſibi pro auctoritate vſurparet. Enimuero offerre Patronus, ore

dinario hominem poteſt, quem vacanti beneficio à ſe fundato præficiat, mortuoque eius poſſeſſori ſubroget, quo iure excidere eſt neceſſe, ſi mandare Pontifex poteſt, vt cum vacauerit, in commendati à ſe mandatarij poteſtatem veniat.

Quare negat Innocent. III. in *cap. citato cum dilectus*, canonicatum, ad quem Carnotenſi Archidiacono præſentare, vti Laïco fas erat, mandatario eſſe debitum; proindeque, ei quem ipſe, vt idoneum procurandæ rei ſacræ miniſtrum Epiſcopo obtulerat, relinquendum eſſe.

Dicendum idem, quando beneficia ad præſentationem pertinent laïci & Clerici ſimul.

Primo, quia hæc coniunctio efficit, vt Clericus Laïci priuilegio gaudeat, Gloſſa in *cap. 1. de iure patron. in 6.*

Secundo, quia conditio Laïci ob Clericum eſſe non debet deterior, quam ſi ſolus Patronus foret, *cap. ſacris de ſepult.*

Tertio, cum ſint gratiæ expectatiuæ reſpectu collatorum odioſæ, reſtringi eas oportet, quantum honeſte licet, *regula odia de reg. iuris in 6.* Reſtringuntur autem cum iis beneficia non comprehenduntur ad præſentationem laïci & Clerici ſimul ſpectantia ergo, &c. Vide Rebuff. in *tract. de nomin. q. 15. num. 6.*

Quarto, nec eſt mandatum ad beneficia ex cauſa permutationis vacantia, quia ea ſunt permutantibus debita, *ex cap. vnico de rerum permutat. in 6.* & excepta à Pontifice in Concordat. *tit. de mandatis*, quemadmodum & quæ cauſa reſignationis vacant, *parag. volumus de collat. in Concord.*

Quintò, opinio eſt omnium nec in mandatis comprehendi electiua in Gallia, tam quæ collatiua ſunt, ſic dicta quod confirmatione poſt electionem non egeant, cuiuſmodi ſunt Decanatus & Theſauraria in quibus Eccleſiis hæc eſt dignitas vt Niuerni, quam quæ propriè ſunt talia vt Epiſcopatus. Ita Anonymus ad Papon. in *lib. 2. titulo 9. arreſto 6.* Choppin. *lib. 1. de ſacra polit. tit. 1. num. 12.* Bleyan. *in Theoria rubrica de titulo litera F. ad marg.* ad quæ tamen nominare Pontificem, ac mandatum de iis tribuendis Clerico dare poſſe, factum Innocent. III. indicat in decretali *cum noſtris 6. de conceſſione præbendæ*, illic enim iubetur Epiſcopus Lauſanenſ. cum capitulo dare præpoſituram theſaurario, dicti Pontificis mandatario his verbis: *Epiſcopo & Canonicis Lauſanenſibus mandauimus vt præpoſituram ipſam Theſaurario Lauſanenſi conferrent quibuſdam ſuper hoc executoribus deputatis*, quod quia facere abnuebant, inanibus freti cauſis, Baſileenſem Epiſcopum ad id à ſe delectum iudicem his ſub finem Canonis verbis compellat, *Deinde Lauſanenſe Capitulum ad conferendam eam Theſaurario ſupradicto diligentius inducere procuretis.* At erat præpoſitura Lauſanenſ. Eccleſiæ electiua, etiam Innoc. teſte in proxime allato canone, *cam ad ipſam, poſt conſecrationem ſuam, Epiſcopus qui præpoſitus fuerat denuo fuiſſet ab ipſis canonicis electus*: iure ergo communi, dare ſuum ad electiua beneficia mandatum, Papæ extra Galliam eſt ſolitum.

Sexto, Officia Laïcis dari ſolita, mandatis non contineri vt credam, inducor hac ratione, quod Pontificem, cum Clericum Epiſcopo aut Capitulo literis commendatum ſuis cupit, de beneficio cuius hic capax, & non officio, quod Laïcorum ſit proprium, loqui ſit probabile.

Septimo, mandatis affici Hieroſolymitanæ Præceptoriæ nequeunt, quia non ſunt beneficia, nec altaria ſeu capellæ non ſpiritualizatæ, Ioan. Selua 3. *parte q. 57.* quia antequam eas Epiſcopus approbandas ſibi duxerit, non ſunt beneficia, ſed legata pia.

Octauo, non ſunt hoſpitales pauperum domus, de earum numero rerum, ad quas conſequendas Roma Clericum deſtinare Papa ſoleat, quia non ſunt beneficia, licet loca quædam ſint religioſa ac pia, *Clement. quia de religioſis domibus.* Non eſſe beneficia communiter, vel hinc patet: quod ſint eorum bona deputata pauperibus, quod qui illis regendis præſunt, non dicantur beneficiarij ſed hoſpitalarij, ſeu pauperum tutores, *lege Orphanotrophos Cod. de Epiſc. & Cleric.* Excipi ea debent quæ conceduntur in titulum: Rebuff. *de nominat. q. 15. num. 13.* aut vnita ſunt Eccleſiæ *ca. ſuper eo de præbend. in 6.*

Nono, beneficia affecta (vt aiunt, non debentur Mandatariis Apoſtolicis, niſi iis qualitatibus, viuendiq; norma præditis, quas fundationis tabulæ præfiniunt, Choppin. *lib. 1. de ſacra polit. titulo 3. num. 11.*

Decimo, nec præbenda in ea Eccleſia, in qua vnam iam poſſident.

Vndecimo, nec beneficium quod vacat in Regalia, Ruzæus *de regalib.*

Duodecimo, nec Parochiale villæ muratæ, ſi non ſit is mandatarius animi dotibus, ac ſcientiæ ornatus, quibus cum inſtructum eſſe oportet, qui in ciuitate eſt Parochus, nam hunc gradu aliquo Academico, magiſtri ſcilicet in artibus, aut Baccalaurei in Theologia eſſe donatus debet in Gallia.

Duodecimo, nec beneficium acceptare tenetur cuius valor non eſt decem librarum Turon. Rebuff. *de mandat. parag. declarantes.*

Age ergo quænam ſunt Pontificis candidatis Sacerdotia in vim reſcripti ſui debita.

Simplicia omnia, modò ne ſint Laïcorum nominationi

nominationi obnoxia, aut monoculai id eſt ſola quæ à Collatore dari queant. quam enim non eſt probabile, velle Pontificem eum iure ſuo, quod ad vnum ſe duntaxat beneficium effert, ſine cauſa excidere nec de aliquo bene mereri, eius conceſſione rei poſſe, quam ſolam in poteſtate habet.

Secundo, quæ ſpecialiter in mandato ſuo Pontifex exprimit, quod tamen raro facit, ne ſic mandatario votum captandæ mortis dediſſe videatur.

QVÆSTIO XV.

An controuerſa beneficia acceptare Mandatarius debeat?

NEquaquam. Ratio eſt, quod his duntaxat contentus eſſe debeat, quæ confert Ordinarius, ſuntque in eius manu, at litigioſa collata ſunt, non conferenda: ergo ab eorum exempta ſunt catalogo quæ mandatario ſunt danda.

Secundo, ad ea aſpirare tantum mandatario eſt permiſſum quæ vacant, litigioſa non ſunt talia, vtpote à litigantibus ambobus poſſeſſa, ritè quidem ac canonicè ab eorum altero, male autem ac illegitime ab alio.

Quid? quod Pontificis mens ſit ſequenda collatori ac Ordinario in prouidendo, mandatario ſuo de beneficio vt iubet, at quis credat velle eum, vt quæ à liberalitate literæ mandataque originem habent, in nihilum recidant, aut impenſas, euincendo beneficio controuerſo neceſſarias faciat? Vt ipſe, cum beneficium ſuper quo lis eſt inter duos aut plures mota nihil promouet, ſi litem non explicet: ita nec executor vigore mandati, Rebuff. *de mandat. parag. declarantes in concord.*

Idem dicendum de beneficiis quæ certo ſunt hominum affecta generi, vt Symphoniacis pueris, aut cathedralis Eccleſiæ miniſtris, hæc enim poſtquam vacant, mandatarij petere, nedũ acceptare concordatorum aut naturæ lege tenentur, Choppin. *lib. 1. de ſacra polit. tit. 5. num. vltimo.*

QVÆSTIO XVI.

Quando, & quo tempore acceptare Sacerdotium mandatario ſit neceſſe.

NOn niſi poſt menſem, ab inſinuatis ordinario mandati ſui literis: ita Leo in Concord. *rubr. de forma mandati, parag. conferimus.*

Conferimus, inquit, *& de illo etiam prouidemus, ſi quem, quam vel quod poſt menſem poſtquam præſentes literæ vobis præſentatæ fuerint* A *extra Romanam curiam vacare contigerit*, ante oblatas & Ordinario exhibitas, habet hic integram, ac non impeditam ſacerdotij dandi cui volet poteſtatem, collataque donatio in alterum quam mandatarium rata eſt firmaque *cap. dilectus 2. de præbend.* moribus tamen noſtris non eſt neceſſe gratioſum Papæ reſcriptum, ſeorſim ab executorio ſignificari ordinario, mandata quidem ſingula ei ſunt denuntianda, neutrum tamen ſeparatim, cum expediri eodem tempore, actuque, ambo B poſſint. Mandatario tamen ab ordinario, ante menſem à facta illi mandati ſui declaratione, conferri nihil prohibet, cum de eo, nihil antiquæ ac nouæ Concordatorum leges ſignatè ſtatuant.

Quod de executoriali reſcripto à nobis eſt hic dictum, Rebuffo non placet, quod in *cap. ſi ſoli de conceſſ præb. in 6. & in ordinationib. regiis rubrica des mandats*, & in Concord. eius non fiat mentio ſed præterquam quod eſt hæc probatio, vtpote neganti freta argumenmento infirma, eſt etiam regni conſuetudini, forique praxi, curiæque iudicio contraria, C cum tam gratioſum, quam executoriale Papæ diploma, ordinario offerendum eſſe Rex ſanxerit anno 1563. vt refert Chopp. *de ſacra polit. lib. 1. pag. 115. ad margin.*

Facitque pro hac ſententia ratio. Enimuerò, ſunt Pontificiæ ad ordinarium literæ, eidem à mandatario indicandæ, vt intelligat, ſacerdotij cum vacabit, facultatem conferendi alteri quam mandatario, ſibi ademptam eſſe.

At hanc integram habet, quandiu iſti executor eſt nullus Roma datus, vt colligitur ex decret. *Dilectus filius 34. de præbend.* nam D in ea Pontifex, præbendas duas quæ medio tempore alteri quam mandatario, ab Herfordienſi Epiſcopo erant collatæ, non dicit relinquendas eſſe, vt poſſeſſas, non legitimè ac canicè, nec Herfodienſis excuſationem reiicit, cauſantis in ſe culpam neglecti mandati, Pontificij reſidere nullam, quod eius executor non eſſet, quæ duo indicant reſcripti executorialis inſinuatione ſola, Ordinario conferendi poteſtatem tolli, proindequemandatario, vt eius habeatur ratio, negligendam non videri.

E

(∴)

Praxis fori Gallici circa mandata.

PRimo, etſi Pontificis æquiſſimæ voluntati obſequi, præ cæteris Galli Antiſtites aueant, moribus tamen regni, ſæculique iuriſprudentia, eis eſt impunè, mandata eius non exequi, primo cum à forma abeunt, quæ in Concordatis ſibi præſcriptam voluit: quare cum habent hæc decretum irritans, & ita mandatario beneficium poſt eius vacationem afficiens, vt alteri facta eius collatio non valeat, ſicut vt eſt in *Clem. vnica de conceſſ. preb. & cap. ſi eo tempore de elect. in 6.* ea recipere aut facere Franciæ legibus non tenentur, quia cum ſint hæc contra formam in Concord. ſcriptam, à qua diſcedere ſibi fas non eſſe Pontifex voluit, vt eſt in Concord. *rubr. de firma & irreuocab. concordat. ſtabil. parag.* 1. illis dari vitio poſſe quis putet, ſi iure ſuo vtantur, mandataque legibus regni non conſona, non faciunt?

Secundo, nec mandatis Apoſtolicis parere tenentur regni moribus Ordinarij, niſi illis, cum eorundem mandatorum inſinuatione, mandatorum executoriæ literæ pariter, ſignificentur, Choppin. *lib. de ſacra polit. 1. tit. 5. num. vlt. ad margin.* quæ duo tamen ſimul, vnoque expediri contextu poſſe, ac cum gratioſo diplomate Pōtificio, executorium quoque inſinuari Pragmaticorum in foro eſt opinio.

Tertio, non recipitur in Francia mandatum de acceptando beneficio quale mādatario videbitur, nec ante quàm erit ei placitum, aut intra menſem vel duos, Rebuff. *de mandat. Apoſtol. parag.* 1. quia ſic ei aucupandæ alienæ mortis daretur occaſio, cum nihil ſit in hac motum, ac temporum corruptela facilius, magnatum opum auidis, quam diuiti inſidias ſtruere, vimque illi, ſi ſpes eſt illarum aliqua, contra fas æquumque facere.

Similiter præclaro Curiæ iudicio de anno 1563. non eſt in Francia mandato Apoſtol. vis vlla, quando eſt de beneficiis mandatario conferendis, quæ ſunt certo aſſignata generi hominum, niſi ſit iſte iis artibus, viuendique norma inſtitutus, quas fundationis tabulæ diſtrictè præfiniunt. quia ſic vni prodeſſe ratio præcipit, vt non obſis alteri, quod non faceret Pontifex, ſi aut Clericis quibus eſt ex fundatorum voluntate ius ad certa beneficia, aut Ordinariis liberam ſolutamque ea conferendi facultatem præriperet.

Quarto, mandata de prouidendo vt recipiantur in Gallia, generalia eſſe oportet, & ad omnia alicuius Eccleſiæ, vel loci beneficia, & non ad certū aliquod, ad præbendā vnam aut aliam dignitatem, etſi enim olim dirigerentur ad dignitates tantum, aut ad canoni-

A catum, *cap. executor & cap. ſi ſoli de prebend. in 6. Hodie tamen in Francia, non valet mandatum niſi ſit generale: & iſtæ clauſulæ ſpeciales mandatum vitiant,* Rebuff. *prima parte praxis rubrica de clauſulis mandator. num. 29. & 30. & in paragr. 1. de mandat. Apoſtol. in Concord.*

Quintò, etſi communiter Pontifex pro ſua in collatores charitate ac beneficentia, eundē mandato duplici non grauet, *cap. mandatum extremo de reſcript.* niſi hoc exprimat per clauſulam, *etiamſi pro alio ſcripſerimus,* in hoc tamen regno B poteſt, *collatorem habentem collationem decem beneficiorum vno mandato, habentem vero 50. & vltra duobus duntaxat parag. 1. de mandat. Apoſtol. in Concord.* & Rebuff. *de clauſulis mandator. num. 26. ita tamen quod in eadem Eccleſia Cathedrali aut collegiata vnum collatorem pro tempore in duabus præbendis non grauet.*

Sexto, non valet mandatum in Francia, niſi ei ſit adiuncta hæc clauſula *veſtra aut alterius Eccleſiæ,* qua ſignificetur tam in Cathedrali, quæ eſt Epiſcopi Eccleſia propria, quā collegiata, quæ eſt alterius, hoc eſt Decani, qui ei C præeſt, mandatarium creari canonicum poſſe, Rebuff. *ſupra num. 32.*

Deinde etſi iure cōmuni creari Papæ imperio ac voluntate quis poſſit in Canonicum & fratrem ad effectū obtinēdæ primo vacaturæ præbendæ, vt videre eſt, ex *cap. mandatum de reſcriptis,* valeatque eius creatio per ſimplex mandatum de eo recipiendo, vt eſt in *decret. mandatum 38. de reſcriptis:* Non tamen canonicos per Concordata, Gallia creari vllos ſinit, niſi vt illius Eccleſiæ dignitatum capaces fiant, quæ fuit receptione mandati grauata, ſic D enim Leo in Concord. *rubrica de reſeruationib. parag. in cathedralibus,* his verbis: *In cathedralibus tamen metropolitanis & collegiatis Eccleſiis, in quarum ſtatutis caueretur expreſſe, quod nullus ibidem dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem vel officium obtinere poſſit niſi in illis actu canonicus exiſtat, canonicos ad effectum duntaxat inibi obtinendi dignitatem, perſonatum adminiſtrationem vel officium huiuſmodi, & non conſequendi primam præbendam vacaturam creare poſſe intendimus.*

Septimo, quæ dabantur olim cum clauſu- E la, *ſi acceptandum duxeris,* ſine determinatione tamen vlla temporis, vt in *cap. 1. de conceſſ. preb. in 6.* hæc mandata non recipit Gallia, Rebuff. in *Concord. rubr. de mandat. paragr.* 1. Nec quæ ſimiliter, mandatario certum tempus, vt menſem vnum aut duos ad acceptandum præſtituunt, Clem. vn. *de conceſſ. prebend.*

Octauo, ea quoque reiicit quæ dabantur olim cum clauſula *anteferri,* quia habet hæc clauſula reſeruationem, qualem in regno nullam eſſe poſſe, declarauit Leo decimus in Concord.

Concord. *tit. de reſeruat.* Rebuff. *ſupra.*

Contra pugnat Tournetus in *arreſt. verbo mandatum num. 4.* Enimuero negat eo loco, mandatum ab his verbis: *quod duxerit requirendum aut acceptandum*, vitium vllum trahere, ſed ea pro conditione capi oportere, vt ſi poſt menſem, quo diploma Pontificium fuerit exhibitum, beneficium vacare contigerit, & illud mandatarius dari ſibi poſtulauerit, non ſit Ordinario negare illud requirenti licitum: ſin minus, ſit in eius, nondum interpellati arbitrio ac poteſtate, quem beneficio malit afficere,

Nono, mandata dari non poſſunt ſub forma alia quam quæ eſt in Concordatis poſita, alias ſunt nulla, *rubrica de mandatis Apoſtol. parag. obuietur,* Item ſi erit hæc, in toto, aut parte eius aliqua, ab aſſignata in Concord. diuerſa, futura ſunt mandata inania, Rebuff. *ſupra in verbo ſub forma,* Eam autem mutat additio, ſubſtractio, interpoſitio, verbi pro verbo poſitio, verborum corruptio, aut transpoſitio.

EPITOME EORVM QVÆ præcedenti ſunt tractatu de Mandato dicta ex Canonibus Pontificumque decretis petita.

EST mandatum Pontificis ad collatores ordinarios reſcriptum, in quo de beneficio cum vacare contigerit, ab illis prouideri perſonæ quam deſignat, imperat, forma qua debet concipi, eſt in Concord. expreſſa his verbis: Innoc. *Venerabili fratri noſtro Epiſc. N. ac dilectis filiis, capitulo, ſingulisque canonicis Eccleſiæ N. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem, Vitæ ac morum honeſtas aliaque probabilia probitatis & virtutum merita, ſuper quibus dilectus filius N. apud nos fide digno commendatur teſtimonio, nos inducunt, vt ſibi reddamur liberales, hinc eſt, quod nos cupientes vt eidem iuxta decretalium formas, de canonicatu, & præbenda, aut dignitate, perſonatu, adminiſtratione, vel officio, veſtra vel alterius Eccleſiæ, aut alio beneficio, cum cura, vel ſine ac etiamſi Parochialis Eccleſia fuerit, ad veſtram collationem, præſentationem, & aliam quamcunque diſpoſitionem communiter vel diuiſim pertinente prouideri poſſit.* Mandatum hoc abſolutio à cenſuris excipit, quod ſine eâ, dignitatis aut Sacerdotij nemo ſit capax, & quoniam beneficia Pontifici exprimenda ſunt omnia ab impetrante, quæ poſſidet, ne gratia viribus careat, *cap. ſi proponente de reſcriptis,* omnia ille pro expreſſis habet, quæ

A mandatario ſuo ſunt olim à ſe, aut alio collata, alioqui ſine hac clauſula, rata non eſſet gratia, *cap. ad aures 8. cap. in noſtra 32. & cap. ſi proponente 42. de reſcript.* vbi ſic Gregor. IX. *ſi proponente aliquo nondū ſe beneficium aſſecutum, ſuper prouiſione ipſius reſcriptum Apoſtolicum de hoc mentionem non faciens impetretur, illud veluti fraudulenter obtentum, dicimus non valere,* mens fuit eadem Lucij III. *cap. 8.* nam ne Clericos inopes, liberali Sacerdotiorum conceſſione locupletibus facta, læſiſſe videretur, *literas in quibus actor ſuæ nomen dignitatis ſuppreſſit, vires non vult obtinere,* ob

B eam cauſam, ne par ac ſimilis pœna mandatarium teneat, ſi taceret, eius beneficia omnia pro expreſſis habere ſe Pontifex ait.

Verum enim ne ignoratione vocum in errorem inducantur Epiſcopus, aut collator quilibet alius, forma literarum, quibus mandatarium illis ſuum curæ vult eſſe, ante omnia notari debet, & quidem cum eſt mandatum de conferendo beneficio in Eccleſia aliqua abſolutè, ac ſine addito, de ſimplici tantum eſt ſermo, & non de Eccleſia ipſa, vt declarauit Honorius *in cap. cum olim 38. de præbend.* cuius beneficij ſi foret per ætatem, aut

C ignorantiam incapax, eo donandus non foret, vt eſt in *decretali 29. ei cui de præbendis in 6.* his verbis: *Ei cui prouideri mandatur ſimpliciter de præbenda proximè vacatura, Sacerdotalis præbenda conferri non poteſt, ſi nondum in ætate tali exiſtat, quod poſſit ad ſacerdotium promoueri, ſed aliam expectare debet.*

Quare cum ſcribitur vt prouideatur de aliquo prioratu, alicui ſeculari Clerico, prouideri *non poteſt de prioratu, qui per religioſos eſt ſolitus gubernari,* Gregor. IX. *cap. cum de beneficio 5. de præbend. in 6.*

D Ratio eſt, quod cum ſecularis Clericus beneficii quod à regularibus ſolet regi non ſit capax, cum iubentur Epiſcopi de vacaturo eum dignari, de ſeculari, Papæ mandatum ac iuſſio debet intelligi, *cap. de excitato,* & quidem, primum ſi mandantis ſpectetur intentio, ei conferri debet, *cap. mandato de præbend. in 6.* niſi plura beneficia ſimul vacare cœperint, nam tunc non debentur omnia, ſed ordo ſcripturæ eſt ſpectandus, *cap. 10. citato verſu ſi plura beneficia,* facta tamen eorum collatio alteri, quam mandatario, eſt rata, *cap. 1. de

E conceſſ. præb. in 6. & cap. dilectus 2. eod. titulo,* peccat tamen Collator, quum contra quàm Papa iuſſit, beneficium alteri confert, vt colligitur *ex cap. ſi ſoli 6. de conceſſ. præbend. in 6. & cap. ſi Clericus 9. de præbend. in 6.* niſi beneficium primo vacans permutatum fuiſſet, *cap. vnico de rer. permut. in 6. Clem. vnica de rer. permutat. eod. tit.* aut alius in fraudem expectantis, tenui præbendæ renunciaſſet, *cap. vlt. de renunciat. in 6.*

Quid ſi mandatum de præbenda, aut di-

gnitate mandatario conferenda, à Pontif. ad Collatorem emanet? vt præbendæ nomen eam non complectitur, quæ ex conſuetudine debetur Epiſcopo, *cap. cum in Eccleſia 25. de præbend. in 6.* nec recenter inſtitutam, *Clem. vlt. de reſcr.* Ita nec dignitas. Curatum beneficiũ continet, *cap. cum in illis 16. vſque ad parag. illis vero de præbend. in 6. Clem. 2. eod. tit.* nec quodlibet aliud quod per electionẽ datur, *cap. cũ in illis 16. parag. illis vero de præbend. in 6.* Ea quoque voce, eſt certũ remoueri beneficia ea quę tam re, quã nomine ab ea ſunt diſtincta, quia vt eſt in *cap. citato parag. cum antẽ expreſſo vno caſu, mandatum ſuper hoc factum, quod debet de ſui natura reſtringi, ad alios extendi non debet,* niſi is cuius cauſa, literæ de prouidendo à Papa ad collatorem ſunt datæ, beneficio contentus eſſet alio, quod dignitate ac prouentibus, præbendam non æquaret.

In ſumma cum de mandato agitur, quia eſt odioſum, verba quibus in eo Pontifex eſt vſus, in propria ſua germanaque poteſtate capi debent: Ita quia hoſpitales pauperum domus non ſunt beneficia, nec ab Ordinariis, per culpam ſuam, ad Superiores ſunt deuoluta, ea mandato ſuo non complectitur Pontifex, de xenodochiis eorumque Eccleſiis fidem facit Clem. V. in *Clement. per literas 2. de præbend.* de altero idem in Clement. ſi de beneficio 5. eodem titulo. Similiter quia onera quæ ſunt multorum communia, ad vnum deriuari nequeunt, Papæ mandatis ac voluntati de beneficio, ei quem collatori commendatum eſſe cupit, tribuendo, non ſatisfit, cum ei vnum quodpiam datur, quod non eſt commune, ſed vnius tantum *cap. cum in illis 16. de præb. in 6. parag. extremo.*

DISPVTATIO QVINTA.

De Iure Patronatus.

DE Patronis eorumque poteſtate ad præſentandum, diſputat Rebuff. *lib. 1. praxis,* Couarr. *lib. practicar qq. cap. 36. Couarr. lib. 2. variar. cap. 18. num. 6.* Duar. *lib. 5. cap. 4. ſui tract. cap. 6.* Petr. Gregor. *lib. 17. Syntagm. cap. 4. & in tract. de benef. ſparſim.* Leſſ. *lib. 2. de benef.* Laym. *lib. 4. ſummiſtæ in verbo ius Patronatus.* Nauar. *lib. 3. conſil. cap. de iure patron.* A Trident. *ſeſſ. 25. cap. 9. & ſeſſ. 14. cap. 12.* Gratian. *in cauſa 12. & 13. cap. pia mentis 16. q. 7.*

Eſt autem Patronus, qui religioſi loci fundator eſt, aut dotator, ita dictus quod eius quaſi ſit pater. *Ex lege enim duodecim tabularum* (inquit Seruius in illud Virgilii, & fraus innexa clienti) *venit, in quibus ſcriptum eſt, Patronus ſi clienti fraudem fecerit, ſacer eſto; ſi enim clientes, quaſi colentes ſunt, Patroni quaſi Patres, tantundem eſt clientem, quantum filium fallere.* Ab hac aduerſus Eccleſiam charitate, ius liberalitate Eccleſiæ, Patrono B competit, beneficiarij arbitratu ſuo deligendi, nominandi, & apud Epiſcopum producendi, quod ius honorificum ſimul eſt, oneroſum ac vtile. *Honorificum* quidem, quia Patronus honore alios è populo præcedit, cum de ſede occupanda in Eccleſia, aut proceſſionibus agitur, *cap. nobis de iure Patronatus,* aut præſentandi ad beneficium cuius ipſe eſt fundator, aut dotator cum vacat, *16. q. 7. can. decernimus 32. can. Monaſterium 33. eiuſdem. q. & cauſa. Oneroſum eſt,* quia tueri Eccleſiam, quam in clientelam C ſuſcepit, tam à vi defendere, ne diſſipentur eius bona pro virili ſua impedire, partes ſunt eius non vltimæ, *16. q. 7. can. filijs 31.* Vtile eſt, quia cum Patronus rei familiaris inopia premitur, neceſſaria vitæ ſubſidia tam ſibi quàm filijs ex re patronata petere poteſt vt debita, *16. q. 7. can. quicunque 30.*

Ex dictis elici hæc poteſt iuris quo de agitur deſcriptio. Eſt ius patronatus, poteſtas ſpiritualis eaque gratuita, de Ordinarij voluntate ac conſenſu, ei qui alicuius loci D Religioſi eſt fundator, aut dotator competens, ad præſentandum Epiſcopo, qui eum rogat cum vacare incipit.

Dixi *religioſi loci,* vt non tantùm capellas, ſiue coniunctas, ſiue ſeparatas comprehenderem, ſed Eccleſias quaſcunque etiam Cathedrales, ac cœnobiticas, *16. q. 7. can. Monaſterium.*

Dixi, *fundator, & dotator* cum Trident. *ſeſſ. 25. cap. 9.* etſi multorum ſit opinio, eaque hoc tempore probabilis, fundatione ſola, aut dotatione, acquiri Patroni iura omnia. Addidi de *Ordinarij voluntate ac conſenſu,* E hunc enim exigi dixere Epiſcopi, in Concil. Aurelian. vt refertur *de conſecrat. diſtinct. 1. can. nemo Eccleſiam 9.* ibi enim Eccleſiam ædificari prohibent, *antequam ciuitatis Epiſcopus veniat, & ibidem crucem figat, publicè atrium deſignet, & ante præfiniat, qui ædificare vult, quæ ad luminaria, & ad cuſtodiam, & ad ſtipendia cuſtodum ſufficiant, & oſtenſa donatione ſic domum ædificet.*

Eſt autem ius Patronatus duplex, Eccleſiaſticum, & Laicum. Primum, Clericorum eſt proprium, vt pote eorum beneficio

annexum

annexum per collationem aut donationem A talis iuris alicui Eccleſiæ factam, *cap. vnico de iure patron.* aut eiuſdem fundationem, vel dotationem ex ſacris Eccleſiæ prouentibus.

Donationem dixi, quia hæc eſt ſatis, vt patronatus qui origine ſua eſt Laïcus, eo quod à profano ſit homine, eiuſque commodis ac bonis acquiſitus, ſit ac dicatur clericalis, cum è Laïcorum emiſſus manu in res Clericorum tranſit, ita cum Rex ius ſuum religioſæ familiæ cum fundo tranſcribit, patronatus ei inſitus hærenſque, profanus B eſſe deſinit, nec quum Eccleſiaſticus eſſe incipit, regiæ nominationis qualitatem retinet, Choppinus de *ſacra polit. lib. 1.*

Erit autem Patronatus Laïcorum ſeu Laïcus, cum quæ laïci, præſentandi ad beneficia vacantia Clericos, iura ſibi vindicant, ab eorumdem benignitate, exædificandis de ſuo ædibus ſacris, ac earum miniſtris nutriendis ortum habent, Couar. in *practic. qq. cap. 32.*

Neque tamen vt quis patroni nomen, iuſque habeat eſt ſatis, quod miniſtris dotis nomine quidpiam ſit largitus, niſi illud C ipſum iis nutriendis ſufficiat, partem illis tantum depenſi quotidiani tribuere, non eſt dotem dare, vt enim hæc, cum proprie ſumitur, *patrimonium eſt mulieris lege Pomponius dig. famil. erciſcun.* quod propterea marito datur à parēte, vt onera matrimonij ſuſtineat, *lege 1. dotis fructus dig. de iure dotium,* quaſi mulieris theſaurus ad vitæ neceſſitatem conſeruandus, ita in hac materia, præter dotem vt patronus dici verè queat dare inſuper miniſtris debet vnde viuant.

Et licet omnes qui ad Eccleſiæ fundatiotionem concurrunt, inæqualiter tamen, ſint D Patroni in ſolidum, qui plus tamen aliis contribuit, vocem (vt loquuntur) in nominatione præſentati pinguiorem habet, quia ſcilicet præualet aliis, ſic Lambert. *in tract. de iure lib. 1. par. 1. q. 3. art. 8.* Sanch. *lib. conſil. 2. cap. 3. dub. 48.* ac ſi duplo pluſquam illi ad fundationem Eccleſiæ de ſuo præbuerit, quorum quodlibet acquirendo iuri patronatus ſit ſatis, duas in præſentando voces habebit, Sanch. ſupra *num. 9.*

QVÆSTIO PRIMA.

Quibus ex cauſis acquiri ius Patronatus in Dei Eccleſia ſoleat.

TRibus, fundatione Eccleſiæ, eius ædificatione, vel dotatione. Fundat Eccleſiam, qui fundum, ſeu ſolum in quo extruatur, de ſuo tribuit, ædificat, qui eam à fundamentis excitat, dotat, qui ei reditus quanti ſunt alendis miniſtris, ac ferendis oneribus ſatis, ſuppeditat, his deſtitutam conſecrare, legibus Eccleſiæ eſt nefas. *Nemo,* inquit, *canon nemo diſtinct. 1. de conſecrat. Eccleſiam ædificet antequam Epiſcopus ciuitatis veniat, & ibidem crucem figat, publice atrium deſignet, & ante præfiniat, qui ædificare vult, quæ ad luminaria, & ad cuſtodiam ſufficiant, & oſtenſa donatione ſic domum ædificet.*

Quare, Reginam Hungariæ admonendam ſibi Honorius III. credidit, vt Oradienſi Eccleſiæ, reditus ſine quibus commode vacare ſacris Clerici non poterant pro cætera munificentia ſua non negaret, *Cum non ſit Eccleſia niſi de dote ei prouiſum fuerit conſecranda,* ad quod cum (*tanquam ex debito teneretur cap. cum ſicut 8. de conſecrat. altaris,* eam hortatur, officio vt ſuo ad laudem, ſuique perpetuam commendationem nominis ſatisfaciat.

Eſt autem iſtiuſmodi redituum ſufficentia metienda expenſis faciēdis in Dei cultum ac Clericorū honeſtos vitæ commeatus: ac vſus ſola tamē dotali prædiorum aſſignatione ius patronatus cōparare ſibi neminem, cenſuere: Panormit. in *cap. cum Eccleſia Vulterana de elect.* Cardin, *in Clement. per literas de præb.* quod fundationis duntaxat meminerit, Clemens III. in *cap. nobis fuit 25. de iure patronat.* Sed ab eius ſilentio, firmum nullum peti poſſe argumentum vt exiſtimem, inducor hac cauſa maximè, quod de fundatione ſola quæſtio tum eſſet, de dotatione nullo modo.

Secundò, quod templum Diuorum religionibus ac aris extrui ſit parum, ſi ſit indotatum, ſi qui Deum, diuoſque cœlites in eo colant, ſacros myſtas non habeat, E ergo ſi qui ſacram Baſilicam condit, eius Patronus habetur & audit, cur eo nomine careat, qui illam latifundiis ditat, qui miniſtris vnde ſe alant, noua, ampla tamen prædiorum & agrorum dote, amplificat?

Hanc vero, quique ex ea gignentur ex vbere fœcundoque terræ ſinu, prouentus annui, tunc haud dubie ſufficientes fore conſtat, cum ſuſtinendis oneribus quibus Eccleſia grauatur, pares erunt ac æquales.

Et quidem ſi de Parochiali agitur, erigenda non erit, niſi his aucta reditibus, qui Re-

ſtori & Clerico ſuſtentandis ſint ſatis. *Qui enim plebem regit*, (inſtituto veteri Eccleſiæ cuius fit in Maticenſi Concil. mentio) *Clericum habere debet, qui ſecum cantet, & lectionem, & epiſtolam legat, & qui poßit tenere ſcholas, &c.* habere quoque Parochus debet ex quo Epiſcopalia iura ſoluere, *Epiſcopo, in Epiſcopalibus reſpondere, hoſpitalitatem ſicut conuenit, tranſeuntibus impertiri poſsit*, decreto Clem. II. in decret. *ſicut nobis de ſupplenda neglig ent. prel.*

Sunt & alij tres iuris acquirendi modi. Emptio, ſucceſſio, donatio. Addunt nonnulli quartum, quintum & ſextum, nempe conſuetudinem, priuilegium & præſentandi vſum, tanto continuatam tempore, quantum ad præſcriptionem iure canonum ſit ſatis: ita Couar. *regul. poſſeſſor. par. 2. parag.* 10. Leſſ. *lib. 2 de iuſtit. cap. 6. dub. 10. num. 21.*

Et quidem, ſucceſſione aliquem fieri patronum poſſe, dubitare puto poſſe neminem, nam quis neſcit, cum bonis, iura quoque paterna commeare in liberos? id eſſe ſi fatemur, negare non erit liberum, cum hæreditate quam hi capeſſunt patre mortuo, venire eos quoque in poſſeſſionem, vſumque iuris, quod patronatus appellamus.

Ex pari cauſa, emptione quoque ius iſtud comparari ſolitum eſſe, nemini puto eſſe ambiguum; Enimuero eſt hoc ius poſſeſſionibus adhærens ac inſitum, ad quorum ergo manus hæ emptione venient, & ius hoc quoque dilabetur ac veniet.

Neque hæ tamen pluris eo præciſe nomine ſunt vendendæ, quod eo ſint iure præditæ, quia vt ſic non ſunt pretio æſtimabiles, cum ius patronatus, qua parte antecedenter eſt ſpirituale, pretium omne ſuperet, & ita erit Simonia, ſi ager cui inſidet, carius eius cauſâ vendatur, quam ſi eo deſtitutus foret.

Venditur tamen (inquies) vnà cum agro, domo, aut caſtro cui eſt annexum.

Omnino, ſed indirectè tantum ac ſecundario, in re nempe temporaria, quæ commercio humano ſubeſt, nam Alexand. III. teſtimonio in decretali *cum ſeculum 13. de iure Patronat. ratione feudorum emptorum, aut aliter acquiſitorum, ius patronatus in Eccleſiis Parœcialibus acquiri poteſt*, non contractu, quo primo & per ſe, ius hoc comparetur, ergo indirectè ac ſecundario.

Eſt præſcriptioni quoque, vis ad iuris huius acquiſitionem non modica, cum eius imprimis rationem habendam eſſe Trident *ſeſſ. 25. cap. 9.* his verbis doceat *decernit ſancta Synodus, vt titulus iuris patronatus ſit ex fundatione vel dotatione, qui ex authentico documento, & aliјs iure requiſitis oſtendatur, ſiue etiam ex multiplicatis præſentationibus per antiquiſſimum temporis curſum, qui hominum memoriam*

A *excedat.*

Secundo ſuffragatur ipſa ratio. Scire enim aueo, quid ſit in iure patronatus, præ reliquis rebus maxime, quamobrẽ præſcribi hę queãt, non illud? quod ſit immobile? At habet ſimilium frequentatio actuum, tempore ad præſcribendum neceſſario repetita, vim acquirendi immobilia, vt patet.

Eſt autem hoc tempus opinione Reginald. *lib.* 30. *cap.* 16. *num.* 210. annorum 50. aliorum ſenſu minus, nec producendum vltra quadrageſimum, maxime ſi cum titulo, ſunt à præſ-
B cribente, Ordinario collatori præſentati idonei, deque eo conſtet, literis (vt loquuntur) authenticis, quod ſi id abſque titulo ſibi hic arrogandum putauerit, maiori erit temporis interuallo opus, quale eſt, omni memoria antiquius. ita Leſſ. ſupra *num.* 3.

Ratio eſt, quod ex tanti continuatione temporis, in eo qui nominat, ac repetitis eadere actibus præſcribit, ius ad id ei competere, coniectura non improbabili præſumitur.

De priuilegio ſeu Pontificis voluntate (quod fuit vltimum) ambigendi cauſa eſt
C nulla, reputanti, eius liberalitate ius ſibi vindicare præſentandi ad beneficia conſiſtorialia (vt loquuntur) Chriſtianiſſimum Galliæ Regem, Vniuerſitates Regni, vt eſt, *in Concord. rubrica de collationib. parag. præfatique Ordinarij, Conſiliarios, ſeu Senatores Pariſienſ. Curiæ*, hos quidem Eugen. IV. & Pauli III. indulgentia, Regem autem & Vniuerſitates, Leonis X. quo de iure nos pluribus poſtea.

Ex dictis ſequitur primo, eiuſdem Eccleſiæ eſſe poſſe patronos plures, vt ſi vnus ſolum ei ædificandæ dederit, eam alius conſtruxerit, dotarit autem tertius.

Sequitur ſecundo, ius hoc quoque cum nomine, his competere, qui communibus impenſis eam extruendam curarunt, dummodo ei quotque dotem competentem attribuant, quæ ad luminaria, ac miniſtrorum alimenta ſufficiat, quia *ſine ea non acquiritur ius patronatus*, Abbas *in cap. ad audientiam num.* 44. de Eccleſiis ędificand.

Sequitur tertio, ius patronatus poſt fundatam, & ædificatam Eccleſiam acquiri poſſe, eſt contra P. Gregor. de benefic. cap. 14. num. 4.

Ratio eſt, quod dotis aſſignatio, complementum ſit iuris inchoati per fundationem Eccleſiæ, aut eius extructionem vt colligitur ex *cap. cum ſicut* 8. *de conſecrat. Eccleſiæ vel altaris*, eo quod fauore Eccleſiæ cuius dotatio retro trahatur ad tempus præteritum, tantumque exædificanti tribuat, quantum ſi ab initio facta eſſet Pa. de Citadinis auctor *in tract. de iure Patron. 3. par. cauſa 2. num. 7.*

num.77 q.13. Sane ad id eum teneri cuius eſt impenſis extructa, ſcribit Honor. III. *in cap. cum ſicut*, citato, indicant hæc eius verba. *Eo liberalius ad dotandum prædictam Eccleſiam aperire manus debes quod ad hæc ex debito teneris.*

Sequitur quartò quod cũ ſunt plures qui in ſolidum ius ſe præſentandi habere cauſantur ad beneficium, ab iis coniunctim nominãdum eſſe ordinario qui beneficium regat.

Quinto, deſtructa Eccleſia, eius quoque ius deſtrui, qui illam ſuis ſumptibus extare voluit, maximè ſi præterea nihil in eius bonum, ac commodum contulit.

Ratio eſt, quod tum ceſſat iuris ei conceſſi cauſa: quare cum diruto fundamento, ea quoque ſubrui oporteat, quæ ei ſunt impoſita, Eccleſia æquata ſolo, aut ſubuerſa, ius quoque ei inhærens perire, ac ſubuerti eſt neceſſe.

QVÆSTIO II.

Effectus iuris, Patronatus qui ſint & quales, ſeu quæ iura, Eccleſiæ beneficentia, ratione erecti à ſe beneficij, aut fundati patrono competant?

PRimo, ad Patronum pertinet tueri Eccleſiam quam conſtituit, aut dotauit, *16. q. 17. can. filiis*: à quo munere vocatur eius, *Aduocatus cap. quod autem 24. de iure patron. n. 23.* Patronatus autem *Aduocatia*, ſeu *aduocatio cap. quia clerici 6. eod. tit.* quare ſunt hę Patroni partes, id laborare ne reditus quos beneficio ad Dei cultum attribuit, ad alios conuertantur vſus, quam quorum cauſa eos Eccleſiæ obtulit, deditque, *Filiis* (verba ſunt Concil. Tolet. 9. in can. 1.) *vel nepotibus, honeſtioribuſque propinquis eius qui contruxit, vel dotauit Eccleſiam, licitum ſit, hanc bonæ intentionis habere ſolertiam, vt ſi ſacerdotem, ſeu miniſtrum aliquid ex collatis rebus præuiderint defraudare, aut commonitionis honeſta conuentione compeſcant, aut talia Epiſcopo vel iudici corrigenda denuncient.*

Factum inde, vt Eccleſiæ, priſcis ſæculis ſibi Aduocatos aſciſcerent, præpotentes dynaſtas, ſacrorumque prædiorum defenſores ac patronos, cum enim illæ, & iſta improborum paterent iniuriæ, à vi ea protegi decuit, & ne eorum auaritiæ ac cupiditati eſca forent, optimorum hominum ſtudiis, ac amore impediri: Ita Carolus Magnus Adelbertum propinquum ſuum, Vlmenſibus Monachis, *Aduocatum* conſtituit ac *Patronum*, ita in legibus ab Anſegiſo Abbate collectis cautum habes, ab Imperatore Patronos ac defenſores aduerſus ſæcularium gratiam, ac potentiam peti oportere, *lib. 4. cap. 3. lib. 5. cap. 31.* quæ charitatis

A officia gratis ac ſine mercede cum exhiberent Eccleſiis, eos patrum æuo *deuotos* vocare placuit Gallicè, *les vouez des Egliſes*, ſicut memoriæ prodidit Richardus Vasburgius *lib. 4. Belg. antiq.* ſicut & Romanos Pontifices, quod Eccleſias non nominis maieſtate magis, quam fide ac vigilantia protegerent *Aduocatos* & Maniburgos, Gallicè, *Mainbourgs.*

Patronatus effectus alter eſt, Patrono in proceſſionibus locum principem dare, *16. q. 7 can. Frigentius 27. & can. pia mentis 26. eiuſd. q. & cauſa. & cap. nobis fuit de iure patron.*
B Loquitur ſic Clem. III. *Pro fundatione quoque Eccleſiæ, honor proceſſionis fundatori ſeruatur*, eidem quoque ius ſcamni competit in eo templi loco, quem ſibi commodiorem elegerit, vt Senatum Pariſienſ. reſpondiſſe *an.* 1570. Mart. 7. refert ex Choppino *lib. 3. de Domanio tit. 19. num. 15.* Bleyanus *tract. de alys quibuſc. iurib. tam in Eccleſia quam extra, litera S. in margine*: vendicat & hoc ſibi templi conditor, vt primus Parœcorum panem ſacrum conficiat, vt è manu æditui, cum ſuper miſſarum ſolenniis offertur ſingulis, ante omnes
C accipiat, pacis ſymbolum ſolus ſumat, aris ſe ſuaque libamina primus offerat.

Eodem pertinet ius ponendorum inſignium, & armorum quæ gentis ſunt propria, in parietibus ſiue feneſtris templi: quo de iure Choppin. *lib. 3. de ſacra polit. tit. 19. num. 16.* Fabric. *ſupra num. 34. litera A. & B. in marg.* ius item cingendi templi vittà lugubri, vel atrato panno quæ nos ornamenta vulgari lingua *litres* appellamus à litura, quæ non ſemper expunctionem ſignificat, ſed ſæpe rei mollis inductionem, alteri ſolidæ factam, Bacqueti teſtimonio in *tract. de iuriſdict. cap.*
D *20. num. 9.* Eſtque ius tale, ita Patronorum proprium, vt alteri nulli arma ſua hoc eſt inſignia gentilitia, feneſtris apponere, templum faſciis lugubribus cingere liceat, appoſitas à Patrono refigi, ac ab eo deleri, aut querela poſſeſſoria in iudicio experiri Patronũ poſſe, declarauit Rothomag. Curia an. 1533. in fauorẽ Monialium S. Trinitatis apud Cadomum. Enimuero cum in Eccleſia quadam, cuius ſe Patronas iactabant, vir nobilis, gentis ſuæ inſignia locari curaſſet, auctoritate ſunt publica, per apparitorem inde reuulſa, Forgetus
E *de perſonis Eccleſ. cap. 22. n. 5.*

Effectus tertius, iuris Patronatus eſt, inſtituendum ad beneficium quod vacat, præſentare poſſe ordinario, ita decretal. 4. *tituli de iure patron.* & Concil. Tolet. *9. can. 2.* his verbis: *Quandiu fundatores Eccleſiarum in hac vita ſuperſtites extiterint, pro eiſdem locis curam permittantur habere ſollicitam, atque rectores idoneos in eiſdem baſilicis ijdem ipſi offerant ſeruituros.*

Quartus eſt, cum eo Patronus culpa ſua,

aut caſu eſt redactus vt aliena cum liberalitate, aut labore viuere oporteat, poteſt ex redditibus à ſe fundati beneficij, ſubſidia vitæ neceſſaria petere, non maiora tamen, quam Eccleſiæ prouentus ac facultates, ſtatuſque ſuæ perſonæ qualitas patitur, fidem facit, *can.* 37. Concil. Tolet. 4. vbi eſt his verbis: *Quicunque fidelium deuotione propria, de facultatibus ſuis, Eccleſiæ aliquid contulerint, ſi forte ipſi, filij eorum, redacti fuerint ad inopiam ab eadem Eccleſia, ſuffragium vitæ, pro temporis vſu percipiant.* idem ſtatutum ab Alexand III. *in decretali nobis 25. de iure patronat.*

Quintus eſt, quod reprobari, aut reiici nequeat, quem Patronus collatori inſtituendum offert, ſi modo ſit adminiſtrando beneficio par & idoneus. Sic enim qui paulo ante nominatus eſt Alexand. Pontifex in *cap. ſignificaſti 18. Perſonæ idoneæ*, inquit, *quas ad eas vacantes præſentauerint, ſunt admittendæ.*

QVÆSTIO III.

Intra quod tempus teneatur Patronus præſentare.

QVæſtioni pridem factum eſt ſatis à Bonifacio, *in cap. vnico de iure patronat. in 6. Laicus enim* (excepto Rege de quo nos poſtea) *ad præſentandum tempus habet quadrimeſtre duntaxat, Eccleſia vero vel Monaſterium tempus habet ſemeſtre.* Quare ſi intra illud, Epiſcopo non præſentetur eiuſmodi aliquis à Patrono, qui vacanti præeſſe Eccleſiæ cum laude queat, erit in illius poteſtate ac iure, beneficium conferre alteri, quem ars aut natura ad magna fortiaque in Eccleſiæ vtilitatem ac commodum gerenda, idoneum fecerit, dixit ea de re ſententiam Alexand. III. in decretali *cum te 22. de iure patronat.* dixit & Innoc. III. *in cap. cum propter 27. eiuſd. tit.* Alexand. ſunt hæc verba. *Illas autem Eccleſias, de quarum patronatu controuerſia fuerit, ſi intra ſex menſes, poſtquam vacauerint, non fuerit controuerſia terminata, licitum tibi ſit de perſona idonea ordinare.*

Verum enim, quoniam non ſunt Patroni omnes Eccleſiaſtici, ad quos tamen ſpectat hic canon, videre placet, ecquid ſimiliter pertineat ad Laïcos, & quid facto tùm ſit opus.

Dico primò, *Ius Clerici præſentandi à Patrono Laico, ad Epiſcopum non deuolui, ante exactum quadrimeſtre à beneficij vacatione.*

Ratio eſt, quod ante id tempus, Patronus iure præſentandi ſibi per canones acquiſito, non excidat: ergo quod iſti incumbebat ex officio facere, non niſi expleto tempore, quo id eum facere erat neceſſe, Epiſcopus ſupple-

A bit, hoc eſt, poſt quartum menſem à defuncto beneficij antiquo Domino.

Quid ſi vacet Eccleſia, quia præſentatum admittere Epiſcopus renuit vt indignum, nec ad animarum regimen ſatis aptum?

Reſpondend. Epiſcopo, inter quem & Patronum ſuper præſentati capacitate lis eſt mota, ea pendente & indiſcuſſa, tentandum nihil eſſe. Quia præſentato ius eſt per præſenta-
B tionem acquiſitum ad beneficium, quod ei iuſtè niſi ex culpa aliqua ſua, adimi non poteſt, quali carere illum eſt certum, in quo præter idoneitatem nihil Epiſcopus poſtulat, vt eum beneficio, ad quod eſt à Patrono præſentatus, inſtituat. Idem eſt dicendum, quãdo inter patronos aut ipſos præſentatos, de eorũ idoneitate, aut vnius cuiuſpiam ex ipſis eſt quæſtio, putà quia ei opponitur, quod ſit irregularis, quod bigamus, quod ſpurius: Lãbert. *lib. 2. de iure par. 2. art. 9. nu. 16.* quia accuſato iniuria fieret, ſi ante finitam litem, tanquam in-
C dignus à beneficio, ad cuius eſt adminiſtratio nem nominatus à Patrono, repulſam ferret.

Secus ſentiendum foret, ſi inter præſentatos non formæ in præſentando neceſſariæ violatio, aut capacitatis in præſentato priuatio, litem faceret, ſed de iure patronatus inter ipſos patronos mota quæſtio, nam tunc præſtituta ipſis ad præſentandum tempora, currerent, non ſecus ac ſi clarum eorum ius foret.

QVÆSTIO IV.

Vnde tempori fiat initium, quo Patronus præſentare debet ad beneficium, an à die quo vacauit, an autem ab eo quo vacare
D *Patrono innotuit?*

NOn poſtremarum partium Canoniſtæ dixerunt, tempus hoc à die vacationis principium ducere, & ita Patrono ignoranti, ac legitimè impedito currere. Sic tenent Panormitan. in *cap. cum te de iure* Archidiacon. *in cap. ſtatutum de præb. in 6.* Lambert. *lib. 2. par. 2. q. 1.* Rebuff. *in Concord. rubrica de collationib.*

Sunt huius opinionis hæc firmamenta. Primum quod non ſit Epiſcopis in more, præſtolari dum Patronus de beneficio vacante
E doceatur, nedum expectare dum impeditus eſſe deſinat, illico ac eſt tempus præterlapſum ad præſentandum, iure ei conceſſum, culpæ Patroni reparandæ dat operam, quem ipſe ad beneficij vacantis procurationem nouit idoneum, pro poteſtate inſtituit, eum Eccleſiæ adminiſtrandæ, præficit; quod haud dubie pro pietate ſua non faceret, niſi ad id, ſe facultate, ex propria muneris ſui ratione præditum crederet.

Secundum, dum lis inter patronos componitur,

ponitur, dum vtrius ſit nominare, ambigitur. Epiſcopus vbi definita à iure ad præſentandũ effluxere ſpatia, virum bonum nec omnino prouinciæ ad quam vocatur regendarum mentium inſcientem, viduæ Eccleſiæ præficere iubetur in *cap. quoniam 3. & cap. cum propter 27. de iure*, ergo ſi officium facere volet Epiſcopus, non id negliget, inquit Papon. *trium Notarior. lib. 2. tit de deuolut.* nam cum iura abſolute loquantur ac ſine addito, caſum quo Patronis inter ſe non conuenit, non excludunt: vacanti ergo Eccleſiæ litigioſæ licet, Epiſcopus Rectorem dabit, vt ei Pontifex locis citatis præcipit, quod eſt argumento, impedimenti in hac materia rationem non neceſſario habendam vllam eſſe ab Epiſcopo, nec ei expectandum, dum Patrono, beneficij cui de rectore prouidere debet, vacatio ſit cognita quæ ſi ſunt vera, tempus deuoluti iuris ab Ordinario ad ſuperiorem, id eſt Epiſcopum pro præſentando Clerico ad beneficium vacantis, non à vacationis eius notitia peti debet, ſed à beneficiati obitu, aut vacatione facta quomodolibet.

Eſt & alterum argumentum pro hac ſententia. Nempe quod non ſit è re communi Eccleſiæ ac priuatorum, templa miniſtris deſtitui, Dei cultum minui, gemere altaria orba Sacerdotibus, qui quot diebus ſacra litent hoſtia.

Quid? quod Vicarij parem cum Parochis, ac tam acrem ac illi in animarum ſalute procuranda diligentiam, communiter non afferant? quod ſtipendiis contenti ſuis, res bonaque Eccleſiæ pro virili ſua non curent, ſed negligant? ex quo magna in iis, nec facile ſananda vulnera conſequi eſt neceſſe, quæ ne accidant, quia Epiſcopalis prouidentiæ pars eſt non vltima, dabit Antiſtes operam, vt quod Patronorum negligentia malum in viduatis Eccleſiis parit, ſua in prouidendo de probis ſacerdotibus diligentia reparet.

Eſt tamen ſententia oppoſita, vt communior, ita mitior, tempus à die non vacantis beneficij, ſed notitiæ de eius vacatione, Patrono currere, & ſic ignoranti & impedito non nocere, quod officium definito per canones tempore non faciat. Hanc tenent Rochus de iure Lambertin. Spino, & Sanch. in *conſiliis lib. 2. dub. 52. num. 10.*

Tertij, neganda eſt conſequentia, eſt enim iuris præſentandi priuatio, pœna in patrono, culpam ergo in eo, vti ſui cauſam prærequirit aliquam, qualis hic, præter negligentiam eſt nulla, cuius tamen iuſtè argui Patronus nequit, cum de vacatione beneficij, nulla ad eum peruenit fama, & tamen puniri Patroni negligentiam, cum quæ eius erant partes, ſupplet ac obit Epiſcopus, indicant hæc pauca ex decretali *quia diuerſitatem 9. de conceſſ. prabenda. Illa Lateran. Concil. conſtitutio* (de conferendo ſcilicet beneficio homini digno ac capaci, cum intra ſex menſes Patronus ei nullum offert) *contra negligentes tantum fuit promulgata.*

QVÆSTIO V.

Quid ſit agendum, ſi Patroni, in præſentando non conſentiant.

Dico primò, *Si ius Patronatus ad Collegium, aut Vniuerſitatem pertineat, hunc præferendum videri cæteris, in quem plurium ſuffragia conſenſerint*: Ita Abbas & Ioan. Andreas in *cap. quoniam 3. de iure patronat.* Syleſt. *verbo ius patron. q. 13.*

Ratio eſt, quod quæ ſit à Collegio aut Vniuerſitate, rectoris ad beneficium oblatio, inſtar ſit electionis: at iſti vis eſt nulla, niſi à maiori parte Capituli auctoritatem habeat, ergo nec eſt præſentatio, cum à Collegio ſit aut vniuerſitate, futura rata ac valida, niſi in eam Collegij pars maior concurrat.

Dico ſecundò, *Cum diuiſim plures præſentant, eum anteferendum ab Ordinario reliquis, qui pro ſe vota plura tulerit*, eſt Later. Concilij ſanctio vt refertur *in cap. quoniam, præſenti decreto ſtatuimus, vt ſi forte in plures partes fundatorum ſe vota diuiſerint, ille præficiatur Eccleſiæ, qui maioribus iuuatur meritis, & plurimorum eligitur, & approbatur aſſenſu.*

Quod ſi præſentati paria numero ſuffragia habeant, præferri is debet qui ingenio melior, regendique ſcientia eſt aptior & *maioribus meritis & ſtudiis, Epiſcopi iudicio adiuuatur can. ſi forte 36. diſtinct. 63.* Quod ſi æqualia ſint omnium merita, ſi ſtudia paria, ſi ſimilis omnium induſtria ex qua habẽt omnes vt ex æquo ſint idonei, nec magno ab inuicem diſcrimine diſſiti, eius erit beneficium, quem Epiſcopus elegerit, *Cum enim paria ſunt merita tunc gratificationi locus eſt*, inquit Abb. *in cap. cum autem num. 3. de iure patronat.* Quia cum Patroni omnes ac ſinguli, inſtar ſint vnius eo quod tales ſint in ſolidum, cum vota ſua diuidunt æqualiter, perinde eſt, ac ſi vnus, idemque ſucceſſiue duos inſtituendos offerret, in quo caſu datur Epiſcopo optio. Lambert. *de iure patron. lib. 2. par. 3. q. 5. art. 1.* Angel. *ver. ius patronatus num. 22.*

Ab hac excipiendi ſunt regula caſus qui ſequuntur, primus eſt, cum eorum qui ſunt nominati in pari numero, vnus aliquis eſt de familia aut parentela fundatoris, nam eſt hic ex decentia præferendus cæteris ſecundum Sanch. in *conſil. lib. 2. cap. 3. dub. 101.*

Alter eſt, cum inter præſentatos, vnus eſt altero dignior, nam hunc cæteris præferre, Epiſcopo eſt neceſſe. Rochus de *iure verbo honorificum q. 15.* facta tamen inſtitutio de mi-

nus digno eſt rata, iudicio Sancheſij ſupra.

Tertius eſt, cum inter Patronos, quædam eſt in beneficiis erga Eccleſiam inæqualitas, nam qui ab eo offertur qui plus ad fundationem contulit, aut in maiori parte hæreditatis, aut villæ ſucceſſit, cui eſt ius patronatus annexum, anteponi hic debet cæteris.

Extra hos caſus in Epiſcopi arbitrio eſt, è multis aliquem vnum deligere, quem beneficio præeſſe velit, cum Patroni intra tempus ad præſentandum ipſis à iure conceſſum, ſibi non conſtant, ſed paribus inter ſe ſuffragiis deſcordant.

quid ſi ex inſtitutione eius qui eſt à maiori patronorum parte præſentatus, timeretur ſcandalum?

Ad hoc vitandum inſtituendus non eſſet: ita ſentiendi mihi cauſa à decretali *quoniam 3. de iure*, vbi Pontifex ſciſcitanti de re præſenti ſic reſpondet, *Si autem hoc ſine ſcandalo eſſe nequiuerit*, (nempe vt is inſtitui nequeat qui plurimorum patronorum eligitur & approbatur aſſenſu) *ordinet Antiſtes Eccleſiam, ſicut melius eam ſecundum Deum viderit ordinandam, & idipſum etiam faciat, ſi de iure patronatus quæſtio emerſerit inter aliquos, & cui competat, intra quatuor menſes non fuerit definitum*, idipſum à Clemente III. decretum in *cap. cum propter 27. eiuſd. tituli ſtatutumque vt illis ex hoc non debeat in poſterum præiudicium generari, qui ius euicerit patronatus.*

Quid ſi Patronus ſibi non conſtet? quid ſi ſententiam mutet? quid ſi primo præſentato alium ſubroget æque idoneum, quem poſtulet in eadem Eccleſia admitti in Parochum aut Canonicum?

Reſpondit Lucius eius nominis III. in decretali, *cum autem 24. de iure patronat. quis eorum alteri præferatur, iudicio Epiſcopi relinquendum, ſi laicus fuerit, cui ius competit præſentandi, verum ſi Collegium vel Eccleſiaſtica perſona præſentationem haberet, qui prior eſt tempore, iure potior eſſe videtur.*

Huic quæſtioni eſt hæc affinis, agnataque, Ecquid admitti eum oporteat, qui eſt à Patrono oblatus, de cuius tamen iure ambigitur?

Si eſt præſentatus ante litis conteſtationem, inſtitui eum oportebit, non obſtante quod lis ſuperuenerit. Abb. in *cap. ex literis de iure*, Layman. *lib. 4. tract. 2. cap. 33. quæſt. 8. num. 18.*

Ratio eſt, quod præſentatio, iuris ſit patronatus quidam veluti fructus: at quod eſt in fructu, ei eſt debitum, qui ad eam diē rei fructiferæ poſſeſſor bonæ fidei extitit: quare ante deciſam litem, præſentatum à patrono bonæ fidei, inſtituere Epiſcopus debebit, ac in collati ſibi beneficij iure defendere, quantum per canonum Deique leges ei fas erit: ita

A Laym. loco citato, eoque maior ac potior Alexand. III. *in cap. conſultationibus 19.* his verbis: *Si quis Clericus ab ordinario iudice in Eccleſia fuerit inſtitutus, ad præſentationem illius, qui eiuſdem credebatur eſſe patronus, & poſtea ius patronatus alius euicerit in iudicio, inſtitutus non debet ab ipſa, propter hoc remoueri, ſi tempore præſentationis ſuæ, ille qui eum præſentauit, ius patronatus Eccleſiæ poſſidebat, cum ex hoc, ei qui de iure debet habere, nullum in poſterum præiudicium generetur. Si vero non poſſidebat, ſed tantum credebatur eſſe patronus, cum* B *non eſſet, poterit ab eadem Eccleſia remoueri.*

QVÆSTIO VI.

An Pontifex iuri Patronatus Laicorum derogare valeat?

Dico primò, *Laicorum iuri à Pontifice derogari poſſe*, ſunt iſtius opinionis hi Patroni Couarr. *qq. practicar. cap. 36.* Lambert. *de iure Patronat. lib. 3. q. 9. art. 2.* Rebuff. *par. 1.*

C *prax. rubrica de tertia parte ſignaturæ verbo, Necnon iuris patronatus.* Rationes autem, quibus eſt eius veritas innixa, præcipuæ ſunt duæ.

Prima, eſt Eccleſia Romano Pontifici, eiuſque prouidentiæ credita, vt eam moderetur & regat, ſunt ei ergo in hoc genere permiſſa omnia, quæ ad eius regimen opportuna videntur ac neceſſaria, eiuſmodi eſt ſæpe facta beneficij collatio alteri, quam qui eſt à Patrono laïco præſentatus Ordinario, quod fieri à Pontifice cum nequeat, niſi eo iure abrogato, quod ei competebat ad præſentan-

D dum virum, meritis, & doctrina commendabilem: huic ergo iuri Patronorum derogare in vtilitatem Eccleſiæ Pontifici eſt permiſſum.

Secunda, vt eſt Eccleſia, in Pontificis Romani clientela, ita & facultates eius omnes, in quibus principem dignitatis ſedem beneficia obtinent, *9. q. 3 can. cuncta per mundum.* At id non foret, ſi iuri Patronatus laïcorum, derogare, ei non eſſet licitum, eſſet enim eius poteſtas omnis ad ius Patronatus Eccleſiaſti-

E corum redacta, quod eſt falſum.

Dico ſecundò, *Derogationem non valere, ſi verbis ſit ac clauſulis concepta generalibus tantum*, Pariſius *conſ. 114.* Couar. *cap. 36. qq. pratic.* Lambertin. *loco ante citato.*

Ratio eſt, quod derogatio iuris Patronatus Laïcorū, expreſſa eſſe debeat, vt de voluntate Pontific. certo conſtet, at communes loquendi formæ, vniuerſæ, aut indefinitæ, ſpeciatim & de nomine res non notant.

Nec eſt modò neceſſe iuri Patronatus Laïcorum derogari, oratione ad id comparata & propria,

propria, ſed Pontificem quoque ſignificare oportet, quod ad Regem, Marchionem, aut Comitem pertineat, ſi eſt hoc ius forte de eorum numero, quæ ab huiuſmodi ſunt viris, ad bonum Eccleſiæ, de profanis, hoc eſt ſuis opibus, boniſque inſtituta.

Dico tertiò, *Non videri eſſe è re communi Eccleſiæ, vt Pontifex iuri Patronatus laïcorum ordinariè deroget, cauſa ita mihi aſſerendi vnica.*

Nempe quod Pontificem ea facere aut aggredi non ſit vtile, quibus fidelium erga Eccleſiam charitas, aut rerum magnarum ardor B in eorum animis, tepeſcat aut pereat: ſequeretur id vero, ſi quod eſt in quæſtione, quoties, & quando Pontifici eſſet placitum, à nominando idoneo homine Patronum impediret, opponendo eius iuri derogatione ſua obicem. Quotus quiſque enim eſt omnium qui vbique degunt hominum, tam propenſa erga Diuos cœlites, eorumque religiones incenſa voluntate, qui non ſpe laudis capiatur ac gloriæ? aut fundandis, dotandiſque in eorum honorem Eccleſiis, operam quis dabit vnquam, ſi nominandi idonei hominis, Pontifice id occupante facere, nullam, aut non niſi raram, ac infrequentem fore ſibi facultatem exiſtimet? itaque non niſi cum iuſtiſſimæ eius rei cauſæ ſuppetunt, à Pontifice Patronorum iuri laïcorum derogari eſt conſultum ac vtile.

Non valet tamen facta de beneficio tali collatio, niſi expreſſa eius iuris fiat in prouiſione derogatio, Rebuff. in *praxi rubrica de tertia ſignatura parte, num. 6.* ſaltem conditionaliter ac hypotheticè, nempe *quatenus, aut ſi de illo exiſtat*, alioqui prouiſio eſt futura ſubreptitia. Idem ibid.

Dico quartò, *Tempora tamen eſſe aliqua, eaque non pauca, quibus abſque derogatione talis iuris, beneficium à Papa ad quod nominandi idonei, ius laïco vti Patrono competebat, conferri poteſt.*

Primum eſt, cum Patroni conſenſus adeſt, nam cum de eius præiudicio agitur, illius iuri, ſi conſentit, derogare quid eſt neceſſe? cum *poſtquam partes ſunt concordes, quid ad iudicem?* vt eſt *in lege 1. parag. inde ff. de noui operis nunciat.*

Secundum tempus, in quo derogatione iuris Patronatus laïcorum non eſt opus, eſt, cum ad Pontificem deuoluta eſt collatio, quod accidit, cum intra quatuor menſes à iure illis conceſſos, qui beneficium adminiſtraret, obtulerunt neminem; *cap. vn. de iure patron. in 6.* & Clement. *vn. de ſuppl. neglig. prælat.*

Tertio, prouidet Papa ſine derogatione, quādo Patroni præſentarunt quidem, ſed male, ſed incaſſum, ac nulliter, quia tunc, quod ſe læſos querantur, non habent, cum officio ſuo ſint functi.

A Confirm. Iudicis delegati ceſſat auctoritas, *quando per ſe, vel per alium ſententiam executioni mandauit, vel mandari præcepit, quia ſemel eſt officio functus*, vt eſt in decretali *in literis nona de offic. iudic. deleg.* ceſſabit ergo ac deſinet, patroni ad præſentandum auctoritas, quando id fecit, ſed culpa ſua ſine effectu ac nulliter.

Quarto, derogatione non eſt opus, cum beneficium ſibi Pontifex pro poteſtate repoſitum eſſe voluit, conferendum cui lubebit, vbi vacauerit.

Quinto, cùm Patroni permutationi conſentire ſine cauſa renuunt, facit abſque eorum offenſione Pontifex, quod ei in ſacerdotiorum diſpenſatione, ratio faciendum eo tempore præcipit, Rebuff. ſupra.

Sexto, cum beneficium vacat in Curia per obitum, vt patroni tunc cauſa non agitur, ita nec conſenſus eius, aut iuris eiuſdem derogatio poſtulatur, Staphil. *in literis gratiæ verſu 3.* nec item cum Patronatus eſt mixtus, hoc eſt, ad Laïcos & Clericos indiuiſe pertinens, Rochus *de iure patron. verbo ius qu. 8.* C quando ergo coniunctis ſuffragiis, Clerici Laïcique qui beneficio præſit, Epiſcopo offerre ſunt ſoliti, (in quo caſu patronatus eſt iuris mixti) ſine eius derogatione conferri à Papa poteſt alteri, cauſa eſt in promptu. Enimuero cum res duæ inuicem iunctæ ad productionem rei cuiuſpiam coeunt, eius quæ eſt inter eas præcipua, ratio eſt, præ cæteris habenda maximè: at Laïcis præſtant Clerici: eſt hic ergo Patronatus pro Clericali habendus ſecundum Pariſium *de reſignat. lib. 2. qu. 4. n 50.*

D quorundam tamen eſt opinio, ius hoc Patronorum, quod mixtum nominamus, etſi quoad priuilegia ſit Clericale, laïcale tamen eſſe quoad derogationem, ita Federicus de Senis *conſ. 66.* Rebuff. *de nominationib. q. 13. num. 7.*

Septimo, derogatione Pontificis nulla eſt opus, cum ius patronatus ex eiuſdem eſt liberalitate aut priuilegio; non poſſidentis erga Eccleſiam charitate profectum, quia tunc cauſari Patronus non poteſt iniuriam ſibi vllam fieri, cum ſecus quam fiat aliis, qui ex reditibus ſuis, boniſque patriis fundarunt Eccle- E ſiam, ius nominandi idonei hominis ad beneficium ſibi eripitur, cum nihil in eius bonum de ſuo contulerit, nec eſt metuendum, ne aliorum aduerſus Eccleſiam charitas, eiuſmodi derogatione, ac ſacerdotij vacantis collatione per Papam ſine eorum conſenſu leneſcat, cum intelligent, cauſam priori illi iuſtam fuiſſe nullam querendi aut nominandi ad beneficium, vtpote quæ nullo ſit vero iure munita, quale duntaxat Eccleſiaſticæ leges fundanti, ædificanti, aut dotanti Eccleſiam tributum volunt.

V

QVÆSTIO VII.

Ordinario præſentari à Patrono canonica lege quis debeat.

ASſertio prima, *Seipſum præſentare patronus non poteſt, nec immediatè, nec mediatè per alium*, ſic Pontifex in cap. per noſtras 26. de iure patronat.

Primo; quia inter præſentantem & præſentatum diſtinctio debet intercedere aliqua, qualis eſt nulla, cum ſeipſum quis nominat.

Quid? quod diuinis ingerere ſe officiis nemo debeat, quod id arrogantiam ſapiat, nimiamque ſui in ambiendis Eccleſiæ magiſtratibus præſidentiam, facit id tamen, quiſquis ad Eccleſiaſtica munera irrepit, aut in hęc vitioſe infert, ac inijcit.

Quæ cauſa cum ceſſet, vbi patronorum alter nominatur ab aliis, præſentationem ſui ab his factam acceptare poteſt, Theſaurus *parte 2. praxis verbo ambitus cap. 11.* Sanch. *conſil. lib. 2. cap. 3. dub. 74. & lib. 2. cap. 2. dub. 28.* nec enim ad Eccleſiæ ſe regimen intrudit, ſed vocatus illud capeſſit, in quo quid eſt culpabile? quid quod honorum quos Eccleſia magnarum eſſe virtutum præmia voluit, ambitum oleat?

Aſſertio ſecunda, *Quemlibet modò idoneum præſentare patronus poteſt.*

Quia de certo ac definito perſonarum genere nihil ciuicæ leges, nihil canonicæ ſanctiones præſtituunt, indignos hæ ſolum, ac incapaces excludunt, ſcientia moribuſque præſtabiles Clericos, dummodo ad eam venerint ætatem, quæ obeundo muneri ad quod aſſumuntur ſint pares, admittunt omnes.

Aſſertio tertia, *Peccat qui indignum Ordinario inſtituendum offert.*

Ratio eſt, quod ſic Eccleſiam in diſcrimen vocet, quod fideles, ſi quos hæc forte eius curæ creditos eſſe volet, periculo magnorum caſuum, quaſi Ditis hoſtiam exponat ac immolet, quæro enim, an qui literas neſcit, an qui moribus eſt, vitaque infamis, commiſſam ſibi plebem, ad bonarum ſtudia artium exemplo concitare ſuo valeat? an currentem, & incitatam retrahere à vitio, oratione ſua cohibere ac reducere, ignorantẽ monitis implere ſalutaribus poſſit? Eccleſiam autem, ſi eſt nullus, ſi domi foriſque propter vitæ turpitudinem contemptus, quando & quomodo ab hoſtium violentia defendet? qua arte lapſam eriget? quomodo ne aliena impreſſione corruat impediet? bona autem beneficii, ſi ſeipſum regere, ſi ſubſilientis reprimere ani-

A mi impetus ſui nequit, quomodo, & quam fructuoſe reget? non vacat ergo crimine, qui ea indignum prouincia, ad Eccleſiaſticæ gubernacula Reip. ſaltem remotè admouet, cum ſcilicet præſentando Ordinario, qui inſtituatur beneficio, quod poſſeſſore vacat.

Præſentantis autem ſcienter, à natura, aut arte non ſatis ad eius regimen inſtructum, pœnæ ſunt variæ.

Prima eſt, præſentationis pro ea vice priuatio, *cap. cum in cunctis 7. de elect.* Theſaurus *par. 2. praxis ver. patronus cap. 6.*
B Lambertin. *de iure patron. lib. 2. q. 10. art. 4.* Barboſa *in cap. cum in cunctis num. 36.*

Secunda pœna eſt, ſuſpenſio à beneficiis, quæ patronorum Eccleſiaſticorum tantum eſt propria, non item Laïcorum.

Ratio eſt, quod qui ſciens ad beneficium indignum eligit, decreto Later. Concilij ſub Alexand. III. vt eſt *in cap. cum à cunctis 7. de elect.* à beneficiis ſuis fit ſuſpenſus, ſed qui nominat eligit, Theſauri opinione loco proximè citato, & in *ver. electio cap. 3. num. 6.* Sayri *lib. 4. de Cenſur. cap. 15. num. 11.* Riccij *in praxi reſolut. 1441.* ergo, &c.

C Eſt autem hæc pœna latæ ſententiæ, vt Sanch. aſſerit conſiliorum *lib. 2. cap. 1. dub. 6. num. 16.* & de iis tantum beneficiis, quæ male nominans in ea Eccleſia poſſidet, ad quam per eum facta eſt indigni nominatio, aut electio, Theſaur. *ver. electio cap. 3. num. 1. verſu item aduerte.* Similiter eſt pœna priuationis ad nominandum, ſeu iuris ad præſentandũ pro ea vice, latæ ſententiæ, ligatque antequam declaretur incurſa, Theſaur. ibid. cum enim factum hominis ad ſui exe-
D quutionem non exigat, ſitque leuis, vt pote terenda ea vice tantum, Romani Pontificis ſubſellia, forumque adeundum ideo, quis putet?

Aſſertio quarta, *Patronum, antequam nominet, noſſe oportet eum quem Epiſcopo offerre animo deſtinat, his inſtructum rebus eſſe, quibus qui caret, errori in Sacramentorum vſu, ac procuratione mentium patet.* Sane certo ſe peccandi periculo obiicit, eius præſentatione hominis, qui peſſimis ſuis factis ac conſiliis, peſſundabit Eccleſiam, cum enim oblatus à Patrono, refutari ac reiici, ab
E Ordinario nequeat, niſi aperte ſit omniumque confeſſione incapax: offerenti vt cauſæ, tribuendæ plagæ erunt vulneraque omnia, quibus ex præpoſtero iſtius regimine, affligetur res communis priuataque fidelium.

Eſſe autem aliquem, Eccleſiæ magiſtratu non indignum, Patrono conſtare poteſt, tam Academiarum, in quibus ætatis partem ſuæ ſtudendo, aut docendo poſuit, quam ſuorum teſtimonio popularium, quibus eſt notus. Ipſe quoque de eius ſcientia, doctrinaque iudica-

bit ex concionibus, ſi quas ad populum habuit, ſicut de vita moribuſque, ex fama communi, plebiſque ſenſu cum qua vixit, negotiis quæ geſſit, opinione virtutis, quam dictis ſuis ac factis in ciuitate, vbi habitat, nullo aut paucis reclamantibus, collegit, Legendi Leſſ. *lib. 2. cap. 34. dub. 21. num. 56.* Regin. *cap. 15. num. 205.*

Vltima Aſſertio, *Peccat Patronus Eccleſiaſticus, præſentando minus idoneum, cum haberi dignior poteſt.*

Sunt huius Aſſertionis præſidia præcipua duo, Concilij auctoritas ac ratio, habetur illa quidem in *ſeſſ. 24. cap. 18. Si iuris patronatus Eccleſiaſtici erit, ac inſtitutio ad Epiſcopum, & non alium pertineat, is quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicabit, Epiſcopo præſentare teneatur, vt ab eo inſtituatur.*

Ratio eſt duplex, prima, quod officium patronus non faciat, cum digniore præterito, idoneum ſibi tantum poſtulat, ac ordinario inſtituendum præſentat, his enim legibus præſentandi ad beneficium, cuius eſt fundator ac Princeps, ei ab Eccleſia poteſtas eſt facta, vt non niſi digniorem, ac digniſſimum, ad id eligeret, (nam quis credat ius nominandi, vlli Patrono, tam liberum, ac late patens, concedi ab Eccleſia, vt in eius ſit arbitrio, quando & quoties erit collibitum, nominare quemcunque, etiam minus idoneum?) à qua tamen pactione cum recedere nominatione indigni, aut minus idonei quis non videt?

Ratio altera, eſt ab incommodis petenda, quæ in Eccleſiam redundare eſt neceſſe, nominatione minus apti, quorũ cum Patronus remota ſit cauſa, ab his abſtinere debet, hæc vitare, ne qua ad eum culpæ labes, maculaque ex ea nominatione perueniat.

Eſt autem in Aſſertione Eccleſiaſtici facta mentio, nam Laico ſatis eſſe ad præſtationem officij, ſi idoneum, qui defuncto ſubrogetur, nominet, indicant pauca hæc ex Trid. Concil. petita verba, in *ſeſſ. 24. cap. 18. Quod ſi ius Patronatus Laicorum fuerit, debet qui à patrono præſentatus erit, ab iiſdem deputatis, vt ſupra, examinari, & nonniſi idoneus repertus fuerit, admitti.*

Quæ ſimiliter locum habent in Eccleſiaſtico, quando ex certa vrbe, gente, Collegio, familia, quis eſt vacanti præficiendus beneficio, nam tunc eſt ſatis ad fugam culpæ, eum beneficio dignũ eſſe, niſi forte plures è certo cœtu, cui voluntate fundatoris, ad beneficium ius eſt ac aditus, meritis, doctrinaque impares ſe offerrent, nam tunc præ digno, dignioris habenda eſſet ratio, cui tamen anteferri ſi contigerit, erit facta ei beneficij collatio valida, non tamen licita, valida quidem, quia nuſquam reſcindi præcipitur, nuſquam

A inanis reddi ac irrita. Illicita verò, quia ſecus quam Concilium præcipit, eſt de digno facta, digniore omiſſo.

QVÆSTIO VIII.

Præſentantis Patroni quæ ſint culpæ.

IN multis patronum peccare poſſe, vt ipſe non dicam, res ipſa per ſeſe loquitur. Et quidẽ culpa non vacat, cum hac lege, ſeu conditione ab eo eaq; tacita vel expreſſa ad beneficiũ nominat, vt ab eo transferatur in alterũ, vel vt præſentatus, fructus beneficij omnes vel eorum partem ad vtilitatem aut arbitrium præſentantis, aut alterius traducatur, vel penſionem illi, vel illis, quibus patronus ipſe voluerit, tribuat Pius V. in Bulla 8. *quæ incipit intolerabilis.*

Secundo peccat, ius ipſum patronatus certo diſtrahens pretio, vel in aliũ pro re temporali, quouis modo, aut titulo transferens, Theſaur. *2. par. prax. ver. ſimonia cap. 8. numi 1. & eod. cap. 2. nu. 10. verſu ſufficit autem.*

C Ratio eſt, quod ius patronatus antecedenter rei ſpirituali ſit annexum, vt eſt in decret. Alexand. III. *de iure 16. de iure patron.* ergo eiuſmodi quod vendi ſine Simonia nequeat.

In cuius culpæ pœnam, tam recipiens quam vendens, ipſo facto, iſto ſunt iure priuati, fitque Eccleſia, ſic à Patronis eorumque iure libera, vt deinceps, qui inſtituere poterat, habeat & collationem liberam, *cap. quia Clerici 6. de iure,* in quo eſt, *aduocationibus acquiſitis præpoſtere, hoc eſt pretio, appellatione poſtpoſita ſpoliandos eſſe.*

D Peccat tertio, qui patronatum cum re temporali commutat, aut qui rem, bonaque, quibus eſt annexũ, pluris, ſeu maiori pretio eius occaſione diſtrahit, Sanch. *lib. 2. conſil. cap. 3. dub. 79. nu. 3.* ratio eadem quæ ſuperioris concluſionis, rem enim ſpiritalem addicere pretio, non caret Simoniæ vitio.

Excipiunt aliqui tempus illud, quo res momenti admodum exigui, daretur pro eo iure, nam ex eius leuitate præſumitur gratis dari, non autem vt pretium, ſecus ſentiendum foret ac dicendum, ſi daretur vti merces, aut

E commenſuratum ac æquale quidpiam ei in valore.

Peccat quarto, qui indignum de beneficio prouideri vult ab ordinario, cui illum inſtituendum præſentat.

Cauſa eſt, quod ſic Eccleſiam patronus prodit, officium ex fide non facit, prodit, quia eam ignauo ac inſcienti regendam tradit. Officium negligit, quia quod eſt tacite pollicitus, cum ei præſentandi ad beneficium, facta eſt ab Epiſcopo poteſtas, mortuo beneficiario dignum non ſubrogat.

Peccat quinto, qui ius patronatus ſui, in perpetuum, vel ad tempus diuturnum, ſine ſui Capituli conſenſu, & ſedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, Laico ſubiicit, habet id canon *hoc conſultiſſimo 2. de reb. Eccleſ. non alienand. in 6.* ſecus facientium pœnæ duæ: prima ſuſpenſio ab officio, eiuſque adminiſtratione in prælato, non item in alio, *cap. hoc conſultiſſimo citato.*

Secunda eſt, excõmmunicatio, quæ nulli tamen eſt reſeruata, *cap. Generali conſtitutione 13. de elect. in 6* quæ tamen vt incurratur, duo requiri in delinquente, dixit Gregor. X. in citata decret. Primum eſt, iuris patronatus, ſeu cuſtodiæ ac aduocatiæ vſurpatio. Alterum bonorum Eccleſiæ, ſeu locorum Eccleſiaſticorum vacantium occupatio, Suar. *de cenſur. diſp. 23. ſect. 4. num. 6.* Theſaur. 2. *par. prax. ver. vacantia cap. 2. verſu nota primo.*

Numerari quoque debet in pœnis, quod pacta conuenta de ſubiectione iuris patronatus à Prælatis cum Laïco facta, decreto Lugdun. Conc. ſub Greg. X. nullarũ ſint virium, canon ſic habet. *Contractus autem omnes etiam iuramenti pœnæ vel alterius cuiuſlibet firmitatis adiectione vallatos, (quos dotalibus alienationibus ſine huiuſmodi licentia & conſenſu contigerit celebrari) & quidquid ex eis ſecutum fuerit, decernimus adeo viribus omnino carere, vt nec ius aliquod tribuant, nec praſcribendi etiam cauſam parent.*

Sexto peccat Patronus, cum bona Eccleſiæ, fructus, iura, emolumenta per ſe vel alium, vi, aut metu incuſſo, in proprios vſus conuertit, aut illos vſurpare præſumit, & tandiu excommmunicatus manet, quandiu occupata Eccleſiæ non redhibet nec à Romano Pontif. abſolutionem obtinet. *Quod ſi eiuſdem Eccleſiæ patronus fuerit, etiam iure patronatus, vltra prædictas pœnas eo ipſo priuatus exiſtit,* Trident *ſeſſ. 22. cap. 11. Clericus vero qui nefandæ fraudis, & vſurpationis huiuſmodi fabricator, ſeu conſentiens fuit eiſdem pœnis ſubiacet, necnon quibuſcuſcunque beneficiis eſt priuatus, & ad alia inhabilis efficitur,* Trident. ibid.

QVÆSTIO IX.

An beneficia quæ iuris ſunt Patronatus Laici, permutari poſſint ſine Patroni conſenſu.

POſſe exiſtimant hi auctores, Stephan. Caiet. *in repetit. canonis vlt. de electione in 6.* Fridericus *tract. de permutat. q. 24.* reſcindi tamen ac ſuper eiuſmodi permutationibus pacta vtrinque inita, auctoritate Iudicis irrita reddi poſſe, intra id tempus quod eſt Patrono ad præſentandum iure conceſſum.

Vera ſententia explicabitur aſſertione duplici.

Prima Aſſertio, *Quæ beneficia, iuris ſunt Patronatus laici, extra neceſſitatem reſignari, aut permutari ſine Patroni voluntate ac aſſenſ non poſſunt:* Ita Doctores nec pauci, nec obſcuri; Couar. *cap. 36. practicar. qq. num. 9.* Azor. *to. 2. lib. 7. cap. 25. q. 4.* Leſſ. *lib. 2. cap. 34. n. 193.* Laym. *lib. 4. tract. 2. cap. 13. num. 21. Corollar. 3.*

Probatur, Iure ſuo priuari nemo debet ſine culpa aliqua ſua, ſed Patrono laïco, in accepti beneficij memoriam ab eo, aut eius anteceſſoribus fundatione Eccleſiæ, ius ei Epiſcopi ac Papæ voluntate conuenit præſentandi ad Sacerdotium, quod tum forte vacat, quod ei tamen permutatione, ſine eius voluntate ac conſenſu facta eripitur: ergo cum iniuria.

Secundo, tam boni publici, quam priuati Patronorum intereſt, ad regimen beneficii à ſe fundati, admitti hos tantum, qui ſint tam virtutum, quam doctrinæ laude quà præſtant, iis grati: at euenire ſecus poſſet, ſi reſignatione in fauorem tertii, aut permutatione beneficii quod eſt in illorum iure, eius poſſeſſori fas eſſet, prædictis patronis ante non conſultis, aut etiam diſſentiẽtibus, iſtud per permutationem aut ceſſionem alteri regendum dare.

Dixi *in fauorem*, quia cum eſt renunciatio ſimplex, Patronum non neceſſario conſulendum crederem, quia ius ei tum ſuum manet integrum, ac illibatum, nec minus tunc, quam cum vacat per obitum, beneficio præſentare poteſt idoneum.

Dixi 2. *Cum beneficium quod permutatur eſt iuris Patronatus laici*: nam ſi Patroni erunt Eccleſiaſtici, & permutatio in manibus Papæ fiat, aut Legati à latere, erit hæc ſine Patronorum aſſenſu valida, nec iis poſtea contradicentibus reſcindenda, Sanch. *Conſil. lib. 2 cap. 3. dub. 15.* Enimuero cùm Romani Pontificis ſit in Eccleſiam, eiuſque fortunas ac bona ſumma auctoritas, arbitrio ille ſuo, de beneficiis quæ iuris ſunt Patronatus Eccleſiaſtici, ſtatuere iure poteſt, eique derogare vt eſt dictum antea.

Quid ſi Patroni ſint mixti; hoc eſt partim Laïci & Clerici?

Reſpondend. ne tunc quidem de beneficio à compermutantibus fieri quid poſſe, quod ſine Patronorum aſſenſu ſit ratum. Nam cum Eccleſiaſtici quoad hoc cenſeantur laïci; quæ illorum ſunt priuilegia propria, Eccleſia cum illis communicat, ne per eorundem, hoc eſt Eccleſiaſticorum coniunctionem damnum ferant: quare facienda per eos præſentatio, non quadrimeſtri clauditur, vt eam claudi conſtat, cum ſoli nominant, ſed ad ſemeſtre, quod Clericis ad præſentandum tempus datur, extendi eſt certum, vt ex dictis ante patet.

Dixi

Dixi tertio, *extra neceſſitatem*: nam ſi neceſſe erit beneficium certo cuipiam dari, eo quod præter eum non ſit alius qui Eccleſiam in dubiis ſuis iuuare temporibus valeat, aut hæreticis, opibus, potentiaque obſiſtere, vt hunc ei præfici velle Patronus debet, ita & cogi ſi renuat.

Addunt aliqui non modo cum eſt neceſſe, inuito Patrono permutationem ab Epiſcopo de patronato beneficio admitti poſſe, ſed etiam cum eſt Eccleſiæ, ac fidelibus vtile, ſic Rebuff. *in praxi benef. titulo de permut. num.* 21. Lupus *rubric. de donat. parag.* 22. *num.* 6. Rebuff. 3. *par. ſignatura verbo Nec non iuris patronatus num.* 41.

Ratio eſt, quod bonum commune, priuato anteſtet, vbi ergo multorum in permutatione aut reſignatione patronati beneficii agetur ſalus, eam probare imo & præcipere Epiſcopus auctoritate qua pollet, Patrono inuito licet ac repugnante poterit.

Aſſertio 2. *Permutatio abſque Patroni conſenſu facta, aut eſt ipſo iure irrita, aut petente patrono reſcindenda.*

Pro prima parte ſtant hi auctores, Rebuff. *in praxi benefic. titulo de permutat. nu.* 21. Lambert. *de iure patronat lib.* 2. *par.* 1. *q.* 6. *art.* 6. *num.* 6. Bellamera *deciſ.* 279. ratioque ipſa. Nam in permutatione beneficij, interuenit vera vacatio, aliter dari compermutanti non poſſet, reperitur & vera inſtitutio, ſeu eius ſic vacantis collatio: ſit pro argumento, quod beneficia permutari in eius manu oporteat, qui eorum eſt collator, cuius rei haud dubie, vnica eſt hæc cauſa, quod vacent cum permutantur, eaque à collatore compermutanti conferri debeant, ſitque proinde intruſus, qui ad ea, illo neſciente ingreditur. Sed eſt inſtitutio ſeu collatio beneficij quod eſt iuris patronatus laici, ſine patroni conſenſu facta, iure irrita decreto Tolet. Concilli 9. *can.* 2. quod excerptum à Gratiano in cauſam 16. *q.* 7. *can.* 32. eſt tranſlatum, his verbis: *Quod ſi ſpretis eiuſdem fundatoribus, rectores ibidem præſumpſerit Epiſcopus ordinare, ordinationem ſuam irritam nouerit eſſe, ad verecundiam ſuam, alios in eorum loco, quos iidem ipſi fundatores condignos elegerint ordinari.*

Pars altera, de permutatione irritanda ad patroni contempti poſtulata, defenditur à Lambert. proxime citato, *num.* 62. & 64. & probatur.

Paſſus iniuriam, de ea queri poteſt apud iudicem, ab eoque petere eius auctoritate vt tollatur; at patrono irrogatur non modica, cum ſe inſcio, ſæpe reclamante, & inuito, beneficium ad cuius præſentationem ius habet, permutatur cum alio: ſic enim iure ſuo, contra fas æquumque priuatur, eſt hæc ergo tollenda, ne ſe æquitas læſam dicat, tolli autem qui poteſt, niſi Patrono in antiqui ſui iuris

A poſſeſſionem, vſumque reuocato? reuocari autem poſſe quis credat, niſi facta ei nominandi idonei hominis facultate, aut nominare, niſi permutatione cui aſſenſum non præbuit reſciſſa? eſt hæc ergo cum faciendæ aut factæ manus non dedit, irritanda.

Valere hanc tamen etſi non detur, dixere Rebuff. *in praxi* 3. *parte ſignatura verbo necnon iuris patronatus num.* 43. Rochus *de iure patronat. verbo honorificum q.* 3. Bellamera *conſil.* 6. Couar. *qq. practicar. cap.* 36. *num.* 9. quæ eſt B etiam opinio Sanch. *lib.* 2. *conſil. cap.* 3. *dub.* 55. nituntur hac ratione. Contra legem humanam repetita actio, eam euertit, ac obliterat, ſed Epiſcopis (inquiunt hi auctores) eſt in more, Patroni voluntate ante non tentata, factam de beneficio iuris patronatus Laïci, permutationem admittere, lex ergo Concil. Toletani, quæ eam ad inſtitutionem requirit hac Antiſtitum conſuetudine, illi vt patet oppoſita, eſſe in vſu deſiit, valebit ergo beneficij quod eſt iuris patronatus Laïci, admiſſa permutatio ſine conſenſu Patroni.

Eſt hæc opinio probabilis, ſi vera ſunt quæ C de conſuetudine, per Epiſcopos in permutationum materia inducta, eius auctores ac patroni commemorãt. Prior tamen, vt canonicis legibus magis conſentanea, eſt in praxi, ſequenda.

QVÆSTIO X.

Ius Patronatus transferri patrono in alium an poſſit, & quomodo?

D POſſe non eſt dubium, idque ſucceſſione, donatione, permutatione, & venditione fieri conſueſſe, dicunt qui de hoc Patronorum perhonorifico iure edidere commentarios: Abbas *num.* 3. *de iure patron.* Sylu. *verbo ius Patron. q.* 4. Laym. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 13. *q.* 9. Gloſſa in *cap. cum ſæculum de iure patronat.*

Et quidem ſucceſſione ad hæredes tranſit tam maſculos quam feminas, nam quid æquius, quam vt qui hæreditatis onera ſuſcipit, quæ ex ea naſcuntur cõmoda ſentiat? ergo cum hæres parentis loco ac nomine contracta E ab eo omnia diſſoluere debeat, quod tamen onus eſt non leue, cum ſane facultate ſubrogandi in defuncti locum idonei hominis, qui beneficium eius poſſideat, gaudere ac lætari conuenit.

Nec modo filius, aut è conſanguineis aliquis, cui ex inteſtato debetur hæreditas, ſed & extraneus quilibet, in ius defuncti Patroni teſtamento poteſt ingredi, vt patet, eum qui naturæ concedit, in rem ſuam, bonaque vocare queat quem lubet, ſi tamen ad plures, ius patronatus ſui pertinere voluit, vt hi plu-

res in vnius locum ſuccedunt, ita vnam in præſentatione vocem habent, vt eſt deciſum in Clement. 2. *de iure Patron.* Poſſunt tamen paciſci inuicem ſi volunt, vt eorum alter vno anno præſentet, alius alio.

Secundo, donatione ius hoc tranſit in alium, nam rerum ſuarum quilibet vt eſt Dominus, ita eas, ſi non eſt hæc eius poteſtas impedita legibus, aut Principis voluntate, tráſferre poteſt in alterú, de quo in præſenti materia eſt decretalis Alexand. III. 14. *de iure*, in hæc verba. *Ex inſinuatione Clerici accepimus, quod cum ei frater eius, ius patronatus, quod in quibuſdam Eccleſiis habebat, liberaliter contuliſſet, eas, &c.* id enim cum Pontifex non arguat, nec Clericum iſtius iuris incapacem aſſerat, hoc gratis ac liberaliter Pontificis opinione ac ſenſu, donari poſſe quis non videt?

Eſt hæc tamen donatario tenenda cautio, vt Epiſcopi de eo recipiendo conſenſum habeat, ſi erit Laïcus aut Communitas non ſacra, aliter donatio omni iure futura eſt nulla ob eam cauſam, quod ad eius officium pertineat, videre ne quando in eo rerum ſtatu, conſtituatur Eccleſia, in quo damnum ſit paſſura veriſimiliter. Accidit id vero ſæpiſſimè, cum laïco, aut Communitati non ſacræ datur patronatus neſciente Epiſcopo, aut ne fiat reclamáte quàm poteſt acriter ac valide. Fac enim eum viro Principi aut alteri valde gratioſo in Rep. teſtamento tribui, quàm frequentes hic turbas, quam graues in Eccleſia ciebit motus? nam ſi ignarum Epiſcopo inſtituendum offerat, ſi petitum ex aula male nominatum, vt illum Epiſcopus repellere non audebit, quia Princeps inſtitui præcipit, quia Eccleſiæ vacanti præfici, ita inſtitutus hanc non modicis ignauia ſua ac improbitate detrimentis complebit.

Potiſſima huius rei, eſt hæc cauſa, quod Laïcus de ſe non ſit iuris patronatus capax, eſt enim ſpiritale antecedenter, ac ad regimen Eccleſiæ ordinatum ſaltem remotè, nam inter cætera Patroni munia, non eſt iſtud extremum, offerre Epiſcopo, quem adminiſtrando beneficio cum auctoritate præficiat: at non eſt Laïcus ad id idoneus, niſi conceſſione Papæ Epiſcopi aut Eccleſiæ, quæ ſuæ partem prouinciæ, muneriſque in regenda Eccleſia, in eum deriuet, eſt hæc ergo neceſſaria, iuriſque patronatus in Laïco efficiens cauſa.

Idipſum expreſſe habet Alexand. III. in *decretali quod autē 5.* his verbis: *niſi conſenſus Epiſcopi acceſſerit, nihil agi videtur, quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non poteſt de iure donare.*

Quid ſi ius ſuum in Collegium Canonicorum, aut Monaſterium patronus transferat, ſibique in e[illegible] non laïcum, ſed Clericum

A aliquem ſubrogatum velit?

Mea non eſt modò, ſed Alexand. quoque III. reſponſio in *cap. illud* 8. *de iure patron.* & Bonifacij VIII. *in cap. 1. eiuſd. tituli in 6. quod ſi laicus ius patronatus Eccleſiæ ſibi competens, eidem, vel alteri Eccleſiæ, ſeu loco religioſo duxerit conferendum, huiuſmodi collationē (quamuis abſque aſſenſu fuerit facta) efficacem eſſe cenſemus.*

Permutatione denique ius Patronatus transfertur, cum ſit eius commutatio cum alio, nam rem ſpiritalem dari poſſe pro alia eius

B generis, ſine ſimonia, communis eſt Doctorum ſententia, Lambertini *de iure patron. lib. 1. par. 2. q. 3. art. 2.* Sanch. *lib. 2. conſil. cap. 3. dub. 88.* ergo & patronatum vnum, vice alterius, vt ſit tamen rata, firmaque eiuſmodi permutatio inter Laïcos facta, Epiſcopi facultas eſt neceſſaria, quia intereſt Eccleſiæ patronum habere, qui eius commodis bonoque non obſit, cuiuſmodi an ſit futurus, cum quo iuris ſit permutatio, iudicare ſolius eſt Epiſcopi.

Quid? quod ſine Epiſc. facultate rerum Eccleſiæ prohibita ſit alienatio canonica lege? at eſt omnis permutatio, certi iuris alienatio,

C non eſt ergo patronatus permutatio cum alio, ſine Epiſcopi commeatu licentiaque licita.

Quid ſi vnus idemque, templorum eſſet patronus plurium? iuſque ad ea præſentandi, adhuc ſuperſtes ſuis hæredibus daret ac liberis, eſſet ne tum Epiſcopi neceſſaria venia, vt patri bene de liberis mereri fas foret? Nequaquam quia cum eſt diuidenda hæreditas, non eius conſenſus, ac facultas, vt ſit eiuſmodi diuiſio rata ac valida, requirēda eſt neceſſario, at eſt Patronatus, hæreditatis pars nó infima, eaq; agris, caſtris aut domibus anne-

D xa, ergo vt hæc domus, hoc caſtrum, à Patre huic hæredi legari, eoque mortuo à cohæredibus concedi ſine Epiſcopo, conſcientiæ illæſo iure poſſunt, ita & patronatus qui his eſt adiunctus, ſeu ius nominandi ad vacantem Eccleſiam: Ita Lambert. *lib. 1. par. 2. q. 6. art. 2. num. 5.*

Vltimo transfertur ius patronatus per accidens, ſeu acceſſoriè, vna cum bonorum vniuerſitate quæ alicui venditur aut datur in

E feudum, *cap. cum ſæculum de iure.* Quanquam & hoc nomine intelligi ſoleant caſtra, villæ ciuitas, hæreditas, ſeu bona quæ hæreditate acquiruntur in quibus non modo res temporarias, ſed ſpirituales quoque contineri dicit poſt Abbatem in *cap. ex literis de iure*, Laym. *ſupra num. vlt.* Villa ergo vendita vel caſtro, in quo eſt Eccleſia cuius venditor eſt patronus, cum his quoque acceſſoriè in emptorem ius patronatus tranſit niſi excipiatur.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XI.

An quando ſunt plures patroni, requiratur vt omnes in vnum conueniant.

NEquaquam, quia eſt id moraliter impoſſibile, & tamen Eccleſiæ prouideri de miniſtro, qui eam gubernet, ac regat, eſt neceſſe, ne ergo ei quid accidat, interim dũ patroni inter ſe, ſuper præſentando digno conueniunt, ſi conceſſum eis ad id tempus labatur ac effluat, antequam aliquem nominent, eorum vices ſupplebit Epiſcopus. Quod ſi diuiſi ſententiis aliquos quidem præſentent, ſed diuerſi diuerſos, qui erit à maiori eorum parte oblatus, is erit anteferendus cæteris, Lambertin. *lib.2.par.3 q.4.art.1.* Sylu. *in verbo ius patronatus q.12.*

Quid ſi præſentatus à maiori parte, minus ſit dignus alio qui offertur Ordinario?

Reſpondend. prioris hoc eſt minus digni, ius eſſe quam dignioris potius, proindeque iſti illum præponi oportere. Sanch. *li.2.conſil. cap. 3. dub. 0. & dub. 100. eiuſd. capitis & lib.*

Ratio eſt, quod Ordinario à patronorum abire voluntate, non liceat, cum dignum ei inſtituendum in demortui locum offerunt.

Quid ſi Patronorum pars maior Eccleſiaſtici magiſterij incapacem, hoc eſt iis deſtitutum qualitatibus præſentet, ſine quibus ad beneficium rite adminiſtrandum aptus cenſeri nullus poteſt?

Reſpondend. tunc præſentationem digni, à minori factam parte, ratam fore, proindeque ab Epiſcopo admittendam, ſi qui indignum obtulere, intra tempus iure ad præſentandum illis conceſſum, ſubrogauere neminem.

Ratio eſt, quod præſentationis, quam iura improbant vt inanem, nulla ſit habenda ratio, at præſentare indignum, peræque eſt ac nullum, ergo ſi oblatus tum à maiori parte, ei poſtponitur, quem minor virum bonum ac regere beneficium idoneum præſentauit, de vi, aut facta ſibi in eo ab ordinario iniuria conqueri non poterit.

Quid ſi vota ſua Patroni æqualiter diuidant duoque de illis, vnum aliquem præſentent: alij duo alium?

Reſpondend. in Epiſcopi iure tunc eſſe, de duobus eligere quem volet, Sylu. *verbo ius patronatus q. 8.* Vaſq. *in opuſcul. tract. de benefic. dub. 5. num. 16.* niſi forte eorum alter de ea gente, aut familia foret, ex qua fundator peti beneficiarios voluit, nam tunc ei beneficium, ſi eſt dignus, negari iuſte non poſſe, auctor eſt Papon 3. *notariorum lib.2. tit. de deuolutionib.*

A Extra hunc caſum, de duobus præſentatis Epiſcopo, optare quem volet, eſt liberum.

Primo, quia cum patroni, patroni ſint in ſolidum, habendi ſunt eodem loco omnes, quo vnus, cum ergo ſua vota diuidunt, nec eundem omnes eligunt, ſed duos, perinde faciunt ac ſi ſucceſſiuè eorum vnus, duos ordinario inſtituendos daret. Id verò ſi Laïcus faceret, enimuero poſſet tunc Epiſcopus, de duobus eligere, qui magis ad ſtomachum ipſi faceret, vt eſt in *cap. cum autem 24. de iure patron.* ergo, &c.

B Secundo, poteſtatem habet Epiſcopus ordinandæ Eccleſiæ, hoc eſt beneficij conferendi cui placet, cum inter ſe Patroni de præſentando capaci non conueniunt, Alexand. III. in *cap. de vero 12. de iure.* At in eundem vt ſupponimus patroni non conſentiunt, cum hunc iſte, illum ſibi alius nominandum exiſtimat: ab his ergo tum adminiſtrandæ Eccleſiæ, hoc eſt præficiendi vacanti beneficio digni hominis, ius ad Epiſcopum redit.

Dixi *cum laicus* in ſententia non perſeuerat, ſed modo hunc, modo illum nominat.
C *Nam ſi Collegium vel Eccleſiaſtica perſona præſentationem haberet, qui prior eſt tempore, iure eſt potior* Lucii III. teſtimonio in decret. *cum autem 24. de iure patron.* Idem ſentiendum primo, cum præſentans eſt de fundatoris ſoboie genteque: nam tunc ab eo electum, ſibique præſentatum, præferre Epiſcopus cæteris debet, eumque ſi dignus eſt, admouere Eccleſiæ vacuæ rectorem, Sanch. *lib. 2. conſilior. cap. 3. dub. 101. n. 4.*

Nec eſt ſimiliter in poteſtate Epiſcopi, e-
D ligere de duobus præſentatis arbitrio ſuo alterum, quando ſunt hi inæqualis inter ſe meriti: nam tunc minus digno præferendus eſt dignior: eius item præ alio, habenda eſt ab ordinario ratio, qui ab eo patronorum eligitur, ſibique inſtituendus proponitur, qui plus reliquis ad fundationem beneficij contulit, aut qui in maiore hæreditatis, aut villæ parte, cui ius eſt patronatus annexum, ſucceſſit, Sanch. ſupra.

Verum enim (inquies) quid ſi patronus vnus de multis defuit? quid ſi factæ de vno aliquo, præſentationi non conſenſit?

Si ſe Patroni ad præſentationem habent
E vt Collegium, & Capitulum, per modum vnius, ad monendi erunt officii, & ad ſtatam diem, qua beneficio præſentare eos eſt neceſſe, vocandi, ſi vel eorum vnus fuerit contemptus, facta ab aliis præſentatio erit irritanda, Innoc. III. in pari cauſa, *cap. quod ſicut 28. de elect.* ſunt hæc verba. *Si Meridinenſ. Epiſcopus & Abbas Mellifontis qui intereſſe debuerant, non contempti fuerunt, ſed ad electionem vocati, ſiue nequiuerint, ſiue noluerint ad electionem celebrandam accedere, ipſo-*

rum abſentia non potuit electionem impedire. A *Quod ſi eos vocatos non fuiſſe conſtiterit, ſed contemptos, infirmanda erit electio penitus, taliter celebrata, niſi propter bonum pacis curauerint conſentire.*

Enimuero cum præſentatio ſit imperfecta quædam electio, vnius de patronis neglectus, ac omiſſio, integra eſt ac totalis præſentationis per alios factæ irritatio, quod enim tum fit ab illis, fit vt ab vno perfecto corpore, ſuis autē abſolutum numeris eſſe hoc nequit, cum membrorum alterum corpori deeſt ad complementum.

Quare *cum in Eccleſiis, canonicorum receptio, aut præbendarum vel beneficiorum collatio, imminet facienda, abſentes canonici (ſi commode fieri valeat) ſunt vocandi, niſi conſuetudo habeat eos ad talia non vocari: alioqui quod in eorum abſentia fieri contigerit, eis inſtantibus irritari debebit,* Bonifac. VIII. *in decret. cum in Eccleſiis 33. de præb. in 6.* & extra *in cap. dilecto 35. de elect.* habetur electionē (*omnibus qui in prouincia ſunt conuocatis*) faciendam eſſe, vt ſit rata: ergo cum præſentationis par ſit & eadem, quæ electionis ratio, vt iſta eſt inanis ac nulla, omnibus quorum intereſt, non vocatis, ita & illa.

Per modum vnius dixi, Nam ſi ſinguliſeorſim præſentent (vt accidit, cum à Parochianis præſentandus eſt ad Parochiam vacantem Parochus) aliquorum de illis omiſſio, non eſt præſentationis factæ à maiori Parochiæ parte, reſciſſio, ſeorſim enim poſſe ſingulos præſentare, non vocatis aliis, docent Frederic. *conſilio 101.* Calderin. *conſil. 9. & 15. de iure patronat.* inſuper ius ſuum aliis compatronis illæſum manere, præſentandi eundem vel alium.

QVÆSTIO XII.

Explicantur dubia quædam in hac Patronatus materia occurentia.

PRimum, *An ſuper beneficio, quod ſit iuris Patronatus Laici, poſſit ſine Patroni conſenſu penſio imponi?*

Poſſe Papæ auctoritate, dixit Sanch. *lib. 2. conſilior cap. 3. dub. 58.* quæ mihi opinio, probabilis videtur, ac ſequenda ob has cauſas.

Eſt patrono id tantum vi iuris ſibi conceſſi ab Eccleſia debitum, ne à viro capaci ac idoneo nominando impediri valeat, at non impeditur, etſi eo ſi minus inuito ac repugnante, certe non conſentiente, beneficio cuius eſt patronus, imponatur penſio, nam ius eius, poteſtaſque ad nominandum, ſemper illi integra, illæſaque perſeuerat, ſic Rebuff. *in praxi benefic. 3. par. ſignaturæ verbo nec non iuris patronatus num. 38. & 48.*

Secundo, etſi Papæ voluntate ius Patronatus Laico ob præclara ſua in Eccleſiam merita competat, non tamen idirco perit, ceſſatque Pontifici poteſtas in beneficia Eccleſiæ omnia, horum enim *plenaria diſpoſitio ad illum noſcitur pertinere, ita quod non ſolum ipſa cum vacant, poſſit de iure conferre, verum etiam ius in ipſis tribuere vacaturis,* Clem. III. *cap. licet Eccleſiarum 2. de præbend. in 6.* hæc ergo Pontifex cum volet, eritque ad Dei gloriam, Clericique bonum, penſionis ſoluendæ ea quot annis onere grauare
B poterit, Gabr. Vaſq. *de benefic. cap. 5. dub. 13. parag. 1.* Gigas *de penſionib. q. 23.* Couarr. *tom. 2. practicar. cap. 30. num. 10.* Leſſius *lib. 2. cap. 35. dub. 36. num. 127.*

Super beneficio tamen à patrono Laïco dependente, vel regiæ nominationis, abſque illius, & Regis conſenſu impoſitam Gallia reprobat, de quo recepta in omnibus eius tribunalibus, huic mori conſentanea iudicandi forma, fidem facit. Meminere vtriuſque Charondas in *memorabilib. ſuper verbo penſio, & in lib. 2. Pandect. tit. 9. circa*
C *fin.* Bleyan. *de penſione beneficiali num. 38. litera T. ad margin.*

Addunt Chenut. ad Papon. *in lib. 3. tit. 5. arreſto 6. in fine,* Choppin. *in lib. 2. de donatio. titulo 10. num. 15. & lib. 3. de ſacra polit. titulo 2. num. 13.* Forgetus *in tract. de penſionib. num. 5.* de conſenſu Regis extare debere teſtimonium, exaratum literis, eumque ab illo impetrandum per libellum ſupplicem, quem nos, *placet,* appellamus: aliter aſſerenti penſionis annuæ ius ſibi benignitate Regis ſuper patronato beneficio competere, non
D credi.

Vtut ſit de Gallia, certe conſtat, iuri patronatus Laïcorum, cum fructuum beneficij pars altera, penſionis nomine Clerico datur, derogandū eſſe à Pontifice, in iis locis, vbi pro poteſtate qua pollet, de beneficiis, eorumque reditibus arbitratu ſuo diſponit, vt aſſerunt Gigas *de penſionib. q. 24. &* Couar. *to. 2. practicarum cap. 36. num. 10.* quod eum tamen in Gallia & Hiſpania ſolitum non facere, ſcribunt Couar. & Carol. Pariſienſ. *de public. reſignat. num 226.*

Dubium ſecundum, *An ſeruitium aliquod,*
E *aut cenſum exigere Patronus poſſit ab Eccleſia quam fundauit.*

Patrono ad inopiam redacto, ex beneficio cuius eſt auctor ac fundatione parens debetur penſio, quę ei commeatum ad vitam ſuppeditet, ſi non integrè, ac plenè, ſaltem ex parte, & vtcunque tolerādum, Clem. III. *in decret. nobis fuit 25. de iure patron.* quam Eccleſiæ charitatem erga patronum inopem, probare Galliam, argumento eſt, quod ad Clementis imperium in proximè citata decretali, ſuum hæc quoque per magiſtratus regios

regios

regios adiiciat, ſic enim ab anno 1603. ſtatutum in ſuprema Normannorum Curia, pro Domino de ſainct Germain le Vaſſon, ſcribit Forgetus in *tract. de perſonis Eccleſiaſt. tit. 22. num. 4. in margin.* feudum tamen à quo ius patronatus dependet, pro debitis patroni in pignus captum ſi eſſet, vna quoque ius penſionis exigendæ ac dandæ ceſſaret, Fabricius de Bleyn. in *Theor. titulo de aliis quibuſcunque iuriſdict. lit. P. in marg.*

Præter hanc autem patrono inopi aliquid deberi ab Eccleſia, non video. Non cenſum, quia Eccleſiæ reditus, bonaque, laico ſine Papæ facultate, non ſunt danda niſi eleemoſynæ nomine. Non obſequium, quia Clericos laicis imperare par eſt, non obſequi. Non reditus, quia ſunt Dei, cui eos eripi, vt diuertantur alio, quàm eſt parum rationi conſonum? Sane qui eos auctoritate ſibi propria vindicat, in Concil. Lateran. excommunicari iubetur, *cap. præterea 4. de iure patron.* eo ipſo autem eſt excommunicatus, ipſoque iure, patronatus ſui iure priuatus, lege noua Concil. Trident *ſeſſ. 22. de reformat. cap. 11.* à qua ſeuere proinde tam Patronis ſæcularibus, quam Eccleſiaſticis prohibitum lego in *ſeſſ. 25. cap. 9. ne in perceptione fructuum, prouentuum, obuentionum quorumcunque beneficiorum, etiamſi verè de iure patronatus ipſorum, ex fundatione, & dotatione eſſent, nullatenus, nullaue cauſa, vel occaſione ſe ingerant, ſed illos liberè Rectori, ſeu beneficiato, non obſtante quacunque conſuetudine, diſtribuendos dimittant.*

Poſſunt tamen Patroni, cum Papæ, aut Ordinarij facultate, annuatim aliquid de beneficij à ſe fundati prouẽtibus aut ab eius poſſeſſore obſequium vel quid ſimile, in recognitionem (vt aiunt) ſuæ in Eccleſiam beneficentiæ, petere, & à Papa, vel ordinario in fundationis limine obtinere. Innuit id Lucij Papæ III. *decretalis præterea 23. de iure patronat.* vbi eſt his verbis. *Præſenti decreto ſtatuimus, eos ſiue aduocatos, ſiue patroni, ſiue cuſtodes, ſiue guardias habentes, ſeu quocunque alio nomine cenſeantur, à grauaminibus Eccleſiarum ceſſare, nihilque in ipſis, præter antiquos & moderatos reditus à locorum Epiſcopis inſtitutos exigere, aut ſi aliud exegerint, excommunicationi ſubdantur.*

Habet his ſimilia Trident. *ſeſſ. 24. cap. 3. de reform.* cum Patronis prohibet *ne ſe viſitationi ornamentorum Eccleſiæ, aut bonorum ſtabilium, ſeu fabricarum prouentibus immiſceant, niſi quatenus id eis ex inſtitutione, ac fundatione competit.* Sunt ſuper hac re legendi Barbatius *conſil. 23. volum. 1.* Lambertin. *de iure patron. lib. 1. par. 1. q. 9. art. 1. num. 86.* Sanch. *lib. 2. conſilior. cap. 3. dub. 52.* qui aduertit tunc tantum à Patrono quidpiam ſuper beneficio reſeruari ſibi, aut alteri poſſe, in fundationis limine, ac ingreſſu, cum ei dotem abundantem dedit, nam ſi ſufficientem duntaxat alendis miniſtris tribuit, & nihil amplius, quid ei penſionis nomine, ac loco, aſſignari valeat, ignoro, nam miniſtris ſubtrahi, quod ei præbeatur, non decet, ſtipendiis enim ſuis nemo militat, & Paulo teſte ſeruientem altari, de altari viuere conuenit.

Aduertit Sanch. 2. à Patrono munus, aut Cereos de beneficiario, aut populo loci, vbi ſitum eſt beneficium à ſe fundatum, in recognitionem iuris patronatus exigi non poſſe, ſi non ſunt hi tempore fundationis, cum Epiſcopi licentia reſeruati: ita Panormit. in *cap. præterea de iure,* quam dare iſte non poteſt, nec data patronus vti in conſcientia, cum ſuper ſolo, fundoque, in quo eſt extructa Eccleſia, vel ſuper agris, ex quibus habetur panis & vinum, vel ſuper cœmeterio eſt impoſita penſio, eiuſque reſeruatio: Lambertin. de *iure patronat. lib. 1. par. 1. q. 9. art. 1. num. 88. & ſequentib.*

Ratio eſt, quod ſint hæc loca iure communi ab omni grauamine, onereque libera.

Dubium tertium, *An Patronata beneficia, ſine Patroni conſenſu reſignari poſſint, & vniri.*

In ordinarij, hoc eſt Epiſcopi manibus non poſſe, communis eſt Canoniſtarum opinio: Innocent. in *cap. final. de renunciat.* Panorm. *in cap. ſignificatum de præbend.* Lambert. *de iure patron. lib. 3. q. 5. principali art. 5.* Felin. *in cap. ſi Bertoldus de re iudic.*

Tuetur ſe hæc opinio hac ratione. Quæ beneficia iuris ſunt Patronatus laicorum, aut Eccleſiaſtici, hæc conferri ab Ordinario nequeunt niſi præſentatis à Patrono, fidem facit is qui Patrum in Lateran. Concilio factum ea de re decretum non ignorabat, Innoc. III. in decretali. *In Lateranenſi 31. de præbend.* in hæc verba. *Statuentes quatenus in Eccleſiis, quæ ad ipſos pleno iure non pertinent, iuxta eiuſdem Concilij ſtatuta, Epiſcopis Presbyteros inſtituendos repræſentent quos vel conuerſatio notos reddit, vel commendat probabile teſtimonium prælatorum.* Sed eſſe ſine collatione reſignatio firma, rataque non poteſt, vt dicetur poſtea: ergo nec ſine Patroni aſſenſu, ac probatione.

Dixi *in manibus Epiſcopi, aut Ordinarij,* quia alieno iuri derogare, aut illud infringere, in Epiſcoporum eſſe iure quis putet? de Romano Pontifice, ſentire quid oporteat, explicabitur poſtea.

A quo etſi vniri beneficia inuicem, Patrono incõſulto extra Galliam non repugnet, modo fiat expreſſa patronatus laicorũ mentio, quia per vnionem ius præſentandi tollitur, quod non licet, Sanch. *lib. 2. conſil. cap. 3. dub. 56.* non eſt id tamen Epiſcopo tentandum temerè, facta enim eius auctoritate vnio ſine Patrono, eius conſenſu ac conſilio, eſt nulla,

Ratio me vna in hanc impellit mentem. Nemper quod vnio non vocatis vocandis facta, ſit ipſo iure nulla, eo quod actus, cuius forma iure præſcripta omittitur, ſtabilitate careat, *cap. cum dilecta de reſcriptis lege cum hi parag. ſi prætor digeſt. de tranſact.* at præcipit Pontifex cum de vnione agitur, vt eſt in regula Cancellariæ de vnionib. eos vocari quorum intereſt, aliter vnioni vim fore nullam: ergo cum intereſt Patronorum, beneficia, quibus exædificandis dedere operam, aliis non coniungi (quia ea vnione, præſentandi ad illa iure excident,) eos vocari, ac aſſenſum dare futuræ vnioni eſt neceſſe: Caſſador. *de iure patronat. deciſione 3.* Pariſius *conſil. 128.* Rebuff. *in praxi benef. de vnionib. Gloſſa vndecima num. 6.*

Quid ſi redituum quos dotandæ Eccleſiæ patronus attribuit, partem Epiſcopus applicandam loco Religioſo, Patrono tamen ante non rogato detrahat? quicquid exiſtiment alij, in eorum abeo ſententiam qui id Epiſcopum poſſe negant, ea inducti cauſa, quod fidelium erga Eccleſiam reſtinguere beneficentiam, deque ſanctorum religionibus bene merendi voluntatem reprimere, Epiſcopum non deceat, quod tamen faceret, ſi quæ illi certis addicta Eccleſiis eſſe voluere ad Dei cultum, & ſuſtentationem miniſtrorum, alio ſine eorum conſenſu deflecteret, indeque moniales aut religioſos alendos, crederet.

Dubium quartum, *An tempus quod eſt Patronis ad præſentandum iure præſtitutum, computari à momento ad momentum debeat.*

Certum eſt primo, Patronis Eccleſiaſticis aliquanto plus moræ, ac temporis, ad præſentandum indulgeri à canone, quam Laïcis, cum illi ſemeſtre integrum habeant, hi intra menſes quatuor fungi officio, ac de idoneis prouidere vacanti beneficio debeant. Bonifacii VIII. decreto in *cap. vnico de iure patron. in 6. parag. verum licet,* Alexand. III. *in cap. cum te 22.* Innoc. III. *in decret. cum propter 27. extra eod. tit.*

Certum 2. menſes non omnes, pari dierum conſtare numero, cum eorum quidam, diebus tantum 30. triginta & vno contineant alii: quæritur hic ergo, an ſeni menſes, quibus ſemeſtre conſtatur, triginta & vno diebus conſtare debeant, an contra ſit ſatis, eos vt occurrunt, in cauſa præſenti ſpectari.

Dico primò, *Vt iure præſentandi ſibi per leges Eccleſiæ conceſſo, Patronus excidat, ſic officio deeſſe ſuo in hac parte debet, vt toto eo tempore, quod eſt ad hanc rem integrum, neminem Ordinario inſtituendum nominet.*

Cauſa eſt, quod quæ culpæ puniendæ decreta eſt per canones iuris in aliquo priuatio, hæc incurri non ſoleat, niſi cum eſt id, cuius cauſa infligitur, in eſſe culpæ, completum ac perfectum: at id non accidit, niſi toto exacto tempore, intra quod, Eccleſiæ vacanti patronũ conſulere de miniſtro voluere Pontifices, nec fecit tamen: vere ergo eſt dictum, Patronum iure præſentandi non priuari, niſi poſt elapſum culpa ſua ſpatium, quod eſt ei ad hanc rem canonibus conceſſum.

Dico ſecundò, *Menſes computandos eſſe, vt à die vacationis, aut ſcientiæ de ea, occurrunt in Calendario.*

Ratio eſt, quod iura ſemeſtre tantum, aut quadrimeſtre nominent, idque non interruptum: ergo vt eſt menſibus ſibi continua ſerie ſuccedentibus compoſitum, ita & diebus nec pluribus nec paucioribus, quam iis Romanum attribuit Calendarium.

Secundo, cum lex diſponit, aut ſtatutum exprimit, à quo die menſis incipit, tunc menſis, ſecundum quod occurrit in Calendario capitur. Exempli cauſa, cum dicitur, infra tres menſes, à die vacantis Epiſcopatus, electio fiat, fiet huic trimeſtri initium ab eo die, qui proximè Epiſcopi mortem eſt ſequutus, & claudetur in 3. ſequẽti menſe, cum ad eũ ventũ erit, qui ei reſpondet in numero, quo Epiſcopatus vacare cœpit: ergo cum diem lex canonica definiat, quo quadrimeſtre Patroni Laïci incipit, nempe à die notitiæ de vacante beneficio habitę, ab eo vſque ad alium quarti menſis, qui numero ei reſpondeat, quadrimeſtre eſt ſumendum, quando tamen annus eſt biſſextilis, in quo proinde Februarius vno die augetur, de menſibus conſequentibus, dies vnus eſt demendus, vt ſic fiat compenſatio, & ita quantum ei vna ex parte accreſcit, tantum decreſcit, ex altera.

Dico tertiò, *Horam de momento ad momentum attendendam eſſe.*

Ratio eſt, quod ſemeſtre non ſit completum, ſi vel vna hora deſit: ergo ab hora ad alteram, deque momento ad momentum, computari ſemeſtre eſt neceſſe, ſic vt finiatur non in hora illam pręcedenti qua vacauit Eccleſia, licet ſit eiuſdem diei, ſecundum Lambert. de *iure patronat. lib. 2 par. 2. q. 1. art. 14* Rochum eod. *tract. verbo honorificum q. 51.* ſed initio eius, quę ei in qua vacauit Eccleſia, numero reſpondet: Exempli cauſa, Calendis Ianuarij, hoc eſt primo eius die, hora ante meridiem decima, moritur Parochus, eiuſque morte (vt patet,) ius ſe Patroni Laïci ad alium, qui ei in Parochi munere ſubrogetur, eligendum aperit, non claudi niſi finita, exactaque Aprilis ſubſequentis hora nona diei primæ eiuſdem. vt credam perſuadet hæc ratio, quod ante id tempus, aut verius temporis momentum, non dicatur quadrimeſtre completum ac integrum.

Dubium quintum, *an Patronus ius ſuum amittat, quando præſentatus ſuperiori ſe ac Ordinario*

Ordinario non ſtetit, aut factæ de ſe præſentationi non conſenſit aut poſt conſenſum et renunciauit.

Dico primò, *Patronum ius ſuum præſentandi amittere, ſi ſe nominatus ordinario non præſentet, intra tempus à iure præſtitutum.*

Ratio eſt, quod præſentare, non ſit tantum inſtituendum deſignare animo, ſed cum vere offerre ordinario.

At ne Patrono ius ſuum pereat, exigunt decreta Pontificum, vt tempore ab iis præfixo nominet, ergo etiam vt nominatus actu ſe præſentet.

Dico ſecundo, *Patrono fas eſſe alium eligere, ſi nominatus præſentationi de ſe ab eo factæ conſenſum non dedit.*

Ratio eſt, quod ei præſentandi ius ac poteſtas non eripitur, niſi in pœnam culpæ, quam admittit non præſentando in tempore, at eius eſt expers, cum Patronus præſentationi de ſe factæ conſentire renuit, aut acceptæ renunciat: ergo &c.

Confir. cum terminus, hoc eſt tempus alicui actioni præſcribitur, intra quod fieri eam oportet, ſub aliqua pœna eam facere negligenti impoſita, ſatis eſt ad pœnam vitandam, eam exerceri, etſi non ſortiatur effectum: facit id Patronus cum nominat, ſed non acceptantem nominationis beneficium, aut ei remittentem nuncium: ergo à pœna negligenti præſentare impoſita eſt liber: ergo eius loco aliũ ſubrogare poterit, quem ordinarius inſtituat, Bonifac. VIII. hæc eſt opinio de *elect. in 6. ca. ſi electio 26. his verbis. Si electio ex eo non ſortiatur effectum, quia electus conſentire recuſat, vel poſt conſenſum renunciat iuri ſuo, aut forte diem claudit extremum, ſeu propter occultum eius vitium irritatur, electores (quia iam fecerant quod ſpectabat ad ipſos intra iuris terminum eligendo.) habebunt à diſſenſu, renunciatione, morte vel irritatione prædictis, ac ſi vacatio noua eſſet, tempus integrum ad electionem aliam celebrandam.*

Patet ex dictis, Patrono Eccleſiaſtico, etſi variare nequeat, tamen fas eſſe iterum præſentare, ſi præſentationis actus non fuit perfectus, vt ſi præſentatus eſt abſens, ſi ignotus, ſi quanquam notus, tamen non acceptauit, vel ſi eſt præſens, & non acceptauit, vel ſi præſentatio non fuit oblata collatori Ordinario, vel facta eſt per literas, quæ ei non ſunt redditę, quia in his omnibus euentibus, præſentatio perfecta non fuit: ergo de nouo à Patrono illam iterari nihil repugnat.

Patet 2. cum culpa ſola ſua, Patronus ius patronatus amittat, præſentare iteratò poſſe, cum Ordinario aliquem obtulit, quem bona fide credebat dignũ, quia tunc Patronus non eſt in culpa, pœna ergo eum carere

A eſt neceſſe, quæ præſentanti indignum, aut non offerenti ſtato tempore eſt propoſita, cuiuſmodi eſt repetitæ nominationis priuatio.

Dubium ſextum, *An variare Patrono ſit licitum.*

Reſpondend. cum diſtinctione, vel enim eſt de ſæculari ac Laïco quæſtio, vel de Eccleſiaſtico: ſi primo modo proponitur, reſpondebit Alex. III. in decret. cũ autem 24. *de iure, cum aduocatus Clericum idoneum Epiſcopo præſentauit, & poſtulauit poſtmodum eo non refutato, alium æque idoneum in eadem Eccleſia admitti, quis eorum alteri præferatur, iudicio Epiſcopi eſt relinquendum*, hinc enim ſequitur, variare Laïcum patronum poſſe, ſed in iure Epiſcopi eſſe, eligerę quem volet, è duobus præſentatis.

B Sequitur 2. id Eccleſiaſtico patrono non licere.

Primo, quia exceptio in non exceptis, firmat regulam: ergo cum laicis variare ſit permiſſum, erit id Eccleſiaſticis prohibitum.

Secundo cum Eccleſiaſticis, ſpatii plus ac temporis detur, ad cuiuſque diſcutienda merita, eoſque in primis conſtantia deceat, ab

C ea autem perſonæ maieſtate, quam in Chriſtiana Rep. ſuſtinent, abhorreat, eos ſurſdéque verti, modoque in hanc, modo in aliam ſe partem dare, æquum fuit, eos cum variant, ſuntque in electionis ſuæ modo inſtabiles, iure eligendi ſecundi excidere, idque ad Epiſcopum deuolui ac redire.

Poteſt tamen Patronus Eccleſiaſticus, plures ei offerre, vt ex his vnum aliquem, omniumque maxime iudicio ſuo idoneum eligat, quia vt hoc ei per ſe facere eſt permiſſum, ita & per Epiſcopum, quem, illius in hoc negotio vices agere, quid vetat?

D Quid ſi plures ſunt Patroni, quorum vnus ſit Laicus. Eccleſiaſticus alter?

Reſpondend. iſti variare in præſentatione non eſſe liberum, eo quod, ſit hoc illi, canonica lege prohibitum, quæ de Laico cum non afferat, eius cum Eccleſiaſtico coniunctio, ſibi conceſſo per canones priuilegio, de variatione in præſentando idoneo, obeſſe non poterit, alioqui coniunctio ſui cum Eccleſiaſtico ei damnoſa foret, quod non decet.

E Præſentato tamen ſecundo loco à ſolo Laico, ea variatio non proderit, ſi primus, amborum hoc eſt, Eccleſiaſtici & Laici ſuffragiis electus fuit.

Ratio eſt, quod è præſentatis, inſtitui is ab Epiſcopo debeat, qui meritis iuuatur maioribus, pluriumque ſuffragiis ac vocibus. Quid ſi Laici patroni plures erunt, quam Eccleſiaſtici, & varient Laici?

Quod de vno dixit Alex. III. *in cap. cum autẽ 24. de iure patr.* hoc de pluribus ſentire conuenit tũ ſcilicet in Epiſcopi poteſtate eſſe, quem

de præſentatis volet, in Eccleſiæ vacantis puppi locare.

Quid ſi Laicus dignum quidem Epiſcopo offerat, quem ille tamen ſine cauſa reprobet, vt ſecundo loco præſentatum admittat?

Reſpondet Innocent. III. in decretali *paſtoralis 29. de iure quod inſtitutio præſentati ſecundo loco, à laico patrono, robur obtinet firmitatis*, ſic tamen vt Epiſcopus qui præſentatum idoneum, *malitioſe recuſauit admittere, ad prouidendum eidem in competenti beneficio compellatur*, Aluynus *de poteſt. Abb. cap. 15.* ipſeque Alexand. III. *in cap. quod autem 5. eius tituli* innuit, interrogatus enim ecquid ſi idoneus ad vacantem Eccleſiam præſentatus, non ſit ab Epiſcopo admiſſus, ſit autem alius ſimiliter idoneus, & ſecundo loco præſentatus, ab eodem in poſſeſſionem corporalem inductus, hunc præferri alteri oporteat.

Reſpondit dubium non eſſe, *quin in tali caſu conditio poſſidentis quam non poſſidentis*, ſit melior, maxime cum a Patrono dari beneficium nó queat, ſitque ius præſentati, tantum per præſentationem inchoatum,

Dubium ſeptimum, *Ius patronatus amitti quomodo ſoleat.*

Iure præſentandi Patroni & Patronæ excidunt, cum illud ſeparatim vendunt, aut in aliquem illud transferre contra canonicas ſanctiones præſumunt, *ſi ſecus fecerint, excommunicationis & interdicti pœnis ſubijciantur, & dicto iure patronatus ipſo iure priuati exiſtant*, Trident. *ſeſſ. 25. cap. 9.*

Secundo, cum tam ſua quam aliena manu, Rectorem, aut iuris ſui patronatus Clericum interimunt: Abbas in *cap. in quibuſdam de pœnis*, Aluynus *de poteſt. Abbatum cap. 15.*

Tertio, eo quoque priuati cenſentur eſſe per hæreſim, aut crimen læſæ maieſtatis, Aluynus loco qui ſupra.

Quarto, cum indignum inſtituendum Epiſcopo offerunt, nam tunc pro ea vice iure præſentandi excidere, & ad ordinarium hoc deuolui, ſcribit Greg. X. in *cap. perpetuo 7. de elect. in 6.* quod de Patronis tam Laicis quam Eccleſiaſticis intelligendum Panorm. credit in *cap. cum vos ext. de offic. ordinar.* alij vero vt Iacob de Graff. *deciſion. par. 2. cap. 26. num. 13.* & Aluynus ſupra de ſolo Eccleſiaſtico capiendum docent.

Dubium octauum, *An ius patronatus vendi poſſit, aut permutari?*

Vendi non poſſe docent Pontifex & Concil. ille quidem in *cap. de iure 16. de iure patronat.*

Ratio eſt; quod *cum ſpirituali ſit annexum*, eius venditio ſit Simoniaca, ac conſequenter irrita, *cap. de iure citato*, mens concilij eadem *ſeſſ. 25. cap. 9. verſu Nec dictum ius.*

Permutari tamen cum re alia poteſt, dummodo ſpirituali, puta cum alio iure patronatus

A & non alio, Aluyn. *de poteſtat. Abbat. cap. 15. num. 3.*

Ratio eſt, quod vt habet Clem. III. *cap. ad quæſtiones 6. de rer. permutat.* Parœciæ ad inuicem permutari valeant, eo quod ambæ ſint ſpiritales: ergo & ius patronatus cum alio, quandoquidem vtriuſque eadem eſt natura, ac ratio.

B
EPITOME TRACTATVS *de iure Patronatus ex Canonibus ac Pontificum Decretis.*

CAPVT I.

Quid ſit ius Patronatus.

EST ius Patronatus, ius honorificum, oneroſum, vtile, alicui competens in Eccleſia, cum Epiſcopi conſenſu, eſt *honorificum*, quia Patrono debetur in Eccleſia patronata, ius primæ ſedis, in proceſſionibus locus honoratior, *cap. nobis 25. de iure.* Eſt *oneroſum*, quia ei incumbit dare operam, ne quid detrimenti Eccleſia, cui ad Dei gloriam dedit initium, improborum audacia capiat, ne quis eius bona, opeſque inuadat, ne acquiſita diſſipet ac perdat *16. q. 7. can. filiis 31.* Eſt inſuper *vtile*, quia cum difficultate rei domeſticæ Patronus premitur, cum inopia laborat ac angitur, ex Eccleſiæ patronatæ fundis ac prouentibus ſumere ei tantũ eſt permiſſum, quantum ſubleuandæ familiæ ſit ſatis, *cap. nobis 25. parag. fin. de iure patronatus, & 16. q. 7. can. quicunque 30.* vbi ex Concil. Tolet. *4. can. 37.* ei permittitur, tantum de Eccleſia patronata eiuſque rebus tollere, quantum ſuperandæ inopiæ tam ſuæ, quam filiorum eſt neceſſe. *Quicunque*, inquit canon, *fidelium deuotione propria de facultatibus ſuis aliquid Eccleſiæ contulerint, ſi forte ipſi, aut filij eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Eccleſia ſuffragium vitæ pro temporis vſu percipiant.*

C
D
E

CAP. 2. *Quomodo acquiratur.*

Acquiritur *fundatione ſeu conſtructione Eccleſiæ cum adſenſu Epiſcopi*, decreto Clem. III. in *decret. nobis 25. de iure.* Quia cũ multos bene mereri de Eccleſia deceat, fidelium ad id animos excitari quam reſtingui præſtat, ſit id vero vtrumque, cum eorum aduerſus Eccleſiam charitas, tam honore quam patroni nomine, ad noua ſubinde eidem exhibenda dona acuitur, acquirendi ergo iuris Patronorum proprij cauſa iuſta, eſt alicuius Eccleſiæ in ſolo proprio fundatio.

Acquiritur

Acquiritur inſuper ius hoc Patronatus *dotatione Eccleſiæ 16. q. 7. cum filijs 31. Clem. 1. de iure Patron.* vel eius tranſlatione cum bonorum vniuerſitate, aut eius ſaltem domus, vel caſtri, in quo eſt Papæ aut Epiſcopi licẽtia ſacra domus erecta, *cap. cũ ſeculũ de iure Patron.*

Donatione inſuper acquiritur, nempe cum Eccleſia in alicuius ſe clientelam tradit, aut in bonorum ſuorum conſortium, virum aliquem nobilem ea lege aduocat, vt ſe contra vim hoſtium defendat, cui pacto ſeu ſocietati inter Eccleſiam & aſcitum ad tutelam ſui, Pariagij nomen eſt ab antiquis inditum, ac à Regibus Ducibuſque olim, cum Epiſcopis, ac Cathethedralium Eccleſiarum aut Cœnobiorum capitulis, frequentari ſolitum, à Philippo quidem Pulchro Francorum Rege cum Anicienſi Velaunorum à Carolo VII. cum Tholoſano, à Campaniæ Comite cum Lexouienſi Cœnobio, anno 1263. ab Othone Comite item Campaniæ cum Rhemenſi Eccleſia, ea conditione tamen, vt quam ipſi iniuriam ac moleſtias filius Odalricus Tricaſſium Comes inferebat, propulſaret, anno 1025.

Infertur primo, vnius, eiuſdemque Eccleſiæ, patronos plures eſſe poſſe, nam vnus Eccleſiæ conſtruendæ ſolum dare poteſt, vt colligitur ex *can. decernimus 16. cauſa q. 7.* Alter eam ædificare *16. q. 7. can. Monaſterium,* dotare tertius, id eſt annuos ad luminaria, ac miniſtrorum alimoniam reditus idoneos ac ſufficientes dare *16. q. 7. can. filiis 31.* vnde verſus, *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.*

Infertur ſecundo, non modo qui altare, hoc eſt Capellam, aut Eccleſiam maiorem, quæ matrici ſit ſubiecta ad populi vtilitatem ac commodum, cum Epiſcopi conſenſu ædificat, Patronum effici, ſed & Parochum, hoc eſt matricis, ſeu maioris Eccleſiæ Rectorem, ideoque ad vtrumque pertinere, Presbyteri præſentationem pro minori ſeu filiali Eccleſia, ſi matrix de ſuis prouentibus, certos ſibi detrahi eſt paſſa, qui in minoris bonum cederent, ita Alexand. *in cap. ad audientiam 3 de Eccleſiis ædificandis*: cum enim quereretur Epiſc. Eboracenſ. de nimia Eccleſiæ à paganorum domibus diſtantia, peteretque ideo facultatem ſibi dari ædificandæ nouæ, quò Parœciani ſacri audiendi cauſa, diebus feſtis frequentes confluerent, reſpondit id ſe vehementer probare, *& vt in ea ſacerdotem ad præſentationem rectoris Eccleſiæ maioris, cum canonico fundatoris aſſenſu inſtitueret, ad ſuſtentationem ſuam, eiuſdem villæ obuentiones Eccleſiaſticas percepturum.*

Infertur tertio, cum eiuſdem Eccleſiæ patroni eſſe plures poſſint, non eſſe neceſſe, vt æqualia ſint omnium in illam merita, nam ſæpe fundus minoris valet quam quæ ſubſtructiones in eo ſunt factæ, nec niſi raro quæ vni A Eccleſiæ dantur dotis nomine, his ſunt æqualia, quæ ad eam extruendam impendi ſolent.

Infertur quarto, cum conſecrari ſine dote Eccleſia non debeat, *cap. cum ſicut de conſecrat. Eccl.* cogi ab Epiſcopo Patronum poſſe, vt Eccleſiæ cuius ſe Aduocatum iactat, ea ſuppeditet quæ ad neceſſaria miniſtrorum ſtipendia, & luminaria ſufficiant (inquit) Gloſſa canonis *quicunque 30. cauſa 16. q. 7.*

Infertur quinto, ius patronatus, ſeu aduocatiam Eccleſiæ, emi non poſſe, *cap. qui Clerici de iure, cap. querelam de Simonia.* & qui vendit, B capitale crimen admittit, *q. 1. can. qui ſtudet.*

Ratio eſt, quod quæ ſunt natura ſua, aut antecedenter ſpiritualia, hæc diſtrahi nequeant ſine culpa, at eſt ius patronatus eiuſmodi vt poſtea probabitur: ergo, &c.

Vendi tamen acceſſorie poteſt cum vniuerſitate bonorum aut ſolo cui inhæret. P. Gregor. *partition. iuris lib. 3. tit. 14. cap. 5. litera F. in ſcholiis.*

CAP. 3. *Quæ ſint iura Patroni, & quotuplicia.*

Eccleſiæ autem patronatæ ſine præſenta- C tione patroni præfici nemo licite poteſt ac valide *16. q. 5. can. 1. parag. ædificatori vero.* Item *ead. cauſa q. 7. can. quicunque parag. finali can. decernimus can. Monaſterium, verſu liceat, cap. illud autem 8. de iure*, vbi habetur quod *ſi aliquis ſine præſentatione fratrum eius loci, cui ius patronatus collatum erat, in ipſa Eccleſia fuerit inſtructus, eius ſecundum rigorem iuris inſtitutionem irritandam eſſe*, cui Alexandri Papæ decreto ſunt hæc quam ſimillima, quæ ſcripta reperies in *cap. ex inſinuatione 14. cap. nobis 25. parag. cæterum verſu ſecus tamen eod. titulo.* D Eſſet hæc tamen præſentatio irrita, ſi foret de beneficio non vacante, Alexand. III. teſtimonio in *cap. illud 8. de iure patr.* ſicut & promiſſio, quod vbi vacauerit certus quiſpiam Clericus ad illud Epiſcopo inſtituendus præſentabitur, Laym. *lib. 4. cap. 12. num. 8.*

Sunt & alia Patroni iura numero tria: primum quod Eccleſiam tueri debeat *16. qu. 7. can. filijs*, & in *cap. decernimus*, ſignatè dicitur quod quandiu fundatores Eccleſiarum quod *quandiu fundatores Eccleſiarum in hac vita ſuperſtites extiterint, pro eiſdem locis curam per-* E *mittuntur habere ſolicitam*, hoc eſt vt Eccleſiæ reditus ad alios non traducantur vſus, quam quorum cauſa, miniſtris ſunt à fundatore attributi. Item, id vt laborent, officio ne miniſtri ſuo deſint, in procuratione mentium, in pſalmodia, ac recitatione horarum.

Ius Patronorum alterum eſt in eo, quod ſibi honorem in ſeſſionibus ac proceſſionibus publicis præcipuum vendicent, *cap. nobis 25. de iure.*

Poſtremum, quod ad vitam tam ſuam quam liberorum, debeant neceſſariis iuuari

commeatibus ab Eccleſia, cui dedere initium, dotem ad ſtipendia miniſtrorum, pro beneficij ac perſonæ qualitate, *cap. à nobis 25. citato.*

Infertur primo, Patrono, ad petenda vitæ ſubſidia ab Eccleſia, cuius eſt velut auctor ac parens, actionem in externo foro competere: ratio eſt, quod permiſſo fine, ſint etiam media illi conſequendo opportuna, licita, vt eſt Patrono, cui ſors aduerſa opes, ac commoda abſtulit, naturæ iure ac canonico conceſſum, Eccleſiæ, cuius eſt fundator, ſubſidium in afflictis ſuis implorare temporibus: ergo ſi negabitur, iuſta eſt ei futura cauſa appellandi iudicis, vt quod ſponte non facit Eccleſia, eius auctoritate vel inuita tribuat.

Infertur ſecundo, præter honorem primæ ſeſſionis in templo, cæteraque de quibus actū eſt in hac regula, ac honorantias, vt loquuntur, exigere Patronum obſequia ab Eccleſia, aut exactiones pecuniarias non poſſe, quia cum ius patronatus ſit ſpirituale, emi aut vēdi nequit, venderetur autem ſi Eccleſia pro fundata, dotata aut ædificata Eccleſia, quotannis patrono pendere quid deberet.

Patrono tamen cum Epiſcopi conſenſu fas eſt in fundatione Eccleſiæ onus idē aliquod imponere, moderatum tamen, & quod eius reditus minime exhauriat, vt quod pauperem vnum aut plures de tali familia, aliquanta, leui tamen pecuniæ ſumma dignabitur, Laymannus *cap. 13. tract. 2. de benefic.* quia vt abſolutè ſua dare cuique eſt permiſſum, ita & eorum partem cum conditione quæ non ſit mala.

Infertur tertio, inter iura honorifica quæ in ſe vtilitatem habent ac obedientiam, ius imponendorum inſignium & armorum in parietibus & feneſtris numerandum videri, ius item cingendi templi vitta lugubri vel atrato panno, quæ Galli litras nominant à litura, quippe quæ non ſemper expunctionem ſignificet (inquit Fabric *de quibuſdā alys iuribus litera B. in commentar.*) ſed inſuper rei mollis alteri ſolidæ factam inductionem Bacqueto teſte *cap. 20. n. 26.*

CAP. 4. *An variare patrono liceat vbi aliquem præſentauit.*

Etſi autem in Patronatu Laïco, variare patronus poſſit, nō item in Eccleſiaſtico: neuter tamen præſentare indignum poteſt, eſt pars prima Pontific. decreto certiſſima in *cap. quod autem 5. de iure patron.* negat enim ibi Alexand. III. ab Eccleſia, ad quam eſt præſentatione Patroni Clericus inſtitutus, remouendum eſſe, etſi hic facti pœnitens, ſecundum Epiſcopo inſtituendum obtulerit: variare ergo Patrono laico non eſt prohibitum, nec Epiſcopo eorum alterum tanquam magis idoneum præferre.

Præſentatus autem à patrono Eccleſiaſtico, ſi eſt idoneus, eſt ab Epiſcopo recipiendus, *cap. ſignificaſti 18. de iure patron.* ſecundo autē eidem à Patrono oblatus, reiiciendus Lucij Papæ 3. teſtimonio *in cap. cum autem 24. eod. tit.* his verbis. *Cum autem Collegium vel Eccleſiaſtica perſona præſentationem habet, qui prior eſt tempore, iure potior videtur*, quod in Laico ſimiliter locum non habet, quia *ſi idoneum præſentauerit, poſtmodum eo non refutato, alium æque idoneum admitti in eadem Eccleſia poſtulauerit, quis eorum alteri præferatur iudicio Epiſcopi eſt relinquendum, cap. cū autem 24. de iure patron.* quod ſi indignum præſentet, iubendus eſt præſentare alium, Clericus autem cui patronatus competit, ei ſimilem, hoc eſt indignum Epiſcopo offerens, priuatur ea vice iure præſentandi, & ius inſtituendi deuoluitur ad Epiſcopum, vt docent Sylu. *in verbo ius patronatus q. 7.* & Gloſſa *cap. cum vos de offic. ordinar.* nominatim autem Clem. in *decret. ſicut nobis 2. de ſupplenda neglig. prælat.* nam niſi ad Eccleſias vacantes patroni *perſonas idoneas præſentauerint, ex tunc Epiſcopo vult licere adpellatione remota, in eiſdem ordinare, qui eis prodeſſe nouerint, & præeſſe.*

Cum autem patroni ſunt plures, ſinguli alternis præſentare poſſunt vicibus, vt eſt in *Clem. plures 2. parag. & vt facilius de iure patronat.* ac ſi in præſentando, eos diſſentire à ſeſe mutuo contigerit, partis maioris ſententia, anteferenda erit minori, *cap. quoniam 3. de iure, ſi autem eſſe hoc, ſine ſcandalo nequiuerit, ordinabit Antiſtes Eccleſiam, ſicut melius eam ſecundum Deum viderit ordinandam*, ibid. hoc eſt de multis eum duntaxat eliget, qui placuerit, *cap. quoniam 3. parag. ſi autem de iure patronat.* quod ſi ex patronis pluribus diem ſuum obiiſſet eorum alter, pluribus tamen hæredibus relictis, tunc plures iſtos, pro vno cenſeri opus erit, *Clement. plures 2. de iure patron.*

CAP. 5. *Patrono quid ſit iure canonico illicitum.*

Patrono vero non ſunt hæc quæ ſequuntur iure canonico permiſſa, primum præſentare Epiſcopo aliquem elapſo præſtituto ad id tempore, quod eſt pro Laïcis quatuor menſium, ſex pro Eccleſiaſticis, *cap. vnica parag. verum licet de iure patronatus in 6.* niſi forte de eo iure lis ſit mota, & hæc intra tempus præſentationi conſtitutum, finita non eſſet, *cap. quoniam 3. parag. fin. parag. ſi vere 12. cap. eam te 22. & cap. cum propter 27. de iure patron.*

Secundo non eſt in Patroni iure ſeipſum Epiſcopo inſtituendum dare, nec filios ſuos, *cap. per tuas 26. cap. conſuluit 15. de iure patron.*

Tertio, Patrono temporale quidpiam exigere à præſentato non licet, niſi quod in ipſa fundatione de conſenſu Epiſcopi conſtat eſſe Eccleſiæ impoſitum, *cap. preterea 23. de*

de iure patronat. cap. ſicut 2. de ſupplenda Prælatorum neglig.

Quarto, præſentatum inſtituere in Eccleſia, aut eundem ab ea amouere Patrono non licet, *cap præterea 4. cap. quod autem 5. parag. finali cap. querimoniam 9. cap. cum laici 10. cap. ſuggeſtum 20. de iure patronat.* multo minus ei eſt illæſa conſcientia permiſſum, bona adminiſtrare Eccleſiæ ratione patronatus, *cap præterea 4. verſu poſſeſſionem, & cauſa* 10. *q.* 1. *can. ſic quidem, & canone nouerint.*

Quinto ſi Collatori Clericum offerat, ea conditione tacita, vel expreſſa, vt beneficium transferatur in alterum, vel vt prouiſus fructus illius, vel ad vtilitatem, vel arbitrium collatoris vel decedentis, aut alterius transferat, vel penſionem illi, vel illis, quem, *vel quos collator, vel cedens, vel alius voluerit, perſoluat*, Simoniam confidentialem admittit. Pius V. in Bulla quæ incipit *Romanum Pontificem 85.*

CAP. 6. *Patroni iura quoad beneficia ab eo dependentia, eorumque ceſſionem quæ ſunt, & qualia.*

Patrono tamen ea per canones, Eccleſiæque decreta exhibetur reuerentia, vt beneficia quæ ei vt Patrono ſunt obnoxia, ſine eius conſenſu reſignari nequeant, *cap. dilecti 15. de renunt.* Couar. in *cap. 26. practicar. 45. num. 9.* quia Patronorum intereſt id dare operam, ne beneficiati ſua beneficia iis ſpretis dimittant *cap. cum & plantare de priuilegiis*, & in *cap. in Lateranenſi. 31.* prohibentur Monachi, *inſtitutos remouere Epiſcopis inconſultis.*

Quid? quod non deceat, beneficiis quemquam præfici, qui cum Patrono ſimultates exerceat, aut ei ſit ingratus, ſic enim minus in Eccleſiam propenſi multi forent, ſi crederent aut putarent, Eccleſias ſe his exuere, quarum reditibus in ſuam aliquando perniciem ſunt abuſuri.

Ob eam cauſam, ſine eiuſdem Patroni conſenſu, permutari beneficia Patronata nequeunt: Felinus in *cap. cum acceſſiſſent de conſtitut.*

Facta eo inſcio, aut repugnante reſignatio beneficii, aut eiuſdem permutatio, etſi non ſit nulla, ipſo iure, Flamin. *de reſig. lib. 2. q. 4.* reſcindi tamen poteſt eo poſtulante, vel quolibet alio: Rochus in *tract. iuris patron. verbo honorificum num. 8.* dixere tamen aliqui contrarium, proindeque reſignante fatis functo, vacare beneficium per eius obitũ. Roch. *ſupra ver. honorificum q. 2.* quia cum nulla fuerit reſignatio, ius beneficiario irreuocabile acquiri non potuit: mihi tamen iſta opinio, priore minus videtur probabilis. Sequũtur eã nihilominus in praxi Doctores Itali, vt refert Paris. *lib. & q. citatis num. 15. & 23.* eſtque tenenda omnibus;

A quando reſignatio cum modo, ac conditione *nec alteri nec alias, nec aliter* de Patroni voluntate ac conſenſu cuidam eſt facta, tunc enim ſi eo inconſulto, ac neſciente ceditur alteri, ceſſio non tenet, ob repugnantem Patroni voluntatem qui eam fieri alteri quàm deſignato, additione modi, *nec alteri nec alias* prohibet.

Valeret tamen ſi iuri Patronatus derogaret Pontifex, quia cum ſit bonorum Eccleſiæ diſpenſator, & Dominus, *can. cuncta per*
B *mundum 9. q. 1.* non videtur hæc eius poteſtas in iſtorũ bonorũ vſu, ad Patronorũ cõſenſũ reſtricta eſſe, non valeret tamen derogatio iuris Patronatus laïcorum, niſi de ea expreſſe in literis beneficii collatiuis cõſtaret; nec ſufficeret in iis dicere, etiamſi ad alicuius præſentationem ſeu collationem ſpectet, quæ verba tamen, ſola in derogatione iuris Clericorum appoſita, aut abſque iis nuda ſimplexque beneficii per Papam collatio, ad eius validitatem eſt ſatis.

C

QVÆSTIO XIII.

Explicantur iuris Patronatus Laici affectiones in Gallia.

IVris huiuſmodi proprietas prima, eſt in eo, quod ei derogare Pont. nõ ſoleat: teſtes libri teſtes ſcriptores cuiuſquemodi Romani, Galli, & Hiſpani Flamin. Pariſius *li. 2. de reſignat. q. 9. n. 2.* Couarr. *practicarum q. tom. 2. cap. 36. n. 3.* Rebuff. *in tract. nomina. q. 15. nu. 2.* Carol. Pariſienſis *in regulam Cancellariæ de infirm. reſignantibus num. 32.* vt enim notare me ſupra memini, poteſt iure communi Pontifex quæ patronis iure ſunt per-
D miſſa pro auctoritate abrogare, aut his ne vtantur, hic & nunc, nolle: Gloſſa *in Clementinam 2. verbo Apoſtolicis de præbendis*, Archidiaconus *in can. Piæ mentis 16. q. 7.* Lambertinus *in tract. de iure Patronatus lib. 3. parte 3. q. 9. art. 2.* Paponius *trium notariorum lib. 2. tit. de deuolutionibus*, Panormitanus *in Cap. cum dilectus de iure.* & Scholiaſtes ſanctionis pragmaticæ *in eius proœmio*, Leſſius, *de beneficiis cap. 34. dub. 9. n. 35.* quia beneficia quælibet in manu ſunt Pontificis, maxime Romæ vacantia, *cap. licet 3. de*
E *præbendis in 6.* & in Clement. vt lite pendente, quam nulli ergo dubium eſſe poteſt Pontificem non requiſito Patroni conſenſu beneficium ad quod iſti nominare conuenit, conferre poſſe? dum modo tamen illius iuri cum confertur, ſpecialiter deroget, & expreſſe, quod tamen (quæ eius eſt ſingularis humanitas) in Regni beneficiis ſibi faciendum non exiſtimat, quod ſibi in eo Gallica repugnare tribunalia videat, quod *ex conſuetudine Franciæ ſit receptum, vt etiam Papa hæc beneficia non conferat.* Rebuff.

de nominat. q.15.num. 2.& in praxi in 3. parte A *ſignaturæ verbo nec non iuris patronatus, in Francia conſuetudinaria* (inquit) *& in Normania, non ſolet Papa derogare iuri Patronatus Laicorum, nec eius derogatio recipitur conſuetudine*, ſunt his quam ſimillima quæ à Flamin. *li. 2. q. 4. n. 47.* ſunt ſcripta, *hoc* (inquit) *non procedit in iure Regum, cui non derogabitur, etiamſi dignitates, & beneficia vacent in curia, etiamſi ius patronatus pertineat ad Reges ex priuilegio, aut ex præſcriptione, quod Couar. cap. 36. practicar. qq. ſub numero 4. ampliat in iure patronatus Ducum, Marchionum & Comitum:* B *ego autem quoad ius Patronatus ſpectans ad Reges vidi ſeruari pluries, vt non derogetur, etiamſi vacet beneficium in curia & habetur in regula Cancell.* Alexand. VI. *ſub titulo derogat.* Hæc ille.

Idem Hiſpanis quoque in vſu eſſe, Couar. in *cap. 36. practicarum. num. 3.* ſcribit his verbis: *Apud Hiſpanos, minime derogationes iſtæ admittuntur, imo ſuprema Regis tribunalia, & qui regio nomine illic iuſtitiæ miniſterio præſũt, ſtatim Apoſtolicas literas examinantes, propter publicam vtilitatem, earum executionem ſuſpendunt, earundem vſum grauiſſimis pœnis & com-* C *minationibus interdicentes*, idem *& apud Gallos fieri compertum eſt.* Hæc ille.

Si tamen beneficia vacarent per Simoniam, vel deuolutionem, vel alio quopiam modo, qui poſſeſſorem legibus canonicis, beneficio indignum reddit, *in his caſibus derogatur iuri patronatus laicorum etiam Principum*, Rebuff. *ſupra num. 37.* Extra, eos, derogationi iuris iſtiuſmodi, locum non eſſe in regno notarunt Anonymus in *additionibus ad Paponium lib. 19. tit. 2. art. 3.* Fabricius de D Bleyns *in theoria tract. de pertinentibus ad Laicorum & ſimilium diſpoſitionem num. 41.* quanquam vt verum fatear, hic ſibi auctores non conſtant. Enimuero eſt beneficij patronati laïci, facta ei à Papa collatio, quem patronus non præſentauit, ex quorundam ſententia, Fabricij maxime *tract. de compluribus alijs beneficijs litera N.* & Paponij *lib. 3. tit. 9.* irritanda tantum, ſi eſt ea collatio neceſſaria, qualis eſt, facta ex cauſa permutationis, aut reſignationis in fauorem: nulla autem & irrita, ſi eſt voluntaria, cuiuſmodi eſt cenſenda E omnis quæ fit per obitum, aut ſimplicem reſignationem, quæ eſt etiam Guidonis Papæ opinio *q. 374. deciſion. Delphinat.*

Sed pace eorum ſit dictum, aut neutra eſt irrita, aut vtraque, quia tam in illa, id eſt neceſſaria, quam hac id eſt voluntaria, interuenit Papæ collatio, cum tam reſignatio in fauorem, quam permutatio non ſubſiſtant, niſi à Pontifice, ius reſignantis, in reſignatarium, permutantis in compermutantem, de reciproco vtriuſque conſenſu, transferatur: ergo vt hæc, ſic & illa, nulla eſt ipſo iure.

Ranchini tamen opinio eſt in quæſtionem citatam Guidonis. Quam & ego tenendam puto, collationem de beneficio factam irrequiſito patrono, non eſſe nullam niſi cum hic contradicit ac repugnat: quare ſi tacuerit, neque dixerit, *confirmabitur*, inquit, *ea permutatio per tacitum conſenſum, qui fit in non contradicendo*, quod ſi conſentire nollet, & eſſet talis permutatio Eccleſiæ vtilis, poſſet cogi ad conſentiendum, Rebuff. *in ſua praxi titulo de permutat. num. 21.*

Secũdo, eſt hoc regni priuilegium, vt beneficium in Curia vacans ſi eſt Patronatus regii, irrequiſito conſenſu Principis, Papa conferre non ſoleat, Ioan. Andreas in *cap. 2. de præbendis lib. 2.* Lambertinus *de iure patronatus lib. 1. parte 3. q. 9. art. 11.* Rebuffus in *praxi beneficiali in 3. parte ſignaturæ num. 37.* vbi id ait, in regula haberi Cancellariæ Alexandri VI. *ſub tit. de reſignationibus iuris patron.* Quod nonnulli extendendum exiſtimant, ad ius patronatus Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, vt expreſſe annotauit Flaminius loco proxime citato, & cum illo Couar. *cap. 36. num. 4.* his verbis: *Quod obtinet in his beneficijs, quorum collatio ex priuilegio, ad Reges pertinet, quæ quidem regalia dicuntur, & ea non confert Papa etiamſi in curia vacauerint.*

Quod dixit hic auctor de beneficiis Hiſpaniæ, quæ dicuntur regalia, ſeu ſub eorum comprehenſa iure, dixere quoque de noſtratibus Ioan. de Selua in *tract. de benefic. 2. parte q. 23.* Rebuff. *de nomination. q. 15. num. 9.* imo & idem erit ſi hæc beneficia pertinent ad collationem, aut præſentationem Ducum, Marchionum, aut Comitum, ex *reg. 40. Cancellariæ*, Rebuff. ſunt hæc verba. *Beneficia quæ ſunt ſub iure regaliorum, non confert Papa, etiamſi vacent in curia, & iſtam declarationem habuit Rex anno 1339. vt dicit D. Ruzæus in tract. de iure patronat. priuil. 2.*

Eſt & altera huius iuris affectio in Gallia, nempe facere, ne reclamante patrono, aut non conſentiente, penſio imponi vlla queat ſuper beneficio, tam quod eſt regiæ nominationis, quam iuris patronatus Laici, de Bleyns in *Theoria beneficiorum tract. de penſitatione beneficiali num. 38.* Forgetus *tract. de penſitationibus num. 5. & ſequentibus*, Choppinus *lib. 2. de domanio tit. 10. num. 15. & lib. 3. de ſacra politia tit. 2. nu. 15.* Cenſuit quoque Innoc. Pontificiarum legum interpres, in ceſſione ſacerdotii electiui, neceſſario Regis conſenſum, tanquam Patroni, poſtulandum eſſe *cap. vlt. de renunciat.* cui ſuffragatur Panor. in *cap. ſignificatum de præb.* quod Pontificiis repugnare legibus, authores ſunt quotquot ſcripſere de ſacris penſitationibus, Gigas *tract. de penſitationibus q. 23.* Reginald. & Leſſ. nam eſt id videndum tantum Pontifici, in conferendo ſacro magiſtratu, ne Patroni iura lædat,

dat, at non violat, cum ei ad beneficium libe-
ra relinquitur nominatio, quod accidit, etiam-
ſi pars fructuum eius aliqua certo ſit homini,
penſionis affecta nomine.

Dixi iuris Patronatus Laïci, quia in Gallia
quanquam non implorato Patroni Eccleſia-
ſtici conſenſu, poteſt Pontifex, penſionis
onus iis beneficiis ad quæ nominare illi eſt
cõceſſum imponere: vno verbo quidlibet eo
non aſſentiente audere, ac proinde ex eorum
fructibus tantum detrahere, quantum eſt ad
penſionem alicui concedendam neceſſe, de
quo eſt, Senatus Rothomagenſis iudicium,
anno 1547. expreſſum ſententia, tum ea de re
reddita apud Fabricium de penſitatione *num.*
38. litera y. ſed de hac re pluribus poſtea cum
de penſionibus.

Eſt hoc quoque iuris Patronatus Laicorum
ſpeciale priuilegium, in Francia, vt benefi-
cium Patronatus Laici vniri alteri, tam regu-
lari, quam ſæculari, Patrono improbante ne-
queat, Papon. *lib. 3. tit. 8. arreſto* 2. Fabricius
tract. de manualibus vnitiſque beneficiis num. 26
litera N. eius enim deficiente aſſenſu, vnio-
nes infirmatas non paucas refert Charondas
ad Briſſon. *lib 1. tit. 8. num.* 3. in quo ordina-
riorum derogari iuri, nemo non intelligit,
cum beneficia ex cauſa coniungere, nectere-
que ſibi inuicem valeant, vt colligitur ex *can.*
Sanctorum 2. diſt. 70. vbi capellæ quædam di-
cuntur maiori eſſe Eccleſiæ ſubditæ, quod eſſe
ſine vnione non poteſt, cum vna Eccleſia in
aliam ius non habeat.

Confirmat idipſum Rebuffus multis aliis
teſtimoniis, *parte 1. praxis tract. de vnionibus*
beneficiorum, indicatque praxis Gallôrum
præſulum, qui Parochiales duas, publicis ar-
morum tumultibus fractas, ad fidelium com-
modum in vnam redigunt, quod cum accidit,
quæ propriæ erant vnius ex dictis Parochiis
prærogatiuæ, communicatione rerum inter
ſe mutua, fiunt ei cum altera communes, ex
Rebuffo ſupra *num. 11.*

Et quanquam eſſent hæc falſa reſpectu E-
piſcopi, quẽ beneficium vnum vnire alteri
non poſſe abſque eius conſenſu, qui ius ha-
bet illud conferendi, aut ad illud eligendi,
ac præſentandi, docent Lambert. *de iure pa-*
tronatus lib. 3. q. 6. art. 2. Abbas & alij, *in cap.*
cum acceſſiſſent de conſtitutionibus, vera tamen
forent in Papa, cuius authoritate vniri poſſe
beneficia, maximè extra Galliam, & Hiſpa-
niam, communis eſt opinio, à qua ſtat Co-
uar. *cap. 36. practicarum num. 11.* cur autem in
Gallia patrono diſſentiente, eius Eccleſia al-
teri non patronatæ, vniri à Pontifice ne-
queat, cauſam hanc eſſe reor, quod alienæ
non illigatum eſſe voluntati, ac ſenſui, be-
neficium ſit non tenue. At quæ Eccleſia pa-
tronata erat, hæc coniunctione ſui cum alia
item patronata, conferri non poteſt niſi præ-

A ſentato ab vtroque Patrono coniunctim:
quod ſi non patronatæ vnitur, hæc iuris pa-
tronatus eſſe deſinit; quod ſine noxa, pa-
tronique detrimẽto, eſſe nõ poteſt, ergo ſi hic
renuat, talis beneficiorũ inter ſe vnio nõ fiet.

Quarto, & hoc eſt in patroni Laïci bonis
numerandũ, quod ad beneficia quæ ſunt ſui
iuris nominari graduatus nequeat in Gallia.
Nec enim decet, Patroni Laïci poteſtatẽ re-
ſtringi, aut eum à præſentando homine idó-
neo, ac ſibi grato, impediri: vt tamen fieret, ſi
beneficia ſui iuris, eſſent graduatis per no-
minationem affecta.

B Sanè in beneficiis graduato debitis, ea
tantum numerari Leo voluit, quæ ad præ-
ſentationem patroni Eccleſiaſtici pertinent,
concordata §. *præfati tit. de collationibus,* vt
enim eſt ius eius fundatum in bonis Eccle-
ſiæ, ab iiſque ortum, non autem Patroni laï-
ci, cauſa Pontifici iuſta ſubeſt, de patronatu
Eccleſiaſticorum diſponendi potius, quam
de laico.

Ob eandẽ cauſam, beneficia quæ iuris ſunt
C patronatus Laïcòrũ tantũ, mãdato Apoſto-
lico affici nequeũt, Ruzæus *tract. de mãdatis*
Apoſtol. 2. parte, Rebuff. *de nominat. q. 15. n. 3.*
vel Laicorum & Clericorum ſimul, nam il-
lorum priuilegio hi gaudent, cũ coniunctim
cũ laïcis aliquem Epiſcopo inſtituendum
offerunt; Sanſon *in conſuetud. Turonen. in*
rubrica des ſucceſſions des roturiers artic. 4.

Cauſa eſt, quod laicum coniunctione ſui
cum Clericis, deterioris eſſe conditionis non
oporteat, quam ſi ſolus nominaret.

Quinto, etſi iurium vniuerſitas cum fun-
D do tranſmitti ad emptorem contractu domi-
nii tranſlatitio ſoleat, non nuda conſtitutio-
ne pignorum, vt eſt ſupra oſtenſum, non ta-
men Patronatus regii, quia licet cum fundo,
fructus ſoli, ad emptorem tranſeant, qui
etiam Iuriſperitorum opinione ac ſenſu, eos
ſuos facit, non tamen ius deſignandi, offe-
rẽdique Epiſcopo ſacerdotis eſt in fructu, iudi-
cio Immolæ in *cap. vlt. de conceſſ. præb.* quæ-
cunque enim quotannis non renaſcuntur,
non habentur in fructu, nec quaſi fructus,
fundum augent, Rochi teſtimonio *in tract.*
iuris patron. in verbo ipſe, vel is à quo cauſam
habet, fuit hæc cauſa, cur cum olim fiſci, di-
E tionſique regiarum emptores, licere ſibi cũ
crederent præſentare Regis nomine ad ſa-
cerdotia, eius obire vices in conferendis ma-
giſtratibus tam ſacris quam profanis, ſeuere
ſit illis, in conſtitutione Bleſenſi *art. 333.* pro-
hibitum ne hoc ſibi arrogarent in poſterum:
Ne pourront neantmoins leſdits acquereurs, fai-
re exercer la iuſtice en leurs noms, ny pretendre
aucun droict de prouiſion de benefices, ou offices
depndans deſdites terres.

Regij dixi, nam cũ à priuato quopiã nobili,
caſtrum quis emit, cui ius eſt Patronatus an-

nexum, ei nominandi ad præfecturus Eccleſiaſticas facultas eſt eadem, quæ venditoris ei at propria cum vacabant, quod vt dixi, regii fiſci ac fundorum emptori, facere legibus regni, Gallicique fori diſciplina non licet, legibus quidem, eo quod ꝰ Bleſenſi officia, muniaque publica, à Rege transferri in priuatum de vulgo emptorem non debere, ſit cautum his verbis: *Es alienations & delaiſſemens des terres de noſtre domaine à quelque tiltre que ce ſoit, ne pourra par cy-apres eſtre fait par nous ny par nos ſucceſſeurs Rois aucune ceſſion des droicts de nomination.*

Itaque quod de Rege Angliæ dicitur, in *lib. prærogatiuarum eius cap. 15. quod quando Dominus Rex dat vel concedit alicui manerium vel terram cum pertinentiis, niſi faciat in charta ſua, vel ſcripto mentionem de feudis & aduocationibus Eccleſiarum, Rex reſeruat ſibi eadem feoda, aduocationes, &c.* hoc de Rege Franciæ intellectum ſcriptores Galli volunt, niſi conſuetudo, regnique vſus ſecus ſentire ſuadeant, vt iudicare conuenit, cum de fiduciariis ſtirpis regiæ Principibus panagiariis agitur, ad quos ius pertinere deſignandi ſacerdotis, ad beneficia ſibi Panagii nomine à Rege data, præterquam in Nortmannia, ſcriptores noſtri aſſerunt.

Dixi præterquam *in Normannia* nec enim quæ Principi panagiario Rex literis ſuis, iura in Eccleſias indulget, ad ea ſe extendunt ac porrigunt, quæ Regi vt Nortmanniæ Duci competunt, niſi de his expreſſe in prædictis literis cautum foret, vti factum à Ludou. XI. hiſtoriæ referunt, cum Ducis iura vna cum Normannici Ducatus ceſſione, tanquam patrimonialia, in Carolum fratrem tranſtulit, ſic enim in eius fiduciæ codicillis, ab eo tum eſt cautum, & his verbis: *Fratri noſtro, & hæredibus maſculis deſcendentibus ex ſuo corpore, & maſculis maſculorum quandiu extabunt ex legitimo matrimonio, concedimus pro omni iure apennagii, noſtrum ducatum Normanniæ cum omnibus pertinentiis, vrbibus caſtris, &c. collationibus præſentationibus & patronatibus beneficiorum Gardia, nobili foragys, &c.*

Sexto, cum inter priuatos, de patronatus iure ambigitur, eo quod ad quem amborum, nominationem hic & nunc exercere pertineat, non ſit planum, lite pendente de vacantis templi patronatu, Rex interea, defuncto antiquo eius poſſeſſori, ſucceſſorem nominat, vt ſcribit Probus *q.* 30. & Terrienus *lib. 5. cap. 17. commentar. in leges Normannicas.*

Septimo, & hoc quoque Regi ratione iuris patronatus, competere fori Gallici moderatores ac arbitri memorant, vt cœnobiis milites alendos offerat, qui propter accepta in bellis vulnera, artificio, manuumque opera,

A neceſſaria ſibi vitæ ſubſidia quærere nequeunt, ſic Choppin. *lib. 3. de ſacra polit. tit. 4. num. 22. Regius inquit patronatus, vſquequaque iuris coniectura & opinione, in Monaſticas ædes præſertim, niſi quæ priuatorum opibus excitata euidenter oſtendantur, vt propterea, veterano pauperi, qui Monaſterio fuerat oblatus à Principe, ſummatim addicta ſint alimenta, in Monaſticum de cultura apud Cœnomanos Antiſtitem, quouſque Cœnobium à priuatis extructum probaretur apertiſſimis documentis, vindicaria Pariſ. curia ſententia 17. Februar. 1550.* Hæc ille.

B Iure hoc tamen non vti Regem in collatiuis Prioratibus, qui non ſunt fundationis Regiæ, Ducalis, vel Comitum, habetur in conſtitutione regia *anni 1568.* nec ſimiliter exerceri in Monaſteria Cluniacenſis ordinis, Cœleſtinorum, Carthuſianorum, & Benedictinorum D. Illidii Aruernorum, praxis ipſa indicat.

Ab eo quoque ſunt onere exempta Monalium cœnobia, quod in rebus odioſis Monaſterii nomine non intelligantur earum C domus, *cap. Monaſteria, de vita & honeſt. Clericor.* poſſe tamen iis offerri à Principe Virginem, ſicut cœnobitis maribus virum, decreuit Senatus Patrum æuo quod modo tamen ob iuſtas cauſas non eſt in vſu.

Secundo, nec iſti ſubiacent oneri cœnobia quorum reditus annui mille & ducentos aureos non excedunt, vt à Carolo nono conſtitutum fuiſſe ſcribit Chenut. *titulo 1. cap. 8.* eodem quoque oblati recipiendi onere, non teneri Cluniacenſes declarauit idem Carolus edicto ſpeciali 28. *Oct. anni 1568.* vt ſcribit D Bleyanus *in tract. de variis Clericorum ſtipend. numero 36. lit. Z. ad marg.* ſi quæ cœnobia incolebant, ab eorum Abbatibus vel priuatis fundata eſſent, non à Rege, Duce aut Comite, quibus Rex ipſe eorumque iuri ſucceſſiſſet.

Tertio, ab oblati receptione eximuntur regularia beneficia, quæ curam animarum annexam habent, quod ſacerdotia quæ regulæ ſunt ſubiecta, mentiumque curationi coniuncta, vt ſunt Auguſtinianæ familiæ, fere omnia, inſtar ſint Parœcialis Eccleſiæ, quam veterano milite, eoque bellis, ac plagis feſſo, grauari non conuenit.

E Octauo, habet Patronus Laïcus in Gallia, vt præueniri ab vllo collatore nequeat, Maynard. in *in lib. 8. qu. 43.* Fabricius *in tract. de pertinent ad Laicorum & alior. ſimil. diſpoſ. nu. 41.* Anonymus *in addit. ad Papon. lib. 19. arreſto 3.* ſolaque Patroni Eccleſiaſtici præuentio recipitur in foro, cum derogationis expreſſione, quæ tamen nō eſt iure communi neceſſaria, auctore Fabric. ſupra, ſi tamen hic aliquem Epiſcopo inſtituendum præſentaſſet, præuentioni nullus locus foret, Louetus *in litera P. art. 25.*

Praxis fori Gallici circa ius nominandi ad beneficia tam conſiſtorialia, quam alia, quæ ſunt curata, aut ſimplicia, & quibus competat?

NOminandi ad ſacras Eccleſiæ præfecturas, facultatem habere Franciæ Regem tam eſt certum, quam eſt planum non-niſi eo patrono ac nominatore, Epiſcopos ac Abbates à Papa, cum auctoritate illis gubernandis inſtitui. Rex Francorum, inquit Baldus, *in proœmio decret. & in cap. quando de iudiciis & in cap. generali 13. de elect. cuſtos eſt omnium regni ſui Catholicarum Eccleſiarum.* Lupus Ferrar: *epiſt. 81. Non eſt Nouitium aut temerarium (inquit) quod ex palatio honoratioribus Eccleſiis rex procurat Antiſtites.*

Senſus idem Bernardi Iuonis & Fulberti vt taceam alios, vt Aufrer. in *deciſ q. 57.* Rebuff. *to. 3. tract. 3. de cauſis beneficior. poſſeſſ. art. 1. gl. vnic. num. 15. & 16.* Charondam *lib. 1. Pandect. iuris cap. 17.* Papon. *lib. 3. notarior. cap. de Regal.* Rober. *lib. 3. rer. iudicatar. cap. 1.* Ragueau *in indice iurium regal. fol. 47.* Guen. *in annotat. ad cap. 29. lib. 1. praxis ciuilis Imbertianæ litera N.*

Atque vt de minoribus Eccleſiis omittã dicere, quæ rerum ſuarum, ſuique, Regem eſſe voluere patronum ac tutorem, vt collegiata L. Frambaldi apud Syluanectum, Cathedralis Gabalitanorum in Gallia Narbon. negari non debet, quin Regum olim in Regni Epiſcopatibus tribuendis, quibus optarent, auctoritas ſumma eſſet. *Data præceptione* (inquit Gregor. Turon. *lib. 4. cap. 15.*) *poſt B. Martinum ſanctus Euphronius ordinatus eſt,* à Theodorico Rege, S. Quintianus eſt iuſſus ad Claromontanæ Eccleſiæ gubernacula ſedere Gregor. Turon. *lib 4. cap. 7.* Lotharii autem Regis beneficentia, Laudunenſem Epiſcopatum adeptus eſt Adelbero Flodoardus in Chronico.

Quid? quod à Rege Roberto, Franco Eccleſiæ Pariſienſi Epiſcopus eſt datus? Fulbert. *epiſt. 88.* Quod in *epiſt. 8.* idem Fulbert. tradat quendam *dono Regis, approbatione Romani Pontificis, per manum Metropol. Senonenſis,* Epiſcopum factum eſſe? quo in genere illuſtre eſt, quod ab Iuone Carnotenſi graui homine, memoriæ eſt proditum, in *epiſt.* 65. ad Lugdunenſ. Archiepiſcop. ſanctæ Sedis tum Legatum, poſt canonicam electionem, *Reges ipſos Apoſtolica auctoritate à conceſſione Epiſcopatuum prohibitos non videri,* qua actione etſi nihil *ſpirituale Reges dare intendant, ſed tantum aut votis petentium annuere, aut villas Eccleſiaſticas, aut alia bona exteriora quæ de munificentia Regum obtinent, ipſis electis concedere,* Iuo *epiſt. 55.* dare ſe tamen

A Epiſcopatus quibus vellent, vt ipſi aiebant, ita & credebant eorum ſubditi.

Sanè Germanos Imperatores tribuiſſe id ſibi quondam conſtat, ne electus Pontifex ſacrari poſſet, priuſquam ab illis Regalia per ſceptrum accepiſſet, Leone Papa id non modo permittente, ſed iubente, *diſt. 63. can. in Synodo 23. niſi,* inquit, *à ſupra dicto rege* (Othone ſcilicet) *laudetur & inueſtiatur, non conſecretur.* Ius idem conceſſum eſſe à Calixto II. Henrico V. Imperat. refert Anſelm. Gemblac. Abbas à quo B *electum recipere regalia per ſceptrum* voluit, diuque fuit cum noui Præſules Franci, à Regibus ſcipionem ſacrum aſſumerent annulumque paſtoralem, quam Eccleſiaſticæ dignitatis *veſtituram*, iuſque regium Francici vocabant, vt ante diximus, cum de electione ſermo eſſet.

Equidem de ſe refert Iuo Carnotenſ. *epiſtola 2. cum virga paſtorali à Rege ſibi intruſa ad Eccleſiam Carnotenſem,* per Clericos deductum eſſe; Gaufridum autem à ſede Apoſtolica damnatum, *virgam paſtoralem reddidiſſe & annulum.* Id ibid. quod ergo Germanis, priſ-C cis illis ſæculis erat in more, Galli ſibi Reges ſeruandum exiſtimabant, vt electos, beneficiis ad quæ vocabantur, per virgam & annulum inueſtirent, aut ipſis auctoritate qua ſe ad id præditos putabant, Pontificatus, conferebant: ſic enim Lupus Ferrarienſ. in *epiſt. 81.* ad Amulum Lugdun. Epiſcop. *Non eſt,* inquit, *nouitium aut temerarium, quod ex palatio honorabilioribus Eccleſiis rex procurat Antiſtites. Nam Pipinus à quo Rex noſter ducit originem, expoſita neceſſitate huius regni Zachariæ Romano Papæ, in Synodo cui martyr Bonifacius* D *interfuit, eius accepit conſenſum, vt acerbitati temporum, induſtria ſibi probatiſſimorum, decedentibus Epiſcopis mederetur.*

Dantur quidem & hoc tempore Epiſcopatus, ſed dignis, ſed bene de Eccleſia meritis à Pontifice, nominante Rege, minora vero his beneficia, ab Epiſcopis & Abbatibus, ad Indultariorum & Academicorum poſtulata, enimuero vbi de iis beneficiis aliquod, ad quæ ſe ipſi Papæ indulgentia ac voluntate offerre queunt, poſſeſſore eſt vacuum, illud ſibi ab Ordinariis demandari poſtulant, quæ eorum nominatio, quia inſtar habet iuris patronatus, E de eâ pauca quædam hic dicere eſt animus, ducto ab Indultariis exordio.

QVÆSTIO XIV.

Quid ſit Indultum.

EST Indultum expectatiua gratia ad vacatura beneficia: duplex eſt, Papale & Regium, datur illud Cardinalibus, Cancellario, & Senatoribus Pariſ. Curiæ alterum, inter vtrumque diſcrimina intercedunt plurima, potiſſimum eſt, quód regium, vt ſit ratum, firmumque, à Senatu non ſit néceſſario probandum, doceri autem de Papali debeat: ita conceſſum Carolo Cardinali à Lotharingia promulgatum narrant in Curia.

Ortum autem habent indulta omnia à Romani Pontificis indulgentia. Eorum primus auctor, ac concedendorum Princeps, fuiſſe Ioan. XXIII. dicitur, annoque Pontificatus ſui tertio, Chriſti Seruatoris 1412. conceſſiſſe Carolo VI. *Pro gentibus tenentibus ſuum Parlamentum regium Pariſiis, pro ſtatu & honore S. Matris Eccleſiæ, & ſuæ ſanctitatis, gratias ad beneficia expectatiuas*, tum à ſe quam liberis, fratribus, aut nepotibus poſſidenda, Chopp. *de polit. lib.1. titulo 5. nu. 16. ad marg.* Eius donum paucis poſt annis, in gratiam Senatus Pictaui tum verſantis, Caroli VII. flexus prece, confirmauit Eugen. IV. anno 1434. Nouiſſime hoc eſt anno 1538. Paul. III. Ab eius ac præceſſorum in Regem & Conſiliarios indulgentia, factum eſt eiuſmodi gratiis Indulti nomen, de quo ſic cum de Clemente VII. & Caroli VI. ad eum inuiſendum ſuſcepto Auenionem itinere, loquens Froiſſartus hæc habet. *Au ioyeux aduenement du Roy, le Pape fit grace ouuerte à tous Clercs eſtans en Cour, & un mois à venir, & donna nominations au Roy ſur tous les Colleges Cathedraux & autres Collegiaux, & reſerua toutes graces en deuans faites, & voulut que les graces du Roy precedaſſent:* quæ quomodo intelligi oporteat, quæque ad Indulti vim & effectum conditionem ſint neceſſariæ, explicabitur aliquot dubiis.

Dubium primum, *Ad beneficia ex indulto conſequenda, nominare ſe Ordinarij collatoribus qui poſſunt?*

Curiæ Principes, (quos communiter Præſides appellant) conſcripti omnes, tres Actuarij, Amanuenſes quatuor, quique ſunt Regi à libellis, & ampliſſimi huius Ordinis partem conſtituunt non vltimam. Indicant è Pauli tertij diplomate Pontificio, petitæ hæ voces. *Pro eo quod Cancellarius, Præſidentes, Conſiliarij & perſona curiæ huiuſmodi, &c.* his enim (vt patet) in conceſſi à ſe beneficij communionem omnes ac ſingulos venire vult, qui in Curiam ſunt aſciti, Regique, ac regno, iugem ac perpetuam in Senatu nauant operam: ergo cum id agant omnes, de quibus facta eſt

A proxime mentio, ſoleantque libellorum ſupplicum magiſtri, ſecundum Præſides, & Antiſtites, honoratiore ſedere loco in Curia, ſunt hi in eorum cogendi claſſem, qui à Rege, euſque Cancellario, ad beneficia ab Ordinariis obtinenda, cum vacant, offerri poſſunt.

Dubium ſecundum, *An Graduati Indultarijs, an contra, hi illis præferri debeant.*

Quæſtionis eſt hic ſenſus, vtrum Ordinarius, qui in ſacerdotiorum collatione aſtrictus eſt Senatoribus & Academicis, hos Galli
B Regis candidatis & miniſtris anteferre, in beneficiorum diſtributione cum vacant, poſſit ac debeat.

Qui Academicis fauendum credunt, his eos argumentis tueri ſolēt. Eos enim aiunt totos ſe iuuentuti dedere, in ea inſtituenda, ætatem vireſque ponere, pactitia Concordatorum lege, Franciſcum inter & Leonem, ad ſacerdotia ius ſibi eſſe, hanc à quoquam de Ordinariis ſolui non poſſe.

Qui contra ſentiunt, Indultarios (aiunt) Graduatis antiquiores eſſe, illis ab Eugenio IV. conceſſa indulta eſſe, anno 1434. Gra-
C duatis in Concil. Later. ſub Leone X.

Quid? quod ſunt expectatiuæ hæ gratiæ: quas indulta nominant, Indultariis cum ea honoris prærogatiua tributæ, vt mandatariis anteferri quibuſlibet, in beneficiorum aſſecutione debeant, exceptis Apoſtolicis, qua de prærogatiua, eiuſque exceptione, ſic Paulus III. in Pontificio ſuo diplomate. *Nos huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, literas Eugenij cum omnibus ſuis clauſulis, etiam ad hoc, vt Cancellario, & conſiliarijs, de beneficiis prouideri poſſit, ita tamen quod mandatariis noſtris præiudicium non afferatur, approbamus, confir-*
D *mamus & innouamus*, cedere ergo Indultariis Graduatos oportet, tam Pauli & Eugenij lege, quam Franciſci primi, anno 39. promulgata, receptaque in Curia, Rebuffo teſte *in Conſilijs conſil. 6.* Tourneto *verbo Indultum num. 19.*

Dubium tertium, *Ad quæ beneficia, & quoties nominari à Rege Senator queat.*

Ad Eccleſiaſtica ſecularia, vel Regularia Ordinis Cluniacenſis, ſecularia quidem, *quæ*
E *ad omnium Epiſcoporum, Abbatum & Capitulorum, ac aliorum Ordinariorum collatorum dicti Regni collationes & diſpoſitiones, pertinent,* Paul. III. in Bulla.

Id tamen facere ſæpius, quam ſemel, in vita nominandi, aut collatoris Ordinarij, nefas, Paulo id his verbis prohibente, *ad eiuſdem Caroli Regis nominationem, vni ex eiſdem collatoribus ordinarijs de perſona eiuſmodi faciendam, de vno beneficio ſeculari, vel cuiuſuis, etiam Cluniacenſis Ordinis regulari, ſemel in illorum nominandorum, & ordinarij collatoris vita duntaxat, per eundem ordinarium prouideri*

ri deberet Apoſtolica auctoritate conceſſerit.

Obiicies, at Clem. eius nominis ſeptimus, Carolo ſexto cum illum honoris cauſa comitantibus regni aulicis ac proceribus Auenionem anno 1389 conuenit, xeniorum nomine impertiit, vt in ſingulis Eccleſiis, præbendas ſibi binas haberet, ac ei ſenatores nominare totidem fas foret. Sic enim Froiſſartus illorum temporum ſpectator ac ſcriptor: *Donna nominations au Roy ſur tous Colleges Cathedraux & autres Collegiaux, & ſur chacun College deux preuuendes d'expectation.*

B Reſpondendum primo, vt non fuit hic Pontifex ad Petri ſedem euectus legitime, hoc eſt Spiritu ſancto regente ac præſidente, nec proinde pro vero ſit ac legitimo habendus Pontifice, ita nec collata ab eo Regi priuilegia, potuere eſſe canonica, & ita eo ceſſante hæc ceſſaſſe.

Dicendum 2. quod etſi fuiſſent tum rata, ex noſtris tamen forique moribus, per Pauli diploma, tempore longe priori poſterius, ſublata eſſe, & ita Præſides, quique illis ad conſilium aſſident, ſæpius quàm ſemel in vita tam ſua, quàm collatoris ordinarij ad beneficia ſæcularia, aut Regularia Cluniacenſis Ordinis vi Indulti ſui, nominari non poſſe.

C Dubium quartum, *An in ſacerdotiorum collatione, Indultarijs regijs aſtringi Cardinales poſſint.*

Dubitandi cauſa vnica, nempe quod & ipſi à Pontifice indulta ſua habeant, quibus caueatur, ne in iis beneficiis quæ ad eorum ius pertinent, Ordinarij quidquam audeant, ex quo ſequi videtur, eos à Senatoribus, honeſte de eorum aliquo ſibi dando cum vacauerit, appellari aut adigi non poſſe.

D Dicendum tamen, dubij cauſam præciſam omnem eſſe tam Pontificia lege, quam regia de nominationibus ſacerdotalibus pro Conſiliariis Pariſienſis Curiæ, die Ianuar. 18. an. 1541. publicata & verificata vt loquuntur in magno Regis conſilio. Et quidem cauiſſe Regem in ea conſtitutione ſcimus vt Cardinales regiæ Senatorum nominationi forent obnoxij, non ſecus ac ordinarij, quique ab Academia ſcholaſtici iiſdem eſſent Cardinalibus commendati, Senatoribus cederent, beneficiaque niſi illis annuentibus non reciperent.

E Accedit ad hanc legem Principis, petita è Pontificio diplomate ratio, vult enim Paulus, Cancellario ac Senatorib. commendari beneficia, *ac illis, de eiſdem beneficijs per ordinarios collatores prouideri.* At de collatorum ſunt numero Cardinales, ſunt ergo vt Ordinarij cæteri, Senatorum nominationibus obnoxij; de quo extat Franciſci primi decretum in hæc verba: *Ordonnons auſsi que tous Cardinaux ayans prelatures ou autres benefices, ſoient ſubiets auſdits Indults & nominations, tout ainſi que les autres Prelats de noſtredit Royaume, n'ayans la dignité de Cardinal.*

Dubium ſextum, *An Senatorum Indultis beneficia omnia regni grauari poſſint.*

De Armorica duntaxat eſt dubium, contendentibus hinc & inde, pro vtraque parte Gallicis ſcriptoribus. Pro affirmante facit Carolus Pariſienſ. opinionis ſuæ præſidium non niſi vnum habet, nempe quod ſit Britannia pars regni, eique ante Pauli III. conſtitutionem, iure quam optimo annexa, quas ergo cæteræ eius prouinciæ leges ſubeunt, has ferre ac pati Britanniam eſt neceſſe. Sed quæ in iis beneficia regularia ſunt, aut ſæcularia, Regis ſunt voluntate Conſiliariis Pariſienſ. Curiæ non neganda, quando ea ſibi tempori conferri petunt, cum vacant, & ſunt ad ea nominati quando oportebat, certius hic ergo (inquit) eſſe in præſenti cauſa nihil poteſt; quam Indultariis ad Armoricæ ſacerdotia Regis nominatione patere aditum. Sane pro iis & ſecundum eos iudicaſſe magnum Conſilium referunt Carolus Pariſ. ſupra & Peleus in *actionib.*

Qui pro Brytonibus pugnant, aiunt primo, Eugenij Bulla nunquam fuiſſe comprehenſam Armoricam, ex quo inferunt eam quoque Paulina excluſam eſſe, cum hæc alterius ſit tantum approbatio. Antec. eſt certum, cum quo tempore Eugenio eſt viſum, Caroli precibus Cancellario & Lutetianis Senatoribus, ſi eorum capaces forent, beneficia indulgere, needum eſſet Britannia acquiſita Regi.

Conſeq. probatur, cum ſit Paulina conſtitutio Eugenianæ confirmatio, nullum illa beneficium Regi annuit, quod ei per Eugenium antea conceſſum non foret: alioqui debuiſſet exprimi. Ergo cum ab Eugenio, ius ac poteſtas Conſiliariis acquirendi in Armorica beneficij vi Indulti ſui non ſit facta, nec à Paulo iiſdem videtur data.

Quid? quod iiſdem eam legibus victuram Rex eſt pollicitus, quibus vtebatur antequam eius foret? quod his ad regnum conditionibus ſtipulante Principe ſit adiecta, ſua ei vt priuilegia conſtarent illibata ac integra, quo de numero cum ſit à Conſiliariorũ recipiendis indultis immunitas, eis non eſt aſtringenda hoc tempore. Eſt hæc opinio ſpeculatiue priore probabilior, quam defendunt Chop. *de ſacra polit. lib. 1. tit. 7.* Tournet. *verbo Indultum num. 27.* Sanè cum beneficia Armoricæ omnia, octo anni menſibus conferenda, ſibi Papa reſeruauerit, nempe *Aprili, Maio, Iulio, Auguſto, Octobri, Nouembri, Ianuario & Februario,* non eſt veriſimile, eo ſe iure in Senatorum gratiam priuare voluiſſe, Choppin. teſte loco citato.

Quid ſi nominari ſuper beneficiis Ordinario affectis Indultarii poſtulẽt, cuiuſmodi ſũt quæ

vacant in aliquo de his quatuor menſibus *Iunio, Septembri, Decembri & Martio*, niſi Ordinarius is foret, qui à loco beneficij ſui nunquàm abeſſet, nam tunc alternis cum Papa menſibus, conferendorum Sacerdotiorum ei ius eſſet.

Reſpondend. ne tunc quidem Indultarios, aut Graduatos nominatos ac ſimplices, ad vlla Armoricæ beneficia, in vim Indulti, aut nominationis Academicæ aſpirare poſſe, ait Bellordæus *lib.3.par.2.concluſionum.*

Primo, quia ſic Epiſcopis poteſtas à Pontif. conceſſa, alternis conferendi beneficia, foret eis inutilis, & ita ſpe deſtituti bene merendi de Clericis, eorum promotione ad ſacerdotia Eccleſiæ, in ſuis reſidere ſemper Epiſcopatibus animum niſi ægre inducerent, quo nihil illis eſſe poſſet acerbius.

Secundo, cum pactis ſuis ſtare quiſque Africani Concilij decreto debeat, vt habetur, *de pactis cap.1.* facere Regem non expedit, ne pollicitis ipſe ſuis fidem abrogaſſe videatur factis oppoſitis, ſed Regem fidem obligaſſe ſuam, ſcriptores Armorici narrant, de tuendis prouinciæ priuilegiis, quorum eſt hoc non vltimum, quo de agimus, à nominatione Regis, ac Academiæ ad beneficia vacantia immunitas: ergo, &c.

Tertio, ſunt ab ea eximenda beneficia quæ Patronum, aut collatorem Regem habent, qualia ſunt S. Quintini apud Viromanduos, Sacelli Palatini & Vicenarum ad Pariſios, cauſa huius rei eſt eadem, quæ eſt paulo ante cum de Pontif. ſermo foret: allata, nempe quod veri, nedum probabilitatis ſpeciem nullam habeat, voluiſſe Regem, vt quæ ſui ſunt iuris in rem ſuam Senatores ac Academici conuerterent, quæque ab eo beneficia mandanda ſunt idoneis, hæc ſibi illi in vim nominationis Academicæ, aut regiæ arrogarent.

Quarto, nominationi regiæ Senatorum non ſunt electiua beneficia obnoxia.

Quinto, non item dignitates poſt Epiſcopalem maiores.

Dubium ſeptimum, *Vt Indultario negari beneficium nequeat, ad quod eſt nominatus, facere eum quid ſit neceſſe.*

Primo, debet eorum inſcribi catalogo, quos Rex nominatione ſua ad beneficia regni deſtinat.

Secundo, de eo Actuarij (Graphierium barbari nominant) teſtimonium, manu ſignatum propria extare debet.

Tertio, nominationis ſuæ literas, regio obſignatas ſigillo, à Cancellario petit & recipit.

Quarto eaſdem ordinario communicat.

Quinto, communicatas in acta publica, Gallice *au Greffe*, eius Epiſcopatus referendas

A curat, in quo verſantur Epiſcopus & Abbas vel præcipuum eorum ſacerdotium, de quo ea beneficia pendent, quæ Indultarij ambiunt, ſibique cum vacant, dari poſcunt.

Sexto, cum Abbas abeſt, aut in Cœnobio latitat, vel comparere rogatus recuſat, & abnuit, Cœnobitis quantum fas erit coactis capitulariter, clare qui indulti poſſeſſor eſt, ſignificabit, ſibi à Rege, nominationis ad beneficia ex ſuo dependentia Cœnobio, literas datas eſſe, quarum etiam quoque
B exemplar in manus tradet, deque eo per Notarium, aut Actuarium, vt extet ad memoriam teſtimonium exaratum literis, pro auctoritate exiget.

Similiter, (quæ eſt conditio, ad Indulti validitatem neceſſaria numeroque ſeptima) id Indultarius laborabit, vt non niſi duobus præſentibus teſtibus, Ordinario aut Capitulo poſtulata ſua indicet, quorum tam nomina quàm Ordinarij, in acta Notarius referet.

Poſtremo vbi erit beneficium per beneficiarij obitum, poſſeſſore vacuum, illud, ſi
C viſum erit, ſibi demandari ab eo qui conferre poteſt, Indultarius exiget, petita ſi facere hic abnuet: tùm enimuero erit executorum ad eam rem interpellanda auctoritas omnium, vel alterius cuiuſpiam de illis, qui tres à Paulo codicillis ſuis ſingillatim ſunt dati, putà D. Maglorij Diuique Victoris Cœnobiarchæ, & Cancellarius Pariſienſ. Academiæ Conſtatque idem ſibi ius olim vſurpaſſe S. Genouefæ Abbatem, donaſſeque ſacerdotia, quaſi Paulino diplomate huic negotio præfectus foret, eiuſque collationes ex vulgari impetrantium vſu, à conſilio prætoriano ap-
D probatas eſſe, Renatus tradit *lib.1. de ſacra polit.tit.7.n.17.*

Dubium octauum, *An præuentioni Pontificiæ ſit locus, reſpectu indultarij, aut Academici nominati.*

Quæſtionis eſt hic ſenſus, vtrum ſit rata validaque eius beneficij collatio, ad quod per Regem, aut Academiam nominandos ſe duo curauerant, ſi illud prius eſt à Papa collatum alicui, quam fuerit ab eorum altero poſtulatũ.

Reſpondendum affirmatiue, cum Bleyano in *Theoria tract. de pertinentib. ad Laicorum & aliorum ſimilium diſpoſit. n.27.* Pelleo *lib.1. forenſ. actionum act.4.*

E Ratio eſt, quod antequam Indultarius aut Academicus dari ſibi beneficium poſtulent, ius ad illud nec in rem, nec in re habeant. Non in re, quia eius gaudere fructibus, ac percipere quaſi debitos nequeunt, niſi poſt factam ſibi de eo, per illum qui poteſt, collationem canonicam.

Non *in rem*, quia antequam dari ſibi illud cum vacat poſtulent, queri illud ipſum ſibi eripi, aut iniuriam fieri, facta eiuſdem collatione alteri, non poſſunt, maneat ergo Pontificem

tificem vacantia per obitum beneficia, quæ ſub iuis mandatis continentur, graduatis & nominatis vniuerſitatum, præuentionis iure conferre poſſe, *ante requiſitionem ſpecificam vacantium de illo certo corpore.*

Dubium nonum. *An dignitas Eccleſiæ, quæ eſt electiua quidem, ſed confirmatione non indiget eo quod eligendo conferatur, Senatorum indultis ſit ſubiecta.*

Fit beneficiorũ natura ratioque multiplex, de iis modo dicere eſt animus, ad quæ nõ niſi canonicorum communibus ſuffragiis aditus patet, ſuntque hæc in duplici differentia, quædam propriè ſunt talia, impropriè alia. quæ propriè ſunt electiua, ad complemẽtum iuris, ſuperioris Prælati confirmationem poſtulant, ſine qua habet electus ius ad rem ſolum, & nihil amplius. Electiua impropriè, ſunt quæ eligendo conferuntur, gallice *electifs collatifs*, nec confirmatiõne indigent, eiuſmodi ſunt Decanatus quidam in Gallia, vt Lemouicenſis, Syluanectenſis, &c. hoc ipſo enim, quod quis canonicorum calculis renuntiatur eo magiſtratu dignus, plena ei ab ipſis & integra ad eius functionem miniſterij, poteſtas datur.

Iam ergo dico, quæ beneficia non ſunt niſi impropriè electiua, indultis ſubeſſe Curiæ.

Ratio eſt, quod exceptio in non exceptis firmet regulam, ſed à beneficiis ad quæ nominari Conſiliarij nequeunt, ea duntaxat excluduntur, quæ propriè ſunt electiua, cuiuſmodi ea ſunt, tantum, in *quorum electionibus ſeruatur forma capitis quia propter de elect.* qualia non ſunt collatiua, in quibus non eſt confirmatio neceſſaria, Peleus *lib. 1. action. forenſ. art. 5.*

Dubium decimum, *An beneficia, quorum collatio ad Cardinales pertinet vi Indulti ſui, à Legato conferri queant.*

Non poſſe, vetus regni conſuetudo, variis approbata Curiæ præiudiciis indicat, nam cum Cardinali Lotharingo indulſiſſet Pontifex Paulus IV. anno 1530. vt ſolus ipſe ſui iuris muneriſue, ſacerdotia mandaret, hoc eius Indultum approbauit Curia pridie Idus Iulias anno 1534. Ne tamen Cardinalitiæ huiuſmodi collationes, elidi à Legato queant, res ad id duæ ſunt neceſſariæ: prima vt vere diplomatica Indulti poteſtate gaudeant, illudque, cum prodere iubebuntur, iubenti Curiæ patefaciant. Altera vt illud de eo Legatum commonefaciant: ita cum anno 1534. Cardinalis Borbonii indultum, ſupremæ fuiſſet regni Curiæ exhibitum, vt ab ea vim aliquam ſuffragio ſi minus ſuo, at certe approbatione caperet, eam quidem, ſed ea moderatione legeque habuit, ſi Legato innoteſceret: quare non niſi ex die quo denuntiatũ Legato fuerat, vim ei vllam ac momentum accedere, Curiæ pla-

A cuit quod & ipſa declarauit anno 1536. cum Tholoſani Archiepiſc. indulto, collationis factæ aut faciendæ per ordinarium vires elidi non poſſe reſpondit, niſi eodem præſcripto, eidemque ſignificato iuridice.

Dubium vndecimum, *Quoties, & quando, beneficio nominationis ſibi ad Sacerdotia Eccleſiaſtica à Pontifice conceſſo, Indultariis vti eſt permiſſum.*

Semel tantum, & nõ ſæpius, Ordinarios de cõferẽdo ſibi beneficio vrgere eſt Indultariis, licitum, quare vbi nacti erunt de iis aliquod, quæ Ordinariorum diſpenſationi ſubiacent,
B eo contenti eſſe debent, nec vltra aliud quærere. Inſinuandi autem iuris ſui ac Indulti, eſt hoc tempus opportunum præ cæteris, cum Prælatura poſſeſſoris ſui legitimi, verique obitu vacare, eique nouus à Pontifice ſubrogari incipit, nam cum plures ſacerdotiorum quæ ſui ſunt iuris competitores, vnus idemque Ordinarius non recipiat, ſi quando poſtulandi ab eo beneficii, vi Indulti iuſtum eſt tempus, certè tùm maximè, cum Prælaturæ gubernacula capeſſit.

C Excipiuntur Caſæ Benedictinæ quina cœnobia, quorũ, cum Primates triennio tantũ durent, eo elapſo redigendi in ordinem, ne multiplici Senatorum iterataque triennio quoque, nominatione grauentur, placuit non Abbatum mutatione, ſed Regum Chriſtianiſſimorum morte definiri tempora, quibus fas foret Senatoribus, eiuſmodi Monaſteriorum ambire ac petere, vi ſui indulti beneficium è vacaturis aliquod, *Tournetus.*

Dubium duodecimum, *An Indultariis vacantia per regaliam beneficia ſint debita.*

Nequaquam, primo, quia hęc illis duntaxat ſunt affecta, quæ iuris ſunt Eccleſiaſtico-
D rum, quo de numero non ſunt Reges.

Secundo, quæ ab aliquo in alium collata eſt gratia, hæc auctori ſuo non debet eſſe noxia. Iam autem quod Curiæ Pariſ. Senatoribus aſpirare ad ſacerdotia, regniq; beneficia indulti ſui ope liceat, Regis eſt beneficium, quam ergo parum eſt veriſimile, inde ius Indultario naſci, iuris elidendi regii, ad ea conferenda beneficia, quæ vacant in Regalia.

Tertio, Graduatorum, ad eà poſtulanda
E ius ceſſat, cum in menſibus ſibi per concordata deſtinatis, eorum poſſeſſor moritur, aut certe ad tempus quaſi ſopitum latet, *Gloſſa parag. quod ad ductus in verſu Eccleſiaſtico de collat. in pragm. ſanct.* ergo & Senatorum.

Conſeq. patet, quia iſtorum par eſt, ac æqualis cum illis conditio, non potior, cum amborum ad requirenda ſibi beneficia eadem ſint iura, poteſtas per omnia ſimilis, & ab eodem fonte profluens.

Dubium decimum tertium, *An collatio* A *alÿs facta quam Indultarÿs ſit rata.*

Cum beneficia non niſi petita tribui debeant, (nam quis expectantem ab ordinario monendum putet? aut ea re donandum, quam illi gratam fore non eſt certum?) cum (inquam) beneficia quando vacant peti ab Indultario debeant, facta alteri quàm illi ab Ordinario ante eius petitionem collatio, nō poteſt non eſſe valida, Bleyanus *in Theoria tract. de pertinent. laicor. diſpoſition. n. 27.*

Ratio eſt, quod Conſiliariorum indultis, beneficia non aliter afficiantur, quam expectatiuis Romanorum Pontific. ſed illa non ſunt mandatariis, aut Pontificiis expectantibus debita, niſi cū vacāt, aut petuntur, quod cū nō fit, iuri renunciare ſuo Senator creditur, ac Ordinario, facultatē velle eſſe liberā, fungēdi officii, in collatione beneficii quod tùm vacat: ita cùm anno 1557. Regis indultarius, à Pontifice Romano Prioràtum quem ſibi cum per poſſeſſoris mortem liceret, dari ab Abbate S. Iuliani apud Turones poſtulauerat, conferri alteri paſſus eſſet, antequam ipſe illud à prædicto Abbate requireret, liſque ſuper eo mota eſſet, pro impetrante Apoſtolico contra Regis indultarium, eſt in magno conſilio benignè pronuntiatum 27. *Iul. ann.* 1557. Peleo teſte *lib. 1. action. foren. ſect.* 4.

Dubium decimum quartum, *Vtrum Graduatis præferendi ſint Indultary.*

quæſtionis eſt hic ſenſus, ecquid cum in menſibus, qui Graduatis ſunt affecti ſuntque numero quatuor Ianuarius, Aprilis, Iulius & October, beneficium vacare aliquod accidit, quod tam illi in vim gradus ſui, quàm iſti in vim Indulti, ſibi vt debitum dari ab D Ordinario poſtulant, iſtorū quam Graduati petitio ſit potior.

Pro iſto, id eſt Graduato, argumenta hæc faciunt.

Primum, quod ſtudiorum magnus ſit fauor, magna Theologiæ, eorumque qui illi dedere operam, apud omnes commendatio.

Secundum, quod ex concordato inter Leon. decimum, & Franciſcum primum inito, beneficia prædictis anni menſibus concedi graduatis in fauorem ſtudiorum E oporteat.

Tertium, quod graduatorum antiquior ſit cauſa, quam Indultarii, annis centum, nam ſunt illi in Concil. Baſileenſi quod in annum 1431. incidit commendati Ordinariis, cum Paulus eius nominis III. cui accepta referri Indultorum gratia debet, Eccleſiam anno tantum 1538. regeret, at qui prior eſt tempore, iure quoque eſt potior, *lege dotis Cod. de iure dotium.* ſicut qui *eſt in curſu prior, prior eſt quoque ad præmium,* Cypr. teſte, *lib. 3. epiſt. 7.* ergo ſi quando de eodem beneficio diſceptabunt inuicem Graduati & Indultarii, his illi anteponendi erunt.

Quæ etſi probabilem fidem habeant, tamen id quod eſt in quæſtione, argumenta producta non euincunt, graduatorum nempe præ aliis potiorem eſſe cauſam.

Primo, quia Franciſco primo ſecus eſt viſum: extat enim eius ſiue ſanctio, ſiue reſponſum de anno 1541. quo Indultarios, Academicis anteferri in beneficiorum poſtulatione ac ambitu præcipit.

B Secundo, quia in Paulino diplomate, mandatarii ſolius Apoſtolici, quem Indultariis poſtponi in requiſitione beneficii non oporteat, fit mentio, ergo cum iuxta vulgatum axioma, exceptio in non exceptis firmet regulam, non debent Indultarij Graduatis in hac parte cedere.

Tertio, cum qui tacet, conſentire cenſeatur, audiri Graduatos non decet, quia cum Eugenii IV. & Pauli III. diplomata quando ſunt promulgata in Curia, ac recepta, non reprobarint vt ſibi noxia, ea recepiſſe ſunt credendi: alioqui cur non ſunt loquuti? cur C injuriam ſibi fieri non ſunt queſti? cùr Regis fidem ac virtutem non ſunt conteſtati? tacuere quo non oportebat tempore, Concordatorum vim infringi per ſe aut Procuratorem Regium non dixere, quid mirandum, ſi eorum ſuffulti ſilentio, ſi Regis approbatione ac iudicio, Indultarii cum de beneficijs obtinendis agitur, Graduatis præualent?

Quid? quod priuilegia Graduatis conceſſa in Concordatis, ſunt eis quæ indultariis ſunt data, annis poſteriora ferè ducentis, aut non multo ſecus, nec enim ſunt hæc ad Eugenium vt eorum auctorem primum ac principem referenda, ſed ad alium quempiam cum in Curiæ diariis, rerumque quæ ſunt in ea geſta commentariis habeatur, catalogum anno milleſimo trecenteſimo tertio, eorum contextum eſſe, quos ad beneficia regis indulto nominari oporteret, quem in numerum quatuor Curiæ Actuarios totidemque Amanuenſes ac Secretarios aſcitos eſſe refert Lucius *in placit. lib. 4. titulo* 12. Tournetus *verbo Indultum num. 29.* quæ me cauſæ impellunt vt credam, potiora Indultarii quam Graduati, iura eſſe in requiſitione vacantis beneficij, quod & Curiam ſuo approbaſſe calculo, anno 1582. & 1600. Tournetus loco paulo ante citato refert.

Dubium decimum quintum, *An ad Bullas teſtes beneficÿ Epiſcopo conceſſi à Pontifice, accedere debeat eius pacifica poſſeſſio, vt facta ſuper eo ab Indultario indulti ſui applicatio, valeat.*

Senſus eſt an oporteat Epiſcopum poſſediſſe ſuum beneficium biennio, idque pacifice,

fice, antequam nominatione grauari vlla (A) queat.

Reſpondend. id neceſſe non eſſe, primo, quia cum verbo fiat gratia, multo magis cum de ea per ſcripturam authenticam conſtat, cuiuſmodi eſt bulla, non eſt dubitandi iuſta vlla cauſa, quin bullato Pontificis diplomate inſtructus Epiſcopus, verus ſit beneficiarius, ergo nec ambigendi locus eſt vllus, quin illi facta indulti inſinuatio ab indultario, rata ſit ac valida.

Secundo eſt miſſio in poſſeſſionem bene- (B) ficij, temporalis, cum ſit realis eius apprehenſio, Notarij Regij, vel Apoſtolici, aut Sacerdotis cuiuſpiam ope facta, non eſt hæc ergo beneficij pars aliqua, aut illud integrè ſumptum: ergo antequam eam ſibi capiendam beneficiarius exiſtimet, indulto Senatorio gruaari poteſt.

Dubium decimum ſextum, *An nominatus à Rege, Indultario præferri debeat.*

Sit pro exemplo quod ſequitur. Ad Epiſcopatum euectus Regis nominatione Mæuius cum eſſet, eiuſdem benignitate Epiſcopo offertur Titius, canonicatu qui tum vacabat (C) donandus, ratione iuriſiurandi fidelitatis, in manibus eius præſtiti, quem in vim Indulti, Senator ſibi cum eſſe debitum diceret, de eo Epiſcopum admonet, tribui ſibi hunc, vt Pontifices iuſſere ac Reges, exigit. quæritur, vtrius ſit cauſa melior, vtrius poſtulatio iuſtior?

Reſpondend. Indultario ius ad præbendam, de qua eſt quæſtio, nullum eſſe. *Quia in general. conceſſione nõ veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus de reg. iuris in 6. reg. 8.* At quis credat voluiſſe Regem, (D) Iure ſuo decedere, vt ſtaret Indultarii nominationi ſuæ vim nullam eſſe, vt indultarii, rata eſſet ac valida? ergo cum audiri hic non debeat, niſi vt iure fultus eſt regio, omnique in præſenti cauſa careat, cùm non ſit veriſimile, in conceſſione facta Senatoribus, nominandi ſui ſupra Epiſcopatus aut Abbatias, caſum præſentem contineri, ſi quod dari ſibi poſtulat, Epiſcopus recuſat, nulla ei fit iniuria, vtpote iure omni ad eius petitionem deſtituto.

Faciunt pro hac opinione argumenta duo, primum, decretum magni Regis conſilii, cui (E) litium, quæ ſuper Indultis ſunt motæ, omnis eſt voluntate Principis attributa diiudicatio, nam excluſo Indultarii nominatario, oblatũ à Rege ad præbendam, ratione iuriſiurandi fidelitatis illi exhibiti debitam, ab Epiſcopo admitti oportere cenſuit anno 1606.

Secundo pugnat quoque pro hac opinione Principis dignitas, cuius ſunt hæc auctoritate ac nomine ſcripta, dictaque, *Iceluy noſtre grand Conſeil faiſant droict par ſon arreſt ſur ladite oppoſition, a maintenu & gardé ledit le Clerc.* (erat hic Regis ad canonicatum vacantem nominatarius) *en la poſſeſſion & iouiſſance de ladite Chanoinie, ſans preiudice audit M. Indultaire de ſon Indult en autres cauſes.*

DE REGIA NOMINATIONE ad Beneficia.

QVÆSTIO PRIMA.

Ad quæ beneficia nominare ius Regi Chriſtianiſſimo competat.

PRIMO ad ea præſentare Regem, eſt omnium confeſſione notiſſimum, quæ cum patronum ac conditorem agnoſcunt, quod enim è plebe hominibus, conceſſum eſſe Papa voluit, in recognitionem fundatæ, aut dotatæ ab iis Eccleſiæ, hoc regibus eſſe prohibitum quis putet? Quare vt ab eius maioribus omnes ſunt penè Galliæ Epiſcopatus erecti, magniſque prouentibus aucti, ita & eorum ſunt, iure quam optimo Patroni.

Et quidem Childebertum III. Dagoberti II. Patrem, Cænomanenſem fundaſſe ædem maximam, Pipinum Santonicam ann. 767. Carolum Caluum Niuernenſem, additáque à ſingulis in annua Sacerdotum ſtipendia, aræque apparatum ac luminaria, optimorum prouentuum dotẽ, hiſtoria Gallica memorat. De Cœnoman. quidem eſt his verbis teſtimonium in antiqua Dagoberti charta manuſcripta, apud Choppin. *lib. 1. de ſacra Polit. tit. 4. Nobis Apoſtolicus vir ſuggeſſit Cænomanicæ vrbis Epiſcopus quod anteceſſores ſui, anteriore Rege parente noſtro emunitates de omnibus rebus eorum vel Eccleſiæ ſuæ promeruiſſent.* Et poſt pauca. *Nos igitur bona, iura, & priuilegia prædicta omnia, & ſingula per præſentes approbamus, menſis Mart. die 2. anno regni noſtri mainacias fœliciter.* Nec minora extra regnum, Franciæ Regum charitatis in Deum, venerationis in Eccleſiã extitere teſtimonia, quam domi ſuæ, cùm quiete ac tranquille viuerent: Clodoueum enim Conſtantienſis Epiſcopatus ac Vangionum in Germania conditorem narrant, Dagobertum Spirenſis, Argentinenſis, & Bremenſis, Carol. magnum, Virodunẽſis & Tullenſis in Lotharingia, Verdenſis, Paderburnenſis, Oſnaburgenſis, Monaſterienſis in Veſtphalia, hæcque fuit forte cauſa Regibus, cur initio omnia in Dei Eccleſia

ſuo gererent arbitrio, eius bona nobilibus dono darent, vt Martellus, Epiſcopatus, cui vellent, regendos committerent vt Theodoricus, quod cùm eſſet illis turpe, Eccleſiis autem exitiabile, *Reges Francorum Ludouicus & Carolus, electiones Epiſcoporum Eccleſiis conceſſerunt, quod & in ſuis Capitularibus ſcriptum reliquerunt, & in conciliis Epiſcoporum prouincialibus ſanciri permiſerunt*, Iuo *ep. 47.* Tenuitque hæc conſuetudo in Francia, ad Franciſci primi tempora, quibus ex pacto inter eum & Leonem X. electio eſt beneficiorum quæ conſiſtorialia nominant, ſublata e regno, eiuſque vice ſubrogata eſt præſentatio.

Primo ergo ad Epiſcopatus regni ſui cùm vacant, Rex intra ſex menſes ab eorum vacatione, Pôtifici offerre poteſt, viros, graues & doctos, aut è nobili Regum ſtirpe, eoque nomine, ſed magis virtute ſua cõmendabiles, quos ille defunctis ſubroget. Erunt prædita ſciêtia, quali ad iſtos tam excellentes Eccleſiæ magiſtratus eſt opus, ſi ſunt Magiſtri, aut Licentiati in Theologia, aut in vtroque, ſeu altero iurium, Doctores aut licentiati *in vniuerſitate famoſa, cum rigore examinis, & in 27 ſuæ ætatis anno ad minus conſtituti*, Côcord. *de regia ad Præl. nominat. parag. 1. verbo vnum grauem.*

Nominat inſuper ad vacantia Monaſteria religioſum eiuſdem Ordinis in ætate 23. annorum ad minus conſtitutum, infra tempus ſex menſium à die vacationis dictorum Monaſteriorum, computandorum: Ita Concord. *parag. de regia ad Prælatur. nominat. verſu Monaſteriis verò & prioratibus.*

Tertio, Rex nominat ad Prioratus conuentuales electiuos, *videlicet in quorum electionibus, forma capitis quia propter ſeruari, & confirmatio electionum huiuſmodi peti conſueuerunt.* Concord. *loco qui ſupra.* Nominatum tamen, ad Prioratus huius generis, Epiſcopatus, & Cœnobia, ſi non erit idoneus, eum reiicere refutare ac Pontifici eſt permiſſum, quod cum accidit, Rex tenetur, *infra tres alios menſes, à die recuſationis perſonæ nominatæ, non qualificatæ ſollicitatori nominationem non qualificatam proſequenti, alium ſupra dicto modo qualificatum nominare.*

Patet ex dictis primo, iure nominandi Regem excidere, quando intra menſes nouem, Pontifici neminem præſentat, qui vacantem Eccleſiam regat concord. ſupra.

Secundo, quando nominat, ſed non qualificatum.

Patet tertio, opus eſſe vt Rex ſollicitatorem Romæ habeat (ſic enim loquuntur Concord.) qui apud Pontificem & Cardinales conſiſtorialiter aggregatos, Regis cauſam agat, ab eoque nominatum admitti ad Prælaturam petat: quare non alibi quam

A in Conſiſtorio, hoc eſt Cardinalium collegio, à nominantis aut nominati Procuratore, aut Cardinali Protectore, eius nominatio Papæ fiet, ſicut nec ipſius ab eodem, ob inhabilitatem reiectio, indicant, hæc verba. *Tenetur idem Rex infra tres alios menſes, à die recuſationis perſonæ nominatæ non qualificatæ, ſollicitatori, nominationem nô qualificatam proſequenti, conſiſtorialiter factæ intimandæ, computandos, &c.*

Patet quarto, Epiſcopatus, Abbatias, & Prioratus cœnobiticos, eſſe beneficia, quæ ſi B quæ alia, ſunt verè conſiſtorialia, ita dicta primo, quod in ſacro Pontificis conſiſtorio, ſchedula, & non ſupplicatione porrecta, conferri poſſint, ſi ad ea, intra nouem menſes, per Regem non ſit nominatum, vt in Concord. nominatim eſt cautum, in *rubr. de regia ab Prælat. nominat. parag. 1.*

Secundo, quod facta nominatione, Cardinales, qui Conſiſtorij ſunt Patres, ſententiam pro nominati admiſſione, Bullarumque conceſſione dicant, vt poſt Rebuff. *in 3. par. praxis ſub regulis de publicand. reſignat. gloſſa 1.* ſcripſit Fabricius *tract. de compluribus. aliys beC nef. num. 39.* videamus cætera, Rex ad Canonicatum nominat, qui primo in Cathedralibus Eccleſiis vacat, à tempore, quo eſt ſacro inunctus oleo, ac Rex Rhemis inauguratus, Epiſcopo (inquam) quem lubet nominat, Gallice dicimus, *à ſon ioyeux aduenement à la Couronne*, quod & eum poſſe, in ſacris virorum ac Monialium domibus docet Graſſal. *Regalium Franc. lib. 2. iure 1.* his verbis: *Finaliter non eſt omittendùm quod Rex Franciæ iure alto regaliæ vtitur, nedum in Eccleſiis Cathedralibus aut Metropolitanis, imo etiam in D Abbatialibus ſeu Monaſterijs, vt in principio ſui regiminis, ſeu aduentus ad coronam, poſſit in dictis monaſterijs quæ ſunt de gardia ſua ponere vnum Monachum, & in Monaſterijs monialium, vnam monialem, & ſic fuit pronunciatum per arreſtum Parlamenti anno 1274.*

Eius tamen moris, iuriſque nullus eſt hoc têpore vſus in Gallia, cum quenquam ſacræ aſcribi militiæ, aut ſtipendia inuitum ac reclamantem facere non oporteat, aut in religioſæ familiæ tam virorum quam puellarum contubernium admitti, niſi quem ſua virtus, E animique ad diuina impetus, eo, abiudicatis magno auſu ſæculi curis attrahunt.

Quid? quod eiuſmodi ſacrorum cœtuum Præfectis, iure ſit permiſſum, indignos hoc eſt, parum pios, parum morigeros, aut affectæ iam proſtratæque valetudinis viros, nec proinde ad Ordinis miniſteria ſatis idoneos, manumittere, reſque ſuas habere iuſſos, in ſæculum remittere, ne cæteros quaſi in mala contage, morum peruerſitate inquinent, perdantque, quod eos tamen

men tentare, ne quid grauius dicã, piaculare A foret, ſi quod affirmat Graſſalius, Abbati parum gratum hominem, Abbatiſſæ Virginem ſi non à Religione alienam, at ad eam, eiuſque munia à Deo naturaque non ſatis inſtructam, Rex obtrudere, qua valet auctoritate, poteſt.

Quarto, nouis Prælatis hoc eſt Epiſcopis. Clericum in præbenda quæ primum vacauerit, poſt præſtitum fidelitatis iuramentum, inſtituendum offert, Bleyan. de pertinentibus ad Laicorum collat.

quinto, cum xenodochium, quod eſt patrocinii regii, & in quo eſt altare cũ reditibus, B & titulario, qui ei præſidet, eſt vacuum, ac ſine poſſeſſore, eidem adminiſtrando eligere alium poteſt, quem Epiſcopo inſtituendum offerat; Bleyan. auctor *in Theor. tit. de Xenodochiis & locis piis litera G. in marg.* his verbis: *Nec minus in Xenodochijs, quam beneficiis ex fundatione, ius patronatus quoad præſentationem acquiritur, eaque de cauſa Rex Galliarum noſter, in ijs, quæ regiæ fundationis ſunt, adminiſtratores inſtituere ſolet, & hoc vel per ſe, vel miniſterio magni eleemoſynarij*, Charond. *lib.* C *1. Codic. Briſſon. tit. 32. num. 1.*

Sexto, Rex nominat, quando feudi Domino moriente, cura liberorum eius, qui adhuc ſunt minores, lege municipali Normanhiæ ad eum defertur, vulgo *garde noble* dicimus, tunc enim ſi qui naturæ conceſſit, feudi Dominus, nominare Epiſcopo poterat, qui beneficio præeſſet à ſe erecto, aut his aucto opibus, quæ miniſtris neceſſarios vitæ commeatus ſuppeditent, Rex qui minorum, hoc eſt liberorum eius clientelam habet ac curam, defuncti vices obit, quique be- D neficio præeſſe poſſit, Epiſcopo hominem nominat, ac tribuit: Forgetus in *tract. iuris regal. n. 18.*

Septimo eodem Rex iure fruitur, cum delinquente Domino, feudum eius in commiſſum cadit, Principique conſolidatur, tunc enim, quæ Domini partes in præſentando fuerant, quæ eiuſdem beneficij adminiſtrandi cura, hæc ad illum deuoluitur, quare vt ille, antequam peccaret in Principẽ inſtituendum eligere, electumque Epiſcopo offerre poterat, ita & hunc eius vice, locoque, arreſto du- E plici deciſum eſſe in Rothomagenſi curia, Forgetus loco citato aſſerit.

Octauo, ad Sacerdotia, beneficiaque, curiæ Pariſienſ. Senatores ac Præſides, eorumque Indultarios Rex nominat cum eis gratias expectatiuas (vt aiunt) ad eadem pro regia ſua munificentia annuit, ex reſcripto Ioan XXIII. de anno 1412. Eugen. IV. 1434. Pauli III. ann 1538. liquet ex Pontificio Pauli III. diplomate, de quo nos pluribus in praxi fori gallici, & in hac diſput.

QVÆSTIO II.

Qualis eſſe oporteat, qui à Rege ad Epiſcopatus & Monaſteria Papæ præſentantur?

QVi Epiſcopatus ambiunt, aut ad eos viam ſibi nominatione regia muniunt, viri graues eſſe debent, hoc eſt annis maturi, prudentes, ad magna nati, his inſtructi virtutibus, quæ conſpectu ſuo vitia terreant. Enimuero cum Epiſcopi *diſſipatas oues in die nubis, & caliginis per auia quærere debeant & ad ouile, quantum ad eos pertinet reducere, licet velint errare, licet velint perire, cum ad eos pertineat quærendo oues perditas per ardua ſe, & aſpera coarctare, latera etiam ſi neceſſe ſit, inter ſpineta cruentare, vt poſſint gaudentes, & non gementes bonam æterno iudici de commiſſa ſollicitudine rationem reddere*, Iuo Carnot. ad Manaſſem Remorum Antiſtitem *epiſt.* 47. his ſane eos eſſe oportet animi dotibus præditos, quæ perſonæ maieſtatem quam in Eccleſia ſuſtinent, in primis decent.

Secundo docti eſſe debent, Theologicis diſciplinis, vtriuſque iuris vel alterius tantum notitia eruditi, & qui licentiatus, aut Doctoratus laurea in alterutra ſint profeſſione merito ſuo donati, idque in Regni aut Delphinatus vniuerſitate, & non alia: quare qui in Italia, Doctor eſſet publico Academiæ teſtimonio renunciatus, aut Papæ priuilegio, ſub Bulla promotus, regiæ huiuſce nominationis eſſet incapax Rebuff. *in concord. titulo de regia ad prælat. nominat. parag. 1. ver. in vniuerſitate.*

Dixi *merito ſuo*, quia ſi Principis imperio, aut amicorũ precibus, Doctor eſſet factus, & proinde incapax; nominari à Rege non poſſet, quia perinde eſt Doctorem non eſſe, ac eo quidem honore, magiſterioque ornatum eſſe, ſed male, ac ſine merito eius vllo, qui hoc appellatur nomine.

Tertio, debet is qui nominatur, attigiſſe ætatis annum 27.

Quarto, eum quoque nominari eſt neceſſe intra ſex menſes, vel nouem.

Quinto, ea habere omnia, quæ de iure communi, ſunt ad beneficii poſſeſſionem canonicam neceſſaria, debet enim eſſe *idoneus* vt Concord. aiunt, loco ante citato, cuiuſmodi eſſe nemo poteſt, niſi de quo conſtet per examen accuratum & graue, *quod natura ſit prudens, docibilis, moribus temperatus, vita caſtus, ſobrius, ſemper ſuis negotijs cauens, humilis, affabilis, miſericors, literatus, in lege Domini inſtructus, in ſcripturarum ſenſibus cautus, in dogmatibus Eccleſiaſticis exercitatus, diſt. 23. can. qui Epiſcopus 2.* quæ omnia ex textu

paulo ante allato ſunt perſpicua.

QVÆSTIO III.

A quo die computari ſemeſtre debet, intra quod, nominari à Rege idoneos ad Monaſteria, aut Epiſcopatus oporteat.

A die quo primum ea vacare contigit, reſponſioni fides eſt ab his Concordator. vocibus: *Intra ſex menſes à die vacationis earundem computandos, nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus nominare, &c.* quare non excuſat ignorantia, cauſa eſt, quod quando lex, aut ſtatutum diem definiunt, horam notant, à qua operi dari initium oporteat, ea ſeruari ſit neceſſe, vt ſit ratum, ob quam cauſam qui Parochiæ in Romana curia vacanti rectorem attribuit, valide facit, eo quod in *decretali ſtatutum 3. de præbend.* Gregor. X. ſtatuat vt ij *ad quos beneficiorum & dignitatum ſpectat collatio (ſtatuto non obſtante Clem.) ea poſt menſem à die quo dictæ dignitates & beneficia vacauerint, numerandum, ea conferre valeant*, ſed Concordata diem & tempus indicant, quibus offerri Pontifici oporteat, qui Epiſcopatum repleat, nempe eius vacationem: ergo ab ea, & non ab habitæ notitiæ die, ducendum eſt ſemeſtre, nominationi præfixum regiæ. In quo eſt hæc à cæterorum patronorum præſentatione diſtincta, cum enim in eorum odium qui ſunt in præſentando negligentes, iuris ad nominandum priuatio ſit impoſita, vt ignoranti, beneficium rectore deſtitutum eſſe, tempus illi ad præſentandum præſtitutum non currit, *cap. quia de conceſſ. præbendæ*, ita nec eo iure excidit. Cuius oppoſitum ex aduerſo hic accidit, nam cum Eccleſiarum commodum ac fauorem, quas diu rectore eſſe vacuas non expedit, ſpectaret Pontifex, ſemeſtre intra quod iis prouideri de præſide eſt neceſſe, ab earum inchoari vacatione voluit, & ſic eius notitiam non requiri, ſcripſit Rebuff. in Concord. *de regia ad prælaturas nominat. parag. 1. verſu à die.*

QVÆSTIO IV.

An Monaſterij nomine, intelligantur etiam cœnobia Monalium.

NOn intelligi Rebuffus ait loco ante citato *parag. Monaſterys*: cauſæ ei ita tenendi duæ.

Prima, quod virorum Monaſteria ſimpliciter & antonomaſtice dicantur Monaſteria, fœminarum autem nonniſi cum addito

A *Monialium*, ex quo ſequi ait, quod cum verba ſimpliciter prolata, ſecundum quid, & cum adiuncto intelligi non debeant, diſpoſitio de Monaſteriis indefinitè loquens, de Monachis duntaxat, & non monialibus capi debet.

Secunda, quod in materia odioſa, Abbatis nomen, ad Abbatiſſam non tranſeat: præſens eſt talis: ergo quæ de Monaſteriis dicuntur indefinite, in concordatis, ad monialium ſacra domicilia non pertinent, his inB ducti rationibus Rebuff. & Fabric. in Theoria *tract. de benef. tam virorum quam mulier.* credidere nominationi regiæ, monialium præfecturas non ſubeſſe.

Verum enim, ſententia contraria ſola eſt vera, ac tenenda, vt virorum, ita & Monialium cœnobiis, à Rege ſublegi poſſe, quæ ea regant, ac Pontifici offerri, vt eas in puppi cum auctoritate collocet. Fidem facit praxis ipſa regni, nam quæ primatum ſuum, alteri quam Regi aſcriptum in Gallia referat, Abbatiſſam eſſe puto nullam. Scio quidem plaC cuiſſe Carolo IX. vt præfecturæ monialium omnes, temporales eſſent, ac trienniis renouandæ ſingulis, ex quo fiebat, vt earum Cœnobia extra nominationem regiam forent, ſicque illa adminiſtranda ſuſciperent, quæ communibus Religioſarum ſententiis eo vocatæ erant, de quo Prætoriani Senatus iudicia extare multa, narrant fori aſſeclæ, aliquorum meminere Fabric. *tract. de manua lib. litera H. in margine*, Guenois *in lib. 1. collat. ordinat. tit. 3. num. 37.* Choppin. *lib. 2. de Domanio tit. 10. num. 20.* Freretus *in addit. ad Guenois tit. 3 parag. 47.*

D Diu tamen ea conſuetudo non tenuit, nam Henrici III. reſcripto, Prætoriani conſili actis conſignato, circa ann. 1578. vt ſcripſit Choppin. *lib. 1. monaſtic. tit. 1. num. 11.* Monaſteria Monialium, peræque ac virorum, nominationi regiæ ſubdi ſunt cœpta, his duntaxat quæ B. Claræ inſtituto viuunt, aliiſq; id genus quæ mendicato viuunt, aut mendicantibus obſequuntur, demptis, his enim non niſi plurium electas ſuffragio præſidere, pro antiqua ordinis conſuetudine è, re communi priuataque ſingularum eſſe credidit.

Et quoniam ad Monialium pacem, animiq; ad virtutes progreſſum, intereſt plurimũ, gratioſas eis acceptaſq; virgines præfici, ne ſi ſint E illæ odioſæ, gemant hæ ſub pondere, nec niſi inuitæ pareant: in bullato Papæ diplomate (prouiſionẽ alij nominant) quo de Abbatiſſæ in conſequentiam (vt loquuntur) nominationis regiæ per eum conceſſæ conſtet, inſeri ſolet hæc clauſula (*dummodo conſenſus maioris partis monialium accedat*) Rebuff. *in Concord. rubrica de collat. parag. Monaſterijs*, vt ita inquit Bleyanus *de benefic. tam mulier. quam viror. litera O. in margin. nominatio regia, ſuos*

in his ſortiatur effectus, ſi per modum electionis, vel tolerantiæ, à monialibus approbetur. A

Argumentis reſpondend. priori quidem, vocem *puellarum* quæ earundem cœnobiticis domibus additur, non impedire, quin iis Monaſteriorum appellatio, reſque ipſa conueniat, nomen quidem iis tribuitur *in cap. 8. de vita & honeſt. Clericor. & 18. q. 2. can. Monaſteria 23.* quod autem non nominentur niſi cum addito, fit id perſpicuitatis cauſa, plærunque eſſe vt poſſit, quibus de domibus ſit ſermo, ita ſeparantur hæ ab inuicem in *Concil. Agath. can. 28. Monaſteria puellarum longius à Monaſteriis Monachorum, propter inſidias Diaboli & oblocutiones hominum collocentur.* B

Ad alterum reſpondend. negando primo Minor. exinde Conſequent. quæ vt apparet ex præmiſſis legitimè non ſequitur. Et quidem Minor. abſolute eſt falſa, cum ad Regis gloriam bonumque pertineat nullam puellaribus cœnobiis in Regno præfici, quam ipſe non elegerit, itaque ſi inſtar, ſpeciemque oneris habet, quod ipſæ ſibi Moniales primatem aſciſcere ac Prælatam nequeant, ſed à Rege delectam, aut aliunde ſubmiſſam recipere debeant, parua ſane, tenuiſque non eſt eius comparatione gratia, quod hac eum poteſtate Pontifex per Concordat. præditum eſſe, pro cætera ſua in eum benignitate velit. C

Neque tamen hæc ſe Regis ad nominandum authoritas, porrigit ad Monaſteria recens erecta in Gallia, recentium Ordinum, vt S. Thereſiæ quas Carmelitanas nominant, S. Vrſulæ, aut Elizabethæ quas S. Franciſci tertiarias appellant: cum enim ſuas ſibi Prælatas trieride plena aut de quadriennio in quadriennium ſublegant, ſunt earum Præfecturæ temporales, non perpetuæ, nec de earum proinde genere, quæ regiæ ſint nominationi ſubditæ. D

Confirm. Ad ea tantum beneficia, Papæ voluntate ac conceſſu, nominare Regi per Concordata eſt licitum, quibus rectores communibus ſuffragiis dari mos erat, quæque Regis; non priuati alicuius impendiis ſunt fundata, at horum nihil iſtis cœnobiis conuenit de quibus eſt modo ſermo, primo non ſunt hæc beneficia, ſed adminiſtrationes ad certũ tempus definitæ, cum tamen illa eſſe perpetua debeant. Deinde cum inſtituti ratio, needum nata, nec iuxta quam eius alumnos viuere eſt neceſſe, regula eſſet ab ordinis auctore ſcripta, cum ſunt inter Leon. X. & Franciſcum. 1. pacta conuenta de abolenda pragmatica inita, planum eſt hæc noua vitæ religioſæ inſtituendæ genera, cœnobiaque, in quibus hæc vigent, concordatis comprehenſa non eſſe, cum electionibus duntaxat quæ tum erant in vſu derogent vt ex eorum proœmio patet.

Quid? quod cœnobia eiuſmodi Patronum Regem ac auctorem ſui non habeant ſed alios? quod in ijs non ſeruetur forma canonis *quia propter de elect.* quod tamen Leo poſtulat in *rubrica de Collation. parag. Monaſteriis,* ita vero eſſe ſequentes coniecturæ indicant.

Prima, quod, *in Abbatiſſam aut Prioriſſam (vbi per Prioriſſam Monaſterium gubernatur) nulla eligatur, niſi triceſimum annum compleuerit, & expreſſe profeſſa fuerit ordinem regularem,* vti eſt in, *cap. indemnitatib. 43. de elect. in 6.*

Secunda, quod electio monialium in Abbatiſſam non ſit rata, niſi *quæ à duabus partibus numero fuerit celebrata.*

Tertia, quod ita electa confirmari nequeat, niſi per ſuperiorem, prius *diligenti examinatione præmiſſa cap. indemnitatibus citato,* quorum nihil, *in cap. quia propter 42. extra de elect.* Innocentius III. poſtulat, cum ad eius validitatem ſatis eſſe dicat, *vt is collatione habita eligatur in quem vel maior, & ſanior pars capituli conſentit,* de ætate, aut inſtituendo examine, ſuper electi capacitate ne verbum quidem, ergo cum Sanctimonialium electio formam ab Innoc. III. in decretali quia propter, præſcriptam non teneat, ſed à Bonifac. VIII. *in cap. indemnitatibus 43.* propoſitam, (quod tamen concordata exigunt vt Regi ad cœnobia vacantia nominatio competat) iſtarum de quibus nobis eſt in præſenti ſermo, puellarum cœnobia ei ſubeſſe non poterant.

QVÆSTIO V.

Cui cum ſedes Romana vacat, litera Regis nominatoria, dari debeant ac dirigi.

NON Cardinalium colllegio, quia nuſquam ei conferendorũ Prioratuum aut Epiſcopatuum qui vacant, attributa ei poteſtas legitur, cum in his quæ ſunt Pontificiæ iuriſdictionis aut Ordinis, Collegium Cardinal. non ſuccedat: non legato ſimiliter à latere, cum hic à Papa, & ab Apoſtolica ſede differat, cui debet à Rege fieri de idoneo nominatio, *Nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſeu ſedi prædicta nominare, & de perſona per Regem huiuſmodi nominata per nos & ſucceſſores noſtros prouideri debeat.* Concord. in rubrica de collat. parag. 1. Quare dum ſedes vacat expectandum Regi erit dum mortuo nouus ſubrogetur Pontifex, quia de eo ita inter vtrumque conuenit; verba hæc fidem faciunt. *Nobis & ſucceſſoribus noſtris Rom. Pontificibus* E

QVÆSTIO VI.

An cum ſcienter indignum Pontifici Rex ordinandum nominat, ſecundum ei ſubſtituere valeat.

DIco primò, *Non carere culpa, qui regendi neſcium, eiuſque prouinciæ quæ eſt adnexa beneficio, ſuſtinendæ imparem, Pontifici in Epiſcopum offert.*

Primo, quia Eccleſiæ rem non agit, contra quàm ei, ac Eccleſiæ tacitè eſt pollicitus, cum vtriuſque voluntate ac aſſenſu, factus eſt eius Aduocatus.

Secundo, Epiſcopatum indigno adminiſtrandum committere, eſt Eccleſiam in fraudem impellere, fideles autem in apertum ſaluris diſcrimen vocare, quod à peccato ſeiungi qui poſſit, non video, at huius eſt ſceleris promotor ac auctor, qui Pontifici his deſtitutum virtutibus obtrudit, ſine quibus, digne ac cum laude præeſſe nequit Eccleſiæ: ergo, &c. Sane cum in conſcientiam ſuam admittere, & hoc nomine diuinam offenſam incurrere, dixit Gregor. X. *in cap. perpetuo 7. de elect. in 6.* his verbis: *Licet pro eo quod indignum nominando ſcienter, contra conſcientias ſuas agant, & diuinam vindictam, & Apoſtolicæ vltionis metum (quem qualitas facti ſuaſerit) poſſint non immerito formidare*, ergo cum ſcelera ſola Deus puniat, cum ſeueritatis ſuæ aculeos in hos tantum Pontifex erigat, qui ſcelerum ſunt rei, qui indignos præſentant, innocentes eſſe non poſſunt.

Dico ſecundò, *Inhabili ad Epiſcopatum, per Regem propoſito, ſubrogari ab eo poſſe alium, quem Papæ præſentet*: tuetur ſe hæc opinio concordatis *rubrica de nominat. facienda parag. 1.* vbi ſic Leo. *Etſi contigerit præfatum Regē perſonam taliter non qualificatam, ad dictas Eccleſias ſic vacantes nominare, nos & ſucceſſores, ſeu ſedes huiuſmodi de perſona ſic nominata eidem Eccleſiæ minime prouidere debeat, ſed teneatur Rex idem infra 6. menſes à die recuſationis perſonæ nominatæ non qualificatæ, ſolicitatori nominationem non qualificatam proſequenti conſiſtorialiter factæ intimandæ.*

Quæ verba cum ſint generalia, & indiſtincta, ea quoque comprehendunt tempora, quibus rex ſcienter indignum proponeret, alioqui contrarium dici debuerat.

Quid? quod Regi aliquid eſt his Concordatorum verbis conceſſum amplius, quam quod Patronis communi eſt iure licitum, at his permittitur, poſt primum, qui eſt adminiſtrando beneficio aptus, nominare & alterum modo idoneum: ergo & Regi licebit, cum inhabilem ſciens Pontifici dedit, ordinandum in Epiſcopum, eidem & alterū A offerre, modo non indignum, ne iure omni ſuo, tali nominatione excidat.

Obiicies, qui muneris ad quod aſſumitur, aut vocatur, obeundi neſcium, aut incapacem eligit, poteſtate ei ſubſtituendi alterum pro ea vice, canonica priuatur lege, *in cap. cum cunctis 7. de elect.* at qui præſentat, eligit: ergo.

Reſpondend. qui præſentat, eligere quidem, ſed impropriè, nec proinde his ſubeſſe pœnis, quæ in eligentem, canonica aduerſante lege non habilem ſunt poſitæ. Et quanquam B eſſet præſentatio (quod aduerſarij non probabunt) propriè ſumpta electio, nunquam tamen efficient, nominatione indigni, Regem vt credamus, ius nominandi ſecundi perdere, cum id ei Concordata tribuant, negent autem electoribus Concilia, vt ex Lateran. refertur in *cap. cum in cunctis de elect.*

QVÆSTIO VII.

C *An Rex ſimiliter nominare ſecundum poßit, cum primò à ſe nominatus diem ſuum obijt, aut ei aſſenſum dare Papa renuit, aut poſt datum, iure ſuo ceßit?*

REſpondend. poſſe, ratio eſt, quod conceſſum à Papa Gallo Regi priuilegium, inane eſſe non debeat, ac vanum, cuiuſmodi ſane foret, ſi facta per eum nominatio effectum non haberet: quare vt qui eligendo beneficiario in vnum coiere frequentes, canonici, aut Regulares, ad ſecunda debent ire ſuffragia, iteratoque aliquem eligere, ſi qui D ab iis primo eſt electus obiit, aut iuri ſibi per electionem quæſito renunciauit, cum enim eligendo non peccauerint, iure ſuo, prouidendi beneficio, poſſeſſore adhuc vacuo, priuari non debent, ita & Regē qui in electorum ſucceſſit iura, Papæ in defuncti electi locum, aut eius qui electioni de ſe factæ renunciauit, nominare poſſe alium eſt neceſſe, ne beneficium diu vacet, aut conceſſo ſibi priuilegio Rex renuntiaſſe videatur, ſi tamē indignum offerret, & hic recuſaretur, non poſſet, E poſt ſecundam recuſationem nominare alium, ſecundum Rebuff. *in Concord. rubrica de regia ad Prælatur. nominat. parag. 1. verbo Alium*, fauetque ipſa ratio, nam poſt primam requſatio, Regi trimeſtre tantum datur, vt de digniore quam qui eſt repulſus à Pontifice cogitet, eundemque cum repertus erit, ei præſentet, quo tempore productius haud dubie ei Papa concederet, ſi à die recuſationis cuiuſlibet, ei nominare alium fas eſſet.

Deinde ſtatus eſt, fixuſque eorum numerus, qui à Rege ad Epiſcopatum nominari poſſunt

ſunt: ergo refutatis à Pontifice, alium ac aliũ, & ſic in infinitum, ſubrogare Rex non poteſt, quem illi ad vacantem Primatum offerat.

Quid ſi præſentatus, primo menſe à vacationis die reperiatur à Papa minus idoneus, & ſic in vẽtos, vt inanis ac irrita, eius nominatio abeat? poſſuntne quinque menſes, qui ſunt reliqui de tempore, quod eſt Regi ad præſentandum primò per concordata conſtitutum, cum tribus, quos hic habet à die recuſationis integros, coaleſcere, vt toto illo octo iſtorum menſium ſpatio, ei dignum quærere, quæſitumque ac inuentum Papæ inſtituendum offerre ſit integrum?

Reſpondend. negatiue: cum enim ſint hic definiti tres menſes, vltra non habebit Rex inquit Rebuff. ſupra, etiamſi primum præſentauerit intra duos menſes, & adhuc ſuperſint quatuor de ſex, qui primo præſtituti ſunt, tamen à die primi recuſationis non dantur niſi tres menſes, vt hic. Hæc ille.

QVÆSTIO VIII.

An in poteſtate ſit Regis, nominare ad beneficiũ, cuius poſſeſſor, hoc eſt Abbas, aut Epiſcopus in curia eſt mortuus.

NEquaquam, reſponſioni fides eſt ab his verbis: *Alioquin vt diſpendioſe Eccleſiarum huiuſmodi vacationi celeriter conſulatur, Eccleſiæ tunc ſic vacanti per nos, & ſucceſſores noſtros, ſeu ſedem huiuſmodi, de perſona vt præfertur qualificata, nec non Eccleſiis per obitum apud ſedem prædictam vacantibus, ſemper etiam nulla dicti regis præcedente nominatione, libere prouideri poßit.* Quid ſi intra menſem de ſucceſſore Papa non prouideat? Quod ordinariis per *cap. ſtatutum de præbend. in 6.* licitum eſſe ſcimus, vt ſi intra menſem Eccleſiæ curam animarum habenti, rectorem Papa non tribuat, hoc iſti facere pro iure ſuo valeant, idipſum Regi permiſſum non eſſe indicant duæ hæ voces, *Semper & libere*, quæ idem ſonant ac omni tempore, hoc eſt tam exacto menſe, quam currente, idque libere, hoc eſt, ſine præſentatione regia, aut cuiuſquam contradictione, ac repugnantia.

E Quid ſi ceſſione, reſignatione, aut permutatione, Epiſcopatum in prædicta vacare curia accidat?

Reſpondend. è reſignantium poteſtate ac manu, cũ in reſignatarij trãſire iura nõ poſſe, niſi aſſentiente Rege, ac eius ad Papam nominatione, quia hic, modos vacandi ab obitu diuerſos, excluſos eſſe Leo voluit, nam exceptio in non exceptis firmat regulam, at mortem per quam Epiſcopatus Romæ vacat, ſolam in Concordatis Papa excipit, ergo ſi vacabit reſignatione, permutatione, aut ceſ-

A ſione, Regem ad eum nominare erit neceſſe.

Cõfirm. quæ beneficia iuris ſunt Patronatus laïci, hæc dari à Põtifice, in Gallia ſine Patroni conſenſu nequeunt, at ſunt Epiſcopatus, & Abbatiæ omnes, de patrocinio regio, vtpote ab eo, eiuſque beneficentia commeatum habentes tantum, quantus alendis miniſtris, cæteriſque ſuſtinendis oneribus eſt neceſſarius: ergo Regem à Pontifice tum moneri expedit, ſibi conſtitutum eſſe, certo homini non præſentato tamen, Epiſcopatum deferre, optare

B ſe, ne id Rex improbet.

Ex dictis inferendum, Papæ, ſine Regis nominatione ac aſſenſu, fas eſſe Epiſcopum creare, Abbatem dicere.

Primo, quando intra ſibi præſtitutum tempus ad nominandum, quod ſenis, aut ad ſummum nouenis menſibus clauditur, per incuriam officio ſuo neminem Papæ offerendo, defuit.

Secundo, cum obtulit quidem, ſed ab iis rebus inopem, quas concilia, Pontificumque decreta, in Epiſcopo exigunt, huic enim intra 3. menſes ſi ſimiliter indignum ſubſtituat,

C quem & Papæ ordinandum offerat, tum enimuero omnis eſt honeſta in Pontif. ratio, Rege præterito, eum quem volet, modo idoneum renunciare Epiſcopum.

Tertio, cum ſpeciali iure ad fundatorem, aut alium collatio pertinet, tunc regem, aut eius aſſenſum, ac nominationem expectare aut quærere Pontificem non eſt neceſſe, quia cum eius beneficij non ſit auctor, nec proinde ad eius ſpectet patrocinium, (vt ſpectare omnia conſiſtorialia dicuntur,) eſt ſcriptorum teſtificatione certiſſimum, nihil eſ-

D ſe, quo ſe maieſtas regia læſam queri valeat, ſi eiuſmodi beneficium ſine ſua nominatione aut aſſenſu, Papa conferat.

Quarto, facit id ſimiliter licitè ac validè, cum Epiſcopatus vacat in curia per obitum.

Quinto, ſi eſſet Epiſcopus à Turcis abductus, ſi mente captus, aut alio morbo ſimili affectus, dari ei tum à Papa Coadiutor ſine Rege, eiuſque conſenſu poteſt: ita Rebuff. *de Regia ad Prælaturas, parag. 1. gloſſa vacantibus, & in verbo Libere.*

A tate, gaudere?

QVÆSTIO IX.

An præter Doctores in Theologia, aut iure, ſint alij qui nominationis regia ad Epiſcopatus aut Abbatias ſint capaces.

OMnino, iique tripertito ſunt diuiſi, ſcilicet *in Regis cōſanguineos, ex latere vtroque, materno nempe ac paterno, perſonas ſublimes, hoc eſt nobilitate, ſtirpeque ſua inſignes, Religioſos mendicantes reformatos, eminentis ſcientia,* Concord. *in rubr. de regia ad prælaturas parag.* 1.

Circa quæ notare placet, primo, non Mendicantes modo, ſed & quoslibet alios, modo eruditos, vitaque ac moribus commendabiles; ad Epiſcopatus Regni, cœnobiaque, Regum poſtulatis euehi, ita à Ludouico iuſto ad Rhegienſem Epiſcopum Illuſtriſſimus Dominus d'Attichi profeſſione Minimus, ad Abricenſem Illuſtriſſ. ac Reuerend. D. Vialart Patrum è Congregatione S. Mariæ Fulienſis in Gallia Generalis præpoſitus, ad Lucionenſem Illuſtriſſ. ac Reuer. Dom. Niuellius Ciſtercienſ. Generalis ac Abbas, virtute ſua meritiſque magis quam hominum commendatione, magna ſunt omnium ordinum conſenſione vocati, eoque innocentia ſua, morumque integritate, aſpirare Regis aduerſum ſe benignitate ac amore poſſe, e Sancti Brunonis familia, aut Cœleſtini, viros bonos, hiſtoriæ ac noſtrarum ſcriptores rerum memorant.

Secundo notare lubet, eos tamen à Clauſtrorum amabili otio ad laborem, à quiete ſuſpicienda animi, ad ſæculi turbas, vocandos non eſſe ſine cauſa, eaque *rationabili ac legitima*, vt loquuntur Concord. qualis eſt Eccleſiæ cum vtilitate coniuncta neceſſitas, eminens ſciētia, vitæ integritas, magna ad virtutem, animarumque bonum, ac ſalutem, animi propenſio.

Tertio, nec hoc omittendum, vt ad Epiſcopatus, ita & ad Abbatias rege id petente triplex hoc genus hominum de quo facta eſt proxime mētio admitti a Papa poſſe, *Cui enim licet quod eſt plus, licet vtique quod eſt minus de regulis iuris regula 53. in 6.* At plus eſt, Epiſcopatu donari quam Abbatia: ergo ſi ad illum nominari poſſunt Regis conſanguinei, ac Regulares viri, poterunt & ad iſtam.

Contraria ſententia Rebuffo placuit in *parag. 1. verbo Quæro an Conſanguineus Regis*, ſed eam Regni praxis, Papæ Romani auctoritate approbata, ſequendam non eſſe indicat. Nam cui non eſt cognitum, Cœnobiorum prouentibus Regis agnatos, alioſque magno numero, gente ortuque nobiles, tam Papæ, quam Principis Chriſtianiſſimi volun-

QVÆSTIO X.

An Abbates & Priores ſæculares, Prioratu aut Abbatia vacantibus, nominari à Rege debeant.

EIuſmodi aliquos Abbates eſſe, quales in quæſtionis hic poſitæ titulo deſcribūtur, res ipſa loquitur: nam Abbates S. Fœlicis & S. Petri de Burgo apud Valentiam, S. Aphrodiſij apud Biterram Gorziæ in Lotharingia ſæculares eſſe nouimus, Patrum noſtrorum æuo inſulæ Barbaræ cella Monaſtica, ſtatu mutato regimen Clericorum ſæcularium ſubiit, Foſſatenſe S. Mauri, Pariſienſis agri Monaſterium, Clemens VII. exemit à S. Benedicti inſtituto regulari, in eoque ſæculares Clericos ſacra facere iuſſit, Vezeleacenſe Paul. III. in Canonicorum Sodalitium tranſtulit: recenti memoria Tricorienſ. Monaſterij cœnobitæ, ſublata cuculla coïre in ſocietatem Canonicorum ſæcularium, Paulo V. Pontif. id permittente: Cardinali autem Rupefocaldio poſtulante, non tam ſuo quàm Monachorum nomine. De his ergo Abbatiis quæritur, an vt Conuentuales reliquæ, regiæ nominationi ſubiaceant.

Reſponſioni dandum eſt initium, à diſtinctione Abbatum & Priorum. Eorum enim quidam hoc appellantur nomine, quia Eccleſiæ ſæcularizatæ, hoc eſt eius, quæ ex cœnobitica, Papa permittente ſæcularis eſt reddita, factaque collegiata, partes ſunt ac membra, eaque præcipua, & hoc modo Eccleſiarum SS. Fœlicis, & Aphrodiſij prima dignitas Abbati competit, qui & hoc nomine, vulgo à cæteris canonicis vocatur.

Alij ſunt Abbates, iique vt priores, omnino ſæculares, ſed hoc ab iis diſtincti, quod Eccleſiæ, cuius ſunt Abbates, proprie non ſunt membra, nec vt illi, Eccleſiæ ſæcularizatæ Canonici, ſed caput, eodem plane modo, quo erant antequam hæ ſæculares fierent, quo de genere ſunt Abbates S. Aphrodiſij Biterrenſ. Barbaræ inſulæ Lugdun. S. Gilberti Gorzienſis.

Dico ergo primò, *Abbates & Priores, ſæculares prioris generis, qui Canonicorum communibus creantur ſuffragiis, regiæ nominationis lege non teneri*, quia hi duntaxat Prioratus illi ſunt obnoxij, qui *Conuentuales*, nam horum tantum fit in Concordatis mentio, ſed quoties in Canone aut Conciliis *Prioratuum conuentualium*, fit mentio, Monaſtici intelliguntur ſoli, non ſæcularium conuentuum Primatus, vt Clem. V. conſtituit in Synodo Vienn. & Concil Lateran. *in cap. Monachi 2. de ſtatu Monach.* quæ eſt ergo in Concordatis, Pontificia

Pontificia de Prioratu conuentuali conſtitutio, ad primatum cœtus Presbyterorum, ceu Collegij Canonicorum non trahitur.

Secundo Præpoſituræ ſæculares, quæ ita ſunt electiuç, vt tamen ſint collatiuç, nominationis regiæ legem non ferunt, quia in iis forma *can. quia propter de elect.* non ſeruatur, quod tamen Concordata poſtulant, vt ad eas Regi nominare liceat. Sed Priores & Abbates qui in Collegiatis Eccleſiis primæ ſunt dignitates, eliguntur, nec confirmantur à Superiore vt *can. quia propter* exigit, ad eos ergo non ſe extendit regis nominatio.

Dico ſecundò, *Quando Abbas & Prior ſeparati, & a Canonicorum corpore diuulſi manent, in eorum locum cum obeunt, ſuffici nullus poteſt, ſine Rege, eiuſque voluntate, nominatione, ac aſſenſu.*

Ratio eſt, quod ſint Abbatia ac Prioratus Conuentualis electiua beneficia, quibus ante Concord. nemo niſi ex forma *can. quia propter*, præfici mos erat: ergo cum in iis mutatio nulla ſit facta, præbendarum quæ cœnobiticæ erant, tranſlatione in ſæculares, vt ante nominationi erant regiæ hæc beneficia obnoxia, ita & eſſe modo, pronunciauit Senatus in magno conſilio anno 1596. inter Dominicum Reſſeguier. & Franciſc. Diſarny de S. Aphrodiſij Valentini Abbatiali titulo inuicem magna animorum ac virium facultate contendentes, vt refert Peleus in forenſib. *lib. 1. act. 8.*

QVÆSTIO XI.

An Eccleſiæ Collegiatæ Decanatus, nominationi ſit regiæ obnoxius.

Cauſa dubitandi eſt, quod veteri, eoque laudabili Eccleſiæ inſtituto, nemo ad eum vocari ſit ſolitus, niſi & publice de moribus eius inquiſitione habita, & Capituli ſuffragatione ac aſſenſu, ex quo fieri aiunt aliqui, vt ad eum peruenire, nemo niſi nominatus à Rege valeat.

Confirmant hoc argumento. Electioni ſucceſſit nominatio, vt Concord. habent, ergo & Decanorum electoribus in Eccleſiis Gallicis, is qui eſt eorum fundator ac Patronus, Rex Chriſtianiſſimus. Hæc illi.

Quibus oppono primo, quod eorum tantum Rex ſibi nominationem vendicet, qui ſunt Prælati, ita Leo in Concord. de regia ad prælaturas *parag. 1. Canonici ad electionem, poſtulationem inibi futuri prælati procedere non poſſint*, ſed Decanatui prælaturæ nomen, reſque ea ſignificata voce non conuenit, cum iuriſdictionem in foro externo nullam ſupra Canonicos obtineat, ſed tantum principem locum in choro & Capitulo, vt non tam dignitas, quam perſonatus cenſeri eam ob rem debeat.

Secundo ad eas tantum Cathedralis Eccleſiæ dignitates Rex nominat, quarum vacatio, Eccleſiam paſtore facit eſſe vacuam. ſed ad hoc beneficiorum genus, Decanatus non pertinet, ſed ſolus Epiſcopatus pro Cathedralibus Eccleſiis, pro cœnobiticis Abbatia & Prioratus: ergo vt regia Francorum Regum nominatio ad præfecturas ſacras ſe exporrigit, ita minorũ primatu in Eccleſiarũ, quæ Collegij nomine tituloq; cenſentur, non procedit.

Tertio Regis nominatio eo ſacerdotiorum genere circũſcribitur, quibus ſuffragio communi conferendis, adhibetur forma *cap. quia propter, 42. de elect.* At eſſe Decanatum de hoc genere nemo dixerit, qui eius vacatione, Eccleſiam nõ fieri paſtore viduam intelligit, quod tamen Innoc. III. in eo *cap. poſtulat.*

Argumentis reſpondend. priori quidem, verum eſſe in multis Galliæ Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis, Decanum, canonicorum ſuffragiis ſublegi, cum qui eum præceſſit, ſine reſignatione diem ſuum obiit, negandum tamen eam electionem de illarum eſſe numero in quibus forma *cap. quia propter de electione*, obſeruatur, quod Concordata tamen poſtulant, vt beneficium, cui more inſtitutoque maiorum ſucceſſor in vicem mortui per electionem quæritur, Regis nominationi ſubiaceat.

Secundi reſponſio eadem, quæ primi, Regis præſentationem electioni quidem ſuccedere, ſed non alteri, quam quæ pro regula, ſuique modo canonem habet Innocent. *quia propter* quam in ſententiam eſt decretum Prætoriani Senatus pro Decanatu Ædis S. Seuerini, S. Æmiliani ad Burdigalam S. Germani de *l'Auxerrois* apud Lutetiam, quam lege nominationis regiæ non teneri, etſi electiuus eſſet, auditis hinc & inde Patronorum rationibus, pronunciaſſe ſcribit Renatus *de polit. lib. 1. tit. 1. nu. 16.*

Obiicies, eſt Decanus, ac quilibet cuiuſlibet Eccleſiæ Collegiatæ Præpoſitus, Prælatus, at quiſquis eſt in regno talis, ſi modo Canonicorum iudicio, calculoque renunciatur, nominatione comprehenditur Principis: ergo, &c.

Maior probatur, eſt Prælatus, qui in dignitate conſtitutus, iuriſdictionem fori externi habet ac interni: at hanc ſibi Decanus vendicat, nam in primis de Remenſi conſtat, pane cum cœleſti ac ſacro, canonicos in extremis poſitos paſcere viatici nomine, oleoque, ad extremum cum Dæmone certamen forti capeſſendum animo, vngere, quæ Curati partes ſunt non vltimæ, muniaque eius propria, qui in foro interno poteſtatem habet, cum Sacramenta dare nemo niſi ſubditis poſſit, ac debeat.

A Iuriſdictionis autem, in externo foro ſunt hæc indicia, primum quod mouere piorum cœtu, hoc eſt excommunicare, ac ſacris interdicere Decanus valeat, argumento eſt, quod de Decano Aurelian. ſcribit Innoc. IV. *in cap. dilecto filio 6. de ſentent. excomm. in 6.* cum nempe in Balliuum quendam arma exeruiſſe ſpiritualia, dixiſſeque *pro ſuo munimine* excommunicationis ſententiam.

Secundum quod Decanus Altiſiodorenſ. *in cap. 55. de appell.* Presbyterum quendam domus Dei, ab eius vrbis Epiſcopo miſſum in vincula, ac excommunicatum ob furta, *quem ad iuriſdictionem ſuam ſpectare aſſerebat*, reſtitui ſibi ab eodem voluit. B

Quid? quod Decanus Andegauenſis *in decret. Dilectus filius 34. extra de præbend. ex donatione regis, præbendarum eiuſdem Eccleſiæ, collationem habere* dicitur? quæ eſſe haud dubie ſine poteſtate regendæ Eccleſiæ, ac aliquali in eam iuriſdictione eſſe non poteſt.

Reſpondend. id Decanis de quibus eſt facta mentio communi iure non competere, ſed ex priuilegio ſanctæ Sedis, donatione Regis, aut conſuetudine longo annorum fluxu corrobata, loqui nos autem de eo quod vulgo fit, & vtplurimum. C

Deinde etſi quæ de Decanis proferuntur ex Pontificum decretalibus, vera forent, nego tamen ad eos idcirco nominationem pertinere regiam.

Primo, quia non eliguntur ex formula ab Innoc. præſcripta *in cap. quia propter*, cuiuſmodi duntaxat, & non alij, nominari à Rege ſunt ſoliti.

Secundo, quia non ſunt Prælati, ſed perſonatus, quibus in Capitulo, & choro, locus eſt præ cæteris dignior. D

Quod de Remenſi affertur, cauſæ non nocet noſtræ, cum id eum agere non ſit improbabile Archiep. voluntate ac conceſſu, cuius ſit in hac parte Vicarius, quæ autem de Decanis à nobis ſunt dicta, omnes ſpectant, nec ad vnum aliquē ſunt reſtringenda Decanatum.

Quod ſi hunc à Rege nonnunquam conferri vſuuenit, fit id ab eo, non quia nominatione comprehenditur regia, aut per Concordata, ſed quia pars eſt eius patrocinij aliqua, vtpote originem ducens à regali eius beneficentia, quia ab eo eſt fundatus, annuiſque ditatus obuentionibus, vt de Præpoſitura S. Petri Doratenſis in Pictonibus, refert cum Choppino *num. 18. lib. & tituli ante citati*, Bleyanus *tract. de maiorib. & minorib. benefic. num. 58. litera S. ad margin.* E

QVÆSTIO XII.

An ad Epiſcopatus, aut Abbatias vacantes per Simoniam, nominare Regi competat.

COmpetit, primo quia eiuſmodi beneficia cum vacant, ad ius nominationis regiæ pertinent, præterquam in duobus caſibus, mortis nempe beneficiarij in curia, & incapacitatis præſentati à Rege, quia ſcilicet iis eſt deſtitutus qualitatibus, quibus inſtructum eſſe conuenit nominatum à Rege. At per Simoniam, iure quis acquiſito in Epiſcopatu, aut regulari primatu excidit, vt dicetur poſtea, habetque expreſſe *Extrau. cum deteſtabile de Simon.* inter communes. Quid ſi precio extorta eſt regis nominatio? vt ſi eius domeſtico ac familiari, det quis pecuniam ea lege, vt hanc ſibi ab eo impetret?

Reſpondend. nullam fore, Cœleſtini III. fuit hic ſenſus *in cap. nobis fuit 27. de Simonia.* Enimuero cum de quodam quæſtio eſſet, qui in plebanum amicorum opera, emptiſque ſuffragatorum vocibus electus erat, ecquid eſſet eius rata electio?

Reſpondit, videri ſibi, *quod eius electio, tanquam Simoniaca prauitate præſumpta, eſſet penitus reprobanda*: at eſt vnius præ aliis ad beneficia vacantia nominatio, quædam electio, eſt hæc ergo expreſſa, obtentaque pretio aut pecunia alicui numerata, omnino inanis ac irrita, proindeque de alio, iterum facienda à Principe.

Verum enim (inquies) qui indignum eligit alterius eligendi pro ea vice, poteſtate eſt priuatus: ergo & Rex iure nominandi.

Neganda eſt conſequentia, quia in odioſis, quæque pœnam adiunctam habent, argumentum à ſimili, aut à maiori ad minus non valet: ſunt enim odia mitiganda vt habet regula iuris, leniendę pœnæ, fit id vero, cum eius legis, quæ eſt pœnalis, verba in propria ſua, ac natiua ſumuntur notione, nec hæc alio quam cuius cauſa eſt a legiſlatore ſancita trahitur: ergo cum hic electores ſolos, cum eligendo peccant, iuris ad eam electionem pro illa vice iterandam, priuatione puniat, non eſt hæc pœna cum Rege male nominante, communicanda temere.

QVÆSTIO

QVÆSTIO. XII.

An ad Prioratum Monachis vacuum, nominare rex queat.

DE Conuentualibus eſt hic ſermo duntaxat, nam ſæculares, quos ſimplices nominant, extra nominationem ſunt Regis, quia cùm familiam non habeant, electioni ſubeſſe nequeunt, eſſe enim hæc ac fieri debet, non ab extraneis, ſed à Collegio, eiuſque membris, at prioratus quos ſimplices nominant, cœtum non habent, vnico duntaxat conſtant homine, à quo reguntur. Eſt ergo de conuentualibus præſens intelligenda quæſtio.

Et Reſpondeo negatiuè. Ratio eſt, quod etſi ſit per accidens eos Monachis eſſe deſtitutos nullos tamen verè habent.

Secundo, hos tantũ nominatione Principis Prioratus deſignari, indubitati eſt iuris, qui ſunt Conuentuales & electiui, at licet eſſe poſſint de hoc numero, habitatoribus, ac monachis Prioratus vacui, nõ ſunt tamẽ ad eos ergo religioſis deſtitutos, ac carentes, nominare Regem non poſſe, vbi vacauerint, non ambigo.

Eſſe autẽ Prioratũ conuentualẽ probãt quæ ſequuntur, religioſorum congregatio, cœtus in Capitulo per eoſdem ſæpe habitus, nouitiorum communi eorundem ſuffragio admiſſio. Erit electiuus, ſi fundatione, aut conſuetudine inueterata, ac quæ memoriam ſuperet, ſuperiorem vnum aliquem de cœtu ſibi ſuo eligere, aut aliunde poſtulare ſunt Monachi ſoliti, ſi electus, fuit ab eo cuius intererat ex canonum præſcripto, formulaque confirmatus, nam qui Prioratus, aut Eccleſiarum præpoſituræ, electiuæ ſimul ſunt, & collatiuæ, vt Decanatus, quia confirmationem non requirunt, regiæ nominationis lege non teneri, omnium eſt iuris interpretum opinio, Rebuffi maxime in Concord. de regia ad Prælaturas parag. Monaſteriis verbo verè electiuis.

QVÆSTIO. XIII.

An Prioratus Vallis ſcholarium, ac domus ſeu Miniſteriatus Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis regiæ nominationi ſubiaceant.

DE Prioribus nullus eſt ambigendi locus, cum id Regi, in Comitiis Bleſenſibus decernete, è re eſſe communi ſit viſum, ſic enim *art. 3. Pour reſtablir, conſeruer, & entretenir l'eſtat regulier, voulons qu'aduenant vacation des Abbayes qui ſont chefs d'Ordre, comme Clony, Ciſteaux, Premonſtré, Grandmont, le Val des Eſcholiers, S. Antoine, la Trinité dite des Mathurins, le Val des Choux, & ceux auſquels le droict d'election a eſté conſerué, y ſoit pourueu par election des Religieux Profez deſdits Monaſteres, comme auſſi aux Abbayes de S. Edme, Pontigny, la Ferté, Cleruaux, Morimont.*

Hinc enim, argumentandi ſe hæc mihi ratio obiicit. Exceptio in non exceptis firmat regulam, qui ergo prioratus Monaſtici regularium cœtum habentes, ideoque conuentuales dicti, non erunt de recenſitorum numero, cenſendi ſunt Concordatorum lege Pontificia, de regia ad Prælaturas nominatione comprehendi, quod quam ſit verum, Patrum recenti memoria patuit. Enimuero cum anno 1594. cœnobitarum qui tum in D. Catharinæ clauſtrali domo degebant, communibus ſuffragiis Prior eius domus renunciatus eſſet Frater Nicol. Hardy, cum tamen ad eam admitti poſſe dignitatem Senatus negauit, quod Henricus eius nominis quartus, alium qui illã ſuſtineret, pro ſuo iure nominaſſet: Peleus *in actionib. forenſib.* & Tournetus *in arreſtis litera N. verbo nominatio art. 13.*

Diſpar eſſe noſtrum, ac omnium de Miniſteriis, (vti hac mihi voce liceat, aliarum inopia, quæ domorum Ordinis S. Trinitatis naturam explicent) diſſimile (inquam) noſtrum de Miniſteriis huius ordinis iudicium eſſe conuenit.

Primo, quia ſunt hæc Henrici II. beneficẽtia regia, a nominationis ſuæ iure immunia reddita, anno 1557. factum idem, à Franciſco II. anno 1559.

Secundo, quia in beneficiis ad quæ ſola nominare Regi licitum, locum non habent, ſunt enim hoſpitales inopum domus, ſic à Pontifice, ac fundatore Ordinis principe, vocari in regula ſolitæ. *Singulis*, inquit ille, *noctibus ad minus in Hoſpitali coram pauperibus pro ſtatu, & pace Romanæ Eccleſiæ fiat oratio*, ſuitque cum curandis olim pauperibus eius alumni darent operam, memini audire me non ita pridem eos Pariſiis olim glorioſum hoc ac nobile obiiſſe miniſterium, quamque nunc domum incolunt, inopum fuiſſe domicilium, nec alibi Lexouii ac Auenione etiamnum habitare huius diſciplinæ æmulos, quam in deſtinatis ad miſerorum ſubſidium xenodochiis ac domibus.

Quid? quod huius Ordinis Præfecturæ, non niſi in electorum reſignari manibus ſoleant, quod qui in eo ſummum magiſtratum gerit, de Fratrum ſententia, ſi quid à perſonę maieſtate quã ſuſtinet, alienum faciat, exui eo queat? *Maior miniſter ſi pro exceſſibus ſuis corrigendus ſit, aut deponendus, per quatuor aut quinque miniſtros eiuſdem Ordinis magis religioſos hoc fiat.* quæ quam parum naturæ bene-

ficij congruant, quod eſt perpetuum, etiam me tacente res loquitur.

QVÆSTIO XIV.

An Eccleſiarum tam quæ Collegiatæ ſunt, quam quæ Cathedrales, dignitates præcipuæ quæ ſunt electiuæ, regiæ nominationi ſubiaceant.

CONſtat primo minorum Eccleſiarum Decanos, aut qui principem in iis dignitatis locum ſub nomine obtinent Theſaurarij vel Cantoris, non niſi canonicorum ſuffragiis eo vocari, ac conſcendere ſolitos eſſe, quemadmodum Pontificiæ legis conſulti adnotarunt *in cap. cum ab Eccleſiarum de offic. ordinarij*, & Cœleſt. III. *in cap. ex parte veſtra de clericis non reſidentib.* vbi eligendi Decani qui eorum Eccleſiæ præeſſe valeat, liberam illis annuit facultatem.

Conſtat ſecundo in multis Galliæ Eccleſiis, inueteraſſe hunc morem, vt ſacri Collegij Primatus, non alij deferatur, quam Collegarum omnium electo ſuffragiis, non autem vnius reſcripto Pontificis, ambitioſius exquiſito ſæpe quam iuſtius. Eius generis ſunt Decanatus S. Germani Pariſienſ. matricis Carnutum Eccleſiæ Royenſis in Picardia, S. Vedaſti apud Sueſſiones, S. Æmiliani apud Burdigalam.

Certum eſt tertio, electionum duplex genus eſſe; alterum quod Epiſcopus confirmare eſt ſolitus, ex Concil. Lateran. *in cap. nihil in cap. cum dilectus de elect.* Bonifac. VIII. *conſtit. vltima eod. tit. in 6.* in altero non eſt Epiſcopi confirmatio neceſſaria, ſed eadem opera qua canonici eligunt, ſuis quoque ſuffragiis beneficium conferunt, Rebuff. *in Concord. rubric. de regia ad prælaturas nominat. parag. Monaſteriis, verbo electiuis.* Confirmantur ab Epiſcopo vbi primum ſunt electi, Decani SS. Petri & Maximi apud Barrum Ducis in Lothar. S. Germani Pariſienſis. S. Florentij de Roya, de quo eſt in Philippi Regis reſcripto de anno 1346. his verbis: *Quod Decanus electus confirmabitur per Epiſcopum & ab eo recipiet curam, iurabitque eidem Epiſcopo obedientiam, in his quæ concernunt curam & compoſitiones ſeruare.*

Confirmatione non egent qui ſunt collatitij, quod accidit, cum canonici ſuis ſuffragiis ad decanatum eligunt, & iiſdem illum conferunt, quo de genere eſſe Lemouicenſem Peleus *in actionib. forenſibus*, & Chopp. *lib. 1. de ſacr. polit. tit. 2. num. 2. ad margin.* aſſerunt.

His præmiſſis, facilis eſt ad quæſtionem, obuiaque reſponſio, quam perſpicuitatis gratia bimembrem facere placet, ac in priori

A eius parte dicere, Beneficia, quæ non ſunt electiua, niſi impropriè nominatione regia non contineri. Quia ad eam hæc duntaxat ſacerdotia pertinent, quæ vt verè electiua (ſic enim Leo loquitur loco qui proxime eſt citatus) eorum ſuffragiis quibus fas erat eligere deferebantur idoneis *§. vlt. in ver. Capitulis Eccleſiarum de regia ad prælatur. nominat.* at non ſunt talia, quæ eadem opera eligere ſimul & conferre canonici, hoc præciſe nomine cenſentur, quo electo nulla eſt ad electionem ſuam comprobandam requi-
B ſita ſententia.

Quid? quod Regis nominatio, eo Sacerdotiorum genere nuncupatim circumſcribi ſoleat, quibus per ſuffragium conferendis adhibetur forma ab Innoc. III. præſcripta *in cap. quia propter de elect.* At non eſt hæc in electionibus de quibus eſt ſermo, vſitata vt patet, non ſunt ergo de eorum beneficiorum numero, ad quæ Regi nominare ſit poteſtas.

Dico ſecundo, in eandem quoque includenda claſſem eſſe, quæ cum ſint Eccleſiarum minorum, aut Cathedralium capita,
C præcipuæque dignitates, ſic ſuffragiis eligentium conferuntur, vt ſuperioris auctoritate Præſulis, confirmetur electi ad ea promotio.

Primo, quia vt notant canonum interpretes, Rebuff. Guymerius *in Pragmatic. ſanction*, Renat. *de ſacra polit. lib. 1. tit. 2. num. 3.* non eſt electio propriè ſumpta, niſi quando cum ſacerdotio quod vacat, vna quoque Eccleſia Paſtore ſuo vacua fit ac vidua *Gloſſa in verbo Prælato de elect. in pragmat. Sanct.* At quis Eccleſiam, parente deſtitutam putet, ſi Epiſcopo ſuperſtite adhuc,
D integro ac valente, viuere Decanus, aut Cantor deſinant? non ſunt ergo dignitates poſt Epiſcopalem, in Collegiatis Eccleſiis, aut Cathedralibus maiores, electiuæ tamen, nominationi regiæ obnoxiæ, vt declaraſſe Henricum II. anno 1550. narrat Tournetus *ver. nominatio art. 16.* ciuſque auctoritate ac exemplo, magnum conſilium anno 1538. arreſtis duobus, quorum tam hic, quam ſcriptores Galli meminere. Ita-
E que qui Eccleſiis quæ patronum regem, conditoremque ſolum agnoſcunt, ab illo Decanus præponitur, præponitur non quaſi à nominatore ſed collatore, Choppin. *lib. 1. polit. tit. 1. num. 18.* auctori ac teſte.

QVÆSTIO XV.

An prabenda ad quam Rex pro iucundo ſuo aduentu, aut ratione iuriſiurandi ſibi ab Epiſcopo præſtiti, quempiam nominat, ita ſit ei affecta, vt facta eius collatio alteri, ſit irrita.

NEquaquam, quia quæ mandatorum eſt Pontificiorum ratio, eadem eſt quoque nominationum, quarum Rex eſt auctor, at mandata Papæ de prouidendo, factam ab Epiſcopo collationem alteri quam mandatario, eam inanem, nullamque iure ipſo non reddunt: ergo nec Regis nominatio.

Maior eſt certa, cum quo modo Ordinario præcipit Pontifex, vt beneficium primo vacaturum deſignato à ſe homini tribuat, Rex quoque Antiſtiti ad Eccleſiæ gubernacula recens euecto, beneficium à ſe nominato dari imperet.

Minor probatur, vt collatio teneat, duo ſunt neceſſaria, & nihil amplius, ex parte conferentis, poteſtas, eaque cenſuris non impedita, aut aliter, ex parte collatarij, ſeu recipientis beneficium, capacitas. At poſſunt res hæ duæ côcurrere, cum fit beneficij ab Epiſcopo certæ perſonæ à nominata diſtinctæ collatio, erit hæc ergo etiã poſt mandati Pontificij, aut Regiæ nominationis inſinuationem valida.

Ne tamen id feciſſe Epiſcopus impune, aut à Pontificis ac Regis voluntate abuſſe videatur ſine crimine, mandatario in pœnam eluſi mandati, præſtare tantundem annuatim debet, quanti eius intererat alteri non poſtponi, beneficioque illi dato non priuari. Ita Innoc. III. *in decretali dilectus 27. extra de prabendis*, ibi enim Epiſcopo præcipit, quod ſi vacaſſe præbendam conſtiterit, quo tempore eius ſunt ad Nouarienſ. Eccleſiæ canonicos delatæ literæ, eamque alteri in eluſionem mandati ſui contulere, *eundem Clericum ſi non habet ſufficiens beneficium Eccleſiaſticum, in canonicum recipi faciat, & ſibi de reditibus Eccleſiæ ſingulis annis aſſignari prouentus, donec ei ſit in beneficio prabendali prouiſum, & cap. paſtoralis 29. de iure patronat.* conſtituit *vt Epiſcopus, qui præſentatum idoneum malitioſe recuſauit admittere, ad prouidendum eidem in competenti beneficio compellatur, quatenus puniatur in eo, in quo ipſum non eſt dubium deliquiſſe.*

Quam Innocentij æquitatis pleniſſimam ſanctionem, ſeruandam ſibi Curia quia credidit, pari pœna, qua Innocentius olim Nouarienſis Eccleſiæ Canonicos, eos plectit, qui præteritis, quos beneficio primo vacaturo donandos, Rex Epiſcopo aut Capitulo

A obtulit, ſi alterũ admouent: ita ſunt an. 1605. eiuſdem auctoritate expreſſa per ſententiam, iuſſi Decanus, & Turonenſes S. Martini Canonici, nominatum à Rege, ſuo cœtui aſciſcere, cumque primo morituro in eius præbendæ poſſeſſione ſubrogare, ac ni facerent, tantum ei penſionis tribuere nomine, quanti ſunt reditus cuiuſque eius Eccleſiæ præbendati.

Dixi *primo morituro*. Nam ad beneficia, quæ reſignatione vacant, aut eorundem inter ſe permutatione, Regis nominatario adi-
B tus non patet, vt reſpondit Bonifac. VIII. in *cap. licet vnico de rer. permut.* nec ſi ad aliquem canonicum *eorum collatio ſingulariter pertinere noſcatur de prabend. in 6. cap. mandatum 41.* Addidi *poſt mandati, & nominationis inſinuationem*, factam Epiſcopo. Nam etſi hæc ſola, reſpectu mandati non ſufficiat, niſi & Bullæ eius executoriales, eidem ſint Ordinario inſinuatæ vt docent Peleus *in forenſ. lib. 2. actione 34.* Papon. *lib. 2. tit. 6. arreſt. 3.* non eſt hæc tamen in nominatione regia neceſſaria, cum ab Epiſcopo nullus ſit alius, ad
C quem ſuas Rex literas de prouidendo nominatario dirigat.

QVÆSTIO XVI.

An Beneficia electiua omnia ad nominationem Regis ſpectent.

PRo affirmante eſt, quod Canonicis ac Monachis, quibus ante Concordata, eligendi ſibi Prælati ius erat, Rex, Leonis X.
D voluntate ſucceſſerit, quæ ergo beneficia priſco Patrum æuo, ſuffragantium dabantur calculo, ad hæc modo, nullis, niſi nominantis Regis voluntate, munificentiaque patet aditus.

Secus loqui ac ſentire eos eſt neceſſe, qui non ſunt neſcij, capita Ordinum Gallicè *Chefs d'Ordre*, Regis Henrici II. indulgentia, ad Primatus ſuos regiæ nominationis legibus non teneri, quod hos ab illis voluerit ad Dei gloriam, Ordiniſque bonum eſſe liberos, quod reſcripto eſt ſuo teſtatus anno
E 1550. Iulij 29.

In eandem claſſem, ſunt cogendi Abbates ex Ciſtercenſium ordine præcipui quatuor, Claræuallenſis, Pontiniacenſis, Moriſmundi, & Firmitatis, de quo eſt his verbis Henrici III. perſcripta ordinatio in comitiis Bleſenſib. *art. 3. Aduenant vacation des Abbayes & Monaſteres, qui ſont chefs d'Ordre, comme Cluny, Ciſteaux, Premonſtré, Gramont, le Val des Eſcoliers, S. Antoine de Vienne, la Trinité des Mathurins, le Val des Choux, & ſemblablement és Abbayes de S. Edme, Pontigny, la Ferté-Moriſmond & Clervaux, il y ſera*

pourueu par election des Religieux Profez deſdits Monaſteres.

Fulienſibus item ab Henrico IV. anno 1600. indultum aiunt, vt Ordinis ſui Præpoſitum Generalem, ſuis ſibi ſuffragiis cooptarent, quem eo magiſtratu cæteris digniorem crederent.

Morem quoque ſolennium Eccleſiæ pſiphiſmatum, in minoribus Ciſtercienſium conuentibus olim vſurpatum ſcimus. Enimuero, cum hi vulgo, contra quàm eorum ſtatuta ſinunt, commendarentur ſæcularibus Clericis, Ludouico XI. ita decernente, ſunt commendæ eorum omnes abrogatæ, ſtatutumque literis patentibus verificatis in Senatu die 11. mart. ann. 1483. ne alij in poſterum, quam qui ſuffragatorum ſodalium puncta tuliſſet, cenſeretur ad ordinis cœnobiarchias idoneus, verum diu non fuit, cum mutato dehinc Rege, mutata quoque eſt, eius liberalitate. Ordini poteſtas facta, eligendorum Abbatum ad omnia illius Monaſteria. Fuit tamen hæc facultas poſtmodum, in Bleſenſib. comitiis ad Abbatiam Ciſtercienſ. ac quatuor vt loquuntur eius filias reſtricta anno 1579.

Eſt quoque in Lirinenſi Monaſterio, antiquarum electionum vſus, annuente Rege ſeruatus: Enimuerò cum in eo diſciplinam veterem extinctam, Auguſt. Grimaldus eiuſdem Abbas commendatarius gemeret, cum Caſſinate illud vniendum Papæ Regiſque auſpiciis credidit, ea lege, ne amodo alij, quam qui religioſi forent, iique concordibus Monachorum votis expetiti, illi præeſſent: quod Leoni decimo, ac Franciſco primo cum placuiſſet, in ſuam illos clientelam, cœnobiumque ipſum recepere ambo, de quo etiam extare teſtimonium apud poſteros vterque voluit, Leo quidem diplomaticis literis anno 1515. 17. Ianuar. datis Florentiæ, Franciſc. primus ſub idem tempus, aut non multo ſecus, cui Aquenſis curia Prouincialis, eſt tum aſſenſa, quod ipſum quoque conſecutis temporibus feciſſe Henricus 2. dicitur, ac ne iterum Religioſus inibi langueret ardor, curaſſe ſedulo. Ceſſat ergo in Lirinenſi monaſterio, prærogatiua regia nominandi Sanctæ ſedi Abbatis qui illud regat, quod non Franciſci modo primi, ac Henrici 2. ſed & Henrici eius nominis quarti ſumma voluntate factum eſſe conſtat, dato ea de re diplomate pridie Nonas Decemb. anni 1567.

Factum quoque non ita pridem poſtulante felicis recordationis Cardinali Rupefocaldio, annuente vero Ludou. XIII. Lutetianis apud S. Genoueſam regularibus Canonicis vt liceret, Abbatem ſibi deligere, qui & ipſe Canonicorum ex S. Auguſtini præcepto viuentiũ, Generalis eſſet in Gallia, A quod ab eodem Cardinali iterato poſtulatũm cùm eſſet, ei eſt ſecundo magna eiuſdem Principis voluntate conceſſum anno 1643.

Quarto ab eo quoque ſunt nominationum iure eximendæ Abbatię reformationis Caſæ Benedicti quinque numero, ſolennibus Henrici 2. tabulis num. 1547. Caroli 9. anno 1571. Henric. IV. an. 1602.

Quinto Prioratus conuentuales quatuor, qui primo ab auſpicata Abbatis Grandimõtani electione vacant, hos enim iſte cui eſt B collibitum, cum conſilio tamen conuentus largitur, pro iucundo ſuo in Monaſteriũ ingreſſu, Gallice *ioyeux aduenement*, quare ad ea Sacerdotia, primatuſque quatuor Rex non nominat, licet conuentum habeant, nec item ad Cœleſtinorũ, Vuilelmitarum, Carthuſienſium Prioratus, quemadmodum nec ad Præfecturas Ordinis. Quia nec hæ, nec præfati Prioratus, Eccleſiaſtica ſunt beneficia cum non ſint perpetua.

C

QVÆSTIO XVI.

An Preceptoriæ S. Antonij ac Melienſes, regiæ ſint nominationi obnoxiæ.

DE Melitenſibus, dubitarum à multis video, quod Equitum Magiſter, communibus fratrum ſuffragiis, ex præſcripto ordinis Hieroſolymitanæ militiæ renũtiari ſoleat Princeps, hinc enim nõ pauci inferunt, ſuprẽmũ hunc equeſtris familiæ Melitenſis magiſtratũ, Regiæ nominationi ſubeſſe, quod quæ beneficia olim eſſent electiua, modo Leonis D decimi beneficentia, eſſe deſierint talia, vt Regiæ nominationi inciperent eſſe obnoxia.

Addunt, à Regibus Patrum æuo, electos fuiſſe qui ſex magnos Galliæ Prioratus (vt loquuntur) auctoritatę ſua regeret, Galliæ quidem, à Franciſco primo fuiſſe præpoſitũ, D. de Preaux, ab Henrico II. Franciſcum à Lotharingia, à Carolo IX. Engoliſmenſem Comitem, ab Henrico III. Comitem de Claromonte, quod ſanè pro ſua in Ordinem pietate, non feciſſent vnquam, niſi id ſe poſſe, apertis tum documentis noſſent.

Verum enim, in eiuſmodi S. Ioann. Hieroſolymitani beneficia, ius regale nominandi, aliquod Regi eſſe ne exiſtimem, impedior E hoc maxime nomine, quod non alia beneficia, propriè in electiuis ſint habenda, quam quæ confirmatione Superioris egent, vt eſt dictum antea, eſtque *in cap. auaritiæ. ſ. de elect. in 6.* At non ſunt Archiprioratus Franciæ de hoc genere, ſed ſunt electiua collatiua, hoc eſt talia, quæ hoc ipſo, electo conferri validè ſunt cẽſenda, quod ad ea per electionẽ aliquis admouetur: quarę vt ea adminiſtret & regat, cõfirmari

mari non poſtulat, & ita nobiſcum ſentiunt, Rebuff. *in tract. de nominat. q.15. num.16.* Fabric. *in Theor. tract. de Præceptorijs.* Ad argumenta pro opinione cõtraria initio allata Reſpondend. primo, quod de generali Ordinis præpoſito affertur, ad rem non facere, quia non eſt eius præfectura regni legibus concluſa: ergo cum ad eas duntaxat Regia ſe poteſtas in nominando efferat, quod de Melitenſi profertur, tanquam ad id quod agitur inutile, reiicitur.

Ad alterum reſpondend. quæ Reges moliuntur ac Principes, quia iure ſe agere bonaque fide exiſtimant, ſæpe vitioſa non eſſe, non tamen imitanda ſemper, quia ſunt æquitati, ac non raro alieno iuri contraria, quod in præſenti cauſa qui aſſereret, eum à vero abludere, non putarem: Enimuero cum ſe, ſuique Ordinis olim à Regibus læſum eſſe, per Legatos apud Henricum IV. queſti Equites eſſent, appellare ad Archiprioratus Aquitaniæ regimen qui tum vacabat, neminem voluit, quod id ſe poſſe certo non conſtaret, ab auctoritate ergo factoque Regum peti argumentum verum nullum poteſt, pro eorum nominatione ad ſex Melitenſium præfecturas maiores in Gallia, vt enim anno 1578. Senatores regij, iuſſi ſuper eo Regum iure, ſententiam proferre, pari omnes aſſenſu pro iis, eorumque in hac materia poteſtate dixerunt, ita anno 1595. in Henricum quartum tulere contrariam, quem enim ad Aquitaniæ Archiprioratum præceſſorum exemplo nominarãt, alteri, quem generalis Ordinis Magiſter, cum auctoritate illi præfecerat, iure dixerunt eſſe imparem, proindeque eidem ſacro ordinis, ad quem à Rege vocatus erat, Magiſtratu abſtinendum eſſe, Peleus *in forenſib. lib. 1. actione 12.* Forgetus *in tract. de perſon. Eccleſ. cap. 19. num. 2.* Renat. *de domanio tit. 10. num. 12.* ita reſpondendi Principi, à quo erant ſerio Senatores præmoniti, ne ad Hieroſolymitanæ militiæ primatus ſibi nominandi poteſtatem, contra fas, æquumque aſſererent, ita (inquam) reſpondendi cauſa fuit, quod liqueret publica eius ordinis lege, quæ olim à P. Aubuſſone Magiſtro eſt prolata. *Electionem Priorum, Caſtellani Empoſtæ, & Baiuliuorum, ad Magiſtrum, & Concilium ordinarium pertinere.*

Deinde, cum electioni ſubrogata ſit nominatio Principis, in iſtis hæc demum recipienda locis erit, quæ ante Concordata ab eo regi conſueuerant, qui plurium fuiſſet ſuffragiis vocatus ad gubernacula domus: at nunquam non fuit, quin prædicti Priores, per ſcrutinium, à Magiſtro, eiuſque Concilio eligerentur *linguarum emiſſione pro veteri conſuetudine obſeruata.*

De Præceptoriis autem quæ D. Antonio ſunt ſacræ, ſic eſt cenſendum, eas non magis, quam quæ Hieroſolymitanæ militiæ ſunt dicatæ, nominationi ſubeſſe regiæ.

Primo, quia particularia ordinis cœnobia, ſuos cœnobiarchas ſuffragando non creant, ſed Abbates coniunctim, cum ſacro domus ſuæ, id eſt Viennenſis Sodalitio, dictis de more viritim ſententiis, ſunt ergo minores horum conuentuum præfecturæ, à iure nominandi liberæ, cum ad eas, regularium ibi verſantium ſuffragiis, cœnobiarchæ non ſint vocati vnquam.

Secundo non eſt nominatio, in aliarum electionum ſuffecta vicem, quam quæ maioris ſuperioris confirmatione indigent, vt colligitur ex *cap. auaritiæ 5. de elect. in 6.* at ſacræ hæ Præceptoriæ ſolo Abbatis, à quo ad illas noui cooptantur præceptores, aſſenſu ſunt ac approbatione contentæ, ex priſcis Antonianæ familiæ inſtitutis: Regi ergo ad Antonianas familias nominandi ius eſt nullum.

De præcipua, quæ Viennę Allobrogum eſt ſita, nulla eſt ambigendi cauſa, cum mortuo ante annos X. Religioſiſſimo eius Abbate D. Tholoſano Ludouicus XIII. ei per electionem D. de Gramond ſubſtitui ſit paſſus, iuxta expreſſam, de eadem Abbatia S. Antonij ordinationis Bleſenſis ſanctionem *artic. 3.*

DE NOMINATIONIBVS per Academiam.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit Nominatio.

QVANTI ad Rempublicam bonum referat eſſe in iis viros eruditione iuxta ac virtute præditos, norunt, qui ignorantiam malorum eſſe fontem, vſu ipſi ſuo, experientiaque queri ſolent. Fecit proinde pro ſua in regnum caritate, regnique incolas omnes beneuolentia verè regia, Franciſcus eius nominis primus, Rex Chriſtianiſſimus, vt his abundaret hominibus Gallia, quorum in ſcientia ſalus ac dignitas vrbium ſita eſſet, & quoniam iacet iſta, repitque, cum languent Academicorum animi, nec eſt virtuti propoſita merces vlla, viſum eſt illi è re communi eſſe, eorum induſtriam acuere ſpe præmij. Itaque cum Leone eius nominis decimo, per Legatum egit, eis vt certa ex Eccleſiæ prouentibus, ſtataque abſolutis ſtudiis ſtipendia ad neceſſarios vitæ commeatus ſta-

rent ex beneficiis petenda Eccleſiaſticis, quæ certis [illegible] anni menſibus cum vacant eorum affecta doctrinæ, ac virtuti. Qua de re ſic Leo in Concord. *rubrica de collationibus paragr. præfatique ordinarij, collatores ſeu Patroni Eccleſiaſtici, quicunque fuerint vltra dictam præbendam theologalem, quam vt præfertur, qualificato conferre teneantur, tertiam partem omnium dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum & officiorum, cæterorumque beneficiorum, ad eorum collationem prouiſionem, nominationem, præſentationem quomodolibet ſpectantium, viris literatis, graduatis, per vniuerſitatem nominatis conferant*, hæc Leo. Eſt autem nominatio actiuè ſumpta, perſonæ per vniuerſitatem, Epiſcopo vel alteri ordinario ad quem beneficiorum collatio, aut patronatus pertinet, legitimè facta præſentatio, vt ei de beneficio, quum deſignato ad eam rem tempore vacauerit, prouideri queat.

Paſſiue conſiderata, eſt ius perſonæ nominatæ conueniens, ſi modo rebus omnibus eſt inſtructa, quas Concordata exigunt, accepiandi & petendi beneficia, quæ eo vacant tempore, quo eidem per Concordata, illa poſtulare eſt permiſſum.

Ius dicitur, quia eſt facultas quædam in nominato ad petendum beneficium, quod ius proinde non eſt in re, cum illud nominatus needum poſſideat. *Sed ad rem*, quia ei qualificato debite, negari nequit ſine iniuria. Eſſe autem tale, rationes indicant non paucæ.

Prima, quod præſentatus per Patronum laïcum, ius in rem ad quam præſentatur, acquirat, argumento eſt primo, quod *in cap. dilectus 6. de offic. Legati*, læſum ſe Metenſis Archidiaconus, queratur quod canonicatum, ad quem ipſe tanquam patronus ius habebat præſentandi, ſedis Apoſtolicæ Legatus eo poſthabito, contuliſſet alteri.

Secundo, quod Epiſcopum aut ordinarium quemlibet alium monere, ac verò etiam auctoritate ſuperioris Prælati cogere præſentatus poſſit, vt ſe inſtituat, ac confirmet, facere id vero ſi renuat, ſeque idoneum admittere ad beneficium reſpuat, poteſt ad intereſſe agere, ſecundum Panormit. *in can. cum Bertholdus de re iudic.* Rebuff. *in tract. de nominat. q. 4. num. 5.*

Secunda ratio eſt, ius ad rem poteſtas, eaque legitima, ad quidpiam ab eo exigendum, qui dare poteſt, cuius violatio iniuriam conſtituit, tale ius eſt quod per emptionem ante rem traditam, per præſentationem ad beneficium, electionem & poſtulationem ante confirmationem, ab eo cuius intereſt obtentam habes, nam etſi tib. actionem in rem non tribuat, tribuit tamen perſonalem in illum qui vendidit, vt mercem tibi emptam tradat, in Epiſcopum, vt beneficium ad quod es præſentatus, tibi idoneo & capaci tribuat. At præſentato tale ius conuenit, enimuero ea lege Eccleſiam aut beneficium, neceſſariis ad miniſtrorum ſtipendia prouentibus locupletatum patronus voluit, fas ſibi amodo vt eſſet, nominare ad illud idoneum hominem, quem Epiſcopus, talis cum foret, teneretur admittere, ius ergo præſentatus in rem habet, quod erat probandum.

Tertia, Ordinarij vt eſt in Concord. tenentur dignitatum & beneficiorum omnium quæ ad eorum collationem, præſentationem, & prouiſionem pertinent, partem tertiam graduatis, hoc eſt literatis, cum tempore per Concordata præſtituto vacant, tradere, ſunt ergo dignitates, & beneficia tum vacantia, Papæ Romani voluntate illis affecta & debita, quia vt eſt in decret. Bonifac. VIII. *tibi qui 12. de reſcript. in 6. cum Pontifex ei ad quem pertinet collatio præbendæ alicuius, notificauit, quod eam velit per huiuſmodi poteſtatem conferre, aut interdicit ne conferas eandem, ſed illam ſuæ reſerues collationi, præſertim cum interpoſitione decreti, affecta tunc illi & non alteri debet præbenda huiuſmodi aſſignat.* At quando canonica lege, aut ſuperioris voluntate beneficium alicui deſtinatur aut afficitur, ius eidem, ad rem, tali affectione acquiritur: ita Bonifac. VIII. *in cap. ſi poſtquam 13. de præbend. in 6.* his verbis: *Eo ipſo quod canonicus auctoritate Apoſtol. fuiſti effectus, ius ad obtinendum præbendam primo vacaturam ibidem tibi acquiſitum extitit, eandemque, quàm cito vacauit (ex quo nulli alij debebatur) licitè petere potuiſti, & ideo à prædictis (licet ignorantibus) alteri conferri nequiuit.* Quod ergo per nominationem ius ad rem nominato quæratur, dictum eſt antea veriſſimè.

At enim cuiuſmodi eſt, & quale?

Spiritale ac diuinum, ratio eſt in promptu. Ius enim, quemadmodum & res cæteræ, ſpeciem ſuam trahit ac naturam ab obiecto: quare pro eius conditione, erit & iuris conditio ſpiritalis aut humana, temporalis aut diuina, ſed ſunt beneficia omnia à ſpirituali functione in qua verſantur, ſpiritualia, ergo & ius ipſum.

QVÆSTIO

A

QVÆSTIO II.

Quibus concedi nominatio debeat.

GRaduatis, hoc eſt magiſtris in Theologia, iure canonico aut ciuili, Licentiatis ac Baccalaureis in harum ſcientiarum aliqua, poſtremo magiſtris in artibus, & medicina, vel in ea Baccalaureis, modo debite qualificatis, cuiuſmodi ſunt futuri, ſi toto ſe tempore, quod per Concordata poſtulatur, in ali- B qua Regni vniuerſitate famoſa literis operam dederint, *parag. præterea de collationib. in Concord.* quod tempus pro magiſtris aut licentiatis, vel Baccalaureis formatis in Theologia eſt decem annorum. Septem pro Doctoribus, ſeu Licentiatis in iure Canonico, ciuili, aut medicina, quinque pro magiſtris, ſeu licentiatis in artibus: cum rigore examinis, à logicalibus incluſiue, aut in altiori facultate. Sex pro Baccalaureis ſimplicibus in Theologia, quinque pro iis, qui ſunt tales in iure & medicina.

Quid ſi tantum temporis in vtraque harum C diſciplinarum, nominatus non poſuit, quantum eſt ex Concordatis definitum, ſed partem Decennij in ſtudiis Theologicis, reliquam in canonicis?

Sufficere id quidam negant, quod Leo decennium pro Theologia exigat, ab eius ergo abibitur imperio, ſi quod ille, ſtudiorum tempus pro Theologis notat, diuidatur, parteque eius altera canonicis inſtitutis ac legibus addiſcendis detur.

Contraria ſententia Rebuffo placuit, in D *tract. de nominat. q. 1. num. 3.* quod cum hæ ſcientiæ, canonici iuris, & Theologiæ, mutuam ſibi deferant operam, nec in vna quis excellere valeat, ignorata altera, Theologiæ cenſebitur impenſum, quod canonum iuri non erit negatum. Eſt hæc opinio probabilis ac tuta, prior tamen magis eſt Concordatis, eorumque verbis conſentanea, quæ quia in materia ſunt odioſa ac pœnali, à quibus recedere non licet facile, in iis eſt hærendum, dicendumque, decennio Theologiæ operam dandam eſſe, vt priuilegio Graduatis conceſſo, ſuper nominatione ad beneficia, gaudere E quis poſſit: & idem eſt de diſciplinis aliis, puta iuris, ac medicinæ. Qui tamen ſecus quam nos cũ Rebuffo ſentiret, eum ex tempore iuri addiſcendo, & medicinæ diuiſim attributo, biennio ſcilicet iſti, iuri autem triennio, vnum aliquod & integrum coaleſcere, quale Leo poſtulat, dicere eſſet neceſſe. Qui tamen nobili orti ſunt gente, poſt ſtudiorum triennium, ac receptum Baccalaureatum in iure, nominari ab vniuerſitate poterunt.

QVÆSTIO III.

Qualem eum eſſe oporteat, qui ad beneficia nominari appetit.

PRimo, debet vt proximè præcedenti quæſtione eſt dictum, nauaſſe literis operam, in famoſa aliqua regni vniuerſitate, quo nomine appellari omnes poſſe, tam quæ ſunt in Aquitania, quam Normannia nec vna quidem excluſa dicit Rebuff. *in rubr. de regia ad prælatua, parrag. 1. ver. famoſa.*

Secundo, debet in iſtiuſmodi Academiarum aliqua, impleſſe tempus quibuſque ſtudiis adhunc effectum præſtitutum, de quo in præced. quæſtione.

Tertio, debet eſſe graduatus *parag. præfatique ordinarij*, & ſic, qui Academiæ ſcholas tanto tempore obiuit, quantum Concordata deſignant, ſine illo tamen doctrinæ ſuæ teſtimonio ac gradu, nominationis eſt incapax, *parag. teneantur de collationib.* Nec ſatis foret Doctoratus, Licentiæ, vel Baccalaureatus honore donatum eſſe Romę, vel magiſterij lauream in artibus, aut iure ciuili, vel canonico, cæteraque Doctorum ornamenta ac decora, Bononiæ vel Moguntiæ conſecutum eſſe, in aliqua regni vniuerſitate ea recepiſſe eſt neceſſe, fauere enim regno, eiuſque literatis, hac ſua conſtitutione Leo voluit, fauoris autem & gratiæ locus eſſe quis poteſt, ſi externi, aut extra regnum magiſterij in Theologia, aut iure inſignibus ornati, in eorum beneficiorum ſocietatem veniant, quæ Gallorum duntaxat propria eſſe Leo & Franciſcus voluere?

Equidem conſtat ſolis regni vniuerſitatibus, per concordata fas eſſe, nominare ad beneficia obtinenda, in vim indultæ ſibi ad eam rem facultatis per Pontificem, quod cum Regem non lateret, id amodo, auctoritate principali quâ pollebat, ſeruari tota Gallia imperauit, ſic enim *in ordinationib. regiis rubrica des Graduez ſimples art. 1.* Item *enſeignons aux Vniuerſitez de noſtredit Royaume & Dauphiné*, non alij ergo, quam qui Doctores, licentiati, aut Baccalaurei in vniuerſitatibus regni ſunt, Cancellarij ore, iudicioque renunciati, ad beneficia habenda, Epiſcopis ſunt aut ordinariis per Academicos, exhibendi.

Quarto, graduati debent in Quadrageſima nominari ab vniuerſitate.

Quinto, *collatoribus ordinarijs ſiue patronis Eccleſiaſticis ſemel, ante vacationem beneficij, tenentur de literis gradus, & de præfato tempore ſtudij, per literas patentes vniuerſitatis, in qua ſtuduerint, manu ſcribæ, & ſigillo vniuerſitatis ſignatas*, fidem facere. Concord. *de collat. parag. præfatique graduati.*

Sexto, vt ſit Graduati nominatio valida, requiritur primo, vt quotannis in Quadrageſima per ſe aut procuratorem, nomen ſuum ac cognomen inſinuet, non autem cæteras ſuas qualitates, vt loquuntur, nec literas item gradus ſui, ac temporis exacti in ſtudiis, ſufficit id ſemel feciſſe, vbi, & quando graduato placuit, debent tamen literæ tam gradus, quam nominationis, manu ſcribæ, hoc eſt Secretarij obſignatæ eſſe, quod inſtrumento, (vt aiunt) actiſque publicis, fides ſit nulla ſigno notarij deſtitutis, quod proinde inſtrumento ſubſtantiale eſſe Doctorum eſt opinio vt Panormit. & Decij *in cap. 1. de fide instrum.*

Cui ſigno addi quoque vniuerſitatis ſigillum eſt neceſſe, inſuper earum eſt literarum exemplar dictis Collatori aut Patrono vel eorum vicariis relinquendum, ac ne fraudi locus vllus pateat, Graduatus coram Notariis, & iiſdem collatoribus prędictas literas tã gradus, quam nominationis, & nobilitatis ſuæ, Notarij exaratas manu vt conuenit, & ſignatas, ſignificari curabit, eiuſque tam notitiæ, quam factæ per Notarios, ſuo aut Procuratoris ad id commiſſi nomine, inſinuationis teſtes literas, eorundem notariorum ſignatas manu, relinquet.

Septimo, quotannis ſacræ quadrageſimæ recurrentibus feriis, eadem ei quoad nomen ac cognomen ſunt iteranda, per ſe aut Procuratorem, & quidem renouanda eſt ei prima eorundem inſinuatio, ſaltem tacite iis verbis, de quibus poſtmodum fiet à nobis mentio, quo id anno tacere Graduatus negliget, iure ad beneficium poſtulandum excidet.

Et quoniam de literis mentio incidit, aduertendum eſt in his annum, menſem, & diem, quo ſunt datæ, ſcribi oportere, vt de cuiuſque antiquitate, ac quis anteponi è multis alteri debeat, Collatori ſit planum.

Quid? quod ea anni, menſis, ac diei deſignatio, tacite indicet, ecquid ſint ſeruata ad nominandum præſtituta tempora? nam etſi certa nulla Concordata definiant, tamen quia conſuetudo inualuit, vt in quadrageſima literæ hæ nominatoriæ publico vniuerſitatis ſuffragio dentur, habetque conſuetudo rationabilis ac præſcripta vim legis, ab ea recedendum non exiſtimo, ne eius neglectio ſi minus nominationis ſit irritatio, at certe litium occaſio.

A

QVÆSTIO IV.

Quænam in nobilibus iure Concordatorum ad beneficia vi gradus obtinenda ſunt neceſſaria.

PRimo, vt ſint ſaltem Baccalaurei in iure canonico, aut ciuili.

Secundo, vt triennium in eo ſtudij genere exegerint.

B Tertio, vt nominentur ab Academia.

Quarto, vt ſint ex vtroque parente nobiles.

Quinto, vt quæ ſupra de aliis graduatis ſunt dicta, præter tempus ſtudii, in iis ſeruentur.

Sexto, vt nobilitatem ſuam fide teſtium quatuor probent, idque in iudicio, hoc eſt Iudice loci ibi ſedente, vbi ius dicere petentibus ſolet *Quibus de rebus ſit Concord. Cum verò probatio nobilitatis fieri debeat ad effectum, vt nobiles gaudere poſſint beneficio minoris temporis ſtudij,* C *tunc nobilitas ipſa per quatuor teſtes, deponentes in iudicio, coram iudice ordinario loci, in quo eſt natus ille, de cuius nobilitate, ex vtroque parente conſtare debet, etiam in partis abſentia.*

Dixi *in iudicio*, quia extra illud facta nobilitatis probatio, vt domi, vel alibi, eſt nulla, *lege qui ſuperſtitis ff. de acquirenda hæred.* Rebuff. in Concord. *parag. cum vero litera B. in margin.* & *in tract. de nominat. q. 12. num. 17.* ſicut & facta coram non ordinario, qui ordinarius communiter non eſt alius, quam qui D loco præſidet, iuſque Principis vice reddit, rem minimè de ſe dubiam, certam paucula hæc verba, ex ordinatione Regia petita faciunt, in *rubrica des Graduez art. 11. Deuant nos Iuges ordinaires*, quales præter regios viſi hactenus ſunt nulli; cum qui ſacris ſunt addicti myſteriis, ſacerdotes aut Epiſcopi, Regi in foro operam non nauent, nec examinandis pro tribunali ciuico teſtibus, aut curandis inſtrumentis inuigilent. Quod ſi iudices ordinarij ſint in eadem vrbe plurimi, eligere nobili erit liberum quem volet, quique magis ad eius futurus eſt ſtomachum, niſi eorum E alter eſſet præferẽdus alteri, aut eorum alter, decretó Principis adeundus foret poſt alterum, quia tunc coram primo, eſſet nobilitatis facienda probatio, eo quod ex hypotheſi, cum lex aut Princeps conueniri primo loco volunt, nec præuentioni locum eſſe, ergo ſi tunc ſecus quam hic & illa imperant, quidpiam à nobili contingat fieri, peccabit, eruntque de eius nobilitate inſtrumenta manu exarata Notarij nulla, vtpote eius iudicis facta imperio, cuius ad id nulla erat iuriſdictio.

Non eſt tamen neceſſe eum de cuius nobilitate

litate agitur, & quæ ſciri per examen teſtium A poſtulatur, iudicio, cum ea ſit diſquiſitio, præſentem eſſe.

Primo, quia id Concordata non exigunt, ſed oppoſitum, cum per ea interrogari teſtes, deque re vniuerſa ſententiam illis ſuum exponere ſciſcitanti iudici liceat, *etiam in partis abſentia*.

Secundo, non eſt teſtium auctoritas fideique futura maior, ſi cuius cauſa agitur, homo nobilis intereſt iudicio, quam ergo non eſt improbabile, id ab eo non fruſtra modo, ſed & imprudenter petitum iri, vt de eo teſtes ſuper quo interrogantur, fidem faciant.

Ad hæc quæ ſunt dicta addere nobiles debent ad effectum valituræ ſuæ nominationis, vt de gradu ſuo, nobilitate, ac ſtudij tempore, literas ſuas, debitè tam Scribæ, quam vniuerſitatis ſigillo obſignatas Collatoribus, ac Patronis Eccleſiaſticis, aut eorum Vicariis inſinuent, ac ne eos inſinuationis eiuſmodi obliuio aliquando vlla capiat, iiſdem, earundem literarum exemplar vnum, cum teſtimonio Notarij manu obſignato, ac factæ prædictæ inſinuationis, loco, tempore ac modo neceſſariis, eſt dandum.

Poſtremo cum beneficium vacat, in aliquo menſe de duobus qui ſunt nominatis ab Academia affecti, illud ſibi à Patrono aut Collatoribus, conferri poterit, de quoliteris publicis conſtare oportebit, *vel literas teſtimoniales confici, ſigillo authentico conſignatas*, Innoc. IV. *cap. 1. de ſentent. excomm. in 6.* quæ quoniam graduatis quibuſlibet ſunt cum nobilibus communia, lubet hic ponere, quæ de illis vniuersè Leo præcipit *in rubrica de Collationib. parag. Teneantur. Teneantur præfati graduati tam ſimplices quam nominati Patronis Eccleſiaſticis aut collatorib. ordinarijs* D *(quibus gradus, aut nominationis literas huiuſmodi inſinuare debent) literas ſuorum gradus ac nominationis, certificationis temporis ſtudij, atteſtationis nobilitatis, duplicatas dare* (id eſt cum originalibus obſignatis à Scriba vniuerſitatis, quas tamen collator retinere non debet, ſed tantum videre earum exemplar) *ac ſingulis annis tempore quadrageſimæ, per ſe, aut procuratorem ſuum collatoribus, nominatoribus, ſeu patronis Eccleſiaſticis, aut eorum Vicariis, eorum nomina & cognomina inſinuare, & eo anno, quo præfatam inſinuationem facere omiſerint, beneficium in vim gradus* E *aut nominationis huiuſmodi petere non poſſunt, &c.*

QVÆSTIO V.

Quid ſit inſinuatio, & quarum rerum, & quo præſente fieri debeat.

EST inſinuare, idem quod notum facere, Inſinuatio idem quod publicatio, ſeu ſimplex mentis ſuæ declaratio, quæ eſt pro varietate rerum varia, & quidem in materia B donationis, inſinuare, eſt iudici ſignificare, ſe huic tantū, vel tantū donare liberè, quod ſingulos neceſſe eſt facere, cum ſumma quæ datur. 500. excedit ſolidos. Hoc eſt opinione Leſſij *lib. 2 cap. 18. dub. 13. n. 97* ſcuta Hiſpanica 700. vel vt alij volunt 750. facta vltra hanc ſummam donatio, eſt iure ciuili quoad exceſſum inualida, niſi fuerit inſinuata, vt habetur *in lege penult. Cod. de donat.*

In materia præſenti eſt Inſinuatio literarum gradus, nominationis, certificationis temporis ſtudij, ſeu nominis & cognominis, ordinariis collatoribus, aut patronis Eccleſia- C ſticis, vel eorum vicariis, legitimè per Graduatos, vel nominatos qualificatos facta exhibitio.

Sunt hæc ergo (vt ad ſecūdam quæſtionem, gradus fiat) declaranda ordinariis omnia, vt eſt in Concord. *parag. præfati graduati de collat* & in ordinat. Regis Ludou. XII. *art 8. & in rubrica des graduez ſimples art. 3.* Addi debet à nobili, qui ad Baccalaureatum, in altero iurium, intra triennium eſt promotus nobilitatis ſuæ per teſtes idoneos probatio, quod ſi ab vniuerſitate nominatus non fuerit, præter nominationem, cætera ab eo erunt Ordinariis, aut eorum Vicariis inſinuanda omnia, quæ ſunt in inſinuationis definitione à nobis explicata.

Nec id ſemel feciſſe eſt ſatis, nominatus nomen & cognomen quotannis ſuum cum reliquis, de quibus ſupra, eodem tempore, hoc eſt in Quadrageſima iiſdem Ordinariis aut eorum Vicariis patefaciet, dabitque operam, vt in inſinuationis inſtrumento inſeratur, duplicatas dediſſe ſe illis literas, hic enim cauſa, locuſque præſcinditur litibus, Ordinario autem & Patrono negandi beneficium vbi vacauerit, ac à nominato requiſitum fuerit.

Extremo loco, eſt in quæſtione poſitum, an coram aliquo, & quonam, fieri hæc inſinuatio debeat?

Quia quæ ſunt odioſa perpeſſuque grauia natura reſpuit, nec his ſe teneri quiſquam niſi inuitus fatetur, ſolus ſine teſte ac arbitro, ad Epiſcopum, aut Collatorem Eccleſiaſticum, graduatus cum literis gradus ſui, ac cæteris in vim eius, conſequendo beneficio neceſſariis non intrabit, inſinuationis ſuæ habebit vnum

aut alterum conſcium, quorum literis ac voce, ſi hanc factam negaret, erroris peragi poſſit.

Quare præter Notarium par adhibebit teſtium, quia illi ſine iſtis non creditur, *cap. quoniam 11. de probationibus*, in hæc verba. *Quoniam contra falſam aſſertionem iniqui iudicis, innocens litigator quandoque non poteſt veram negationem probare, cum negantis factum, per rerum naturam nulla ſit directa probatio, ne falſitas veritati præiudicet, aut iniquitas prævaleat æquitati, tam in ordinario iudicio quam extraordinario, iudex ſemper adhibeat aut publicam perſonam aut duos viros idoneos, qui fideliter vniuerſa iudicij acta conſcribant.* quod ſi loci vbi fit inſinuatio, conſuetudo exigat, vt hæc non niſi duobus Notariis præſentibus ac conſciis fiat, omitti non debebunt, quod hæc cum eſt rationabilis, & perſcripta, legis vim habeat, quam violare ac tranſgredi crimen eſt.

QVÆSTIO VI.

Quando & quo tempore fieri inſinuatio debeat.

AD id opportunum eſſe quodlibet, ait Tournetus in arreſtis *litera G.* mihi ad hanc rem nullum videtur quadrageſima aptius Concord. *in parag. teneantur rubr. de collation.* Ludou. XII. *in ordin. regia art. 8. rubrica des Grduez ſimples.* Verum enim quia tres ſunt quadrageſimæ, vt eſt in canone 1. *cauſa 22. q. 5.* quarum prima Paſchales ferias antecedit, feſtum S. Ioann. Bapt. altera, ſit in Aduẽtu tertia, de qua potiſſimũ ſit hic ſermo, quæri poteſt. Verũ enim quia prior ſola eſt in viu hoc tempore, proprieque dicitur quadrageſima *de conſecrat. diſt. 5. canone quadrageſimo*, ambigendi locus nullus eſt ſuper. Enimuero cum quid eſt in lege, aut ſtatuto ambiguum, quia ſignificatum habet non vnum ſed multiplicem, ad eum trahi debet, quo vſurpatur communiter, eſt enim conſuetudo, legum interpres optima, *lege ſi de interpretatione ff. de legibus*, at nobis vnica duntaxat eſt quadrageſima hoc tempore, eaque paſchati contigua, proximeque præuia, non ergo facta gradus ac literarum inſinuatio in aliis erit rata, nec ad effectum cuius cauſa poſtulatur, obtinendi ſcilicet ab Eccleſiaſtico collatore beneficii, valida.

Ratio eſt, quod quæ in lege formæ rationem habent, ſuntque ſub eo modo præcepta, hæc ſeruari ad vnguem oporteat, alioqui vim actus habiturus eſt nullam Iaſon *in leg. qui Romæ parag. Callimachus de verbor. obligat.* Sed tempus in ſtatuto, aut lege poſitum, formam facit, aut eius partem non modicam, vt dicitur *in authent. qui ſupplicat. Cod. de precib. Imper. offer.* ab eo ergo nominato aut gradua-

A to ſimplici non eſt recedendum facilè, ne iure per gradum ſuum acquiſito, ad requirendum beneficium cum vacat, excidat.

Fuit alia Gloſſæ Pragmaticæ opinio *parag. qui de prædictis in verbo facere de collat.* ibi enim eſt, non neceſſario literas ſui gradus nominato in Quadrageſima inſinuandas Collatori, ſed quolibet, id cum fructu fieri poſſe, ſufficere duntaxat ne quid in Concordata peccetur, ſi quotannis in Quadrageſima tam nomen, quam cognomen Collatori Graduatus indicet.

B Mihi tamen in eam ire ſententiam non placet, quod Leo abſolutè loquatur, verbaque (quantum ex Concord. fas eſt intelligere) quibus graduato ſuum in quadrageſima inſinuare nomen & cognomen præcipit, ſint generalia, proindeque intelligenda tam de literis quam cæteris de quibus in eo *parag.* ſit mentio, & ſic ad graduati nomen & cognomen reſtringi non debere, literas tamen duplicatas collatori exhiberi poſſe extra quadrageſimam, quolibet ſcilicet anni tempore ſcribit in Concord. Rebuff. inſuper & hanc de qua loquimur intimationem fieri

C poſſe tam ſacro die, quam pro feſto quadrageſimæ, tam noctu quam interdiu, quæ enim ſunt iuriſdictionis voluntariæ, nec cauſæ cognitionem poſtulant, hæc quolibet exerceri poſſe tempore, die ac hora, habetur in *lege actus Cod. de ferys*, probatque Rebuff. *in trac. nominat. q. 14. num. 15.*

QVÆSTIO VII.

Intra quod tempus inſinuari nominatio debeat.

D CErtum ei rei præfixum nullum eſſe, inde colligitur, quod in Concord. eius nulla fiat mentio, vt fuiſſet neceſſe, ſi dies, hora tempuſque huic inſinuationi faciendæ ſic ſtatum foret, vt ante, aut poſt illud, facta non valeret.

Secundo, eſt nominatio reſcriptum, idque gratioſum, *reſcriptum* quidem, quia ab vniuerſitate ordinatio eſt datum *Gratioſum*

E autem, quia gratis collatum & ad gratiam nominato faciendam compoſitum, ſed reſcripta eius generis ſunt perpetua, nec ad certum diem, horam, aut tempus reſtricta, vt loquitur Bonifac. VIII. *in cap. ſi. ſuper gratia 9. de offic. & poteſt iudic. delegati* ergo nec nominatio, hanc ergo ne ſit irrita, inſinuari certo die, & tempore non eſt neceſſe.

Pro hac opinione facit Ludou. XII. ordinatio regia, *rubrica de Graduatis ſimplicib. art. 9.* in hæc verba. *Ils ſeront ſeulement priuez de pouuoir requerir, ou accepter les benefices qui vacqueront eſdites annees, qu'ils n'auront*

n'auront inſinué, ſans autrement perdre les priuileges, & Prioritez, de leurſdits degrez, & nominations. Quid eſt enim, eos tantum poteſtate deſtitui requirendi beneficii, ſi quod vacet eo anno, quo de nomine ſuo, & cognomine, Ordinarios aut eorum Vicarios certiores non fecerint, niſi eos interim ius ſibi retinere per Concordata conceſſum, conſequendi aliquod, ſi quod iſta iubent, ac petunt, faciat? nominationis ergo de ſe factæ per Academiã, fructum graduatus non perdit, ſi ſe, literaſque gradus, ac certificationis de tempore ſtudii, &c. vno quopiam anno inſinuare per incuriam, culpamque deſinit.

Confir. cum pœna, comes ſit culpæ, eaque infligi niſi per ſententiam, canones aut leges non ſoleat, quæro primo, quid nominatus peccet, cum iure ſuo non vtitur, aut non adhibet media, quibus ſibi iſtud eſſe fructuoſum poſſet ac vtile, vt eſt nominis ac cognominis ſui, aut literarum gradus quotannis repetita inſinuatio? Vt enim renunciare iuri ac priuilegio quiſque ſuo poteſt; ita & ea negligere omnia, quæ ad illius vſum faciunt, cum tam hic non vſus quam dicti iuris renunciatio, in tertij detrimentum non vergit.

Secundo, ſcire aueo, quæ literæ, quæ decreta, pœnam hanc infligant. Leonis in Concordatis? at ſecus ipſe præcipit, cùm tantum eo anno priuari illum nominationis ſuæ fructu velit, qui non inſinuat. Valebit ergo aliis, cum pœnam aut carentiam rei ſibi debitæ, ſubire nemo niſi in caſibus iure expreſſis teneatur aut debeat, ergo cum in Concordatis caſum hunc Leo non exprimat, nec nominationem eo ipſo velit eſſe, graduato in perpetuum inutilem, quo ſe anno vno, nomenque ſuum ac cognomen Ordinario non inſinuat, non eſt hæc ei pœna, iuriſque priuatio, ſibi per gradum ac nominationem vniuerſitatis acquiſiti, imponenda.

Patet ex dictis primo, nominato certum nullum præſtitutum tempus eſſe, quo neceſſario literas gradus, cæteraque de quibus nos antea, Ordinariis, eorumque vicariis, vniuerſitatis ac Scribæ ſigillo obſignata, ad beneficia in vim gradus ab iis obtinenda, declarare debeat, quia id concordata non exigunt, nec vlla petita ex natura rei ratio perſuadet, Nam vt ſunt priuilegia, beneuolentiæ in eum cui conceduntur, non obſcura teſtimonia, libera ei ſemper facultas remanet, his vtendi cum volet, ad præfinitum enim aliquod tempus, reſtricta non ſunt, cum quoad vſum, diemque ac modum, ſint libera, vt poſſe hic & nunc non neceſſario reuocanda in praxim, alioqui oneri potius quam gratiæ deberent attribui.

Patet ſecundo, contra nominatum intra decem annos non præſcribi, quia cum quocunque ei tempore eſt placitum, Ordinario, eiuſque Vicario intimare literas ſui gradus, nomen ac cognomen poſſit aut ab eo abſtinere opere, non currit contra eum præſcriptio, cum eius obeundi hoc determinato tempore, ſeque inſinuandi Ordinario, cæteraque de quibus fit in Concord. mentio, præciſa nulla detur obligatio: quare vt id poteſt illico, ac eſt nominatus ab Academia, ita & poſtea, nam hanc facultatem non præſcribi, pronunciaſſe Senatum Pariſienſ. anno 1541. Rebuff. ait *in tract. nominat. q. 14. num 22.*

Patet tertio, quod cum hæc nominationum, & gradus inſinuatio, vbique fieri queat (cum voluntaria iuriſdictio nullo circunſcribatur loco) extra territorium exerceri hanc poſſe, *lege 2. ff. de officio proconſul.* & proinde extra Diœceſim Gloſſa *in parag. item voluit in verbo Vicario de collat. in pragm.* etiam extra regnum, cum nihil obſit, nec ne fiat vſquam inueniatur prohibitum, Rebuff. ſupra.

QVÆSTIO VIII.

Quibus, aut cui, debeat inſinuatio fieri.

Collatoribus, aut patronis Eccleſiaſticis, cuiuſcunque ſint dignitatis, Concord. *in rubrica de collat. parag. teneantur:* quare non Epiſcopi modo, Primates & Archiepiſcopi, ſed & Cardinales Capitulaque Eccleſiarum, tam quæ ſæcularibus Prælatis parent, quam quæ Regularibus, conueniri à graduatis poſſunt, deque beneficiis cum vacauerint, in menſibus deſtinatis, ſibi in vim gradus conferendis, rogari.

Quid ſi domo aberunt, aut quia à nominato interpellari nolunt, abſentiam ſimulant ac fingunt? Qui eorum vices agunt, quique vicariam illis in præſtatione ſui muneris operam nauant, (ideoque appellantur Vicarij) adiri debent, eaque coram eis fieri gerique, quorum Epiſcopi (ſi præſentes forent, conſcii eſſent ac teſtes.

Quid ſi nec Vicariorum eſt copia? quia abſunt, aut abeſſe ſe per domeſticos aſſerunt?

Tantundem Epiſcopi Officiales in hoc genere, aut eorum Aſſeſſores tum poſſe, quantum Vicarios, reſpondent iuris interpretes *in Clement. vnic. verbo Diœceſanis de foro compet.* Rebuff. *in tract. nominat. qu. 14. num. 59.* opinor ideo, quod Officialis eius ſit Vicarius, etſi non generalis, tamen foraneus. Ob eam cauſam, Prioribus aut Suppriori Clauſtrali (vt aiunt) cum Abbatis conueniendi facultas eſt nulla, quia nempe abeſt, Graduatum tam gradus ſui ac nominationis

literas quàm quod ſit eius cognomen ac nomen declarare poſſ: reſpondit Ludouic. XII. *in articulo 8. ordinationis rubrica des Graduez ſimples.*

Quid ſi Vicarij ſint plures, vt Rothomagi, eritne ſatis, de illis vnum aliquem deligere, cui ſeipſum, ac literas ſuas graduatus inſinue?

Omnino, ratio eſt, quòd eorum quilibet Epiſcopũ, aut eum, cuius eſt Vicarius repræſentet, ac referat, non ergo omnibus, ſed eorum vni cuipiam, literas ſui gradus, cum inſinuatione nominis & cognominis ſui, nominatus ſi indicet, ad effectum conſequendi beneficij vi gradus, ſufficiet.

Cum tamen Capitulo dirigitur nominatio, hanc inſinuare cuilibet Canonico ſeparatim, ac domi ſuæ verſanti, non eſt ſatis, omnibus tam canonicis, quam Monachis, ſimul in capitulo aggregatis, vniuerſitatis præſentandæ ſunt literæ, cæteraque ad beneficium conſequendum vi gradus neceſſaria.

Ratio eſt, quod ei oſtendi ac dari literas oporteat, ad quem mittuntur, at non Canonicis ſingularibus, ac priuatis, ſed Capitulo, ab vniuerſitate legendæ tribuuntur: ergo ei non huic, aut illi ſeparatim ſumptis, ſunt denunciandæ, quia vt eſt *in cap. in Geneſi 55. ſicut ex ſingularibus aut particularibus conſenſibus non apparet vniuerſalis electio, vel communis, licet quilibet ſingularis veritatem exprimat ſuæ partis, quemadmodum ex ſingularibus propoſitionibus, licet veris vniuerſalis propoſitio,* non apparet, niſi per ſignum vniuerſale tum exprimatur, ita nec ex manifeſtatis huic, aut illis nominationis literis diuiſim, naſcitur vniuerſalis, ac communis, facta Capitulo earundem inſinuatio.

Quare ab eo, cuius eſt Canonicos in vnum cogere, ac Capitulum ad horam condictam indicere, graduato impetrandum erit, vt illud conuocet, quod ab eo ille beneficium obtinere ſi nequiuerit, expleſſe officium quantum eſt ſatis ad obtinenda in poſterum beneficia cenſebitur, ſi in loco, vbi haberi Capitulum conſueuit, inſinuationem prædictam faciat Decano, Archidiacono, aut Canonicis quos ibi forte reperiri caſus feret.

QVÆSTIO IX.

An ſæpius quam ſemel, literarum gradus, ac temporis ſtudij, fieri inſinuatio debeat.

NEquaquam, ratio eſt, quod eius iterationis nulla fiat in Concordatis mentio, nulla in reſcriptis regiis Ludouici XII. de anno 1499. ſed oppoſiti, ſic enim ille in *art. 10. Leſdits Graduez nommez apres qu'ils*

A *auront fait vne fois apparoir & baillé coppie de leurs degrez, nominations, temps de leur eſtude & nobleſſe aux Collateurs, Patrons, ou à leurſdits Vicaires en leur abſence, ne ſeront tenus derechef bailler coppie deſdites lettres de degrez & nominations auſdits Collateurs ou Patrons, ny à leurs ſucceſſeurs ou Vicaires.* Semel ergo tantum, Nominato tam gradus ſibi collati, quam temporis ſtudiorum, ac nobilitatis, ſuæ ſunt inſinuandæ Collatori, Patrono, aut eorum Vicariis literæ, quotannis tamen, per

B ſe aut Procuratorem ad id cõmiſſum, de nomine ſuo ac cognomine, certiores eos faciet, ob eamque cauſam ea duntaxat (vt ante) illis aut eorundem Vicariis inſinuanda curabit *parag. præfati, rubrica de collation,* non alia eis æquipollentia, vt ſi quis ab euentu *fortunatus* communiter appelletur in ciuitate, ac ſub eo nomine melius, quam proprio cognoſcatur à ſingulis, non faceret officio ſuo ſatis graduatus, ſi ſe fortunatum diceret, eoque ſe nomine collatori exhiberet.

Ratio eſt, quod Concordata ſingulis cum

C annis *iubeant tempore quadrageſimæ per ſe, aut per procuratorem ſuum, collatoribus, nominatoribus, ſeu patronis Eccleſiaſticis, aut eorum Vicariis nomen & cognomen inſinuare,* at ductum à caſu, nomen non eſt proprium, de quo ſolo tamen concordata loqui, vel ex eo fit planum, quod in materia odioſa, ac pœnali, verba in proprio ſuo, veroque ſenſu capi oporteat. Nomen ergo ſuum, quantum eſt ad inſinuationem ratam ac validam ſatis, Collatori non exhibet, qui ſe ei per æquipollens, vt officij, aut magiſtratus quem gerit, dominij quod habet, caſtri aut oppidi

D quibus imperat, agri quem poſſidet, cognoſcendum præbet.

Enimuero verbum eſt vetus, ſed verum, actum omiſſione ſuæ formæ eſſe irritum, *lege cum hi parag. ſi prætor ff. de tranſact.* at nominis & cognominis expreſſio, ad nominationis, quæ rata ſit ac firma, formam pertinet, facta ergo per aliud, quamuis huiuſmodi, quod nominati ordinario claram & perfectam notionem ingeneret, eſt nulla. Sic enim Concord. *in rubrica de firma & irreuocab. Concordator. ſtabilitate,* his verbis: *Necnon irritum & inane, quic quid ſecus ſuper his, aut eorum aliquo, à quoquam quauis auctoritate contigerit attentari.*

E Ergo nomen, & cognomen ſuum verum ac proprium inſinuare Graduati quotannis debent in Quadrageſima: at vbi? & quo modo? Non alio, quam qui imprimendæ notitiæ ſui, in Patronorum animo ſit ſatis, quam ad rem, hæc aut ſimilia verba ſufficerent. *Vobis Reuer. D. Abbati S. Benedicti ad Ligerim inſinuo, & exhibeo nomen meum & cognomen quod eſt Ioannes de alta villa poſtulans mihi conferri beneficium aliquod de vacaturis ac à*

veſtro

veſtro cœnobio dependentibus, vt in mea prima poſtulatione continetur.

De loco, quo eſt facienda inſinuatio, tria habeo dicere.

Primum, certum ei per concordata nullum præfixum eſſe, ſed vbiuis locorum, de nomine, ſuo ac cognomine, literis item ſui gradus, ac nominationis, Ordinarium ac patronum à Graduato doceri poſſe.

Secundum, ſi in vrbe, in qua inſinuationum acta publica ſolent referri in Codicem ab Actuario (Grefiarium pragmatici vocant) ſi (inquã) in vrbe Epiſcop., aut alius Collator nõ reſidet, Lud. XII. conſtitutione regia, Academico graduato fas eſſe, inſinuãdi ſui cauſa, cũ nomine ac cognomine gentis proprio, adire Vicarios aut Procuratores, quos eo nomine in ea vrbe vbi inſinuationes Eccleſiaſticæ fieri de more ſolent, eiuſdem Principis uoluntate ac imperio deſignatos, ac conſtitutos eſſe oportet.

Tertium, ſi in ea ciuitate nulli erunt, qui tãquam Collatorum Vicarij aut Procuratores, eorum vices agant, in Graduatorum recipiendis inſinuationibus annuis de nomine ſuo ac cognomine: ſufficere, ſi ſe ſacrarum inſinuationũ Actuario ſiſtant, eique, quod Collatorum Vicariis facerent, nomen ac cognomen ſuum exponant. Conſtitutionis Ludouicianæ ſunt hæc verba. *Pour releuer leſdits Graduez ſimples & nommez des frais qu'il leur conuient annuellement faire, pour l'inſinuation de leurſdits noms & cognoms, ordonnons que les Collateurs & Patrons Eccleſiaſtiques, eſtans & demeurans hors les Citez & lieux ou les Grefs des inſinuations Eccleſiaſtiques ſeront eſtablis, ſoient tenus de deputer & conſtituer eſdites citez, où lieux de leurs Greffes, vn Vicaire ou Procureur à qui leſdits Graduez ſimples ou nommez puiſſent inſinuer leurs noms & cognoms, & où leſdits Collateurs & Patrons n'auroient fait & conſtitué leſdits Vicaires & procurations eſdits Greffes, il ſuffira auſdits Graduez ſimples & nommez, de dire & faire enregiſtrer auſdits Greffes qu'ils inſinuent leurſdits noms & cognoms auſdits Patrons & Collateurs en la preſence dudit Greffier ou de ſon Commis, qui de ce leur oètroyera acte, & en ſera regiſtre.*

QVÆSTIO X.

Ad quæ beneficia nominari graduatus valeat, & vtrum ad omnia.

NOn ad alia, quàm quæ ad præſentationẽ ſpectant Patroni Eccleſiaſtici, quia eorum tantum meminere Concordata, *in rubr. de collat, parag. præfati r.* his verbis: *Præfatique ordinarij collatores, ſeu patroni Eccleſiaſtici, quicunque fuerint, Vltra dictam præbendam theologalem, quam, vt præfertur, qualificato conferre teneantur, tertiam partem, &c.* Sic enim argumentari hinc libet. Qui vnum nominat, de cæteris quæ naturam eius non habent, rationem haberi vult nullam, vt colligitur *ex cap. nonne 5. de præſumption.* ſed patroni Eccleſiaſtici duntaxat, fit à Leone loco citato mentio; excluduntur ergo laïci.

Confirm. Facere Pontificem aliquid non decet, quo fidelium aduerſus Eccleſiam charitas lenteſcat aut pereat, accideret id vero, ſi beneficia quæ iuris ſunt Patronatus Laïci, danda graduatis forent, cum vacant, nam nec ea erigere quiſquam, nec erecta annuis dotare prouentibus vellet, ſi ſpem ſibi omnem ereptam crederet, ad ea nominandi cum vacant, quam ergo non eſt veriſimile eiuſmodi beneficia, graduatis Papæ voluntate affecta eſſe.

Quid ſi ab eo cum vacabunt, mandatario dari ſunt iuſſa? vtrius cenſendum ius potius, iſtius, id eſt Mandatarii an Graduati? in cuius menſe, beneficium quod eſt iuris Patronatus Eccleſiaſtici poſſeſſorem non habet?

De hac quæſtione, quid renouandum eſſet, declarauit Leo *in rubrica de mandat.* fuitque tum eius ſenſus ab Ordinario, graduatis ſimplicibus & nominatis mandatarios præferendos videri.

Ecquæ ſunt ergo beneficia ad quæ Academia nominant aſpirare graduatus poteſt?

Declarauit Leo in Concord. *parag. præfatique ordinarij de collat.* cum eis præcipit, vt *tertiam partem omnium dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum, & officiorum, cæterorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum, ad eorum collationem, prouiſionem, nominationem, præſentationem ſpectantium, graduatis conferant.*

Ex quo ſequitur primo, hac Concordatorũ lege non teneri, qui vnius tantum eſt beneficij præſentator aut collator: ratio eſt, quod in vno, non ſit pars tertia, ergo cum beneficiorum pars tertia tantum graduatis ſit debita, qui vnius, non plurium collator eſt

aut præſentator, ab hac eſt Concordatorum A præceptione liber.

Sequitur 2. Dignitatum nomine, electiuas, tam quæ ſunt maiores, vt Epiſcopatus, quàm quæ collegiorum ſunt minorum, vt Conuentualium, ac Cathedralium non comprehendi Rebuff. *in Concord parag. 1. Præfatique ordinarij verſu dignitates*, cauſa eſt, quod ex conſuetudine regni, canonicis tantum illarum Eccleſiarum, aut Monachis conuentuum in quibus eæ reperiri dignitates ſolent, ſint affectæ, vt habet *Gloſſa parag. quod ſi quis cuiuſcunque in verbo ſimiliter & in parag. item cenſuit verbo requireret de collat. in pragmat.* B

Sequitur 3. cum oratoria non ſint beneficia Eccleſiaſtica *cap. auctoritate de priuilegiis in 6.* nec ſimiliter hoſpitalia, ad ea nominari graduatum non poſſe, quia beneficiorum expreſſa hic fit mentio, quorum in numero poni hoſpitalia nequeunt, quæ tamen, ſi perpetuæ erunt vicariæ, peti à graduato poterunt, cum erunt poſſeſſore vacua.

QVÆSTIO XI.

Quibus temporibus capax eſſe Graduatus debeat, vt in ſuo menſe vacans beneficium obtineat.

SVfficit eum eſſe talem, cum beneficium vacat, aut requirit illud ſibi ab eo dari, qui poteſt, Rebuff. in *Concord. parag. Volumus verbo & ſic intelligerem & in verbo Doctores*, Bleyanus *in Theorica tract. de titulo & intitulat. num. 27. litera K. in margin.* quia cum antequam vacet, ei admoueri, præficique graduatus non debeat, hunc eius administrandi, regendique capacem tum eſſe, nihil eſt neceſſe, quia media actu tum exiſtere, ac eſſe conuenit, cum id cuius ſunt cauſa, poni debet, at graduati capacitas, quæ in doctrina, tempore exacto ſtudij, & cæteris id genus rebus eſt ſita, congruum beneficij regimen reſpicit vt finem, non debet hæc ergo neceſſario, eius vacationem ac requiſitionem antecedere, quæ eſt opinio pragmaticorum in foro, praxiſque regni, Choppino teſte *in lib. de Domanio tit. 10. num 17.* de qua fidem Senatuſconſulta bina faciunt, ab eodem: & Fabricio relata, vbi ſupra, quorum alterum magni fuit cōſilij pro Priore Charliaci, Pariſienſis Senatus alterum.

In quo eſt Graduatorum, quam mandatarij conditio potior, nam vt huic de beneficio prouidere Collator debeat, præter inſinuationem literarum, quas executoriales nominant, ac Pontificii mandati, ex iuris communis præſcripto requiritur, vt mandatarius quo primum tempore mandatum impetrat ac impetratum inſinuat, exequendi muneris ſui ſit capax, multo vero magis cum beneficium vacat, vacanſque conferri ſibi poſtulat, vt Bonifac. eius nominis VIII. *in decret. 9. ſi eo tempore de reſcriptis*, definit his verbis: *ſi eo tempore quo tibi de beneficio cum cura, vel ſine cura mandauimus prouideri, ad obtinendum curatum beneficium, idoneam non habebat ætatem, tibi licet nunc legitimæ effectus ſit ætatis, auctoritate literarum huiuſmodi (cum tempore data ipſarum nondum eſſe idoneus) de beneficio curam animarum habente nequaquam poterit prouideri.*

QVÆSTIO XII.

Quæ ſint ab Academico vniuerſitati exprimenda, vt ab ea nominari queat valide.

BEneficiorum, quæ per nominatos poſſidentur, neceſſario faciēda eſt ab iis vniuerſitati mentio *de collatio. §. volumus in Concord. volumus*, inquit Leo, *quod nominati literas nominationis ab vniuerſitatibus in quibus* C *ſtuduerint, obtinentes, in nominationum literis, beneficia per eos poſſeſſa & verum eorum valorem exprimere teneantur, alioqui litera nominationis huiuſmodi eo ipſo nulla ſint.*

Ratio eſt, quod ad beneficia nominare graduatos vniuerſitas non debeat, qui ex eorum prouentibus, ducentos florenos auri de camera quotannis ad vitam habent, aut præbendam cum dignitate in Eccleſia Cathedrali vel Collegiata, vt eſt in ordinat. Ludouici XII. *art. 5. rubrica des Graduez ſimples*, ei vero, ac Concordatis obſequi Academici D quî poſſunt, ſi poſſeſſa per graduatos beneficia eis non ſint nota? ſi eorum ignotatur valor?.

Explicādus eſt ergo, non quo modo mos eſt in Gallia eū exponere Pōtifici, cùm in libello ſupplici, qui illi ad impetrādū ab eo beneficij nouū aliquod offertur, dici ſolet, eius valorem ſummam 24. ducatorū auri de camera, ſecundum communem æſtimationem non excedere, quia cum in nominationibus Annata non ſoluatur, & ſic è regno, E ad vicinas circa prouincias pecuniæ minimè efferantur, ceſſat ratio conſuetudinis, non exprimendi veri valoris in nominatione Academica.

Secundo, verus beneficii poſſeſſi valor, declarari vniuerſitati à Graduato debet, ne non nominandum, collatori offerat, & ita ei imponat. At qui valor, more Galliæ, in impetratione noui beneficii Papæ declaratur, cum valere tantum 24. ducatis aſſeritur, fictus eſt ac ſimulatus, non verus.

Eſt hic ergo vniuerſitati à graduato cum beneficiorum poſſeſſorum numero non tacendus

cedus. quia Concordata de iis loquuntur in A numero multitudinis: ergo vnum notaſſe, non eſt ſatis.

Confirm. nominare beneficia ideo eſt neceſſe, vt conſtet ecquid 200. florenorum auri de camera ſummam graduatus in annuis reditibus habeat, ſit id vniuerſitati planius, cum eum intelligit non vnius beneficij duntaxat, ſed plurium poſſeſſorem eſſe.

Quid ſi ſunt omnia, aut eorum aliqua extra regnum?

Reſpondend. vniuerſitati exprimenda eſſe, non ſecus ac quæ ſunt in regno ſita, quia ſcire eius intereſt, an graduatus ſit pauper, an de eorum numero cuius inopia releuari acceſſione beneficij debeat, ad eius ergo officium pertinet exponere quot, & quæ, tam in regno quam extra, beneficia habeat.

Quid ſi nec hic, nec alibi vlla poſſidet, ſed penſionis nomine, fructuum quos illa pariunt, partem aliquam?

Taceri hæc ſine noxa non poteſt, cum eius ſuppreſſio, Academiæ non indubitata ſit errandi occaſio, ſic enim eum collatori, beneficio donandum offeret, cui forte tantum ex Eccleſiæ reditibus ſuppetit, quantum eſt neceſſe ne ſit inops, vitamque maligne, ac pauperum more degat, quod non probaret Leo ſi viueret, cum hoc vnum in eiuſmodi nominationibus Academicis ſpectauerit, vt pauperum inopiæ conſuleret, uſque tribueret vnde ali vtcunque poſſent, facit ergo contra Leonis mentem qui penſionem ſibi à Pontifice conceſſam vniuerſitati ſupprimit, cum reipſa ſit idem, habere in reditibus ex penſione Eccleſiaſtica auri florenos ducentos, & ex beneficio.

Quarto, exprimēda eſt beneficiorū qualitas vt ſi eſt dignitas, ſi Parochia, ſi Canonicatus cum animarum cura, ſanxit id Ludouic. XII. *rubrica des Graduez ſimples art: 3.* Rebuff. *in tract. de nominat: q. 9. n. 46.*

Ratio eſt, quod ab eorum natura, conditione, ac qualitatibus, reuocari Academia poſſit, ne ad alia graduatum nominet: non ſunt hæc ergo ab eo vniuerſitati obtegenda.

Addunt aliqui in id ei poſtremo incumbendum eſſe, vt Academia intelligat, cuius ſit ipſe Diœceſis. ſic enim alienigenas diſtinguere à regnicolis, ſic Germanos excludere à beneficiis quæ ſolis Gallis debentur, ei erit facilius, quam ſi linguæ credendum foret ac vocibus, quas Germani tam graphicè, proprieque Gallicas ſæpe efformant, ac loquuntur, quam qui maximè.

QVÆSTIO XIII.

Quid nominatos agere oporteat, cum in menſibus ſibi deſignatis beneficium vacare contingit.

PRimo, id laborare debent, vt illico ac poſſeſſore vacuum eſſe intelligunt, illud ſibi collator conferat, ac ſi abſit, eius Vicarius Concord. *rubric. de collat. parag. teneantur,* de qua re eos admonebunt, officiumque
B vt præſtent, rogabunt, quod ſi renuerint proximè ſuperiorem ſuper eo conſulent, qui ſi ſimiliter petita facere recuſet, erit alterius qui eo poteſtate eſt maior, imploranda auctoritas, & ſic per gradus donec veniatur ad Pontificem. Lubet ea de re audire Leonem ſic in Concord. loquentem pro Academicis, *rubr. de collationib. parag. ſi quis vero. Si quis vero cuiuſcunque ſtatus etiamſi Cardinalatus vel alterius cuiuſlibet dignitatis contra prædictum ordinem diſpoſuerit, diſpoſitiones ipſæ ſint ipſo iure nullæ, collationeſque ac prouiſiones illo-*
C *rum, ad immediatum Superiorem deuoluantur, qui eiſdem perſonis, modo præmiſſo qualificatis prouidere teneatur.* Qui his neglectis, cum ſe offerunt, ac dari ſibi *beneficia petunt ad eorum collationem & præſentationem ſpectantia, in menſibus graduatorum ſimplicium & nominatorum vacantia*, non graduatis aut nominatis conferunt, poſſunt à poteſtate conferendi beneficia, in octo menſibus, illo anno ad collationem ipſorum, ac præſentationem liberam ſpectantibus ſuſpendi Concord. ſupra *verbo ſub pœna ſuſpenſionis.*

Secundo eſt hæc graduato adhibenda cau-
D tio, ne alium de beneficio ſibi conferendo interpellet, quam qui eius eſt immediatus collator aut præſentator, *parag. ſi quis vero cuiuſcunque de collat.* quia collatoris Ordinarij ſuperior, vt eſt Epiſcopus, reſpectu Abbatis, conferre nequit, niſi quia ad eū Pontificis ac Concordatorum voluntate ius cōferendi eſt delapſum. At facta ad Superiorem iuris deuolutio non dicitur, niſi Ordinarius recuſet, aut male conferat, vel poſt ſex menſes, quo temporis ſpatio, eius ad conferendum poteſtas clauditur, cum ergo recuſari id nequeat,
E quod non eſt petitum, nec ſuperiori bene de graduato mereri liceat, niſi quia facta eſt ad eū iuris conferendi deuolutio, erit ab eo facta graduato beneficij vacantis collatio irrita, ſi hic de ea ordinariū primo nō interpellauerit.

Tertio, cū ſit iuris ad ſuperiorem deuolutio, nēpe quia graduatū audire ordinarius reſpuit, huic non quemlibet conuenire eſt liberum, ſed immediatum tantum recuſantis Prælatum, quia eſt is à graduato interpellandus, vt in vim gradus beneficium ſibi vacās tribuat, ad quem fit à recuſante deuolutio, ſed hæc ad

proxime immediatum pertinet, vt eſt in Concord. *de Collat. parag. ſi quis vero*, ab eo ergo & non remotiori quopiam alio, poſtulanda eſt à Graduato, beneficij ſibi debiti collatio.

Quarto tam hic, quam qui libet alius nominatus ab Academia, tempus requiſitioni ex conſuetudine præſtitutum, quod eſt ſex menſium non amplius, ſeruare debet.

Partis primæ eſt hoc vnum præſidium, quod certa ſint collatori conſtituta ad conferendum tempora, quibus elapſis, ius eius ſopitur ac interit, patet in Epiſc. ac Patronis Eccleſiaſticis, quorum ad conferendum ac præſentandum, vim ac poteſtatem omnem ad ſemeſtre, contractam eſſe Pontificibus placuit in *cap. vnico de iure patronat. in 6. & cap. 2. de conceſſ. præb.* ab his ergo intra id tempus, ius ſibi fieri, darique beneficium iure antiquitatis, ac gradus debitum nominatus exiget, eo elapſo in pœnam negligentiæ, ne quidem à ſuperiore ad quem conferendi ius redijt, non poterit petere vt notant de Selua in *tract. de beneſ. 3. part. q. 64.* Rebuff. *de nominat. qu. 20.*

QVÆSTIO XIV.

Quum plures idem beneficium poſtulant, cui è nominatis deferri debeat?

ANtiquiori non ætate, ſed tempore ſuæ nominationis ab vniuerſitate, & inſinuationis eiuſdē factæ Epiſcopo, ita Concor. *in §. ſtatuim. t. de collat.* quia in reſcriptis tēpus datæ attenditur, *cap eam te de reſcript. & cap ſi eo tempore eod. tit. in 6*, & qui prior eſt tempore, iure quoque cenſetur potior *regula qui prior de reg. iuris in 6.*

Quid ſi gradu differant, eorumque qui requirunt alter ſit Doctor, Baccalaureus alius?

Reſpondend. Baccalaurei ſi prius eſt ab vniuerſitate nominatus, & literas nominationis ſuæ ac gradus prius inſinuandas curauit, ius eſſe potius.

Cauſa eſt, quod ita Pontifici, ac Franciſc. placuit, quorum eſt voluntas habenda pro lege in hac materia.

Dixi *ſi prius eſt nominatus*, quia ſolius datæ, & non præſentationis, aut inſinuationis literarum ac gradus, habenda hic eſt ratio, ſecundum Rebuff. *q. 21. de nominat. num. 7. & in Concord. parag. volumus in verbo Concurrentibus*, cuius tamen à nobis eſt facta mentio, quia de nominatione, eiuſque data conſtare collatori non poteſt, niſi vtriuſque inſinuatio eidem ante facta fuerit.

Quid ſi in data concurrant multi? quid ſi eodē die nominati ſint ab Academia plurimi?

A Quæſtioni ſatisfactum eſt à Leone in *rubr. de collat. parag. volumus verbo concurrentibus*. Concurrentibus enim nominatis eiuſdem anni, Doctores in Theologia, aut in qualibet alia facultate licentiatis in eadem, licentiati vero Baccalaureis præferri debent *demptis Baccalaureis in Theologia, quos fauore ſtudij Theologici licentiatis in iure canonico ciuili & medicina*, præponi Leo voluit.

Quid ſi hi, quorum nominatio in eundem diem horamque incidit, in eadem ſint facultate donati laurea, graduque, quo cohoneſtari ſunt hi ſoliti, qui in ea partem ætatis B contriuere non modicam?

Sunt tunc conſulendæ literæ, quibus ab Academia nominati ſunt ad beneficia ſinguli, ſed in primis tempus, horæ, hebdomadæ, quibus ſunt datæ, Rebuff. ſupra *verbo licentiatis*, nam ſi tempore differant, earumque alteræ, vno die aut pluribus præcedant alteras, ius eius qui ſociū aliquanto licet modico antæit temporis interuallo, longe quam aliorum reddunt potius, valet enim in hac cauſa quod in pleriſque aliis, ei fauendum præ cæteris, cui ſua in occupando tempore fortuna fauit, C iuxta antiquā iuris regulam *qui prior eſt tempore*, iure quoque eſt potior.

Quod ſi Doctores, aut Baccalaurei magno numero, eodem ſe die omnes, literis inſtructi Academiæ, Collatori ſe aut Patrono beneficij conſequendi cauſa cum vacabit, ſiſterent, quarum par ac ſimilis data foret, nec eſſent vnæ priores aliis, is anteponeretur alteri, qui tempore, eundem in ſuſcipiendo gradu præceſſiſſet, quod ſi in diuerſis, & non in eadem facultate graduati eſſent, hunc præferri D oporteret alteri, qui in nobiliori ſcientia, doctrinæ ſuæ ab Academicis teſtimonium eſſet conſecutus.

Huic quæſtioni affinis eſt ac agnata quæ ſequitur, vtri duorum beneficium ab Ordinario conferri debeat, cum ambo gradibus differunt, eſtque maior vnius in opinione hominum, illuſtriorque doctrinæ fama, nempe quia eorum vnus, doctor eſt Theologus, Magiſter artium alius?

Diſtinctione res explicabitur, vel pari vterque die eſt nominatus ab Academia, vel diuerſo, ſi eodem, Doctoris cauſa futura eſt E melior quam Baccalaurei Rebuff. in Concordata *in verbo in licentiatis* ſi diuerſo, debet is donari beneficio, cuius antiquior eſt nominatio. Quia Doctoris qualitas inquit Gloſſa *Pragm. parag. ita tamen in verbo quibuſcunque de collat. nihil facit niſi concurrentibus in data*, etiamſi eſſet Doctor, *in Theologia, vel in vtroque, quia textus præfert tantum antiquiorem ergo quemlibet, cum nō diſtinguat.* Rebuff. *in tract. de nominat. q. 21. num. 6.* Ius enim eſt antiquiori in nominatione ſua acquiſitum, *ideo non poteſt tolli per theologum poſtea venientem*

nientem, Rebuff. ibid.

QVÆSTIO XV

Exponuntur dubia quædam ad materiam præſentem pertinentia.

DVbium Primum, *An qui beneficium conſequutus eſt in vim gradus ex quo 200. florenorum ſummam quotannis percipit, alterius ſit capax*

De eo qui cum ratione ambigeret, vidi hactenus neminem, niſi forte eſſet id quod nominatus ambit, aut ab ordinario ſibi collatore conferri ſinit, cum priore incompatibile, extra hunc caſum cauſa cogitanti mihi non occurrit vlla, quamobrem ei dari nouum aliquod nequeat.

Primo beneficiorum multitudo ac copia, Pontifice eam permittente eſt licita, item ſi ſunt ſimplicia, nec eorum poſſeſſori, pro dignitate alendo ſatis idonea Trident. *ſeſſ. 24. cap. 17.*

Tertio, quia ex iis in beneficiarium labes ac macula non redundat vlla, quæ eum ſacris altaribus, Eccleſiæque bonis ac prouentibus indignum reddat, aut ſi qua acceſſione noui beneficij aſpergitur, proferatur.

Quarto, quæro vbi, quando, & à quo Academicus, qui doctrinæ ſuæ præmium eſt conſequutus, tenue illud quidem, meritiſque impar, ſed tamen quale ſibi concedi petiit, cũ beneficium vacãs Epiſcopo annuente eſt ingreſſus, quæro (inquam) à quo, & vbi, alterius obtinendi iudicatus eſt eo nomine, cauſaque incapax, quod à collatore ordinario, in vim gradus aliquo eſt donatus? Sane etſi cum eſt hoc eiuſmodi, *vt ad ſummam ducentorum florenorum auri de camera aſcendat, aliud in vim gradus, ſeu nominationis, petere ſeu conſ. qui non poſſit.* Concord. in *rubr. de collationib. paparag. Volumus.* non tamen iubetur, per mandatum Pontific. aut collationem Epiſcopi nouam, ſibi delatum reſpuere: maneat ergo quod fuit in quæſtione poſitum, cum nullus ſe è nominatis, beneficio vacante, donari ab ordinario petit, id ab eo ad alium, cui iam eſt in vim gradus factum ſatis, deferri poſſe.

Dub. 2. *An cum nominati ſe nulli Ordinarijs offerunt, qui beneficia vacantia in menſibus ſibi affectis poſtulent, graduatis hæc dari queant.*

Poſſe, tam mihi eſt certum, quam non eſt ambiguum, hac eos literatura eſſe præditos, qua ornatos eſſe illos conuenit, qui ſacerdotia in Dei Eccleſia poſſident, vtrum autem ſint hæc graduatis præ cæteris debita, iiſque ſolis conferenda, iam eſt videndum.

Pro illis qui faciunt, multa narrant ex co-
A rum petita prudentia, qui in Concordatis Academicorum haberi rationem voluere, vt haberet in poſterum Eccleſia, quos opponeret hæreticis, viros probitate mixta, ac eruditione conſpicuos. Eiuſmodi ſunt quæ ſequuntur. Id nẽpe in iudicando, agendoq; ſeruandũ eſſe, quod eſt veriſimile fuiſſe ſanciendum, ſi legiſlatori veniſſet in animum, quale eſt, quod Graduati ſimplices, ab Ordinariis ad ea vocari beneficia debeant, quæ nominatis paterent, ſi ad ea aperiri ſibi aditum peterent.

Secundo quod quando quidpiam vnum, B duobus eſt debitum, id nõ modo inter eos diuidi debeat, ſed etiam eorum alteri dari, cum alter deficit. At ſunt beneficia quæ menſibus Iulio & Ianuario, poſſeſſore ſunt vacua, Graduatis debita, ſunt ergo tam ſimplicibus, quam nominatis non neganda. Hæc illi.

Quibus ego, hoc primum habeo quod opponam, quod quæ de vno dicuntur, negentur communiter de altero, at nominatis danda eſſe beneficia, quæ Iulio & Ianuario vacant, ſtatutum eſt Leonis, ergo non trahendum ad Graduatos ſimplices.

C Secundum, ſi cum nominati in menſibus ſibi affectis tacent, quæ beneficia tùm vacant graduatis ſunt danda, non erit aliis ab his diuerſis, eorum facta collatio ualida. At id eſt falſum, ſuper quo Leon. audire places ſic in Concord. loquentem, *rubr. de collationibus pragr. teneant. Si Collatoribus ordinarys, aut patronis Eccleſiaſticis, in menſibus deputatis graduatis ſimplicibus aut graduatis nominatis, non eſſet graduatus aut nominatus, qui diligentias præfatas fecerit, collatio ſeu præſentatio, per collatorem, ſeu patronum Eccleſiaſticum, etiam iiſdem menſibus facta alteri quam graduato vel nominato, non propter hoc cenſeatur irrita.*

D Primi argumenti etſi maior ſit probabilis, abſolute tamen eſt falſa, quia cum ea fieri legiſlator velit, quæ è re communi eſſe cum crederet, legibus ſuis ſanxit, non ſunt hæc præpoſtero interpretationis genere alio flectendæ, quàm patitur æquitas, verborumque quibus ſunt conceptæ notio ac poteſtas: ergo cum pro graduatis lex Concordatorum non faciat, qua parte de beneficiis agit, quæ nonominatis non ſunt neganda, ad eos non eſt traſenda. Non fauere verò vel hoc vnum indicat, quod quæ beneficia Iulio vacant & Ianuar. nominatis affecta dicantur, & non graduatis ſimplicibus.

Alterius argumenti ſolutio clara eſt & facilis, eius enim minor propoſitio eſt ex dictis falſa.

E Dub. 3. *Quando, quoties, & vbi, literarum gradus, & ſtudij facienda eſt à nominato collatori ordinario inſinuatio.*

Certa non ſunt, ſtataque per Concordata inſinuationi faciendæ tempora, modo hæc

vacatione beneficij ſit anterior, ſatis eſt Academico nominato iuſta cauſa, vt illud in vim gradus, ſibi ab Ordinario dari poſtulet, Tournetus *in arreſtis verbo Graduatus num. 5.* poſſet etiam fieri inſinuatio incontinenti poſt vacationem, Rebuff. in Concord. *parag. præfatique ordinarij verbo ante collationem,* quod ego (ſi Concordatorum verba ſpectentur) tutum non puto, quod hæc velint inſinuationē priorē ea eſſe, de tempore autem quo hanc fieri oporteat, cum nihil innuant, argumento eſt, id Leonis ac Franciſci voluntate à nominati arbitrio pendere vt reſpondiſſe olim, id eſt anno 1554. Pariſienſ. Senatum ait qui ſupra eſt citatus Tournetus.

De numero, quod petitur, ſeu repetitis inſinuationis faciendæ vicibus, hoc duntaxat habeo dicere, in quo mihi Concordata præeunt loco proxime citato *rubr. de collat. parag. præfatique,* non niſi ſemel ante vacationem beneficij de literis gradus, ſeu nominationis, collatori aut Patrono Eccleſiaſtico teneri fidem facere, idque intra decem annos à die factæ de ſe nominationis, quæ ſi his erit poſterior, rata non erit, eo quod decennio, vis eius interit, facta tamen ante illud expletum, 30. totos annos illibata, viriumque plena perſeuerat, Tournetus ſupra.

Ad locum quod attinet ſic habeto, non alium videri ad hanc rem magis opportunum, quam qui eſt Collatori, Patrono, aut eorum Vicario, pro domicilio, quanquam inſinuare alibi, quæ iis inſinuare Concordatorum lege conuenit, impedimentum eſſe non puto, ne ſua Academico graduato nominatio, eiuſque inſinuatio, fructuoſa ſit ac vtilis.

Dubium quartum, *An literæ ſint graduum omnium, ac nominationum, inſinuandæ collatori & ſi non omnes, quæ inter cæteras?*

Vt ſunt inter ſe diſtinctæ ſcientiæ, vt non eſt omnium, in iis addiſcendis, ingenij vis eadem ac capacitas, ita non eodem omnes ſunt honore digni, qui ætatis ſuæ partem aliquam in earum contriuere ſtudiis, qui prima in iis dignitatis loca habent, Magiſtri ſunt ac doctores, qui medium Baccalaurei, hic ergo quæritur, an Collatori aut Patrono, horum ſint graduum omnium inſinuandæ teſtimoniales literæ, quo de quæſtionis genere quid ſentire nos oporteat, ex Concordatis eruere non eſt difficile. Nam cum de gradibus non multitudinis numero, ſed ſingulari loquantur, tacite quod res eſt innuunt, nominato ſatis eſſe, ſi de vno aliquo honoris gradu, quem meritis ſuis eſt conſequutus in Academia, fidem faciat. *De literis gradus,* inquit Leo ſupra) *ſeu nominationis, & de præfato tempore ſtudij, per literas patentes vniuerſitatis ſignatas fidem facere teneantur.*

Pars quæſtionis altera fuit, ecquid docendi ſint Ordinarij à nominato, de Epiſcopatibus, aut Abbatiis omnibus, ad quas, vel quos per Academiam, beneficij ab eorum poſſeſſoribus conſequendi gratia, eſt hic nominatus.

Affirmat Rebuff. *de collat. omnib. parag. 1.* non ego, quæro enim quid Epiſcopi aut Abbatis intereſt id noſſe? ſi non intereſt, eos de his admoneri quid eſt neceſſe? iis quidem communicari nominationis literæ debent, vt cum res feret, iuſtæ Leonis ac Franciſci voluntati de beneficio eis prouideant, ad alios autem ab vniuerſitate directas, videre aut legere cur debeant, non intelligo.

quid? quod de nominatione, vnitatis numero, non plurali fiat in Concordat. mentio? ad vnam ergo, lex quæ de eius inſinuatione loquitur, cum ſit odioſa ac pœnalis, reſtringi debet, nec ad plures extendi, ac laxari.

Dubium quintum, *Qua verborum forma, modoque dicendi, vti Ordinarium oporteat in beneficiorum collatione, quæ ab eo graduatis dantur in vim gradus.*

Quæ Patrum æuo, in conferendo beneficio ſolennia ſibi ſeruāda credebant ordinarij, iiſdem in vſu eſſe deſiere hoc tempore, nam ſi Tourneto eſt fides *verbo Graduati in arreſt. num. 8.* quæ Graduato ſimplici, beneficia tum dabantur, etſi dabantur tanquam digno, non tamen vt ab vniuerſitate commendato Ordinario, aut ab ea, publico honoris gradu affecto, quod etiam factitari ſolitum ait, etſi eſſent Graduati præficiendi paræciis in vrbibus muratis.

Quæ qui facere modo ſe poſſe crederet, vt ipſe ſe, ita & prouiſum in fraudem impelleret, qualitatis enim, id eſt beneficij nominato collati inſuper & gradus eius, in literis collationis eſt expreſſa facienda mentio, per hæc verba. *Tibi tanquam graduato ſimplici, vel nominato confero.*

Solius meriti, dignitatis, in iis meminiſſe, per hæc verba, *tibi tanquam habili & capaci,* eſt operā ludere, cùm collatio graduato facta, nulla gradus eius mentione habita, vſu fori, regnique more ſit nulla. Tourneti teſtimonio, loco qui ſupra vt Rebuffi *de collat. parag. tenentur.*

Dub. *6. Vtrùm Graduati ſit habenda ratio, cùm poſtulat dari ſibi beneficium, eo quod ex his quæ poſſidet in vim gradus tantum non recipit, quantum oporteret ad vitam, quia in iis non reſidet aut diuinis non intereſt officiis.*

Audiendum non eſſe cum Paponio & Rebuffo cēſeo. Quia alienæ improbitati patrocinari, quæ eſt homini religioſo ac pio inſita erga Deum caritas non ſinit, at nullus aut pauci abſentiam à rebus ſacris, diuiniſque officiis in Canonico aut Parocho tolerandam putant, improbant omnes, ſi eius iuſta nulla eſt cauſa, at quid eſt alienæ fauere culpæ, ſi hoc non eſt

ex

ex peccato quod quis contrahit, eius fouendi in auctore ſuo materiam ſumere? vt faceret ordinarius, ſi beneficio nouo dignaretur Academicum graduatum, quia ei neceſſarij ad vitam commeatus ex beneficiorum ſuorum prouentibus non ſuppetunt, per cauſam ſuæ à diuinis officiis abſentiæ, aut in iis non reſidentiæ.

Deinde quam non eſt vlli dubium, per Concordata ſatis eſſe ſi beneficium in vim gradus nominato collatum, tantundem ei reſidendo, propriaque beneficiatorum munera obeundo boni pariat, quantum ſummæ 200. florenorum auri de camera conflatæ ſit ſatis? Concordatorum ſunt hæc verba, *Quorum* (beneficiorum ſcilicet) *inſimul, vel cuius fructus, reditus, & prouentus, tempore reſidentiæ, & horis diuinis intereſſendo, ad ſummam ducentorum florenorum auri de camera aſcendunt*, audiri ergo nominatus non debet, cum beneficium ſibi ad priora addi poſtulat, ob cauſam in titulo poſitam, nec enim inquit Rebuff. in *rubr. de collat. parag. volumus*, dicit textus, *quod nominatus obtinere debeat fructus, ſufficit ſi obtineat beneficij titulum licet fructus reciperentur per Epiſcopum vel alium.*

Quid ſi Ordinarium Graduatus interpellat de nouo beneficio, quia habitum in vim gradus, 200. florenis non æſtimatur?

Reſpondend. id iure eum facere, ideoque eius poſtulatis faciendum ſatis ab ordinario cum licebit, dummodo non ſit beneficium ſecundo impetratum cum priori incompatibile.

Dubium 7. *Quanti floreni ducenti ad monetæ Gallicæ æſtimationem redacti valeant.*

De florenorum valore ac pretio, non idem eſt omnium iudicium, Guymier in *agnotationib. ad Pragmaticam Sanction. rubr. de collation. parag. quod ſi & in verbo florenorum*, Italis ait idem eſſe, ac Gallis libram, proindeque Graduatos cum è re Eccleſiaſtica prouentus quotannis colligunt, qui ducentis noſtratibus libris æſtimentur, nec aſpirare lõgius, nec alia ſibi ab Ordinario Collatore mendicare beneficia poſſe. Guymierio aſtipulatur Probus, in *parag. de friuolis appellat.* ibique memorat, ſuper quæſtione de floreni valore iam poſita, omnium ſuffragiis concluſum tum eſſe, æſtimari viginti aſſibus, non pluribus; quod anno 1498. amplius non valeret.

In eam tamen ſententiam ne concedam, multa impediunt. Primum, quod præbandas Cathedralium in vim gradus nominati poſſint conſequi, vt eſt in Concord. Ergo quàm eſt certum, non eſſe toto regno canonicatum, maxime Cathedralis Eccleſiæ, cuius reditus ducentis non ſint libris maiores, tam conſtat floreni vim ac valorem, Gallica eſſe libra ampliorem.

Quid? quod non tantum Graduatorum

A inopiæ, ſed & dignitati, per hanc 200. florenorum ſummam, conſultum voluerit eſſe Pontifex, at neutri conſulitur, ſi tantula ſumma, & quæ alendo vili mancipio vix ſufficiat, contenti eſſe debent: ergo ne Pontifici, iſque irrogetur iniuria, floreni de camera, quam libræ Gallicæ maior eſt, ampliorque ſumma.

Eam æqualem eſſe, paremque nummo aureo ſcribit Rebuff. in *annotat. ad Concord. parag. volumus verbo florenorum auri*, & Boerius B *ad conſuetudin. Bituricenſ. parag.* 28. quæ ſi ſunt vera, hæc ſola beneficia Graduati priuilegium exhauriunt, explentque, quorum prouentus ducẽtorum ſunt aureorum nummûm. Sanè Tournetus eſt auctor ſupra *nu.* 23. à Curia Pariſienſi olim reſponſum eſſe, Doctori Theologo, aut cuilibet alteri Graduato Academico, canonicatum S. Aniani apud Aurelias, qui quadringentas in annos ſingulos poſſeſſori ſuo libras pendit, non eſſe de eorum numero, quibus nominatus ſic acquieſcere debeat, vt in vim gradus expoſcere aliud nequeat, ex cuius reditu prædicta florenorum C ſumma compleatur.

Dub. 8. *An nominato beneficium ſit debitum, qui nominationis ſuæ, aut atteſtationis temporis in literarum ſtudio collocati, exemplar Ordinario per obliuionem, aut imprudentiam non dedit.*

Qui ei fauendum exiſtimant, ignorantem aiunt non peccare, proindeque vt eſt culpæ, ita & pœnæ debere expertem eſſe. Sed non intelligunt, ignorantiam, culpam quidem, ac quæ actioni factæ à ſciente labes adhæreſceret, abſtergere, non tamen defectus tollere ſi quos ex omiſſione formæ, aut circunſtan-D tiæ alicuius, ad eius validitatem neceſſariæ habet. Quare ſic habeto, ei in vim gradus beneficium nõ deberi, qui de literis tam gradus, quam atteſtationis ſtudiorum collatori datis, ac oſtenſis fidem non facit, quia omiſſio ſolennitatis per contractum requiſitæ vitiat actum, maxime cum de lucro captando agitur, at eſt exemplaris literarum gradus & atteſtationis ſtudij facta collatori traditio, Concordatorum lege ambienti Sacerdotium aliquod in vim gradus, non omittenda: ergo ſi ſecus fecerit, ius ei ad illud requirendum E cum vacat non competit. At enim (inquies) quando & quo eſt hæc facienda tempore, literarum inſinuatio, earundemque, ac certificationis temporis ſtudii exemplaris traditio?

Quocunque viſum erit, nam vt ante eſt probatum, ad eam eſt quodlibet idoneum, nomen quidem ſuum & cognomen collatori anno quolibet in quadrageſima graduatus reuocare debet in memoriam, non item literas tam gradus ſui, quam temporis quo ſtudiorum cauſa verſatus eſt in Academiis. Scio contrà pugnare Rebuff. *in tract. de nominat. q.*

14. *num.* 3. ſed ſine ratione, quæ vel veriſimilem tantum de rei veritate fidem faciat, nam quod Concordata quadrageſimæ meminerint *in rubr. de collat. parag. teneantur*, non de literis, ſed nomine & cognomine graduati tum inſinuandis, intelligi debent, vt ex Concord. loco citato patet, *literas*, inquit ibi Leo, *ſuorum gradus, & nominationis, ac certificationis temporis ſtudij, atteſtationis nobilitatis, duplicatas dare, ac ſingulis annis tempore quadrageſimæ per ſe, aut procuratorem ſuum collatoribus, patronis, &c. eorum nomina & cognomina inſinuare teneantur*, quæ eſt opinio *Gloſſæ prag. mat. in verbo ſed dico, parag. qui de prædictis*, eaque ob cauſas ante à nobis allatas probabilis.

Dub. 8. *An beneficia quæ certo ſunt Sacerdotum generi addicta, licite à ſtudioſis literarum, Academico gradu inſignitis, in vim ſui gradus vindicentur.*

De eo ambigendi modo locus nullus, quandoquidem id Senatui in Graduatorum fauorem decernere placuit, anno 1578. Nouemb. 28. dummodo ſint his animi dotibus præditi, quæ in Sacerdotiis huiuſmodi requiruntur Renat. *lib. de polit. 1. tit. 3.* Tournetus *verb. Graduatus in arreſt. num. 26.* cuius ego iuris cauſam aliam non video, quam quod commune bonum vnius cuiuſpiam priuato anteponi debeat. At eſt Academicorum cauſa, coniuncta publicæ, cum Chriſtianæ Reip. interſit, eſſe in ciuitatibus, viros doctrina iuxta, ac vitæ ſanctimonia conſpicuos, qui Eccleſiam ſermone tueantur, quod ſperari non poteſt, niſi eorum induſtria, labor, ac diligentia acuatur ſpe præmij, quale ſæpe nullum eſt ad manum, præter ea Sacerdotia, Semipræbendas, ac Vicarias, quæ pueris Symphoniacis cum adoleuerint, viriqùe inter viros eſſe cœperint ſunt aff. ctæ: non ſunt hæ ergo Graduatis, cum dari eas ſibi ab Ordinariis, in vim gradus poſtulant, negandæ, ne quid tamen detrimenti patiantur Eccleſiæ cantorum inopia, aut miniſtrorum, qui ea munia obeant, quorum cauſa, ſunt eiuſmodi pueris, aut habituatis affectæ prædictæ Semipræbendæ, aut Vicariæ, debent Graduati his defungi poſſe cum laude, eaſque cum hoc onere à Collatore recipere, aliter non ſunt iis concedendæ.

Dubium nonum, *An cum de Graduati reditibus agitur, eorum ſit habenda ratio quos ex beneficio extra regnum poſito percipit.*

Pro affirmante ſunt hæc argumenta: Primum, quod beneficia Graduatis dari ab Ordinariis Leoni, & Franciſco Regi Chriſtian. placuit, vt eis ſuppeteret, vnde pro dignitate perſonæ viuerent, quam in vniuerſitate ſuſtinent, ratione gradus quo ſunt inſigniti, at non eſt hic inops, qui de bonis Eccleſiæ tantundem extra regnum annuatim recipit, quantum Graduato in eo permittitur, nominari A ergo ad beneficia regni non poteſt, ſine aliorum, qui ea ambiunt, petuntque ab ordinariis, aperta iniuria.

Alterum, quæ indefinitè ſunt ſcripta, generali æquipollent orationi, vocique. At indefinite lex Concordatorum loquitur, cum Graduatos ducentis florenis auri de camera contentos eſſe oportere aſſerit, nec hanc ſummam, ab his exigendam beneficiis ait, quæ regni continentur ambitu, non eſt ergo, ad ea Sacerdotia, lex Concordatorum reſtringenda, quæ ſunt in regno.

B Partem negantem confirmant quæ ſequuntur: Primum, quod ſtatuta, ſtatuentis territorium non excedunt, cum extra illud iuris poteſtatem non habeat *de conſtitutionib. in 6. cap. vt animarum* 2. quam ergo non eſt veriſimile, Leonem cum de reditibus ſacris Graduato, ad vitam tribuendis præcipit, de externis, hoc eſt, ex beneficio extra regnum poſito colligendis, loquutum eſſe, non ſunt hi ergo, de eorum numero, qui ſummam 200. florenorum auri, pro Graduati penſione annua, componunt.

Secundum, cum ſint Graduati pari omnes C honore digni, æqualem omnes laboris ſui ac operæ in ſtudiis collocatæ mercedem commeriti, quæro an eadem omnes gaudeant, ſi de iis aliqui à beneficiis regni eorumque prouentibus ſint eo nomine, gratiaque excluſi, quod extra regnum, aliquod eius generis habeant, quod datur in regno aliis? Itaque quod decreuiſſe Curia Pariſienſ. anno 1602. dicitur, hoc in praxi ſequendum puto, Graduato obeſſe nihil, quo minus, cum beneficio, quod eſt extra regnum, & aliud in eo, in vim gradus conſequi valeat, ex quo annuatim 200. florenos auri de camera percipiat.

D Dubium decimum, *An beneficij reſignatio, aut permutatio à moribundis facta in menſibus qui Graduatis ſunt aff. ctis, valeat.*

Qui valere, ratamque eſſe aſſerunt, hoc vnico freti ſunt argumento, quod per eam, non fiat graduatis iniuria, nam per concordata non alia eis beneficia ſunt debita, quam quæ vacant per obitum, cuiuſmodi non eſſe, quæ amittuntur, quia ceduntur alteri, nemini puto eſſe incognitum.

E Eſt tamen benè ſentientium communis, receptaq; opinio, vtrique vim eſſe nullam, quia quæ in fraudem ſunt facta tertij, cum poſſint auctoritate iudicis reſcindi, non ſunt irreuocabiliter valida. At a moribundo facta beneficij reſignatio, aut eiuſdem cum alio permutatio, fraudem habet, dolumque, cum eius faciendæ cauſa ſit vna, aut certe præcipua, beneficij reſignati iura dominiumque, Graduatis, ad quos in vim gradus dandum erat, cum vacat, ſubtrahere, & ita iure ad illud quod per Leonis bullam habent, eos priuare, quod in bene morata ciuitate per iudicem

iudicem æqui peramantem ferri non debet. Dub. vndecimum, *An lege Concordatorum Graduatis ſit permiſſum, beneficiys, quæ ſunt illis in vim gradus à Patrono Eccleſiaſtico collata, nouum aliquod adiicere, non in ſupplementum ſummæ 200. florenorum, ſed acceſſiones ad eam nouorum redituum facienda gratia?*

Cum certi non ſint reditibus, quos beneficiarij poſſidere poſſunt, præfixi à natura aut iure termini vlli, non eſt illis metuendum, ne cum beneficium nouum aliquod ei quod poſſident, addi cupiunt, in Leonis Pontificis bullam committant, multo minus cum ab Epiſcopo meritis ſuis oblatum recipiunt. Quia per Concordata non vetantur Graduati beneficium recipere, ſed *petere ſeu conſequi*, in vim gradus, ſeu nominationis de ſe ab vniuerſitate factæ.

Secundo, non ſunt aurei ducenti Doctori Theologo pro dignitate nutriendo, ſufficientes & idonei: ergo ſi quod deeſt, adiici ad hanc ſummam velint, non peccant. Itaque ſi dum his nominato intentata ſuper beneficio quod eſt in vim gradus eidem collatum finem non habet, aliud illi in vim eiuſdem tribuatur, prius proſequi poterit, eo quod tempore vacationis illud non habebat, & fuit primum quod acceptauit, quia vt ait Rebuff. de *collation. parag. volumus. Factum legitimum non retractatur, etiam ſi peruenerit ad caſum à quo incipere non potuit.* Alteri tamen, qui eſt ſimiliter ab vniuerſitate nominatus, ius eſt eius impediendi, agendique apud Iudicem, vt quoniam tantundem habet redituum, quantum concordata tribui ei poſſe ex beneficio aiunt, altero, quod primo ei fuerat traditum, ſed non obtentum ob litem, carere in perpetuum iubeatur, quod & fiet, eiuſdem auctoritate iudicis, apud quem lis eſt mota, *ſi ille non probauerit ſe ſucculuiſſe ſuper primo, vel aduerſario non eſſe debitum, eo quod ſibi fuit reſignatum.* Rebuff. ſupra.

QVÆSTIO XVI.

An inter ſe Nominationes Regiæ Vniuerſitatum & conſiliorsorum differant & in quo?

VT Rex Academici, & Regij iuridici, nomine differunt ita & iure, Regis eſt, ad Epiſcopatus, & Abbatias offerre dignos, id eſt eiuſmodi homines, qui in Epiſcopos, Abbates & Priores conuentuales cæteraque beneficia, quæ conſiſtorialia appellant, ordinari valeant: Vniuerſitas ſolos Graduatos ad beneficia, iure non impedita nominat, Rex autem Præſides, Conſiliarios, ad vnum tantum, nec crebrius in vita, quam ſemel, decernente id Paulo III. expreſſe in bulla.

Secundo, Rex quolibet anni tempore, poteſt idoneos mortuis ſubſtituere, Academia non niſi quatuor anni menſibus, Ianuario, & Iulio, Aprili & Octobri, prioribus quidem duobus, graduatos nominatos, poſterioribus graduatos quos ſimplices nominant, vt ex §. *præfati de collationibus in concordata probant*, Meſtræus & Ruſæus *li. de iure regalis.*

A

Tertio differunt, quod nominatio Regia, fundatur in iure, quod ei tanquam patrono ad beneficia regni omnia competit, Paponius *lib. 3. notariorum pagina 154.* Meſtræus *de iure regali 2*, & quidem Epiſcopi nominandi, poteſtatem ſibi eo nomine vendicat, nam cui non eſt cognitum quicquid hic ſacrorum prouentuum poſſidet, regiæ cũ liberalitati acceptũ ferre? *Iure enim humano (hoc eſt regio) dicitur hæc villa mea eſt, mea eſt iſta domus. Tolle iura Regum quis audet dicere hæc domus mea eſt? Noli dicere quid mihi & Regi? quid tibi ergo & poſſeſſioni? per iura Regum poſsidentur poſſeſſiones. Dixiſti quid mihi & Regi, noli dicere poſſeſſiones tuas, quia ad ipſa iura renunciaſti humana*, Iuo Carnot. *epiſt. 65.* viden' ? vt quicquid eſt in ære, quicquid in facultatibus Eccleſiæ, donum hoc eſt regiæ in eam beneficentiæ? ideoque Epiſcopatus in eius patronatu eſſe?

B

De Abbatiis eadem eſt ratio, cum quæ iura, dominia, ac prædia, multa nec ignobilia Abbates poſſident, Regem vt præcipuum, principemque dominum agnoſcant, conſequenter Patronum.

C

Eſt & alia poteſtatis eius ad nominandũ ad Abbatias cauſa. Nempe quod Papæ indulgẽtia, Monachorum voluntate ac aſſenſu, ius ſit ad Regem nominandi electionis loco, vicèque delatum Concord. *rubr. de regia ad prælaturas.* In quo etſi vniuerſitati cum Rege conueniat, tamen quia nihil illa poteſt in beneficiis ad quæ nominat, niſi indulgentia Papæ, & Regis voluntate, nec ad ea, ex fundatione ſibi aliquid vt Rex arrogat, ideo non modica inter amborum nominationem vel hoc vno ſolo nomine, intercedit diuerſitas.

D

Quarto differunt, quod Regi non niſi ad vacantia nominare beneficia liceat, nam vacationis fit expreſſa mentio in *tit. de regia ad prælaturas nominatione §. 1.* ergo ad vacatura irrita eſſet & nulla eius præſentatio, Rebuff. in commentariis in citatum locum, quia electioni ſucceſſit nominatio, ſecundum Coraſium 4. *parte de beneficiis cap. 4. num. 3.* eius enim loco, in Regis eſt gratiam; per Leonis ſanctionem introducta. Sed non eſt viuente adhuc beneficiario facta eius electio qui in illius locum eligentium ſuffragiis ſubrogatur, valida. Quare peccant qui à Principe literas vt aiunt, nominatorias ad beneficium non vacans obtinent, aut ab eo precibus futuræ nominationis pollicita exigunt, quæ reſcindere arbitratu ſuo aut ea

E

non facere poteſt ſine crimine, ac vacatione occurrente, alium Pontifici inſtituendum dare, lege tam regia Caroli VII. Ludouici XII. quam Caroli IX. quæ ſic habet: *Et pource que ſouuentesfois ſommes trauaillez, par pluſieurs, & par grande importunité des requerans, qui nous demandent offices, benefices, auant qu'ils vacquent, ou qu'ils ſoient creés: Nous enſuiuans les Ordonnances de nos predeceſſeurs Roys de France, voulons & ordonnons, que plus ne ſoyons trauaillez de telles requeſtes, & ne donnerons, ne confererons aucun office, ou benefice, auant qu'ils vacquent, & voulons que ſi par importunité, ou inaduertence, nous faiſions, ou auions fait le contraire, que le don, ou collation, que nous en aurions fait, ou ferions, ſoit nul & de nulle valeur.* Regi ergo eſt interdicta ad vacatura beneficia nominatio, non item vniuerſitati, iuxta Coraſium & Gloſſam *de collationib. in pragmatica ſanctione parag. inſuper,* & Leonem in Concord. Eſt enim Academica nominatio, benefica quædam facultatis conceſſio, ab vniuerſitate aliqua Franciæ alicui de ſuis alumnis facta, petendi & acceptandi beneficij, futuro tempore vacaturi. Quod vt diximus facere Rex non poteſt. Primo ne nominato detur occaſio captandæ mortis, hoc eſt inſidiandi alienæ ſaluti ac vitæ.

Secundo, quia beneficium duorum eſſe non poteſt, vnius complete, inchoatiue verò alterius, per ius ſcilicet ad rem in illud, *cap. cum non ignores 15. de præbendis cap. quoniam 3. de iure patronatus.* Accideret id vero ſi regia eſſe poſſet de vacaturo beneficio nominatio.

Tertio, eſt nominatio electionis loco, at tam illa quam collatio, eſſe de vacaturo nequeunt: cuius oppoſitum accidit, in nominatione Academici Ordinario per vniuerſitatem exhibita, vt patet. Nec ideotamen eſt timendum, ne graduatus, mortem illius appetat, aut illi ſtruat inſidias, cum beneficium certum non ambiat, non huius aut illius quærat, ſed de vacaturis vnum aliquod. Eſt ergo inter Regem & Academiam ad beneficia nominantes differentia: Iam quid in hoc genere ambo inter ſe conueniant, inquiri placet.

QVÆSTIO XVII.

In quo conueniant Nominationes factæ per Regem & vniuerſitatem.

Conueniunt primo in eo, quod tam ille quam iſta, non niſi dignos offerre ordinariis, id eſt Epiſcopo Patronis & collatoribus debeant, ſic enim de Rege in Concord. *rubrica de nominatione parag. 1. teneantur nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus,* A *ſeu ſedi prædictæ, nominare alias idoneum.*

Secundo, conueniunt, quod neuter, niſi probatum teſtimonio publico Academiæ nominare queat. A qua regula, excipiendi ſunt primo, Regis conſanguinei ex vtreque latere, in quocunque gradu etiam remotiſſimo, *gloſſ. in Verbum filius extrauaganti execrabilis de præbendis.*

Secundo Fráciſcani, cæterique è mendicantiũ familia viri religioſi ac graues, quos ſimilibus titulis ornari Papæ ac Regis voluntate poſſe, pronunciauit Leo in Concord.

B Tertio conueniunt, quod eorum nominationes, ratæ eſſe cum debeant, reprobari ab ordinariis nequeant, ſi quos Rex & Academia præſentant, qualitates iure requiſitas habeant, & quidem de Papa reſpectu Regis, res eſt euidens, per concordata, *tit. de regia nominatione,* de Epiſcopo reſpectu vniuerſitatis habent authores, *gloſſa pragmatica de collationibus,* Coraſius *num. 63.* hoc tamen inter eam & Pontificem Romanum diſcrimine, quod hic, id eſt Pontifex, oblatum ſibi à Rege admittere debeat, ſi eſt idoneus, Epiſcopus C autem minime, cum beneficium vacans in menſibus quos *fauoris* nominant, ei de graduatis ſimplicibus eiuſdem anni, cui erit placitum largiri poſſit, vt habetur *parag. ſtatuimus.*

Quarto, in eo quoque facta per vniuerſitatem nominatio cum regia conuenit, quod vt à Pontifice renuente admittere, quem Rex eidem ad beneficium obtulit, ius eius conferendi à Papa ad Capitulum deuoluitur ſecundum Concordata *tit. de nominatione parag. 1. verbo quid ſi Papa,* ita ordinario graduatum D inſtituere non volente, ius ſit iſti adeundi ſuperioris, id eſt Archiepiſcopi, ab eoque in vim gradus requirendi, quod ſibi ab ordinario fuit negatum, ſi poſt deuolutionem iuris ab eo ad ſuperiorem, beneficium forte conferet alteri, erit eius collatio iure irrita, Coraſii teſtimonio *num. 65.* ad cuius rei fidem profert; *cap. licet 4. & cap. finale de ſupplenda negligentia prælatorum.*

E Quinto vt Regis, ita & Academiæ certa ſunt definitaque beneficia, ad quæ vterque nominat, & Regi quidem non alia ſunt permiſſa, quam quæ erant ante Concilium Lateranenſe electiua, & quibus modo, capitulis non licet ſuffragando Rectores præficere, concordata *tit. de nominatione.*

Academiæ autem alumnos ſimiliter ſuos immittere eſt nefas. Primo in electiua *parag. Monaſteriis de regia ad prælaturam nominatione, gloſſa in parag. in dignitatibus de collationibus in pragmat.*

Secũdo, quia nó ſunt vacantia ex cauſa permutationis, Academicę nominationi ſubiecta ad ea Academia non præſentat, quia aliis quã compermutantibus dari hæc non debent, *cap.*

cap. vnico de rerum permutatione in 6.

Tertio, nec ad patronata laïcorum beneficia, nominandi ius ei eſt vllum, nec ſæculares in regularia, nec contra regulares deſtinandi ad ſæcularia, *parag. volumus de collationibus in concordatis*, & expreſſe Bonif. VIII. in *cap. cum de beneficiis 5. de præbendis in 6.*

Quarto, nec nominat ad ea Sacerdotia, quæ Romæ aut in vicinis circa locis, poſſeſſore ſunt vacua, hæc enim ſibi Papa Clem. III. reſeruata voluit in *cap. licet 2. de præbendis in 6. ſecus actum, & attentatum ſi quid erit, eiuſdem auctoritate irritum eſt & inane.*

A

quinto, non nominat item vniuerſitas ad Altaria, ſeu capellanias needum authoritate Epiſcopi approbatas.

B

Cauſa eſt, quod antequam eius approbentur iudicio, haberi pro beneficiis nō debeant: ergo cum Pontifici Regique pro cætera ſua caritate in graduatos, iis de beneficiis prouideri per Ordinarios fuerit propoſitum, de quorum numero non ſunt altaria ab Epiſcopo non erecta & approbata, hæc iis ſunt indebita.

Sexto, nominari nequeunt Academici ad dignitates Eccleſiarum Cathedralium, Bleyanus in *Theor. tract. de benef. cum dignitate numero 7.* Rebuff. *de nomin. q. 15.* Debentur enim regni conſuetudine ſolis illarum Eccleſiarum canonicis, de Selua *tract. de beneficiis 3. parte q. 9.* gloſſa *Pragmat. Sanctionis parag. quod ſi quis cuiuſcumque tit. de collationibus.* Poteſt tamen hunc defectum ſupplere Pontifex, Academicum in illis Eccleſiis conſtituendo canonicum, ad effectum obtinendæ dignitatis, quod priuilegium Leo ſibi reſeruatum eſſe voluit in Concordat: *rubrica de reſeruationibus parag. in cathedralibus.* In quo Academici à Senatoribus ac Curiæ præſidibus differunt, quos ad omnia Eccleſiaſtica beneficia, tam ſæcularia, quam regularia, ordinis Cluniacenſis, ſemel in vita tam ſua, quam collatoris ordinarij, nominari poſſe, certam coniecturam ex his verbis Pauli III. habeo, in bullato ſuo diplomote, cui principium eſt, decet Romanum Pontificem.

C

Nos huiuſmodi ſupplicationibus inclinati literas Eugenij cum omnibus clauſulis, etiam ad hoc vt Cancellarius, Præſides, & Conſiliarij Curiæ Parlamenti Pariſienſis, nunc & pro tempore exiſtentes, beneficia ſæcularia vel regularia ſub dictis gratiis comprehenſa aſſequi poſſint, & illis etiam beneficijs per eoſdem collatores ordinarios aut iudices per nos infra deputatos prouidere liberè poſſint.

Sexto, in eo Regiæ nominationes, Academicæque conueniunt, quod ambabus ius ad beneficium quæratur, patet de regia, cuius haud dubiè vis eſt eadem, quę præſentationis ad beneficium per patronos laïcos eius fundatores factæ: ſed per hanc, ius ad rem præſentato acquiritur, *cap. dilectus 6. de officio legati*: ergo & nominato per Regem.

Porro non eſt Academica nominatio iſta infirmior, maximè ſi eſt requiſitioni beneficij vacantis adiuncta. Enimuero reſeruationibus & gratiis, ius ad rem acquiritur, *cap. vltimo de conceſſione præbendæ in 6.* ſed nominatio Academici per Academiam, certa quædam eſt gratia, iuxta gloſſ. *in pragmat. parag. item quod ad dictas de collat.* Rebuff. *de nominat. quæſt. 4. num. 4.* ergo, &c. Secundo, cum Pontifex beneficium alicui deſtinat, aut dari imperat cum vacabit, ius eidem ad illud petendum tribuit, quando vacauerit, *cap. ſi poſtquam de præb. in 6.* ſed per nominationem eiuſque inſinuationem factam ordinario, beneficium aliquod de vacaturis nominato eſt affectum, per clauſulam decreti appoſitam in *parag. ſi quis vero tit. de collationib. in Concordatis*, hæc Rebuffus, *q 3. de nominat.* ius ergo ad rem nominatus ad beneficium, per nominationem de ſe factam, habet.

Septimo conueniunt, quod vt Rex nominare nequit ad beneficia extra regnum poſita, quod eorum non ſit fundator, nec Patronus, ita nec Academia vtpote cuius poteſtas regni eſt definita limitibus, ad omnia tamen vbilibet in regno conſtituta, quælibet de Ademiis in eo auctoritate Regia erectis ac fundatis, ſuos nominare graduatos poteſt: Pariſienſis ad beneficia Comitatus Dienſis, aut Epiſcopatus Lexouienſis in Neuſtria, Valētina è contra & Codomenſis, ad beneficia Pariſ. Diœceſis, Rebuff. *tract. de nominat. q. 6. nu. 9. Poteſt*, inquit, *vniuerſitas Franciæ nominare ad beneficia ſita per totam Franciam, & in Delphinatu, & vniuerſitates Delphinatus nominare ad beneficia Franciæ & è contrario, & ita ſeruatur.*

QVÆSTIO XVIII.

Quid ſit neceſſarium vt collatio beneficij per Papam nominato à Rege facta valeat.

E

PRimo, vt quo tempore beneficium vacat, & à nominato requiritur, eius obtinendi ſit capax: ita Leo *parag. cum vero de collationibus in Concord.* cuius æquiſſimæ voluntati, par ac ſimilis eſt Curiæ, declaratæ duplici ſentētia: vtriuſque meminere Choppinus *lib. 2. de domanio tit. 17.* Fabricius de Bleyns *in Theoria beneficiar. tract. de titulo & intitulatione multiplici in fine.* Eſt ergo nominatorū à Rege aut Academia, conditio longe quam mandatariorum in hoc genere melior, nam hos capaces, eſſe oportet tempore impetrationis, & inſinuationis mandati, item vacationis beneficij, & requiſitionis vt ſibi

conferatur, vt eſt *in cap. ſi eo tempore de reſcript. in 6.* cum ſufficiat nominatos à Rege aut vniuerſitate, aſſequendi beneficij capaces eſſe, non quo die nominatur, ſed cum beneficium requirunt vacuum, Bleyan. de *titulo & intitul. lib.* 10. *ad margin.* A

Secundo exigitur, vt beneficium non vacet in curia per obitum, quia hic caſus, nominatim eſt per Leonem in concordatis exceptus, alia quomodocunque vacantia ſi electiua antea erant, non ſunt conferenda, niſi nominato à Rege, quia exceptio in non exceptis, firmat regulam, vt habet Dinus *in proemio de regulis iuris in 6. num. 19.* At à nominatione Regia ea tantum beneficia certum eſt excipi, quæ vacant in Curia per obitum, aut quibus, de homine idoneo Rex intra nouem menſium ſpatia, prouidendum non credidit: ſunt ergo alia quomodocumque vacantia eius nominationi obnoxia. B

Tertio, vt collatio beneficij, per Papam facta nominato à Rege valeat, neceſſe eſt, vt Rex in eius deſignatione hominis quem Papæ promouendum ad beneficium obtulit ſibi conſtet maieſtatem enim Principis non decet, voti ſententiæque repentina mutatio: quum eius vox fideſque publica, inconcuſſe ſeruari debeat, quare ſi primo à ſe nominato Rex alium ſubſtituat, iſtius, id eſt, ſecundi nominatio, futura eſt nulla Charondas *lib. 1. iuris Franciæ cap.* 9. C

Ratio eſt, quod Concordatorum lege nominare ſecundum Rex nequeat, niſi à die quo primò ab eo nominatus eſt à Pontif. repudiatus ob cauſam, itaque ſi non erit reiectus, prouiſio ſecundo facta, erit irrita, primaque ſubſiſtet Rebuff. in Concord. *rubrica de regia ad Prælaturas nominat. parag.* 1. *verbo vnum.* D

Ex dictis patet primo, ad beneficia nominationis Regiæ, quæ compermutantur, Regis cõſenſum eſſe neceſſarium, quia permutatione inducitur beneficiorum vacatio: ſit hoc pro argumento, quod in permutatione, ordinariorum requiratur acceptatio, ac beneficiorum collatio, ſed ad beneficia nominationi regiæ obnoxia, quomodolibet vacantia Rex nominat, præterquam in caſibus paulo ante allatis, nempe cum vacant in Curia per obitum, aut conceſſa ſibi ad nominandum nouem menſium ſpatia, Rex abire ſine nominatione patitur. E

Secundo eſt Regis nominatio, præſentationis loco, at ex Friderico de Senis, *tract. de permutationibus q.* 30. Flammin. *lib. 2. de reſignationibus q.* 4. permutatio patroni conſenſum, & præſentationem exigit ergo & Regis.

Tertio ſequitur, nominationi Regiæ ob eandem cauſam locum eſſe, in quacunque iuris ad beneficium dubij ceſſione, vt ſi duorum inter ſe collitigantium alter, alterius cauſa iure ſuo abeat, facere id efficaciter & validè, niſi probante Rege non poterit, quia iuris ceſſio, eſt facta in fauorem alterius renunciatio, vt probatum & euictum, plenam ac non impeditam eius poſſeſſionem tribuat, ſed beneficium in Gallia electiuum, ſine conſenſu Regis, eiuſdemque nominatione ſpontanea poſſideri non poteſt: ergo, &c.

QVÆSTIO XIX.

An, & quomodo Rex nominationis ſuæ iure excidat.

PErdi poſſe, ex Concord. conſtat, de modo, ſunt hæc quæ ſequuntur certa.

Primo, amitti ſi Rex non qualificatum nominet.

Secundo, ſi ſpatio nouem menſium, nullum Papæ adminiſtrando beneficio idoneum offerat.

Tertio, ſi beneficium vacet in Curia per ſententiam (vt ſi ob hæreſim aut homicidium, iure quis ad illud priuetur aut per obitum, quod cum accidit, Rex alienigenas ac externos, in his maxime Epiſcopatibus, qui Hiſpaniæ, Germaniæ & Italiæ ſunt contigui admittere non ſolet. Enimuero quia eſt Rex eorum Patronus, Eccleſia autem quæ in extranei manum ventura eſt, ab eo feuda poſſideat, æquius eſſe quid poteſt, quam Regis conſenſum peti, aut ſaltem admoneri de Epiſcopatu alienigenæ à Pontifice cõceſſo? & quidem ante initam ab Epiſcopo eius beneficij poſſeſſionem ad quod eſt electus à Papa, iuxta ſcripta à Clem. III. in *cap. nobis fuit* 25. *de iure patronatus*: at vacantis Epiſcotus, à Papa collatio facta extraneo, electionis vim habet: non eſt ergo ſine Regis probatione, conſenſuque facienda.

Secundo, intereſt boni publici ad regimen dictarum Eccleſiarum alios non admitti, quam qui Regi ſunt grati, quales non ſolent communiter eſſe externi, quod etiam in Abbatiis habere locum memorant, Peleus in *forenſibus lib. 1. act. 8.* & Fabricius *in Theoria beneficiaria tract. de titulo & intitulatione multiplici littera H.*

Cuius rei recenti memoria, exemplum extitit in Abbatia S. Aphrodiſij, apud Biterras, cui Romæ vacanti, cum admouiſſet Pontifex hominem, dignum illum quidem, ſed Regi minus acceptum, reſque ad Conſilium delata eſſet, cenſuere Patres, potiora iura eſſe Dominici Roſiniaci, à Rege nominati, quam prouiſi à Papa, quod ab iis tunc factum eſſe viri boni vt dolent, ita poſtea non

non futurum, pro veteri Gallorum in Pontificem reuerentia, nec putant nec optant.

Quarto, Rex iure nominationis excidit, ſi ad alium, præſentatio collatioque iure ſpeciali, vt ad fundatorem beneficij pertinet.

Quinto, ſi eſt Epiſcopus, à Turcis abductus in vincula, ſi inualetudine laborans perpetua ei, inconſulto Rege, Vicarium ſubſtituisse poſſe à Pontifice communis eſt, eaque non improbabilis Doctorum opinio.

QVÆSTIO XX.

An præter conditiones quæſtionibus præcedentibus allatas ſint & aliæ neceſſariæ, vt nominati Academici valeat.

OMnino, earum prima eſt, vt nominandus gradum aliquem habeat in famoſa Academia regni, ad quod ſimiliter tenetur graduatus ſimplex vt videre eſt in concord. *parag. præfati ordinarij tit. de collat. gloſſ. in §. inſuper verbo graduatis, tit. de collationibus in pragmatica*: quare, qui Doctor in Italia aut Lotharingia eſt renuntiatus, recipi ab Academia, inter nominandos non poteſt, nec ei proinde in vim ſuæ nominationis beneficium dari vllum.

Cauſa eſt, quod ſit hoc priuilegium ſpeciatim regni vniuerſitatibus conceſſum, vt alumnos ſuos Regis ſubditos, beneficiis admouendos offerre queant, quare quoſlibet alios Reges ſuis legibus excluſos volunt, *rubrica des Graduez ſimples art.* 1.

Secunda, debet nominatus nomē ſuum ac cognomen ſingulis annis reuocare collatori ordinario in memoriam, idque tempore Quadrageſimæ decreto Ludou. XII. ſub anno 1498. *artic.* 8. & in Concordatis *parag. teneatur de collationib.* faciet id vero, ſi quo modo eſt exhibitum, cum ſe illi primo ac literas ſui gradus inſinuauit, exhibeat, nec aliquid æquipollens nomini ponere ſufficit, quia cum ſtatutum, lex, aut diſpoſitio quidpiā exigunt, eſt id ſeruandum, eò quod aliter actum valere hæ nolint. At lex regia nomen & cognomen nominati expreſſe ſignificari collatori poſtulat, Rebuff. *de nominat. q.* 14. *num.* 35. ac ni fiat, nominationem inualidat, vt videre eſt in *titulo de collat. & in rubric. de firma & irreuocab. Concordat. ſtabilit.* his verbis: *Necnon irritum & inane, quidquid ſecus ſuper his, vel eorum aliquo, à quoquam quauis auctoritate contigerit attentari.*

Tertio, debent nominatus & graduatus eſſe Clerici.

Quarto, ex legitimo nati matrimonio,

A aut ſuper illegitimitate ſua diſpenſationem obtinuiſſe.

Quinto ortum traxiſſe in regno, nam Hiſpanus, aut Italus, ſine litteris naturalitatis à Rege conceſſis, beneficij ſunt incapaces in Gallia, gloſſa *verbo exterorum, in proœmio, pragmatic.* Bened. *in repetit. can. Raynutius verbo & vxorem num.* 144. iis ergo, dari ad regni ſacerdotia nominationes ab vniuerſitate non poterunt.

Sexto, ab integra Academia, nominari debet Academicus, non ab eius parte aliqua

B vt artium, Theologiæ, vel medicinæ, Charondas *in articulum* 1. *tit.* 26. *lib.* 1. Codicis Henriciāni Rebuff. *de nominationibus qu.* 6. Tunc autem cenſetur eſſe Academia, cum ex omnibus facultatibus, profeſſores eius aliqui concioni, in qua de nominādis agitur, interſunt, quibus Rector ipſe præſidet.

Septimo, vt valeat graduati nominatio, non debet ad beneficia alia fieri, quam iuris patronatus Eccleſiaſtici: nam non ſolet in Gallia, pro reliqua ſua in illam beneficentia, Pontifex, quæ patronatus ſunt Laïcorum conferre vlli: quam non eſt ergo veriſimile

C ab eo dari facultatem Academiæ, ea vt nominatione ſua oneſet, grauetque.

Septimo, ætate ea eſſe debet nominatus cum vacat beneficium, quam iura ad illud exigunt,

Ratio eſt, quod quæ iuris ſunt communis, Academia tollere nequeat: ergo nec facere vt nominatus vi nominationis ſuæ, id beneficium ineat cum eſt vacuum, cuius eſt incapax. Dixi cum vacat, nam vt dicetur poſtea, non eſt neceſſe, vt omnibus iis ſit rebus beneficiatus inſtructus, cum nominatur, quas

D iura ad poſſeſſionem firmam beneficij poſtulant, dummodo iis, cum vacauerit, eoque donabitur, non careat.

Octauo, vt nominatio valeat, neceſſe eſt vt is, cui conceditur, in vniuerſitate reſideat cum eam impetrat: ita Lex Gallica, *rubrica des priuileges des Eſcholiers art.* 5. de iure tamen videtur concedi poſſe abſenti, cum conceſſam nec iura Gallica irritent, nec concordata præſentiam eius cui tribuenda eſt, poſtulent.

Nono, annum, diem & menſem nomina-

E tionis, literis Academici nominati apponi conuenit, *parag. ſtatuimus de collat.* opinor vt de cuiuſque antiquitate conſtet, cum erunt beneficia danda poſtulantibus, quod eſt neceſſe, ne vlli fiat iniuria.

Quid? quod inſtrumenta quæ ſcripturam exigunt, tanquam quid ad ſuam ſubſtantiam pertinens, non ſint rata, niſi notata ſint anno, die, loco, &c. quo fiunt, at nominatio ſcripto facienda eſt ex dictis: ergo, &c.

QVÆSTIO XXI.

Quomodo graduati ac nominati nominationis ſua iure excidant.

GRaduati in duplici ſunt differentia, quidam ſunt, & vocantur ſimplices, alij nominati, priores ſunt iidem, ac qui poſt obtentum in Academia gradum magiſterij, in artibus, aut Theologia, vel alium ſimilem ſine eiuſdem Academiæ nominatione præuia, ad beneficij vacaturi poſſeſſionem, vage tamen recipi ſe ab Ordinariis poſtulant. Alij ſunt, qui ſingulari doctrinæ prærogatiua, vni cuipiam aut duobus vel tribus ordinariis ab vniuerſitate proponuntur, vt de beneficio illis aliquo prouideatur, cum eiuſmodi aliquod vacare contigerit, Paponius *trium notariorum lib. 1. tit. de graduatis pag. 131.* & his, non alia debentur beneficia, quam quæ vacant, Iulio & Ianuario menſibus prioribus autem quæ Aprili & Octobri.

Iam ergo ad quæſtionẽ eſt reſpondendum: Graduatuos & nominatos, iure ſuo hoc ipſo excludi, quo probari poſſunt reditus ex beneficio ducentorum florenorum annuos habere, iiſque ali poſſe. Quia ſunt nominationes inſtitutæ in Gallia, vt ſint loco mandati Apoſtolici, quod in forma pauperum, olim concedi ſolebat Clericis, quibus ob anguſtias rei familiaris, neceſſaria ad vſum vitæ deerant. Ab his enim moti Pontifices, dabant ad Epiſcopos mandata, vt cum poſſent, prouiderent iis de beneficio, vnde vitæ ſubſidia traherent. At ducenti olim ducati, ad eam rem credebantur, ſufficere, videntur enim reſpondere 700. libris Gallicis, maxime hoc tempore, vt antiquo, priſcoque Patrum æuo, quadringentis ſecundum Papon. loco citato proxime: ergo vbi graduato ſimplici aut nominato commeatus ad vitam idonei ſuppetent, ab Epiſcopo, cum in vim gradus beneficium ſibi dari petet, reiici poterit vt incapax, gratiæ enim ſuæ renunciat, qui beneficium pacifice adipiſcitur, *Clem. gratiæ de reſcript.*

Secus quàm nos de ſumma hac, ac valore ducatorum, ſentiunt, Guymierius & Probus *in Pragmatic. Sanctionem.* Enimuero florenum ad aſſes 20. Gallicos reuocat, pluriſque ne valeret, in regula Cancellariæ 26. conſtitutũ eſſe vterq; aiunt, quæ opinio vera ſi foret, Leonis intentioni ſatis non fieret, cum ad beneficia nominari ideo Academicos voluerit, vt ex eis haberẽt moderata vitæ cõmoda, quam enim nulli eſt dubium, ducentas ad id libras non eſſe ſatis?

Quid? quod ad præbendas Cathedralis Eccleſiæ, nominari Leonis ac Franciſci

A voluntate poſſunt? *parag. volumus de collat. in Concord. in parag. quod ſi quis de collat. in Prag.* At non eſt Epiſcopalis vlla Eccleſia in Gallia cuius præbendæ valorem illum non ſuperent, non eſt ergo valor idem floreni de camera, ac libræ Gallicæ.

Deinde cum ſint beneficiariorum meritis æquandi quantum poteſt, qui iiſdem ex beneficiis Eccleſiaſticis reditus dantur, præſtent autem vitæ, Doctrinæque laude Doctores Theologici, non videntur libræ ducentæ annuæ, iis pro dignitate nutriendis

B ſufficere; quare floreni nomine, non libra, ſed coronatus aureus eſt intelligendus, cum florenus idem ſit ac ducatus, hic autem, idem ac aureus Boerio teſte in *commentar. ad conſuetud. Bituric. paragr. 28.* Hæc fuit cauſa cur anno 1595. Senatus pronuntiauerit, præbendam S. Aniani apud Aurelias, cuius reditus annui 400. duntaxat libris Gallicis æſtimantur, aut non multo ſecus, nominationi replendæ Graduati, ſatis non eſſe, Loüeto teſte in *Arreſtis litera G.*

Secundo, cum certa ſint tempora impendenda ſtudiis, quibus non expletis, nominatio

C eſt nulla, in eo officio defuiſſe ſuo ſi conuinci Graduatus poterit, non erit in requiſitione beneficij audiẽdus, quia ad illud ius ei tũc nullum, ob defectum conditionis à Leone poſtulatæ competit, quod ipſum quoque Ludouicus eius nominis XII. ſtatuit, in ordinatione quæ eſt de Graduatis *art. 4.*

Notare tamen placet, tempus id, quod ad nominationes tam per concordata quam eiuſdem ordinationem poſtulatur, non neceſſario in eadem eſſe exigendum Academia, quia ea de re nihil concordata præcipiunt.

Secundo, ſufficere proinde ſi Academicus,

D eius temporis partem, poſuerit in vna Academia, & aliam in alia, vt eſt quorundam probabilis opinio apud Rebuff. *de nominat. q. 11. num. 9.* quia concordata aliud à nominando non poſtulant, quam vt in aliqua famoſa vniuerſitate regni, tanto tempore audierit, quantum à ſingulis, vt ad Sacerdotia nominari queant, à Leone & Franciſco Rege petitur, de ea tamen, extare teſtimonium erit neceſſe quod ab illa ipſa Academia exhibebitur, vbi

E ille ſtudiorum cauſa verſatus erit. Quis enim non intelligit id commodius factum iri à conſciis operæ à claſſico ad ſtudia adhibitæ, quam vllo alio, at hi maxime eius rei ſunt teſtes ac conſcij, qui vel docuere diſcentem vt profeſſores: aut diſcenti interfuere, vt ſcholares? quod facere eos poſſe, licet non ſint in ea vniuerſitate vbi fit nominatio, ſic oſtendo, vniuerſitas quælibet regni nominare poteſt: ergo & teſtari tempora ſtudij, cum primum, plus ſit quam alterum.

Tertio, iure quoque beneficij, vi nominationis regiæ habiti, excidere Clericos nominatos

natos voluit Henricus III. *art.5.* ordinationis factæ Bleſis anno 1579. niſi intra nouem menſes, ſua ſibi Roma curarent diplomata.

Ordonnons que celuy que nous nommons aux benefices, eſtans en noſtre nomination, ſeront tenus dedans neuf mois, apres la deliurance de nos lettres de nomination (de laquelle ſera fait regiſtre) obtenir les Bulles ou prouiſions, ou faire apparoir à l'Eueſque Diocesain des diligences valables & ſuffiſantes, & à faute de ce faire, demeureront decheus de droict de nomination, ſans qu'il en ſoit beſoin obtenir autre declaration que la nomination que nous ferons à autres perſonnes des qualitez & ſuffiſance que deſſus.

Quod ad eos quoque pertinere quibuſdam placuit, qui nominationis ſuæ literas, ante decennium Ordinariis, ad quos dabantur non inſinuaſſent, pro ratione afferunt, quod priuilegium per eius non vſum, decennio continuatum intereat, *l.1.ff. de nundinis*: Sed pace eorum ſit dictum, non factæ inſinuationis defectum. pœna alia non ſequitur, quam poteſtatis in nominato priuatio, ad petendum eo anno beneficium ab ordinariis collatoribus in vim gradus, aut nominationis, id colligere cuique promptum, ex ordinatione règali, Ludouici XII. *rubrica des Graduez ſimples. art 9. Ils ſeront ſeulement priuez de pouuoir requerir ou accepter les benefices & Fr[illegible]ez de leurſdits degrez, & nominations*: Nam particula *Solum* pœnas omnes excludit ab ea diuerſas, in quam cadit, quæ eſt poteſtatis in nominato priuatio, petendi eo anno beneficij.

Quarto ſua nominatis nominatio non prodeſt, niſi per teſtes, tempus ſui ſtudij probauerint qui communiter vt id authenticè faciant, eſſe pauciores, quam duo nequeunt, *cap. licet ex quadam 47. de teſtibus*, quia vni vix creditur, fidemque ſi facit, non tamen plenam & integram, vt expreſſe ibi dicitur & in *lege iuriſiurandi Cod. de teſtibus*.

Quare interpellandi erunt eius ciuitatis incolæ cũ ſcholaribus, ſi in ea adhuc verſentur, nec domum ſint à parentibus reuocati, aut peſte. vel bellis diſſipati Si tamen eos abeſſe per morbum, aut bella accideret, vel fides temporis impenſi in ſtudiis, à vicinis eius loci petenda erit, ad quem hi confluere diſcendi cauſa ſolent. Dant & magiſtri manu ipſi ſua petentibus Academicis, literas teſtes diligentiæ ſuæ in ſtudiis adhibitæ, Rebuff. *de nominat. q.11.* quas ad fidem faciendam valere, mihi non eſt ambiguum,

Quinto amittuntur nominationes, ſi quæ exprimi debent non ſunt expreſſa de quibus nos antea.

Sexto, ſi graduatus ſit inhabilis, vel irregularis.

Septimo, ſi matrimonium contrahit, aut ponſalia de præſenti, nam tunc ſuis nomina-
A tionibus tacitè renunciat Gloſſ. *in cap. Vn. de Cleric. coniug. in 6.*

Dixi *ſi contrahit*, nam ſi fuit impeditus, ne quod deſtinauerat, efficeret, fidemque de præſenti fœminæ commodaret, etſi præceſſiſſent ſponſalia, beneficium tamen quod talis obinet, non vacare dicit Cardinal. in *Clem. gratiæ de reſcriptis.* Rebuff. *de nominat. q.vlt.nu.3.* quia *non præſtat id impedimentum, quod de iure non ſortitur effectum de regul. iuris in 6. reg. 53.*

Octauo, ius nominationis ſuique gradus
B perdunt nominati & graduati, ſi ambo priuilegio renuncient, quod facere quiſque poteſt cum eſt *perſonale, cui renunciare cuique eſt licitum non autem cum eſt indultum collegio Eccleſiaſtico, cui priuatorum pacto derogari non poteſt Innoc. III. de foro compet. cap. ſi diligente 12.*

Nono, perditur nominatio, ſi forma in Concordatis expreſſa non ſeruetur, quia cum forma det eſſe actui, erit hic ſi illa omittitur, inanis ac nullus.

Notandum, tamen eum qui beneficium dari
C ſibi patitur non vi gradus, ſed amicitiæ, quæ eum inter, & Epiſcopum intercedit, iure gradus, aut nominationis ſuæ non excidere, niſi inde ducentos ſibi ducatos ſeu florenos in annos ſingulos colligat, qui ei ſuppeditent, vnde ſe vtcunque alat. Idem eſt, ſi in Eccleſia Cathedrali aut collegiata præbẽdam habeat, cum capella, quarum prouentus annui, ad ducentos aureos non perueniant quæ ſumma eſt quam Concordata poſtulant.

QVÆSTIO XXII.

An Beneficia ex cauſa permutationis aut puræ
D *ac ſimplicis reſignationis in menſibus graduatorum vacantia, illis ſint debita.*

QVæſtionis partes ſunt duæ, in priori de permutatione agitur, de reſignatione in altera, & hanc quidem reſignatario non prodeſſe, ſi ante dies 20. à reſignatione facta, diem ſuum reſignans obeat, docent Carol. Pariſ. in *regulam de infirmis reſignantibus nu.11.* Rebuffus multis locis vt in *explicatione regulæ de infirmis reſignantibus nu.90.* aiunt enim ambo, beneficia illa vacare per obitum, quorum re-
E ſignationi ſimplici in manibus ordinarij collatoris factæ, viginti diebus ſuperuiuere reſignans non potuit, proindeque ea graduatis aut nominatis, ab Ordinario cum petuntur, negari non poſſe, quæ ſententia vera mihi videtur ob hanc cauſam, quod beneficia ſint hæc graduatis debita, quæ vacant per obitum in menſibus per Concordata deſignatis, at vacant ea beneficia per obitum, quorum reſignationi in manibus Papæ factæ, reſignans 20. diebus non ſuperuixit vt dicetur poſtea.

De permutatione ſecus loquuntur ac ſentiunt, du Clos in *annotationib. ad numrum* 34. *quæſtionis* 4. *lib.* 1. Flamminij *de reſignationibus & Bontillerius contra Archidiaconum Rothomagenſem, q. de infirmis reſignantibus parte* 12. *&* 13. Choppinus *lib.* 1. *politia titulo* 5. *num.* 5.

Primo, quia in *Pragmatica Sanctione parag. item quod* à beneficiis quæ turnum vt ibi dicitur faciunt, reſpectu præſentationis vel collationis faciendæ nominatis ab vniuerſitate, excipiuntur conferenda ex cauſa permutationis, aut ſimplicis reſignations in Ordinarij manu, idem factum in concordatis §. *volumus*, vbi Leo X. ſtatuit, beneficia ſimpliciter vacantia, id eſt per reſignationem ſimplicem, in collatorum manu factam, menſibus affectis graduatis ſimplicibus, aut nominatis, ab iiſdem ordinariis nulla ratione graduatorum habita, compermutantibus conferri poſſe, quo quid clarius? Sane beneficia permutata aliis extra permutantes conferri non debere habes in *cap. vn. de rerum permutat. in* 6. & in Concord. *parag. citato*, his verbis: *Volumus quod beneficia ſimpliciter vel ex cauſa permutationis in menſibus graduatis ſimplicibus & nominatis aſsignatis vacantia, eis non ſint affecta, nec debita, ſed ex cauſa permutationis compermutantibus duntaxat, ſimpliciter vero vacantia beneficia huiuſmodi perſonis idoneis per ipſos ordinarios libere conferri poſſunt*, & quidem non ignorabat Pontifex, quæſtionem hanc inter Doctores infrequentem non eſſe, vtrum quæ beneficia purè ſunt ac ſimpliciter in manibus ordinarij reſignata: ab eodem deferenda graduatis eſſent, cum nõ eſt reſignatio cum obſeruatione regulæ de infirmis reſignantibus facta: ergo cum Pontifex non minus ab iis graduatis nominatos & ſimplices excluſerit, quam à cõpermutatis, tam hæc quam reſignata ſimpliciter iis cenſenda ſunt indebita, ſolaque hæc Eccleſiæ munera, Sacerdotiaque ab Academia nominatis deferri poſſe, quæ poſſeſſoris morte ſunt vacua, non quæ eius ceſſione ſunt alteri attributa.

QVÆSTIO XXII.

Effectus Nominationis Academica qui ſunt, & quales?

SVnt hi varij, Primus eſt, quod beneficij vacantis in menſibus nominatorum, id eſt Ianuario & Iulio facta collatio alteri, quam antiquiori, & priori tempore, irritari queat à iudice, Charondas in *tit.* 26. *lib.* 1. *Codicis Henricæi* probatque Paponius *lib.* 2. *placitorum tit.* 5.

Cauſa eſt, quod voluntate tam Pontificis quam Regis, tale beneficium primo nomi- A nato ſit debitum, nec proinde ſi petat, eidem ſit negandum, aut ſi negatum eſt, ſit per iudicis ſententiam læſo roddendum.

Secundus, quod cauſarum notitiæ quæ ad eam nominationem pertinent, aut ex ea originem ducunt, voluntate ſit Regum attributa camaræ magni conſilij, vt enim inqnirere, arbitrari, iudicare de beneficiis in Regalia vacãtibus Curiæ dũtaxat licet ex Fabric. *li.* 2. *tit.* 12. *n.* 31. ita & controuerſias ſuper iure nominationis Regiæ, aut Academicæ dirimere, B eorum eſt duntaxat Iudicum qui in magni conſilij camera, rem virtute ſua publicam tuentur, quia Regi ſua ac diſtincta cauſæ cuilibet aſſignare tribunalia, nemo non videt eſſe licitum, quod enim facere ipſe per ſe poteſt, cur per alium quempiam, ſcientia, moribuſq; idoneũ magiſtratum valide nõ præſtet? At ius cuique expectandum eſſe, in litibus ex nominatione Regia obortis, à Cancellario, cæteriſque qui illi in prætorio Regio conſilij cauſa aſſidẽt, Chriſtianiſſimi voluere Reges, Franciſcus quidem edicto quod 23. Iulij & 6. C Septembris promulgatum dicitur, Henricus autem II. altero, de menſe Septembri anni 1552. erunt hæ ergo eorum componendæ omnes arbitrio.

Tertius, quod triennalem poſſeſſionem impediat, explico, habita cum titulo colorato beneficia, fiunt triennio expleto poſſidentis, non valet hæc regula in Graduati nominati damnum ac præiudicium, Maynardo teſte *lib.* 1. *quæſtionum cap.* 56. Fabricio *tract. de compluribus alys beneficys num.* 33. quia regula de pacificis bonam fidem poſſidentium exigit, at ea caret, quiſquis vltro ac ſcienter in bona; Papæ ac Regis beneficentia graduatis D debita inuolat: ita ſi quis vrbis, ſi quis muratæ villæ vt loquuntur concordata, ſine gradu vllo Academico Parochus creetur ab ordinario, eumque magiſtratum ſine turbis ac lite, triennio teneat, eo finito tamen, exui illo per ſententiam poterit, vt iudicatum Pariſiis ſcribit Paponius *lib.* 2. *tit.* 5. *arreſto* 6. Tholoſæ autem Maynardus *anno* 1574. quia *non firmatur tractu temporis quod ab initio non ſubſiſtit de regulis iuris in* 6, *regula* 18. At eſſe rata eius beneficij collatio non potuit, quod erat Graduato, regni ac Concordatorum affectum legibus, ad id enim tam moribus ipſe ſuis, quam exacto in Academiis tempore, doctrinæ con- E ſequendæ cauſa, quam ad iuſtam decentemque Eccleſiæ adminiſtrationem iura canonica poſtulant, Graduatus ius habet, quo priuari à quoquam nequit, ſine certa eius reparandi cum licebit, obligatione ac vinculo.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXIV.

Quid in nominationis cauſa Graduati nominati à ſimplicibus differant?

PRimo, quod certa ſint & deſtinata ſingulis tempora, eaque inter ſe diuerſa quibus ad Magiſtratus Eccleſiaſticos vocari debeant, Ianuarius quidem & Iulius nominatis, ſimplicibus autem graduatis, Aprilis & October Ludouici XII. ordinatione regia.

Secundo differunt, quod ordinarij ſit optio, quos ad Eccleſias in menſibus Graduatorum ſimplicium admoueat, nec enim ei vlla eſt iniecta neceſſitas præferendi vnum alteri, ſicut cum res cauſaque nominati agitur, quia antiquioris ius eſt potius, quam minus antiqui Charondas poſt Concord. in *art. 1. tituli 26. Codicis Henricæi*, vetus enim eſt iuriſperitorum, verumque verbum, qui prior eſt tempore, iure quoque anteſtare alteri, de *regul. iuris in 6. reg. 54. tibi qui eod. tit in 6.*

Tertio, cum de ſimplici graduato bene meretur ordinarius, facta ei collatione beneficii alicuius, nihil opus eſt in ea dicere illud graduato, aut tanquam tali conferri, aut in literis eius beneficij collatitiis mentionem vllā gradus aut qualitatis graduati facere, dicendo *conferimus tibi tanquā Graduato*, quod omiſſum in inſtitutione nominati, eam reddit irritam ſecundum Paponium *li. 2. tit. 5.* Charondā in *art. 1.* vel vt alij legunt 5. *tit. 26. Codicis*, cum ſufficiat in literis quibus graduato de beneficio prouidetur ſcribere, *Tibi tanquam idoneo conferimus.*

Hoc tamen vtriſque commune eſt primo, quod beneficium vacans his menſibus, alteri quam qualificato tribui nec poſſit, nec debeat, quia ad illud ius habet præparatorium vt loquuntur, & ad rem, tam Papæ quam Franciſci I. Lud. XII. & Henrici III. conceſſione, ut hæc eius oratio declarat in Codice Henriciano *art. 8. tit. 26. lib. 1.*

Ne pourront leſdits Collateurs ou Patrōs Eccleſiaſtiques, ne leurs Vicaires des Benefices vacans és mois des ſimples Graduez gratifier vn Gradué non inſinué au preiudice d'vn ou pluſieurs Graduez ayās deuemēt inſinué auparauant la vacatiō deſdits Benefices, ne pareillement des Benefices vacans és mois des nommez, gratifier vn nommé, non inſinué, au preiudice d'vn ou pluſieurs autres nommez d'vne meſme année ayans deuëment inſinué, &c. Itaque cum Bellouacorum Epiſcopus, præbendam Cathedralis Eccleſiæ in nominatorum menſe vacantem, præceptori, vt inde operæ ſuæ iuſta ſtipendia reciperet dandam putaſſet, eſt hic iuſſus authoritate Curiæ anno 1586. nominato ea cedere Robert. *lib. 3. rerum iudicatarum cap. 3.*

Secundo eſt hoc illis commune quod indul-A tariis iure ſunt ambo impares, Lolietus *verbo Beneficium 16.* Senius eſt nominatis præferendos eſſe indultarios, tam à conferente Epiſcopo, quam ordinario eligente quem beneficio præficiat, quare quibus menſibus, graduati curæ eſſe debent ordinariis eſt in poteſtate indultariorum, vacantibus ſeſe beneficiis offerre, eaque ſibi vt conferantur, petere Carol. Pariſienſ. *de infirmis reſignantibus nu. 229.* quia qui tempore eſt prior, iure quoque eſt potior *cap. cum autem 24. de iure.* At ſunt B indultariis in beneficiorū ambitu, longa multorum annorum intercapedine, poſteriores graduati Academici, nam ſi iſtorum, retroacta legens tempora, priuilegia examinaueris, hæc non antiquiora eſſe reperies Baſileenſi Concilio, cui factum eſt initium anno circiter 1438. Ibi enim ſtatutū reperies, vt amodo beneficiorum Galliæ pars tertia graduatis cederet ad eorum tam in re literaria acuendam induſtriam, quam compenſandam in ſtudiis collocatam operam, Rebuffus concilio 15. cum conſtet 100. annis antea, id eſt 1303. inſtitutam in curia indultariorum C ſeriem, quibus ius eſſet, nominandi ſe ad beneficia, cui numero adiuncti quoque ſunt, quatuor dictæ curiæ Scribæ publici, ac epigraphi, quos vulgo graphiarios vocant, Lucas *placitorum lib. 4. tit. 2, arreſto 1.*

Deinde ſunt omnium conſenſu Præſidibus, ac Senatui Pariſienſi, indulta ab Eugenio, exinde à Paulo anno circiter 1539. at fuit Baſileenſi Concilio annis 4. aut 5. antiquior Eugenius. Potior eſt ergo indultariorum, quam Academici cuiuſlibet, in beneficiis ambiendi cauſa, Choppin. *lib. de ſacra politia tit. 5. n. 15.*

D Tertio, & hoc nominatorum omnium eſt commune, vt ad beneficia vacantia aſpirare poſſint, ſi cum vacant qualitates ad illa neceſſarias habeant etſi cum primum ſunt ad ea nominati, his inſtructi non eſſent, ita DD. in *cap & cui prouideri mandatur de præbendis in 6.* Rebuffus *in Concordata parag. volumus verbo tempore vacationis tit. de collationibus*: quia perſonæ nominatæ capacitas, tum maximè exigitur, cum beneficium vacat non ante, in pœnis enim pars eſt amplectenda mitior; *can. odia 15. de regulis iuris in 6.* eæque reſtringen-E dæ ſunt potius, quam laxandæ. At quod beneficiarius hic, & ille, certis ornatus eſſe debeat qualitatibus, pœna eſt, reſtringitur autem cum reiicitur ad tempora quibus beneficio quis donatur: ergo, &c.

Secundo, qualitates ſunt ex intentione fundatoris, in beneficiario neceſſariæ, ne earum in illo defectus, Eccleſiæ cui præficitur, probro vertat, ſi ignarus, aut parum ab iis rebus ſit inſtructus, quę Eccleſiæ proſunt, hominem autem aliquo loco inter homines conſtituunt. At hæc ei non committitur, cum primo

ad illam offeretur per Academiam, ſed cum deſtituta poſſeſſore vacat: ergo tum, non ante qualitatibus à iure, aut voluntate fundatorum poſtulatis, præditum eſſe beneficiarium conuenit.

Quarto, in eo graduato ſimplici cum nominato conuenit, quod ea ſola beneficia conferri ſibi ab Ordinariis poſtulare valeant, quæ vacant per obitum: quare quæ reſignatione vacant, aut permutatione duorum mutua, ſunt illis indebita, nec proinde talia, vt ab iis requiri, requiſita autem conferri valeant, Peleus *lib. 1. forenſ. act.* 53. Du Clos *in qu. 4. lib. 1. de reſignat. per Flaminium*, Boutiller. *in qu. de infirm. reſignant.*

DISPVTATIO SEXTA.

QVIBVS CONFERRI Beneficia poßint, & quibus non?

BENEFICIVM non niſi ab habente poteſtatem, hominique capaci conferri poteſt: capacitas hæc vero duabus rebus continetur, habilitate ſcilicet ac dignitate, dignus eſt, quem ſcientia, ætas, ac morum grauitas exornant, niſi malis, eum beneficio dignum dicere, qui officio cuius cauſa beneficium datur, defungi poteſt: habilem autem quem nulla lex Eccleſiæ, beneficio excludit, inhabilem è contra, cui per canones ad illud admitti eſt nefas.

Eſt ergo indignitas, à qua quis habet, vt ad beneficia nullus ei patere poſſit aditus, in defectu ætatis, probitatis, & ſcientiæ, iuxta conſtitutionem Alex. III. in Concil. Lateran. promulgatam, relatam autem in *cap. cum à nobis* 7. *de elect.* & in *cap. graue nimis de præb.* renouatam autem à Gregor. X. in Concil. Lugdun. præſertim circa Eccleſias Parœciales in *cap. licet canon* 24. *de elect. in* 6. & in Trid. *ſeſſ.* 7. *cap.* 1. circa Cathedrales.

QVÆSTIO PRIMA.

An Laici, hoc eſt Tonſura deſtituti capaces ſint Beneficij.

A PRima Aſſertio, *Laici ſunt ad omnia Eccleſiæ beneficia inhabiles.* Eſt hæc Alexand. III. opinio in *cap. quamuis ſit graue* 17. *de decimis*, ibi enim de Clericorum ordine, tanquam arborem quæ terram inutiliter occupat, mouendum ait, qui Eccleſiam aut decimam Laïco concedit, eique proinde ſilentiū imponi

B oportere ſuper Eccleſia ei tradita Greg. in *ca. ex literis de tranſact.* 6. ait, quod literas eius collatitias, nondum tonſuratus aſſecutus eſſet.

Horum Pontificum auctoritati adiungenda eſt ratio, eaque duplex.

Prima, eſt beneficium ius faciendi officij, quod ipſum quoque eſt ſpiritale: his ergo duntaxat eſt debitum, qui in claſſem ſunt relati ſpiritualium, hominum, at præter eos, qui ſunt in ſortem Dei vocati per tonſuram, reperire non eſt alios: ergo, &c.

C Secunda, Beneficium primo, per ſe, & immediate ad Dei cultum refertur ac tendit, eſt hoc ergo iis præ cæteris dandum maxime, qui ad illum peculiari ſunt cæremonia deputati, quales ſunt Clerici, & non alij: quare ne Epiſcopis quidē licere Rebuff. ſcribit, Graduatis in menſibus quos *rigoris* nomināt, nominatis ab Academiis, beneficiū vacans tribuere, cùm in vim gradus illud ſibi cōferri poſtulant, niſi prius inſinuatis (vt aiunt) ſuis de Tonſura literis Rebuff. *de nominat. tr.* 4. *n.* 42.

D Nec illis prodeſſet, ſi ea ſe initiatos poſt collatum beneficiū dicerent, ac probarent: nam vt eſt in *cap. ſi eo tempore* 9. *de reſcript. in* 6. beneficij Curati capax eſſe nequit, cum legitimam ætatem attigit, ſi quo tempore, dātæ ſunt à Pontifice ad Epiſcopum literæ, de beneficio aliquo eius generis illi conferendo, ad eos annos nondum venerat, quos in homine, animarū curam ambiente, Pontificū decreta Conciliaq; exigunt, ita nec valide donari beneficio, nec donatum ſine Papæ facultate retinere poteſt, qui illud, cū tōſura needū inſignitus foret, ab Ordinario cōferri ſibi eſt paſſus.

E Confirm. Quod ab initio non valuit, tractu temporis non corroboratur, vt eſt in *can. non firmatur* 18. *de regul. iuris in* 6, & *lege quod initio dig. eod.* At facta Laïco beneficij collatio, eſt nulla per *ca. cùm adeò de reſcr. in* 6. ergo beneficii ſine tōſura habiti, ſi ſit hæc recepta poſt eius collationem, Clericus eſt incapax.

Nec ei ad eius poſſeſſionem pacificam & plenam probare ſufficeret, quod à Collatore & aliis qui bus erat notus haberetur pro Clerico. Quia verba narratiua extra ſubſtantiam ei non probant, *lege ex hac ſcriptura* 16. *de donat.* conſulendus P. Gregor. *de benefic. cap.* 16.

Dominicas

Dominicas *conſil.* 19. Data autem Tonſura ab Epiſcopo quolibet, eſtne conſequendo beneficio ſatis?

Pro negante faciunt Leſſ. *lib. 2. cap. 34. dub. 9.* Reginal. *num. 148.* Rebuff. in *parag. formulâ dimiſſoriar. num. 12. & 29.* Alterius *tom. 2. diſp. 9. cap. 4.* Azor. *tom. 2. lib. 3. cap. 49. q. 4.* quare beneficij collationẽ ei factam qui à non ſuo Epiſcopo, aut ſine literis eius dimiſſorialibus, eſt tonſura initiatus, irritam eſſe aiunt ac nullam, imo quod nec priuilegio fori, aut canonis gaudeat, nec beneficiorum ſit capax, nec ratificari eius tonſura à proprio eius Epiſcopo valeat, ſed à ſolo Papa docet cum aliis quos citat Theſaurus in *in praxi par. 2. verbo Ordo cap. 16.* maxime ſi ſequatur ſententia declaratoria priuationis priuilegii Clericalis.

Opinionis huius præſidium eſt hoc vnum Quod vt eſt in Concil. Nicæno *can. 16. & diſt. 71. can. ſi quis auſus, & 9. q. 2. can. 1.* ordinatio ordinati à non ſuo Epiſc. ſine proprii licentia ſit irrita, & nulla, non quidem in actu primo, ſed ſecundo, quia non eſt eius executio licita, ſecundum Turrecrem. *in dict. can. 1.* & Sanch. *in opuſc. lib. 7. cap. 1. dub. 20. num. 14.* ergo cum quæ ſunt irrita eodem haberi loco debeant non exiſtentia, facta beneficii collatio non ordinato legitimè, hoc eſt à non ſuo Epiſc. aut ſine eius facultate, eſt nulla.

Ad partes affirmantium concedunt Nauar. conſilio de temporib. ordinat. *qu. vlt* & *conſil. 31. & 27. num. 5. & 29. num. 1. eiuſd. tituli*, Guido Papæ *deciſ.* 449. Tolet. *lib. 4. cap. 49.*

Ratio eſt, quod cum in pœnis verba canonis propriè intelligi debeant, non ſunt hæc rei alteri applicanda, quam quæ illis propriè ſignificatur, ſed canones qui pro prima ſunt ſententia allati, non meminere huius pœnæ, quoad incapacitatem ad beneficia tõſurati ab alieno Epiſcopo ſine facultate proprii, ſed tantũ nullitatis tonſuræ, quoad eius vſum à quo, quiſquis eſt à non ſuo Prælato tonſura initiatus, ſine facultate proprii, quandiu ei videbitur eſt ſuſpenſus. Trident. *ſeſſione 23. cap. 8.*

Sunt hæ ſententiæ probabiles, prima tamen præ altera, quam & in praxi ſequendam puto. Sanè in foro externo, beneficio excideret ſuo, qui ante ratificationem acceptæ tonſuræ à non proprio Antiſtite, ſine voluntate proprij, ſibi illud conferri paſſus eſſet, quia quæ non fiunt legitimè, & vt oportet, canonicè, communiter in externo foro pro infectis haberi ſoleant.

At enim cuius eſt, tonſuræ male ſic collatæ vitia ſupplere? cuius, cum ſic ordinato diſpenſare, ac tonſuram ratam reputare ac validam?

Pertinere id ad Papam dixere multi, quorum A nomina in ſuos commentarios Theſaurus retulit in *ver. Ordo cap. 14.* quæ eſt etiam Rebuffi ſupra, & Chaſſanæi ſententia in *conſuetud. Burgundiæ ad parag. des Iuſtices verbo Sergeans*, quod Gregor. eius nominis primus, *diſtinct. 63. can. Salonitana 24.* ratam ſe habere ordinationem aſſerat Epiſcopi Salonitani, perinde ac ſi à ſe facta eſſet, hinc enim inferri credunt, ad Pontificem ſuper conſequenda diſpenſatione vitij in receptione Tonſuræ admiſſi, recurrendum eſſe.

Sed malè, nam ibi eſt ſermo de ordinibus, B in quibus locum tonſura non habet: Secundo, quia etſi hoc tempore vbi recepta eſt Bulla Pij II. cui initium eſt *cum ex ſacrorum* recipiens ordines ſacros ſine literis dimiſſoriis ſui Epiſcop. incurrat ipſo facto ſuſpenſionem, in qua celebrans ſit irregularis, (quam extrauagantem Pontificiis ſuis diplomatis cõfirmarunt Leo X. Paul. III. Pius V.) non tamen ex probabili ſententia Nauar. locis ante citatis, Aulæ *par. 3. diſp. 5. dub. 7. parag.* Sanch. *opuſc. lib. 7. cap. 1. dub. 28.* qui minores & tonſuram recipit Itaque in Epiſcoporum eſt iure, C Tonſuram ſine literis à ſe traditis aut contra voluntatem ſuam, ab alieno collatam Epiſcopo, perinde habere ratam, ac ſi illis auctoribus data foret, colligitur ex Trident. *ſeſſ. 23. cap. 8.* vbi dicitur quod qui à non ſuo Prælato ſine proprij licentia eſt ordinatus, eſt à ſuſceptorum ordinum exequutione ipſo facto ſuſpenſus quandiu proprio Ordinario videbitur.

QVÆSTIO II.

D *An & qualis requiratur in Clerico intentio, vt beneficiorum ſit capax.*

DIco Primò, *Voluntatem in eo ante omnia exigi, aſſumendi ſtatus Clericalis.*

Quia de bonis Eccleſiæ eum ali non decet, qui ad eius obſequium ſe addicere, necdum conſtitutum habet, ſunt enim hæc fundatorum voluntate communicanda cum iis, qui operam ſuam Eccleſiæ collocant, tanquam eius miniſtri, ac portio gregis Chriſti, qua laude non præſtant haud dubiè, qui quo tempore, E dari ſibi ab Epiſcopo beneficium poſtulant, de Clericorum ſtatu ſuſcipiendo non cogitant, hoc enim facere ſimiliter è Laïcorum grege, turbaque poteſt quilibet, quem tamen beneficio dignum nemo aſſeret: ergo nec Clericum, quem profitendi ſtatus Eccleſiaſtici intentio deſtituit.

Secundo, eſt beneficium inſtar fructuoſæ dotis, quæ ſupponit conſenſum in matrimonium eiuſque onera, ſine quo nec dos, nec fructus eius ritè capiũtur, ergo vt ſeruus operã ſuam Domino locans; voluntatem habere

debet exequẽdi quæ ſui ſunt officij, ita & Clericus habere debet ſaltẽ hypotheticam, nẽpe ſi beneficium ſibi retineat, ſeruetque quare.

Dico Secundò, *Neceſſe non eſſe, vt qui beneficium ſimplex aut Curatum recipit, propoſitum abſolutum ac determinatum habeat, permanendi in ſtatu Clericali, aut ſacros ordines recipiendi ſuo tempore:* Nauar. *Enchirid. cap. 25. num. 118. & lib. 3. conſil. 1. de præb.* Sanch. *lib. 7. de matr. diſp. 45. num. 10* Leſſ. *de benef. dub. 26.* Laym. *lib. 4. tract. 2. cap. 14, nu. 9.*

Cauſa eſt primo, quod de oppoſito, canonica vlla lege, aut ſtatuto Pontificio non conſtet.

Secundo, quod à benignitate matris Eccleſiæ abhorreat, tam durè illam ac malignè beneficiatos habere, vt ex quacunque eos cauſa, etiam æquiſſima, ab eo vitæ genere quod ſemel ſunt amplexi, reſilire non ſinat. Quotus quiſque enim eſt Principum, qui cum opulenti coniugij occaſio ſe obiicit, honores, bonaque Eccleſiæ, quibus eſt multis annis vſus, eo poſteriora non habeat? quàm multi enim exuerunt purpuram, vt haberent fœminam?

Dico ergo 3. *Facere officium, qui ad Eccleſiaſtica beneficia propoſitum hypotheticum affert, perſeuerandi in incœpto vitæ Clericalis genere, modoque, ac ſacros inſuper recipiendi ordines cum ex præſcripto Eccleſiæ opus erit, niſi res ſe noua aliqua ex improuiſo offerat, quæ prioris vitæ conſilia mutare ſuadeat, vt ſi Clericalis ſtatus minus conuenire videatur, ſi frater vnicus moriatur:* Ita citati ante auctores cum Gabr. Vaſq. *parag. 3. dub. 1. de benefic.* quorum opinionem, facit eſſe probabilem hæc ratio.

Quod ex vna parte promiſus non ſimulatum animum adferat, cum verè in Clericorum ordine perſeuerare velit, ſaltem conditionaliter ac hypotheticè, putà ſi id è re ſua, familiæque eſſe aduerterit, & ex alia parte, Eccleſia talem conditionem, ſiue voluntatem renuntiandi beneficio, & ſtatui Clericali, ſi aliquid melius obtigerit, in praxi non damnat: quam opinionem præter citatos aſſert. 2. tenent Garzias *parte 3. cap. 4. num. 46.* Laym. *tract. 2. de beneficiis cap. 14. n. 9.*

Debet is ergo, cui beneficium tribuitur, velle eo ſaltem modo, quo eſt explicatum, intra tempus iure ſtatutum recipere ordinem, quem beneficium exigit, aliiſque eius obligationibus ſatisfacere, vt ferre habitum ac tonſuram, dicere officium, & ſimilia. Eſtque eiuſmodi obligatio ſeu nexus ad mortale ſecundum Nauar. Miſcell. de *orat. 44. num. 1. & 2.* Sotum *lib. 10. de iuſtit. q. 5. art. 6.* Nauar. *in manuali cap. 25. num. 118.*

Dico quarto, *Eum qui Eccleſiam Parœcialem recipit, non intendens promoueri ad Sacerdotium intra annum, præter peccatum mortale,*

A *ad reſtitutionẽ teneri fructuũ, niſi mutata voluntate promotus fuerit.* Eſt hac de re ad manum decretalis *commiſſa 35. de elect. in 6.* his verbis: *Si ad Sacerdotium non intendens, Parœcialem receperis Eccleſiam, ipſam poſtmodum dimiſſurus, niſi voluntate mutata promotus fueris, teneberis ad reſtitutionem fructuum eorundem.*

Dixi *Parœcialis Eccleſia.* Quia beneficia quamlibet curata, modo ne ſint Parœciæ obligationem reſtituendi non inuehunt, quia lex pœnalis ad ea extendi non debet, de quibus non eſt lata, cum odia reſtringi oporteat,
B fauores laxari, vt eſt in regulis iuris Reg. Itáque ſentit Nauar. *de orat. cap. 21. num. 51.* De Epiſcopis eſt tamen ſtatutum peculiare in Trident. *ſeſſ. 23. cap. 2.* quod ad annum attinet, nam ibi eſt, quod promotus ad Epiſcopatum teneatur intra tres menſes conſecrari ſub pœna amiſſionis fructuum, quod ſi intra tot menſes conſecrationem recipere omiſerit, Eccleſia ipſa ſit priuatus. *Conſecratio vero ſi extra Curiam Rom. fiat, in Eccleſia, ad quam promotus fuerit, aut in prouincia, ſi commodè fieri*
C *poterit, celebretur, Trid. ib.*

Quid ſi bona fide ac intentione Clericus beneficium recepit, deinde fluctuare, & de mutanda voluntate dubitare cœperit?

Reſpondet Nauar. *de orat. cap. 21. num. 45.* reſtituendorum fructuum neceſſitatem nullam tum eſſe, niſi ab eo tempore, quo talis eſt in eo facta mutatio.

Quid ſi cum conditione Clericus fieri voluit, & non aliter? v. c. niſi melius aliquid ſe offerret, quid ſi eodem modo, hoc eſt, non
D niſi conditionate, ordinem beneficio ſuo conſentaneum recipere ſuo tempore voluit, non aliter, & interim primogenito mors accidit, aut pacis inter familias componendæ occaſio per matrimonium peropportuna ſe dedit, quam & arripuit, quid iuris?

Reſpondet Nauar. *cap. 25. manual. nu. 118. & de Orat. cap. 21. num. 45.* à reſtitutione eum videri liberum, quod non eſt improbabile. Primo, quia pro eo facit praxis Clericorum communis, à quibus id Religioni, cum res exigit, duci non ſolet. Secundo, quia id duntaxat in eo can. ſpectat Pontifex, vt eos iuſta
E pœna plectat qui eius anni fructus conſequi fraudulenter volunt. At iſte, de quo eſt quæſtio, per ſe aut alium, in quibus defectu ordinis non poterit, ſeruire proponit, vt ſupponitur: ergo, &c.

Quod de voluntate conditionali eſt dictum, de dubia quoque intelligi oportere tradunt aliqui. Quia vt qui eſt dubius, dici nequit intendere, ita nec ſimiliter non intendere: ergo, &c.

Patet ex dictis peccare mortaliter, qui beneficio Curato donari ſe ſinit, non alia intentione, quam vt eius fructibus alatur, donec ſtudia abſoluerit, quia hæc eius intentio eſt re-

quiſitæ

quiſitæ per Eccleſiā oppoſita. Secundò, quia hoc eſt abuti beneficio quod eſt alienæ ſalutis procurandæ gratia à fundatore inſtitutum, quod tamen non facit, nec facere ſtatuit, qui abſolutis ſtudiis Parœcia decedere cum animo ſuo proponit.

Peccare tamen venialiter tantum qui ſic eſt affectus, ſententia eſt Candidi, *to. 1. tract. de beneficiis diſquiſ. 18. art. 20. dub. 2.* cum beneficium quod recipit, non eſt curatum, ſed ſimplex, quia in re leui decipit Eccleſiam, vtpote quæ non multum læditur neglectu Sacerdotij per eum, qui videbatur profeſſus contrarium, cum eſt ei à Superiore beneficium ſimplex datum.

Dico quinto, *Fructus prædictos ante omnem ſententiam ab eo reſtituendos eſſe, qui in prædictis, muneri ſuo non ſatisfecit, id eſt Sacerdos non eſt intra annum factus etſi aliunde, per ſe aut alium, quæ ſunt officij ſui expleuerit.* Ita Syl-ueſt. *verb. beneficium 3. q. 5.* Laym. *ſupra num. 10.* Prob. Eſt in eo donationis hypotheticæ vis ac natura, vt rei quæ per eam datur, dominium non transferat niſi conditione poſita, quæ ei eſt ex voluntate donantis annexa. At Eccleſia cum hoc onere, pactoque annexo tacitè, beneficium Curatum confert, vt qui illud recipit, intra annum ſit obligatus promoueri ad Sacerdotium, alioqui fructus interea perceptos reſtituere debeat: ergo Sacerdotii non receptio, tempore per canones deſignato, certa eſt factæ ei collationis de prædicto beneficio, in nihilum reſolutio.

Secunda pars de reſtitutione facienda fructuum ante ſententiam: Probatur, Non ſua, ſunt ab eo reſtituenda penes quem ſunt, etiam non expectata ſententia. At fructus beneficii Curati non ſunt eius, qui non eſt ſuo tempore inſignitus Sacerdotali charactere.

Probatur, Fructus ſuos beneficiarius non efficit, proindeque perceptos reſtituere eum conuenit, quando non eſt verè talis per collationem beneficii legitime ei factam. At hæc nunquam eſt valida, cum non eſt recipiens ea inſtructus voluntate quam canon *commiſſa 35. de electione in 6.* exigit, obtinendi nempe ordinis, quem collator poſtulat. quia validè non poſſidetur beneficium nec confertur, niſi illud ordinario conferre placeat. At id eum facere nolle eſt certum niſi recipiens ſtatus Clericalis, ac conſequendi intra annum presbyterii intētionem habeat: Eius enim voluntas, eſſe debet Eccleſiæ voluntati conſentanea: ergo cum hæc res ſuas dari nolit homini, qui eam breui deſerere cum animo ſuo ſtatui, nec vult intra annum Sacerdotii notari charactere, quo ſic ad obeundum ſibi munus, commiſſæque plebis regimen euadat inſtructior, erunt hæ reſtituendæ pauperibus, aut Eccleſiæ ante ſententiam.

Secus quam nos ſentiunt Leſſius *lib. 2. cap.*

A *34. dub. 26.* Nauar. *lib. 3. conſilio 16. de prebend.* aiunt enim primo, etſi mortifere peccet, nec beneficium retinere queat qui illud recipit vt inde alatur, illud dimiſſurus abſolutis ſtudiis, non teneri tamen fructus perceptos reſtituere, nec iure ipſo priuatum eſſe, modo muneri ſuo ſatisfecerit, quia id nuſquam iure ſtatutum inuenitur, imo ſi nullum ordinem annexum eiuſmodi beneficium haberet, poſſet in opinione Sanch. inquit Leſſ. ſine peccato mortali retinere, ſi ſuo interim ſatisfaceret officio, *mortale* dixi, nam eum à veniali nō excuſat eo

B quod Eccleſiam, in re quæ leuis eſt decipit: nam cum eum putet ſtatus Clericalis intentionem habere, non habet tamen, quæ deceptio non videtur grauis, alioqui eam alicubi vetuiſſet, nec permiſiſſet Clericis beneficiariis tranſire ad nuptias vt facit in *cap. diuerſis 5. de Clericis coniugat.*

Addit Leſſius ſupra cum Candido *diſquiſit. 18. art. 19. dub.* qui ſine animo ſuſcipiendi intra annum ſacerdotii, beneficium Parochiale ſuſcipit, teneri fructus perceptos reſtituere, niſi voluntatem poſtea mutauerit, habetur in

C *cap. commiſſa 35. parag. cæterum de elect. in 6.* quod ſi mutata voluntate promoueatur intra annum, fructus omnes retinere poteſt iuxta Nauar. *cap. 25. Enchirid. num. 118.* Candid. ſupra *dub. 2.* quia fraus (inquit) ab initio concepta purgatur per ſecutam promotionem. Secundo, quia validitas promotionis à conditione pendet: ergo cum hæc ſecuta fuerit, fit eiuſmodi promotio rata, nec reſoluenda.

Poſtremo dicit Leſſ. *dub. illo 26. num. 134.* vt amittit ipſo iure beneficium, fructuſque perceptos qui intra annum non promouetur,

D ita eos ſeruare hunc poſſe, cui beneficium Parochiale dari ſibi quidem eſt paſſus cum intentione recipiendi ſacerdotii, ſed eam non expleuit, primæ partis eſt hæc cauſa, quod abſentia conditionis neceſſariæ ad poſſeſſionem beneficii Parochialis, ſit reſolutio collationis de eo factæ. Altera ſic probatur, Qui intentionem legitimam poſſidendo beneficio attulit fit eius verus poſſeſſor ac Dominus: ergo & fructuum, ſed per mutationem animi illud non amittit, cum valida fuerit eius collatio, nec eſt ius vllum quod ſtatuat amitti fructus modo muneri ſuo ſatisfaciat. Hæc auctores

E ſupra nominati.

QVÆSTIO III.

An Cœlibatus qualitas ſit ad Beneficia neceſſaria?

PRima Aſſertio, *Sunt coniugati ad omnia beneficia inhabiles, etſi ſint Clerici*: ita Pontifex in *cap. 1. de Cleric. coniugat. 2. 3. & 8.* quia vt eſt in iis canonibus, Deo ſimul & vxori vacare nequeunt.

Poteſt tamen ad beneficium aliquod ſimplex admitti, qui vxorem duxit, ſi ea approbante, voto ſe caſtitatis perpetuæ obliget *cap. 2. de Cleric. coniugat.* iſtaque Religioni ſe mancipet, ſi eſt ſexagenaria minor, aut in ſeculo, Epiſcopo minimè repugnante caſte ſe victuram ſpondeat, ſi ſexaginta ætatis annos exceſſit docet Gloſſa *ad cap. Apoſtolicam* de conuerſione coniugator. Nec poteſt maritus ſacris initiari ordinibus, antequam ſit illa caſtitatem profeſſa ſecundum Sanch. *lib. de matrimonio diſp. 47*, Azor. *parte Inſtit. 2. cap. 16. q. 4.*

Quid ſi beneficiatus matrimonium contrahat?

Si id fecit validè, beneficio ſuo excidit ipſo iure, quia Clericus coniugatus eius eſt incapax, perinde ac Laïcus, *cap. 1. de Cleric. coniug.* quare ad illud relinquendum eſt cogendus, decreto Alexan. III. *de Cler. coniug. cap. 1.* Innoc. III. *cap. diuerſis 5. eod. tit.*

Dixi validè, nam ſi ob aliquem defectum matrimonium eius nullum erit, non vacabit ipſo iure, vt Layman. tradit ſupra *num. 7.* in pœnam tamen admiſſæ culpæ, eo priuari per iudicem poterit, Candid. *de benefic. art. 22. dub. 1.*

Ratio eſt, quod pœna amiſſionis beneficii ipſo facto non ſit per canones impoſita, ſed imponenda tantum: ſic enim Alexand. III. in *decret. 1. de Cler. coniug. Si qui Clericorum infra Subdiaconatum acceperint vxores, ipſos ad relinquenda beneficia Eccleſiaſtica, & retinendas vxores, diſtrictione Eccleſiaſtica compellatis.*

Secunda Aſſertio, *Clericus minorum Ordinum, ipſo facto ſi vxorem duxerit, beneficium ſuum perdit.*

Ita Alexand. III. *cap. 1. de Cler. coniug.* Cauſa eſt, quod quum ſtatum cum ſuo incompatibilem per matrimonium capeſſat, efficacter vitæ genus modumque, ſibi à priore diuerſum deligat, ac conſequenter beneficiis à ſe ante poſſeſſis tacite renuntiet.

Excipiendus eſt caſus, in quo ob occultum impedimentum inualide contraheret, quia canones eum tantum priuant, qui cum ſit ad contrahendum habilis, fit per matrimonium vxoris ſuæ verus coniux, ac maritus *cap. 1. &*
A *3. de Cleric. coniug.* eo quod Deo ſimul & vxori intentus eſſe nequeat, quod locum non habet, cum eſt coniugium per impedimentum aliquod incognitum, inane ac nullum.

Secundo voluntas ſuſcipiendi ſtatus incompatibilis cum beneficio, de ſe non ſufficit, vt quis eo excidat, cũ enim hæc nulli ſit cognita, puniri ab Eccleſia non poteſt: ergo vt Clericus Minorum Ordinum, ipſo iure priuetur ſuo beneficio, verè & de facto contrahere debet valide, Sanch. *lib. 7. de matr. diſp. 43.* alio-
B qui dici maritus non poteſt, nec aſſumpta eius vxor.

Dixi *Minorum Ordinum*: nam ſi Clericus qui inter Sacerdotes, aut maiorum Ordinum Clericos eſt allectus ab Eccleſia, vxorem ſibi ſumeret, is beneficiis priuari ſuis, in pœnam admiſſi criminis poſſet, his tamen abire cum ante ſententiam neceſſe non foret, quia cum validè propter votum Caſtitatis ſolenne, quod ab eiuſmodi Clericis, in ſacrorum ſuſceptione ordinum concipitur, contrahere cum fructu nequeant, ſtatum mutare ſuum
C aliumque tacitè inire velle non cenſentur, nec proinde beneficii ſui iacturam facere, ob eius renuntiationem virtualem ac tacitam. Quia hæc nullarum eſt virium niſi in Epiſcopi manibus facta, *cap. cum pridem, cap. cum in dubiis de renunt.*

Nec item illud amittere ſunt cenſendi per iuris diſpoſitionem, quia canones de matrimonio duntaxat valido loquuntur, argumento eſt. Quod Alexand. III. in *cap. 1. de Cleric. coniugat.* velit, Clericum contrahentem ad manendum cum vxore adigi, quod non diceret, ſi cum ea contraxiſſet inualidè.

D Ex dictis patet, contrahendi voluntatem ac conatum, quem attentationem nominant, non ſufficere, vt per eum beneficia vacent. Primo, quia id iure nullo aſſeritur. Secundo, quia non voluntas, ſed actio contra legem facta per eam plecti ſolet, non eſt ergo ſatis, vt quis ſtatum cum beneficio à ſe poſſeſſo incompatibilem ſumat, ſed inſuper ad eius priuationem eſt neceſſe, vt verè contraxerit ac validè, quod non faciunt maiorum Ordinum Clerici.

Patet ſecundò, Penſionem Clericalem, ſeu titulo Clericali collatam alicui, per matrimonium vacare, quia ita habet ſtylus curiæ,
E qui eſt pro lege, vt eſt in *cap. quam graui 6. de crimine falſi* Quod ſi eſſet penſio de earum numero, quæ dari ſolent Laïco ex Papæ priuilegio, aut pro exercendo aliquo munere temporario, vt pulſandis organis, vt eſt hæc compatibilis cum matrimonio, non vacabit eo inito, ſecundum Loppez *de matrim. par. 2. inſtruct. cap. 49.* Candid. ſupra *diſquiſ. 18. art. 23.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

De Bigamis, excommunicatis, ſuſpenſis, & an Beneficij ſunt capaces.

ASſertio Prima, *Sunt Bigami, quocunque Bigamiæ genere, à beneficijs Eccleſiæ legibus ac voluntate excluſi*, colligitur ex *cap. vnico de Bigam. in 6.* ibi enim dicuntur ſpoliati omni priuilegio Clericali. At eſt inter Clericorum priuilegia hoc non vltimum, quod qui ſunt tales, beneficia poſſidere valeant.

Secundo, cum beneficium detur propter officium, *cap. finali de reſcript.* ſi illud obire Bigami nequeunt, neque beneficio donari poſſunt, verum eſt eſt prius, nam ſunt Bigami irregulares *diſtinct. 26. can. vna tantum 4. & diſtinct. 82. can. propoſuiſti 2.* In eo enim irregularitas eſt, quod *incontinentes in officiis poſiti, omni Eccleſiaſtico honore priuentur, nec admittantur ad tale miniſterium, quod ſola continentia poteſt impleri.* In can. autem *vna tantum* citato habetur, *quod iterata coniugia electioni muneris, & prærogatiuæ ordinationis impedimenta generent*, quia oratione id efficitur, vt ab executione officii, quod eſt beneficio adnexum, remoueri Bigamum oporteat.

Secunda Aſſertio, *Excommunicatus excommunicatione maiori quiſquis eſt, à beneficiis, vt eorũ incapax excludi debet*, habetur *de Cler. excomm. miniſtrante cap. poſtulaſtis 7. & cap. ſi celebrat extremo eiuſd. tit.* Sic enim Innoc. III. *in cap. poſtulaſtis cit. Clericis excommunicationis vinculo innodatis, Eccleſiaſtica beneficia conferri non poſſunt, nec illi valent ea retinere licite, niſi fuerit cum eis miſericorditer diſpenſatum.*

Poſſet tamen Epiſcopus diſpenſare, vt qui eſt abſolutus ab excommunicatione, beneficium retineat, quod cum ea, occulte irretitus foret, recepit, dicit id canon ante citatus, ratioque ipſa probat. Enimuerò habet hæc Epiſcopi diſpenſatio vicem collationis nouæ, etſi eius faciendæ ius ac auctoritas ſpectaret ad Papam, vel alium quam Epiſcopum diſpenſantem vt notauit Azorius *lib. 6. cap. 7. tomo 2. q. 2.* ergo abſolutus à cenſura, eam collationem acceptare poterit, non ante: Couar. *lib. 3. variar. cap. 16. n. 4.*

Quid ſi excommunicatus, laboret ignorantia inuincibili cenſuræ ſuæ?

Reſpondend. ne tunc quidem valere collationem ei factam ex Nauar. *cap. 27. nu. 273.* Glof. *in cap. Apoſtolicam de Cleric. excomm.* quia ignorantia vinculi Eccleſiaſtici, eum quidem ab irregularitate contrahenda eximit, qui cum ea celebrat, ſed ad beneficia idoneum non efficit, cum ignorantia, in ſubiectum influere, vtpote mera ſcientiæ priuatio aut negatio nequeat.

A Eximit (inquã) ignorãtia cum eſt probabilis, à pœnis ſtatutis contra excõmunicatos, quidpiam facientes, quod eſt ſub cenſura aut Irregularitate legibus Eccleſiæ vetitum, non tamen facit hæc ignorantia, vt actus qui eſt nullus, ſit in conſcientiæ foro, aut externo ratus.

Dixi *Excommunicatione maiore*, nam collatio excommunicato excommunicatione minore facta, non eſt ipſo facto irrita, ſed irritanda Gregor. IX. decreto, in *cap. ſi celebrat. 10. de Clerico excomm. miniſt.*

B *Eius*, inquit ibi Pontifex, *electio eſt irritanda, pro eo quod ad ſuſceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione eſt priuatus.*

Quid ſi excommunicatus, cum ei eſt collatum beneficium, dennnciatus non erat?

Reſpondend. ne tunc quidem ei dari poſſe validè, aut ab illo acceptari, quia in his quæ in commodum, aut fauorem excommunicati cedunt, nulla eſt inter excommunicatum occultum & manifeſtum differentia.

Aſſertio Tertia, *Beneficium ad quod eſt electus, aut præſentatus, interim dum ex vrbe*
C *cenſuræ ſuæ ſolutionem expectat, acceptare excommunicatus non poteſt*, Nauar. *cap. Enchirid. 27. num. 194.* niſi ad id eum diſpenſaret Epiſcopus.

Probatur, Acceptatio eſſe ſinciure, eiuſque faciendæ facultate in acceptante non poteſt, alioqui eſt nulla. At excommunicatus tale nullum habet, vt eſt in decret. Gregor. IX. *de Clerico excom. miniſt.*

Confirm. Cum ſint donatio & acceptatio relatiuæ, acceptari, niſi quod & donari eſt aptum, non poteſt. At ex canonib. ante citatis
D excommunicato excommunicatione maiori beneficium dari nullum poteſt: ergo nec ab eo oblatum accipi, & ſi faceret, duplex ei abſolutio neceſſaria eſſet, prima quidem acceptationis ſuæ in excommunicatione, quæ eſt intruſionis nonnulla ſpecies, excommunicationis altera, ſecundum Leſſium de benef.

Confir. excommunicatus non eſt durante ſua cenſura, noui iuris acquirendi capax, ſed per acceptationem acquiritur, nam collatione aut electione ius tantum ad rem habet, quod non fit ius in re niſi acceptatione, vt
E colligitur, ex *cap. ſi tibi abſenti 16. de præbend. in 6.*

Aſſertio Quarta, *Sunt item à ſacris ſuſpenſi ordinibus, ad beneficia inhabiles:* Auctor Inno. III. de conſuet. *cap. cum dilectus 8.* approbator Cœleſtinus III. *in cap. cum bona memoriæ 8. de ætate & qual.* Nam ille *electionẽ a ſuſpenſis, & de ſuſpenſo celebratam, iuſtitia exigente caſſandam ait:* Iſte autem id eſt Cœl. *quod non licet ſuſpenſis illa quæ habuerunt beneficia, vel quæ poſtmodum ſunt adepti, aliquatenus retinere.*

Vbi aduertendum eſt quod de inhabilitate dicitur, de ea duntaxat intelligi quæ ſententiam ſequitur, vt probauimus *to. 2.* qui eſt de *cenſur. tract 8. q. 8. dub. 7.* quæ etiam eſt opinio P. Suar. *de cenſur. diſp. 27. ſect. 5. num.* 25. Sylu. *verbo excommunicatio 4. num. 5.* quam Leſſ. *lib. 2. de iuſtit. cap. 34. dub. 22. num. 116.* & Tolet. *lib. 1. cap. 14. parag. vlt.* improbant. Sed male cum Cœleſt. III. Baran. Arch. det in mandatis; vt qui beneficium cum ſuſpenſi eſſent, adepti erant, hos iiſdem pro auctoritate ſpoliaret, facit idem Innoc. III. in *cap. cum inter 16. de elect.* Abbati enim de cella S. Petri præ- B cipit, *vt ſi conſtiterit quod electio facta fuerit à ſuſpenſis, ea omnino caſſetur,* non erat ergo iure inualida: ergo nec collatio ſi quæ illis euiſmodi obtigiſſet aliqua.

Quinta Aſſertio, *Tempora ſunt tamen numero quatuor in quibus collatio excommunicato facta eſt valida.*

Primum eſt, cum à Pontifice eſt facta. Ratio eſt, quod Papa à cenſuris pœniſque Eccleſiaſticis, eximere eos ſoleat, quos beneficio Eccleſiaſtico dignatur.

Secundum eſt, cum excommunicatus, triennio integro beneficii in excommunicatione ſibi collati poſſeſſor pacificus extitit.

Ratio eſt, quod non denunciatus acquirat in ipſa collatione coloratum titulum, quia talis eſt, qui ab ordinario tolerato, & actu non depoſito, aut impedito reſeruatione iuris communis acquiritur, Probus *in Pragmat. Sanct. rubrica de pacif. poſſeſſ.* Gomeſius *q. 28. in regul. de trienn. poſſ.* ſed de excommunicato ordinarius bene eſt meritus collatione beneficii quod tribus annis poſſedit pacificè: ergo cum finis eorum aduenerit, titulus qui coloratus erat in verum tranſibit: Ita *in cap. ſi quando de reſcriptis exceptione* 10. *num. 9.* excommunicato tamen vt munere ſuo fungatur legitime cenſuræ ſuæ procuranda eſt abſolutio.

Tempus tertium eſt, cum eſt excommunicatio occulta, nam canon *poſtulaſtis*, intelligendus eſt de excommunicato manifeſto non occulto.

Ratio eſt, quod lex quamlibet generalis, iuxta rationem in ea expreſſam reſtringi debeat, ſic vt locum non habeat, niſi vbi reperitur eius ratio vt Nauar. *conſil. de teſtament.* & Azor. docent, *to. 1. lib. 5. cap. 16. q. 9.* At cauſa cur excommunicato dari beneficiũ nequeat, eſt *quod cum excommunicatis communicare nemo debeat*, quæ ratio cum in toleratis & occultis, à temporibus Conſtant. Concilii locum non habeat, quandoquidem iis congredi, cum his verſari, ac agere, cuique ſit permiſſum, vt his beneficia conferri, ita & ab iis recipi nihil vetat.

Notandum tamen, abſolutione Pontificis à cenſuris, impedimentum aliud non tolli, A quam quod hæ producunt.

Cauſa eſt, quod illæ ſolæ his verbis: *Te abſoluentes*, quoad effectum reddendi hominem capacem beneficii ſibi collati ſuſpendantur, quare cum irregularitas de cenſurarum non ſit numero, vt ea abſolutione non tollitur, ita nec abſolutus à cenſuris, ſi eſt irregularis, beneficii capax eſt cenſendus, Nauar. *to. 1. lib. de ſentent. excom. conſil.* 44.

QVÆSTIO V.

An irregularis beneficij Eccleſiaſtici ſit capax.

EST Irregularitas omnino duplex, quædam eſt Eccleſiaſtico iure talis, diuino alia, eſt irregularis diuino iure, quiſquis eſt ad præſtationem ſui muneris omnino incapax, vt mulier, amens, furioſus, & infans, Eccleſiaſtico, cum quis officium facere quidem poteſt, ſed prohibetur lege Eccleſiaſtica, propter cenſuram, aut peccatum aliquod, cuiuſmodi ſunt excommunicati, & Simoniaci.

C Dico ergo primò, *Irregulari, eo irregularitatis genere, quam diuina vetant iura, beneficium committi nullum poſſe.*

Ratio eſt, quod qui officii exequendi ſcientiam non callet, aut ſi eſt inſtructus idonea, facultate tamen ad id neceſſaria deſtituitur, hic beneficii cenſeri capax non debeat, datur enim vt eſt in *decretali finali de reſcriptis de reſcriptis* ob officium, ſed irregularis irregularitate quæ diuini eſt iuris, obire quæ ſui ſunt miniſterii propria non poteſt, fac enim ſacrum dicendum eſſe, canendum à beneficiario Euangelium, cum quæ ſunt Ordi- D nis exequi irregularis non poſſit, nec ei quoque dari beneficium poterit, cui hæc ſint adiuncta onera.

Eſtque hæc ſententia omnium ferè communis, Leſſii, Roffiniaci, Rebuffi *de pacific. poſſ. ſ nu.* 226. Laym. & aliorum.

Dico ſecundò, *Irregularem irregularitate quæ iuris ſit humani tantum, beneficij capacem eſſe:* ita Sylu. *verb. excomm. num. 4.* Diana *part. 4. tract. 9. de irregularit. reſol. 79.* Candidus *to.* E *1. de beneficiis diſquiſ 13. art. 16. dub. 9. num. 8.* vbi, ſi loquitur dici poteſt irregularem *Eccleſiaſticorum beneficiorum & penſionis Eccleſiaſticæ capacem eſſe*, nam non *eſt*, inquit hic auctor, *inhabilis ad recitandum diuinum officium, aut miſſas per alium celebrandas*, conſequi ergo de illis beneficiis vnum aliquod poterit, cui nullus ordo iure eſt Eccleſiaſtico, aut fundatione adiunctus, hæc ille, cum eo ſentit idem Sylueſter [illegible] *ver. excommunicatio 4. num.* 4. Felinus *in cap. inquiſitionis 8. de accuſat.* Leſſius *lib. 2. cap. 34. dub. 22. num.* 120.

Ratio eſt, quod collatio ex vi alicuius prohibitionis

hibitionis non cenſeatur irrita, niſi expreſſe addatur, vt ſi contra ſit facta, cenſeatur inanis ac nulla, at nullus eſt canon qui clauſulam eam irritātem habeat: eſt ergo valida, ita præter citatos Innoc. *in cap. cum noſtris de conceſſ. præb. Homicida*, inquit, *& alij irregulares ſine diſpenſatione iuſte tenent dignitates ſuas quouſque renuntient, vel deponantur etiamſi tales eſſent tempore collationis*: quare non eſt in foro conſcientię ipſo facto irrita, niſi poſt ſententiam iudicis Nauar. in *cōment. de datis promiſſis numero 32.* Sanch. *lib. 7. de matr. diſput. 13. num. 2.* Molina *de iuſtit. to. 1. tract. 2. diſput. 96 parag. duo obſerua*, quam etiam vt probabilem defendi poſſe habet Theſaur. *parte 1. praxis Eccleſ. cap. 5. verſu limita primo, & cap. 30. eiuſd. part. verſu quaro 2.*

Ratio eſt, quod incapacitas ad beneficia ſit pœna, quæ naſcitur ex infamia, aut eius eſt illatiua, at hæc iudicis ſententiam poſtulat: ergo, &c.

Quæ opinio ſi eſt vera, irregulari collata beneficia, non vacant ipſo facto & in conſcientia, ſed tantum ſecuta ſententia: Quare vt fuit collatio irregulari facta in hac ſentētia valida, ita ſolum ei diſpenſatio ſuper irregularitate eſt neceſſaria, non autem noua beneficii collatio, nec fructuum quos legitime percepit, remiſſio eſt à Pontifice obtinenda. Eſt tamen cōtraria in praxi tenenda, quia ex antiquo Eccleſiæ Romanæ vſu, qui vim legis habet, ſemper eſt irregularis beneficii incapax habitus, ſecundum Suar. de *cenſur. diſp. 3. ſect. 2.* Leſſium ante nominatum *num 120.* Theſaurum *par. 1 cap. 5. verſu ſed hac ſententia*, & alios, quos pro ſe citat. A lege autem recedere cuiquam fas eſſe, quis putet? Deinde, quia nemo eſt paulo religioſior, qui irregularem, eodem quo excommunicatum loco, non habeat, & quem conſequenter à Sacerdotiis Eccleſiaſticis non remoueat, abire autem à ſenſu communi, nec tutum eſt, nec in praxi tentandum.

Tria autem ſeſe hic offerunt, quæ animaduerſa velim. Primum, iis duntaxat irregularibus, ad beneficia negandum aditum, qui propriis eorum defungi muneribus nequeunt: quare etſi quis ad celebrandum ſit inhabilis, quia caret digitis, indice & pollice, proindeque quoad ordines, ſacrumque faciendum irregularis, ac beneficij cui eſt hæc dicendi ſacri prouincia annexa, non eius tamen, quod natura ſua, ac fundatorum voluntate preces tantum poſtulat, aut id miniſterium ſolum, ad quod irregularis eſt aptus, Nauar. expreſſe *in cap. Enchirid. 27. n. 257.*

Secundum, Quæ de irregularitate hactenus ſunt dicta, de ea duntaxat capienda eſſe, quæ eſt peccati pœna, nam quæ ex defectu oritur qualitatis ſeu conditionis lege Eccleſiaſtica requiſitæ in eo, qui beneficium ambit, hæc in

A conſcientia locum habet ante ſententiam, quo de numero eſt, defectus primæ tonſuræ, ætatis legitimæ, Sacerdotij, reſpectu eius, qui beneficium cui eſt hic ordo ex fundatorum voluntate adiunctus, dari ſibi à ſuperiore poſtulat.

Tertio, Etſi lege noua Concil. *ſeſſ. 24. cap 6.* irregularitas ex occulto defectu proueniens, ab Epiſcopo tolli queat, ab eodem tamen beneficij titulum irregulari collatum reualidari non poſſe, ſi prima eius collatio pertinebat ad Pontificem, Doctorum eſt opinio, quia reualidatio eius ſolius eſt actio, ad quem ſpectabat B prima beneficij collatio.

Eſt tamen Leſſii ſuper hac materia monitum, animaduerſione in primis dignum, dari nempe tempus, quo inhabilitate per Epiſcopum ſublata, reualidare titulum à Pontifice collatum, illi ſit permiſſum, nempe cum eſt irregularis magni in Eccleſia vir nominis, cui beneficium deſerere aut Romam petere, propter paupertatem, aut ſcandalum, non ſit facile, nam tunc ex tacito Pontificis conſenſu, C titulum reualidare poſſe Epiſcopum, ſcribit cum Leſſio Henriq. *de excomm. cap. 14.* Idem de eo ſentiendum qui collatorem ſine infamiæ propè certæ periculo, de factæ ſibi collationis vitio monere nequit, nam tunc ſuper reualidatione tituli: ſi ſua ſanctitas non poteſt conſuli, quod in priore caſu Epiſcopus, & in iſto idem Papa tacite conſentiente, ipſe Epiſcopus idē poterit, Leſſ. *cap. 34. dub. 22. n. 120.*

QVÆSTIO VI.

An hæretici eorumque liberi poſſint ab beneficia admitti.

D EX duplici capite, à Sacerdotiis Eccleſiæ remouentur hæretici. Primo, quia ſunt infames infamia iuris *2. q. 7. can. alieni 23. q. 1. can. infames*, in priori enim qui ex Dionyſij depromptus eſt epiſtola 2. ad Seuerum, eſt his verbis: *Infames omnes eſſe cenſemus, qui ſuam, aut Chriſtianam præuaricantur legem aut Apoſtolicam poſtponunt auctoritatem.* Secundo ſunt irregulares, *de hæreticis in 6. cap. 2.* ibi enim prohibentur ad Eccleſiaſticum admitti beneficium, & irritum decernitur quod E in contrarium factum fuerit, vnde argumentari ſic lubet. qui ordinis, idem quoque eſt ſacerdotii Eccleſiaſtici incapax, datur enim propter officium *cap. finali de reſcript.* ergo qui eo defungi non poterit, eius aſſequendi ſpem habere nullam poteſt, ſed qui eſt infamis ſacro inſigniri ordinum charactere nequit: ergo nec beneficio donari vllo.

Quid eorum filii, quid liberi?

Nihilo, quam à quibus ſunt geniti, eorum eſt conditio melior. Primo enim quorundam

ſunt opinione infames iuris infamia, quod decretalis *cum ſecundum leges 19. de hæretic. in 6.* nolit hæreticorum qui diuinæ maieſtatis læſæ rei ſunt, minores eſſe pœnas, quam eorum qui rei ſunt maieſtatis humanæ, ſed qui humanam lædunt maieſtatem, iure ciuili infamiam ſubeunt, *lege quiſquis parag. filij Cod. ad leg. iuliam maieſt.* ergo, &c.

Contraria mihi tamen opinio videtur iſta veriſimilior, quod in pœnalibus, argumentum à ſimili, aut maioritate rationis adhiberi non debeat: ergo à crimine maieſtatis humanę læſæ, ad diuinam argumentum trahi efficax nullum poteſt, maximè cum nullibi hæc in eos decreta ſit pœna: quare illa coerceri poſſe non putant, Sanch. *lib 2. in decal. cap. 28. nu. 4.* Suar. *de cenſur. diſp. 48. ſect. 3. n. 2.* Theſaur. *parte 2. praxis Eccleſ. verbo hæreſ. cap. 3. verſu contraria.*

Sunt hi tamen irregulares vſque ad ſecundam generationem per lineam paternam, & primam, per maternam, *cap. quicunque parag. hæretici de hæretic. in 6.* quod tantum *de filijs, & nepotibus hæreticorum, credentium, & aliorum huiuſmodi, qui tales eſſe, vel tales deceſſiſſe probantur, intelligendum eſſe videtur, non autem illorum, quos emendatos eſſe conſtiterit, & reincorporatos Eccleſiæ vnitati, & pro culpa huiuſmodi, ad mandatum Eccleſiæ pœnitentiam recepiſſe*, Bonifac. VIII. *in decret. ſtatutum 15. de hæretic. in 6.*

Itaque ſunt tam hoc nomine hæreticorum liberi, quam decreto Eccleſiæ, hoc eſt Alexand IV. *in cap quicunque 2. de hæretic. in 6. parag. hæretici 2.* & Innoc. III. *in decret. ſtatutum 15. eodem titulo*, ad beneficia, & officia publica inhabiles. *Quod ſi ſecus factum fuerit*, inquit Alexand. *decernimus irritum & inane.*

Ex dictis patet, non tantum hæretici filios, ſed filiorum filios, non autem filios filiarum eſſe ad beneficia inhabiles, Sanch. *lib. 2. oper. moral. cap 28. num. 2.* Tolet. *lib. 1. cap. 69.* Candid. *to. 1. tract. de benefic. diſq. 18. art. 12. dub. 1.* quia ad ſecundam generationem incluſiue extendi eam pœnam citatus canon 2. indicat.

Patet 2. non legitimos modo hæretici filios, ſed ſpurios quoque & nothos, modo conſtet eius eſſe liberos, hac pœna comprehenſos eſſe Tolet. ait ſupra, & ratio eſt ad manum. Ad eos enim pertinere pœna debet, qui verè ab hæretico, vti eius liberi ſunt geniti, ſed non minus ſpurii, quam qui legitimi, eum agnoſcent parentem: ergo, &c.

Patet 3. Non teneri hac lege, primo qui nati ſunt, antequam eorum pater eiurata religione Catholica, hæreticus fieret, Theſaur. *par. 2. prax. verbo hæreſis cap. 3. limitat 1.* Leſſ. *lib. 2. cap. 34. num. 121. dub. 22.* Sanch. *cap. 27 num. 13.* Laym. *de irregul. cap. 4.* quia qui lucem vidit,

A antequam eius parens fidem per hæreſim amitteret, non videtur ab ea vitium vllum, labemque trahere.

Sed eſt contraria ſententia in praxi tenenda, eo quod ad liberos, quaſi in mala contage peſtis, ita parentum labes, infamiaque tranſeat, deceatque in odium hæreſis, maleque erga religionem affecti Patris, hunc puniri in filio, ita Filliucius *to. 3. de benef. tract. 41. cap. 5. q. 3. num. 13.* Candid. *to. diſq. 18. de benef. art. 12. dub. 4.*

Patet quartò, ad eos ſimiliter non pertinere B pœnam hanc inhabilitatis ad beneficia, quorum parentes in prouincia hæreſi infecta ſunt mortui, Henriq. *lib. 4. cap. 5. num. 4.* Sanch. ſupra, *& cap. 28. num. 4.* Sa *verbo hæreſis num 4.* Ratio eſt, quod à Sacerdotiis, ac dignitatibus Eccleſiæ, ideo ſint hæreticorum liberi excluſi, quod Patre infami ſunt nati, puta quia cauſam hic de hæreſi dixit, quia cum eam eiurare nollet, morte pertinaciam luit, aut ſi neutrum eſt factum, alienus ab Eccleſia obiit. At in quibus locis graſſantur hæreſes, earum profeſſio non tribuitur illas profitenti vitio, nec C hic damnatur, aut infamis habetur: ergo, &c.

Patet quintò, nec beneficio quoque indignos cenſeri, qui Patre quidem hæretico, & à Catholicæ religionis myſteriis alieno ſunt geniti, ſed qui errore depoſito, ad Eccleſiam rediit, eique ac Deo reconciliatus, errorem cum pertinacia poſuit. Eſt enim hæc inhabilitas filiorum ad beneficia, hæreſis in qua parens diem clauſit, pœna: ergo ſi facti euidentia, aut per ſententiam iudicis, eum factum eſſe Catholicum, & ſic emendatum conſtiterit, ab ea eximendi erunt illius liberi, & ſic ad D poſſidenda beneficia habendi idonei. Antec. eſt ex decretali *Statutũ* ante citata certiſſimũ, ibi enim loquens Pontifex de criminis qualitate parẽtibus neceſſaria, vt ad poſteros culpæ ſuæ pœnam tranſmittant, hæc habet, *hoc de filiis & nepotibus hæreticorum, credentium, &c. qui tales eſſe, vel tales etiam deceßiſſe probantur, intelligendum videtur, non autem illorum, quos emendatos conſtiterit, & reincorporatos Eccleſiæ vnitati*, eorum ergo delictum, iure vel facto debet eſſe notorium, aliter hunc in liberis producendæ inhabilita-E tis ad beneficia effectum non habet.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VII.

An Simoniaci ſint irregulares, & proinde ad beneficia inhabiles.

EST Simoniacus ad beneficium ſimoniace acquiſitum, ſine diſpenſatione Papæ inhabilis, & ſi eſt hæc eius culpa, id eſt Simonia ex vtraque parte completa, tenetur in conſcientia ante omnem ſententiam declaratoriam illud dimittere Caiet. in ſumma *verbo excommunicatio cap. 72. num. 2.* Candid. *de benefic. diſquiſit. 18. art. 1. dubit. 2.* quia eſt omnis diſpoſitio de Eccleſia, aut beneficio ſuper quo interuenit Simonia, iure nulla, per Extrauag. *cum deteſtabile parag. per electionem de Simon.* & per Bull. quintam Pij quinti cui initium *cum primum parag. 8.* editam anno 1566. Pontificatus ſui primo, ſexto Calendas April. eum enim qui officium vel beneficium Eccleſiaſticum ſimoniacè eſt adeptus, vult iis ipſo iure priuatum eſſe, & perpetuo *inhabilem ad ea, & quæcunque alia beneficia Eccleſiaſtica obtinenda*, ratio vero, cur acquiſita Simoniace relinqui ante ſententiam oporteat, eſt in eo, quod hæc obligatio, non ſit pœnalis aliqua ſanctio, cui obſequi non eſt neceſſe niſi poſt ſententiam eius violatæ declaratoriam, ſed eſt obligatio relinquendi non ſuum, ſeu nulliter & iniuſte acceptum, ob defectum conſenſus Eccleſiæ, & irritationem actus acquiſitionis ab initio, qui non eſt gratuitus Paul. II. *in Extrauag. cum deteſtabile*, quæ ſententia eſt etiam D. Tho. 2. 2. *q.* 100. *art. vlt. ad 3.* Suar. *to. 1. de Relig. tract. vlt. de ſimon.* Theſauri *par. 2. praxis ver. Simon. cap. 2.* quare non erit beneficii acquiſiti ſimoniace noua prouiſio valida, niſi in literis ſupplicatoriis ad Pontificem vitium exprimatur, quod in prima eius collatione eſt admiſſum, quia cum diſpenſatio humana ſit actio, proindeque voluntaria, ferri nequit in incognita.

Nec eſt Simoniacus in beneficio, duntaxat ad illud, aliaque ab eo diſtincta acquirenda inhabilis, ſed ij quoque inſuper, qui illi in eo detulere operam, quos mediatores communiter nominant, ſi Garciæ *parte* 8. *cap. 1. nu. 71.* & Theſauro eſt fides, Sed quoad illos Pij bullam vſu receptam non eſſe exiſtimant Emman. Sa *verbo Simonia num. 9.* Tanner. *to. 3. diſput. 5. q. 8. num. 79.* Nauar. item in *conſil. de Simon. 34. conſilior. lib. 5.* & proinde beneficiorum incapaces non eſſe, niſi ratione infamiæ, maximè quando ſunt cogniti notorietate facti, confeſſione propria in iudicio, aut ſententia contra eos lata.

Eſt etiam Simoniacus Simonia confidentiali, ad beneficium, ſibi hoc culpæ genere [A] demandatum iterum acquirendum inhabilis, non obligat tamen hæc pœna ante ſententiam, quia eſt pœna, quæ autem inhabilitas pœna eſt peccati, ex probabili opinione non incurritur ante ſententiam criminis admiſſi declaratoriam. ita Nauar. *in commentar. de datis & promiſſis notabili 31. nu 44.* Ludou. Molina *tomo 1. de iuſtitia tract. 2. diſp. 96. parag. duo obſerua.* Sanch. *7. de matrim. diſp. 13. nu. 1.* Portelius *in dub. regularib. verbo inhabilitas.*

Secundo eſt ad alia omnia beneficia inhabilis, non tamen habet hæc pœna locum in [B] conſcientia ante ſententiam, Leſs. *cap. 35. numero 147.* Reginald. *lib. 23. num. 183. in fine.*

Tertio eſt Simoniacus confidentialis per bullã Pij V. quæ incipit, *intolerabilis* priuatus beneficiis omnibus prius legitimè obtentis, & remanent ſanctæ Sedi reſeruata, & ad ea redduntur inhabiles in futurum. Hæc tamen pœna reſeruationis, non ligat pro foro conſcientiæ ante ſententiam (inquit Theſaurus *par. 2. praxis verbo Simonia cap. 5.* vnde ſi res ſit occulta, poterit ordinarius collator ite[C] rum illud conferre, hæc ille, cui aſſentitur Leſſius *lib. 2. cap. 35. dub. 25. num. 140.* quia nullo ſibi iure Pontifex ablationem huius inhabilitatis reſeruauit, & ſi reſeruata eſſet, per Concil. tamen videretur conceſſa, *ſeſſ. 24. cap. 6.*

QVÆSTIO VIII.

Explicantur dubia quædam circa præcedentia.

PRimum, *An electio ad beneficium excommunicati excommunicatione maiore ſit rata.*

Non eſſe, pridem reſpondit Innoc. III. S. Petri Abbati apud Meulinam in decret. *cum inter 16. de elect.* Alexand. III. in *cap. conſtitutus 23. extra de appellat.* in priori enim negatur à ſuſpenſis eligi aliquem poſſe valide, at ſunt excommunicati, à Sacramentis eorumque vſu ſuſpenſi: ergo, &c. nec eſt id modo in [E] Sacerdotiis verũ, ſed & in magiſtratibus laïcis, eodem aſſerente Pontif. in *ca. venerabilẽ 34. de elect.* vbi ait ad imperium vocari poſſe neminem, qui ſit excommunicatione maiore notatus, ſunt enim notoria faciendæ electionis impedimenta, *excommunicatio publica, periurium manifeſtum, & perſecutio diuulgata in Apoſtolicam ſedem.*

Quid ſi excommunicatio non ſit ab homine, ſed à iure.

Reſpondend. parem in vtroque euentu eius vim eſſe ac efficaciam, eo quod in Concil. Baſil. *ſeſſ. 20.* cum toleratos, ac non de-

nunciatos negauit Chriſtiano vitandos eſſe, iiſdem fauere, aut eos in aliquo iuuare, Eccleſiæ propoſitum non fuit, ſunt ergo quoad excommunicatos, iura ſeruanda vetera, ergo cum eſſent in eandem incluſi legem, tam qui à iure, quam homine fulminati eſſent, à dignitatibus ſunt tam ſacris, quam profanis lege Eccleſiaſtica prohibendi omnes.

Secundum, *An excommunicato excommunicatione maiore, eligendi ius competat.*

Non competere dixit Bonifac. eius nominis VIII. *in decretali ſi ad Epiſcopum 1. ne ſede vacante,* cuius opinionem ſunt ſequuti Nauar, *Enchirid. cap. 27 num. 21.* Caiet. *verbo excommunicatio ſub finem,* Sylu. *electio 1. q. 4.*

Ratio eſt, quod excommunicato non tolerato eſt cum fidelibus interdicta communicatio, tam ciuilis per contractus & teſtamenta, quam ſacra, & humana per orationes, colloquia, & Eccleſiæ regimen, cæteraque quæ homini eſſe poſſunt cum homine, varia in vita commercia, vt eſt planum ex oratione Chryſoſt. *homil. 25. ad cap. 11. ad Hebr.* quæ eſt à Grat. relata in *cauſam 11. q. 3. can. 24.* Concil. *Arel. 2. can. 30.* ergo & electio tam actiua, quam paſſiua. Quod autem ea ſit nulla, probare videtur hæc ratio, quod ſine iuriſdictione, ſeu poteſtate ad illam, eſſe electio valida nequeat, at eſt omnis excommunicati non tolerati iuriſdictio, ſuſpenſa ab Eccleſia: ergo, &c.

Dixi *non tolerato*, etſi enim peccet opinione Nauar. *in cap. 27. num. 29.* & Sanch. *in conſil. lib. 2 cap. 2. dub. 10. mortaliter,* eo quod Eccleſiæ iniuriam faciat, cuius ſe curam ac prouidentiam agere velle, tali opere indicat, contra quam tamen ipſa vult ac imperat, in quo non eſt modica eius deordinatio, quia tamen ſunt tolerati acta omnia, rata ac valida, ideo non eſt eiuſmodi hominis ſuffragatio, inanis ac irrita, Sanch. ſupra.

Tertium, *Quos effectus habeat data à Pontif. in literis beneficij collatiuis abſolutio ab cenſuris.*

Non alium, quam vt collatio, ei cui beneficium tribuitur, facta valeat, Rebuff. in Concord. *tit. de excommun. non vitandis,* & *in praxi benef. par. 1. rubrica de forma & declarat. nouæ prouiſion. num. 7.* quare iſta abſolutio generalis (inquit) non prodeſt hæreticis *cap. excommunicamus parag. credentes de hæretic.* Nec ei qui per annum in excommunicatione ſtetit, eius abſolutione non petita, aut quæſita ab eo, cuius erat illam poſtulanti non negare.

Nec tertio illi futura eſt vtilis, qui rei iudicatæ non paruit, aut eſt incendiarius, Eccleſiæ violator, literarum Apoſtolicarum falſificator.

Quarto nec ei prodeſt, qui ad infideles res defert vetitas, qui libertatem Eccleſiaſticæ immunitatis violat, qui via facti auſu temerario Apoſtolicis mandatis non obtemperat & nũcios vel exequutores apoſtolicæ ſed s & eius officialiũ cõmiſſa ſibi exequentes impedit vt in *reg. 78. Cancell.* declarauit Iulius eius nominis III. quare qui eſt ob aliquod de prædictis criminibus, excommunicatione à iure vel homine percuſſus, generali illa abſolutione, quæ beneficiario impertitur, Iulio id prohibente, non iuuatur, ſi in excommunicatione, menſibus quatuor ſua culpa manſerit. Itaque nec horis intereſſe, nec aliud beneficium acceptare, ſine noua prouiſione poterit, quia tamen in prædicta Cancellar. regula, fit expreſſa notitiæ excommunicationis, in qua quis eſt, mentio, per hæc verba, *ſcienter ſteterit,* ignorantes ſe ligari, prædictæ vi Regulæ non comprehendi perquam eſt probabile quod eſt etiam Thomæ Sanchez in conſiliis monitum *dub. 10. numero 10.*

Quartum, *An Irregularitas quæ collationi aduenit priuationem beneficiorum inducat.*

Communis eſt opinio beneficiis eam poſſeſſis non priuare: Ita Nauar. *cap. 27. Enchir. num. 251.*

Ratio eſt, quod in *cap. Clericis 5. ne Clerici vel Monachi,* iubeantur irregulares ex homicidio, honore priuari & loco ergo actu non ſunt priuati, ſed priuandi, ſi ita videbitur Pontifici, & ita in foro conſcientiæ, irregularitas quæ collationi ſuperuenit, eam non irritat, nec eſt is proinde cui eſt facta, cum eſſet habilis, cogendus in foro animæ ad obtinendam nouam collationem, Syluest. *verbo excommunicatio 4. num. 4* Innoc. IV. *in can. cum noſtris 6. de conceſſ. præb.* Felinus *in cap. 21. inquiſitionis de accuſationib. num. 6. 7. & 8.*

Ratio eſt, quod nullus ſit canon ex quo id euinci queat, quod ſi in *cap. fin. de reſcriptis,* aſſeritur, dari beneficium ob officium, eius autem faciendi irregularem, capacem non eſſe. Reſponderi debet non eſſe hoc impedimentum perpetuum, ſed per Epiſcopum tolli poſſe, aut Papam, quemadmodum & peccatum mortale, quod eſt impedimentum, ne Parochus faciat fructuosè officium, & tamen collationem beneficiorum Parocho factam, antequam illud admitteret, non reddit irritam.

Quintum, *An defectus ætatis requiſitæ in Canonicis per Concil. collationem ipſo facto reddat inualidam.*

Dubitandi cauſa vnica, Concilii ſanctio his expreſſa verbis *in ſeſſ. 22. cap. 4. In poſterum non fiat prouiſio niſi iis, qui iam ætatem, & cæteras habilitates integrè habere dignoſcuntur, aliter irrita ſit prouiſio,* hinc enim ſic argumentantur aliqui,

Sanctio ſeu decretum ac iuſſum pœnam infligens, intelligitur habere latam ſententiam, quum verbis vtitur, quæ nullam functionem

ctionem, munuſque iudicis declarant ad pœnam exigendam, ſed talis eſt iſta oratio *ſit irrita*, nam Verbum *ſum* Verbum eſt exiſtentiæ, hanc habens poteſtatem, vt quocunque modo, vel tempore efferatur, nullam actionem aut paſſionem ſignificet, ſed rei tantum exiſtentiam, Comitolus *lib. 6. q. 24.* Theſaurus *2. par. praxis verbo inquiſitio cap. 3. verbo miſſa cap. 3. verbo oblatio cap. 1.* ergo cum pœna quam Concilio irrogare placuit, his qui ad Canonicatus Cathedralis aut Collegiatæ Eccleſiæ, ætatem ac cæteras habilitates non afferunt, exprimatur verbo *ſit irrita* priuationem iuris quæſiti, aut quærendi in beneficio denotat.

Reſpondend. priuatos iure aut facto non videri, ſed priuari poſſe, ſi promoueri renuerint intra annum, Gloſſa in *Clem. 2. de ætate,* Theſaurus *par. 2. praxis verbo beneficium cap. 6.* vbi Ioann. Andr. & Boerium *deciſ. 223.* pro ea opinione allegat.

Probatur Canonicos, cæteroſque qui ad Sacerdotia aſpirant Eccleſiaſtica, ſufficit ea ætate eſſe, cum qua, intra annum eo inſigniri poſſint ordine, quem collatus eis canonicatus exigit, *Clemens. 2. de ætate & qualitate,* non facit ergo eius defectus, vt iure factoque, facta de eo prouiſio, iure ſit nulla.

Secundo, quia his verbis *ſit irrita*, niſi addatur ipſo iure, aut facto, ſignificatur potius ſententiam ferendam à Iudice quam latam ipſo facto, Nauar. expreſſe in *cap. 27. Enchirid. num. 12.* quia *Verbum ſit,* inquit, *eſt futuri temporis, per verba cuius, non fertur ſententia ipſo iure, niſi aliquid aliud addatur*: ita ille: quod cum Tridentin. loco cit. non faciat, ſed ſimpliciter ac nude dicat, *ſit irrita*, ſententia potius eſt ferenda, quam lata, ita enim monet Gloſſa decreti *diſt. 23. can. ſi quis 23.* cum explicat illa verba ſit *anathema*, hoc ipſum notat Gloſſa decretalium *cap. nullus 2. de foro compet.* quæ ita interpretatur illa verba *ſit ſequeſtratus*, hoc eſt per ſententiam iudicis, quod & facit, Sanch. *lib. 7. de matr. diſp. 12. num. 2.*

Quid? quod Concil. indicat, aut certe ex eo colligitur, quod collatio ipſa non ſit ipſo facto irrita, ſed irritanda, nam *ſeſſ. 7. cap. 3.* cum agit Concil. de eadem collatione ita loquitur, *Aliter facta collatio omnino irritetur*, ergo non eſt irrita, ſed irritanda, & ſeſſione *vlt. cap. 5.* *Aliter facta prouiſio, ſubreptitia cenſeatur*, quæ verba indicant requiri ſententiam, vt alibi oſtendimus, innuuntque Cardinales explicandis concilij controuerſiis præpoſiti, nam ad *12. caput ſeſſ. 24.* vbi Patres prohibent ne deinceps ad dignitatem, aut Canonicatum vllus *admittatur, niſi qui eo ordine ſacro aut ſit initiatus, quem illa dignitas, præbenda, aut portio requirit, aut in tali ætate, vt infra tempus à iure, & à Synodo ſtatutum initiari va-*

A *leat*, hæc habent. *Qui non poteſt initiari ob defectum ætatis, priuari poteſt canonicatu*, non eſt ergo priuatus ipſo facto, ſed priuandus.

Argumenti initio poſiti reſponſio facilis, eius enim neganda eſt minor, ob rationes, quæ ſunt in huius quæſtionis progreſſu ac curſu poſitæ.

Sextum, *An excommunicatus excommunicatione maiore, beneficium ſibi collatum antequam cenſuram incurreret, acceptare valeat.*

B Dubitandi cauſa duplex, prima, quod *cap. poſtulaſtis 7. extra de Clerico excommun. miniſtrante.* Innocentius collationis meminerit, non acceptationis, excommunicato enim ab eo qui poteſt, beneficium dari prohibet, & non ab iſto acceptari, cum eſt culpa ſua, Eccleſiæ Sacramentis eorumque priuatus vſu.

Secunda, quod acceptatio, in beneficio ius non tribuat, ſed ſola collatio: ergo cum rerum Eccleſiæ vetetur acquiſitio, in iam facta Epiſcopi benignitate ſibi complacere, eamque acceptam habere, non eſt in legem Eccleſiæ committere.

C His aut ſimilibus inducti cauſis, è Summiſtis viri eruditi non pauci, dixere, excommunicato fas eſſe, quæ ſibi ſunt, antequam eſſet Eccleſiæ vinculis innodatus, demandata à Papa, aut Epiſcopo Eccleſiaſtica Sacerdotia, acceptare, velleque in poſterum ſui iuris eſſe, quibus ne aſſentiar, hoc argumento diſſuadeor.

Bona ſua, Chriſti ſuique hoſtibus communicari ab Epiſcopis Eccleſiam velle, aut pati, ab omni abhorret ſpecie veri, ſed præciſos à fidelium cœtu, eiectoſque de communi Sacramentorum vſu homines, Eccleſia vt Dei D ſuique hoſtes execratur ac odit: ergo cum beneficia eius ſint bona, velle hanc ab iis comparari, aut comparata poſſideri poſſe, non eſt vero ſimile, at hæc iſti acquirunt ac comparant, cum acceptant, nec enim donatio donatæ rei dominium transfert in alium irreuocabiliter ac validè, niſi acceptata, cum tunc tantum ambæ contrahentium voluntates in vnam coeant, quod ad pactum ex quo ſequitur obligatio, eſt neceſſe, ſed eſt collatio, donatio vt ex canonibus eſt probatum antea: ergo eius acceptatio, iuris eſt ad beneficium E olim collatum, plena completaque acquiſitio, cum ſine ea non ſit tale ius perfectum, lubet ea de re differentem audire, Boniſ. in *ca. ſi tibi abſenti 17. de præbend. in 6.* Sic ergo ille, *ſi tibi abſenti, per tuum Epiſcopum conferatur beneficium, licet per collationem huiuſmodi (donec eam ratam habueris) ius in ipſo beneficio, vt tuum dici valeat, non acquiras, ipſe tamen Epiſcopus, &c.* eſt ergo beneficij ſibi per Superiorem collati ratihabitio, iuris pleni ad illud ac completi acquiſitio, ergo non facienda ab excommunicato vt ſit rata.

Argumentis initio allatis reſpondend. Priori quidem, Innocentium acceptationis expreſſe non meminiſſe, ſed virtute, & implicitè, nam de collatione quæ ſit efficax, iuriſque pleni tranſlatiua agit in citato canone, at talis non eſt, niſi acceptationi iuncta, implicitè ergo & ex conſequenti, de ea eſt ab Innoc. facta mentio.

Alterius negandum eſt Antec. cuius negandi cauſa citato can. & ratione paulo ante allata vim trahit. Vt vt ſit ſunt opinionis huius meæ contra Nauar. & Sanchez *lib. conſilior. 4.* approbatores & Patroni, Cardinalis, Alciatus, & Zerola *in praxi Epiſcopali Ver. beneficia dub. 3.* vbi ad quæſtionem factam ecquid beneficii collatio excommunicato facta teneat, reſpondet valere quidem, *quoad conſenſum, non autem quoad ius acquiſitum, quia nunquam acquirit ius illius per acceptationem donec abſoluatur.*

Septimum, *An excommunicatio quæ beneficio iam acquiſito ſuperuenit, collationem eius reddat irritam.*

Nequaquam, primo, quia de eo nulla fit in Pontificum decretis mentio.

Secundo eſt hæreticus excommunicatus excommunicatione Papæ reſeruata in Bulla cœnæ, ſed hic beneficia aut bona iam poſſeſſa eiuratione fidei Catholicæ, ac profeſſione hæreſis ipſo facto non amittit, poſſeſſionis enim habet dominium non alienationis, inquit Sotus *in lib. de iuſtit. & iure q. 6. art. 6. ſolut. 2* & *Cod. de rebus reſtituend. q. 1.* faceturq; Medina hæreticum ob delictum rerum ſuarum amittere dominium, & ius alienandi, illas tamen retinere poſſe, nec occupandas à Principibus eſſe, antequam ab Eccleſiaſtico iudice lata ſententia fuerit.

Equidem cum formalis nulla ſit beneficium inter & hæreſim oppoſitio, ſi per iſtam, eſt illius inanis ac nulla collatio, effectum hunc à lege canonica manare eſt neceſſe, ſed in toto canonum volumine, talem reperire aliquam non eſt facile: ergo nec per hæreſim, quæ beneficii collatione ſit poſterior, inanem hanc reddi, nullamque. Verum enim (inquies) ſi poſſeſſori ſuo beneficium non adimit hęreſis, etiamne ius ei fructuum non impeditum relinquit ac liberum?

Nequaquam, vt ita ſentiam, facit hæc ratio, quod fructus, præſtiti ſit officii merces, atque ſtipendium, ſed hæreticus non facit officium: ergo nec meretur è beneficio percipere fructum vllum.

quid ſi excommunicatus ſit quidem, non autem hæreticus.

Quæſtionem explicabit vnica diſtinctio, aut per eum ſtat quo minus redeat cum Deo Eccleſiaque in gratiam, aut non. Si primum, non eſt æquum ex beneficio ad eum rei familiari ſuſtinendæ deriuari aliqua commoda, aut ei Eccleſiæ nomine cuius eſt hoſtis, aliquid tribui. Si ſecundum, his vt ante frui, illoſque colligere libere poterit. Quia fructuum priuatio, eorumque per Eccleſiæ mandatum ſubſtractio, pœna eſt contumaciæ, at cum ab ea abſolui ſatagit, cum in id, qua poteſt animi contentione incumbit; vt eius ſe nexibus Eccleſiæ benignitate expediat, non eſt contumax, non Eccleſiæ iuſſis ac voluntatibus immorigerus: ergo nec beneficii quod poſſidet, obuentionibus diurnis ac annuis indignus.

Octauum, *An Epiſcopus diſpenſare poſſit in ætate requiſita lege Eccleſiæ ad beneficia.*

Donatus beneficio, cui ſacer aliquis ordo, ex conſuetudine, iure, aut fundatione eſt annexus, is, vt eſt dictum antea, ea natus ætate eſſe debet quam ſacer is ordo exigit, vt qui beneficio ab Antiſtite donatus, illum infra annum recipiat, alioqui nihil agit, ex dictis antea, Ab hac ergo ſolui lege, per Epiſcopum an quis poſſit, hic quæritur.

Et fuere olim, qui ſunt opinati, ei licere ſuper ætate quam præſcribunt Pontific. Romani, gratiam quandoque facere, etiam in curatis Sacerdotiis, modo cauſa quædam magna, Reipublicæ Chriſtianæ vtilis, aut huic vel illi plebi neceſſaria, id poſtulet.

Primo, quia cum hæc duo coeunt, diſpenſandi in Pōtif. ac Conciliorum decretis, facultatem iure communi competere Epiſcopis: veterum eſt Canoniſtarum opinio, cuius Roſſiniacus *lib. 3. de re ſacerdotali tit. 2.* meminit. Equidem eſt in *can. tali coniugio 17. cauſæ 1. q. 7.* ex inceſto generatos coitu Eccleſiaſticis inſigniri poſſe ordinibus, *quando eos aut maxima Eccleſiæ vtilitas vel neceſſitas poſtulat, vel euidens meritorum prærogatiua commendat*, additque Leo Papa I. in *epiſt. 87. alias 85. ad Epiſcopos Africæ cap. 1.* non eſſe facile in eum ſeueritatis Pontificiæ conuertendos aculeos, qui è Laïco factus eſt Epiſcopus, quod cauſæ eſſe poſſint non paucæ, eæque æquitatis pleniſſimæ, cur id interdum tolerari debeat.

Secundo, cum ſit Epiſcopus ſacrorum Princeps, commiſſæ ſibi plebis rector ac Pater, poteſt in ſua Diœceſi omnia, quæ Pontifex in tota Eccleſia, dummodo hæc iſte iuris ſui eſſe, hoc eſt, de Epiſcoporum ſubducta poteſtate, ſibiq; reſeruata noluerit. At nuſquam Pontifex diſpenſandi in ætate licentiam ademit Epiſcopis: ergo, &c.

Mea tamen eſt opinio Epiſcopum nulli in Parochiali Eccleſia, dignitate, aut perſonatu, cui animarum procuratio incumbit, quacunque ex cauſa ætatis veniam dare poſſe.

Quia cum diſpenſatio iuriſdictionis ſit actio, eam concedere his duntaxat eſt licitum, quibus eſt aliqua in auctorem legis, cuius obligatio per diſpeſationem adimitur, auctoritas, atque

at quæ ætatem Parochi ſpectant ſunt hæc à A
Concilio aut Pontifice ſancita, quibus ſubeſſe Epiſcopum, non præeſſe eſt certum: ergo cum ipſi nihil in hoc genere iuris, nihil indulgentiæ aut faciendæ gratiæ peculiariter ſit attributum, ſequitur eum, nihil hac in re, aduerſus ea, quæ à Concil. aut Pontif. ſunt ſtatuta, decernere poſſe.

In his conſequendis tamen, quibus ex vi, naturaue ſacerdotiorum nulla eſt animarum adiuncta curatio, ei qui ætatis ſuæ annum vigeſimum abſoluerit, ætatis gratiam Epiſcopum facere poſſe, B
Bonifac. VIII. decretalis 1. *de ætate & qualitate in 6.* his perſcripta verbis loquitur. *Permittimus vt Epiſcopi cum iis qui annum 20. complenerint, quod dignitates, vel perſonatus, quibus animarum cura non imminet, valeant obtinere, poßint (ſi aliud canonicum non obſtat impedimentum) libere diſpenſare.* Quod in eum accipi ſenſum debet vt huius faciendæ gratiæ, cauſa ſubſit & ratio aliqua probabilis, nulla ſi extiterit, facta per eos legis ſolutio, vel nulla ſtatim fiet, aut poſtea in irritum ecidet. Ratio eſt, quod ex iuris interpretatione tacita, menteque, in ſolutione canonum C
facienda per Epiſcopum, ſemper ſubintelligatur hæc conditio, ſi *cauſa legitima adſit.*

Argumentis pro parte oppoſita allatis Reſpondendum, in citatis canonibus, nullam Epiſcoporum mentionem fieri, nec proinde ex iis validum ſumi argumentum vllum poſſe poteſtatis, qua ad diſpenſandum in ætate ad Parochiam neceſſaria polleant.

Secundi diſtinguenda eſt minor, aut enim in ea fit ademptæ poteſtatis per legem ſpecialem & expreſſam mentio, aut tacitam. Si pri- D
mum, eſt concedenda, neganda ſi alterum, eſt enim curiæ Romanæ ſtylus, legis inſtar, at cui non eſt cognitum, ſuper ætate, eiuſque obtinenda gratia, ſanctam Sedem conſuli non Epiſcopos?

Deinde cum exceptio in non exceptis firmet regulam, & in *cap. nuper 29. de ſentent. excommunic.* fiat mentio tantum excommunicationis, cuius abſolutionem, *cum ſibi ſpecialiter conditor canonis non reſeruauit eo ipſo conceſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi*, cæterarum abſolutionem aliis ademptam voluit. E

QVÆSTIO IX.

An Homicida & Concubinarii ad Eccleſia beneficia ſint idonei.

DE Homicidis ſententia pridē eſt à Pontif. dicta in decret. *accedens 23. de accuſat.* quam calculo quoque ſuo confirmarunt Patres in Trident. *ſeſſ. 14. cap. 7. de reformat.* cum negant, iis, quando voluntate ſua homicidium perpetrarunt, *etiamſi crimen id nec ordine iudiciario probatum, nec alia ratione publicum, ſed occultum fuerit; aliqua Eccleſiaſtica beneficia, etiamſi curam non habeant animarum, conferri poſſe*, quod ipſum quoque confirmat hæc ratio. Eſt homicida irregularis, *can. ſi quis viduam 8. diſt. 50.* Trident. ſupra Pariſius conſil. 126. & clariſſime Gregor. IX. in *cap. quæſitum finali de tempor. ordinat.* at eſt irregularis vt à ſacris remouendus aris, ita & à beneficiis, ergo & homicida.

Non eſt his tamen ante ſententiam ipſo iure & facto priuatus, ſed priuandus, docet hanc opinionem Flaminius *lib. de reſignat. 7. qu. 1. num. 29.* Zabarella in *Clement. 1. de reuocat. num. 17.* Quia quod homicida ſit beneficii incapax, eſt pœna: at hæc nulli eſt ſubeunda neceſſario ante ſententiam, niſi id ſe velle, iudex per hæc verba indicaret. *In conſcientia ipſo facto, ante omnem ſententiam iudicis declaratoriam.*

Verùm enim (inquies) ſi eſt homicida beneficiis priuandus, & non ipſo facto his priuatus, ea haud dubiè retinere, ſine nouo Superioris conſenſu, eaque regere poterit, ac verò etiam reſignare, quandiu is ad quem ſunt deuoluta, non repugnabit.

Omnino, ſic enim Flamin. ac Ioan. Andr. in *cap. quanto de tranſlat. Epiſc.*

Ratio eſt, quod de re ſua arbitrari ac ſtatuere quiſque poteſt vt lubet, dummodo ſine culpa. At eſt homicida beneficij ſui verus poſſeſſor ac legitimus, quandiu ergo eo non priuabitur per ſententiam, in eiuſdem erit poteſtate, de illo diſponere vt lubebit.

Quod ſi caſu homicidium erit admiſſum, eo quod ad illud præcauendum ſufficiens adhibita diligentia non fuit, & ita homicidium ſit occultum, cum eius auctore, diſpenſare cauſa cognita Epiſc. poterit Trident. *ſeſſ. 24. cap. 7.* & quidem vt in ſuſceptis ordinibus miniſtret, ac beneficium, quo priuandus erat, ſibi retineat ac ſeruet, aliaque ſi videbitur, acquirat.

De Cōcubinariis quatuor habeo dicere. Primum, eos iure, ad Eccleſiæ beneficia non eſſe inhabiles, aloqui iis priuari poſſent, illico ac de hoc crimine conuicti forent, quod eſt falſum.

Secundum legibus Franciç, Concubinarios publicos, à perceptione fructuum omnium beneficiorum ſuorum, trium menſium ſpatio eſſe ipſo facto ſuſpenſos, Concord. in *rubr. de publ. concubinar.*

Tertium, ſi moniti concubinam non dimiſerint, vel aliam aſſumpſerint, eos omnibus beneficiis ſuis priuandos eſſe.

Quartum, eoſdem quoque ad omnes honores, beneficia atque dignitates eſſe inhabiles, *vſquequo cum eis per Superiores ſuos poſt ipſarum Concubinarum dimiſſionem manifeſtamque vitæ emendationem fuerit diſpenſatum,* Concordata in *Rubr. de publ. concubin. Quod ſi poſt diſpenſationem recidiuo vomitu ad huiuſmodi publicum concubinatum redierint, ſine ſpe alicuius diſpenſationis præterquam Papalis, ad prædicta prorſus inhabiles exiſtant.*

Extra Galliam, alia eſt ineunda ratio, nam quibus in Regionibus receptum eſt Trident. Concubinarij tertio moneri debent, & ſi poſt primam monitionem modum ſuæ libidini non faciunt, tertia parte fructuum, obuentionum, ac prouentuum beneficiorum ſuorum quorumcumque, & penſionum ipſo facto ſunt priuati, quæ fabricæ Eccleſiæ, aut alteri pio loco arbitrio Epiſcopi applicari debebũt. Quod ſi perſeuerantes in eo delicto, ſecundæ monitioni ſimiliter non paruerint, non tantum fructus omnes ac prouentus ſuorum beneficiorum eo ipſo amittunt, ſed etiam à beneficiorum ipſorum adminiſtratione quoad Ordinarius arbitrabitur, ſuſpendendi erunt, ac ſi cum hac ſuſpenſione Concubinam domi ſuæ ſeruauerint, aut aliam ſuper induxerint, beneficiis omnibus, penſionibus, dignitatibus ſpoliandi erunt, cenſendique inhabiles, & *indigni quibuſcunque honoribus, dignitatibus, officijs in poſterum ſunt reddendi, donec poſt manifeſtam vitæ emendationem, ab eorum ſuperioribus, cum ijs ex cauſa viſum fuerit diſpenſandum,* Trident. *ſeſſ. 25. cap. 15.*

De illegitimis nihil attinet dicere, cum eos conſtet ad omnia beneficia eſſe inhabiles, etiam ſimplicia, de duplicibus ambigendi locus eſt nullus, cum Innoc. III. in *decret. innotuit 20. de elect.* cuiuſdam ex non legitimo orti concubitu, ad Vigorienſem Epiſcopat. electi, electionem improbet. De ſimplicibus item res eſt clara, nam cum ſint irregulares, vt habet canon Vrbani primus *diſt. 56.* non poſſunt ad ordines promoueri, nec conſequenter beneficia adipiſci, ad quorum functionem facer ordo eſt neceſſarius, Vgolin. *de irregul. cap. 44. parag. 1. num. 5.* Theſauiris 2 *par. prax. verbo illegitimus cap. 2.* Diſpenſare tamen cum iis Papa poteſt ad omnia etiam curata, Epiſcopus autem ad ſimplicia, & minores ordines. Simplicium autem nomine, an Canonicatus quoque intelligi debeant, dubitatum, video. Affirmatiua Coraſio placeit

A Archidiac. item *in cap. 1. de filijs Presbyt.* Gregor. Tholoſ. *cap. 25. de benef.* Laym. *de benef. cap. 14. num. 3.*

Negantem ſunt amplexi Rebuff. *tit. de diſp. ſupra defectu natalium num. 12.* Leſſ. *lib. 2. de iuſtitia tract. de benef.* Quia vbi Trident. eſt receptum, ſingulis canonicatibus ſuus eſt aſſignatus ordo ſacer, ad quem tamen Epiſcopus diſpenſare non poteſt: ergo nec ad canonicatus. Ad dignitates autem perſonatus, & curata beneficia nullomodo *extra de filijs presby-*
B *ter. cap. extremo.*

Similiter non diſpenſat, quando beneficium quod illegitimus dari ſibi poſtulat, eſt in ea Eccleſia, in qua Pater eius eſt Decanus, Præfectus, aut Parochus *cap. præſentium 3. & cap. cum decorem 15. extra de filijs Presbyt. Cum indecorum ſit, vt in altaris officio illegitimus filius impudico patri miniſtret, in quo vnigenitus Dei filius æterno patri pro ſalute humani generis victimatur,* Innoc. III. *in cap. 15. de filijs Presbyter.*

Secundo diſpenſare item Epiſcopis cum il-
C legitimo non licet, quando ab eius parente Clerico, in fauorem eius facta eſt reciproca reſignatio, vt alter alterius beneficium conſequatur Trident. *ſeſſ. 25. cap. 15.*

Tertio, nec diſpenſare Epiſcopo eſt licitum, cum illegitimo ad beneficia, quando eſt ſtatutum iuratum, ac à Papa approbatum & firmatum, quod Eccleſiæ talis, alius quam qui eſt legitimus, beneficia non reget, Sylu. in *verbo beneficium q. 9.* quia in tali ſtatuto ſolus Papa diſpenſat.

Quarto, non diſpenſat Epiſcopus, cum illud ipſum beneficium dari ſibi illegitimus po-
D ſtulat, quod Pater eius proxime poſſedit, *extra de filijs presbyteror. cap. 18.* cauſa non eſt alia, quam ne videantur bona Eccleſiæ hæreditaria: quare inter hunc, & illum, intercedere debet aliquis medius *cap. 1. & 2. de filijs Presbyt.* habetque hæc conſtitutio locum in filiis Clericorum naturalibus, id eſt qui ante Clericatum ex fornicatione ſunt nati Garcias *par. 7. cap. 5. num. 11.* non item eius opinione ac Laym. in nepotibus, ex Clericorum filiis tam legitimè quam illegitime procreatis; quod eſt contra Rebuff. *in tract. de diſpenſat. ſuper defectu natalium num. 17. & praxim regni,* Maynardus auctor.

Mihi tamen ſententia prior abſolutè vide-
E tur probabilior, quod appellatione filiorum in materia odioſa ac pœnali, non comprehendantur nepotes, vt docent Couar. 2. *lib. reſolut. cap. 8.* Laym. ſupra.

An autem diſpenſatus ad minores ab Epiſcopo, eo ipſo diſpenſatus cenſeatur ad beneficium ſimplex, vel diſpenſatus à Papa ad ſacros, cenſeatur eſſe diſpenſatus ad curatum, auctores diſputant.

In partem affirmantem abeunt Henriqu.

lib.

*lib.14.de irreg. cap. 8. num.*10. & alij apud Azor. *to.2.lib. 6.cap.3. q. 4.* Sed eius oppoſitam ſunt amplexi cæteri Azor. loco citato, Auila *par.7. diſp 3. dub.6.* Garcias *par.1.de benef. cap. 6.num.72.* Theſaurus ſupra nominatus, quibus acedo hoc maximè nomine, quod irregularitas cenſeatur tantum auferri quoad expreſſa.

Deinde quod in conceſſione generali nunquam ad cenſeatur eſſe comprehenſum, quod concedens excluſiſſet, ſi id ei tum in mentem veniſſet, euiuſmodi eſſe curata beneficia quis non videt? cum degenerem, ac natalibus infamem, præeſſe cæteris cum poteſtate non deceat, ne quod non cupit, ab iis cũ admonebũtur officij, audiat, turpe eſſe nec ferendum, vt qui parentibus libidine ac luxu infamibus eſt natus, eos arguat, quorum eſt vita tam ſuis quam maiorum meritis ac virtute, commendabilis.

Quid? quod ad Curata, maior quam ad ſimplicia capacitas ſit neceſſaria? *cap. cum in illis de præbend. in 6.* quod contumeliæ ac probri, in his qui præſunt, omnis ſit tollenda occaſio, quod non facit Epiſcopus, cum qui ex inceſto ortus eſt coitu, ad aliorum regimen admouet. Diſpenſatus ergo ad ſacros ordines ſpurius, animarum curæ ideo præeſſe non poteſt, non item vi talis diſpenſationis fieri canonicus in Eccleſia Cathedrali, quia cum quis ad beneficium à Pontif. diſpenſatur, eo nomine Eccleſiæ Cathedralis canonicatus minime comprehendi, habet Bonifac. VIII. *in cap. quamuis 4 de præbend. in 6.* nec item dignitatum eſt capax, ſecundum Layman. *tract.2. cap.14.lib.4.num. 4.* quia dignitas & beneficium curatum æquiparantur inter ſe *cap. dudum 2. de elect.* aduertitque cum eodem Garcias, praxim curiæ Romanæ eſſe vt cum illegitimis diſpenſetur ad omnia beneficia præterquam ad dignitates & Canonicatus Cathedralis Eccleſiæ.

QVÆSTIO X.

Quinam ad aliqua tantum Beneficia, iure Canonico ſint inhabiles.

PRimò, Loco ponendi ſunt *intruſi*, non ſunt hi tamen ad aliud beneficium inhabiles, quam ratione cuius dicuntur intruſi, Rebuff. *lib. 2. prax. regula de ſubrogandis colitigantib. num. 26.* habeturque expreſſe in *cap. ſi compromiſſarius 37. de elect. in 6.* cum dicitur, eum qui in Eccleſiam aliquam peccat, indignum videri, qui in ea beneficium obtineat, quod in intruſum cadit, huiuſque culpæ, cum beneficium impetratur à Pontifice, hoc eſt, intruſionis, mentionem in literis eius impetratoriis faciendam eſſe: habet Felinus

A in *cap. poſtulaſti de reſcriptis*, aliter eius impetrationem fore nullam.

Secundo, Sunt Simoniaci ad id beneficium inhabiles, quod ſibi acquiſiuere, dato pretio, maximè in iis partibus, in quibus Bulla Pij V. de anno 1566. eſt recepta, in ea enim habetur, Simoniacum ad omnia prorſus beneficia, illudque præcipuè, circa quod admiſſa fuit Simonia inhabilem eſſe, ſed hanc pœnam, non niſi poſt condemnatoriam Iudicis ſententiam locum habere: ſcripſere Nauar. *conſil. 42. de Simon.* Suar. *de relig. to. 1. lib. 4. tract. vltimo cap.58.num.11.* Reginald. *to.2.lib.23.num.183.* B Tanner. *to.3. diſp. 5. q. 8. num.97.* Theſaurus *par.2.prax.verb. Simonia cap.3.nu.7.* Emman. Sa *ver. Simon.num.9.*

Ratio eſt, quod à verbis, quibus in ſciſcenda lege Pontifex vtitur, eius intellectus ac notio pendeat, ſed hæc habet Pij V. conſtitutio *Quicunque crimen Simoniacæ prauitatis commiſiſſe conuictus fuerit*, quæ ad iudicem, eiuſque in examinando ac diiudicando crimine diligentiam, reſpectum habent, pœnas ergo à Pio V. decretas, Simoniacus non incurret, niſi de Simoniaca labe à iudice conuictus C erit.

Idem dicendum de confidentiario, qui etſi ad omnia beneficia ante poſſeſſa, & acquiſita per Simoniam, ſit per conſtitutionẽ Papæ inhabilis, non eſt tamen hæc pœna de earum numero, quæ ante ſententiam obligant, ſecundum Leſſ. *cap. 35. num. 147. de Simon.* Regin. *lib.23.num 183. & 188. in fine*, Suar. *ſupra cap.43.* Azor. *to.3.lib.12.cap.10.qu.4. & cap 21 q.12.*

Ratio eſt, quod Pontifex ſe quidem beneficiis priuare Simoniacum dicat, verum autem D facto ipſo, & non expectata ſententia, non exprimit: ergo cum in pœnis pars ſit ſuauior ſequenda, reiicienda durior, qualis eſt haud dubiè, quæ Simoniaco beneficia omnia adimit ante ſententiam, ea relicta, amplectenda erit pars altera, quæ iudicis ſententiam poſtulat, Simoniacum beneficiis tam ante Simoniam ritè poſſeſſis, quam eo, in quo eſt hæc commiſſa, priuantis.

Tertio, Illata Epiſcopo iniuria, inferentem beneficiis priuat, quæ in eius ſunt Diœceſi, Clem. *prima ſi quis de pœnis*, tranſitque hæc E pœna ad cooperantes auxilio, ope, conſilio. *A Feudis*, inquit Pontifex, *locationibus, officiis, & beneficiis ſpiritalibus, ſiue temporalibus quæ ab Eccleſia, cui ſic offenſus præeſt, Epiſcopus obtinet, cadat hoc ipſo, & ad eandem Eccleſiam reuertantur liberè.*

Quarto ſæcularis eſt ad beneficia regularia inhabilis, regularis è contra ad ſæcularia, *Clement. ne in agro 1. de ſtatu Monachor. parag. cæterum prioratus, cap. cum de beneficio 5. de præbend. in 6.* Trident. *ſeſſ. 14. cap.10.* nec diſpenſare in hoc impedimento alteri eſt con-

ceſſum quam Papæ *cap. nullus religioſus de electi. in 6.* quia cum Clemens loco proxime citato Pontificia ſua lege regulares Prioratus ſæculari conferri poſſe neget, in ea diſpenſare, præterquam ei ſoli, alteri nulli eſt lictum.

Cum Religioſo tamen, vt beneficio Curato præſit, is cui ille vt ſuperiori ſuo obſequitur, diſpenſat, maxime ſi id Epiſcopus approbet, nec ſit qui Parœciæ ad fidelium bonũ eſt præponendus, de Regularium familia quos nos Mendicantes dicimus, his enim in vrbibus aut pagis Parochos agere ſine neceſſitate, ac Romani Pontific. facultate, non licet Rebuff. *in Concord. rubr. de collat.*

QVÆSTIO XI.

Ad Beneficia ſingula ætas quæ neceſſaria.

De hac materia tractant Sylu. *verbo ætas parag. 2. ver. 4. & ver. beneficium 3. qu. 1.* Petr. Gregor. *lib. 17. cap. 6. & tract. de benef. cap. 37.* Salon. 22. *q. 63.* Coraſ. *par. 3. cap.* Rebuff. *de pacific. poſſeſſ. in 4. limit. num. 74. & in praxi lib. 2. tit. de diſpenſ.* tatione ætat. eorum exemplo, quæ cuique beneficio conſequendo, iure tam antiquo, quam nouo, ætas poſtuletur, explicatum eo.

Dico ergo primò, *Beneficium ſimplex ſæculare, etiam Canonicatum, ætatem ſeptennio maiorem, in his prærequirere, qui ad illud aſpirant, ſibique ab Epiſcopo, aut Collatore ordinario conferri ambiunt:* Gloſſa *in cap. ſuper inordinata de præbend.* vbi cum aliis, canonicum (& idem eſt de quolibet beneficiario ſimplici) iure nouo & antiquo eſſe negat, niſi qui annum quartum decimum ætatis attigerit, Trident. *ſeſſione 23. cap. 6.* qua in ætate etſi Pontifex diſpenſet, diſpenſato tamen ſuffragari in Capitulo non licebit, iure nouo Tridentini antequam in Subdiaconorum numerum ſit ſuis meritis aut Epiſcopi benigna erga ſe voluntate cooptatus.

Dixi *niſi 14. ſit annorum*: nam etſi ſit hæc ætas ad beneficia idonea, ratione tamen ordinis, & habilitatis quam Concil. exigit, ſæpe exigitur maior ætas, & quidem ſi Canonicum ex deſignatione facta per Epiſcop. aut fundatione, Subdiaconum eſſe oporteat, non erit hic eo nomine ac magiſtratu dignus, qui annum 21. non attigerit, quia intra annum à collato ſibi canonicatu hoc cum initiari ordine eſt neceſſe. At ad Subdiaconatum admitti annis 21. inchoatis minor non ſolet, Leſſ. *lib. 2. cap. 34. dub. 20. num. 110.* ergo, &c.

Quod de canonicatu eſt dictum, trahi debet ad Officia, Perſonatus, Dignitates vel præbendas quibus certi ordines ſunt annexi, ad hos enim, niſi ſe intra annum promouendos, iuſto impedimento ceſſante curauerint, his

A auctoritate publica ſi exuantur, queri ſe læſos eſſe honeſte non poterunt.

Ad ætatem, adiiciendæ ſunt & qualitates aliæ, ſine quibus, beneficia ritè ac legitimè poſſideri non poſſe, vera eſt, certaque Doctorum opinio, de quibus priuſquam dicam.

Notandum eſt, qualitatem idem nobis eſſe ac notam, conditionem, ſeu prærogatiuam honoris, qua cum eſſe ornatum conuenit, qui eius eſt beneficij cupidus, quod illam, vt valide ei conferatur, exigit.

Notandum 2. quædam eſſe beneficia Sacerdotalia, ita dicta, quod ex fundatione, aut
B conſuetudine dari alteri, quam Sacerdoti nequeant, iam ergo

Dico etſi iure antiquo Epiſcopus eſſe poſſet qui Subdiaconi partes ac munera agebat in Dei Eccleſia, Innocent. III. *in cap. à multis 9. de ætate & qual. ordinandor.* ſi id ei erat vtile, & Metropolitani vel Romani Pontif. conſenſus accederet, *id ibid.* hoc tamen tempore extra Galliam ad eum euehi magiſtratum nemini eſt permiſſum, ante expletum ætatis annum trigeſimum, *diſt. 78. can. Presbyter. penult. diſtinct. 77. can. Epiſcopus 6. ne per ætatem, (quod aliquoties euenit) aliquo errore*
C *culpetur.* Decreuit idem Agath. 1. *cap. 17.* dehinc idem ſancitum in Arelat. 3. *can. 1.* Aurel. 3. *can. 6.* Turon. 3. *can. 12.* Nouiſſimè eſt id confirmatum in Trid. *ſeſſ. 22. ca. 2. de refor.* à quo annos 5. de ea ætate detractos conſtat, quam in Presbytero poſtulaſſe Iuſtinianum, Nouella 123. eſt certum, conſecrari autem ab adepto Epiſcopatu intra tres menſes ſi neglexerit, ad *fructuum perceptorum reſtitutionem tenebitur*, decreto Concil. *ſeſſ. 23. cap. 2.*

D Dico ſecundò, *Archipresbyter eſſe olim nullus poterat niſi qui Sacerdos, nec in Eccleſia Cathedrali Archidiaconus, niſi qui Diaconus, inſtitui poterat*, Conc. Pictau. *can. decreuit. & cap. de ætate & qualitate ordinandor.* 1. his verbis: *Qui Archidiaconatus tenent, Diaconi fiant, qui Archipresbyteratus, Presbyteri, aut amittant honorem*: modo autem hoc eſt iure nouo Concilij, ſi Archidiacono animarum cura ſuberit, annum ætatis 25. attigiſſe debebit, Trident. *ſeſſ. 24. cap. 12.* ſin minus 22. idem ibid.

Decanus, & Præpoſitus, & ſi qui alij curam habent animarum, his præfici beneficiis ne-
E queunt à quibus cum iſto nomine, honoris prærogatiuam eo ſignificatam habent, Decanus (inquam) & Præpoſitus, annorum eſſe debent quinque ſupra viginti, ſaltem qui ſint inchoati, *cap. cum in cunctis 7. de elect. parag. inferiora*, Rebuff. *de pacific. num. 182.* Cardinal. *in Clement. generalem de elect.*

Et quanquam perſonæ ſacrum nullum ordinem priſcis maiorum ſæculis exigerent, cum perſonatus, pueris nondum annos 14. egreſſis darentur in Eccleſia, vt Alexand. III. decretalis quæ incipit *Indæorum 3. de ætate & qualitate*

qualitate ordinandorum, indicat in ea enim A Cantuarienſ. Epiſcop. admonet ne perſonatum Eccleſiæ, vlli intra annos 14. conſtituto concedat, eius ergo Alexandri teſtimonio capax futurus videtur, qui eum exceſſerit aut attigerit, modo autem *ad dignitates, & perſonatus quibus animarum cura nulla ſubeſt, Clerici alioquin idonei, & 22. annis non minores aſciſci debent*, Trident. *ſeſſ. 24. cap. 12. non alij.* Quod ſi eorum beneficiis onera ſint aliqua annexa, quæ ſuſtinere à non ordinatis nequeant, *iuſto impedimento ceſſante, infra annum ordines recipere requiſitos debebunt, alioqui pœnas incurrent iuxta conſtitutionem Concilij Vienn.* Trident. *ſeſſ 22. cap. 4.* B

Sunt hæ vero tres numero, prima, quod vocem in capitulo canonicam quandiu ordine ad officij ſui functionem neceſſario carebunt, nullam habeant *Clem. 1. vt ij qui, de ætate & qualitate.*

Secunda, vt iis, diſtributionum quæ præſentibus dantur, pars dimidia ſubtrahatur.

Tertio, quod pœnis coerceri omnibus valeant, *quæ contra tales, promoueri ad ordines recuſantes ſtatuuntur in iure*, Clement. citata C *parag. vltimo.*

Dico tertiò, *Beneficia tam ſæcularia, quam regularia, quæ curam animarum habent, non niſi nato annis 25. inchoatis, poſſe iure tam nouo quàm antiquo conferri.*

Statuit id Alexand. III. *in cap. cum in cunctis 7. de elect.* decreuit idem Bonifac. VIII. de Parœcia *in cap. commiſſa 35. de elect. in 6.* decreti ſunt hæc verba. *Si infra dictum tempus, non fueris rationabili cauſa ceſſante promotus, tibi Eccleſia ipſa, quæ dictis ſtatutis auctoritate, iam priuatus exiſtis nullatenus ea vice tibi poterit iterato conferri*, tamen Gregor. eius nominis X. in *cap. licet canon 14. de elect. in 6.* D Parochum antequam collato ſibi beneficio excidat, admoneri de officio, nexuque, quo canonibus aſtringitur, Sacerdotio intra annum ab eo ſibi collato affici. Secundo eius collationem inanem fore, ac ſine viribus, ſi intra memoratum tempus, non ſe faciat ad ſacerdotium promoueri, verum enim, id non niſi de priuatione, quæ ſententiam poſtulat, capi debet.

Primò, quia etſi Parochus qui intra tempus canonibus præſtitutum non eſt promotus, E *Eccleſia ſibi commiſſa nulla etiam præmiſſa monitione ſit præſentis conſtitutionis auctoritate priuatus*, vt loquitur Gregor. *in cap. licet canon citato*, non tamen inde conficitur, ſententiam criminis admiſſi declaratoriam, iuriſque, quo eſt Parochus, dicta Parœcia priuatus, executoriam non requiri.

Secundo, quia canon Parochum remoueri à commiſſi ſibi gregis regimine imperat. *Si præfixo*, inquit, *à canonibus tempore, non fueris in Presbyterum ordinatus, à regiminis eiuſdem remoueatur officio, & alij conferatur*, quas voces, cum ad iudicem dirigi conſtet, eius quoque in dicenda ſententia, eaque exequenda poteſtatem exigi, nemo nõ videt, vt ſic cura; Parœciaque, Parochus excidat, qui ſacerdos non eſt factus cum deberet. Dictum eſt ergo veriſſimè, illi non niſi poſt ſententiam, eamque executoriam, quam vnica minimum de recipiendo Presbyterio ſtato tempore monitio præceſſerit, Parochia neceſſario abeundum eſſe, id quod colligere cuique promptum eſt ac facile, his verbis: *Cum autem aſſumptus fueris*, inquit canon, *ad Parœcialis Eccleſiæ regimen & reliqui admoniti non fuerint, præfixo à canonibus tempore in Presbyteros ordinati, & ab iſto remoueantur officio & alijs conferantur, qui velint & poſſint illud conuenienter explere*, ſimilia habet *can. licet canon 14. de elect. in 6. Quodque talis*, inquit Gregor. X. ibi, *ad regimen aſſumptus huiuſmodi, ſi monitus, non fuerit præfixo à canonibus tempore in Presbyterum ordinatus, à regiminis huiuſmodi amoueatur officio, & alij conferatur*, in vtroque enim canone monitionis fit mentio, & vox eſt in ambobus, quæ ad iudicem directa, ſententiam ab eo ferendam denotat: quare eam exigi, antequam beneficium adimatur Parocho, qui non eſt factus Sacerdos tempore per canones præſtituto, tenet Roffigniacus *de re Sacerdot. lib. 3. tit. 2.*

Habet tamen oppoſita ſententia ſuos auctores, nempe ante omnem ſententiam vacare Parochiam, ſi ordo ad eam neceſſarius intra annum non ſuſcipiatur, quia cum ſit collatio hypothetica, conditione ſuo tempore non poſita reſoluitur, fitque inanis ac ſine viribus.

At enim (inquies) in *cap. licet canon 14. de elect. in 6.* dicitur iure priuatus.

Omninò, ſed iis verbis nõ ſignificatur aliud quam ius ei ad Parochiam ſublatum eſſe per canones, & non poſſeſſionem, quæ cum non niſi per executoriam ſententiam perdatur, proferri debet à iudice.

Prioratuum, quos Conuentuales nominant, eadem eſt quæ Parœciarum ratio: nam ſi Priori cura regendarum mentium incumbit, ſi Sacramentorum adminiſtratio, propria eſt ac peculiaris eius functio, non erit ad eam prouinciam rite obeundam idoneus, niſi 25. ætatis ſuæ annum inchoauerit, *cap. cum in cunctis 7. de elect.* Sin autem ad id miniſterium aliena vtitur opera, quia cum nihil eſt neceſſe, ex ſuperiorum voluntate, aut Fundatoris in illo verſari, ſatis erit eum impleſſe annum 20, Ita Clem 5. in Clem: 1. *de ſtatu Monachorum parag. caterùm. Prioratus*, inquit, *conuentuales, alicui niſi annum 25. attigerit, alij vero curam animarum habentes, etſi cura ipſa per ſæculares, habeat Presbyteros exerceri, cuiquam*

niſi vigeſimum annum peregerit, conferri nequeant aut commissi, Rebuff. *de pacif. poſſeſſ. num.* 181. & 52.

De Abbatum ætate, quia nihil nominatim ac præcisè ſtatuêre canones, quod dicam non habeo, niſi quod iiſdem, cum ſunt regulares, legibus eos ac ſtatutis teneri ſit probabile, quibus Priores ac Parochos, hoſque vltra annum à die ſuſceptæ Parochiæ, Sacerdotium in duobus caſibus protogare poſſe.

Primus eſt, cum ſtudiorum cauſa verſantur in Academia, Nauar. *cap.* 25. *num.* 117. Sylu. *verbo Beneficium q.* 2. quod cum erit, B intra annum, quo eos oportebat Sacerdotes fieri, ordinari debebunt in Subdiaconos, ſecus ipſo iure, ſuis ſunt Eccleſiis priuati, ſicut etiam cum ſeptennio ſtudiorum expleto, intra annum non promouentur ad Sacerdotium.

Secundus caſus in quo Parochus vltra annum contra ius cõmune Sacerdotium differre poteſt, eſt cum iuſto aliquo tenetur impedimento, ne id faciat *cap. licet canon* 14. *de elect. in* 6. quale foret, ſi Epiſcopus electum C per concurſum, intra annum ordinare nollet, quia præſcripta per Concil. interſtitia, vim habere in ſua Diœceſi, ac vt Eccleſia præcipit, vult ſeruari ab omnibus ſine diſcrimine, eſt enim hæc negatio, ex parte Parochi electi, cauſa ſufficiens non recipiendi Presbyterij cum deberet.

Quæ tamen de Parochi ordinatione ſunt dicta exceptionem patiuntur in Gallia, nam vt habent Du Clos *in annotat. ad Flamin. lib.* 1. *de reſignat. q.* 1. *num.* 20. Rebuff. *de non promotis intra annum num.* 45. & 46. licet Parœ- D co ſacrum Presbyterij ordinem differre ad biennium, cauſa eſt, quod non teneatur Parochus Sacerdos eſſe canonica lege, niſi poſt annum à pacifica beneficij ſui poſſeſſione computandum, *cap. commiſſa* 35. *de electione in* 6. At legibus regni nemo pro poſſeſſore pacifico eſt habendus, qui anno integro rem non poſſedit ſine turbis ac litibus: ergo ad annum iure communi conceſſum pacificæ poſſeſſionis, datur & alius in Gallia, ante quem Parochus non tenebitur promoueri Papon. *lib.* 3. *art.* 15. *arreſt. de la faute & neceſſi-* E *té de promouendo*, Adrian. Iacquelotius expoſitionis beneficiariæ *num.* 40. Fabricius de *beneficiis duplicib. & ſimplicib. litera O.*

Tunc autem cenſenda eſt poſſeſſio pacifica, quando ſuper ea, nulla eſt contentio, lis nulla aut controuerſia iuris vel facti in iudicio, vel extra, de æquitate ac iuſtitia tituli beneficij, contra poſſeſſorem mota, Pariſius *lib.* 3. *de reſign. q.* 4. *num.* 130. à fine ergo *anni pacificæ poſſeſſionis, computari incipit annus promotionis*, Du Clos *ſupra*.

Quod ratio, quod æquitas, quod Pontificum decreta a Parochis exigant, ne vltra an- A num à pacifica beneficij poſſeſſione, quod ſunt adepti, promoueri differant, poſtulatum olim video ab Abbatibus, ac Prioribus conuentualibus, in Comitiis Bleſenſibus *art.* 9. pœna iis propoſita qui intra duos annos non parerent, priuationis beneficiorum quæ poſſidebant, ac reſtitutionis fructuum perceptorum, patet ex his verbis: *Les Abbez & Prieurs conuentuels ſeront tenus ſe faire promouuoir à l'Ordre de Preſtriſe dedans vn an apres leur prouiſion, ſinon qu'ils euſſent ſur ce obtenu diſpenſe, & neantmoins ou dedans deux ans enſuiuans ils* B *ne ſe feroient promouuoir audit Ordre, ſeront les Benefices par eux tenus declarez vacans & impetrables*: non eſt hæc tamen Regis Henrici laudanda ſanctio, recepta vnquam, aut ſi fuit, certe per non vſum exoleuit hoc tempore, cũ ſint pauci aut verius prope nulli, Priores ac Abbates Commendatarij in Gallia, qui obſequantur huic legi, quod non exiſtiment ea ſe teneri, iudicato Pariſienſis Curiæ, à qua pronunciatum ſciunt in cauſa cuiuſdam prioratus, dependentis ab Abbatia S. Merantij apud C Pictones, Brod. teſte ad *Louetum ſub litera B. art.* 4. in eaſdem Abbates anguſtias cogendos non videri, quibus Parochos.

Equidem cum non niſi de Parochis eorumque Eccleſiis, Pontifices loquantur in *cap. licet canon* 14. *in cap. commiſſa* 35. *de elect. in* 6. ſintque odia reſtringenda, verbaque legis quæ pœnam infert, intelligenda propriè, quæ de illis ibi ſtatuuntur, non ſunt ad Abbatias extendenda: ita expreſſe Rebuff. *de regia ad prælaturas nominatione parag. Monaſterijs verſu* 23. *annorum. Quamuis*, inquit, D *de iure requireretur quod Abbas eſſet Sacerdos, tamen hodie conſuetudo ſe habet in contrarium*, quæ valet vt notat Præpoſitus *can. accedens diſt.* 50. hæc ille, ſunt his quam ſimillima quæ ſcripſit idem in praxi *tract. de non promouendo*.

QVÆSTIO XI.

De qualitate quam Beneficium ex fundatione ſua poſtulat, quid cenſendum?

E

PRima Aſſertio, *Quando qualitas à iure exigitur aut ſtatutis Eccleſiæ in qua eſt beneficium, non eſt neceſſe eius poſſeſſorem illa inſtructum eſſe cum ei præficitur, ſufficit ſi eam intra annum ab eius collatione habeat*: Ita Nauar. *conſil. de præb.* 3. Laym. *lib.* 4. *tract.* 2. *par.* 5. *cap.* 14. *num.* 2. Candid. *diſquiſ.* 18. *art.* 3. *dub.* 3. ſententiæ huius auctor Clem. *in Clement.* 2. *de ætate & qualit. ordinandor.* quam à Trident approbatam, & renouatam conſtat *ſeſſ.* 22. *cap* 4. cũ omnibus qui portiones habent, præbendas aut officia, quibus varia sũt annexa onera, imperat, vt iuſto impedimento ceſſante intra

annum

ordines requiſitos ſuſcipiant: non eſt ergo neceſſe beneficiariũ cũ beneficiũ recipit, eo ordine præditum eſſe quẽ exigit: ergo nec qualitate quã poſtulat. Itaque ſi fundatio Capellæ habeat, vt is cui amodo poſſidenda dabitur, ſit Sacerdos benigne id erit interpretandum, ac Clementinæ conformiter, nempe vt ea ſit ætate in quâ intra breue tempus, voluntati fundatoris ſatisfaciat; Laym. ſupra, Zechius de Rep. Chriſtiana *n* 4. in quo à Mandatariis beneficiarij differunt: nam cum illis de præbenda proxime vacatura prouideri Papa imperat, hoc nomine Sacerdotalem intelligi prohibet, niſi mandatarius eius ſit ętatis, in qua illum ad Sacerdotium euehi non repugnet, quo tempore beneficium vacat, Guymierius ad rubricam *de collation. parag. quod ſi quis*, & ita capacitatem mandatarij ad beneficia pro quibus à Papa commendatur, Epiſcopo ſpectandam eſſe à die datæ reſcripti, non autem à vacatione beneficij.

Aſſertio ſecunda, *Quando fundator, in eo cui prouidetur de beneficio, qualitatem poſtulat, vt Sacerdotium, v. c. actu & non potentia tantum, & quidem cum eo rigore, vt collationem aliter, & alteri factam quam qui ea eſt actu ornatus, velit eſſe irritam, eius defectus facit illam in conſcientia inualidam ante omnem ſententiam.*

Quia donatio hypothetica hypotheſi non exiſtente cum qua fit, eſt nulla. At fundatio beneficii ea lege vt quiſquis illo fruetur, his ſit inſignitus dotibus, quæ in eo poſtulantur, donatio quædam eſt, eaque hypothetica, & quidam quaſi contractus inter Eccleſiam & fundatorem: ergo qualitatis defectus, abſentiaque, collationis eidem factæ irritatio eſt quam certiſſima. Ita Æneas Syluius *ep.* 370. ad Decan. Vormacienſ. ſe ideo repulſam paſſum eſſe Canonicatus in Vangionib. ait quod homo Italus cũ Germanica Vãgio cum Eccleſiæ cõſtitutione, eiuſmodi beneficiis excluſus eſſet, hortaturque Theobald. comitem Bernard. in *epiſt.* 271. ne beneficia quorum fundator erat iis mandari ſineret qui non eſſent his qualitatibus animique fulti dotibus, quas ipſe primitus, vt eorum fundator ac parens indixiſſet.

Aſſertio tertia, *Etſi collatio beneficij facta deſtituto qualitatibus, quas eius fundationi annexas fundator voluit, ſit in conſcientia valida, quando in ea non dicitur quod aliter facta ſit irrita, in foro tamen externo cenſeri poteſt ſubreptitia, proindeque irritanda.*

Quia defectus conditionis contractui appoſitæ illum non irritat, niſi id dicatur expreſſe: ergo nec collationem, quia cum fundator voluntatem ſuam circa conditiones in collatione beneficii ſeruandas exprimere debeat, erit eius expreſſionis omiſſio, tacita quædam beneficii cõceſſio facta beneficiario, eas non habenti, quare voluntas fundatoris collationem iniquam facit, non irritam.

Secunda probatur, facta Beneficii collatio homini non qualificato, ſubreptitia cenſeri debet ſecundũ Trident. *ſeſſ. vltima cap.* 5. quia eſt iniuſta, & contra fundatoris intentionem. At cenſere aliquid ſubreptitium ad Iudicem pertinet in foro externo præſidentem, vt notat Nauar. *Enchirid. 25. num. 110. notab. 6.* & in *cap. fin. de Vſuris.*

QVÆSTIO XII.

Quanta eſſe debeat ſcientia Beneficiarij, vt validè & in conſcientia beneficium ſibi datum ſeruare poſſit?

Scientia aliqua excultum eſſe oportere beneficiarium, nemo negatum ibit, qui meminerit, illiteratum gradus in Eccleſia inter Clericos incapacem eſſe, per *canonem 1. & 3. diſt. 55. & cap. finale de ætate in decretalib.* & *cap. eam te 4. eiuſd. tituli.*

Quanta autem eſſe hæc præciſè debeat, non conſtat, dici tamen vniuersè hoc poteſt, collationem ei factam qui ſit omnino illiteratus eſſe irritam, & huiuſmodi inhabilitatem eſſe indiſpenſabilem, quia de iure naturæ ac diuino eſt, vt quis aliquo ſaltem modo obeat quæ ſunt ſui ſtatus, & officii, Diu. Thom. *1. 2. q. 72. art. 2.* facta autem collatio modice literato, ſed non ſufficienter non eſt irrita, etſi ſit iniuſta, vt colligitur ex *cap. niſi de renunc. parag. pro defectu.*

Prima Aſſertio, *Tanta eſt in beneficiario iure naturali ac Canonico ſcientia neceſſaria, quanta opus eſt ad functionem officij, propter quod beneficium illi eſt commiſſum.*

Ita Doctores in *cap. cum in cunctis de electione*, & Trident. *ſeſſ. 24 cap. 12.*

Probatur, Exponere ſe periculo peccati mortalis eſt mortale: at illi ſe obiicit qui præſtat officium abſque earum notitia rerum, ſine quibus benè non poteſt ac honeſtè fieri, quæ enim quis ignorat, facere hęc niſi caſu, hoc eſt imprudenter ac temere qui poteſt? Dei miniſtros ignaros, literarumque neſcientes eſſe non poſſe, declarant illa verba Oſeæ 4. *quia ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*, eos ſane Gelaſius, peręque ac corpore vitiatos à ſacris Ordinibus repellit, *diſt. 36. can. illiteratos*, cuius exemplum ſecuti ſunt & alii Pontifices, vt videre eſt in *cap. niſi cum pridem de renunciat. cap. cum ex eo de elect.* Concil. Toletan. *8. can. 8.* Trident. *ſeſſ. 21. cap. 6.* Honorio III. *in cap. quamuis 15. de ætate & qualitate*, vbi quia *contra Deum eſt, & canonicas ſanctiones ſcientiæ defectum in Epiſcopo tolerare*, cum à Pontificalis officii executione,

& adminiſtratione Eccleſiæ ſuæ amouet, at quæ Epiſcopi, eadem quoque eſt per proportionem, cuiuſlibet alterius beneficiarii ratio, cum ignorantem quæ eum facere oporteat, omittere ſit facile, aut ſecus quam decet, exequi.

Secunda Aſſertio, *Ad beneficium ſimplex, cui præter horarum, onus nullum eſt adiunctum, ſufficit quod is cui datur legere, ac ſcribere nouerit.* quia obteneri cum ſimplici tonſura poteſt ac recipi. At tonſura, datur ſcienti tantum legere & ſcribere, Trident. *ſeſſione 23. capite 4.*

Secundo, vt quis ſacro Presbyterij ordine initiari valeat, eoque defungi in Eccleſia, ſatis eſt Nauarro teſte *cap. 25. num. 133.* quod legere nouerit & cantare, quæ ſunt ad functionē ſui miniſterij neceſſaria, quod expreſſe de religioſis habet Marchinus *tract. 1. de Sacra. ordin. par. 5. ca. 1. n. 9.* quia cum in aliorum ſocietate viuant, ſpes eſt eos ſcientiā cum tempore tantam aſſecuturos, quanta explendis religionis ſuæ muniis eſt opus, maxime autem, & ante omnia, cum litabunt, intentionem ab iis adhibendam eſſe Eccleſiæ, quæ eſt, ponendi Chriſti corpus ſub ſpeciebus, ſed beneficium ſimplex, ab omni eſt alia obligatione, quam orandi, litandique liberum: ergo eiuſmodi, quod cum ſola legendi, ſcribendique ſcientia, recipi poſſit, ac ſeruari.

Tertia Aſſertio, *Parocho ea non ſunt ignoranda, quæ ad pœnitentiæ ac Sacramentorum adminiſtrationem legitimam faciunt*, Nauarrus *cap. 25. Enchiridij nu. 133.*

Quia in eorum inſcientia, partes ſuas explere nequit, nec facere officium, vti neceſſe eſt, ad ſuum, ac ſubditorum commodum. Ergo cum beneficium detur ob officium *cap. finali de reſcriptis*, ſi hoc implere neſcit, nec illud retinere poterit.

Confirm. Qui ad Presbyteratus ordinem aſſumuntur, digni cenſeri debent eo magiſtratu, ſi norint quæ *ad docendum populum ea quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt, ad ſalutem ac ad adminiſtranda Sacramenta, diligenti examine præcedente*, Trident. *ſeſſione 23. cap. 14.* ergo & Parochi.

Quarta Aſſertio, *Et ſi collatio beneficij illiterato facta, forte ſit valida, eo tamen priuari poteſt & ſi in eius poſſeſſione relinquitur, eo abſiſtere debet, aut neceſſariam ad illud ſcientiam quærere.*

Prima pars probatur, Enimuero in *cap. qualiter 17. de electione*, Electio illiterati irritanda eſſe dicitur, ergo non eſt irrita, ergo valida.

Idem habetur in *cap. quamuis multa 15. de ætate & qualitate.* Vbi Honorius tertius, Calinenſem Epiſcopum, ait eſſe amouendum à Pontificalis officij executione, & ab adminiſtratione eiuſdem Eccleſiæ: quod rudis eſſet, bonarumque expers artium. Erat ergo vere eius Eccleſiæ Epiſcopus antequam ea priuatus eſſet.

Secunda pars eſt Doctorum maximè Nauarri in *Enchiridio 25. num. 133.* Pateteque ex dictis prima aſſertione, nec enim retineri id poteſt quod ſeruatum nunquam abeſt à culpa, tale eſt beneficium reſpectu illiterati, probatur Minor, Non laboranti ſtipendia exigere aut operæ mercedem ſuæ non licet, quemadmodum nec retinere ſine culpa. Obuentio beneficij fructuſque, merces eſt diligentiæ, in procuratione rei ſacræ adhibitæ, cuius tamen eſt illiteratus incapax, vt patet, cum ad officij præſtationem honeſtam ac laudabilem, neceſſaria ſit cognitio: ergo, &c.

Duo tamen ſunt caſus in quibus non eſt ab illiterato beneficium dimittendum neceſſario.

Primus eſt, ſi ſit ſpes, breui eius conſequendæ ſcientiæ, quæ ad beneficij adminiſtrationem eſt neceſſaria, Nauar. *cap. 25. numero 133.*

Secundus, ſi Epiſcopus, cum eo diſpenſet ſubſtituendo ei Vicarium, qui adminiſtret beneficium, Tridentini *ſeſſione 21. capite 6.* eſt hæc ſanctio. *Quia illiterati & imperiti Parochialium Eccleſiarum rectores ſacris minus apti ſunt officiis, Epiſcopi eiſdem illiteratis & imperitis ſi alias honeſtæ vitæ ſint, Coadiutores, aut Vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eiſdem pro ſufficienti victu aſſignare poſſunt.*

In Gallia tamen ius eſt quoad hæc, à communi diſtinctum, nam Parœciæ in vrbibus muratis dari non debent, niſi magiſtris in Theologia, aut qui ſaltem triennio ei operam dederint: vel iuri Canonico, aut ciuili: aut ſint Doctores in artibus Concord. *rubr. de collationib. §. ſtatuimus 2.* Præbenda verò Theologalis non niſi magiſtro in Theologia, Licentiato, aut Baccalaureo formato, qui per decennium in vniuerſitate Regni approbata ſtuduerit, Concord. *rubr. de collationibus §. 1.* Epiſcopus autem alius eſſe non deberet quam qui de doctrina publicum in vniuerſitate priuilegiata teſtimonium, magiſterii gradum laureamque conſequendo, retulit.

Quæſtio, In qualitatibus ad beneficia neceſſariis quid ſit ſeruandum, vt eorum, ſit in foro ciuili collatio valida.

Quod eorum fundator ac auctor ſeruari lege ſua voluit, à qua ne ſuffraganti Collegio nec conferenti Epiſcopo abire licet, ſine culpa operiſque nullitate, ſi Ruſæo credimus de *regal. priuilegio 40.* & Probo *q. 27. eiuſd. tractatus.* Ita in Canonicorum Lugdunenſium referri albū, iſque accenſeri nemo poteſt, niſi quem nobilitas, à quarta retro ſtirpe euocata decorat, vt Martinus V. & Clemens VII. literis bullatis poſteritati teſtatum voluere, quas

quas pro lege in iudiciis ciuilibus ſequendas eſſe, ſtatuere Reges literis ſuis patentibus anno 1533 & anno 1547. approbatis, ac receptis in Auguſtiori conſiliorum camera.

Secundo in deſignatas Eccleſiæ Cœnomanenſis præbendas quatuor, aſciſci nemo poteſt niſi qui ſacro Presbyterij ordine eſt affectus. Quod ab Epiſcopo, Capituloque, inſtitutæ ſint olim, vt ſupplerent ſuppleantque in præſenti quod per canonicorum abſentiam diuino decedit cultui, vel (quod in ſpeciem videtur verius) vt illorum loco, Deo laudes occinant, horas ſtato tempore in choro decurrant, miſſas quot diebus ſolennes ac ſtatas in maiori altari canant, quorum vltimum quia facere ſoli ſacerdotes poſſunt, à Benedicto XIII. pro duabus de illis præbendis, quarum facta eſt paulo ante mentio, ea qualitas expreſſe poſtulatur, ſicut & ab Eugenio IV. circa annum 1436. pro duabus aliis Benedicti ſunt hæc verba: *Ordinamus*, quod dictæ, *ſemipræbendæ per aliquos obtineri non poſſint, niſi in dicto ſacerdotio conſtituti exiſtant, & quod ipſarum præbendarum collatio, & inſtitutio ad Cœnomanenſem Epiſcopum, & ad Capitulum pertineat præſentatio.*

Tertio Theologalis præbenda non niſi Doctori Theologo, aut Licentiato vel Baccalaureo in Theologia tradi debet Concordata *titulo de collationibus §. 1.*

quarto ſtatuto Martini V. edito ad annum 1437. ſpeciales annonæ duodecim, ſeu præbendæ Sacelli, S. Piati apud Carnutum, non ſunt tribuendæ aliis quam aſcriptis choro dicti loci Clericis, ſacriſque cantoribus.

Quod ſecutus in iudicando Senatus anno 1563. ab earum poſſeſſione excluſos voluit reſignatarios duos, à Papa per ceſſionem Reſignantium in eorundem fauorem prouiſos ſubſtitutis in illorum locum, ex familia dicti ſacelli, cantoribus totidem.

Et quoniam multum intereſt Eccleſiæ, eſſe in ea qui chori ac modulorum curam gerant, dum interim maiores Presbyteri, maioribus ipſi miniſteriis diſtinentur; Sanxit Martinus V. Pontifex, ne ſemipræbendæ Andiũ, ac cuiuſlibet alterius Eccleſiæ Gallicanæ Vicariæ perpetuæ, petitionibus ſcholarium (quos graduatos ſimplices, ac nominatos graduatos appellant) aut candidatorum aulæ Romanæ paterent, ſed ſolis conferrentur Clericis, quos à puero, ſiue neceſſitas, ſiue pietas addixiſſet Symphoniæ, aut cantui ex Ritualibus libris formando.

Sic enim qui tum in præſulis tiara conſpicuus, viſebatur Martinus V. in bullato ſuo diplomate. *Quod Vicariæ perpetuæ inſtitutæ in Metropolitanis Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, in regno Franciæ, & delphinatu Vienneñſi conſiſtentibus, quibus incumbit onus officij diuini, nec non Capellaniæ, quarum cuiuſlibet fructus, decem librarum Turonenſium, valorem annuum non excedunt, ex nunc vt antea, non cadant in gratiis expectatiuis, nec ſub aliqua reſeruatione comprehendantur, aut vſurpentur à ſcholaribus vniuerſitatum ſed per locorum ordinarios, & alios ad quos ipſarum collatio pertinet liberè conferantur.* Datum Auenione 21. Auguſti anno 1428.

Quinto, ad Abbatias & Prioratus conuentuales nominari nequeunt, niſi qui ſunt eiuſdem ordinis Concord. *de Regia ad prælaturas nominatione parag. Monaſterijs*, ſic enim ibi. *Sed idem Rex, illorum occurrente vacatione religioſum eiuſdem ordinis in ætate 23. annorum ad minus conſtitutum nominare teneatur.*

Sexto, Regularia non niſi Regularibus, ſæcularia ſæcularibus ſunt debita *concordata ibidem §. volumus verbo & inſuper.*

Septimo, Parochiales Eccleſiæ, muratarum vrbium, vt eſt dictum, ſunt affectæ Baccalaureis in Theologia, magiſtris artium, aut his qui triennio dedere operam Theologiæ, aut iuri tam Canonico quam ciuili Concord. *rub. de collat. parag. ſtatuimus* 2. cuiuſmodi ſi nullus exiſtat, enimuero conferri tum idoneo poterunt. Secus facta collatio in nihilum recidet has ſi Parochias forte graduatus aliquis cum atteſtatione ſui ſtudij per triennium, eaque inſinuata ab ordinario poſtulet, Papon. *lib. 2. titulo 5. arreſto 6.* cui collationi non graduato factæ, vires ex pacifica poſſeſſione triẽnali accedere poſſe, Maynardus negat *lib. 1. cap. 56.*

Octauo, Nemini niſi Gallo Epiſcopales infulæ poſſunt tribui, nemini niſi qui in regno ſit natus, Canonicatus, aut beneficium demãdari vllum poteſt decreto, Caroli VIII. de an. 1431. de quo Graſſalius *li. 1. Regaliæ iure 15.* Petrus Guenois *collationum lib. 1. titulo 7.* extatque conſimile Henrici III. de an. 1579. ordinationum quæ ſunt in Bleſenſibus comitiis editæ *ar. 4.* intereſt enim Regis regnique, beneficia, ac quæ iis adhærent emolumenta multa & grandia popularibus ſuis ac ſubditis ſeruari ac tradi, non alienigenis.

Secundò, Regiæ pars non eſt modica prouidentiæ, vt quàm poteſt ſtudioſè, ac ſtrenuè, Rex incumbat, in curam Reipublicæ At ad eam pertinet, alienæ, id eſt, externorum principum aduerſum ſe potentiæ, aditus omnes obſtruere, quam tamen oporteret creſcere, ſi cuilibet de ſuis promiſcue, beneficia, Eccleſiæque in Regno magiſteria capeſſere fas eſſet: Quid enim facilius quam tum eorum opera, domeſtica Regnique negotia, quæ ignorari, & cum ſunt cognita ſilentio premi eſt neceſſe, manare ad exteros? quod eſt prudentiæ in principe, eiuſque ſubditis, qua poſſunt arte, ſolertiaque, impedire.

Quid? quod cum incolis, alienigenæ ſæpe non conueniant, quod vt moribus, ita animis

ac voluntatibus à ſe mutuo diſſentiunt? rixis inter eos, iurgiiſque frequens erit locus? vt eſt in *lege in Eccleſiis, Codice de Epiſcopis & Clericis*. Quare ſunt illi, vt eſt in *can. nullus inuitis 13. diſt. ſexageſima prima*, reprobandi, qui de alienis Eccleſiis beneficiarios aduocant, *habeat vnuſquiſque fructum militiæ ſuæ in Eccleſia, in qua ſuam per omnia officia tranſegit ætatem. Nec emeritis in ſuis Eccleſiis Clericis, peregrini & extranei, & qui ante ignorati ſunt, ad excluſionem eorum, qui bene de ſuorum ciuium merentur teſtimonio, præponantur diſt. 61. can. nec è meritis 12.* Ita non ſine cauſa ad beneficia admoueri Gallica, maximè alicuius nominis nemo poteſt, niſi qui in Regno natus, aut Regis beneficio in naturales ſit accenſus, ſicque eſt in Canonicatuum & Prælaturarum qualitatibus, adnumeranda naturalitas, quod eſt contra priſcæ Eccleſiæ priſcos mores, decretaque Innocent. III. Enimuero cum ad eum fama publica, literæque detuliſſent multorũ, Patriarchã à Conſtantinopolitanis Eccleſiis, Clericos omnes præterquã Venetos, excludere Cardinalibus S. Marcelli & ſanctæ Suſannæ in mandatis dedit eundem vt monerent *vt viros literatos, & alias idoneos, vndecunque originem ducerent, in prædictis Eccleſiis, & maxime in maiori inſtituere non poſtponeret, quod in omni gente qui facit iuſtitiam acceptus eſt Deo: de inſtitutionibus cap. ad decorem 5.* & vndecumque aliqui *venerint, gratia diuina vacati, dum laudabiliter exequantur officium ſui ordinis, ex ſuperabundanti requiritur ſua notio nationis cap. cum deputati 16. de iudiciis.*

Dixi *canonicatuum*, quo nomine beneficia cætera volo intelligi, non Melitenſes Præceptorias, quas iure communi ac Gallico, exteris commendari poſſe tradunt Rebuffus *3. parte praxis titulo de reſcriptis num. 9.* Fabricius *de præceptoriis num. 18.* quod & in Antonianis ſeruari ſolitum ſcribit *num. 57. eiuſdem tituli*, quod mihi non modo dubium, ſed apertè falſum videtur, coniectura non impobabili, cum Henrici III. decreto quod ordinationis Bleſenſis *art. 4.* comprehenſum ipſe voluit, ad beneficia regni quælibet de quorum ſunt numero ſunt Præceptoriæ Antonianæ alienigenis aditus non pateat, *N'entendons que cy-apres aucun puiſſe eſtre pourueu d'Archeueſchez, Eueſchez, ny Abbayes de chef d'Ordre, ſoit par mort, Reſignation ou autrement, qu'il ne ſoit originaire François, nonobſtant quelque diſpenſe ou clauſe derogatoire au contraire qu'il puiſſe obtenir de nous, à laquelle ne voulons qu'on aye aucun eſgard.*

At hæc vt beneficiis præfici Gallicis niſi Gallus, citra diſpenſationẽ Principis, eius voluntate ac decreto nemo poteſt: ita nec Epiſcopo aut Prælatis, ſubrogare ſibi in procuratione mentiũ, examine litium, iudicio reorum, diiu-

A dicatione cauſarum. Vicarium, aut Officialem eſt permiſſum, alibi quam in regno natum, Choppinus de *ſacra politia lib. 1. titulo 6. n. 10.* fuit eius motus auctor Henricus II. ann. 1554. confirmator Henricus III. anno 1579. approbator Senatus Pariſienſis cum an. 15[illegible]1. Arioſtum Italum à Cardinali Ferrarienſi inſtitutum in Lugdunenſem Vicarium ſententia ſua, ab eo Vicariatu remouendum cenſuit, Bugnon. in *commentariis ad ordinat. Bleſenſes ca. 23.* Frerotius ad Guenois *lib. 1. collat. ordinat. tit 3. parag. 44.*

B Decimo, Etſi ad Epiſcopatus euehi per Pontificem Rege poſtulante mendicantes poſſint, vt eſt in *concordatis titulo de regia nominatione ad Prælaturas*, non tamen ad canonicatus & dignitates Cathedralis aut Collegiatæ Eccleſiæ. Sanxit id Carolus VIII. eiuſque decreta in omnibus regni Prouinciis quo ad Canonicatus, dignitates, & officia Eccleſiaſtica vim habent, nam Parœciis eos admoueri, poſſe ſtatuit, quando id multorum publica, aut communis ſalus Regni exigit vt in iis locis vbi graſſatur hæreſis, ad cuius victoriã eruditione ipſi ſua qua præſtant ſæcularibus, C aut certè præſtare debent, momentum conferunt non modicum. Itaque iuſta tum Papæ cum illis diſpenſandi cauſa ſuppetet, vt è Cœnobiis egreſſi ad earum Regimen curamque veniãt, & ita de ſtatu vitæ humilis & abiecti deiecti, ad ſublimem & per honorificam Canonicorũ euehantur. Id è re cõmuni Eccleſiæ ac mendicantium eſſe cum Rex Carolus non crederet, eo illos aſpirare ac recipi vetuit anno 1443. his verbis: *A poſſeſſione beneficiorum Curatorum, Canonicatuum, Dignitatum, Epiſcopali duntaxat excepta, mendicantes expellatis, ſeu expelli faciatis*, Guenois *lib. 5. titulo 8.*

D Nec eſt tacendum tamen quod quæ qualitas ad beneficium per canones aut ſtatuta exigitur, eam ineſſe beneficiario non ſit neceſſe dum voluntate Papæ aut Ordinarij, beneficio præficitur, ſufficit ſi illam intra annum aſſequatur, Nauar. teſte *Conſ. 8. ne præb. n.* hancque fori Gallici, Romanæque curiæ praxim eſſe adnotarunt de Romana quidem Cardinales controuerſiis Concilij diiudicandis præ-

E poſiti *ad cap. 11. & 18 ſeſſ. 24.* Concil. cuius auctor primus extitiſſe dicitur Clemens V. in *Clement. 2. de ætate & qualitate ordinandor.* quã à Trid. approbatam renouatamque conſtat *ſeſſ 22. cap. 4.* quum omnibus qui portiones, præbendas, aut officia in Eccleſiis habent, quibus varia ſunt annexa opera, pro auctoritate imperat, vt iuſto impedimento ceſſante infra annum ordines recipiant requiſitos, quam moderationem admittere Galliam Ruzæus *in priuilegio iuris regalis 49.* Probus *q. 27. dicti tract. num. 6. aſſerunt*, proindeque qualitates

qualitates Sacerdotio adiectas ad amuſſim, & in ſpecifica ſua forma in ea ſeruari oportere, quo nomine Diu. Bernard. in *epiſtol.* 271. Comitem Theobaldum ſacrarum ædium fundatorem in Campania eſt hortatus, ne alios Eccleſiis præfici, aut beneficia mandari ſineret, quam qui eſſent iis præditi qualitatibus, animique dotibus, quas ipſi primitus Eccleſiarum conditores indixiſſent.

Enimuero eſt donatio hypothetica, hypotheſi non exiſtente nulla: at fundatio beneficij ea lege, vt quiſquis eo fruetur illis ſit inſignitus muneribus, quæ in ea poſtulantur, donatio quædam eſt, eaque hypothetica, & quidam quaſi contractus inter Eccleſiam & fundatorem, ergo qualitatis in beneficiario per fundatorem requiſitæ abſentia, collationis eidem factæ, certa eſt irritatio, ita Aneas Sylu. *epiſt.* 370. *ad Decanum Vuormatienſem*, repulſam ſe ideo Canonicatus in Vangionibus paſſum ſcribit, quod Italus Germanica Vangionum Eccleſiæ conſtitutione, iis excluderetur Sacerdotiis, recentique memoria indicatum eſſe in Pariſienſi Curia, hoc eſt anno *1605*. Louetus ait, in arreſtis *litera B. verbo Beneficium art. 4* præbendam, quam Sacerdotalem eſſe ac Sacerdoti dari fundator voluit, ei tantum conferri poſſe quem Presbyterij charactere ac nota, verè cum ei adminiſtranda traditur afficit, abſque vlla poteſtatis conſideratione, ſacerdotij intra annum recipiendi.

Extra hunc caſum ſufficeret, inquit, Bleyan. *tract. vltimo litera B. ad margin. promiſſum de beneficio curato, eius eſſe ætatis vt intra annum promoueri poſſit*, cum *ei cui prouideri mandatur de præbenda, Sacerdotalis præbenda conferri non poſſit, ſi nondum in tali ætate exiſtat, quod poſſit ad Sacerdotium promoueri cap. eum 29. de præb. in 6.*

Vndecimò, ita ſunt Eccleſiæ ſancti Germani Altiſiodorenſis ad Lutetiam ſemipræbendæ quædam, ſtatuto Capituli quod Martini V. codicillis eſt confirmatum, affectæ habituatis in ea Eccleſia, vt eas, ſacellaque quæ inibi ſunt fundata adipiſci, beneficii nomine ac titulo nemo queat, niſi qui ab ineunte ætate, diuino eius templi miniſterio, mancipatus fuerit.

Duodecimò, non alii in Abbates Monaſteriorum, quæ caſæ Benedicti reformationem ſunt amplexa, eligi poſſunt ac debent, quam qui ſunt in eo ordine tria vota profeſſi ſolenniter, quod eorum ſanctum ac laudabile inſtitutum, ea lege approbandum ſibi credidere Chriſtianiſſimi Reges, vt intra ſex menſes, ab electione ſui in Præſules, de re tota certiores ſe facerent, ab eoque qui tùm Rex eſſet, approbari peterent.

Eſt & hoc ſeruari in regno ſolitum, vt nemo ſit Eccleſia Cathedrali dignitatis capax, qui non ſit canonicus Rebuff. in Concord. *ad rubricam forma mandati verſu contrarys.*

Decimo tertio, quod de ſemipræbendis templi S. Germani paulo ante eſt dictum, dici ſimiliter oportet, de quibuſdam Senonenſis Eccleſiæ, quas non niſi eiuſdem choro à teneris vnguiculis inſeruientibus, ſacri canonicorum ſodalitii lege, conuentiſque, conferri poſſe aiunt, qui de eius Eccleſiæ moribus ſcripſere.

Decimo quarto, ſtatuto ordinis meraque in ſodales ſuos indulgentia ac gratia, decretum video, ne quæ Rhodiorum Equitum beneficia ſunt propria, ſæculari Clerico, aut alterius ordinis profeſſo adminiſtrāda dentur. Id ſanxit Frater Claudius de la Sangle Ordinis Magiſter in hunc modum. *Omnia beneficia Eccleſiaſtica noſtri Ordinis quorum collatio aut præſentatio ad noſtrum ordinem pertinet, nullis conferantur, aut nulli ad ea præſententur, niſi ſint fratres ipſum ordinem profeſſi.*

Statutum idem in Antoniano ordine à Sixto IV, Pōtifice, an. *1477*. tuncq; eius conſtitutio anno ſequenti magna omnium fratrum voluntate in maioribus ordinis comitiis, promulgata ac recepta in hanc formam. *Beneficia Religionis quibus imminet cura animarum non conferantur niſi expreſſè profeſſis, & conſtitutis in legitima ætate qua poſſint intra annum promoueri, alia vero beneficia ſimplicia non dentur niſi expreſsè profeſſis.*

Decimo quintò, Cantores, Capellani, & qui Capellæ regiæ Clerici nuncupantur, ſunt à Carolo IX. anno *1572*. donati eo iure, vt regii muneris Sacerdotia vacantia quæuis, etiam Regaliorum iure impetranda, prærogatiua honoris non vulgari, præ cæteris obtinerent cum peterent, & quoniam metuendum erat, ne ſi Canonici omnes, aut certe pars eorum maior, cantoribus, aulæque miniſtris conſtaret, Eccleſiæ breui ſe Canonicis vacuas, religio autem Diuorū cultu deſtitutā ſe gemeret, quod maiore anni parte in aula eiuſdem miniſtros, vt cantores regios, eiuſque Capellanos verſari oporteat, ſapientiſſime decreuit Senatus ne Collegia Canonicorum, quæ 12. tantum Collegis conſtarent, plures duobus aulæ miniſtros ſibi aſcriberent, minor ſi foret numerus, vnum duntaxat, ſi autem illa *12*. aut *24*. numerum excederent, quatuor nō plures ex aula ad ſe trāſmiſſos, in canonicos ac fratres reciperent. Eſt ergo eiuſmodi affectio, qualitatis inſtar in beneficio, ratione cuius cum vacat, aulico illud poſtulanti, negari non debet, ſicut nec præceptoriæ Antonianæ, ac Melitenſes, ei qui per vota eſt ſua aſcriptus ordini, quod eiuſmodi hominum generi ſint per Pontificem ac generalē magiſtrum affectæ, nec proinde, qualitatem hanc non habenti, conferendæ, ſic enim ſanxit Xiſtus eius nominis quartus ann *1477*.

Beneficia, inquit, *Religionis quibus imminet cura animarum, non conferantur niſi expreſſe profeſſis, & conſtitutis in legitima ætate quo poſſint intra annum promoueri, alia vero beneficia minora, niſi expreſſe profeſſis non dentur, & quod nullus plura obtinere poſſit in Religione ſine diſpenſatione.* Hæc ille, quæ quod erat in quæſtione, clariſſimè indicant, Ordinis Antoniani regularia Sacerdotia, peculiari eius lege, ſolis Antonianæ familiæ Cœnobitis tribui, proindeque cum vacant non extraneo, ſed eorum alicui à Magiſtro ordinis præbenda eſſe.

QVÆSTIO XIII.

Praxis fori Gallici circa ætatem, & ſcientiam quæ ad Sacerdotia poſſidenda requiritur in Gallia.

IVre communi ad Epiſcopatum aſpirare nemo poteſt qui annis 30. ſit minor, *cap. cum in cunctis 7. de elect.* quod à Trident. Patrum memoria renouatum conſtat. Statutum idem in Concil. Agathenſi, vt refertur, *diſtin. 77. can. Epiſcopus 6.* Cum in Gallia Leonis X. benignitate ſit ſatis attigiſſe ann. 27. fides ſit à Concord. *rubr. de regia ad prælatur. nominat. parag. 1.* vbi eſt his verbis: *Occurrente vacatione Rex Franciæ pro tempore exiſtens, vnum grauem magiſtrum ſeu licentiatum in Theologia, aut in vtroque ſeu altero iurium Doctorem aut licentiatum in Vniuerſitate famoſa, & in 27. ætatis ſuæ ad minus conſtitutum, & alias idoneum intra ſex menſes nominare teneatur.* An autem eum expletum eſſe oporteat, Doctores diſputant, pro affirmante eſt, quod in Concord dicatur, quod *ad minus in eo conſtitutus eſſe debeat*, ex quo opinionis huius auctores inferunt illum exactum eſſe debere.

Iis aſſentior qui aiunt ſufficere ſi ſit inchoatus, Du Clos in *Annotatio. ad lib. 7. q. 20. num. 16.* Dayma & Rebuff. in Concord. *verbo conſtitutum de regia ad prælat. nominat.* quia qui cum eſt ingreſſus, verè in eo eſt conſtitutus, quemadmodum qui illum exegit, dici non poteſt in illo adhuc verſari, ſed in 28.

Ad id quod afferebatur, ex Concordator. textu petitum, *ad minus* reſpondendum eſt, iis verbis ſignificari, in Epiſcopum à Rege nominari non poſſe, qui 26. ætatis annum necdum eſt egreſſus.

Dicendum 2. ea verba *ad minus* de eo quoque quam veriſſime capi poſſe, qui annum ætatis ſuæ 27. necdum compleuit, quæ eſt Rebuffi opinio ad eum locum.

Monaſteriis autem & prioratibus conuentualibus, & verè electiuis, Abbates ac priores præfici eiuſdem Leonis humanitate ac indulgentia poſſunt, non maiores annis tribus ac viginti. *Occurrente Monaſterij vacatione*, inquit ibid. Leo, *religioſum eiuſdem ordinis in ætate 23. annorum ad minus conſtitutum infra ſimile tempus 6. menſium à die vacationis Monaſteriorum & Prioratuum huiuſmodi, computandorum, nobis & ſucceſſoribus noſtris per regem, &c.*

De beneficiis ſine cura, ac quæ nos communi vocabulo ſimplicia appellamus quid cenſendum? Poſſideri ritè ac legitimè iure antiquo ac nouo, ante annum quartum & decimum, non poſſe, Trident. *ſeſſ. 23. cap. 6.* quod in Gallia non ſeruari gemimus, quod perquàm ſit indecorum, eos Eccleſias *regere, qui non nouerunt gubernare ſeipſos, cũ ad Eccleſiarum regimen tales ſint admittendæ perſonæ, quæ diſcretione præmineant, & morum fulgeant honeſtate*, quod in pueros non cadit, quales tamen admoueri beneficiis, quæ Epiſcopo mortuo vacant, praxis ipſa nos tegni docet

Et quidem olim cum eſſet aperta Regalia, beneficia ſimplicia pueris ſeptennibus conferri à Rege ſolita tradunt Ruzæus de *iure regaliæ cap. 1.* & in *priuileg. 24. de iure regal.* P. Gregor. *de benefic. cap. 35. num. 5.* Fabric. *de benefic. duplicib. & tract. de benefic. Cathedr. Eccleſ. num. 19.* Florenſ. *in rubric. de elect.* Graſſal. *lib. 2. regalior. cap. 1. ſpeciali 5.* de Roffignac. *de re Sacerdotali lib. 3. titulo 2.* huncque tribunalium Franciæ morem eſſe, de huiuſmodi beneficijs factam à Rege donationem ſeptennibus pueris habere ratam, Loüetus ait in *arreſt. verbo ætas 1.* Forgetus in *tract. regaliæ numero 18. & 19.*

Et quia inter beneficia, quæ ſunt ſimplicia, & à Rege tempore Regaliæ ſeptennibus pueris olim collata fuiſſe, rerum Gallicarum ſcriptores aiunt, Canonicatus ac præbendas contineri nemo ambigit, & has quoque impuberibus pueris à Rege dari poſſe iure Regaliæ, auctores aſſerunt & inter eos Rebuff. de *pacif. n. 179.* maximè ſi ſunt in Collegiali, ac ſimplici Eccleſia, non item in Cathedrali, *Nam etſi*, (verba ſunt Fabricii in *tract. de benefic. Cathedral. Eccl. Coll. & ſimpl. num. 18*) *fiat mentio de Canonico Cathedralis Eccleſiæ in pupillari ætate conſtituto, communis tamen vſus & Cancellariæ Romanæ reg. 17 addo & Concilium ſeſſ. 23. cap. 6. effecere vt ante 14. annum nemo in Eccleſia Cathedrali canonicus eſſe poſſit, cum in alijs Eccleſiis ſufficiat decennium, ſi Collegiata ſit, & ſeptennium ſi ſit ſimplex & non curata, excesſiſſe*, ex Gloſſ. *Prag. Sanct. in parag. cenſuit in verb. Cathedralibus.* Hæc ille, cui aſtipulantur Ruzæus in *priuil. 34* Graſſal. *lib. 2. cap. 1 ſpeciali 5.* Rebuff. *de pacif. num. 178.* his verbis: *fallit ſi à Rege conferatur iure regaliæ habenti 7. annos*, quamuis ſit de earum præbendarum numero vna quæpiam, quæ ſunt in Cathedrali Eccleſia

ſia, eius ſane in Gallia capaces videri duodennes pueros cum vacat in regalia auctor eſt Faber loco ante cit. *nu. 41. lit. O. ad marg.* iuxta quam opinionem ait vetus regni praxim, Senatores magni Concil. (vt loquuntur) anno 1599. præbendam in metropoli Nortmanniæ, hoc eſt Rothomagenſi Eccleſia, puero impuberi, hoc eſt duodenni addixiſſe refert Forgetus in *tract. de regal. num. 28 &* 29. Quem ego morem vt canonicis oppoſitum legibus probare non audeo, ita nec reprehendere vt communem regni, ac receptum vſu immemorabili externi fori.

Neque tamen tantundem in prioratu regulari ſimplici tempore Regaliæ Regi licet, quantum in Canonicatibus, cum enim ille non detur niſi expreſſe profeſſo *cap. [illegible] de elect. in 6.* Clement. *ne in agro parag. ſane de ſtatu Monach.* nec vota profiteri iure nouo quis poſſit niſi poſt annum Nouitiatus, & 16. ætatis, Trident. ſeſſ. *25. c. 15.* non credo in iure eſſe regio, quempiam ad ſimile beneficium prouehere, quemadmodum nec ad aliud quodpiam ſimplex & ſeculare tempore regaliæ, anno decimo, multo minus ſeptimo, ſine ſpeciali Papæ priuilegio, ſaltem virtuali ac tacito, mea eſt, eaque vt puto veriſſima opinio, certe ante annos 14. canonicatum à Rege in Eccleſia Cathedrali vlli dari poſſe negat Rebuff. de *pacificis num. 178. & ſi ante hoc tempus aliqui adepti fuerint cum ſint incapaces non iuuantur decreto de pacificis, ideo poſſunt moleſtari poſt triennium*, Gloſſa *in regul. Cancell.* 17. Rebuff. *loco citato.*

Ad ſcientiam quod attinet, eſt hoc in primis certum, Parochias Galliæ quæ in ciuitatibus aut in villis muratis ſunt ſitæ, dari non poſſe niſi Magiſtris in Theologia, aut qui ei triennio ſaltem operam dederint, vel iuri canonico, aut ciuili, aut ſint Doctores in artibus Concord *rubric. de collationib. § ſtatuimus*, quare facta earum collatio alteri, quam *qualificato*, hoc eſt ea literatura prædito, qua inter cæteros præſtare Doctores ſolent, cenſebitur nulla, ſi ſe forte poſtea quiſpiam iis conditionibus inſtructus offerat, qui Parochiam eius generis quo de agimus, quaſi ſibi iure Concordatorum debitam, conferri poſtulet, quia quæ contra legem fiunt pro infectis haberi debent *lege non dubium Cod. de legib.* noſque prolixe in *tract. de contract.* ſpeciatim autem Clem. VII. anno 11. *ſui Pontificatus 8. Idus Auguſti* cum de eiuſmodi Parochiis, factas Clericis non qualificatis donationes, ſiue per viam reſignationis ſimplicis, ſiue permutationis, vel alias quouis modo, nullas & inanes fore ſtatuit, quod eius decretum confirmaſſe Paulum III. ac ita ſentire eos oportere amodo, qui iudiciis exercendis præeſſent, refert ibi Rebuff. *verſu imo Papa*, eſtque in Concordatis expreſſe. Ad Epiſcopũ quod attinet,

A alius eſſe hic nõ debet, quam qui de doctrina publicũ in vniuerſitate teſtimoniũ, magiſterij gradũ lauream que conſequẽdo retulit Cõcord. *rubrica de regia ad prælaturas nominat.* Dari ſimiliter præbenda non poteſt, quam Theologalem nominant, niſi magiſtro in Theologia, Licentiato, aut Baccalaureo formato qui per decennium in vniuerſitate regni approbata ſtuduerit, Concord. *tit. de collat. parag. 1. ſtatuimus*, inquit Leo ibi, *inſuper quod ordinarius collator in vna quaque Cathedrali ac Metropolitana Eccleſia canonicatum & præbendam Theologalem inibi conſiſtentem conferre tenea-* B *tur vni magiſtro, aut Licentiato, aut Baccalaureo formato, qui per decennium in vniuerſitate ſtudij generalis priuilegiata ſtuduerit.*

TRACTATVS PRÆCEDENTIS Epitome, ex Canonibus Concilijs, ac Patrum Decretis.

C

INdignis dari beneficia nequeunt ſine crimine, *cap. graue nimis 29. de præbendis cap. inter dilectos 11 de exceſſib. prælator.* Non Laicis *cap. quamuis de decimis.*

Non regularia ſæcularibus Clericis *cap. vltimo parag. præcipimus de ſtatu Monachorum cap inter quatuor 5. de religioſis domibus, cap. poſſeſſionis 10. de rebus Eccleſ. non alienandis.*

Nec pueris *cap. ſuper 31. de præb. cap. inde eo-* D *rum 3. de ætat. & qual. ordinan.* Non iis quibus beneficium aliquod iam eſt collatum, *cap. eam te 4. de ætate & qual. cap. quia nonnulli 3 de Cleric. non reſident. cap. quia in tantum 5. cap. adhæc 13. cap. cum non 15. cap. cum iamdudum 18. cap. de multa 28. de præbend. in 6* id tamen eſſe vt poſſit licite ac valide, diſpenſatio ſummi Pontificis efficit, *cap. multa 28. de præb. cap. final. ex. Ordinarij 3. parag. cæterum de officio ordinarij in 6.*

Ratio eſt, quod vnum aliquem duabus præfici Eccleſiis, iuris ſit humani, non diuini, aut naturalis primarij: ergo cum quæ ſunt voluntate hominum, in publicum inuecta vſum, pro E auctoritate abrogare Papa poſſit, eidem quoque, vt è Clericorum numero vnus aliquis bina poſſidere ſimul ſacerdotia valeat, concedere fas erit. Quod Gregor. eius nominis primum, feciſſe cum hiſtoriæ, tum eius ad diuerſos datæ literæ ſignificant, maxime 13. *lib. 2. ep.* in qua vt patet Agnellũ Eccleſiæ Tarracinenſis Sacerdotẽ conſtituit, ſic tamẽ vt Fundenſis Eccleſiæ Pontifex eſſe non deſineret, nec curã gubernationẽq; eius prætermitteret, quia *ita*, inquit ibi Gregor *fraternitatem tuam Terracinenſi Eccleſia præeſſe præcipimus, vt an-*

te dictæ Tundenſis Eccleſiæ tibi iura, poteſtatemue nullo modo ſubtrahamus.

Non eſſet tamen eiuſmodi diſpenſationi vis vlla, ſi dignitates, perſonatus, aut plura beneficia curam animarum habentia qui poſſident, intra tempus competens, ſuperioris arbitrio ſtatuendum, diſpenſationes ſuas non oſtenderent. Tunc enim (inquit) Innoc. IV. in *ca. Ordinarij 3. de offic. ordinar. in 6. eiuſmodi perſonatus dignitates, & beneficia, quæ ſine diſpenſatione aliqua eo ipſo illicicitè detineri conſtabit, per eos ad quos eorum collatio pertinet, liberè perſonis idoneis conferri poterunt.*

Secundo, diſpenſatio, ſi erit generalis, vel de alio defectu, ad pluralitatem beneficiorum non extenditur, decreto Bonifac. VIII. in *cap. 1. is qui de filijs presbyt. parag. vltimo*, vbi eſt his verbis: *Ille cum quo per ſedem diſpenſatur eandem vt (præmiſſo non obſtante defectu) valeat ad beneficium etſi curam animarum habeat promoueri: nequit prætextu diſpenſationis huiuſmodi quam exorbitantem à iure, oportet veluti odioſam reſtringi, niſi vnicum beneficium obtinere.*

Tertio, non valet diſpenſatio à ſede Apoſtol. obtenta, vt duo quiſpiam, aut plura beneficia curam animarum habentia recipere licite poſſit, ac retinere, tacito defectu natalium quem patitur, etſi per eandem ſedem antea cum eo diſpenſatum foret, *cum non ſit veriſimile ſedem ipſam cum illo prædictum patiente defectum voluiſſe, ſi hoc fuiſſet expreſſum eidem, in pluralitate beneficiorum huiuſmodi diſpenſare: quare talis diſpenſatio, veluti per ſubreptionem obtenta, nullius penitus eſt momenti*, Bonif. VIII. *de filijs Preſbyter cap. 2.*

Quarto, non valet prædicta diſpenſatio, quando impetrans, beneficium aliquod in impetrando ſubticuit *cap. non poteſt 21. de præb. in 6.* aut diſpenſatione ſuper duobus habita, tertium adhuc obtinuit *cap. non poteſt cit. §. illud autem.*

Quinto, Cum eſt à Pontifice conceſſum alicui, ut cum beneficio quod poſſidet obtinere poſſit & aliud, *huiuſmodi pluralitas debet ſolum ad duo beneficia ſine cura reſtringi: quare prouiſio facta contra præmiſſa, eo ipſo viribus non ſubſiſtit cap. is cui 19. de præb. in 6.*

Sexto, ceſſat Papæ diſpenſatio ſuper beneficiorum numero, cum eam valere tantum voluit vſque ad beneplacitum ſuum, quia *tunc talis gratia, per eius obitum (per quem ipſius beneplacitum omnino extinguitur) eo ipſo expirat, ſecus autem ſi vſque ad Apoſtolicæ ſedis beneplacitum, gratia concedatur prædicta, tunc enim, quia ſedes ipſa non moritur, durabit perpetuo, niſi à ſucceſſore fuerit reuocata*, Bonifac. VIII *in ca. ſi gratioſe 5. de reſcript.* Beneficia ego ſolis capacibus ac idoneis dari debent, *cap. graue nimis 29. de præb. cap. cauſam quæ 8. extra de electione cap. relatum 3. de conceſſ. præbend.* Eiuſmodi ſunt, qui ſcientia, morum grauitate, & virtutum excellunt amplitudine, his enim beneficiarium ornatum eſſe oportere animi dotibus habetur in *cap. cum te 4. de ætate & qualit. cap. cum in cunctis 7. cap. cum nobis olim extra de elect.*

Adhæc vt ex legitimo nati ſint matrimonio, quotquot Eccleſiaſtica beneficia ambiũt, caput *7. de elect. & cap. niſi cum pridẽ de* [illegible]. exigit, quare ſpurios, Adulterinos, inceſtuoſos & ſimiles reprobant canonica iura *diſt. 56. can. Cœnomanenſem 13. & 14. ſequenti cap. penult. & cap. extremo de filijs Presbyter.* ad ea tamen admitti per diſpenſationem Pontificiam aut Epiſcopi, modo ne ſint hæc curata, aut duplicia, habetur *diſt. 56. can. quia ſimpliciter 14. ca. per venerabilẽ 13. qui ſi ij ſint legitimi Curata dixi*: nã qui legitimè non sũt nati, à perſonatibus, dignitatibus, ac beneficiis curam animarum habentibus, remoueri Greg. IX. imperat, *cap. nimis 18. de filijs Presbyteror.* niſi ea cum diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ habeant, maximè vero in eam recipi Eccleſiam in qua Pater canonicus fuit, aut quam rexit, vetat Innoc. eius nominis III. *in cap. ad abolendam 16. & cap. cum decorem 15. eiuſd. tit. & ſi fuerit contra præſumptum, decernit non valere, qui vero tales canonicare præſumpſerint, à ſuis beneficijs ſuſpenduntur cap. ad abolendam citato.*

Ex dictis infertur primo, Non conſtituto in Clericorum ordine per tonſuram, beneficium dari non poſſe, quia ea quiſquis eſt deſtitutus, beneficij necdum eſt capax, *cap. ex literis 6. extra de tranſactionib.*.

Infertur 2. Irregulari beneficium cum cura, aut quod ſacris tantum initiato ordinibus dari poſtulat, & ab eodem adminiſtrari, dari non poſſe ſaltem licite, quia cum ſacra Clericorũ obire miniſteria ſine culpa nequeat, ad hæc illum vocare, aut eadem exercendi materiam, anſamq; eidem dare, quid eſt aliud, quã ei lapſus peccatiq; cauſam dare? hoc vero vlli diuina licere lege quis putet? Quare cum peccare, nulli vnquã ſit in laude, nec proinde tolerabile, peccet autem irregularis, qui beneficiũ cum cura, aut quod ſacrorum executionem Ordinum poſtulat, à collatore recipit, ad illud dici nequit idoneus. Quæ eſt Nauar. opinio *in ſumma cap. 25. num. 133. & 27. num. 25.* Comitol. *lib. reſponſ. 6. q. 64.* Henriq. *lib. 14. cap. 2.* nam eum aiunt ſi Sacerdotium accipit Eccleſiaſticum, mortiferi peccati reum eſſe, nec vllum habere beneficii titulum, ideoque in conſcientia & ante omnem ſententiam ei relinquendum eſſe, eo quod beneficium officii cauſa dari oporteat, vt eſt in *cap. vlt. de reſcrip. in 6.* ergo qui huius eſt incapax, ad illud cēteri nequit idoneus. At ſunt irregulari propria Sacerdotum munera prohibita: ergo & beneficia; quæ talia munera obiri per eos à quibus poſſidentur, exigunt.

Eſt

Eſt hæc ſententia probabilis, quia ferè omnium communis, ac recepta, deinde quia eſt naturæ irregularitatis valde conſentanea ac conformis quippe quæ vt ſcribit Layman. *lib. 1. tract. 5. par. 5. cap. 1. num. 3.* hominem ad iura Clericalia de nouo acquirenda reddat inhabilem, quam mihi tamen cum Butrio explananti decretalem Innoc. III. *cum noſtris de conceſſ. præb.* Suar. *diſp. 40. ſect. 2. nu. 18. & 19.* non probari, oſtendi cum de irreg. ſermo foret. Primo, quia quædam ſunt beneficia quæ non requirunt officium cui irregularis ſatisfacere nequeat, vt ſimplicia quæ præter penſum canonicarum precum à beneficiario nihil petunt. Deinde quia nunquam beneficii collatio cenſeri debet irrita ipſo facto, ſine iure expreſſo, quo Pontifex decernat irritum ac inane eſſe quicquid contra fiet vt eſt in *cap. ſi ſoli 6. de conceſſ. præb. in 6.* quale cũ nullũ in iure canonico extet, nõ eſt beneficii facta irregulari collatio irrita, ſed irritanda, quod proinde reſignare ſponte non teneatur, ſi diſpenſatio breui ſit impetranda, ſitque beneficium tale, quod officium non poſtulet, cui beneficiatus ſatisfacere per ſe non debeat, qua de re Laym. ſupra, & Coninch. *diſp. 18. dub. 1. num. 5.*

Infertur 3. Furi & vſurario, beneficia conferenda non eſſe, *cap. cum inter dilectos de exceptib. prælatorum*, quia cum ſint infames, moribus autem vitaque prælucere beneficiati ſæcularibus debeant, non ſunt fures & vſurarii præponendi Eccleſiæ, eiuſque bonis ac beneficiis.

Infertur 4. Ab his hæreticos, eorumque fautores, receptatores, & credentes remouendos eſſe, vtpote qui ſunt propter alienum à fide ingenium indigni, qui ad Eccleſiæ gubernacula cum Catholicis ſedeant, a quibus religione, ſenſuque diſcrepant, ſane ne id fiat prohibetur in *cap. quicunque 2. §. hæretici de hæretic. in 6.*

Pari cum illis plectuntur pœna eorum liberi, vſque ad ſecundam generationem, *cap. citato, & cap. ſtatutum 15. & cap. vnico parag. contra natos de chiſmatic. in 6.*

Inferendum 5. Illiteratis beneficia neganda eſſe, quia ſine ſcientia, quæ miniſterio implendo ſit ſatis, quod per ea, beneficiatis committitur, eorum eſſe capax nullus poteſt *cap. niſi cum pridem parag. ne pro defectu de renunc. cap. cum nobis de elect. cap. venerabilis de præb.* quare iis ſunt illiterati priuandi *diſt. 36. can. illiteratos cap. quamuis de ætate & qualitate ordinandor.* Sunt enim puerorum inſtar quibus ad beneficia Eccleſiaſtica aditum non patere conſtat ex *cap. 2. de ætate & qualitate*, niſi diſpenſatione ib d. *cap. ex eo 32. de elect. in 6.* quia ea per ætatem regere nequeunt.

Similiter is cui præbenda eſt collata, cui certus eſt ordo annexus, id operam dare debet vt intra annum eum ſibi dari procuret,

A eiuſque ſuſcipiendi ſit capax. Et quidem quod cum ad beneficium præſentatur, aut eo donatur ab Epiſcopo, aut Collatore ordinario, non ſit neceſſe, eum prædicto ordine inſignitum eſſe, habes expreſſe *in cap. vlt. de inſtitut. in 6. & cap. ſi pro Clerico 8. de præb. in 6.* vbi impetrantibus de beneficio curato prouideri poſſe, Bonifacius aſſerit, *etſi nec in ſacris ſint conſtituti ordinibus; nec de defectu ordinum, in eiſdem literis mentio habeatur, nõ tamẽ prætextu dicti defectus factam prouiſionẽ poſſe impugnari. Oportebit tamen, vt ipſi ad ordines quos requirunt collata eis beneficia, ſe faciant proximis ſtatutis à iure temporibus promoueri*, quo de numero eſſe Sacerdotium pro iis, qui ad Parochialis Eccleſiæ regimen aſſumuntur, dixit Gregor. X. in *cap. licet canon 14. de electione in 6.* ad quod intra annum à die commiſſi ſibi regiminis numerandum, ni ſe promoueri faciant, *Eccleſia ſibi commiſſa (nulla etiam præmiſſa monitione) ſunt prædictæ conſtitutionis authoritate priuati.*

Dixit eandem ſententiam Clem. V. in *Clement. vt ij 2. de ætate & qualitate præficiendor.* cum pro auctoritate Canonicis quorum præbẽdis certus eſt annexus, ordo, imperat vt iuſto impedimento ceſſante *ad eũ ſe promoueri faciant intra annum ex tunc donec ad eos promoti fuerint, nullo modo vocem in capitulo habituri*, Scripſit idem in Clement. *vnica de offic. Vicarij, & Clement. 1. parag. cæterum, verſu qui autem de ſtatu Monachorum.*

Aduerte tamẽ quod etſi ſit hæc qualitas eiuſmodi, vt ſine ea valide acquiri beneficium poſſit, modo ne vltra annum differatur, exprimi tamen eam eſt neceſſe in literis quibus impetratur, cum aliis omnibus quorum fit in forma ſignaturæ mentio.

Ratio eſt, prima, quod ſtylus Curiæ ſit pro lege, ſecunda, quod ea exponi Pontifici debeant, quibus vt flecti ad petita concedenda poteſt: ita & ab eorum retardari indulgentia cum non placent.

Et primo quidem noſſe oportet Pontificem, quod, impetrans ſit Clericus, Rebuff. 1. *par. praxis rubrica de forma ſignat. & in Concord. rubr. de forma mandati ad verbum pro expreſſis.*

Ratio eſt, quod tonſura viam ſic ad beneficia muniat vt ea qui caret, eorum ſit incapax *cap. ex literis 6. de tranſact.*

Secundo, quod in hac aũt illa Diœceſi ſit natus, quia vt eſt in *can. neminem 2. diſt. 70.* cum ordinandi non ſint alii, quam qui peculiari Diœceſi ſunt addicti, admodum eſt veriſimile, velle Pontificem intelligere, ad quam is pertineat pro quo beneficium rogatur.

Tertio, Sancti nomen in cuius eſt honorem fundata Eccleſia debet exprimi, quod ſi patronos plures habeat, vt Petr. Paulum nec hi Pontifici erunt tacendi Rebuff. ſupra.

Quarto, monendus eſt Superior de vaca- A
tione beneficii, eiuſque modo, vt per obitum, vacare aliter ſi dicatur, collatio erit nulla Bonifac. *in cap. ſuſceptum 6. de reſcriptis in 6. cum non per reſignationem v.c. vacauerit, ſed per mortem.*

Quinto de beneficii valore, eiuſque annuis prouentibus, inſtruẽdus eſt Pontifex, *Clemẽt. 1. de præbend. & in regula Cancell. 6.* idque vt annata ſoluatur cum erit debita, quod cum non accidat, niſi cum hic ducatis æſtimatur
30. non paucioribus, Gallis eum exprimere B
non eſt in more, quod minora beneficia cuiuſmodi ſunt omnia, quæ de conſiſtorialium non ſunt numero ac natura, pluris valere quam ducatis 24 de camera non dicantur in Gallia, idque ſecundum communem æſtimationem, quia hæc attendi ſolet, *lege pretia dig. ad legem Falcid.* Rebuff. *ad parag. fin. de mandat. Apoſtol. in Concordat.*

Et quoniam ſæpe fit, vt per locorum diſtãtiam certum ſciri nequeat, quo modo beneficium vacare contigerit, vtrum per beneficiarij obitum, an ceſſionem, adduntur in C
literis quas ad Pontific. impetrantes mittunt, hæ voces. *Siue præmiſſo, ſiue quouis alio modo vacet,* quibus omnem vacandi modum, tam qui eſt directus, quam indirectus, principalis aut acceſſorius, ſignificari DD. aiunt, ac ſupplicationi eſſe addendas, ne inanis ſit hæc ac irrita, defectu veritatis, in expreſſione modi quo in prædicta ſupplicatione vacare dicitur.

Ad eundem effectum vtantur aliqui eo modo dicendi qui beneficium *certo modo vacare*, ſignificet, cuius vacationis modus habeatur pro expreſſo, quanquam ſi Rebuffo D
eſt fides, non admittitur in Canonicatibus & præbẽdis, quia cũ hæ multæ in eadem ſint Eccleſia, moduſque vacandi multiplex, in impetratione vnius cuiuſpiam de illis vti eo poſſet impetrans, ad obtinendam aliam quam cuius cauſa ſupplex Pontifici eſt factus quod non expedit.

Sexto, exprimere debet beneficia quæ poſſidet, & an reſidentiam poſtulent, de cæteris conſulendus eſt Rebuff. in annot. *ad Concord. ſuper titulo de forma mandati ad verba pro expreſſis*, cum Gloſſa *in cap. ſi proponente 42. de reſcript.*

DISPVTATIO SEPTIMA.

DE MODIS, QVIBVS BENEFICIA VACANT.

QVÆSTIO PRIMA.

Quot modis beneficium vacet & quid ſit illud vacare, iure quid facto?

BENEFICIVM vacare dicitur, quod poſſidetur, à nomine Gregorius Tholoſ. *cap. 24. de Beneficijs*, Gloſſa *ad primam extrauagantem de communibus titulo ne ſede vacante.* Tripliciter id verò accidit, verè, fictè & non verè. Fictè vacat, cum quis beneficio, ſuo non abſolute, ſed ad certum tantum effectum renunciat, vt ob cauſam permutationis, quia tunc verè poſſeſſore non vacat, cum alteri dari quam compermutanti nequeat: *cap. vnico de rerum permutatione in 6.* Rota *deciſ. 399. in antiq.* modo de Patroni conſenſu, ſi ſit patronatum Panormitanus in *caput ſignificatum de præbendis.*

Fictè item vacat, cum inconſultò ſuperiore hoc eſt Papa vel Epiſcopo, propria authoritate relinquitur: Nã quia poteſt adigi, vt ad illud quaſi poſt liminio redeat, qui eo motu proprio inductus abiit, quomodo qui propriam Eccleſiam deſerit ad eandem remitti iubetur *7. q. 1. canone, ſi quis Presbyter 24.* non verè, ſed fictè tantum ei renunciaſſe creditur, nec proinde vacare verè, Reginaldus *tomo 1. tract. 3. cap. 22. num. 34.*

Verè vacat, quando à nemine occupatur. Non verè è contra, quando poſſidetur, ſed tamen datur vt vacans iure; facto, aut iure & facto ſimul.

E Beneficium iure vacat, quando poſſeſſori antiquo Ius nullum eſt in illud reliquum, ex quo fit vt alteri ab ordinario conferri poſſit, *cap. licet Epiſcopus 28. de præbendis in 6. & cap. cum noſtris 6. de præbend. conceſſione:* ipſo enim iure aliquid dicitur fieri, quod fit ſine hominis miniſterio ac ſententia, ſed authoritate ſola legis, gloſſa *in legem iubemus, §. œconomus.* Iure ergo beneficium vacat, quando titulus, ſeu proprietas eius, vacat quidem, ſed non poſſeſſio. Vacat è contra ipſo facto quod eſt

eſt collatum alicui, ſed ab eo non poſſidetur, vt ſunt ea, quorum ius & proprietas certi ac deſignati eſt hominis, qui eorum tamen poſſeſſionem needum eſt ingreſſus, aut ſi eā iniit tāto tamen abeſt tempore vt neſciatur vbi ſit, nec eſt qui eius vices in obeundis beneficij functionibus propriis expleat, Iure & facto vacat, cuius titulus & poſſeſſio eſt nullius.

Diuidunt alij beneficia quæ vacant, in ea quæ vacant in Curia, & extra, vacant in curia, ſeu apud ſedem dupliciter, propriè & impropriè. Propria vacatio ea dicitur quæ eſt in corpore iuris clauſa, qualis eſt Eccleſiarum, dignitatum, perſonatuum, & beneficiorum quæ apud ſedem vacant, quorum & collatio Papæ eſt reſeruata in *decretali licet Eccleſiarum 2. de præbendis in 6.* Curialium item, vel legatorum Romam euntium, aut inde redeuntium, ſi in Curiæ loco moriantur, aut aliquo alio, ab ea non niſi duabus diætis diſſito *cap. præſentis 34. de præb. in 6.*

Vacant item hoc vacationis genere beneficia Cardinalium, & Officialium Pontificis, ſi eos Romæ, aut in vicinis circa locis mori contigerit.

Impropria vacatio, eſt eorum beneficiorum quæ ſibi Papa per literas ad ordinarios Collatores datas, conferanda reſeruat cum vacauerint, de quibus nos antea.

Extra curiam vacant primo, per mortem *cap ſuſceptum de reſcriptis in 6.*

Secundo, quæ vacant per reſignationem ſimplicem aut ex cauſa permutationis *cap 1. de rerum permutatione*, per delictum, aut quaſi delictum, cuius occaſione quis beneficio ſuo excidit, *cap. grauem de exceſſibus prælat.* per adeptionem noui quod ſit incompatibile cum primo.

Sunt ea beneficia Papæ reſeruata in corpore iuris, de quibus textus habetur in decreto aut decretalibus, vt eſt reſeruatio beneficiorum quæ vacare dicuntur in Curia hoc nomine, quod vacent per obitum curialium, de qua reſeruatione eſt decretalis Clement. III. *licet Eccleſiarum 2. de præbend. in 6.* vbi Eccleſiæ dignitates, perſonatus & beneficia quæ apud ſedem vacāt, prohibentur vlli à quoquam conferri, præterquam à Papa. Sunt autem Curiales, ſummi Pontificis officiales, nempe auditores Rotæ, Capellani ſummi Pontificis, iique omnes qui Romanam curiam ſequuntur, & moriuntur in loco vbi eſt curia, vel extra, intra duas diætas.

Tres tamen ſunt caſus, in quibus collatio beneficij ſic vacantis ordinario relinquitur, quando eſt cum animarum cura.

Primus eſt, quum Papa illud intra menſem non contulit, *cap. ſtatutum 3. de præbend. in 6.*

Secundus eſt cum Romæ vacauit, vacante ſede *cap. ſi Apoſtolica 25. eod. tit.*

Tertius eſt, cum Papa moritur antequam illud contulerit. Idem (inquit ibi Bonifac.) *volumus & de illis, quæ ibidem, ipſo Romano Pontif. viuente vacabunt, ſi de ipſis per eum, ante ipſius obitum non fuerit ordinatum.*

QVÆSTIO II.

Quænam Beneficia ipſo iure vacent?

PRima Aſſertio, *Vacat ipſo iure beneficium, per defectum qualitatis in beneficiario, quam in eo fundator eſſe voluit, vt valida eſſet beneficij à ſe inſtituti collatio.*

Probatur, cum quid fundator in conferente aut collatario exigit, rata vt ſit ac valida beneficij à ſe fundati collatio, eſt id ab vtroque ſeruandum accurate & ad vnguem, ſi operam ſuam ille in conferendo, hic in recipiendo beneficio perditam nolunt, vt aperte colligitur ex *cap. ſignificatum de præbendis*, & *Clementina quia contingit de Religioſis domibus*, refertque Choppinus *lib. 3. de ſacra politia titulo 5. num.* 16. cuius rei eſt hæc cauſa, quod hypotheſi, aut conditione non poſita quæ eſt contractui adiecta vt valeret, non ſit hic ratus ſi deſit. At inter fundatorem beneficij, & illud acceptantem, tacitus quidam contractus interuenit, vi cuius non tenetur ordinarius, beneficium dare poſtulanti, niſi qualitatem requiſitam habeat, nec hic ſi ea careat, illud retinere valeat: ergo, &c.

Confirmatur, habet contractus omnis à conuentione expreſſa, aut virtuali contrahentium vim ſuam: at eſt fundatio beneficij quaſi contractus, cum ſit rei ſuæ conceſſio alteri, cum onere tamen, habetque conditionem ex parte fundatoris expreſſam, de qualitate ad eius poſſeſſionem afferenda quam poſtulat, implicitam autem, ex parte beneficiarii illud recipientis, cum in perſona ſua fundationem non violandam tacite ſpondeat: ita qui Capellam habet, cuius Capellanum Sacerdotem fieri intra annum fundator voluit, teneri eum intra tale tempus ordine ſacro inſigniri ſi beneficium retinere appetit, ſcripſit Rebuffus *titulo de non promotis intra annum num. 7.*

Secus eſt dicendum, cum conditio collationis futuræ inualidæ, à fundatore non eſt priuationi qualitatis appoſita, quam ad beneficium per ſe fundatum poſtulat, quia tantum fundatio beneficii valet, quantum ſonat. Ergo niſi expreſſerit ille, quod aliter facta collatio ſit irrita, pro tali non eſt habenda, vt diximus antea.

In foro tamen externo, cuius ſolius eſt cenſere aliquid ſubreptitium eſſe, aut non eſſe, ſecundum Nauarrum *cap. 23. Enchiridij num.* 10. habebitur fraudulenta, cum ſit iniuſta, & contra fundatoris mentem ſaltem virtualem

& implicitam.

Secunda Aſſertio, *Ipſo iure beneficium Clerici minoribus ordinibus initiati vacat, quem matrimonium per verba de præſenti contraxiſſe eſt certum.* Ita Doctores, Nauar. *Enchir. cap.* 25. *num.* 120. Couar. 2. *cap.* 6. *parag.* 3. *num.* Reginald. *to.* 2. *lib.* 30. *tract.* 3. *cap.* 22. *num.* 112. Autrerius *deciſione* 229. ſtat ab illis Alexandri III. auctoritas ac ratio. Dixit enim ille in *cap. de Clericis coniugatis primo*, quod ſi qui è Clericis infra *Subdiaconatum* vxores acceperint, ad relinquenda beneficia, & retinendas vxores compelli *debeant*, quo nihil ab eo ſanciri iuſtius potuit, nam quid eſt à ratione alienum magis, quam vt qui ſpirituales ſunt ac ſacri, ad turpes ſe brutorum more voluptates conferant? vult Paulus omnes eſſe ſui ſimiles, hoc eſt continentes ac caſtos, hac præſtare laude coniugati qui poſſunt?

Innocentij III. decretalis quæ habetur *extra, de cohabit. Clericorum & mulierum*, & incipit, *à nobis*, non permittit Clericis habitare cum mulieribus, niſi forte de illis exiſtant, in quibus naturale fœdus nihil patitur ſæui criminis ſuſpicari, & vt in Nicæno Conc. *can.* 3. *ἢ ἃ μόνα πρόσωπα πᾶσαν ὑποψίαν διαπέφευγε*, *quæ omnem vitarint ſuſpicionẽ*, quia ſuſpectarũ fugere conſortium, ad ſuam famã Eccleſiaſtici ordinis exiſtimationem conſeruandam laïcæque multitudinis exemplum, apprime eſt neceſſarium. Quid Innocent. & qui Nicæno Concilio interfuere Patres Græci, & Latini dixiſſent, ſi de futuris nuptiis Clerici cum Virgine conſulti eſſent? Nimirum eas probaſſent, qui ne eius exiſtimatio ſuſpicionis odore corrupta eſſet, aut ipſe prolapſionis periculum haberet, fœminarum ei conuictum & conſuetudinem, interdictam voluere? Diu. Cypriani in *libello de ſingularit. Clericor.* ſunt hæc verba. *De hac re ſpecialiter vobis Domini correctionem ſcribere compulſus ſum, qui miſerummic, pro veſtra negligentia, cum ſeueritate conuenſens, mandare præcepit, ne fœmina cum Clericis commorentur.* Quam non eſt ergo veriſimile, velle Deum & Eccleſiam, ſua Clericum retinere beneficia, qui profana cum fœmina matrimonij fœdera icit. Sunt illa continentium præmia, ſunt eorum qui ſacra munia in Eccleſia obeunt, iuſta, ſtipendia, nam propter officium ac munus, datur beneficium quemadmodum eſt in *cap. extremo de reſcript. in* 6. at vxoris amore captus, familiæ autem non exiguæ curis implicitus, diuina niſi raro, & fere ſemper errante mente cogitat: ergo cum is fructus ſuos non faciat, qui non fungitur iis muneribus quæ à beneficiario præſtari oportet, iuſta vlla coniugato non eſt cauſa retinendi beneficij, quod in eũ erat ante coniugium collatum. Eo ſane priuatur in *cap.* 1. *quod ante, cap. diuerſis fallacijs, cap. cum decorem de Cleric. coniugat.*

Non eſt tamen hæc pœna amittendi beneficii in Clericis maiorum ordinum latæ ſententiæ ſed ferendæ: quare quandiu non pronunciabitur, poterunt hi, etſi iure vacet, de eo diſponere vt volent. Sane in *cap. lit.* 9. *de conceſſione præbendæ*, Innocentius III. Hildeſenſi Canonico dat in mandatis vt ei, qui ſecundum beneficium cum ſuo, incompatibile obtinuerat imperet, vt illud reſignet, & tamen de iure vacabat: vacatio ergo iuris, & non facti, beneficiario poteſtatem relinquit integram diſponendi de re ſua, ſed cum Presbyter matrimonium contrahit, vacatio ſola eſt iuris, & non facti. Ergo antequam per ſententiam beneficio ſe ſuo exuere Presbyter aut Diaconus cogantur à iudice, reſignare cui viſum erit ac placitum, conſcientiæ illibato iure poterunt.

Confirm. non vacant beneficia Clerici, ob matrimonium, niſi quando ratum eſt ac validum, ſed maiorum ordinum Clerici, lege Eccleſiæ ad contrahendum matrimonium non ſunt idonei, beneficiis non ſunt ergo ſuis priuati, ſed priuandi, quia vt eſt in *cap.* 1. *de Clericis coniugatis*, etiam cenſuris ſunt ad vxores dimittendas adigendi, quod autem de beneficiis à ſe poſſeſſis non diſponant, ne verbo quidem Alexand. indicat.

Contraria ſententia patronos habet, eoſque non vltimarum in iure Canonico partium. Nituntur his argumentis. Primo, quod qui Clerici Minorum Ordinum matrimonium contrahunt, ipſo iure beneficiis ſuis excidant, ergo & maiorum.

Secundo, quia ita fuit viſum Innoc. II. in *Conc. Romano can.* 5. *Decernimus*, inquit, *vt ij qui in ordine Subdiaconatus & ſupra vxores duxerint officio atque Eccleſiaſtico beneficio careant.*

Reſpondend. priori argumento, argumentum à ſimili aut à minori ad maius, in his quæ pœnalia ſunt, non valere.

Secundi vis eſt nulla, cum vox (*careant*) quæ eſt modi imperantis pœnam in ferendam ſignificet etſi iure, impoſitam, non tamen facto. Canonum ergo qui ſunt allati eſt hic ſenſus Clericorum qui puellas ſibi aſciuere in coniuges, beneficia vacare quidem iure, vt ex canonibus proxime citatis patet, in quibus verba ſunt futuri temporis, *Deponantur, priuentur, relinquant beneficia*, requiri tamen præterea ſententiam iudicis, & cauſæ cognitionem, ad habendam poſſeſſionem collati beneficij vacantis per contractum matrimonium, vacatio enim iuris, vacationem de facto non includit: quare vt hæc, priorem, id eſt vacationem quæ eſt à iure ſequatur, ac beneficiarium afficiat, iudicem eſt neceſſe ſententiam dicere hocque modo canones capiendos eſſe, in quibus ſunt hæc verba futuri temporis *careant deponantur, &c.* nempe

de

de ſententia per quam prædicti Clerici coniugati, ſuis beneficiis de facto ſpolientur tradit Reginald. *lib. 30. tract. 3 cap. 22. num. 312.* cum Gloſſa *cap. 1. de Cleric. coniugat.* qui compulſionem de qua fit in eo canone mentio, refert ad ſpoliationem poſſeſſionis, quæ ſola remanet iure perdito per actum omnino ſtatui Clericorum contrarium, ex quo patet, poſſe eiuſmodi Clericos, vt cœptum eſt dici paulo ante, de beneficiis ſtatuere ſuis, quod videbitur ante ſententiam, tam per ceſſionem ſimplicem, quam conditionatam, quæ fit cum penſionis ſoluendæ nexu, hancque eſſe fori praxim Paponius probat iudicato Curiæ, à quo non abhorret ratio, vt poſtea declarabitur fuſius.

Quod autem matrimonio quolibet tā quod eſt natura validum quam quod eſt decretis canonicis nullum, vacet ipſo iure beneficium, argumento à ſimili probat Couar. Qui enim (inquit) beneficium incompatibile obtinet cum primo, iſtud iure perdit: ergo & qui actum primo contrariū exercet, hoc ipſo illi renunciat, virtute tacitè & implicite. Attentare fas eſt cuique cum prudentia, ita animo Clericum affectum eſſe, cum mutata voluntate à laudabili Clericorum ſtatu, ad operoſum, triſtemque maritorum, ſtudia ſua mentemque transfert: nam cum non neſciat, de fortunis Eccleſiæ vxoratos non ſolitos ali, multò minus ad eius honores Sacerdotiaque euehi, ecquid tacite cum de eorum numero vnus aliquis vult eſſe, ſignificat, cum Clericis, eorunque officiis Eccleſiæque beneficiis ſibi amodo nihil commune eſſe velle, hæcque, & illos miſſos facere, proque derelictis habere? vt aiunt: quare ſi facti pœnitens ad prima vitæ inſtituta redierit, ſibiq; per leuitatē animi iniecta matrimonij grauia, duraque vincula excuſſerit, eidem, beneficii quo ab Eccleſia donatus erat priuſquam de ducenda fœmina, conſilia parum æqua capeſſeret, noua collatione opus erit. Coraſ. *1. par. cap. 10. num. 9. & ſeq.* Rebuff. *3. par. prax. ad regulam de public. reſign.*

Quid ſi ſponſalia duntaxat, qui maiorum eſt ordinum Clericus contrahat? fœminæ tamen ligari per Sacramentum abnuat?

Reſpondend. eſt, priuatione rei ſacræ hoc eſt beneficii à ſe poſſeſſi non plecti, quia à ſponſalibus abſcedere ſæpe eſt neceſſe, de vtriuſque conſenſu raro turpe, nunquam cum crimine.

Deinde cui non eſt cognitum legem Pontificis, maxime cum eſt odioſa & grauis, quia ſcelera perſequitur & punit, coercendam eſſe intra rei limites quam tali lege plectit, vt diximus tractatu de principiis? extenderetur autem, ſi quæ pœna eſt impoſita contrahenti matrimonium, manaret ad ſponſalia, quæ verè ac propriè non ſunt matrimonium, etſi ad illud ordinentur.

A At enim (inquiēs) Innoc. in *cap. diuerſis 1. cap. quod à te 3. de Clericis coniugatis*, & Alex. III. indicant ipſo iure beneficiarium non eſſe priuatum ſuo beneficio, ſed priuandum per matrimonium: quid enim aliud ſonant hæ voces? *Ob immunditiam ſuam Eccleſiaſticis Sacramentis tractandis indigni Eccleſiaſtici, procul dubio beneficiys ſunt priuandi cap. quod à te citato, in 5.* autem hæc leguntur, *huiuſmodi Clericos beneficiys Eccleſiaſticis quæ in tua Diœceſi ſunt adepti, priues.*

Reſpondend. dicta verba ad vacationem
B facti & nō iuris referri, iiſque imperari iudici, vt poſt cognitionem culpæ, per coniugium à Clericis celebratum admiſſæ, eos iubeat abire de ſuis beneficiis, quod non negamus, quandoquidem vt dicetur poſtea, requiritur in hac materia, vt & in aliis, ſententia iudicis declaratoria, & fere ſemper executoria.

Tertia Aſſertio, *Vacat ipſo iure beneficium primo poſſeſſum, ſi cum eo acquiratur aliud, & pacificè habeatur, quod ſit cum priori incompatibile, vt ſunt duæ dignitates, duæ Parœciæ, &c.*
C habetur expreſſe in *cap. licet Epiſcopus 28. de præbendis in 6.* vbi dicitur Epiſcopus, de iure alteri conferre poſſe beneficium curatum eius, qui aliud conſimile, ipſiuſque poſſeſſionem pacificam habet, & *cap. eam te 4 de ætate*, qui duabus præeſt Parochiis, poteſt authoritate Epiſcopi, cogi ad alterutram ſibi retinendam. Ex quo apparet vacationem hanc non eſſe facti, ſed iuris tantum, *ex ca. literas de conceſſione*, quod etiam colligitur ex *cap. licet 28. de præb. in 6.* vbi eſt his verbis: *Licet Epiſcopus beneficium, quod cum animarum cura tenebas (poſtquam aliud recepiſti conſimile, ac ipſius poſſeſſionē pacificam habuiſti vel per te ſtetit,*
D *quominus habere poſſes eandem) poſſit alteri de iure conferri.*

Nominatim autem conſecrati in Epiſcopum, beneficia quæcunque ab eo prius poſſeſſa, vacant ipſo iure, libereq; conferri poſſunt, *cap. cum in cunctis 7. de electione parag. cum vero electus*, his verbis: *Cum verò electus fuerit & confirmationem electionis acceperit & Eccleſiaſticorum bonorum adminiſtrationem habuerit, is ad quem ſpectant beneficia quæ habebat, de illis diſponendi liberam habeat facultatem.*

Penſiones etiam ceſſare ac perimi cum E-
E piſcopatus adeptione pacificā, dixit Gigas de *penſionib. q. 56. num. 3.* quod quia ſine fundamento, ac auctorum teſtimonio aſſerit, ei non facile credi oportere ſentio, ſed Pontifici Bonifac. VIII. in *cap. licet Epiſcopus 28. de Præbend. in 6.* aſſerenti quæ ſequuntur videri neceſſaria, vt qui recenter eſt factus Epiſcopus de iure beneficiis ſuis ſit priuatus. Primum eſt prouiſio. Secundum, Confirmatio. Tertium, Conſecratio. Quartū Libera & pacifica Epiſcopatus ſibi collati poſſeſſio, Staphilæus de

vacantibus per promotionem num. 3. Paulus Piatecius *in ſua praxi parte 2. cap. 5. num. 23.* Flaminius *de reſignatione lib. 3. qu. 1. num. 77.* Patetque ex his Bonifac. verbis *de præb. in 6. cap. 28. Licet Epiſcopus beneficium quod cum animarum cura tenebas, poſtquam aliud recepiſti conſimile ac ipſius pacificam poſſeſſionẽ habuiſti, vel per te ſtetit, quo minus haberes eandem, poſſis alteri de iure conferre*: nam hac oratione Papa indicat prouiſionem exigi, cum ſine ea non ſit poſſeſſio, deinde confirmationem, cum ea deficiente, non ſit accepta prædicti Epiſcopatus poſſeſſio pacifica.

Et quanquam de Stylo Curiæ, ex eodem Paulo Piatecio, ſimul ac quis eſt renunciatus in conſiſtorio Epiſcopus, eius beneficia omnia conferantur vt vacantia, non expectata conſecratione, quod etiam teſtatur Caſſidorus *deciſ. 2. de conſtitutionibus*, & alij apud illum *num. 23* non habet tamen effectum hæc collatio, niſi ſubſequuta poſſeſſione, eaque pacifica, Flam. *nu. 78.*

Porro quod de Epiſcopis, idem quoque eſt aſſerendum de Abbatibus, nam Epiſcopatus & Abbatiæ in hoc æquiparantur ſecundum Rebuffam *in concordatis parag. ſtatuimus de mandatis Apoſtolicis*, cum ſint de numero maiorum dignitatum, ſintque Abbates Prælati Decius in *cap. decernimus de iudicijs*, ſicut & Priores Conuentuales Flam. *de reſig. lib. 3. q. 1. nu. 96. & ſeq.*

Ex dictis patet quod qui in vna Eccleſia Decanatum, Archidiaconatum, aut Perſonatum poſſidet, admittere alium, aut quampiam ſimilem aliam dignitatem in alia nequeat, ſine iactura prioris, aut eius faciendæ periculo, cum adeptione dignitatis ſecundæ, prima de iure vacet, vt eſt in *Extrau. execrabilis parag. qui verò cap. de multa eod. tit. cap. primo de officio vicar.*

Et quanquam dicant aliqui, non poſſe, nec debere Ordinarium eiuſmodi dignitatem auferre poſſidenti, conferendam alteri, quemadmodum nec Parœciam, niſi poſſidente vocato, vt de eo intelligat, an, & quale ius, ei in dicta beneficia competat; probabilius tamen mihi eſt, id non eſſe neceſſarium, nam collatio eſt donatio iuris quod eſt in poteſtate collatoris: at donatio rei quæ eſt in diſpoſitione donantis, non pendet, niſi ab eius voluntate: ergo, &c.

Secundò, quia id expreſſe ſupponit *cap. licet 28. de præbendis in 6.* Sic enim habet, *illum tamen cui contulerit, non debet te non vocato, in poſſeſſionem mittere corporalem*, ſupponit ergo canon collationem factam eſſe valide, ac vero fieri poſſe beneficii iure vacantis ſine conſenſu illud poſſidentis, non tamen miſſionem in ipſum.

Poſſeſſori tamen exceptio, vel defenſio ne-

A gari non debet cum beneficiorum multitudinem, ac eorundem poſſeſſionem tueri valeat primò per diſpenſationem *cap. 5. ſi gratioſè de reſcriptis in 6.*

Secundo, cauſando quod eorum vnum in commendam habeat, alterum in titulum, quod licet, vt eſt in *can. 3. qui plures 21. q. 1.*

Tertio, dicendo quod ſecundum imprudenter inconſulte, & per iracundiam acceptauerit, eo enim relicto illico, primũ in eo caſu non vacat, Panormitanus *ad canonem de multa titulo de præbendis.* Quia quod fit ex ira,
B aut per inconſiderationem, admittit pœnitentiam *2. q. 3. can. ſi quis iratus.*

Quarto, non eſt priuatus primo ſuo beneficio qui ſimul & ſemel, hoc eſt eodem tempore, ab vno eodemque duo beneficia etiam curata accipit, nam ei optare tùm, hoc eſt de duobus eligere quod maluerit, eſt liberum *cap. cum te de ætate & qualit.*

Eſt autem ab aſſertione excipiendus Epiſcopatus, per quem etſi beneficia priora vacent, non tamen ipſe per adeptionem dignitatis nouæ, vel beneficii vnius aut plurium
C iuxta Coraſ. *cap. vltimo. 1. partis, numero 8.* Quia non poteſt Papa inconſulto Epiſcopus renunciare Epiſcopatui quare qui ſine eius authoritate admittit ſecundum, amittit vtrumque, decreto Innoc. III. in *cap. quanto 3.* non poteſt tamen primò acquiſitum relinquere *ca. inter 2. de tranſlatione Epiſ.* Ergo nec illum per aſſecutionem nouæ dignitatis, aut alterius beneficii perdere.

Immò nec priora beneficia, quorundam opinione Epiſcopatu obtento vacant, niſi
D poſt factam Epiſcopi conſecrationem, quam fieri intra tres menſes ab eius confirmatione eſt neceſſe, *cap. cum in cunctis 7. §. cum vero de elect.* aut elapſum tempus quo hæc debebat fieri Coraſius 1. *parte cap. 16.* quia ante conſecrationem, proprie non habet Epiſcopi nomen Epiſcopus, ſed electi, nec ea quæ ſunt ordinis exequi poteſt, nec Eccleſiam adhuc pleno iure eſt adeptus, ſecũdum Gloſſam in *§ cũ verò ca. cum in cunctis de elect.* ſed id ex canone colligi nõ poteſt ſed tantum exigi, vt tempus cõſecrationi præſtitutum, ab Epiſcopatus
E collatione ſit elapſum, *Cum verò*, inquit canon, *electus fuerit, & confirmationem electionis acceperit, & Eccleſiaſticorum bonorum adminiſtrationem habuerit diuerſo tempore de conſecrandis Epiſcopis definito, is ad quem ſpectant beneficia quæ habebat, de illis diſponendi liberam habeat facultatem.*

Quarta Aſſertio, *Vacat ipſo iure Eccleſia Parochialis extra Galliam etiam nulla monitione præcedente, per non promotionem ad Sacerdotium intra annum à die obtentæ poſſeſſionis*, habetur expreſſe in *cap. licet canon 14. & cap. commiſſa 35. de electione in 6.*

Dixi

Dixi (extra Galliam, nam in ea licet Parocho expectare biennium antequam promoueri teneatur ad Sacerdotium, vt notauimus antea. Cauſa aſſertionis eſt, quod iure communi Parocho à die pacificæ poſſeſſionis annus detur, ante quem plene exactum, non tenetur ſacerdos eſſe, vt habetur in *cap. commiſſa 35. de electione in 6.* at in Gallia datur illi & alius, ne ſi poſt primum annum re ſua, hoc eſt beneficio caderet, ſtipem corrogare, inopia, reique domeſticæ preſſus anguſtiis cogeretur cum ſuo, Clericorumque dedecore: quod iura non ferunt. *cap. poſtulaſti de reſcriptis*. Eſtque hæc ſententia Paponij notariorum *lib. 3. pag. 161. titulo de beneficiis electiuis*, Rebuff. 2. *parte praxis titulo de non promotis §. regula iuris eſt notiſſima num. 45.*

Dixi (Parochialis Eccleſia) nec enim qualitatis defectus beneficiarios plurimos facit ipſo facto ita inhabiles ad beneficium poſſeſſum, vt illo frui legitime, iureque per collationis nullitatem non poſſint, ſed tantum ſuperiori ius dicendæ ſententiæ tribuit, qua in pœnam recepti cum eo defectu beneficij, illud relinquere teneantur alteri: ita ſentiendi cauſa mihi primo à Concil. nam *ſeſſ. 7. cap. 3.* de collatione aliter facta, quam oportet diſputans, hæc habet, *aliter facta collatio, ſeu prouiſio irritetur:* ergo non eſt irrita, ſed irritanda, & *ſeſſ. vltima cap. 5.* aliter (inquiunt Patres) *facta prouiſio ſubreptitia cenſeatur.*

Quæ fuit opinio ſacræ congregationis ad 12. *cap. ſeſſ.* 24. cum enim explicat has duas voces concilij (*initiari valeat*) hæc habet, *qui non poteſt initiari ob defectum ætatis, priuari poterit canonicatu*: non eſt ergo priuatus ſed priuandus per ſententiam: eſt ergo hoc peculiare Parochiæ vt hæc ipſo iure, & ſine alia ſententia declaratoria vacet, ac vt vacans dari queat. quod in Francia quoque ſeruari Rebuffus tradit, ſupra *num.* 80. relicta tantum Parocho non promoto facultate tuendi ſe poſſeſſorio, ſunt hæc eius verba. *Licet de iure, in caſibus ipſo iure priuantibus requiratur ſententia declaratoria*, vt in *cap. cum ſecundum de hæret. in 6. tamen in hoc regno ſine declaratione impetratur beneficium, & demum agitur poſſeſſorio.*

Quinta Aſſertio, *vacat ipſo iure beneficium per non expreſſionem eius, quod poſſidebatur, ab obtinente, antequam illud ſecundum acquireret* ita Pontifex in *cap. ſit proponente extra de reſcriptis*, & *cap. ſi motu de præbend. in 6* eiuſque ſententiam è canoniſtis, defendit Oſtienſis, nam literas quæ ad impetranda beneficia Romam mittuntur, ſi ſunt ſubreptitiæ, vel falſa narratione extortæ, inutiles eſſe cum Canoniſtis nulliuſque momenti ait. Ei ſic opinanti planiſſimis verbis ſubſcribunt Butrius in *decretalem cum noſtris de conceſſ. præbendæ*, & Panorm. ibi qui etiam *num. 17.* ſcribit his verbis: *Illud tacitum habet inualidare literas, quo expreſſo, Papa non dediſſet literas, vel non ita de facili*, & Gloſſa *cap. cum noſtris citati*, ſic loquitur *narranda ſunt ea quæ ſunt iuris & facti vt non ſit vitioſum reſcriptum.*

Eiuſdem ſunt opinionis Pariſius *conſil. 30. num. 22.* Rebuff. *par. 1. prax. rubr. de forma & declarat. nouæ prouiſionis num. 4.* Flamminius *lib. 10. de reſignatione q. 2. num. 4.* Ioannes de Selua *3. parte de beneficiis, q. 11. num. 13.* Gloſſa *in cap. gratia de reſcriptis in 6.*

Probatur, Tam obreptio in beneficiis quam ſubreptio, gratiam, & reſcriptum vitiant, *cap. 2. de filiis presb. & cap. 5. de officio legati in 6.* vbi hæc habentur, *Collatio beneficij per legatum facta, nullius momenti exiſtit, ſi in ea non fuerit mentio habita de alio beneficio, quod primitus obtinebat*, hancque praxim eſſe Galliæ tradit Louetus in *arreſtis verbo beneficium*, Rebuff. *in prax. titulo de forma nouæ prouiſionis verbo nec non omnia & ſingula beneficia num. 7.* Ruzæus *tract. de iure Regaliæ priuilegio 29. nu. 3.* De Rota *deciſ. 578. Cardinalis tit. de renunciatione*, at beneficij habiti ſuppreſſio, obreptionem habet Rebuffi teſtimonio ſupra, ergo & collationis ſeu gratiæ nullitatem, defectu voluntatis in prouidente, Faber *lib. 1. Codic. titulo 12.*

Excipiendus eſt caſus, in quo Romanus Pontifex motu proprio beneficia confert: nam tunc aliorum nulla eſt neceſſario facienda mentio, Clementina *ſi Romanus Pontifex de præbendis, & cap. ſi motu proprio 23. de præbendis in 6.* his verbis: *Si motu proprio, aliquod alicui beneficium obtinenti conferamus aliud, de illo non habita mentione, non ob hoc gratiam huiuſmodi, quæ de noſtra liberalitate proceſſit, inualidam volumus reputari. Secus ſi ad petitionem illius vel alterius, pro eodem oblatam, gratiam huiuſmodi facimus, (tunc enim, quantumcumque modicum beneficium taceatur in ea) ipſam veluti ſubreptitiam, vires nolumus obtinere.*

QVÆSTIO III.

Vt Beneficium iure non vacet, quid ſit in literis quibus obtinetur, exprimendum?

EXprimendæ ſunt eius qualitates omnes tam quæ iure, quam quæ de ſtylo Curiæ ſunt neceſſariæ. Decius *de præſumptionibus* Flaminius *lib. 10. q. 2. num. 13.* Quia ſtylus id eſt praxis fori Romani legem facit, Guido papa *conſil. 119. num. 4.* Cardinalis Pariſius *conſil. 44. num. 17. volum. 1.* quæ ergo actio ei futura eſt contraria, inanis eſt ac nulla Gigas *reſponſ. 22. num. 8.*

Secundo, explicandum eſt cum qualitate beneficij reſignati, aut permutati coram Papa,

vel relicti purè & ſimpliciter, vt tradit Vitalinus de Campan. in *tract. de clauſulis parag. vltimo num.*18. Explicandum (inquam) nomē Diœceſis in qua exiſtit, Eccleſia, ſub cuius tecto eſt beneficium quod petitur, deinde dici debet quod vacet, & quo vacationis genere vt̄ per reſignationem, permutationem, obitum, aut quolibet alio modo ſimili. Enimuero eſt in decretali Innocent. III. *cum noſtris 6. de conceſſ. præb.* nullum ab ſede Apoſtolica beneficium Eccleſiaſticum impetrari poſſe ob vacationem, niſi à petitore ſit dictum, poſſeſſore vacare, licet iure vacet, id enim (inquit Comitol. *lib.* 1. *q.* 80. valent verba illa. Non eſt ſatis Romano Pontif. exponere beneficium vacare de iure, niſi vacet de facto, & hoc ipſum eidem ſignificetur, vt eſt in prædicto capite.

Tertio impetrans, beneficia omnia quæ poſſidet, exprimere Papæ debet, ita Bonifac. VIII. *de præbend. in 6. cap. ſi motu 23.* dixit idem Gregor. IX. *extra de reſcript. cap. ſi proponente 42* cum reſcripta Apoſtolica ſuper prouiſione beneficij obtenta, eorum, quæ impetrans iam eſſet aſſecutus, mentione non facta, fraudulenta eſſe ait, *nec valere.*

Papa dixi, vt Ordinarium excluderem quem ea de re certiorem fieri non eſt neceſſe, quod præſumatur beneficia omnia noſſe, quæ Diœceſani ſui poſſident. Secundo, quia cum hæc expreſſio pœnalis ſit & odioſa, non eſt extendenda, cum canon eius non meminerit.

Sicut ex oppoſito, quia beneficij indiſtinctè & abſolutè ſit mentio, quo nomine comprehendi quoque modica ſolent, de iis admonere Papam conuenit in literis, quibus ab eo nouum aliquod impetratur.

Primo, quia ex ſubreptione (inquit Faber Sebuſian. in *lib. 1. Cod. tit. 12. defínit. 14.*) *inducitur nullitas gratiæ, & literarum, quaſi ex defectu voluntatis in prouidente.*

Secundo, quia, quæ à iure præſcripta ſunt pro forma, hæc ſunt quantum fieri poteſt exacte obſeruanda, alioqui firma non erunt. At in citatis canonibus indefinitè ac ſine addito, impetranti præcipitur, vt beneficium quod iam habet, in poſtulatione quam de recenti ab eo conſequendo concipit, Pontifici exponat, eo quod id quod ab impetrante poſſidetur, hac habita de eo notitia à Pontifice, forſan à concedendo nouo quopiam alio illum diuerteret: ergo cum hac voce *Beneficium* abſolute ſumpta, intelligantur beneficia quælibet etiam minima, hæc literis quæ ad Papam ſuper impetratione noui beneficij dantur, declaranda erunt: Louetus *in arreſtis lit. B. art.* 3. Ioan. de Selua *in tract. de benef par. 3. q 11. n. 13.*

Quarto, explicanda eſt beneficij qualitas, vt quod ſit Regulare, quod ſeculare, quod dignitas, quod ſimplex, aut cum cura, quod reſeruatum, quod monoculare litigioſum aut

A præcificum, Rebuff. *ad Concord. ſub forma mandati Apoſtolici in verbo pro expreſſis, & in tract. de nominat. qu. 45.* Quia vt non eſt omnium, ad beneficia omnia, par & æqualis capacitas, hocque maior in Clerico beneficia ambienti poſtuletur, quo his plura magiſque ardua adnexa ſunt miniſteria, cauſam in eo reperire iuſtam aliquam Papa poteſt, quæ eum à concedenda illi dignitate eiuſmodi quam poſtulat, dimouere queat. Quare natura beneficij, conditio, ac qualitas latere Pa-B pam non debent, de quo illum quoque à beneficij candidatis doceri, ac inſtrui oportere, habetur in *rubrica de Graduat. art. 3.* & *in Pragmat Sanctione parag. item quod vniuerſitates.*

Quinto, dixiſſe quod beneficium ſit Regulare non eſt ſatis, niſi inſuper exprimatur, per quos Religioſos regi conſueuerit, Forgetus in *tract. de perſon. Eccleſiaſticis cap. 39. nu. 4.* nam ſunt ſpeciatim cuiuſque beneficij qualitates declarandæ Pontifici, at quod ſit regulare, hoc non eſt eius conditionem ac qualitatem exprimere in ſpecie, ſed in genere tantum, cum id ſit ei cum omnibus, quæ non ſunt ſæ-C cularia commune: ergo, &c. eſtque hæc Bleyani opinio in *tract. de benefic. propriè vel impropriè dictis num. 21. lit. C. ad margin.*

Sexto, Eius valor eſt declarandus *cap. ad aures de reſcript. Clem. 1. de præbend. regula Cancell. 63.* & in Concord. *rubrica de mandat. parag. ſtatuimus extremo his verbis*, Statuimus inſuper quod in prouiſionibus per nos & ſucceſſores noſtros faciendis, *vt obtenta beneficia per eos retineri poſſint, illorum verus annuus per florenos, aut ducatos auri de camera, aut libras turonenſes, ſeu alterius monetæ valor, ſecundum*

D *communem æſtimationem exprimi debeat, alioqui gratiæ ipſæ ſint ipſo iure nullæ.*

Hoc tamen in Gallia receptum non eſſe, ſcribit Rebuff ibi, longaque conſuetudine factum, vt ſatis ſibi eſſe Galli exiſtiment, ſi Pontifici narrent, *quod fructus beneficij non excedunt ſummam 24. ducatorum auri de camera, & illa expreſſio in hoc regno ſeruatur.* Hæc ille. Quæ tamen locum habere tantum in reſcriptis Pontificalibus ad beneficia, Bleyanus ait loco ante citato *num.* 23. cum conſtet in literis nominationum, mandatiſque de vniendo, expreſſionem veri valoris neceſſariam eſſe.

E Septimo, Facienda quoque eſt circumſtantiarum, ex quibus beneficium demonſtratur, vera fideliſque expreſſio, cuiuſmodi ſunt Diœceſis in qua exiſtit, Eccleſia ſub cuius tecto eſt, nomen Sancti, ſeu Patroni cui dedicatur, Rebuff. *tract. de nominat. q. 9. num. 6.* & *in forma mandati rubrica de mand. num.* 30. non fore tamen factam à Pontif. collationem, inanem ac nullam, ſi erraretur in nomine Sancti, aut in literis ad Pontificem beneficij impetratoris, omiſſum eſſet, habet Rebuff. *de nominat. q. 9. num. 6.*

Octauo

Octauo, non modo beneficiorum eſt exprimẽda qualitas,ſed & eorũ numerus,quia ab eo retardari Papa poteſt, ne iam poſſeſſis nouum quod petitur, adiiciat: quare cum illum de omnibus certum reddi oporteat, per quæ aut non concederet,aut non niſi cum difficultate ac labore, *cap poſtulaſti de reſcriptis*, de beneficiorum numero, quæ iam impetrans poſſidet, doceri Papa debet, alioqui gratia eſt nulla.

Nono, non eſt ſilendum quod beneficium quòd petitur in Curia vacet, quia viuentis dari ac poſtulari non poteſt.

Octauo, modus quo vacat, etiam eſt explicandus, vt per defectum natalium, aut crimen, vel alias quouis modo,vt per obitum *ca. ſuſceptum de reſcriptis in* 6,

Nono, eius quoque qualitas ſeu conditio cuius morte uacat, non eſt tacenda, vt ſi erat Papæ familiaris ſi è familia Cardinalis, *regula Cancell.* 30. ſi Parochus. &c.

Decimo, ſi eſt beneficium de eorum claſſe ac numero, quæ reſidentiam peculiari lege poſtulant, quia id neſcire Papa poteſt, maxime cum eſt hæc ad reſidendum obligatio, tantum ex ſtatuto aut Eccleſiæ conſuetudine, ſecus dicendum, quando eſt ex iure: nam tunc quia illud plene cognitum ac perſpectum habere creditur, vtpote qui vt eſt in *cap.1. de conſtit.* in ſcrinio pectoris ſui leges omnes habeat, nihil eſt neceſſe, de eo Papam docere, Rebuff. *ad formam mandati in Concord. num.*22.

Decimo, In impetratione ad beneficia, impetrans exponere debet quod ſit Clericus, quia Laïco omnis eſt ad honores Eccleſiæ, bonaque, intercluſus aditus, *cap. cum adeo de reſcr. cap. ex literis de tranſact.* Item quod ſit ex illegitimo natus concubitu, quia cui aliqua ex natalibus ſuis inhæret labes, aſpirare ad beneficia non licet, niſi ſit hæc prius, diſpenſatione Papæ aut Epiſc. deterſa, *cap. 1. de filijs preſbyteror. in 6.* & quia in re beneficiaria filium Patri ſuccedere eſt turpe, *cap. ex tranſmiſſa 2. & cap. cum decorem 15. & cap. præſentium 3.* à ſacris eum altaribus vbi *vnigenitus Dei Filius æterno Patri pro ſalute generis humani victimatur*, Eccleſiæque beneficiis remouere, Innoc. III. & Alex. item III. placuit.

Vndecimo, cum inter qualitates, quibus beneficiarium oportet ornatum eſſe, vt beneficio donari rite poſſit, poſtulatur vt ſit nobilis, aut ſacerdos, vt fit, cum non niſi Sacerdoti beneficium dari, fundator vetat, non eſt eius futura collatio valida, niſi Papæ ſignificauerit impetrans, neutra ſe qualitate eſſe præditum, quia ſi id ille ſciuiſſet, nec à fundatorum voluntate, nec ab eius Eccleſię, maiorumque conſuetudine, longo firmata vſu abiiſſet: quare cum ab obreptione, collatio vitium habeat, habebit & iſta, nec proinde erit rata.

A In ſumma exprimenda ſunt in impetratione omnia, tam quæ ius explicari imperat, quam quæ concedentem à concedendo abducerent, aut ad potentis vota preceſque, minus eum propitium ac facilem redderent.

Itaque eſſet beneficij facta à Pontifice collatio, inanis ac nulla, quod vi, aut ſeculari[illegible] poteſtate occupatum cum eſſet, eſt ab occupante impetratum, non facta mentione de intruſione, aut violenta eius occupatione, Guym. *ad rubric. de pacific. poſſ. ſ. ſ. parag. quod ſi talem*, quia ſi Pontifici nota impetrantis ad B beneficium, per vim & dolum aditio fuiſſet, ſi eiuſdem clancularia in illud intruſio perſpecta, nunquam, aut certe non tam facile ſuaderi ſe ſiuiſſet, vt daret.

QVÆSTIO IV.

De criminibus ob quæ beneficio priuari ſuo quis poſſit.

PRimum eſt concubinatus, de quo Leo X. in *concordatis titulo de publicis concubina-* C *rys*, Tridentin, *ſ. ſſ.* 25. *ca.*14. nam ibi Epiſcopi, monitione tamen præmiſſa duplici, adhibitiſque iuris remediis, ſi ſuas concubinas bis moniti Clerici non dimiſerint, iubentur eos beneficiis, portionibus, officiiſque priuare, ac eos inhabiles, ac indignos quibuſcunque beneficiis, honoribus, ac dignitatibus reddere.

Concordata monitionem tantum vnam exigunt, cui ſi concubini non paruerint, iubentur Epiſcopi eos priuare ſuis beneficiis.

Secundo, habet militaris profeſſio, armo- D rumque in bello tractatio, cauſam inferendæ priuationis beneficij, Panormitanus in *cap.1. de apoſtatis, Gloſſa in cap. vltimâ verbo reuerterunt de Clericis non reſidentibus*, Gigas *de penſionibus q.55. num.2.* Rebuffus *de nominationibus q. vltima de pacific. poſſeſſoribus num. 211.* Ruzæus *in tract. 11. Regalium priuilegio 12.* quod in Gallia quoque ſeruari, ſcribit Benedictus *in repetitione can. Raynutius verbo vxorem num.441.*

E Ratio eſt prima, quod qui militiæ dant operam, Clerici eſſe nequeant deſignata (inquit Innocent. ſcribens ad Fœlician. *ep 4. cap.1.*) *deſignata ſunt*, inquam, *genera laicorum, de quibus, ad Clericatum peruenire non poſſunt, id eſt ſi quis fidelis militauerit*: ergo cum beneficium habere non poſſit niſi qui in Clericorum eſt ordinẽ cooptatus per tonſuram, poſſeſſo priuari peterit, qui arma tractat. *Eos enim qui ſemel in Clero taxati fuerint, decreuimus neque ad militiam neque ad honores ſæculares venire*, Concil. Calced. *can.*14.

Secunda, beneficiis frui aut ea poſſidere

non meretur, quiſquis renuntiat ordini, quiſquis Clericorum ſtatum, priuilegiaque repudiat, facit hoc ſaltem tacite qui militiæ degit, qui arma in bello tractat, Chaſſan. *in conſuet. Burgund. in rubr. des Iuſtices §.5. gloſſa s'il n'a grace n.52. verſic.4. fallit.* A Enimuero vt cædit, verberat: ita verberari vult ac cædi, vt magiſtratui parere ciuico, ita ei ſubeſſe, huic parere, eius auctoritatē opēque in dubiis ſuis temporibus implorare, non Eccleſiaſtici iudicis, tacite ergo ordini, ſtatuique Clericorum renunciat, actus exercendo ei contrarios.

B Tertio, in criminibus, ob quæ orbari quis beneficio poteſt, numerandum eſt periurium *cap. querelam 10. de iureiurando, cap. cum non ab homine de iudicijs*, & aliud quodlibet notorium & depoſitione dignum, cuiuſmodi ſunt crimen læſæ maieſtatis, Rebuffus *de pacificis poſſ. num.* 200. ſortilegium, quod hæreſi comparatur, de eo quiſquis conuictus erit vt infamis, *can. Epiſcopi* 20. *q.*5. ſuo priuandus eſt beneficio, nec patrocinium recipere à triennali poſſeſſione vllum poteſt, Rebuffo teſte *de pacif. ibi n.*202. Quarto eſt literarum Papaliū falſificatio de genere criminū quæ eſſe cum beneficio nequeunt, quia *ca. ad falſariorū 5. de crimine falſi*, dicuntur eius auctores *criminis, omnibus officiis & beneficiis Eccleſiaſticis perpetuo priuati eſſe*, C habet tamen Gallici fori praxis, vt ad id requiratur iudicis ſententia, de quo extat teſtimonium apud Boerium *in deciſion. Burdegalenſ. qu.29.*

Quinto, in criminibus depoſitione dignis numeranda ſunt omnia, quibus eſt ſuſpenſionis ab officio, & beneficio, pœna per canones annexa, *cap. cum bona 3. de ætate & qualitate*, & *cap. cum dilectus de conſuetudine 8.*

D *Dignū* dixi: nam cum ſuſpenſio collationem beneficij in foro conſcientiæ non reddat inualidam, nam *canon paſtoralis* 11. *de Clerico excommunicato miniſtrante*, de ſola excommunicatione loquitur teſte Suario *diſput. 26. de cenſuris ſectione 21. nu. 8. & diſput. 27. ſectione 1. nu. 26.* Leſſio *lib. 2. cap. 34. nu. 116.* cum (inquam) ſuſpenſio collationem inualidam non reddat, ſuſpenſo decedendum non erit de beneficio niſi iudicis imperio, non ante.

In cauſis perdendi beneficij ſexto loco ponenda eſt non reſidentia coniuncta culpæ, qualis eſt eorum, qui cum à beneficio abeſſe non debeant, inde tamen ſine cauſa, ad negotia à ſtatu aliena ſe proripiunt, eſt hic Innocent. III. ſenſus in decretali *inter quatuor* 10. *de Clericis non reſident*, his verbis. *De Clericis qui Eccleſias vel præbendas ſibi conceſſas deſerunt, tuo præſertim non accedente conſenſu, hoc tibi duximus reſpondendum, quod poſtquam congruo tempore fuerint expectati, niſi redierint ad illas, poſſunt iuſtè eis priuari, dummodo non ſine iuſto impedimento detenti.*

Ad eam rem tamen duo ſunt neceſſaria. Primum, vt abſens moneatur officij, eiuſque obligationis quæ ad reſidendum in beneficio iure canonico ineſt: & quidem ſi ſcitur vbi habitat, per citationem quam nominant perſonalem; ſi ignoratur, vt quia errat, quia vagatur qualibet, per edictum trinæ monitionis in Parœcia publicatum, ac ſi citatus, intra ſex menſes non compareat, vt quæ ſunt muneris ſui reſidendo impleat, ſuo ſpoliandus eſt beneficio: iuxta Cœleſt. tertii decretū *in c. 30. ex parte tua 8. de Cler. non reſid.* in hæc verba: *Quia nolumus vt eadem Eccleſia decani officio defraudetur, mandamus, quatenus ſcribatis eidem quod ſuum ibi officium, vt decanus debeat exercere, quod ſi vocatus venire noluerit, eligendi alium qui præeſſe Eccleſiæ veſtræ valeat, & prodeſſe, vobis ex tunc liberam concedimus facultatem.*

Secundum, vt nulla cauſa eum iuſta à reſidendo auocet, quales ſunt, vt dicetur poſtea aëris intemperies, morbus tam ſuus, quam aliorum, ex quo afflari, lædique metuit, inimicitiæ præterea graues & periculoſæ, Malderus *tractatu de beneficijs dubio de reſidentia*, Innoc. III. *in cap. 10. de Cleric. non reſidenſ. ſub finem.*

Ratio eſt, quod non puniatur niſi culpa, vbi iuſta non reſidendi cauſa eſt, nulla intercedit culpa.

Memini *trinæ monitionis*, quia cum agitur de amiſſione priuilegii, triplex eſt adhibenda citatio, monitio item triplex ſecundum gloſſam in *Clement. 1. de vita & honeſtate Clericorum*, Panormitanus *in caput ex tua de Clericis non reſidentibus*, vbi cum Rebuffo, *de priuilegijs ſcholaſticorum priuilegio* 140. negat abſentem beneficio ſpoliari poſſe, quandiu ad eum tertia ab Epiſcopo de præſtando per ſe officio imperia non veniunt, facit ad eius rei fidem, quod de milite vaſſallo traditur, eum nempe antequam ob contumaciam exui feudo poſſit, tertio citandum eſſe Rebuffi, Fœlic. & Alexandri iudicio.

Septimo, Statuit in *cap. auaritiæ 5. de electione in 6.* Gregor. X. vt nullus adminiſtrationem dignitatis ad quam electus eſt, priuſquam de ipſo celebrata electio confirmetur, ſub œconomatus aut prouiſionis nomine, *in* E *ſpiritualibus, vel temporalibus, per ſe, vel per alium, pro parte, vel in totum gerere, aut recipere, aut illis ſe immiſcere præſumat, qui ſecus fecerint, iure, ſi quod eis per electionem quæſitum fuerit priuati ſint.*

Clementinā autem finali de vita & honeſt. Clericorum, decernitur, quod quicunque Clericus, virgata vel partita veſte publice vtitur, niſi cauſa rationabilis ſubſit, ſi beneficiatus.

Octauo, vacat beneficium ipſo iure per delictum Simoniæ. Ratio eſt, quod eius impetratio

tratio, collatioque per Simoniam facta ſint nullæ, *Extrauag. cum deteſtabile de Simon. in communib* quare Simoniacè prouiſi, fructus ſuos non faciunt ſed perceptos tenentur ante ſententiam in conſcientia reddere.

Nono, vacat beneficium ipſo iure, homicidio per aſſaſinum facto, *cap. 1. de homicid. in 6.* aut nece curati ſui admiſſa, *cap. quibuſdam 12. de pœnis.*

Decimo, qui Eccleſiaſticos cœperit, & captos ſua beneficia renunciare coegerit, ſi non eſt prælatus, eo ipſo obtentis beneficiis eſt priuatus, *Clem. 2. de pœnis*, ſi eſt Prælatus, ſuſpenditur per triennium à perceptione fructuum Eccleſiarum ſuarum.

Et quoniam homicida, quantumuis ſit in ſuo occultus ſcelere, quantumuis culpam abdat, recondatque, ad altaria tamen pro ſacri functione miniſterij & Eccleſiaſtici muneris, non poteſt ſe ſiſtere, irregularis eſt, beneficio ad eam diem poſſeſſo, per ſententiam iudicis ſpoliari poteſt, iure tamen eo non eſt exploſus de *Ruffinac. de re ſacerdot. & Pontif. lib. 3.*

Decimo, Religioſus habens prioratum, vel Eccleſiam curatam, ſi recipit ſecundam ſine licentia Papæ ipſo iure vacat prima, *cap. cum ſingula officia 32. de præb. in 6.*

Vndecimo, Qui beneficium Curatum occupat, ſeu ſe ſcienter iniuſtè intrudit in eo. Decernimus (inquit Bonifac. *cap. eum qui de præb. in 6.*) *illum ipſo iure fore priuatum beneficio quod cum cura ſimili obtinebat.*

Duodecimo, Clerici excommunicati miniſtrantes, omnibus beneficiis ſuis ſpoliari poſſunt, *cap. fraternitatis de Clerici excom. miniſt.* nec conferri eis vlla poſſunt niſi fuerit cum illis miſericorditer diſpenſatum, *cap. ſeq. eod. tit.*

Decimo tertio, In exilium eiecti ob culpas ſuas, beneficiis ſuis ſunt priuandi, quia iis ſeruire propriaque eorum miniſteria obire nequeunt Panormitan. in *cap. cum non ab homine de iudicijs.*

Eſt etiam his aggreganda criminibus ob quæ, ſuis quis beneficiis excidit, percuſſio Cardinalium, *cap. fœlicis de pœnis in 6.* vbi non ſolum in delinquentem, eius fautores, &c. priuatio beneficiorum omnium ipſo facto pœnæ loco infligitur, ſed hæc quoque in eius liberos ac nepotes tranſire præcipitur, ita ſpes eis omnis promotionis adimitur.

Qui aliquem inique interimit dignus eſt, qui beneficiis priuetur, *cap. inquiſitionis de accuſationib. cap. 1. de Cleric.* in duello pugn. Trident. *ſeſſ. 14. cap. 7.* quare non eſt hæc pœna latæ ſententiæ, ſed ferendæ.

Decimo quarto, Hæreticus beneficio, & officio ſpoliatus, & totius ordinis Eccleſiaſtici prærogatiua nudatus, ſæcularis poteſtatis arbitrio traditur, *cap. ad abolendum* A *de hæret.* Coraſ. *par. 3. cap. 6 num. 17.* adeo autem verum eſt hæreticos hoc ipſo priuatos eſſe beneficiis vt Alexand. IV, *cap. quicunque 6. de hæretic. parag. quicunque* ſtatuerit, hæreticos, credentes receptatores, defenſores, eorumque fautores, ipſorumque filios, vſque ad ſecundam generationem, ad nullum Eccleſiaſticum beneficium, ſeu officium publicum admittendos eſſe.

Decimo quinto, beneficiis quoque ſuis priuari poteſt Apoſtata tam qui talis eſt à fide & religione, quam qui à Clericali ordine, Syluest. *verbo Apoſtaſia num. 1.* quia cum ſit B hæc culpa hæreſi maior, non decet eam minori quam illam pœna affici.

Decimo ſexto, Sortilegos priuari ſuis beneficiis eſt æquiſſimum, non enim debet ex eo quis fructum conſequi, quod conatus eſt impugnare, vt fert, *can. ex eo de regul. iuris in 6.* lex tamen qua id habeatur non occurrit, ſed cum hoc nomine multa contineantur crimina, de ſingulis cum inciderit quæſtio, erit inquirendum. Et primo Clerici excommunicati celebrantes beneficiis ſpoliari ſuis poſſunt, nam *cap. frater de Clerico excom. mi-* C *niſtr. & cap. ſequenti*, habetur quod Clericis, qui culpa ſunt ſua moti de Eccleſia, beneficia conferri nulla queant, nec collata ab iis retineri valeant ſine diſpenſatione.

Decimo ſeptimo, Qui de Sodomia ſunt conuicti ipſo iure beneficiis exui ſuis poſſunt, de quo tamen nullum ius eſt expreſſum, præterquam quod eſt hoc crimen de iis quæ communiter depoſitione ſunt digna.

Similiter in exilium ob culpas ſuas eiecti, Sacerdotiis priuari ſuis poſſunt, quippe quibus ſeruire non poſſunt, Panormit. in *cap.* D *cum non ab homine de iudic.* & *cap. 1. de arbitr.*

QVÆSTIO V.

Explicantur alij caſus in quibus vacat beneficium ipſo facto.

PRimo, Beneficium per obitum vacat ipſo facto, *cap. ſuſceptum 6. de reſcriptis in 6.* quia tum poſſeſſore eſt vacuum: quare tum maxime ſi quando, quis diem ſuum non E deſignato vllo ſibi ſucceſſore obiit, conferri eius beneficium poteſt ab ordinario ſine ſcelere: ergo vt vacans, non tantum facto, ſed iure nam tunc beneficium iure & facto vacat, cum ius, eiuſque poſſeſſio non eſt penes aliquem.

Secundo, vacat ipſo facto, quando eius poſſeſſor per ſuperiorem eo eſt priuatus iuridicè habetur in *cap. literis 10. cap. grauem 15. de exceſſibus prælatorum*, docentque Boerius *deciſ. 2.* Rebuffus *in praxi de modo amittendi beneficij parte 1.* & in Concordatis *titulo de*

Regi a ad Prælaturas nominatione parag. monaſterii 5. Quia per quas cauſas quid naſcitur per eaſdem & diſſoluitur, *de regulis iuris in 6. regula 1.* ſed voluntate ſuperioris, acquiritur beneficium: ergo eadem, cum iuſta eſt, amittitur.

Tertio vacat per profeſſionem in Religione approbata, & non per ingreſſum in eam ſolum, *cap. beneficium 4. de Regularibus in ſexto*, & *regula Cancellariæ 44.* in priori enim negat Bonifac. VIII. *beneficium illius, qui religionem ingreditur intra probationis annum conferri poſſe:* ergo à contrario ſenſu, profeſſione facta, expletoque probationis anno poterit.

Quarto, vacat beneficium per ignorantiam idiomatis vulgaris, ac communis, maxime ſi beneficium ſit Parochiale: ita regula Cancellariæ: *quod quis idioma intelligat*: quia Parocho in ſalutem eſt animarum ex propria muneris ſui ratione incumbendum, confeſſionibus pœnitentium audiendis vacandum: At eum id aſſequi poſſe in ignorantia linguæ communis, quis putet?

Parochiale dixi: nam cætera extra Galliam, ſi Epiſcopatum exceperis, poſſideri ab inſciente vulgaris idiomatis poſſe, nullus aut pauci negant, quod Canonicos, Archidiaconum, & id genus Clericos domi ſuæ nobiles, foris conditione ſua & virtute conſpicuos & illuſtres, concionibus ad populum habendis operam dare non ſit neceſſe vt Parochos, in iis ergo cum ceſſet cauſa regulæ, ad beneficia vocari, iiſque præfici cur nequeant non intelligo, nec item Rebuffus vt de ſe fatetur in *regulam Cancellariæ, quod quis intelligat gloſſa 2. nu. 11.* Sane cum in ea Pontifex mentem ſuam explicet, nec niſi de Parochia ſermonem inſtituat nihil eſt rationis, cur quæ de ea ſola ſunt dicta trahantur ad alia beneficia, Pontificis ſunt hæc verba. *Item voluit quod ſi contingat ipſum alicui perſonæ de Parochiali Eccleſia prouidere ſeu mandare prouideri niſi dicta perſona intelligat & intelligibiliter loqui ſciat idioma loci vbi huiuſmodi Eccleſia conſiſtit, prouiſio, & mandatum deſuper, quo ad Parochialem Eccleſiam nullius ſint roboris vel momenti.*

Sexto, Vacat beneficium per poſſeſſionem intra triẽnium à reſignatione eius facta non initam, Flamin. *lib. 1. de reſignatione q. 5. n. 34.* Puteus *deciſ. 150.* Quia eſt hæc capiendæ poſſeſſionis, à reſignatario, virtualis omiſſio, & tacita beneficii per eum acceptati facta reſignanti retroceſſio ſeu verius derelictio, quare ſi reſignantem mori in eiuſdem beneficij poſſeſſione accidat *non per reſignationem ſed per obitum vacare cenſebitur per regulam de publicandis reſignationibus.*

Septimo, per renuntiationem ſimplicem, aut permutationis cauſa factam beneficia iure vacant & facto, habetur *in rubrica de re-* A *nuntiatione cap. ex tranſmiſſa 3.* vbi Alexand. III. aſſerit Abbatem & ſocios eius ad beneficium quod reſignauerant recipi non oportere.

Diuiditur autem renuntiatio, in eam quæ fit liberè & quæ ex neceſſitate, ſeu obligatione iuris naturalis aut Eccleſiaſtici. Prioris hoc eſt, quæ obligationem iuris naturalis habet, exemplum eſt in eo, qui defungi ſuo per ſe munere non poteſt, cuius tamen cauſa beneficium ei eſt commiſſum non alia, *cap. fi-* B *nal de reſcriptis in 6.* Quod accidit quia à natura, aut caſu labem habet, quæ eſt impedimento ne quod ei præcipitur faciat, ac in functione ſacri miniſterij partes ſuas expleat, qui obex ſi erit perpetuus, ſi tam late patens quam vita ipſa, dicitur eſſentialis, accidentalis autem, ſi tantum efficit ne bene ac licitè, non autem ne abſolute officium præſtet, & huius poſtremi generis ſunt Cenſuræ: ſi ergo priore modo impeditur, tenetur aut beneficio cedere aut impedimentum tollere; Secundo ſatis eſt cenſuræ abſolutionem pri- C mo quoque tempore, cum licebit, quærere.

Poſterioris modi, hoc eſt renunciationis, quæ iure facienda eſt Eccleſiæ, cauſæ ſunt quatuor, matrimonium *de Clerico coniugato cap. 1. Profeſſio in Religione, cap. beneficia de regularibus in 6. Illiteratura* eiuſmodi, cum qua præſtari officium nequeat, vel *defectus ordinum*, Trident. *ſeſſ. 24. cap. 12. & poſtremo morbus animi vel corporis* eiuſmodi, qui non patiatur beneficiarium, fungi officio, *cap. niſi* 10 *de renunciatione*, vbi ſex indicantur tempora quibus eſt omnis honeſta ratio Epiſcopo, pe- D tendæ à Papa manumiſſionis à commiſſa ſibi cura.

Nempe cum *eſt debilis, ignarus, male conſcius, irregularis.*
Quem mala plebs odit, dans ſcandala.

Cum impedimento, quod à cenſura ortum habet retineri beneficium poteſt, ſi ſpes ſit eius tollendæ breui, tẽpus autẽ ad hoc præſtitutum eſt anni vnius, qui ei in foro externo ad eius ſolutionem querendam integer conceditur *11. q. 3. can. rurſus 36.* eo elapſo amplius non auditur, *Si intra annum cauſam ſuam purgare contempſerit, nulla eius vox poſtea penitus audiatur*, Concil. Carthag. *5. can. 14.*

E Habet facultatem interim beneficiarius viuendi de beneficij reditibus vt ante, non miniſtrandi, quod & ſi facere poſſit, præterquam in Sacramento pœnitentiæ validè, non tamen ſine peccato, inobedientiæ, irreuerentiæque in res ſacras, Deumque.

Octauo, etſi ſuo non ſit beneficio priuatus ipſo facto, priuari tamen poteſt, qui iudicio de capite præſens interfuit, Brodeus, ad Louetum *verbo beneficium*, hancque fori Gallici praxim eſſe, ita curiam iudicare ſoli-

tã narrant ſcriptores Galli hancque ſic notãt, iudicandi, Curiæ cauſam eſſe, quod irregularis beneficij ſit incapax, maxime Curati, aut alterius quod ſacri ordinis functionem exigit, beneficium enim datur ob officium, vt eſt in *cap. finali de reſcriptis in 6.* quo tamen irregularis defungi nequit cum irregularitas ſuſceptionem ordinum ac ſuſceptorum vſum impediat, verum ergo eſt irregularem à beneficiis Eccleſiæ arcendum eſſe.

Sed qui iudicio capitis, aut in foro, quæſtoribus cauſarum capitalium operã ſuam nauat, dũ de vita aliena agitur, eſt irregularis: nam 23. *q. 5. can ſæpe principes 29.* talis dicitur amittere gradum proprium, quod eſt irregularem eſſe, de ſtatu ſuo deiiciendum videri, *diſt. 50. can ſi quis viduam 8.* deponi debere, *cap. Clericus in ſacris 5. ne Clerici vel Monachi*, vno verbo pro irregulari habendum eſſe, *cap. ex literis 10. de exceſſibus prælatorum*. Abire tamen de beneficio, eum non eſt neceſſe, niſi poſt ſententiam.

Nono, cum electus intra trimeſtre à facta ſui electione, & conſenſu in eam dato, eius confirmationem petere omittit, iuſto impedimento ceſſante, *electio eo ipſo viribus vacuatur, cap. quam ſit 6. de elect. in 6.* item ſi electus ipſe vltra menſem à tempore ſibi præſentatæ electionis conſenſum præſtare diſtulerit, *iure ſi quod ei ex ſua electione fuerat acquiſitum, ex tunc, eo ipſo eſt priuatus, cap. quam ſit 6. de elect. in 6. & extra. ſi religioſus de elect.*

Decimo, qui bona Eccleſiæ iuraque Clericus vſurpat, quibuſcumque beneficiis eſt priuatus, & ad quæcunque alia ſit inhabilis, Trident. *ſſ 22. cap. vlt de reform.*

Vndecimo, eius qui alienis à fide opinionibus eſt imbutus, vt ſunt hæretici, beneficia iure vacant, *cap. ad abolendam 9. de hæret. & cap. cum ſecundum legem eodem titulo in 6.* Qui Eccleſiæ vim facit per iniuriam Cardinali illatam, *cap. finali de pœnis in 6.* Qui fructus ſibi vindicat eius beneficij à quo eſt propter contumeliam ſuſpenſus *de electione in 6. cap. 1. §. finali, & cap. cupientes 12. § iterum eodem titulo* qui Papæ manum fingit ac ſimulat, qui eius mentitur ac corrumpit literas *cap. ad falſariorum de crimine falſi*, aut Clericum occidit, Rebuffus *in concordatis titulo de regia ad prælatur. ſi nominatione §. Monaſterys.*

Duodecimo, etſi Iure nõ ſit priuatus beneficijs ſed eorũ fructibus, qui per magiſtratũ Regium impediri ſe ac retineri curat, ne Pontifici à quo in vrbem euocatur, ſiſtere ſe queat, & ita æquiſſimum eius tribunal defugit, *Clement. de pœnis ca. multorum*, vbi eſt, quod is cui Romanum iter imperatur, cum publicum in Eccleſia præſulis & Epiſcopi magiſtratum agit, pœna non ſtringatur alia, quam ſuſpenſionis à fructibus ſui beneficij ad triennium, eodem cap. & titulo ſi tamen Prælati non fuerint, *ſed inferiores extiterunt, eo ipſo beneficijs ſint priuati, illis incurſuris eandem, qui ne citati ad ſedem Apoſtolicam veniant, à poteſtate ſæcularí ſe procurant impediri.*

QVÆSTIO VI.

An quæ beneficia iure per canones, ob admiſſam culpam, aut non ſeruatam aliquam conditionem vacant, ſint ante iudicis ſen-
B *tentiam relinquenda in conſcientia.*

HAnc quæſtionẽ intelligere non eſt facile, niſi certis præmunitã hypotheſibus.

Prima eſt, iure aliquem ſuo cenſeri priuatum eſſe beneficio, contra quem, huius aut illius criminis reum, dicta eſt à Pontifice aut Conciliis ſententia, per quam à die commiſſi criminis, perdit prædicti beneficij dominium vel certe liberum eius vſum, quæ cauſa Rebuff. fuit, *3. parte praxis beneficiariæ, tract. de modis quibus beneficia amittuntur*, existiman-
C di, idem eſſe Canoniſtis, ipſo facto, quod iure, in quo tamen ei non aſſentior, nam primum non legem tantum ſed ſententiam quoque executoriã pœnæ in reum ſtatutæ cõnotat, ſic vt rei, aut beneficij vacantis poſſeſſio, apud nullũ ſit, cum poſtremum, præter ſententiã nihil contineat qua ſic re ſua priuatur, vt ius eius amittat, ita ut alteri poſſit conferri, etſi de facto poſſeſſionem retineat, *cap. licet Epiſcopus 23. de præb. in 6. c. cum noſtris de conceſſ. præb. 6.*

Quare eorum verborum hic eſt ſenſus, vt *iure quid fieri dicatur, aut amitti*, de quo fa-
D ciendo aut perdendo, extat lex canonica, etiã citra culpam eius omnẽ quem iura priuatione puniũt rei ſuæ, neque tamen ſequitur eũ peccare rem ſeruando qua iure eſt priuatus, aut eius fructus, quia amborum poſſeſſio illi conceditur à iure, quouſque ea auctoritate iudicis relinquere iubebitur ſic Doctores tradunt rerum ſuarum dominio hæreticos quidem priuatos eſſe, earundem tamen poſſeſſionem, vſumque illis relictum eſſe, vſque ad iudicis ſententiam.

Facto ipſo res perit, quæ ſimul ac crimen eſt
E patratum, eius eſſe quoad dominium plenum & integrum deſinit, qui ad eam diem illam poſſedit.

Vox *ante omnem ſententiam*, excludit iudicis notitiam, eiuſque ſenſum verbis explicatum, ſicut particula *abſque declaratione, expoſitionem facti, vel criminis puniendi*, priuatione beneficij habiti ac poſſeſſi.

Hypotheſis 2. Cum de ſententia agitur, Doctores eam diuidunt, in condemnatoriam, declaratoriam, executoriam quæ hoc maximè nomine ab inuicem diffe-

runt, quod ſubſiſtere prima poſſit ſine aliis, non vero tertia abſque duabus præuiis.

Cauſa eſt, quod de nocente iuſte ſupplicia exigi nequeant, niſi qui ſit peractus ſceleris, deque eo damnatus. At de aliquo repoſcere pœnas, eſt obſequi iudicis ſententiæ, quam notam eſſe plebi eſt neceſſe, ne eius ignoratio ſcandalum pariat: ergo ſententia exequens, cum condemnatoria ſupponit etiam declarantem.

Hiſce ita præſuppoſitis, de re vniuerſa tres ſunt admodum ſententiæ.

Prima eſt, Alphonſi à Caſtro *lib. 2. de poteſtate legis pœnalis cap.* 10. omnem pœnam legis, tam in ſpiritalibus, quàm temporalibus obligare, ſuumque in conſcientia effectum ſortiri ante iudicis ſententiam: proinde rem ſeruari, ac retineri non poſſe, cuius priuatio iure eſt per canones inflicta.

Secunda eſt Nauarri *cap. 25. Enchiridy num.* 128 *& cap 23. num.* 67. in irregularitate & beneficiorum materia, cauſaque, verum id eſſe, non in aliis, præterquam purè ſpiritalibus eo *quod pœna temporalis etiam ipſo iure incurſa, non debeatur in foro conſcientiæ*, ante ſententiam, Nauar. *nu. 118. cap. 27*.

Tertia, Soti *primo de iuſtitia q. 6. art 6*. Cordubæ *lib. 1. quæſtionary q. 36*. Couar. *in Epitom. 4. decretalium parte 2. cap. 6*. Medinæ *2. q. 96. art. 4*. Summiſtæ *verbo aſſaſſinas*, Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 7. q. 1. & 3*. Henriq. *lib. 13. cap. 56 § 2. & 3*. Vaſquez *in 2. diſp. 168. cap. 4. nu. 25. & 30*. canones pœnales, etſi dicant pœnam ipſo facto incurri, nunquam tamen obligare in conſcientia, ante iudicis ſententiam, nec ſortiri effectum, niſi quando ſunt de cenſuris, & de irregularitate, & de inhabilitate, non autem quando ſunt de aliis rebus, niſi aliunde conſtet, mentem auctoris canonis fuiſſe, vt pœna ſubiretur ante ſententiam, haberetque lex ſeu canon ſuum effectum. Ea de re quid iudicij habeam exponam ſequentibus aſſertionibus.

Prima Aſſertio, *Beneficium non neceſſario relinquendum eſt, ante ſententiam iudicis, etiamſi ipſo iure & facto vacare dicatur.*

Primo, quia pœna nõ debetur in foro conſcientiæ ante ſententiam, ita Gloſſa in *can. fraternitas* 12. *q.* 2. pro qua (inquit Adrian.) *ſtant omnes Doctores*: comprobat eandem ſententiam Couar. in relectione regulæ iuris peccatum 2, *parag. 4. n. 2*.

Probatur 2. hæc verba (ipſo iure ipſo facto) ſententiam non excludunt, non eſt ergo omittenda: fides eſt Antecedenti à *cap. cum ſecundum legem* 19. *de hæret. in 6*. nam ibi eorum bona ipſo iure fiſco dicuntur eſſe debita, & tamen manus in ea inferre ſibique vendicare vt propria, niſi poſt ſententiam iudicis eſt inhibitum, non habetur ergo ex his verbis (*ipſo iure vel facto*) vnde inferri queat ſententiæ neceſſitatem nullam eſſe.

Tertio, Nimium quantum vt argumentatur Nauar. *in manuali cap. 23. num.* 67. ab humanitate quæ hominum eſt propria, abhorret, vt quis contra ſe ius dicat, in ſeipſum ſæuiat, ſibi pœnam ſtatuat, aut ſtatutam à iudice effectui tradat, quod cum tamen facere eſſet neceſſe ſi eſſet oppoſita ſententia vera.

Confir. in iure non inueniuntur verba vlla quæ ſatis ſignificent priuationis pœnam ipſo facto per ipſam legem executioni mandari nam in *cap. ad abolendam de hæreticis in 6.* prius dicitur Clericum eſſe degradandum, & beneficiis ſpoliatum eſſe iudicibus tradendum, quod fieri non poteſt niſi per ſententiam?

Quarto, cum id agere, pauci probabili admodum coniectura ſint animum inducturi, de ſe vt pœnas ſumant, de eo mandatum dare, eſſet illorum conſcientiis laqueum inijcere, quàm non eſt ergo probabile legi pœnali quenquam debere obſequi, niſi poſt ſententiam.

Secunda Aſſertio, *Vt Beneficium non debet deſeri*: ita nec eius fructus ante dictam in reum à iudice ſententiam, etiamſi canon habeat ipſo iure ipſoque facto ei relinquendos eſſe, etiã non expectata ſententia. Ita Azorius *tomi primi lib. 5. cap 7. q. 6*. Fagundez *in 1. præcept. cap. 18. n. 13*.

Ratio aſſertionis à teſtimonio petenda eſt Pontificis, nam in *cap. humanis de homicidio in 6*. habetur, homicidam ipſo facto, à beneficio depoſitum eſſe, nulla alia requiſita ſententia, & tamen ibidem excipitur declaratio criminis, vt ex his verbis patet quibus canon vtitur. *Poſtquam iſtud*, inquit, *probabilibus conſtiterit argumentis*.

Secundo, lex non obligat niſi prout eſt recepta, at canonica priuans beneficio eiuſque fructibus ante ſententiam declaratoriam criminis, & illatiuam, ſeu executricem pœnæ, non eſt recepta ſecundum Archidiacon. in decretali *humanis de homicidio*, Azor. *loco citato*.

Ex dictis inferendum primo, etſi hæreticus beneficii titulum ad eam diem poſſeſſi retineat, poſſe tamen impetrari ante ſententiam. Ratio eſt, quod iure vacet, ergo eſt impetrabile, eo tamen priuari eiuſque poſſeſſione nequit, niſi vocatus & per ſententiam.

Patet 2. Antequam eam iudex in illum pronuntiet, nulla eum lege teneri illud relinquere, proindeque ſi reſipiſcat, in conſcientia ſine noua vlla collatione illud ſeruare poſſe, quia eius eſt dominus quo iure per hæreſim non excidit, nec eius titulum verè perdidit vt docet Suar. *de fide diſp. 21. num. 19*. cum beneficii dominium non fundetur immediatè in fide, ſed in collatione, eiuſque titulo, qui titulus eſt datus quo tempore hæreticus erat eius capax,

capax, ad eumque idoneus, nempe cum erat Catholicus.

Patet 3. Poſſe eius beneficii fructibus gaudere, eoſque percipere ac ſeruare, ſi officio fungitur, quia vt eſt eius, hoc eſt beneficij dominus, ita & fructuum quos parit, Suar. ſupra, & Fagundez *nu.* 11. qui tamen à die commiſſi, ab eo criminis repeti poſtea poterunt, vtpote ab eo percepti, qui tum iis iure quam optimo priuari poterat.

Tertia Aſſertio, *Ne quidem Parocho ob non ſuſceptum Presbyterij ordinem, ante finem anni relinquenda videtur Parochia in conſcientia, ante ſententiam iudicis executoriam.*

Probatur, Si beneficium ipſo iure factoque vacans tradi ab ordinario alteri plenè poſſidendum nequit, niſi eo vocato & audito, cuius erat ante factum crimen, cuius cauſa iure eſt eo priuatus, aut priuandus, verum eſt quoque Parochiam iure vacantem, ob non ſuſceptum Presbyterii ordinem, à Parocho relinquendam non eſſe, niſi poſt ſententiam declaratoriam & executoriam ſeu definitiuam. Primum eſt verum iuxta *cap. licet Epiſcopus 28. de prebendis in 6.* ergo & alterum.

Maior probatur, Nam ſententiæ executoriæ ac definitiuæ nomine ea intelligitur, qua rei poſſeſſio plena & integra alicui eripitur, vt demandetur alteri, quod canon poſtulat, eo quod poſſeſſio beneficii, quo quis eſt iure priuatus, detineri ex tacita ſuperioris voluntate queat, dũ eo poſſeſſor iubeatur decedere, ex quo cauſatur remedium poſſeſſorium, ſecũdum Abbat. in *cap. in literis n. 21. & de reſtit. ſpoliator*, Piaſec *parte 2. praxis cap. 5. art. 3.* quæ quoniam ex modo vſuque quo capi canones ſolent in iure, facturus hic videor operæ pretium, ſi quas ea de re conceptas animo notiones habeo, exponam paucis.

QVÆSTIO VII.

Explicantur Regulæ quæ ad intelligentiam faciunt Canonum ac pœnarum quas continent.

REgula prima, Cum lex quæ pœna nocentes afficit, verbis concipitur quæ ſolam eius comminationem continent, eſt hæc ſententiæ ferendæ non latæ Reginald. *tomo 1. lib.* 13. *num. 258.* Alphonſus à Caſtro *lib. 2. de poteſtate legis pœnal. cap. 1. parag. 1.* Quia comminatio pœnam non infert, ſed inferendam indicat. Secundo, Cum minemur, futura non autem præſentia aut præterita, res loquitur eiuſmodi minas ſententiam non habere latam, ſed ferendam,

Excipiendus eſt caſus, In quo ſententiæ comminatiuæ modi illi inſerti eſſent, qui ſententiam latam declararent non ferendam cuiuſmodi ſunt, *eo ipſo, ipſo iure, ipſo facto*, aut alij de quibus poſtea, tunc enim verba minitantia, ad ſententiam latam, ſunt his modis ac loquendi formis reſtringenda, vt ſi lex, aut ſuperior dicat, *Præcipimus ſub pœna excommunicationis ſtatim incurrendæ, aut ipſo facto excommunicatum eſſe.*

Extra hæc tempora, lex quæ minas tantum habet, cenſenda eſt ferendæ ſententiæ, non latæ. Has autem innuunt exprimuntque hæ voces, *ſub pœna, ſub interminatione, ſub interpoſitione excommunicationis, ſuſpenſionis, &c.* Reginal. *lib. 13. cap. 24 ſect. 2. nu. 258.* Eſt autem pœna latæ ſententiæ tum exiſtimanda, quando ex ſola ipſius præcepti poteſtate, ſeu facto ipſo, abſque ſententia declaratoria, condemnatoria, aut executoria, effectum ſuum ſortitur, quod non habet pœna ferendæ ſententiæ, cum eam exigat ac poſtulet, Theſaurus 1. *par. praxis Eccleſiaſt. cap. 3.* Rebuff. *in Concord. rubrica de collat. parag. monemus.* Explicans enim hæc verba, *ſub pœna priuationis*, in eo parag. poſita ſic loquitur. *Non importat priuationem ipſo iure ſed comminationem.*

Regula 2. Quando lex pœnam imponit per verbum imperatiui modi, tam præſens quam futurum, ſententiam habet non latam, ſed ferendam, quia de natura eſt vocis, qua quid præcipitur, vt ad alium referatur tanquam ad iudicem, aut alienæ voluntatis executorem ac interpretem.

Excipi illa tempora debent, in quibus adderentur verbo imperatiuo, modi aliqui qui ſententiam ad latam flectunt, aut verba quæ perpeſſionem pœnæ indicant, & non vllum officium iudicis è quo genere ſunt, *ſubiaceat, incidat, ſubeat, incurrat.* Alphonſus à Caſtr. *lib. 1. de poteſt. legis pœnal. parag. 3.*

Dixi *tam præſens quam futurum.* Quia modus imperandi, ſemper aliquid quod faciendum, aut perpetiendum eſt imperat, ſed actio aut paſſio imperata, ſemper futura eſt, *ergo modus imperatiuus ſemper vim futuri temporis retinet*, Comitol. *lib. 6. q. 24.*

Regula 3. Cum canon verbo eſt aut participio futuri temporis conceptus ſententiam indicat ferendam non latam, quia vox talis nõ præſentia connotat, ſed futura: tantum ergo ſententiam fieri imperat, non latam ſignificat, Suares *de legib. lib. 5. cap. 6.* Reginal. *to. 1. lib* 13. Sot. *2. n. 259. & ſeq.*

Secundo, qui imperat, non ſibi, ſed aliis imperat: ergo ad aliquem ab imperante diuerſum tendit, cui quidpiam præcipitur executioni dari, aut omitti, ergo futurum reſpicit, non præſens aut præteritum.

Infertur primo, Pecuniam non neceſſario antequam exigatur, ſoluendam eſſe à mercatoribus, quam ſe daturos, ſi fidem conuento-

rum fallerent, ſunt polliciti cum contrahendo dixerunt, qui promiſſis ſtato tempore non ſtabit, decepto aureos numerabit 100. Couar. *in Epitome quarti decretal. 2. parte cap. 6. parag. 8.* Leſſius *de vſura dub. 15. num. 136.* quia nimis eſt durum moribuſque hominum parum congruum, vt ante exactionem debeatur ſolutio. Secundo, eſt hoc pactum conceptum voce futuri temporis, & quæ actionem futuram ſignificat: ergo pœnam irrogandam declarat & non irrogatam.

Conraria ſententia eſt Reginald. ſupra, ibi enim aſſerit, contrahentes ea ratione, qua viciſſim ſe ad pœnam obligant, ſententiam latam exprimere, non quidem ex vi dictionum quibus conflatur, ſed contractus, quod non eſt probabile, cum id ipſos velle, non ſit veriſimile.

Infertur 2. Illico tamen ſoluendam eſſe ac eſt petita.

Quia pars habet rationem iudicis: ergo vt iſti, ita & parti eſt parendum ſic Reginald. ſupra, Sylu. *verb. pœna n. 14.*

Contraria tamen quæ aſſerit, ſolutionem in foro animæ faciendam non videri ante ſententiam iudicis; eſt probabilis, eamque defendunt Nauar. *cap. 23. num. 68.* Loppez 1. *de contract. cap. 3.* Sanchez 1. *de matr. diſp 37.*

Primo, quia ita habet vſus communis, receptaque vbique conſuetudo gentium, Nauar. teſte loco citato.

Secundo, obligant pacta conuenta mutua, ad metas voluntatis contrahentium, quia onus ſibi non aliud, aut legem iniectã volunt, quam quæ eorum eſt intentioni conſentanea. Sed ſi Nau. loco citato credimus, hæc mens eſſe videtur contrahentium, neceſſitatem ſibi nullam imponere præſtandi promiſſa, quandiu id eis per iudicem liberum relinquitur: ergo, &c.

Infertur 3. quæ imperatiuo modo leges ſunt latæ, vt Apoſtolicæ fere omnes, eſſe ferendæ ſententiæ, actionem enim aut paſſionem futuram exigunt *vt priuetur can. 42. 43. damnetur 46. excludator can. 62. deponatur 57. 59. Apoſtol.*

Regula 4. Quando canon pœnam, his verbis irrogat (*ſit excommunicatus* ſit anathema, ſit irrita collatio) ſententiam ferendam continet, non latam, Sanch. *lib. 7. de matri. diſp. 12. num. 2.* Nauar. *in Enchirid. cap. vlt. nu. 12.* Gloſſa *in can. 2. de foro contempt.* & probatur.

In diſpoſitione dubia mitior pars eſt amplectenda, per regulam *iuris in 6.* Cuiuſmodi eſt cum Doctores de genere pœnæ, ſententiæ, vel cenſuræ controuerſantur, ſitne lata an ferenda, vt contingit in verbis communibus ſecundum Theſaurum *par. 1. praxis ca. 3.* At ſunt verba, hic exempli cauſa poſita, ambigua, dubiæque notionis ac ſenſus, ſuauius autem eſt ea interpretari de ſententia ferenda

A quam lata: ergo ſic ſunt intelligenda, quod confirmat Gloſſa *cap. 3. de foro compet.* nam ibi hæc verba (ſit ſequeſtratus) ad ſententiam ferendam refert, & *diſt. 23. can. 23.* (ſit anathema) ad auctoritatem iudicis. Ergo qui canon conceptus eſt verbis à nobis hic poſitis, ſententiam non habet latam.

Contraria tamen ſententia, quæ eſt Regin. & Alphonſi *tract. de lege pœnali cap. 6. & 7.* rationes ſuas habet.

Prima eſt, quod verbum ſit aut ſimilia, nullam functionem iudicis aut officium denotent.

B Secunda, quod verbum ſubſtantiuum, verbum ſit exiſtentiæ & quocunque tempore ac caſu prolatum, nullam actionem paſſionemue ſignificet, ſed rei duntaxat exiſtentiam, niſi quid addatur quod eius ſignificationem ad futurum tempus detorqueat. Eſt hæc ſententia propter has rationes probabilis: probabilior tamen cenſenda prior. De qua ſic Nauar. *cap. 27 Enchirid. num. 12. Apparet,* inquit, *quod præfata verba ſit excommunicatus non de-* C *notant ſententiam latam, ſed ferendam, niſi cum alia iura id declarant. Tum quia plurimi canones continent illa verba, quæ tamen ſecundum gloſſam cap 2. de foro compet. continent ſententiam ferendam. Tum quia non obſtat dicere quod verbum, ſit, eſt futuri temporis, & præſentis imperatiui modi, ſicut & futuri optatiui.* Hæc ille.

Ex dictis collige primo, collationem beneficij ante ætatem, quam in beneficiario conſilium exigit, ipſo facto non eſſe nullam, ſed irritandã. Etſi ibidem dicatur quod ante D 14. ætatis annũ facta collatio *ſit irrita,* quia *ſeſſ. 7. cap. 3.* cum de eadem re agitur, hæc habentur (*aliter facta collatio omnino irritetur*) ergo non eſt irrita ſed irritanda: ergo hac forma loquendi (*ſit irritum*) ſententiam dicendam ſignificat non dictam.

Collige ſecundo, Raptores, excommunicandos quidem eſſe, vere tamen extra Eccleſiam ante Epiſcopi ſententiam non eſſe, Eſt contra Gregor. Tholoſanum *in ſintagm. iuris lib. 36. cap. 8.* Felin. *in can. Rudolphus n. 3. de reſcript.* quia *canõ ſi quis 36. q. 2.* quo citati authores nituntur, verbis effertur comminantibus, in eo enim ſic eſt. *Si quis virginem* E *vel viduam niſi deſponſauerit, rapuerit vel furatus fuerit, cum ſibi fauentibus anathema ſit,* quæ verba futurum innuunt, & non præſens, pœnam inferendam & non latam ex dictis: ergo.

Colliges primo, Qui obſtinatè religionis myſteria, contra quàm ſacroſancta definiuit Synodus, negatũ eunt, ab Eccleſia ipſo facto extorres ac alienos nõ eſſe, ſed vt immorigeros, vt infideles, excommunicationis ſententia feriendos eſſe, quia ſunt decreta quibus eos Patres notant, verbo ſubſtantiuo imperatiui modi concepta, tam in præſenti quam futuro,

futurum

futurum ſignificat.

Secundo, etſi nunquam non, Deo, Eccleſiæque, auerſæ à ſacris noſtris gentes, exoſæ fuerint, qui tamen his relictis ad profana nationum tranſibant, de Eccleſia Epiſcoporum erāt ſententia eliminandi, nec tā hoc præcisè nomine, quod thura offerrent Dæmoni ac idolis, quā quod erant per cenſurā quam eorū veneratione ac cultu incuriſſent, eiecti. Nam quæ dicta eſt in eos ſententia, Concil. Laodic. *canon.* 35. eos impoſterum haberi pro excommunicatis imperat. *Quiſquis autem inuentus fuerit huic idololatriæ vacans, anathema ſit,* & 34. *Non oportet omnino Chriſtianum derelictis martyribus Chriſti, abire ad falſos martyres, hi enim alieni à Deo ſunt. Quicunque autem abire voluerint, anathema ſint.*

Colliges 3. canonem aut legem latæ ſententiæ non eſſe quando verbo *Eſt* additur aliquod participium quo ſignificatur res facienda, vt *eris* vel *eſt* excommunicandus. Quia vt eſt apud Gellium *lib.17.cap.7. eſt* & *eris*, cum participiis futuri temporis, aut præteriti iunguntur, vim ſuam amittunt, & in aliud tempus conceſſunt, ſecumque legem ad ſententiam ferendam traducunt.

Colliges 4. cenſuras, legeſque quæ in Conciliis infliguntur, eſſe ferendæ ſententiæ non latæ, quæ declarant placere Eccleſiæ, vt qui ſunt rei, pœnam ſuæ in peccando temeritatis ſentiant, cujuſmodi canonum magnus eſt in Arelat. Concil. numerus. Et quidem hæc in eius *can.* 4. lego *De agitatoribus, qui fideles ſunt, placuit eos quandiu agitant à communibus ſeparari:* cum enim hæc verba actionem faciendam ſignificent, ſententiam latam non habent, ſed ferendam.

Regula quarta, Tria ſunt præterea tempora, in quibus canon ſententiam dicendam patefacit, non latam innuit.

Primum cum aliquid imperat, aut prohibet ſub pœna excommunicationis, ſuſpenſionis, &c. ita Rebuffus *in concordata tit. de collation. §. mouemus verbo ſub pœna,* Alexander *Concil.* 103.*volum.*1.

Secundum eſt, cum pœna per eum canonem ipſo iure impoſita, mixta eſt, vt beneficij amiſſio, hæc enim duo dicit, primo priuationem tituli ſpiritualis, & iuris ad fructus, ſecundo poſſeſſionem iuris, ſic dictam, quod permittente iure habeatur, & quanquam per canonem cui inſertæ ſunt hæ voces *ipſo iure ipſo facto* reus violati canonis, titulo ad beneficium, iureque ad eius fructus priuetur, non tamen poſſeſſione beneficij reali, niſi per ſententiam declaratoriam ſecundum omnes.

Tertium, Quando dicta pœna eſt pure temporaria, ſic Nauar. & Suar. 5. *de legibus cap.8. num.4.& 9.* Azor. *tom 1.lib.6.c.5. q. 5.* Vaſq, 1.2.*diſp.107.cap.2,* probatur.

In *can. ſecundum leges de hæret. in 6.* qui eſt

A Bonif. VIII. & decimus nonus illius tituli priuatur *ipſo iure* hæretici fortunis ſuis, & tamen additur in eodem *can.* quod ad actualem priuationem requiratur ſententia declaratoria criminis. Verba decretalis ſunt iſta. *Bona hæreticorum, qui grauius, horribilius & deteſtabilius delinquunt quam prædicti, ipſo iure de fratrum noſtrorum conſilio decernimus confiſcata. Confiſcationis tamen huiuſmodi executio, vel bonorum occupatio, fieri non debet per principes aut dominos temporales, antequam per Epiſcopum loci, ſententia ſuper crimine fuerit promulgata.*

B Nec enim hæc excluditur verbis allegatis, *ipſo facto, ipſo iure*, vt patet ex titulo de homicidio, ibi enim habetur *ipſ. iure & facto* homicidas, ordinis vſu exutos eſſe, ſi tamen (addit canon) *eos iudices nouerint poſt factam inquiſitionem vere eius culpæ reos eſſe acconſcios & id declararint populo.*

Secundo, leges non obligant niſi vt ſunt receptæ *cap. 1. de conſtitut. in 6.* At qui canon priuat reum rebus ſuis pecuniariis, receptus non eſt quoad hanc circunſtantiam, vt teneatur iis cedere ante ſententiam declaratoriam

C criminis, pœnæque executoriam: ergo, &c.

Corollarium primum, Ex dictis inferes, non teneri in conſcientia delinquentes, ſe beneficiis ſuis, officiis, aut bonis priuare, etſi in *can.* contra quem peccarunt, ſint hæc verba, *Ipſo iure ipſo facto, ſtatim amittant*, niſi poſt ſententiam declaratoriam criminis, cuius cauſa eſt hæc illis pœna inflicta, Filliuc. *to.2.trac. 40.cap.6.num.158.* Sanch. *9.de matrimon. diſp. 30.n. 1.* Fagund. *li. 8. in 8. præcept cap.29.n.8.*

Ratio eſt, quod abire rebus ſuis, beneficiis exuere ſe ſuis indicta cauſa, ac ſine ſententia,

D ſit ſeipſum tacitè prodere, pœna ſe mulctare, quam ad rem nulla lex obligat.

Corollarium ſecundum, ex dictis, pœnam quæ in lege à Legiſlatore eſt poſita, his verbis, *ipſo iure, ipſo facto*, infligi ſub conditione *ſi de delicto, iuridice, & per ſententiam conſtet,* quod eſt admonitum Felin. *in cap. vltimum de reſcript.num.37.* Fagund. *lib.8.de præc.cap.29. num.9.*

Corollarium tertium, his verbis, *iure ipſo, ipſo facto, &c.* ſententiam ferri condemnatoriam, nam non ſunt ſuperfluè, & ſine effectu canoni addita, his ergo, ſignificari aliquid eſt

E neceſſe quo crimen plectatur, aut cuius metu prohibeatur actio. Id autem eſt ſententia condemnatoria in criminoſum lata, ſub conditione tamen, vt alia dictæ ſententiæ condemnatoriæ declaratoria proferatur in peccantem: ergo, &c.

Hinc eſt (inquit Fagund. *num.* 10.) quod condemnatio, hoc eſt pœnæ irrogatio poſt factam declarationem criminis, retrahatur ad diem commiſſi criminis, quia ex tunc, dicta eſt iacturæ bonorum, amiſſionis beneficii, aut officii ſententia: eſt ergo quoad effectus

quos continet, poſt declarationem eius factam à iudice, ad diem quo eſt admiſſum ſcelus reuocanda. Suar. ſupra, & Felinus locis allegatis.

Corollarium quartum, etſi canon, quo iure quis aut facto ipſo, priuatus eſt beneficio, officio, aut bonis ob culpam aliquam, in eum capi ſenſum non debeat, vt obligetur ea relinquere ante omnem ſententiam declaratoriam, ſic tamen per eum, ius in illa Rei minuitur, vt eadem alienare ſine crimine, titulo maxime non lucratiuo, nequeat, alienata autem poſſit poſt ſententiam fiſcus de manu poſſeſſoris recipere.

Corollarium quintum: ergo hæc verba, *ipſo iure, ipſo facto*, etiam ante omnem ſententiam declaratoriam criminis, operantur duo, primum vt delinquens beneficii titulum ac officii amittat, alterum vt bonorum dominium, itaut amplius eorum non ſit Dominus, nec fructus ſuos faciat, *ſed ſint ab eo abſtrahenda poſt ſententiam declaratoriam, & retineat tantum ex benignitate iuris, meram & nudam poſſeſſionem qua priuari non poteſt niſi cauſa cognita, & poſt ſententiam declaratoriam*, Leſſ. *lib. 2. cap. 29. dub. 8. num. 64.* quæ poſſeſſio, quia fit permittente iure, iuris poſſeſſio dicitur.

Regula quinta, Etſi quando canoni & legi adduntur hæc vocabula, (*ipſo iure, ipſo facto*) Legiſlator ſignificet voluntatis ſuæ eſſe, vt reus id faciat ante ſententiam, quod in eo canone declaratur, ad pœnam tamen priuationis officij aut beneficij ſubeundam ante omnem ſententiam, non tenetur. Ita Leſſ. *lib. 2. cap. 29. dub. 8. num. 63.* Quia legiſlatori non neceſſario eſt parendum niſi ſecundum iuſtam, & rationabilem eius voluntatem; at non poteſt prudenter hic velle, vt is qui violat legem, cui adiuncta eſt pœna priuationis, officij, bonorum, aut officii, ipſo iure ea dimittat, ante omnem ſententiam executoriam, & declaratiam pœnæ incurſæ ſupradictæ per reum. quia vt dicemus poſtea hæc verba *ipſo iure*, ſecundum vſum communem, non tollunt niſi titulum ac iuriſdictionem, non autem ius retinendi dicta bona, quemadmodum nec vtendi iuriſdictione, quæ eſt beneficio annexa Leſſ. ſupra.

Excipiendus eſt caſus, in quo ex defectu voluntatis in conferente, aut qualitatis in eo requiſitæ, verus beneficii poſſeſſor non eſſet, nam tunc, non quia præciſè in canone habentur hæc verba *ipſo iure, ipſo facto*, ei abeundum beneficio foret, ſed quod ad eum nunquam, vt ad legitimum ac verum poſſeſſorem pertinuit.

Cauſa eſt, quod beneficii iure, carere eum ſit neceſſe, qui illud eſt non ſuperioris, ſed ſua auctoritate ingreſſus, facit id vero, quiſquis qualitatibus requiſitis ad eius poſſeſſionem vacuus, id ſibi à ſuperiori conferri poſtulat, cum eius voluntas nec ſit, nec fuerit, ei præficere his deſtitutum conditionibus, quas canones in Eccleſiaſtico magiſtratu exigunt. Quare qui beneficium accipit, animo à ſtatu Eccleſiaſtico alieno, aut cum voluntate diſcedendi ab Eccleſiæ militia, cum vir erit, aut ſine tonſura, præter quam quod capitalem culpam admittit, beneficii iura non acquirit, quicquid in eius eſt fructibus lucri factum, reddi debet, quia ad dignitates Eccleſiaſticas ſine tonſura, aditum patere nulli voluere Pontif. *in cap. cum adeo 17. de reſcript. in 6.* & *cap. litteras 6. de tranſactionibus*, communicare autem velle Eccleſiam, bona ſua ac officia cũ eo, quis credat, qui ab ea, ac obſequio cultuque illi exhibendo eſt alieno animo? quare qui beneficium curatum ſuſcipit, ſine voluntate Clericalis vitæ inſtituendæ, nec ſtato promouetur tempore, ad ſacrum Presbyterii ordinem, non ſtipendia lucratur Eccleſiaſtica, ſed ea illi ſunt reſtituenda integrè, niſi noua conſilia capiat, animumque ac ſtudium ad Eccleſiaſticæ vitæ rationem totum traducat, Leſſ. *lib. 2. cap. 34. dub. 26. num. 133.* fierique id debet intra annum, ita expreſſe in *cap. commiſſa 35. parag. cæterum de elect. in 6.* quod ſi voluntate mutata, fiat ante anni finem Presbyter, fructus retinere poterit, non ſolum poſt eam mutatam ſed etiam ante.

Similiter facit defectus nominationis regiæ in beneficiis, vt poſſideri iuſtè nequeant, quia cum ſine ea acquiri non poſſint, nec retineri etiam valent: quare vacare Abbatiam, quæ collata eſt alicui per electionem Monachorum, approbatam à Pontif. ſcribit Papon. *trium Notariorum lib. 3.* eo quod beneficii talis collatio facta ſine Regis nominatione præuia, ipſo facto & iure per concordata ſit irrita, nec firmatur regula Cancellariæ de pacifica poſſeſſione triennali, quia in ea requiritur titulus coloratus, qualis hic nullus eſt, ex dicto authore loco citato *pag. 176.* Quia titulus coloratus non naſcitur niſi ex collatione ordinarii tolerati & nondum depoſiti: at nec Pontifex ſine voluntate, conſenſu, ac nominatione Regis, nec Capitulum à temporibus Concilii Lateranenſis, ordinarii nomine cenſeri poſſunt, ſed Papa ſolus cum Rege: ergo tali collationi deſtitutæ nominatione regia, fauere non poteſt poſſeſſio triennii pacifica. Excipiendæ ſunt Abbatiæ ſæculares, ſic appellatæ, quia ſunt ſæculari Clerico collatæ, cum nomine Abbatis, qui & ipſe præeſt ſæcularibus, Decani loco in capitulo, quæ Abbatiæ & ſi ſint electiuæ, ad ius tamen regium nullo modo pertinent, vt eruditè ſcripſit Renatus Choppinus de ſacra politia *lib. 1. tit. 1.*

Regula 6. Tum maximè habent canon, lex, ſeu decretum ſententiam latam cum verbis ſunt concepta indicatiui modi, quibus vti

in ferenda ſententia, aut declarando crimine, Iudices ſolent, cuius cauſa eſt à nocente ſubeunda pœna, talia ſunt quæ de præſenti iudicis animum ac pœnam denuntiant, vt *damnamus, priuamus, excommunicamus, reum violatæ legis declaramus, dignum morte pronuntiamus*, Regınald. *lib. 13. cap. 24. ſect. 24. num. 259.*

Secundo eſt ſententia excommunicationis latæ ſententiæ, cum in lege, aut conſtitutione qua decernitur, dictio inſeritur aliqua, quæ executionem pœnæ promptam, nec in tempus reiectam exigit, tales ſunt, *ſtatim, confeſtim, ſine mora, indilatè, immediatè*, quia cum ſententia illico ac eſt patratum facinus dici non debeat, ſed tempus exigat, nam vt ſit conſulta, prudenſque, reus vocari debet, teſtes citari quæ duæ res non niſi ſpatio certo temporis eoque non tenui, queunt perfici, ſi in canone ponatur *illico, ſtatim, ſine monitione alia)* argumentum eſt latam eſſe ſententiam non ferendam, quia cum eiuſmodi particulæ moram excludant omnem, ſententiam latam exprimunt, iudici ferendam non committunt.

Tertio, habet lex quæ præteriti temporis verba ſecum trahit, ſententiam latam, vt cum dicitur. Iam nunc ſeu ab hac die excommunicatum ſciat, qui contra principem deliquerit, nouerit ſe vt infamem, dominio bonorum excidiſſe. Quia verbum præteritum, rem factam ſignificat non futuram: ergo, & canon pœnam inflictam, non infligendam. Secundo, qui dicit eſt excommunicatus, iam pœnam intulit qua de re ſunt, legendi Nau. *ca. 23. Ench. n. 56.* Tiraqu. *ad l. ſi vnquam de reuocandis donat.* Felinus *ad caput. Rodolphus de reſcriptis*, qui tamen negat participio futuri temporis vim ſubeſſe indicandæ ſententiæ latæ, proindeque hæc genera omnia loquendi, *Nouerit ſe ſuſpenſum, nouerit ſe excommunicatum, continere*, ſententiam ferendam, non latam, ſed ad ab eo diſſentiunt Gloſſa *in cap. poſtr. de hæret. & cap. 2. de ſolutionib.* Alphonſ. *in lib. 2. de lege pœnal. cap. 7. parag. 8.*

Ex dictis collige primo, Simoniacos, quos communiter confidentiales nominant, ipſo eſſe facto excommunicatos, ac priuatos ſuis beneficiis, quæ & monitione nulla præuia dimittere, perceptoſque ex iis fructus reſtituere debent ante ſententiam, Suar. *lib. 5. de legib. cap. 8. num. 15.* Nauar, *cap. 23. num. 110.*

Ratio eſt, quod his, illos voce præſentis temporis, Pius quintus ſpoliet. *Niſi*, inquit, *celeri dimiſſione ſibi proſpexerint, & quidquid tale admiſerint, in futurum etiam in omnibus aliis Monaſteriis, dignitatibus & beneficiis obtentis, nec non fructibus, penſionibus, &c. præſentium auctoritate priuamus, & ad futura inhabiles decernimus.* Exiſtimat tamen Soanis loco ante citato. Pij quinti Extrauagantem de Simonia non eſſe in hoc ſenſu receptam, & ideo in hac parte per contrariam conſuetudinem abrogatam eſſe & de eadem conſuetudine ſententiam declaratoriam exigi.

Collige 2. Clericos, ad diuina excommunicatos cum admittunt, pari cum illis nexu vinculoque ligatos eſſe, quod Clemens eius nominis III. *in cap. ſignificauit 18. de ſentent. excom.* voce præſentis temporis mentem ſuam ſignificet, *eadem*, inquit, *cum ipſis excommunicationis ſententia, non dubitamus inuolui*, Clericorum autem nomine, ſæculares intelligo, non regulares, Vgolin. *tab. 4. cap. 15 parag. 2.* cum autem excommunicatos audis, hos duntaxat accipe, qui per ſpecialem ſententiam, ſeu vt ab homine, non à iure per legem aut canonem numero ſunt piorum moti, Theſaur. *2. par. prax. Eccleſiaſt. cap. 6.* Diuina autem quorum hic fit mentio, orationes non complectuntur, quæ pro excommunicato abſente fiunt in templo publice, Auila *2. par. cap. 6. diſp. 10. dub. 6.* nec quæ cum eo, tanquã vno de populo redduntur Deo, Theſaur. *loco proxime citato*, ſed quæ Clericorum ſunt propriæ, ita qui cum ſit Clericus in ſacris, aut Sacerdos horas cum eo priuatim; & extra chorum recitat, pœnam quæ communicantium cum præciſis eſt propria, non euitat Sayrus *lib. 2. cap. 15. num. 15.*

Collige 3. ingreſſu Eccleſiæ per menſem, adituque eum eſſe de facto prohibitum, qui quempiam Eccleſia per cenſuram expulit ſine ſcripto, quod iſtiuſmodi pœnæ cauſam comprehenderet, quia eſt hæc per verba, quæ præſens tempus ſignificant expreſſa. *Si quis autem*, inquit Pontif. *huius conſtitutionis temerarius extiterit violator, per menſem vnum ab ingreſſu Eccleſiæ, & diuinis officiis noueris ſe ſuſpenſum cap. 1. de ſent. excom. in 6.*

Collige quarto, Clericos quique ſacris aræ miniſteriis occupantur Sacerdotes, ac Diaconi Magiæ dant operam, excommunicatione non ferendæ, ſed latæ ſententiæ vinctos eſſe, quod hæc, à Laodiceno Concil. vbi eſt publicata, verbis declaretur tempora præterita ſignificantibus. *Quoniam non oportet*, inquit canon dicti Concil. *36. miniſtros altaris aut Clericos magos & incantatores eſſe, aut facere quæ dicuntur philacteria, hos autem qui talibus rebus vtuntur, proijci ab Eccleſia iuſſimus.*

Regula ſeptima, Quando canon, lex aut conſtitutio peccantem contra legem Eccleſiaſticam, obligant ad reſtitutionem rei acquiſitæ, vt iniuſtæ, ſeruari hæc debet ante omnem ſententiam, quia res aliena, qualis eſt iniuſtè acquiſita, ſemper eſt domini, eique proinde reſtituenda, etiam non expectata iudicis ſententia, vera ergo eſt regula.

Infertur primò, Quibus in locis receptum eſt Concilium Lateranenſe vltimum, cum

Bulla Pij V. quæ eſt apud Nauar. *cap. 25. nu.* A 122. teneri beneficiarium, pro rata omiſſionis horarum, fructus tum receptos rependere, Quia *ſeſſ. 10. dicti Concilij parag. ſtatuimus*, id præcipitur in hæc verba. *Statuimus vt nemo Curatum beneficium aut ſimplex habens qui elapſis 6. menſibus ab eius conſecutione, officium diuinum recitare omiſerit, pro tempore quo non recitauit fructus ſuos faciat imo impendere tãquam rem iniuſtè captam in fabricam beneficij aut eleemoſynas pauperum teneatur.*

Fuitque hoc Concil. decretum conſecutis B temporibus à Pio V. confirmatum, Bulla 138. quæ incipit *ex proximo*: nam ibi dicit. *Qui vno, vel pluribus diebus omnes horas intermiſerit. omnes fructus amittat, qui illi, vel illis diebus correſponderent ſi quotidie diuiderentur.* Item addit, quod ſi beneficiarius vna die integrum officium prætermittat, pro dimidia officij parte prætermiſſa, dimidiam partem reſtituat fructuum illi diei correſpondentem, dimidiam autem officij partem declarauit eſſe Matutinum & Laudes, alias vero ſex horas, conſtituere aliam dimidiam, pro quarum ſingularum omiſſione, ſextam partem fructuum C illius diei amitti declarauit.

Infertur ſecundò, Quod cum reſtitutio ſit pœna ſecundum Suar. *tom. 2. de religione trac. 4. lib. 4. cap. 30. nu. 16.* ea non teneri, qui citra culpam horarum officium præterit. Azor. *ca. 14. de horis q 7.*

Ratio eſt, quod pœna ordinariè culpæ cohæreat, vt effectus ſuæ cauſæ, Auguſtini teſtimio *libro 5. de ciuit. cap. 9. & 11. retract. cap. 9.* vbi hæc habentur. *Omnis pœna ſi iuſta eſt, peccati pœna eſt.*

Comprobat eam ſententiam, *caput cognoſ* D *centes de conſtitution.* his verbis: *non decet rem quæ culpa caret, in damnum vocari;* ratioque ipſa, nam eſt pœnæ irrogatio, iuſtitiæ vindicantis actio; at in quos animaduerti legibus ſolet, quam reos magnorum criminum? qui capite demeti, qui plecti ſolent, quam impietatis conuicti publice? ſupplicium ergo luere nullum debet, qui culpæ non eſt affinis. Sane cum de reſtitutione Cõncil. loquitur hanc iis duntaxat imperat, *qui ſine legitimo impedimento*, diuinum officium ñon recitant. At eſt impedimentum, cauſæ inſtar: ergo cum talis eſt E aliqua, nulla eſt reſtitutio neceſſaria.

Dixi (ordinariè) quia plecti poteſt innocens, Nauar. teſte *in comment. ad can. paternitas tua 12. q. 2.* & Enchir. *cap. 23. num. 56.* & exemplum eſt in interdicto Eccleſiaſtico, quo ligari innocentes culpaque vacuos, opinio eſt Bonifacij VIII. *in cap. ſi ex ſententia 16. de ſententia excommunicationis in 6.* Similiter qui iungitur viduæ per matrimonium, fit irregularis, in opinione vera & communi quam defendunt de Coninch. *dub. 11. de irregul.* Auila *7 par. diſp. 8. dub. 1.* Gloſſa *in cap. 2. de Bigamis*: at quid habet hæc maritalis coniunctio viri cum vidua, quamobrem ſit vitioſa?

Tertio in Clericorum ordine, infecti lepra, aut ex coïtu nati prohibito, locum non habent Clementis III. decreto *in cap. Tua nos 4. de Clerico ægrot.* Iam quæro, quid peccarit ſpurius, quid leproſus? quamobrem ſuſceptione ordinum arceri debeat? Inſontem afficere morbus hic poteſt, ſpurius autem, parentes licet vitioſos, maleque notatos habeat, poteſt ipſe tamen culpæ expers eſſe: quare concludendum, cum Nauar. *cap. 23. Enchir. num. 56. legem pure pœnalem, hoc eſt, quæ conſtituit pœnam abſque aliqua prohibitione, ad aliquam culpam non obligare quatenus eſt talis*, ſed ſupponere tantum cauſam. Itaque de pœnitente cum ſe reum dicet omiſſi officij, percontari confeſſario incumbit: ecquid ei iuſta aliqua ratio fuerit à negotiis, aut infirmitate petita, non præſtandi officij, qualem ſi repererit, de fructibus eum beneficij reſtituendis non vrgebit.

Regula octaua, quando lex aut canonica ſanctio cauſam indicat, cur eam Pontifex ſanxerit, etſi hæc ſit generalis, eſt tamen ad eam reſtringenda rationem, quam continet, nec eam vltra extendi conuenit.

Eſt hæc regula de mente Flaminij *tract. de confidentijs q. 41. nu. 12.* Gomeſij *in regulam cancellar. de infirmis reſignantibus tit. de commenda. q. 13.* Nauar. *conſil. 5. de teſtament.* Sanchez *2. de matrim. diſp. 37. nu. 3.* Azor *to. 1. lib. 5. cap. 16. q. 9.* ſeque tuetur auctoritate Alexand. Papæ III. *in cap. ſuggeſtum q. de decimis*, ibi enim tradit à Regularibus qui rem auxerant familiarem, ſoluendas eſſe decimas, quod vt antea, paupertate non grauentur, à qua tamen prædeceſſores ſui ad illas remittendas videbantur inducti. Lubet eum audire. *Quando ergo*, inquit, *Romana Eccleſia ordini veſtro priuilegia de decimis dedit, ita erant Abbatiæ raræ veſtri ordinis, quod exinde nulli poterat de iure ſcandalum ſuboriri, ſed nunc in tantum augmentatæ ſunt ac poſſeſſionibus dilatatæ quod multi viri Eccleſiaſtici de vobis apud nos querelam proponant*, huic auctoritati adiuncta ſunt rationum pondera.

Prima ſic habet eſt ratio legis cauſa & anima, definitur enim à Diu. Thom. *q. 90. art. 4. Rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis, promulgata*, Ergo ſi hæc ceſſat, ceſſat quoque lex, eiuſq; obligatio, abſque alia ſubrogatione, iuxta communem doctrinam de qua nos poſtea cum de lege.

Tertiò, Ceſſante fine, deſinere quoque eſt neceſſe ea, quæ vt media ad eum tendunt, ſed finis cuius cauſa lex populo imponitur, idipſum eſt à quo ſe ad eam plebi proponendam inductum eſſe Legiſlator aſſerit: ergo intereunte ac ſublato fine legis adæquato, interibit eius vis omnis & obligatio, quia tota cauſa ſic

ſic ceſſante, deſinit lex eſſe rationabilis, & vtilis ad bonum publicum, alias non Breſſerus de *conſc. ſcrupuloſa cap.* 12. Megala *in* 2.2. *lib.* 2. *cap.* 7. *q.* 2.

Infertur primò, Non valere canonem niſi vbi reperitur ratio, cuius cauſa à Pontifice eſt poſitus.

Infertur ſecundò, Religioſos non peccare contra debita ſuperiori obſequia, ſi eant aliquo, quo hic eos ire vetuit, ne ſermonibus ipſi ſuis à labore operarios diſtraherent, ſi id laborent quandiu ibi eos verſari accidit, ne loquantur, aut quidpiam faciant, quod eos ab opere auocet. Quia tum ceſſat ratio legis, & quoniam in *cap. poſtulaſtis* 7. *de Clerico excommunicato*, miniſtris prohibet Innocentius III. ne huic hominum generi Eccleſiaſtica beneficia conferantur, quod cum excommunicatis communicare non liceat, omniſque ſit cum iis citra neceſſitatem vitioſa congreſſio, eam ob rem, ſi eorum aliquod, deferatur excommunicato quidem, ſed occulto, aut ſi cognito, tolerato tamen, confertur valide, quia deeſt legis ratio, nec vlli eſt per leges Eccleſiæ vetitum, res negotiaque habere cum excommunicato tolerato.

Infertur tertiò, Non teneri reſignatorium Parochialis Eccleſiæ, initiari ſacro ſacerdotij ordine elapſo anno, vt præcipitur canone 14. *licet canon de electione in* 6. ſi reſignans omnes ſibi eius fructus dum viuet, ex cõceſſione Papæ retinuit, ita Rebuff. 2. *part. prax. tit.* 19. *de non promotis intra annum nu.* 13. quia ceſſat, (inquit) ratio *cap. commiſſa* 35. *de electione in* 6. Enimuero fieri ſacerdos debet vt ſeruiat, at cũ hic nihil habeat, nec de altari viuat, ſeruire non tenetur, *cap. cum ſecundum de præbendis*, vnde *ille qui recipit fructus, tenetur Sacramenta adminiſtrare*, & tenebitur reſignatarius eo mortuo promoueri, Rebuff. ſupra.

Secundo ceſſat ratio, *cap. commiſſa citati, vt retrocedere poſſit, poſt fructus perceptos, quos hic non percipit, nec debet imputari iſti qui beneficium accepit, ſicut deberet imputari ei, qui accepit beneficium, ſicut ſi cœpiſſet beneficium cuius nulla ſunt fructus, quia tunc habet titulum & curæ exercitium, non autem quando ſunt omnes fructus reſeruati reſignanti, quia hic habet curæ exercitium auctoritate Papæ: ergo non debet imputari illi qui accepit titulum beneficij cuius fructus non poteſt percipere.* Hæc ille.

Infertur quartò, Cum qui contraxit matrimonium coram Parocho, & teſtibus, ſed inualidè, ob occultum impedimentum, puta quia rem cum matre ſponſæ ſuæ, aut cum eius propinqua, in gradu aliquo prohibito habuit, habita eius impedimenti diſpenſatione à Pontifice, non teneri iterato adhibere Parochum, aut alios, in teſtes renouati ſui conſenſus, Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 37. *nu.* 3. quia ceſſat in hoc caſu ratio, cur lex voluerit, Parochi & teſtium

A conſcientia, matrimonium iniri. Nempe vt conſtaret Eccleſiæ de conſenſu contrahentium, oreque teſtium ſi quando illud negatum irent, argui poſſent, ac conuinci mendacij, & ita ne ad ſecundas nuptias conuolent impediri iuridice: ergo cum id ſit factum antea, cunctiſque notum, eos inuicem ſocietatem coïuiſſe matrimonij, non ſunt iterato vocandi teſtes & Parochus.

Infertur quintò, Non neceſſario iudici parendum eſſe, cum rem ſibi, aut Parocho indicari ſub excommunicatione præcipit, ſi is cuius cauſa agitur, peccare deſtitit, aut ei, cu-
B ius cauſa, literæ vt vocant monitoriæ de ſuperiori loco ſunt lectæ, facta ſit bonorum auerſorum reſtitutio, aut famæ reparatio, Diu. Thomæ 2.2. *q.* 33. *art.* 7. Syluest. *verbo denunciatio q.* 4. Sot. 5. *de iuſtit. q.* 5. *art.* 1. Auilæ 2. *p. cap.* 5. *diſp.* 5. *dub.* 4. Nauar. *cap.* 25. *nu.* 46. quia ceſſante fine, ceſſant & ea, quæ ſunt eius cauſa inſtituta, ſed finis monitorij eſt ſatisfactio, vel reſtitutio facienda læſo, aut delinquentis emendatio: ergo ſi hæc præſtita erunt à nocente, obſequendi iudici nulla remanet obligatio.

C Secundo, de peccato ideo fit quæſtio, vt corrigatur eius auctor, aut læſo fiat à lædente ſatis, at vtrumque ceſſat, cum peccatum emendatum eſt, & fuit ſecretum, quæ eſt vt dixi Nauar. opinio *cap.* 25. *nu.* 46.

Infertur ſextò, Cum facta beneficij collatio eſt lege canonum irrita, ob culpam conferentis, aut eius qui recipit, hanc pro inani nullaque habendam non eſſe, quando ab iis nihil eſt peccatum, ob eam cauſam beneficio ei abeundum non credo, quod eſt ſe neſciente impetratum ſimoniacè, quia vbi culpa non
D eſt, cuius puniendi cauſa lex eſt poſita, nec ſequi debet pœna, ſed irritatio collationis ſimoniacæ, fundatur in culpa beneficiarij, quam punitam voluit Pontifex nullitate beneficij ei collati: ergo cum ignorantia culpam ab eo remoueat, remouebit & pœnam.

Infertur ſeptimò, Nec Parochum, beneficio ſuo priuatum eſſe defectu ordinis, intra annum à pacifica poſſeſſione non recepti, ſi hic culpæ argui nequeat, nempe quia Epiſcopus abfuit, vt eſt *in cap. commiſſa* 35. *de electione in* 6. aut quia per ægritudinem domo egre-
E di, ac committere ſe viæ Parocho non licuit. Enimuero cum magiſtratu ſibi tradito, decedere iubeatur, ob eam duntaxat cauſam, quod in fungendo munere ſit negligens, ſecundum Leſſium *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 19. nec hæc in eum culpa cadat, cum alterutrã de cauſis allatis, eum à recipiendo ordine cohibuit, patet eum tum Parocha ſua iuſtè priuari Epiſcopi auctoritate non poſſe.

Regula nona, Canon quo quid prohibetur aut punitur extendi extra caſum ſuum non debet, Nauar. 3. *conſil. iuxta* 2. *edit. conſil.* 5. *de*

teſtamento nu.7. Flamminius *de confid.b.41.nu.12.q.42.nu.9.* Rebuffus *2. parte praxis de non promotis titul.19 num. 59. & 60.* Sanch. *3. de matrim.diſp.51.nu. 12.* Reginald. *tom.1.lib.13. cap.25.num.262.*

Primò, quia odia cohibere conuenit, non laxare, *de reg. iuris in 6. regul. 49.* & pœnæ ſi Iuriſconſulto fides eſt, *in dig. de pœnis legum, interpretatione mollienda ſunt potius quam exaſperanda de pœnit. diſt. 1. can. 18.* ideoque proprium caſum non excedunt.

Secundo, eſt lex quæ quidpiam prohibet, adnumeranda pœnalibus: ergo reſtringenda per *leg. cum quidam digeſt. de liberis.*

Tertio, cum Pontifex caſum in lege ſua alium non deſignet, quam qui exprimitur, tacere cum de aliis, argumentum eſt non leue, eoſque proinde illa non comprehendi, alioqui declaraſſet.

Quarto, etſi crimina punienda eſſe, bene inſtituta ratio doceat, non tamen hac aut illa pœna ſpeciali, ac determinata, quod ergo hæc ſit ſubeũda nocenti, & non alia, cauſa eſt in legiſlatorem referenda, cui ita placuit, ob rationem ſibi ſoli notam. quæ ergo eius voluntate decreta eſt ſceleri pœna, non eſt transferenda alio, id enim ſi legiſlator è re communi Eccleſiæ, aut priuata priuatorum eſſe hominum crediderſſet, minime tacendum putaſſet, ſed quod feciſſe pleroſq; conſtat, extare de ſua voluntate voluiſſet, literis expreſſum monumentum aliquod, ſit pro exemplo Alexandri III. decretalis *ad audientiam duodecima de decimis*, cum enim Ciſtercienſes aſſererent, eius ſe priuilegio exemptos eſſe à pendendis decimis pro noualibus, quæ ipſi propriis manibus, ac ſumptibus excolerent, reſpondit id ſibi nunquam veniſſe in animum. *Nam ſi.* inquit, *intelligeremus de noualibus poneremus.* Ita quia Pius IV. & V. meminere in Bullis ſuis dantium aliquid examinatoribus, pro approbatione, aut non opponentium ex pacto defectus in concurſu, qui ſi exponerentur, beneficium is cui confertur non obtineret, neutri ſimoniaci confidentiales ſunt habendi, opinione Flamminij *de confid. q. 47. nu. 4. & q. 48. n. 2.*

Cauſa eſt, quod Pij conſtitutio cum ſit odioſa & pœnalis, non niſi in caſibus expreſſis locum habet Nauarrus *Concil. 66. de ſimonia*: at hi duo non narrantur in Bulla, non penitus tamen ſunt à culpa ſimoniæ liberi, tam dantes pro approbatione ad beneficium, quam pro defectu oppoſitionis vitij, cuius cognitio, retardare collatorem ab eo dando potuiſſet ex Nauarro *Concil* 58. Trident. *ſeſſ. 24. cap 18.*

Secundò, quia in *cap. licet canon 14. de electione in 6.* iubentur Parochi intra annum promoueri eo quod animarum curam gerant, quemadmodum & Vicarii perpetui, qui etſi non ſint Eccleſiarum, Rectores, præſunt tamen fidelibus, *Clement. vnica de offic. Vicarij Clementina ne in agro Dominico parag. cæterum de ſtatu Monachorum.* Sicut & Priores conuentuales, non videntur hi poſtremi poſſe vi canonis priuari ſuis beneficiis, ſi intra annum à pacifica poſſeſſione Sacerdotes non fiant. Cauſa eſt, quod quæ odioſa ſunt contrahi debeant non produci per regulam iuris, cui etiam addi illa regula poteſt, *in pœnis benignior interpretatio eſt facienda, de regul. iuris in 6.* At eſt beneficii priuatio magna pœna, non eſt igitur trahenda ad alia, quam quibus à canone infligitur. At hæc locum habet in Parochis vitio ſuo non ordinatis, tempore quo canõ imperat: quare cum Priores & Cõmendatarij Abbates, propriè non ſint Parochi, non eſt ab iſtis ad illos, lex deducenda Concilii *in cap. licet can. 14. & cap. commiſſa 35. de elect. in 6.*

Similiter pœna priuationis omnis officii, in Monaſteriis Monialium, quæ incurritur à Superioribus Regularibus, qui illud ſine neceſſitate, ac perſonis prouectæ ætatis religioſis ingrediuntur pœna hæc (inquam) quæ eſt in Bulla Gregor. XIV. quæ incipit, *Dubijs quæ emergunt*, non extẽditur ad ſimilia, cõtra quæ nõ eſt lata talis pœna, nec ſunt religioſi Prælati inhabiles ad officia recuperanda, quibus ſic priuati fuerint, Suar. *diſp. 305.* Henriq. *li. 13. ca. 55. num. 1.* Theſaur. *par. 1. praxis verbo nota ſecundo.*

Ob eandem cauſam ſpurius qui diſpenſatus eſt ad ordines, diſpenſatus ad penſionem aut beneficium non cenſetur, ita Adrianus Iaquelot *in expoſitione beneficiaria nu. 12.* quia diſpoſitio quæ ius commune lædit, ad ſpecifica reſtringitur, nec valet in diſpenſatis argumẽtum à maiori ad minus. Qui tamen eſt ipſo iure ad beneficia inhabilis, eſt quoque ad penſiones, quia nomine beneficiorum veniunt etiam penſiones Gloſſa *in Clement. 2. verbo quodcunque de vita & honeſt. Clericor.* Theſaur. *part. 1. prax. cap. 31. q. 2.* qui id tamen in his duntaxat valere aſſerit, qui ſunt inhabiles non à iure, ſeu per legem pœnalem ad beneficia, ſed ab homine, quia ſententia hominis eſt ſtricti iuris vt docet Garſias *de benef. par. 1. cap. 5. nu. 123.*

Regula 9. In canone pœnali non valet ſimilitudo rationis, Gomeſ. *in regul. Cancell. de infirmis reſignantibus*, quia canon vim aliam non habet quam quæ ei aduenit à voluntate Pontificis: at hic per ſuum canonem non alterius euentus meminit, quam eius, quem pœna deſignata in eo afficit, aut quem prohibet, vel imperat: ergo non eſt applicandus alteri.

Ex hac regula Infertur primò, Non valere hoc argumentum, bis baptiſatus, eſt irregularis, *cap. qui in quolibet, & cap. qui in litterarum*

de Apoſtatis

de Apoſtatis: ergo & bis confirmatus, quia iterato confirmati, nunquam hac pœna ſunt plexi, ſed tantum qui ſacro baptiſmatis fonte, bis ſunt loti. ergo hi, nō illi ſunt inter irregulares numerandi. Nam per *cap. is qui 18. de ſentent. excomm. in 6.* tales ſunt habendi tantum, quorum canon meminit, aut qui id faciunt quod per eum eſt expreſſe prohibitum.

Infertur ſecundò, Nullum item ac inane in hac materia argumentum eſſe, quo à maiori (vt loquuntur) ad id quod minus eſt, fit progreſſio: & ita hanc illationem nullam eſſe. Eſt excommunicatus, qui librum legit hæreticum, ergo & qui concionem hominis hæretici audit, quia pœnæ hominum voluntate poſitæ non ſunt extendendæ extra ſuū caſum. Patet item hanc illationē nullam eſſe. Eſt excommunicatus regularis, qui iuri ciuili publicè dat operam in gymnaſio: ergo & qui illud ibidem docet: nam hæc pœna eorum tantum eſt propria qui ius ciuile audiunt, *cap. fin. ne Clerici aut Monachi* 10. non docentium.

Inferendum 3. Concludi non poſſe in aliquo caſu, certam pœnam incurri quia incurritur in alio ob ſimilem rationem. Quia cum id ex legiſlatoris voluntate pendeat, ex paritatis ratione inferri nihil poteſt valide.

Infertur 4. Non valere argumentum. Filii reorum læſæ maieſtatis ſunt infames infamia iuris, Sanch. *lib. 2. cap. 28. nu. 4.* ergo & hæreticorum, quia nullibi in eos eſt hæc ſtatuta pœna, & in pœnalibus argumentum à maioritate rationis non valet, Suar. *de cenſur. diſput.* 48 *ſect. 3.* Sanch. ſupra, Theſaur. *par. 2. verbo hæretici cap. 3.*

Inferendum 5. Non valere hoc argumentum. Adminiſtrans Sacramentum Pœnitentiæ, vel Baptiſmi, ſine licentia Parochi, non incurrit pœnas, *Clem 1. de priuileg.* ergo nec qui Sacramenta Euchariſt. Matrimonii, & Extremæ vnctionis, quia etſi eadem reperiatur in Sacramentis Bapt. & Pœnitentiæ prohibendi ratio, quæ in duobus aliis, hæc tamen vetari tantum placuit, non illa.

Inferendum 6. Lege Concil. Trident. *ſeſſ. 25. de regul. cap.* 8. excommunicatione ab his incurrenda, qui mulieres ad alicuius ingreſſum Monaſterij adigunt, non teneri qui per vim, viris auctores ſunt ad factum ſimile, quia etſi pro his par eademque finalis ratio faciat, quæ fauet fœminis, nempe libertati profiteri volentium conſulere, de viris non ſunt loquuti Patres ſed fœminis, & in pœnalibus, par ſimiliſque cauſa locum non habet, eo quod in legiſlatoris voluntate ſit hærendum, cui ſua lege caſum hunc, non illum complecti placuit: Diana *tract. 18. miſcell. 1. par. reſol. 66.*

Inferendum 7. Clericum quem animi impotentia, ad fœdas, turpeſque cum brutis animantibus ſectandas carnis illecebras abiecit, Pij quinti Pontificio contra Sodomitas diplomate nō ſtringi, quia Sodomia eſt à beſtialitate diuerſa: ergo cum lex pœnalis non ſit extendenda ad caſum non expreſſum, etiamſi in illo inueniatur eadem ratio, maxime in foro conſcientiæ vt citati à Diana *par. 1 tract. 17. reſol. 66.* aſſerunt Henriq. Gaſtias Caſtrus de *legib. lib. 6. cap. 3. num. 5.* Sanchez *de matrimon. lib. 10. diſp. 4. nu. 3.* quæ eſt in Sodomitas dicta à Pio V. ſententia, ad Clericos de beſtialitate accuſatos, ac peractos non pertinet.

Inferendum 8. Excommunicationis Eccleſiaſticæ nexibus aſtrictam non eſſe fœminam, quæ profeſſo nubit, quibus tamen tam monialem, quæ eſt tria vota profeſſa, quam qui illam ſibi aſciſcit coniugem, teneri vult in *Clement. vnic. de conſanguinit. & affinit.* Pontifex. Quia etſi vtrobique eadem ſit ratio, lex tamen pœnalis reſtringi debet, non ex identitate rationis ampliari Diana ſupra, & *tract. de legib. reſolut.* 10. Salas *de legib. tract. 14 diſp. 21. ſect. 13.* Peſtel. *in addit. ad dub. regular. verbo lex nu. 11.* ibi enim ad quæſtionem factam, ecquid pœna in vno caſu per legem impoſita, poſſit ad alium extendi omnino ſimilem, quem lex non puniuit pœna tali, quali alium. Reſpondet his verbis: *Nunquam pœnam vnius legis & vnius caſus eſſe extendendam ad alium caſum, etiamſi in hoc ſecundo caſu concurrat eadem ratio vel maior, vel maior malitia ipſius actus.* Ex quo infert, excommunicationem contra dantem licentiam male faciendi latam, ad eum qui fecit prætextu dictæ licentiæ, non extendi, etſi ſit iſtius culpa, quam alterius grauior. Similiter communicantem cum hæretico publico, non denuntiato tamen excōmunicatū non eſſe, ſicut eſt qui rem cū denuntiato habet, etſi vtrobiq; par ſit, eademque ratio, imo, reſpectu communicantis cum hæretico potior, ratione ſcādali, ac periculi amittendę eius ſermonibus ac congreſſu Catholicæ fidei.

Inferendum 9. Quia incertorum bonorum quæ per contractum habentur aut aliter, non eſt iure naturali ac diuino facienda reſtitutio, ſed tantum poſitiuo, *cap. cum tu de vſuris*, inferendum (inquam) eum qui talia penes ſe habet, retinere illa poſſe, ſi non poſſunt remitti ad Dominum, quia nimis diſtat, aut neſcitur vbi habitet. Cauſa eſt, quod canon citatus loquatur tantum de acquiſitis per vſuram, quæ ſi Domino nequeunt, iuſſu ſunt Pontificis largienda pauperibus in pœnam criminis: ergo cum canon extendi extra caſum ſuum non debeat, de bonis incertis aliter poſſeſſis non debebit intelligi.

Regula 10. In pœnalibus verba proprie & ſtricte capi debent, Gomeſ. *in regul. cancell. de infirmis reſignantibus q. 13.* Sanch. 1. *de matrimonio diſp. 17. nu. 4.* Flamin. *de confid. q. 42.* Regin. *tom. 1. lib. 13. nu. 261.* Rationis ſunt eædem quæ allatę proximè. Nempe quod

vt eſt in *reg. iur. in 6. & lege cum quidam ff. de liberis & poſth.* coerceri odia oportet & pœnas, quæ vt habet *can. pœnæ de pœnit. diſt. 1. legum interpretatione mollienda ſunt potius, quam nimis exacerbandæ*, at reſtringuntur, cum proprie capiuntur, dilatantur cum improprie; ergo vt his ſatisfiat legibus, quæ pœnalis erit, ſtricte accipi debebit ac proprie.

Infertur primò, Eum qui per canonem eſt ſuſpenſus ab officio, non eſſe ſimiliter à beneficio, Sanchez *lib 3. de matrimonio diſp. 51. nu. 12.* quia verba legis operari aliquid debent, *cap. Abbate de verbo ſignific. & cap ſi Papa de priuilegijs in 6.* at nihil facerent, ſi ſuſpenſio ab officio comprehenderet etiam ſuſpenſionem à beneficio; ſac enim idem hac verborum forma exprimi, *ſit ſuſpenſus ab officio*, ac iſta, *à beneficio* ſuperfluæ coniungentur quod tamen dici non debet, cum in multis, vtriuſque pœnæ fiat mentio, *in cap. tam literis de teſt. & atteſtat. in fine, & cap. tuarum de priuileg.* in priori enim eſt his verbis: *ab officio & beneficio denuncietis eſſe ſuſpenſos*: ergo qui eſt ſuſpenſus ab officio, talis quoque cenſeri non debet eſſe à beneficio.

Secundo, conſtitutio pœnalis nō eſt extendenda extra ſuum caſum, hoc eſt expreſſum in canone cum odia reſtringi oporteat, lex ergo canonica ſuſpendens ab officio, non ſuſpendit à beneficio, primo, quia hæc duo ſunt diuerſa, & vt talia ſeparatim ponuntur in canonib. ita *quia cap. in omnibus de vſuris cap. finali de clandeſt. diſpenſat.* fit mentio ſuſpenſionis ab officio, eius autem quæ *eſt à beneficio in cap cum in cunctis parag. finali.*

Infertur ſecundò, Parochum qui ſuſpenſus eſt ab officio, per Trident. *ſeſſ 24. cap. 1. de matri.* quia interfuit clandeſtinis nuptiis, non eſſe ſuſpenſum à beneficio, & proinde ſi ſatisfaciat muneri ſuo per ſe, vel alium, conſequi eius emolumenta omnia, *cap. cum ex eo de elect. in 6.* Sanchez ſupra, & Nauar. *tom. 5. conſil. iuxta ſecundum edit. de homicidio conſil. 41. nu. 2.* Gloſſa *in can. Presbyter. 2. q. 4.* Quod ſi interdum aſſeratur, iis excidere iure, id eſt intelligendum tantum, de debitis emolumentis ob perſonale miniſterium, vt ſunt diſtributiones quotidianæ Si tamē vllæ Parocho debitæ ſunt, quia eſt canonicus in eo templo, vbi Parochi munere fungitur, has cum iuſte exigere poſſe & ſine culpa retinere, docet Nauar. *li. 2. de reſtit. cap. 2 parte 2. diff 5.* Henriq. *lib. 13. cap. 4. nu 3.* quia etſi peccet ingrediendo chorum, vt Clericorum more Deo pſallat, tamen eſt hæc eius opera tam digna diſtributionibus, quam cuiuſlibet alterius, ergo negari ei non debēt: etſi iis in pœnam peccati priuari in foro externo poſſit, quandiu tamen id non fit, eas recipit pro ſtipendio miniſterij, quod conſtat tam fuiſſe Eccleſiæ redditum ac quod eſt, à non ſuſpenſo exhibitū, Sanch. *3. de*

A *matrimon. diſput. 51.*

Infertur tertiò, De ſponſalibus intelligi non poſſe decretalem de ſpōſalibus impuberū ſecundam, vbi eſt his verbis: *diſtinctius inhibemus, ne aliqui, quorum vterque, vel alter ad ætatem canonibus determinatam non peruenerint coniungantur.* Nam in eo canone coniunctionis fit mentio, *ne coniungantur*, at ſponſalia proprie non ſunt coniunctio, ſed coniunctionis promiſſio: ergo cum res ſit pœnalis, & prohibitoria, non eſt extra proprium extendenda ſignificatum.

B Infertur quartò, hæreticorum liberos qui ab hæreſi tranſiere ad fidem Catholicam non eſſe proprie irregulares, quia cum hæreticus proprie non dicatur qui reſipuit, & eiurato errore factus eſt Catholicus: lex quæ decernit hæreticorum filios irregulares eſſe, non eſt interpretatione extendenda ad eos, quorum parentes ante mortem facti ſunt Catholici, Regin. *lib. 13. cap. 25. nu. 263.*

Regula 11. Cum verba canonis ex dictis intelligenda ſint proprie, detorqueri non poſſunt ad aliud, quam quod propriè ſignificatur per rem eo canone puniendam, aut punitam,

C quia in pœnis odia ſunt reſtringenda, *de reg. iur. in 6. reg. 15.* at cohibentur, cum pœna canonis applicatur ſoli rei per illum ſignificatæ, & quidem propriè, & non abuſiuè tantum per analogiam aut ſimilitudinem, non eſt ergo legis admittenda interpretatio, quæ ſit apertè verbis eius contraria.

Inferendum primò, Pœnas excommunicationis quæ ſunt latæ ſententiæ contra eos, qui beneficium per ſimoniam obtinent, ad quod ſunt etiam ipſo iure inhabiles, de quibus Paulus II. *extra. 2. cum deteſtabile de ſimonia,*

D non afficere ſimoniacos ſimononia humana quia hæc non eſt niſi impropriè ac imitatione tantum, ſimonia, Leſſius *cap. 35. lib. 2. num. 30.* Sotus *9 de iuſtitia q. 5. art. 1. & q. 7. art. 2.* Nauar. *l. 2. cap. 2.* Eſt enim ſimonia cum temporale ſpiritali emitur, vel contra, at id non accidit in ſimonia iuris humani, quia officia Caſtaldi Oeconomi, Sacriſtæ, Aduocati, Vicedomini, quæ vendi prohibentur, in *can. Saluator 1. q. 3. & can. 5. ſi quis Epiſcopus eadem cauſa & quæſt.* ſunt ex parte temporalia, vt

E videre eſt ex fine adminiſtrationis rerum materialium, vt ſuppellectilis ſacræ, bonorum Epiſcopi, aut capituli, quo referuntur, nam vaſorum quæ ſacris ſunt addicta miniſteriis, curam habet ſacriſta, rerum autem Eccleſiæ & canonicorum, Oeconomus: ergo cum hæc venduntur, proprie non datur pro ſpirituali temporale: ergo nec pœna, quæ eſt ſimoniacorum propria, à vendente aut emente officia talia, cenſenda eſt incurri vlla.

Quæ cauſa, Durando fuit *in 4. diſt. 25. q. 5.* exiſtimandi, non peccari proprie eorum venditione niſi contra obedientiam ſuperiori

ri debitam, in quo tamen audiendus non eſt vt multis argumentis probat Suarez, de *Simonia*, quod Eccleſia propter cohærentiam dictorum munerum cum re ſacra, aut reſpectum ad illam, eadem de illarum numero rerum exemerit, quæ poſſunt pretio diſtrahi; eſt ergo eorum emptio infecta labe Simoniæ. Quia præcepti humani violatio, ad illud eſt reuocanda vitium, ex cuius tam odio, quam motiuo virtutis illi oppoſitæ, inductus eſt ſuperior, ad illud prohibendum ſubditis; ſed Eccleſia tam ex motiuo religionis, quam irreligioſitatis ſimoniacæ odio, dicta officia mutari pecunia vetuit, Leſſius *dubitatione 4. nu.* 25. eſt ergo eorum diſtractio, emptioque ſimoniaca, ſimonia humana ſaltem.

Infertur ſecundo, Suſcipientem tonſuram à non ſuo Epiſcopo; inhabilem non eſſe ad beneficia, eſt contra Leſſ. *lib. 2 cap. 34. dub. 9. num. 49* Rebuff *parag. formula dimiſſoriarum nu. 12. & 29.* Nam in *can. 3. ſi quis auſus diſt.* 71. huius pœnæ expreſſe non fit mentio, ſed tantum nullitatis tonſuræ, quoad eius vſum, à quo ordinatus à non ſuo Prælato ſuſpenditur quandiu illi videbitur: verba canonis qui ex Concil. eſt Niceno depromptus *can. 16.* ſic habent. *Si quis auſus fuerit aliquem qui ad alterum pertinet, in ſua Eccleſia ordinare cum non habeat conſenſum Epiſc. à quo receſſit, irrita ſit eius ordinatio.*

Secundo, quia conſilium *ſeſſ. 7 cap. 10. de reformat.* meminit tantum eorum, qui quatuor ſunt initiati minoribus ab alieno Epiſcopo ſine conſenſu proprij, quos in pœnam peccati per hanc licentiam admiſſi, priuatione priuilegij Clericalis punit, quam in claſſem referri debet capacitas ad beneficia; ergo cum exceptio in non exceptis firmet regulam, exceptio quatuor minorum liberat tonſuratum abſque facultate Epiſcopi proprij à pœna propoſita ei, qui illos ſuſcipit, ſine eius licentia. Hanc ſententiam expreſſe defendit Nauar. *conſ. 11. de temporibus ordinandorum qu. vlt.* Guido Papa *deciſ. 449.* Tolet. *lib. 1. cap. 48. n. 3. & 4.* Deinde ſunt canonis verba accipienda proprie hoc eſt in proprio ſuo ac germano ſignificatu, ſed tonſura non eſt ordo, quæ ergo pœnæ ad male ordinatos pertinent, cum tonſuratis à non ſuo Præſule, non ſunt communicandæ.

Tertiò, Cum propriè hæreticus non dicatur qui renuntiauit hæreſi, infertur vt paulo ante eſt dictũ, legem Eccleſiaſticam, quæ decernit vt qui Patre hæretico ſunt nati, ſint inhabiles ad beneficia, & irregulares, *cap. 2. de hæret. in 6. & cap. quicunque ibid.* extendendam ad eos non eſſe, quorum Patres ad fidem Catholicam ſunt conuerſi, in eaque mortui Reginal. *lib. 13. cap. 25. num 263 ſect. 4.* & expreſſe his verbis Bonifac. VIII. *de hæreticis in 6. can. statutum* 15. *de filijs & nepotibus hæreticorum credentium: & aliorum huiuſmodi, qui tales eſſe, vel tales etiam deceſſiſſe probantur, hoc intelligendũ eſſe videtur, nõ autem illorum, quos emendatos eſſe conſtiterit, & reincorporatos Eccleſiæ vnitati, & pro culpa huiuſmodi ad mandatum Eccleſiæ pœnitentiam recepiſſe, quam ipſi vel eam perceperunt, vel humiliter proſecutioni eius inſiſtunt.*

Infertur quartò, Eum qui metu mortis inter hæreticos pro hæretico ſe gerit, retinendo tamen interius veram fidem in Deum non eſſe excommunicatum, Anton. 2. *par. tit. 12. cap. 5. parag. 1.* Auila *1. par. dub. 11. concluſ. 3.* & alij apud illum, quia lex quæ punit excommunicatione hæreticos, non alios comprehendit, quam qui verè & propriè ſunt tales, at qui obit profana ſacra hæreticorum v. c. cœnæ & eorum conciones audit, animo ab iis auerſo contrariaque ſentiente omnia, quam prædicans loquitur non eſt propriè hæreticus. Enimuero actus exterior, qui ab interno non manat macula caret hæreſis. Eſt enim iudicium cum pertinacia erroneum, circa res fidei, quod nullum is habet de quo nobis hic eſt mentio, cum ſupponatur veram in Deum fidem ſeruare.

Secundo, Per cenſuras punit tantum Eccleſia, actum perfectum vt eſt tractatu de cenſuris dictum, at nec actus externus, ſine interno, nec hic ſine illo in genere moris eſt perfectus: ergo nec pœnæ Eccleſiaſticæ per cenſuram obnoxius.

Infertur quintò, Eum qui cum irregularitate celebrat, nouam aliam nullam contrahere, quia irregularitas proprie ex Sacramentorum adminiſtratione actiua tantum contrahitur, ab eo qui cum cenſura celebrat, ex ſententia Auilæ 1. *part. dub. 5.* ſed irregularitas proprie cenſura non eſt, ex Nauar. *cap. 27. nu. 254.* Indicio eſt, quod cum datur facultas abſoluendi à cenſuris in Iubilæis, in ea licentia ſecundum ſtylum curiæ Romanæ qui facit ius, per *cap. ex literis 11. de conſtit. & cap. quam graui de crimine* falſi, comprehendi non cenſeatur irregularitas, niſi fiat eius mentio.

Infertur ſextò, Eum qui eſt per ſimoniam ſe inſcio admiſſam ordinatus, parente ſcilicet aut alijs, eius initiationem apud Epiſcopum oblatione pecuniæ procurantibus, excommunicatum non eſſe, aut ſuſpenſum, Nauar. in *Enchirid. cap. 23. num. 18.* Henriq. *lib 13. nu. 37. parag. 4.* quia in pœnis voces ſumendæ ſunt proprie vt eſt dictum anteà; at talis non eſt proprie ſimoniacus, vt dicitur expreſſe de ſimonia *cap. 22.*

Secundo, quia vt narrat Leſſius *cap. 35. dub. 24. nu. 136.* eius pœnæ nullum eſt in iure toto veſtigium: ergo cum quemquam non ſit æquum tam inſolenti pœna plecti, vt nulla ſua culpa cogatur ſacris altaribus carere, & inte-

rim cœlibum more, ſine poteſtate ducendæ coniugis viuere, nec iuſtum eſt quoque, cum quo ignorante, admiſſa eſt in eius ordinatione Simonia, tam à ſuſcepto hoc modo ordine, quam aliis, ſuſpenſum eſſe, quæ eſt etiam Nauar. opinio *cap. 25 n. 66.*

Dicendum idem de iis qui pro literis teſtimonialibus aut dimiſſoriis pecunias dedere contra canones 1. *q.* 2. *can. ſi quis Epiſcopum* 4. *& cap. 1. de Simonia*, nam cum literæ teſtimoniales aut dimiſſoriæ, non ſint aliquid ſpirituale, qui eas certo ſibi pretio comparant, non niſi impropriè ſimoniaci dici poſſunt: ergo nec pœnis, quæ in ſimoniacos cadunt, teneri.

Infertur vltimò, Ex probabili DD. ſententia, legem quæ facientem punit, ad eum qui factum præcipit, aut conſulit non extendi, Nauar. *cap.* 27. *Enchir. num.* 61. quia qui conſulit aut præcipit, rem proprie non facit: ergo ad eum pœna facientis trahi nequit: niſi forte quod adnotauit Nauarrus, tacitè aut expreſsè ſua cum lege, aut alia ſimili legiſlator comprehenderet, quod ex earum contextu ac ſerie datur intelligi: expreſſe quidem, *vt in cap. mulieres 6. de ſententia lib.* 5. decretalium vbi ab Alexandro mandantium fit expreſſa mentio, *quod is committat vere, cuius auctoritate vel mandato delictum commiſſi probatur.* Tacite autem, cum niſi ad eum ſeſe lex eius ac canō extenderet, inanis hic eſſet ac ſine viribus. Ita in *cap. quorundam de Iudæis* excommunicantur qui ad Saracenos arma deferunt, quæ ſententia vana foret ac ſine effectu, niſi ad eos quoque pertineret, qui id iubent, cum enim iubentis & facientis par ſit culpa, pari quoque eos affici pœna non eſt incongruum. Ita ob hanc cauſam lege de non ferendis armis ad Turcas eiuſque pœnis, comprehendi conſtat qui ad id Nauarchos adigunt, adhortantur, aut impellunt: extra quos caſus, canon qui agentes reſpicit, ad conſentientes & imperantes non pertinet.

Regula 12. Ita eſt inclinandum in benigniorem partem, cum canonis intelligentia eſt dubia, vt ei, tali interpretatione vis non fiat, quia in lege canonica, Pontificis voluntas ſpectanda eſt, ſequendaque maximè, at ab ea diſceditur, cum à proprio ſuo ſenſu, eius verba detorquentur ad improprium, interpretatione præpoſtera etſi benigna, eſt ergo ab ea abſtinendum.

Excipiendi ſunt duo caſus, Primus eſt, cum quæ verbis vniuerſalibus lex eſt concepta, ſpeciali alia reſtringitur; v. c. ſi ſuſpenditur à ſacris Capitulum, ſi interdicitur ſacris integra ciuitas, eo canone non comprehendentur Epiſcopi, quia eſt alius in iure, quo ex voluntate Pontificis, illius primæ legis amplitudo, reſtringitur ad non Epiſcopos, enimuero negatur ille *in cap quia periculoſum de ſentent. in 6.* Canonicam legem vllam de ſuſpenſione ſubeunda ob culpam, vim exercere ſuam in Epiſcopos, niſi eorum fiat in particulari mentio.

Secundus caſus eſt, Cum ex indiſtincta illa generalitate, verbis non ſatis explicitis ac diſtinctis concepta in lege, ſequitur aliqua iniquitas, nam ad eam vitandam, generalis illa locutio, eſt ad ſpecialem & diſtinctum intellectum coercenda, v.c. excommunicantur, qui cum excommunicatis communicant, in diuinis quidem *cap. ſignificet* 18. *de ſententia*, in humanis autem *cap. penult. eiuſd. m titul.* Ne tamen habere hæ leges videantur plus ſeueritatis quam par ſit, reuocandæ ſunt ad caſum, in quo ea communicatio eſt mortalis, alioqui iniuſtæ forent. Sane fit in decretali Alexand. III. *ſeptima de iudiciis* poteſtas ſingulis, exigendi ab excommunicato debiti, ac ſi eius cauſa ſiſtere ſe iudicum tribunali iubeatur, reſpondere per alium, ne videatur de ſua malitia commodum reportare. Legis ergo generalitas, ne iniquitatem habeat, ad ſpecialem aliquem & diſtinctum caſum eſt reuocanda.

Vnde infert Suarez de *cenſuris in communi diſp.* 11. *num. penult.* à Parocho non denuntiato, Sacramenta communia ac neceſſaria cuiuſmodi ſunt Baptiſmus, Pœnitentia, Euchariſtia, petere quemlibet poſſe. Nam ſi in communi vita, cæteriſque quæ ad eius ſolatium pertinent, mutuis commerciis fugienda eſſet excommunicati non denuntiati congreſſio, canon quo id iuberetur, iuſto foret aſperior, nec humanæ naturæ proinde conueniens, ac ſatis accommodatus.

Regula 13. Clauſula quæ canoni apponitur omnia quæ ad eam non pertinent, ob diuerſitatem conditionis & naturæ, remouet, quia hic maxime ſi quando, valet axioma commune iuris, quod *exceptio in non exceptis firmat regulam*, Eſt pro veritate huius regulæ ratio. Non eſt lex canonica producenda vlterius, quam cenſeatur velle legiſlator, at appoſitio clauſulæ, voluntatem eius ad illam determinat & non ad alia: eſt ergo ad eam reſtringenda. Ita quia *Regul. Cancell. de pacificis poſſeſ. trien.* excluditur Simoniacus ingreſſus, his verbis: *abſque Simoniaco ingreſſu*, cuiuſlibet beneficij facta aliter collatio ab ordinario, cenſenda eſt dare titulum coloratum, vi cuius, prædicto termino ſine turbis elapſo, eſt hæc futura valida; Pontifice Romano ſcilicet ita ordinante, *cap. literas* 4. *de ſupplenda negligentia & cap. placuit* 1. *de præſcriptionibus*, qui tranſlatus eſt ex Concil. Africano *can.* 6. docentque expreſsè Rebuff. *de pacif. poſſeſſ. num* 8. & Gomeſ. in dictam regulam, *exceptio.* 10. *num.* 9. Azor. *tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 35. *qu.* 8. ſūt hæc canonis citati verba. *Placuit vt ſi quiſquam locum aliquem ad Catholicam vnitatem conuerterit,*

conuerterit, ſi eum pertriennium, nemine repetente tenuerit, vlterius ab eo non repetatur.

Regula 14. Nunquam per canonem, abrogatur lex aut conſtitutio illi contraria, niſi ei expreſſe derogetur, habetur *cap. 1. de conſtitut. in 6.* vbi hæc leguntur. *Ipſis dum tamen ſint rationabilia, per conſtitutionem à ſe nouiter editam, niſi expreſſe caueatur in ipſa, non intelligitur in aliquo derogare.*

Secundo, *Omnis res per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur,* extra *de regulis iuris regul. 1.* ſed habet conſuetudo vim legis in populo, principe eam expreſſe approbante, aut tacite, vrgere ergo ac premere illa non desinet niſi eodem reclamante.

Tertio, iuris antiqui odioſa eſt correctio *l. præcipimus Cod. de app.* quod adeo eſt verum vt ad eam vitandam licitum ſit recedere à propria ſignificatione verborum quibus eſt compoſita, Sanchez *lib. 1. diſp. 17. num. 6.* Gutierez *3. parte q. 15. nu. 34.* at per canonem nouum, ius antiquum corrigitur, & odioſum eſt ac pœnæ inſtar, quod iura tollantur vetera, inducantur noua: ergo, &c.

Ita quia vt eſt in *can. Sanctorum 2. diſt. 70.* Epiſcopi diſpenſatione, vnus diuerſis præeſſe poterat Eccleſiis, ita & modo eum duabus præfici capellis nihil eſt quod impediat, Rebuff. *1. part. praxis benef. tit. de diſpenſ. ad plura beneficia num. 30.* quia Concilium quo plurium beneficiorum prohibetur poſſeſſio, derogatum noluit Epiſcoporum priuilegiis, ac conſuetudini contrariæ qua ex omni ferè æuo cũ canonicatu quo canonici alicubi fruũtur, alteri quoque præeſſe Eccleſiæ illis licuit, vt ſic eis neceſſarij ad vitam honeſtamque ſui ſuſtentationem commeatus ſuppeterent.

Regula 15. Quando canon, aut lex alia quæpiam Eccleſiæ, fieri aliquid à ſciente exigit, ad incurrendam pœnam ea præſcriptam, vt omnis abeſſe debet ab operãte ignorantia, quantumcunque craſſa, Sanch. *lib. 2. de matr. diſp. 40. num. 40.* quia ſcientiæ contraria eſt ignorantia: ergo ſi res fieri ſcienter debet vt incurrantur ſtatutæ per eam pœnæ, abeſſe ab operante ignorantiam eſt neceſſe, quia non dicitur ſcienter quis agere, quod ignorans facit.

Inferendũ hinc primò, ſeparandos non eſſe coniuges a ſeſe inuicem ob impedimẽtum affinitatis occultũ, cum quo contraxere matrimonium, ſi Eccleſiam illud irritare neſciebant, quia lex Eccleſiaſtica, Trident. *ſeſſ. 24. cap. 5. de matrim.* quæ tale coniugium ſeiunctione coniugum ab inuicem puniendum imperat, excludit ignorantiam impedimenti, quo ne vir & mulier validè & licitè fœdera matrimonij inter ſe coeant obſtatur, & eius è contrario notitiam exigit, vt indicant, hæc verba: *Si quis intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſepare-*

A *tur,* præſumptio enim dolum & temeritatem exigit, ſecundum Card. *Clem. 1. de priuil. q. 39.* Imol. *Clem. 1. de reſcr.*

Regula 15. Lex nulla canonica hominem re poſſeſſa priuans, ſiue illa ſit mere temporalis, ſiue mixta, etiam ipſo iure vel facto inflicta, locum habet in conſcientia ante ſententiam iudicis. Per pœnam temporariam, eſt intelligenda pecuniaria, aut fructuum beneficij priuatio. Per mixtam, eius priuatio, aut ab eo ſuſpenſio, itaque explicata, defenditur communiter a Summiſtis Sylu. *verbo Aſſaſſinus, & verbo pœna* Soario *to. 1. lib. 5 cap. 7. q. 1. & 3.* Fagund. *lib. 8. in Decalog. cap. 29.* & aliis quos citat, noſque antea. Quare differunt in hoc pœnæ Eccleſiaſticæ mere ſpirituales vt ſunt cenſuræ, & irregularitates, à temporalibus aut mixtis, quod cum illæ vt pote priuatiuæ, ad ſui exequutionem, nullam actionem deſiderent, nulla quoque ad eas incurrendas, iudicis ſententia ſit opus, cum aliæ, vtpote poſitiuæ, eiuſmodi actionem exigant, & conſequenter iudicis ſententiam qua imperetur: cũ enim idẽ, agens & patiens eſſe nõ debeat, actionem interuenire aliquam iudicis eſt neceſſe, qua reum pœnis ſubijci oporteat, eiuſmodi actio eſt ſentẽtia, qua de illo, pœnas per miniſtrũ publicum, aut ipſemet per ſeipſum, priuatione rei pecuniariæ, aut beneficij ac eius fructum iactura repetit. Quare vt quis ad beneficium ſit inhabilis, ſententia iudicis eſt neceſſaria Sanch. *de matr. lib. 9. diſp. 31. num. 1.* neceſſaria item, vt mulctam reus ſubeat, ac beneficio iam poſſeſſo excidat.

Eſt autem præter rationem differentiæ, inter prædictas pœnas allatam, & altera, nempe quod pœnæ merè priuatiuæ, ſint ſic vſu receptæ, vt nulla ſententia egeant condemnante aut priuante, Sanch. *9. de matrim. diſp. 30. num. 2.*

Patet ex dictis primò, Coniuges qui cum conſcientia impedimenti conſanguinitatis aut affinitatis, quo tenebantur, matrimonij contraxere inter ſeſe fœdera, iure petendi à ſeſe mutuo debiti cadere, ſine ſententia vlla iudicis præuia, quia cùm ad id nulla ſit neceſſaria actio, eo quod in priuatione ſit huiuſmodi pœna poſita, Sanch. *lib. 9. diſp. 30. nu 2.* nec eſt quoque vlla ſententia neceſſaria.

Patet. 2. Nec neceſſariam vllam eſſe, vt temeritatis ſuæ pœnam Sacerdos luat, qui inconſulto Epiſcopo, Vicario, aut Parocho coniugum proprio, eorum ſe matrimonio præſentem exhibuit, quia eſt hæc latæ ſententiæ, nec ad ſui exequutionem actione indigens verba Trident. indicant, *ſeſſ. 24. cap. 1. Qui alterius Parochiæ ſponſos, ſine illorum Parochi licentia, matrimonio coniungere, aut benedicere auſus fuerit, ipſo iure tandiu maneat ſuſpenſus,*

quandiu ab Ordinario eius Parochi qui intereſſe debebat abſoluatur. Et quoniam explicari decreta Concilij noua, recentiaque, per antiqua Pontificum conuenit, in ea ſum opinione vt credam, loqui duntaxat Patres in citato loco Concil. de ſuſpenſione ab officio ſolo. Cauſa eſt, quod eius tantum, Innoc. Papa tertius meminerit, in decret. *cum inhibitio 3. de clandeſtina deſponſ.*

Quid? quod cum de pœna agitur, eſt autem incertum de qua loquatur canonica ſanctio, quæ eam ſtatuit, eo flectendus ſit animus, quo vocat, trahitque benignitas, Regin. *lib. 13. cap. 24.*

At cui non compertum, humanius eſſe, officio tantum eiuſque vſu interdici, quam iſto & beneficio: ergo cum verba Concilij de ſuſpenſione ſint ambigua, capique tam de officio quam beneficio, aut vtroque valeant, de ea quæ eſt ab officio ſolo, loquutos eſſe Patres mihi non eſt improbabile.

Patet 3. Vt ex inceſto nati coniugio, aut contracto in gradu prohibito, cenſeantur eſſe iure illegitimi, ſententia opus non eſſe. quia cum priuatio imponitur, non vt delicti pœna, ſed ob defectum conditionis, quam ab aliquo lex exigit, ſi re per eam conceſſa gaudere ambit, Iudicis auctoritate ac ſententia, vt ſuum hæc effectum conſequatur, nō eſt opus, patet inductione, Clerico minorum ordinum fori priuilegio gaudere nefas ſi beneficio deſtitutus, veſte Clericorum, propria ornatus non procedat in publicum Trident. *ſeſſ. 23. cap. 3.*

Similiter, qui poſt crinem, ſibi Epiſcopi manu attonſum, in numerum eſt Clericorum allectus, vxorem ducit, priuilegiis eorum propriis non gaudet, niſi ſit hæc vnica, & virgo, *can. vnica de Cleric. coniug. in 6.* Iam quæro, vtrum ſit neceſſe, ad canones, quibus ea pœna imponitur, auctoritatem accedere iudicis? Iubet Innocent. *in cap. cum inhibitio 3. de clandeſt. deſponſat. vt ſi quis clandeſtina vel interdicta coniugia inire præſumpſerit, in gradu prohibito etiam ignoranter, ſoboles de tali coniunctione ſuſcepta, prorſus illegitima cenſeatur, de parentum ignorantia nullum habitura ſubſidium,* quid hic Iudicem loqui, quid præſtari conuenit, cum ea Pontificis oratio abunde mentem eius explicet.

Enimuero cum verbo futuri temporis iungitur particula aliqua, quæ de ſe, ac natura ſua, ſententiam latam inuehit, ferenda non eſt opus, vt docet poſt Tiraquell. *in legem ſi vnquam Cod. de reuoc. donat.* Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 53.* at vim hanc habet hæc dictio *Prorſus* inſerta canoni Prorſus illegitima cenſeatur, Sanch. ibid, ergo.

Regula 16. Quamuis canon Beneficiarium ſuo priuet beneficio, vel fructibus illius, ipſo iure, & præterea addat ante omnem ſenten- A tiam, vel nulla alia requiſita ſententia, non tamen hic obligatur relinquere, aut fructus eius ante Iudicis ſententiam reſtituere. Ita Azor. *to. 1. lib. 5. cap. 7. q. 6.*

Probatur ex *can. pro humano primo de homicid. in 6.* ibi enim, in pœnam Chriſtiani hominis Aſſaſinorum manu occiſi, aut dati de morte ei inferenda mandati, (quanquam mors ex hoc forſitan non ſequatur) occidens aut imperans, *depoſitionis à dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio incurrunt ſententias ipſo facto, & illa liberè aliis, per illos, ad quos eorum collatio pertinet conferri queunt,* & B tamen id fieri prohibetur, niſi *poſtquam probabilibus argumentis conſtiterit eos tam execrabile ſcelus commiſiſſe,* quibus verbis ſignificat cum Innocent. IV. Concil. declarationem facti, ſeu criminis per Iudicem exigi, nec enim pœnæ depoſitionis ab officio, aut beneficio ante ſententiam declaratoriam obligant in conſcientia, Auila *part. 7. diſp. 4. dub. 7.* Suar. *de cenſur. diſp. 3. ſect. 4. num. 22.* Henriq. *lib. 14. cap. 5. num. 1 in commentar. lit. F.* Laym. *lib. 1. tract. 4. cap. 15. nu. 5.* Theſaur. *par. 1. praxis cap. 27. & 5.*

Ratio eſt, quod ſententia proprie aliud ſignificet, quam declaratio criminis, non hæc C ergo his verbis: *abſque ſententia*, in canonica poſitis lege excluditur.

Quid ſi canon pœnam priuationis beneficij, aut depoſitionis ab officio irrogans, declarationem repudiet? quid ſi eam incurri pœnam dicat, *abſque declaratione*?

Vera eſt Doctorum opinio, ne tunc quidem in foro conſcientiæ canoni obſequendū eſſe, niſi poſt declaratoriam facti criminis, Theſauri eſt hic ſenſus *parte 1. praxis cap. 5. reſp. 3. ampliat. 1.* his verbis: *Amplia quod etiamſi lex dicat pœnam amiſſionis bonorum, vel beneficij,* D *ſeu rei poſſeſſæ, incurri ipſo facto ante omnem ſententiam declaratoriam, intelligi debet de declaratoria iuris, & non facti, id eſt, vt non requiratur declaratoria pœnæ incurſæ, ſed declaratoria criminis.*

Quam ſententiam ſunt ſequuti, Sanchez *lib. 9 de matrim. diſp. 30.* Leſſ. *lib. 2. cap. 29. nu. 63.* Vaſqu. *in 1. 2. diſp. 168. cap. 4. num. 25. & 30* Henriq. *lib. 13. cap. 56. parag. 2.* Reginald. *tom. 1. l. b 13. num. 287.* Fagund. *lib. 8. in Decalog. cap. 20.*

E Ratio eſt, quod præter ſententiam, quæ proprie pœnam reſpicit & præter declarationem criminis ſeu facti, opus eſt & alia, quæ vocatur condemnatoria, definitiua, ſeu executoria, maxime cum lex re corporali, & iam poſſeſſa priuat vt ſunt officia, dignitates, & beneficia, Theſaur. loco ante citato, *ampliat. 2.* Suar. *de fide diſp. 22. ſect. 3.* Sanch. *lib. 2. cap. 22. num. 8.* quæ ſententia ferri tum creditur, cum beneficiarius ſuo beneficio priuatur per Iudicem, & alteri confertur, aut certe vacare renunciatur.

renunciatur. Ante hanc ſententiam, re per ſe poſſeſſa, tam ſpirituali, quam temporaria, abire reum non eſt neceſſe.

Sanè cum id legiſlator exigit, ſibique ſub culpæ nexu in eo obſequium reddi cupit, id verbis quæ conſcientiam ſignificant, exprimit, ita in Concil. Trident. *ſeſſ. 23. cap. 1.* eius expreſſe meminit, cum à non reſidentibus, fructuum reſtitutionem pro rata abſentiæ fieri præcipit. *Si quis autem contra huius decreti diſpoſitionem abfuerit, ſtatuit ſacroſancta Synodus, præter alias pœnas aduerſus non reſidentes ſub Paulo III. ac mortalis peccati reatum quem incurrit, eum pro rata temporis, abſentiæ, fructus ſuos non facere, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta illos ſibi detinere poſſe, ſed teneri, &c.* Quare cum lex non niſi ſecundum legiſlatoris intentionem obliget, nolit hic autem ſub culpa à quoquam rem ſuam dimitti ante ſententiam, cui executoriæ eſt nomen, illam ſibi, quandiu hæc in eum nõ manabit à Iudice, impunè retinebit ac iuſtè.

Non habent ergo hæ voces, *ipſo iure, ipſo facto, abſque ſententia, aut monitione alia, vel declaratione*, vim obligandi in conſcientia, non ſunt tamen in exteriori foro inutiles. Prior enim hoc eſt *ipſo iure* efficit vt pœna in foro exteriori ad tempus retrotrahatur admiſſi criminis, Fagund. ſupra *num. 10.* quia ex tunc, hoc eſt à patrato facinore, lata eſt ſententia, condemnatoria pœnæ amiſſionis bonorum, officii, aut beneficij, ſub conditione declarationis criminis factæ iuridicè. Itaque peccat, qui ea titulo non lucratiuo alienat, & à fiſco poſt ſententiã declaratoriam repeti, ab eorũ acquiſitore poſſunt, ac verò etiã eripi.

Secundo faciunt hæc verba *ipſo iure* vt non ſit ſententia condemnatoria noua opus, ad pœnas incurrendas, quæ ſunt per priorem intentatæ, ſed ſufficiat delaratoria tam eius quæ eſt lata, quam criminis facti, quod eſt per Legiſlatorem ea pœna plexum, quæ eſt expreſſa in canone. Particula vero *abſque ſentẽtia*, ſententiam pœnæ quæ infligitur excludit ac reiicit. Abſque declaratione, explanationem criminis ſeu facti.

Patet ex dictis, beneficiarium beneficii fructus quo eſt priuatus, ſecure, ac ſine crimine poſſe recipere, donec fiat eius executio ſententiæ, qua priuatur prædicti beneficii poſſeſſione corporali: Ita Nauar. in *canonem accepta quæſtione §. de reſtit. ſpoliatorum oppoſit. 7. & oppoſit. 8. num. 2. & 19.* Sa *verbo pœna num 1.* Leſſ. *lib. 2. cap. 29. num. 63. & 64.* Regin. *lib. 13. num. 287.* Henriq. *lib 13. cap. 56. §. 3.*

Ratio eſt, quod beneficiarius in ſua prouiſione iura duo accipiat, nempe beneficii titulum, & inductionem in poſſeſſionem realem actualem, corporalem & quamuis priori priuetur per ſententiam, non tamen altera, hoc eſt poſſeſſione, quod eſt planum ex

A *can. 28. licet Epiſcopus de præbend. in 6* vbi dicitur non poſſe eum cuius beneficium iure vacat, vel alteri eſt collatum, de poſſeſſione eius deiici niſi audiatur, *cum ei forſan ius poſſit competere retinendi*, itaque de iure poſſeſſorio, etſi alteri ſit antea, tituli ab ordinario facta collatio, proceſſus tamen inſtituitur, retineturque prædictus poſſeſſor quandiu eſt in poſſeſſione titulum coloratum Leſſio teſte ſupra, & ex conſequenti poteſt fructus beneficii percipere, cum poſſit ſpirituale exercere officium, non item qui titulum habet poſſeſſione deſtitutum, etſi hoc ei attentare contigerit, cenſebitur intruſus Couar. *lib. 3. variar. cap. 16. num. 6* & priuatus ſuo iure Rebuff. *de miſſione in poſſ. ſſ.* Itaque quia præſentare ad beneficia, eſt in fructu, poſſeſſor titulo priuatus ad ea nominat, eiuſque actus, his qui à vero collatore ſeu patrono manant, præferri ait Fabricius in *Theorica tract. de aliis quibuſcunque iuribus nu. 4.* probatque triplici Rotæ deciſione, prima eſt inter eas quæ ſunt de reſcriptis *num. 49. in antiq.* Altera, *quinta eſt de præb.* tertia *de iure patronatus 7.*

Regula 17. Si dicatur in canone, quod C beneficiarius fructus ſuos non faciat, ei imperandum erit ne ſententiam expectet, ſed in conſcientia eos, iniuſſus licet, reſtituat.

Ratio eſt, quod quæ ſunt alterius, hæc ei reddi iure naturali debeant ante omnem ſententiam, ſed fructus quos beneficiarius ſuos non facit, haud dubiè ſunt alterius, ſunt ergo reſtituendi pauperibus aut Eccleſiæ.

Nec eſt tamen Nauar. opinio improbabilis, aſſerentis verba prædicta. *Fructus ſuos non faciat*, ſi ſola ponantur abſque alia clauſula, non obligare in conſcientia, ita ille *Concilio* D *de iureiur 12. num. 10. in fine.* Azor. *to. 2. lib 7. cap. 2. q. 2. in fine*, de quo coniecturam capiũt ex Trid. *ſeſſ. 24. cap. 12.* vbi habetur prouiſos de beneficiis tã curatis, quàm dignitatibus, & canonicatibus in Cathedrali Eccleſia, fructus ſuos nõ facere, niſi intra duos menſes, ab adepta poſſeſſione, *in manibus Epiſcopi, vel eo impedito, corã eius Vicario aut Officiali, orthodoxæ fidei profeſſionem publicam faciant*, ſic enim diſputant Eſt hæc Patrum lex canonica de reſtitutione fructuum, ob non factam profeſſionem fidei, pœnalis, cùm quæ poſſides iure, E his cedere, eaque relinquere aliis, pœna ſit pecuniæ auidis non modica. Sed eſt prædicta Concilii ſanctio, iis concepta verbis, ex quibus obligationem in conſcientia, nexumque colligunt DD. non eſt ergo prolata à nobis regula de obſequendo legi ante ſententiam, cum aliquem fructus ſuos facere negat, vſquequaque vera.

Sanè cum Eccleſia aliquos obligare vult ante ſententiam in conſcientia, has decreto ea de re ſuo, voces addit, quæ dubitationem omnem eximant, vt videre eſt in *Extrauag.*

2.*de Simonia*, & decreto vltimi Lateran. Concilij renouato à Pio V. de *horis Canonicis*, quas qui non recitat, pro rata omiſſionis earum, iubetur fructus perceptos, tanquam rem iniuſtam, pauperibus aut fabricæ Eccleſiæ reſtituere.

Quid ſi in canone, nomen ſit conſcientiæ, quid ſi ei iubeatur quis parere ſub propria eius obligatione?

Eſt id ei faciendum ante ſententiam, vt eſt antea probatum, quanquam non eſt improbabilis Emman. Sa opinio *verbo pœna num.* 1. hanc expectandam videri, cum enim in correctione Romana non ſit hæc reiecta vt falſa, ſed relicta vt probabilis, non eſt damnanda.

Equidem quia humanitas eſſe cordi debet homini, eoque ſit flectendus animus, quo benignitas trahit, cum in pœnis mitior ſit facienda interpretatio, hæc eſt canonum interpreti, in eorum diiudicando nexu tenenda in primis cautio, vt ſententiam exigi nunquam aſſerat, niſi verba legis, quæ in conſcientia aſtringere dicitur, ſint tã plana, perſpicuáque vt de iis ambigendi nulla ſuperſit cauſa, ſi quam præbeant, ei ante ſuperuenientem, nouamque ſententiam, parere non erit neceſſe, Nauar. *in Comment. de datis & promiſſis notab.* 31. *num.* 4. Quod ſi ſint obſcura, ſi dubia, erit tum iuſta credendi cauſa non obligare legem, niſi poſt ſententiam.

QVÆSTIO VIII.

Praxis fori Gallici circa vacationem in beneficiis inducendam.

PRimo, Etſi clam facta collatio, id eſt domi, id eſt remotis arbitris non ſit iure factoque nulla, ex Peruſio *in can. ſi tibi abſenti* 16. *de præbendis in ſexto*, Rebuff. *in concordatis rubrica de collationibus, verbo palã*, Gomez *in regulam de infirmis reſignantibus q* 38. modo ſit is cui beneficium committitur talis, quem vitia animi, corporiſque ab eo conſequendo non remoueant: quia collatoris ad conferendum auctoritas, tenebris non interit, nec eſt quidquam quòd illam à luce hominum conſpectuque mortalium, pendere arguat, maxime cum canonem extare nullum Pontificiæ voluntatis ea de re indicem ac teſtem ſit certum, placuit tamen Senatui, Epiſcoporum ac ordinarii collationi vim demere omnem, niſi quæ facta eſſet luce palam, præſentibus teſtibus, & ſecretario, aut eius loco notariis duobus, Rebuffus auctor *verbo & fuit præceptum.* Cauſa meo ſenſu ita ſtatuendi non fuit alia, quam ne per fraudem ac vitium, Epiſcopi beneficiatis iura ſua ereptum irent, cum nil in hac morum corruptela ſit pronius, quam & ſe illum beneficio præfectum dicere, cuius hi amore flagrent, quo quid accidere poteſt hominum ſocietati funeſtius? ergo vt fraudibus via præcluſa omnis foret, non niſi in aliquorum auribus ac oculis regni lege, moreque fori, facienda eſt collatio beneficij.

Nec eſt id modò ad collationis validitatem neceſſe, ſed exigit inſuper fori praxis, vt qui vocati ad teſtandum, de Epiſcopi erga collatarium ſuum benefica voluntate venient, exceptione omni ſint maiores, & ideò propinqui, familiares, domeſtici apud quos ſæpe locus eſt gratiæ, potius quam virtuti, ab hoc ſunt charitatis remoti munere, vt ad probandum parum idonei, vt ex arreſto anni 1550. probat loco citato Rebuffus.

Tertiò, Cum ab eius voluntate qui poteſt, vim ſuam mutuetur collatio, maximè quam recipientis, id eſt reſignatarii defectus nullus impedit ac vitiat, non eſt ſpectato naturæ iure neceſſe, vllas exarari literas voluntatis huius teſtes, ac auctoritatis in conferente, ac beneficij in eum qui petiit delatiuas, Abbas in *Clementinam dudum in fine de ſepulturis*, Archidiacon *in can. ſcriptum* 6. *q.* 3. Gomeſius in regulam *de non iudicando iuxta forum ſupra q.* 14. quia forum animæ vt iuris apices nõ ſectatur, ita nec his aſtringitur: quare à ſcriptura pendere nequit ius beneficiarij in beneficio, nec ad illud conferendum collatoris ordinarij auctoritas, alioqui pereunte ſcriptura, & hæc quoque peſſum iret, quod eſt improbabile. Sane etſi collatio clam & occultè facta, ſuſpicione non vacet, ex *cap. vnico titulo vt beneficia Eccleſiaſtica ſine diminutione dentur parag. porro*, tamen eſt valida, vt ad eundem canonem *verbo occulta gloſſa annotat*, cum Reginaldo *lib.* 30. *tract.* 3 *ſect.* 6 *nu.* 246.

Nihilominus ſi fides eſt Graſſalio *libri primi Regalia iure* 8. Chaſſaneo *in catalogo parte* 5. *conſideratione* 24. Ad hoc vt in Gallia ſit quiſpiam beneficiarius, eoque appelletur nomine? probare debet, literas ſibi à Papa aut Ordinario ea de re conceſſas eſſe, ſecus eius collatio cenſebitur in foro externo nulla. Nec ſatis eſt per teſtes rem doceri, ſecundum Ioan. de Selua *tract. de beneficiis q.* 22. *tertia partis*, literas quoque ad eam rem adhiberi eſt neceſſe, ſi nullæ erunt, nullus quoque eius futurus eſt titulus, nullum ius, quo fretus, beneficij ſibi ſine literis collati poſſeſſionem ineat, ſibique iure deberi contendat, ac probet.

Tertiò, iure communi exprimẽdus eſt in literis beneficij impetratoriis eius valor, ac ordo, ſi eſt Regularis, Clementina 1. *de præbend.* & *Regula Cancellariæ* 61. Quod in Gallia non ſeruatur. Primò, cùm à Rege impetratur tanquam vacans per Regaliam, Ioannes Gallus *in quæſtionibus acciſis per arreſta q.* 22. Graſſalius *lib.* 2.

Secundò, cum beneficiũ non eſt de numero

conſiſtorialium,

conſiſtorialiú. nam tunc in libello qui per modu ſupplicantis dari ſolet ad Pontificem, pro eius impetratione ſignificare eſt ſatis, quod æſtimetur 24. ducatis non pluribus, cauſa reticendi veri valoris in huiuſmodi beneficiis eſt, quod liberi immunesque ab Annatis Pontifici perſoluendis eſſe Galli velint, conſequuntur id verò, ſi beneficij reditus triginta ducatos de camera non expleant, itaque vt ſe ab Annata liberent, verum beneficij valorem non exprimunt, ſatisfacere ſe officio abundè credunt, ſi quod eſt in vſu communi 24. ducatis de camera, ſua æſtimari beneficia aſſerant, non amplius.

Duo tamen ſunt caſus in quibus eum exprimere eſt neceſſe: primus eſt in nominationibus Academicis, decreto Leon X. *par. g. volumus de collationibus in Concordatis*. Quia Academiæ intereſt noſſe, an qui nominari a ſe ad beneficia appetit, ducentorum aureorum ſummam in annuis prouentibus habeat, cum enim ius ſe eius ad poſtulanda, recipiendaque ab ordinario beneficia vltra non extendat, ne iniquis iſtius poſtulatis morem videatur gerere, eiuſque indulgere auaritiæ, noſſe Academicos conuenit, quid & quantum nominandus de bonis Eccleſiæ poſſideat, ob eamque cauſam eos doceri de valore beneficij eſt neceſſe.

Quid? quod cum ordinarij collatoris iniuria, coniuncta ſit valoris reticentia quo beneficia nominandi æſtimantur? Cum enim hic non teneatur nominatos ad ſacerdotia admittere, cum in annuis obuentionibus ducatos ducentos de camera, poſſident, in eius haud dubiè fraudem cederet, ſi id eum lateret Rebuffus *de nominationibus q. 9. nu. 29. 30. 31. & ſequentibus*.

Secundus Caſus, in quo beneficij verus valor debet exprimi, eſt cum plurium inter ſe beneficiorum vnio petitur. nam eorum opes, abundantiaque prouentuum, vel è contra ſterilitas, inopiaque, iuſta Papæ eſſe cauſa poteſt, vnionis quæ petitur, faciendæ aut negandæ, iuxta Canonem *expoſuiſti & canonem probante de præbendis*.

Nil hic de conſiſtorialibus dico, nam eorum valorē in *Cōcordatis, tit. de annatis*, exponi Leo imperat, quanquam obtinuit Regni praxis, vt in literis, ſuper eorum impetratione ſupplicibus ad Pontificem, non dicantur valere, niſi quingentis florenis, auri taxati de camera, ſaluo iure veri valoris exprimendi intra annum, Fabricius *tract. de annatis de portubus & iure Regaliæ num.* 13. Rebuffus *tract. de mandatis Apoſtolicis parag. ſtatuimus verbo Cathedrales Eccleſias*.

Quartò, etſi vnius tantum qui communiter non eſt alius ab ordinario, ordinarij collatio valeat, eo quod eius ſit Eccleſiam regere, legitimis Parœciis ſingulos paſtores dare, di- A gnis beneficia conferre, niſi fortè id coniunctim ad plures pertineret, quod eſt rarum ac inſolens, licet tamen in Gallia, à Papa & Ordinario, illud ipſum petere beneficium, quod à Rege poſtulatur vt vacans per Regaliam. Quia vtriuſque collationis vnus idemque eſt finis, iura nempe iuribus cumulare, certam ſibi ad beneficium impetratum viam munire, vt ſi Ordinarij donatione illud ſperare ſit nefas, obtineatur Papali ac regia, Forgetus *tractatu de iure Regaliæ num. 26.* Paponius *lib. 2. tit. 3. arreſt. 9.*

B Quinto, ſexto menſe à die impetrati Romæ beneficij, Papæ liberali ac beneficiātia beneficiariū voluntate, de eo authenticis ſcribæ publici literis conſtare debet: quare erit eius collatio in acta Archiepiſcopi, aut Epiſcopi, quorum in Diœceſi ſitum eſt beneficium referenda per Epiſcopatus Notarios, aut ſcribas, octauo autem die, ſi erit beneficij donatio in eo loco facta, vbi ſcribæ verſantur. Sanxit id Henricus eius nominis II. ordinationis a ſe euulgatæ anno 1553. *art. 2. & 4.* his verbis: *Et ſi par meſme prouiſion ſont conferez à deux, ou* C *plusieurs Benefices ſituez en diuers Diœceſes, en ce cas les pourueus ſeront tenus, faire regiſtrer la prouiſion és Greffes ou Regiſtres des Archeueſques ou Eueſques, au Diœceſe deſquels chacun d'iceux ſera ſitué, & ce dedans ſix mois, à compter de la datte des prouiſions quant a celles qui ſeront faictes en Cour de Rome.*

Et quand aux prouiſions faictes par les Legats ou Collateurs ordinaires elles ſeront inſinuées dedans deux mois, & celles qui ſeront faictes és lieux & citez ou ſeront eſtablis les Greffes, ſeront tenus de ce faire au dedans de la D *huictaine de la datte d'iceluy pour le plus tard.*

QVÆSTIO VII.

Praxis fori Gallici circa miſſionem beneficiarij, in poſſeſſionem beneficij. Quis ſit in Gallia beneficiarium in poſſeſſionem beneficij ſui mittere.

ARchidiaconi hoc eſſe iure cōmuni munus proprium, docuere Pontifices. Et quidem Parochos in Parœcias quemque ſuas, E reliquos autem Magiſtratus Eccleſiaſticos, in poſſeſſionem rei ſibi ab Antiſtite delatæ, per eum induci oportere, ſcribit Innoc. in *cap. ad hæc 7. & cap. vt noſtrum 9. expreſſè de officio Archidiaconi*: nam in priori interroganti, *quid ad officium Archidiaconi pertinere debeat*, & in quibus per ipſum cura Epiſcopalis ſollicitudinis releuari, reſpondet his verbis: *In quadam noſtra conſtitutione iam alia vice nos meminimus expreſſiſſe, quod inſtitutio corporalis, tam ſuper beneficiys quam dignitatibus ad ipſum debeat pertinere.* In poſteriori autem ha-

bet quod ad eundem ſpectet *ponere Abbates & Abbatiſſas in ſede*. Sane teſtatur Rebuff. *to. 3. Regiarum conſtitutionum tract. de materia poſſeſſoria nu. 119.* a poſſeſſione beneficij repulſum eſſe qui eam adminiculo apparitoris Regij inierat cuius ad id iure Pontificio nulla eſt auctoritas.

Non eſt tamen hoc tempore in Francia vſus Archidiaconorum vllus, aut ſi aliquis non niſi rarus ac infrequens, inducendis ad beneficia Clericis, id enim Decanos in Neuſtria facere ſolitos, ac Parochiæ ſibi collatæ poſſidendæ Parochis facultatem dare, nonnulli aiunt, Notarios autem in Epiſcopatu Pariſienſi ad eam adhiberi eſt certum. Alibi verò adeſſe è Presbyteris vnum aliquem eſt ſatis, cum Notario tribuſque teſtibus, quorum in oculis pulſantur campanæ, altari oſculum infigitur, ſacer Euangeliorum liber tangitur, aut miſſale, his enim rebus, aut earum aliqua beneficij poſſeſſio capitur, quod ſi templum ingredi, Deum in eo venerari quia eius obſeratæ ſunt fores, beneficiario non permittitur, ſolo peſſuli tractu aut oſtij, explebit officium Rebuffus loco citato *nu. 123. & 122.*

Secundo, cum à Pontifice beneficium eſt impetratum quouis modo vacans, in forma gratioſa, per ſolam & ſimplicem ſignaturam, nec executor eſt vllus Apoſtolicus, quem impetrans conueniat, (hic enim beneficiario datur tantum à Pontifice, cum ex vrbe litteræ mittuntur plumbeæ) à Cancellaria poſtulantur litteræ ad præſidem prouinciæ, quibus ei imperatur, vt explorata prius accuratè, tam per ſe, quam eius rei peritos nummularios, ſignatura Pontificia, mandet Clerico idoneo, vt eum ad quem hæc eſt Roma per Pontificem tranſmiſſa, in beneficii poſſeſſionem realem, actualem & corporalem immittat, ita P. du Clos *ad lib. 1. Flaminij de reſignationibus q. 5. n. 30.*

Secundo, eius ineundæ certa quædam eſt forma in Gallia, quæ ſi non ſeruetur à Papa aut Ordinario, beneficia imperanti fructuoſa non erunt. Et quidem ante omnia poſſeſſionem capiaſt neceſſe, Notariis inſpectantibus, vno aut pluribus, vel eorum loco, vno quopiam Presbytero. Secundo, conſciis aliquot teſtibus. Tertio in Eccleſia Parochiali, quando de eius poſſeſſione capienda agitur, aut cuiuſpiam alterius beneficij in ea exiſtentis, aut certe quod eſt tale, vt ad Capitulum, aut aliud Collegium non pertineat, prouiſum de beneficio ad illud admittere.

Quarto, De ſuperiori loco hoc eſt Parœciæ exedra, frequenti populi concione aut in loco aliquo verbis publico, erit captæ poſſeſſionis facienda publicatio niſi caſus, temporaque rem aliter fieri peterent, tunc enim ſatis foret de poſſeſſione inita, Ordinarios collatores, aut eorum Vicarios ac Officiales præcipuos, vel Patronos commonefacere, iiſque de re tota, literis exarata teſtimonia, manu Notariorum obſignata tradere, viciſſimque ad futuram rei memoriam, de iiſdem exigere, vt inſtrumento publico fides apud poſteros extet, de capta per ſe beneficii poſſeſſione, ordinariis ac Patrono, iiſque quorum id noſſe intererat, ſignificata.

Placet ea de re audire Henrici II. decretum actis Curiæ anno 1550. infertum, vnde doctrinæ huius repetenda eſt veritas. Sic ergo ille *articulo 14.*

Et quand aux Benefices dont la reception n'appartient aux Chapelles & Colleges, comme Cures, Prieurez, & autres Benefices, la priſe de poſſeſſion a'iceux ſera faicte deuant les Notaires & teſmoins, & ſera la publication d'icelle, ſuiuant ladite Reigle, au Proſne de l'Egliſe Parochiale des Benefices, ou aux Egliſes ordinaires, ou ſont leurs iuriſdictions, ou aux Iuges Royaux & Preſidens, ou au iour de marché, où y aura affluence de peuple, ou à l'aſſemblée que pourra faire l'executeur d'icelle, ou par notification, & inſinuation, faite aux Ordinaires, Collateurs, ou Patrons, & Nominateurs, ou à leurs Vicaires, & autres Officiers du lieu Archiepiſcopal, Epiſcopal, Prieuré, & principal lieu du Benefice dont depend le Benefice ainſi reſigné de leurs prouiſions & priſe de poſſeſſion, leur en baillant coppie ſignée a'vn Notaire ou de leur Secretaire, s'ils veulent, de laquelle notification les pourueus en pourront prendre acte des Notaires qu'ils meneront auec eux, ou des Secretaires des Ordinaires, ſi bon leur ſemble, voulons les priſes de poſſeſſion autrement faictes eſtre declarées nulles & clandeſtines.

Etiam huc pertinet, quod de beneficiis in Regalia vacantibus ſcripſere auctores Galli. Ad eorum poſſeſſionem ratam ac vtilem opus eſſe. Primò, vt Bullis Romanis quibus de Epiſcopatu, aut Abbatia collata nominato à Principe conſtat, adiungantur datæ ad Oeconomum Prælaturæ vacantis literæ à Quæſtoribus regiis, quibus, illi imperent, ne beneficii negotia amodo tractanda ſibi putet, ſed illud, eiuſque bona vero ac legitimo eius poſſeſſori, regio nomine adminiſtranda reſtituat ideoque in eius illum poſſeſſionem venire ne impediat.

Eſt hoc ergo Regni Galliæ peculiare, vt ad poſſidenda beneficia conſiſtorialia, Quæſtorum conſenſus atque iudicium poſtuletur, iudicium quidem, de iuramento fidelitatis ac hominio Regi exhibito. Conſenſus autem, quod Oeconomus de commiſſa ſibi per Regem temporali adminiſtratione redituum beneficii abeat eandem eius curatori ac collatario Epiſcopo relicturus à die captæ per eum poſſeſſionis canonicæ, Charondas *lib. 2. Reſp. cap. 3.*

Quartò. Cum eſt de legitimo beneficii poſſeſſore

ſeſſore inter duos lis mota, debet hæc in Fran- A
cia ſummariè decidi, examinatis iam inde a
litis initio vtriuſque titulis, Carolo VII. id
præcipiente *art. 75. ordinationum* quæ illi ſo-
lent vt auctori tribui; *Pource qu'és procés &*
matieres des Benefices les droicts de parties ap-
parent & doiuent apparoir par les lettres & ti-
tres, nous voulons qu'iceux procés ſoient expe-
diez, decidez & determinez le plus brief, &
ſommairement qu'il ſe pourra par les lettres &
titres des parties, quam ad rem, hoc eſt, titu-
lorum productionem, vna dilatio tantum Re-
gis imperio conceditur, non plures, ne Eccle- B
ſiaſtica beneficia diu poſſeſſore interim ca-
reant. Et quoniam vnum præferri alteri, non
decet, quando vtriuſque ius eſt æqualiter du-
bium ac anceps, rei contentioſæ, hoc eſt be-
neficii, fit ſequeſtratio, dumque poſſeſſo-
rium plenè deciditur, recredentia ei cuius
ius eſt in ſpeciem potius Ludouici XII.
decreto attribui debet. *Que ſi par lettres & ti-*
tres le droict dudit poſſeſſeur ne ſe pouuoit promp-
tement adiuger, que la recreance ſoit adiugée,
Ludou. XII. *art. 3. de publicatis anno 1449.*
quod quia facere Iuridici regii nequeunt, niſi C
quæſtione de petitorio, hoc eſt ſpiritali iure
prius habita, quod eſt Laïco iudici vetitum in
cap. Eccleſia 10. de conſtitut. probare nequeo,
etſi id Iuridici Galli priuilegio à Mart. V. ea
de re Gallis, vt aiunt, conceſſo, excuſandum
cum Guidone Papa deciſione prima & Re-
buff. exiſtiment *tom. 1. conſtitution. regiarum,*
tract. de ſentent. executor. gloſſa 1. num. 2. Eſt
autem recredentia, quaſi præiudicialis poſſeſ-
ſorii ſententia, qua res creditur, id eſt ei com-
mittitur, cui recredentia adiudicatur, quæ ta-
men executioni non dabitur, niſi cautione D
ante præſtita, aut ſaltem oblata, de beneficio
eiuſque præſtandis fructibus, ſi eum cauſa ca-
dere accidat. Debet hæc autem eſſe ſuf-
ficiens, *en baillant bonne & ſuffiſante caution*,
cuiuſmodi, non eſt iuratoria ſola, Gloſſa *in*
cap. qua fronte de appell. & in cap. 1. de verb. ſi-
gnific. nec burgenſis quælibet, vt loquuntur,
cum ciues omnes conſtet nõ eſſe diuites, ſint-
que inter eos non pauci, quibus cum domi
panim, foris nihil ſuppetat, vnde contracta
per ſe nomina diſſoluant, aut alios, quorum
ſe fore vades fide data receperunt in iudicio,
palam eſt ab iis quantum eſt ſatis, ſecuritati a- E
lienæ caueri non poſſe.

Tunc ergo erit cautio ſufficiens, ſi fideiuſ-
ſores tribuat, aut pignora, ſi bona ſua omnia
parti quæ cautionem exigit, aut eorum par-
tem ad damnorum præſtationem idoneam
obliget, cuiuſmodi timenda forent, ſi is cui
adiudicata eſt recredentia, in pleno poſſeſſo-
rio ſuccumberet, aut fructus quos lite penden-
dente percepit, reſtituere, propter rei familia-
ris ac domeſticæ anguſtias, victori non poſ-
ſet.

EPITOME TRACTATVS præcedentis, de modis quibus beneficia vacant iure aut facto.

SVNT hi multiplices ac varij, quos tamen ad quinque capita, reuocari poſſe non ambigo, *mortis* tam naturalis quam ciuilis, *renunciationis*, tam puræ ac ſimplicis, quam quæ permutationis fit cauſa: *Matrimonij. Criminis*, ad quod depoſitio aliæque criminum pœnæ pertinent, & *incompatibilitas*, quo modo eſt beneficium, cui animarum procuratio eſt commiſſa, vt Parœcia, cum ſecundo eius generis incompoſſibile, proindeque relinquendum.

CAPVT I.

Quid ſit vacare iure, quid facto.

VAcant ergo beneficia, quæ à nullo poſſidentur, *lege ſi cœtu dig. ad legem Iuliam de vi publ.* vel ſi poſſidentur, poſſidentur non legitimè ac canonicè, ſed male, paria enim ſunt, aliquid non eſſe, & inutiliter eſſe.

Quare vt habet poſſeſſio omnis initium à iure tantum, vel à facto ſolum, à ſententia, aut à iure & facto ſimul, ita & vacare res ſolent, ipſo iure ſolum, per ſententiam, ipſo iure & facto ſimul.

Ipſo iure, vacat quando per canonem re ſua quiſpiam priuatur, abſque alia declaratione iudicis, Extrauag. *Ambitioſæ vnica de rebus Eccleſiæ non alienand.* ibi enim Paulus Papa ſecundus, bona Eccleſiæ qui ab alienat Pontifice ante non conſulto, magiſtratu quem in ea gerit, priuat ipſo facto, illumque *abſque declaratione aliqua vult ſic vacare, vt poßit per locorum ordinarios, vel alios, ad quos eius collatio pertinet, perſonis idoneis libere de iure conferri.*

Vacat ipſo facto beneficium, quando à nullo poſſidetur.

CAP. II.

Quæ ſunt delicta ob quæ beneficium iure vacet.

SVnt autem crimina, ob quæ pœna amiſſionis beneficij eſt ſtatuta, multa, plura, ob quæ decerni poteſt à Pontifice, eiuſmodi tamen non ſunt omnia, ſed tantū grauia, vt eſt in *cauſa* 16. *qu.* 7. *can. inuentum*, & in Trid. *ſeſſ.* 21. *cap.* 6. vbi decretum à Concilij Patribus video, vt qui fœdam, Clericoque indignam vitam agunt, ſi moniti non ſapiant, nequitiamque ſuam ponant, ſed in ea perſeuerent, beneficiis ſuis ab Epiſcopis exuti, extra Clerum contempti viuant. Senſus idem Coraſ. *par.* 1. *cap.* 1. Rebuff. *par.* 3 *prax. tit.* 1. *nu.* 61.

Dixi *grauia*: Eſt enim beneficij priuatio, auctoritate facta Epiſcopi, maxime cum eſt vnum, Clericoque ad vitam, communeſque eius ſumptus neceſſarium, tam ei metuenda, quam cuilibet de turba bonorum confiſcatio, at hanc leuis alicuius noxæ, vt ſunt veniales, ac humanæ, pœnam eſſe quis putet? non ergo peccatum quodlibet, ſed graue tantum, beneficij priuatione eſt multandum. Eſt enim hæc depoſitio, degradationi non abſimilis, eiici autem de gradu, ac in ſæcularium ordinem redigi Clericum, ob delictum aliquod commune, nec vitandum facile homini, in hac mortalitate quis non horreat?

Neque tamen eſt exiſtimandum, ei qui iure ſuo beneficio eſt priuatus, illo abeundum eſſe ante ſententiam declaratoriam: ita ſentit Di. Thom. 22. *q.* 62. *art.* 3. quia eſt hæc priuatio iudicii ac ſententiæ executio, at hæc ex hypotheſi necdum eſt lata, ergo non exequenda, ergo nec beneficii eſt ante ſententiam relinquenda poſſeſſio.

Contingit autem hæc vacatio, ipſo iure inducta ex beneficiarii delicto, aut quaſi delicto, primo ex ſimonia, *cap. inſinuatum de Simonia, cap. cum deteſtabile eod. titulo in Extrauag.* oportet autem hanc realem eſſe, vt ſignificat Nauar. *ca.* 23. *Enchir. nu.* 104. Conuentionalis Simoniacorum pœnis non ſubiacet, Leſſ. *de Simon.* factaque ab eo collatio, qui ipſius eſt reus, rata eſt ac valida Nauar. ibid. *nu.* 105.

Secundo, Schiſmaticus beneficium ſuum ipſo iure perdit, Rebuff. *num.* 29. Pelagius 23 *q.* 5. *can. de liguribus* 43. vbi ait, priſcis priſcorū Patrum ſanctionibus, Eccleſiæ in more eſſe, vt hæc *facientes ſciſſuras, in ſancta Eccleſia, non ſolum exilys, ſed etiam proſcriptione rerum, & dura cuſtodia per publicas poteſtates coerceat,* cauſa autē 24. *q.* 1. *can. qui contra* 22. qui eſt ex epiſtola Liberii ad Athanaſ. tranſlatus in cauſam citatam hæc habes. *Qui contra Eccleſiæ*
A *pacem ſunt, ſi dignitatem aut cingulum militiæ habent, nudentur eis, ſi autem ſunt priuati, ſi quidem nobiles exiſtunt, ſuarum ſubſtantiarum proſcriptionem patiantur*, mirum ergo videri nulli debet, ſi quod Laïcis ob turbatam Eccleſiæ pacem, inducta in eam ſchiſmata, ſupplicium à Papa imponitur, irrogetur & Clericis.

Tertio, ipſo quoque iure beneficii vacatio accidit ex hæreſi *ca. ad abolendam extra de hæretic. & cap. cum ſecundum leges, cap. vt commiſſi eod. tit. in* 6. quod eſt vſque adeo verum
B vt Alexand. IV. *cap. quicunque de hæretic. in 6 parag. hæretici*, hæreticos, credentes, receptatores, defenſores, & fautores eorum, ipſorum filios, vſque ad ſecundam generationem à beneficiis remouerit, eos tamen beneficiis quæ ante admiſſum crimen eorum parentes poſſidebant, priuatos non dicit, vt notauit Rebuff. 3. *par. prax. tit.* 1. *num.* 25.

Quarto, Vacat iure beneficium Aſſaſini, *cap.* 1. *de homic. in* 6. Homicidæ paſtoris Eccleſiæ *cap. in quibuſdam de pœnis*, falſificantis literas Apoſtolicas, *cap. ad falſariorum de crimine falſi.* Adminiſtrantis beneficiā à quibus eſt ſuſpenſus, ob calumniam accuſatæ electio-
C nis *cap.* 1. *parag. finali de electionib. in* 6. Apoſtatæ à fide, religione, & clericali ordine, de primo idem Rebuff. ſupra *n.* 47. ſtatuit quod de hæretico, cum ſit hic eo peior, quo plus eſt à tota fide, ac Chriſtianiſmo deficere, quam à parte. Quod ad alia duo Apoſtatarum genera ſpectat, dicēdum eſt, beneficiis ſi moniti non reſipiſcant, priuandos eſſe, iure tamen ab iis excluſos non eſſe.

Quinto, ſunt & periuri priuandi beneficiis *cap. querelam de iureiur. cap.* 2. *de reſcript. cap. accedens de accuſationib. cap. denique cum non*
D *ab homine de iudicijs*, ibi enim, qui periurii eſt crimine irretitus deponendus dicitur: ergo & beneficio priuandus, cum eius priuatio, ſit veluti quædam à ſtatu Clericali depoſitio.

Sexto, Blaſphemi in Deum beatamque Dei matrem ſi ſecundo de eo crimine conuicti fuerint, incurrunt infamiam & inhabilitatem ad quæcunque beneficia, dignitates & honores obtinendos, ſi tertia vice accuſati, deque eo crimine peracti erunt, hoc ipſo omnibus beneficiis, dignitatibus, & officiis priuan-
E tur: ita Iulius III. in Bulla quæ incipit *In multis* de anno 1554. Seuerior in id genus hominum Leo decimus extitit in Bulla quæ incipit *ſupernæ* anni 1515. vbi vniuersè loquēs, ſecundo conuictum blaſphemiæ, beneficio priuat ſi vnicum tantum habuerit, quod ſi plura, quocunque ordinario viſum erit.

Sextò, qui vi fraude, aut mala quapiam arte, ſine inſtitutione Epiſcopi præuia irrepſit in beneficium, eo eſt priuandus, quia eſt intruſus *cap. cum qui de præbend. in* 6. Item qui

Cardinali vim fecit, qui fugientem eſt inſequutus hoſtiliter, qui innocentem percuſſit, aut perſequentium ſocius fuit ac comprobator, *cap. 5. de pœnis parag. fœlicis.*

Septimo, Quia *Clerici qui illa incontinentia quæ contra naturam eſt (propter quam ira Dei, venit in filios diffidentiæ & quinque ciuitates igne conſumpſit) deprehenſi fuerint laborare*, decreto Alexcxand. III. *in cap. Clerici 4. de exceſſib. prælatorum deijciuntur à Clero*, ideo ſunt Sodomitæ, à beneficiis quæ poſſident, iudicis auctoritate deturbandi, ſi ſunt notorii, iure autem nouo, vbi eſt Pii V. Bulla recepta, iure ſunt ipſo priuati.

Octauò, Excommunicati celebrantes, beneficiis ſuis ſpoliari poſſunt, *cap. fraternitati 6. de Clerico excomm. miniſtr. & cap. ſeq. poſtulaſtis Clericis excommunicationis vinculo innodatis Eccleſiaſtica beneficia conferri non poſſunt, nec illi valent illa retinere licite, niſi forte cum eis fuerit miſericorditer diſpenſatum.*

CAP. III.

An Beneficia aliqua vacent ex quaſi delicto, & quæ

PRæter hæc ſunt & alia, quæ vacationem afferunt *ex quaſi delicto*, veluti. Primò, cum quis beneficium adipiſcitur, quod eſt incompatibile cum primo, hoc ipſo enim amittit primum, ideoque vacare cenſetur, quia cum ſint voluntate Eccleſiæ incompatibilia, qui ſecundum acquirit, prius deſerit, ſicut qui viuere reſpuit, mori vult & appetit, vacat ergo beneficium primum acquiſitione alterius, quod eſt cum eo incompatibile, niſi tali vacationi, per debitam diſpenſationem eatur obuiam, *Clem. finali de præbend. cap. de multa* 28. *extra de præbend. & cap. cum ſingula 32. eod. tit. in 6.* vbi eſt his verbis: *Statuentes vt quicunque ipſorum prioratum vel Eccleſiam talem obtinens alium receperit, primum, quo ſit ipſo iure priuatus, ſtatim omnino dimittere teneatur, per eum ad quem pertinuerit, libere alteri conferendum.* Excuſat diſpenſatio à Pontifice impetranda, vt eſt *in cap. de multa 28. de præbend.* quæ perſonis ſublimibus, *& literatis, quæ maioribus beneficijs ſunt honorandæ*, negari non debet *cap. de multa cit. parag. extremo circa ſublimes.*

Secundò, vacat ex quaſi delicto Eccleſia, ex qua quis transfertur in aliam, quam acceptauit, *7. q. 1. can. in apibus 41. vt enim in apibus princeps vnus eſt, ita ſinguli Eccleſiarum Epiſcopi, & omnis ordo Eccleſiaſticus ſuis rectoribus nititur.*

Tertiò vacant ex quaſi delicto beneficia contrahentis matrimonium tam verum ac validum quam nullum, tam conſummatum,

A quam non, ita Alexand. III. *in cap. 1. de Clericis coniugat. & cap. 3. quod at & cap. 5. diuerſis fallacijs*, eſt hæc tamen pœna ferendæ ſententiæ nam *in cap. quod à te 3. eo quod ſint indigni tractandis rebus Eccleſiaſticis, beneficijs priuandi dicuntur.*

In quinto autem mandat Innocent III. Noruicenſi Epiſcopo quatenus huiuſmodi *Clericos qui matrimonia cõtraxerant, beneficijs Eccleſiaſticis quæ erant in eius Diœceſi adepti, omni appellatione remota priuaret.*

B Et quoniam ſunt penſiones inſtar beneficii, ex multorum opinione, non noſtra tamen, danturque Clerico tanquam beneficii reſignati portio, eodem modo per contractum matrimonium vacare ſunt cenſendæ quo beneficium.

Vacat item Parochia, per non promotionem ad Sacerdotium intra annum, ab obtenta eius poſſeſſione pacifica, *ca. licet canon 14. & ca. commiſſa 35. de elect. in 6.* eſtque talis priuatio iure ipſo, latæque ſententiæ, non ferendæ, ſic enim canon 14. citatus, *intra idem tempus*, id eſt annũ, *promotus ſi non fuerit, Eccleſia ſibi* C *commiſſa (nulla etiam præmiſſa monitione) ſit præſentis conſtitutionis auctoritate priuatus*, Clarius idem *in ca. cõmiſſo 35.* nam ibi de quodam qui infra dictum tempus rationabili cauſa ceſſante promotus non fuerat, dicitur, *quod Eccleſia ipſa iam priuatus exiſtebat*, quod de iure duntaxat, non de facto par eſt intelligere, cum ſine executoria ſententia, qualis eſt, eius iudicis à quo beneficiũ ei ſuum eripitur, ab eo nõ promotus decedere non debeat.

Sextò, Eo quoque eſt priuandus qui poſt monitionem, durante negligentia & contumacia, horas canonicas, vt eſt neceſſe non D recitat, Concil. Lateran. ſub Iulio II *ſeſſ. 9.*

Septimò, Frequens eſt, eaque iuſta pœna beneficiarij non reſidentis, depoſitio, dignitatis, ac beneficij amiſſio, iuſta quidem, nam quid eſſe poteſt æquius quam quod negligitur, negligenti eripi, darique alteri? frequens autem nam *cap. ex parte veſtra de Cleric.* non reſidentib. Decanus Cœleſt. III. iuſſu dignitatem amittit, *& cap. qualiter eod. titulo*, Archiepiſcopus Raguſinus mandato Innocent. Papæ tertii, Archiepiſcopatu priuatur ob abſentiam, & quilibet Clericus *cap.* E *inter quatuor & cap. vlt. eiuſd. tit.* In eandem ſententiam eſt Lateran. Concilii ſeueriſſima in Clericos omnes ſanctio *cap. quia nonnulli de Clericis non reſid. & 7. q. 1. can. peruenit.* Epiſcopus non reſidens in Monaſterium detrudi præcipitur, ſuaque Anaſtaſio Presbytero Cardinali Parœcia eſt erepta, quod quinquennio ei præſens non fuiſſet *cap. ex geſtis de Clericis non reſid.*

Octauò, ſunt beneficiarii ipſo facto ſacerdotiis ſuis priuati quorum bona alienarunt, Extrau. *de rebus Eccl. non alienand. cap. vnico.*

Item, qui ſine inſtitutione canonica illa poſſident *cap. beneficia de reg. iuris in 6. reg. 1.* aut ſine titulo quia ſic ſunt intruſi *cap. ordinary de officio ordinar. in 6.*

Decimò, qui intra menſem electioni de ſe factæ non conſentit, nec eius confirmationem intra tres menſes petit, priuatur iure electionis quod ei competit, & ſic vacat beneficium, *cap. quam ſit Eccleſiis de elect. in 6. cap. ſi religioſus in Extrauag. communibus de elect.*

Vndecimò, qui ante confirmationem electionis de ſe factæ à Papa habitam, beneficii ad quod eſt electus, adminiſtrationi ſe ingerit: iure ſuo cadit, *cap. auarinæ de elect.*

Duodecimò, vacat beneficium per mortem beneficiarij naturalem aut ciuilem, eſt enim inter Eccleſiam & beneficiarium, quaſi quoddam coniugium, quod neceſſe eſt morte diſſolui, cum nullum officium, propter quod eſt beneficium, exequi mortuus valeat, & ſicut alterutrius coniugis obitu, domus dicitur vacua, ita & Eccleſia.

Decimo tertiò, Vacat beneficium ex reſignatione pura ac ſimplici in manibus Papæ facta, quia eſt hæc, iuris quod in beneficio reſignanti competebat, ceſſio, & quidem ſi eſt ſimplex & abſoluta, non differenda ad aliquod tempus, ſed exequenda illico, ſi ita Superiori videbitur.

DISPVTATIO OCTAVA.

DE VNIONIBVS BENEFICIORVM.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit & quotuplex.

EST vnio beneficiorum ſeu Eccleſiarum ab Epiſcopo, vel alio Superiore facta ad tempus, aut in perpetuum coniunctio, Rebuff. *prima parte praxis rubrica de vnionib. nu. 1.* P. Greg. *tract. de benefic. cap. 20. num. 2.*

Eſt beneficii nomen, numero multitudinis in definitione poſitum, vt innuatur primo, vnionem non vnius cuiuſpiam ſacerdotii eſſe, ſed multorum.

Secundò, vt indicetur non Parochias modo, ſed Epiſcopatus ac Capellanias inuicem necti poſſe, ita duas eiuſdem generis præ-

A bendas, ſi vtilitas & neceſſitas exigat, coniungi poſſe ait Pontifex *in cap. expoſuiſti 33. de prabendis.*

Epiſcopi, aut eius ſuperioris, fit in ea definitione mentio, quia beneficia inter ſe coniungere, eius eſt duntaxat, qui poteſtate, ſeu iuriſdictione fori externi pollet, cuiuſmodi præter Epiſcopum, aut eius Superiores, Papam & Archiepiſcopum nullus eſt ſuper.

Particulæ proximè conſequentes duæ, *ad tempus, aut in perpetuum*, vnionis ſpecies totidem indicant. Temporalem ſcilicet ac per-

B petuam, non extenditur illa extra beneficiati vitam, cuius & vtilitatem reſpicit, eſt iſta ex aduerſo perpetua, nullis temporum circunſcripta interuallis, hoc in primis diſtincta à priore, quod pro fine Eccleſiæ commodum habeat, non alia ſed perſonæ duntaxat, cui collatum eſt beneficium vnitum.

Secundo, eſt poſterior, vera vnio, temporalis autem diſpenſatio potius ac reſeruatio dicenda, quam vnio, vt notarunt, Azor. *to. 1. li. 6. cap. 28. quaſt.* 17. Layman. loco ſupra nominato *num.* 1.

Tertiò, fit perpetua, de beneficiis omnibus.

C Temporalis de compatibilibus tantum ab Epiſcopo, quæ vni ac eidem eodem conferri tempore nequeunt, Staphilæus *de gratijs expectat de modo prouiſionis nu.* 22.

Cauſa eſt, quod in eius non ſit iure, decreta Canonica conuellere, eorum obligationem & nexum tollere, ſed eſt lege canonum, beneficiario prohibitum, poſſidere beneficia duo aut plura, quæ ſibi inuicem in vno eodemque coniungi nequeunt, ſuntque ideo in iure appellata incompatibilia: ergo cum Clerico indulgere Epiſcopus nequeat, vt ea ſibi ſine culpa habeat, ſeruetque, nec eius benignitate

D vniri inuicem ab vno eodemque poſſidenda homine, poterunt.

QVÆSTIO II.

Quotuplex ſit vnio.

VNiendi beneficia inter ſe modos aliquot tradit Panormit. *in cap. 1. ne ſede va-*

E *cante*, Greg. *in tract. de beneficiis cap. 20. num. 2.* Petr. Rebuff. *in praxi benefic. tract. de vnionib. num. 11.* Azorius *to. 1. lib. 6. cap. 28. q. 17.*

Primus eſt, cum ex duobus beneficiis fit vnum, ex duabus Parochiis vna, Papæ auctoritate vel Epiſcopi.

Secundus eſt, cum beneficium colligatur alteri tanquam acceſſorium principali, non quidem vt in vnum quaſi corpus coeant, ſed vt vnum altero ſit ſuperius, quo modo, permittit Epiſcopo Innoc. *in cap. extirpandæ 30. parag. qui vero de præbendis*, Parœcialem Eccleſiam vniri præbendæ, tanquam acceſſoriam principali

principale ſuæ Eccleſiæ, cuius rei eſt hoc argumentum, quod prouiſus de vtraque, per ſe præbendæ obire miniſteria debeat. Parœciæ vero per Vicarium, vt eſt ibi ab Innoc. præceptum quia *oportet eum in maiori Eccleſia deſeruire, ibid.*

Tertio loco, ita adunantur ſacra duo beneficia, vt Epiſcopatus, v. c. vt neutrum ſubiaceat alteri, ſed ambobus ſuum proprium nomen, qualitates, naturam & priuilegia retinentibus, idem miniſter præponatur, quomodo Muſitanam, Cumanæ iunxit Eccleſiæ Greg. 1. *lib. Regeſti 2. epiſt. 31.* Differt autem hic vnionis modus à ſecundo, quod iſte vnam Eccleſiam ſubiici alteri exigat, non tertius, nam Epiſcopatus Paderbornenſis ac Leodienſis qui Colonienſi ſunt in perſona Bauari mutuo iuncti, à ſe inuicem non pendent, nec eſt vnus alteri ſubiectus.

Secundo, differunt vnionis modi hi duo, quod in ſecundo, ea Eccleſia cui vnitur altera, ſit ſuperior & principalis, vnita vero inferior & acceſſoria, quod non habet vnio tertia, in qua beneficia quæ ſic dicuntur vnita, ſunt æque principalia, ex æquo nomen ſuum ac priuilegia conſeruantia.

Eſt & alia differentia, nempe quod in vnione propria, qualis eſt ſecundo loco poſita, ſufficiat, cum vacant hoc modo vnita beneficia, in libello ſupplici qui Pontifici ad ea impetranda tribuitur, meminiſſe eius ſolius quod eſt præcipuum, quia alterum eſt ei vnitum, quod in ſacerdotiis quæ nectuntur ſibi mutuo modo tertio, locum non habet vt patet. Ita auctores qui ſupra, cum de impetrandis beneficiis, eorumque obtinendorum modo, diſputant.

QVÆSTIO III.

Per quos beneficiorum inter ſe vnio, fieri iure queat.

ID tentare & aggredi eſt his duntaxat in Dei Eccleſia licitum, qui eius adminiſtrandæ poteſtate ſunt præditi, quo de genere, cum præter Pontificem Epiſc. & Archiep. alii non ſint ſuper, ab his ſolis cum res exigit, beneficium vnum vniri alteri poterit. Et quidem ſi de Epiſcopatibus agitur, *eos poteſtati ſubiicere alienæ, ad ſummum Pontificem pertinere dignoſcitur cap. ſicut vnire 8. de exceſſib. Prælatorum,* idem dicendū de dignitatibus quæ eius auctoritate, ab Epiſcoporū ſunt iure & cura ſubductæ quas nos exemptas dicimus, nam hoc ipſo quod Papa eas eſſe vult ſui iuris ſibique reſeruatas, ceſſant eſſe in Epiſcoporum poteſtate, & ita ab eis, ob defectum iuriſdictionis, conferri nequeunt. At beneficia quæ ab Epiſcopis conferri nequeunt, hæc eos vnire eſt nefas, cum vnio quædam ſit collatio, licet impropria. Quod autem beneficiorum inter ſe coadunatio ſpectet ad Papam, patet. Enimuero cum quæque ædes ſacra ſuum ſigillatim rectorem deſideret qui eam curet, in eaque ſit functione aſſiduus, id quod ab vno, eodemque homine, pluribus in fanis nequit præſtari commodè, Papæ hic interuenire licentiam ſuper beneficiorum multitudine eſt neceſſe, aut ſacrarum ædium copulatione, quas ſuo cuique adminiſtro peculiariter attribui, cum Concil. Placentinum exegerit qui omnem ſuam operam in eam impenderet, in ea diſpenſare lege ne quid in illam peccetur Romani Pontif. eſt opus, conſequenter & Sacerdotiorum coniunctio.

Quid? quod in beneficiis plenam poteſtatem habeat? *cap. 2. de præb. in 6.* quod ea moderetur ac regat, prout è re eſſe communi, ſpiritu eum inſpirante iudicat.

Eſt tamen, cum in certis caſibus, vniendi beneficii cum alio, Epiſcopo facultatem, ius ipſum tribuit nonobſtante eius reſeruatione à ſancta ſede.

Primus eſt, cum Parochiales Eccleſiæ valde ſunt tenues ac inopes, nam tunc ad earum ſubleuandam inopiam, alia his beneficia vnire eſt Epiſcopo iure antiquo permiſſum, nouoque Trident. *ſeſſ. 21. cap. 5. de reform.* etſi eſſent hæc à Pontif. reſeruata generaliter.

Secundus eſt, cum de ſeminario erigendo agitur: nam tunc vt in eo degentibus ſcholaſticis neceſſaria ad vitam ſubſidia non deſint, beneficia ei ſimplicia vnire Epiſcopus poteſt indulgentia Concilii, vt eſt in eius *ſeſſ. 23. cap. 18.*

Et *in 24 cap. 15. de reform.* ei conceditur, præbendas quæ paucitate ac tenuitate redituum, Canonico, non niſi parce ac malignè ſuppeditant vnde viuat, augere reditibus, coniunctione beneficij ſimplicis vnius, aut plurium, fieri id vero ante eorum vacationem eſt neceſſe: nam cum vacant, quia id hæc ſibi reſeruata eſſe Papa voluit, ad eum ſpectat eorundem collatio, & ita vniri ab Epiſcopo non poſſe dicet Garcias *num. 202.* ex Cardin. declaratione *ſeſſ. 25. cap. 15.*

Poſſe cætera, decretalis indicat Cœleſtini III. & *8. de exceſſib. prælator.* in qua eſt, *Epiſcopi eſſe, Eccleſiarum ſuæ Diœceſis vnionem & ſubiectionem.* Et quia Legato à latere tantundem eſt licitum in Prouincia ad quam mittitur, quantum Epiſcopo in ſua Diœceſi, cenſet Rebuff. ideo *de vnionib. num 24.* ab eo, peræque ac ab illo Prouinciæ ſuæ beneficia vniri poſſe. Cæteri verò qui Epiſcopalem iuriſdictionem non habent, aut maiorem, etſi conferre queant, ſecluſo tamen iure ſpeciali aut priuilegio, beneficia vnire nequeunt, quia maior ad vniendum, quam conferendum poteſtas eſt neceſſaria, patet in Rege, Capitulo,

Decano, & Canonico, qui eſt ad aquilam vt A loquuntur, quos conſtat, tam iure communi, quam ſpeciali Pontificis priuilegio, dignis cum vacant, beneficia dare poſſe, non tamen eadem inuicem ex cauſa quamuis iuſta nectere, niſi hoc eis per præſcriptionem competeret, P. Gregor. in *inſtitut. cap. 20. numero 7.*

Ratio eſt, quod quæ ad iuriſdictionem pertinent, pariter ſibi poſſint, ſed eſt vnio iuriſdictionis actio, hanc acquirere ergo per præſcriptionem, itaque eius faciendæ quiuis poteſt Bleyan. *in Theoria tract. de manual. & vnitis* B *benefic. num. 27.* Rebuff. *1. par. prax. tit. de vnionib. num. 34.* Boër. *in deciſionib. qu. 345. num. 5.*

Non poteſt tamen Epiſcopus beneficia à iuriſdictione ſua exempta vnire, neque ea quæ Papæ, eiuſque prouiſioni ſunt in perpetuum reſeruata, cuiuſmodi ſunt dignitates maiores in Cathedralibus, & primæ in Collegiatis Eccleſiis. Ratio eſt, quod vnire nequeat, penes quem non eſt conferendi ius ac auctoritas, nam eſt vnio, quædam licet impropria collatio. Sed beneficia Papæ reſeruata, vt ſunt dignitates in Eccleſiis Cathedralibus maiores, C dare Epiſcopus non poteſt: ergo nec vnire, cum ſit poſtremum iſtud priore difficilius, vt vel hinc patet, quod conferendi ius longe plures habeant, quam vniendi.

Secundo, nec ea Epiſcopus copulare beneficia poteſt, quæ expectantibus ſpecialiter ſunt reſeruata, vt canonicatus quidam ac præbendæ, Mandatariis Papæ voluntate ac imperio ſeruandæ, nec aliis ſunt cũ vacabunt, conferendæ quam ipſis, quia vt ſunt hæ Mandatariis affectæ, nec illis iuſte eripi, nec ereptæ D dari poſſunt aut coniungi aliis, expectandum erit dum per eorum obitum aut priuationem inſtituti aut commendati à Pontifice, de nouo hæ vacent Caccialupus *de vnionib. art. 4 q. 6.* Azor. *to. 2. li. 5. cap. 20 q. 18.*

Tertio, vt eſt Epiſcopi iuriſdictio poteſtaſque, propriæ ſuæ Diœceſis definita terminis, beneficium in aliena poſitum, cum aliquo de ſuis, nectere nequit, ſine Epiſcopi ad quem eius pertinet collatio, aſſenſu non poteſt.

Nec item quarto Parochiales Eccleſias, *Monaſteriis quibuſcunque aut Abbatiis, ſeu dignitatibus & præbendis Eccleſiæ Cathedralis* E *aut Collegiatæ*, Trident. *ſeſſ. 24. cap. 13.* quæ tamen vnita erant antea, non infirmantur, ſed præcipitur vt *reuideantur* ab ordinario. De Abbate vero quid cenſendum? etiamne, genus hoc copulationum, vnionumque firmare ei in Dei Eccleſia eſt permiſſum?

Si ius ea in re habet Epiſcopalis functionis, quod Epiſcopo idẽ ei quoque hoc in cauſæ genere eſt largiendum, ſimiliter ſi ius iſtud rationemque copulandi ex legitima præſcriptione acquiſiſſe eſt probabile, qualis eſt quæ extra A memoriam hominum eſt concinnata, quia cum ius iſtud vnionum iuriſdictionem reſpiciat, nihil vetat, illud præſcriptione legitima obtineri.

Sin autem vim Abbatum ordinariam ſibique per leges attributam ſpectes, meum eſt iudicium, non poſſe in hac copulationum materia audere aliquid amplius, quam quilibet de turba communis Presbyter, quia eſt hæc poteſtas, fana templaque coniungendi, ſolius Epiſcopalis muneris, vtpote ad Eccleſiæ Diœceſiſque regimen pertinens, de quo præter B Epiſcopum, curam ex officio ſuſcipere, nulli eſt ordinaria via licitum.

QVÆSTIO IV.

Beneficiorum quæ vniuntur quæ ſint affectiones & quales.

PRima eſt, beneficij vniti extinctio, patet, quia ex eo & illo cui copulatur, vnum fit. Secundo, non eſt Parochialis Eccleſia præbẽdæ vnita, beneficium multiplex, ſed vnum C tantum, nec qui de ea eſt prouiſus, habere beneficia duo dicitur, ſed vnum tantum. Non eſt hæc tamen affectio, omnium vnitorum propria, cum quæ ſic vniuntur vt ſint æqualiter principalia, id non habeant.

Secunda eſt, vt vniri ab Epiſcopo ſine Patroni conſenſu nequeant, quia poteſtate vti hic ſua cum detrimento tertij non poteſt. Itaque ſi erunt beneficia vnienda diuerſarum Diœceſeon, præter conſenſum Patroni, exigitur & eius Epiſcopi, cuius è Diœceſi beneficium D alteri nectitur, Bleyan. ſupra *num. 33.*

Tertia, quod in beneficiis vnitis, per acceſſionem, & ſubiectionem non detur vacatio, nam quod non eſt, non vacat. At beneficia quæ inter ſe ſunt vnita hoc modo, nõ vacant, quia ſunt per vnionem extincta, ſuppreſſaque.

Habent ab ea cauſa ſimiliter, vt reſignari, ac permutari nequeant. Eſt enim permutatio rerum exiſtentium, quarum in numerum ea cogi beneficia non poſſunt quæ ſunt aliis vere vnita.

Quarta, vt beneficiarius v. c. Parochus vnius loci, ſit & vniti, & ſic vtriuſque, *cap. no-* E *uit ille 1. ne ſede vacante.*

Quinta, vt in beneficiis vnitis iura Epiſcoporum antiqua, ac ſubiectionem illis debitã, non tollat: hæc enim in eorum poteſtate remanent, patet, quia in qualibet ſuorum Epiſcopatuum parte, iuriſdictionem habent, *cap. cum Epiſcopus de officio ordinarij in 6.*

Sexta, quod beneficium annexum, & id cui nectitur, poſſit ab vno, ſine diſpẽſatione ad plura, poſſideri, *ca. ſuper eo 6. de præbend. in 6. capite cum te de ætate & qualit. ordinandor.*

Septima, quod locus vnitus, viſitari poſſit ab

ab Epiſcopo, peræque ac antea, ab eoque proinde peti procuratio, quia vnio de Epiſcoporum iuribus quæ in vnitis beneficiis habebant ante vnionem nihil adimit, *cap. quia Monaſterium 2. de religioſ. domibus.* Sane cum Gregor. Monaſteria ad diuerſas pertinentia Diœceſes vniuiſſet, *iura ſua ſingulis Epiſcopis inuiolata ſeruari voluit cap. citato.*

Octaua, quod Eccleſia quæ vnitur alteri, eius cui additur, naturam aſſumat, ſuam relinquat, quod enim dixit olim Alexand. Papa III. *in cap. recolentes 3. de ſtatu Monachor.* æquum videri, vt *domus, quæ de aliis inſtitutionibus ad alium ordinem ſe transferunt, eius ſe ſatagant vſibus conformare*, hoc in præſenti cauſa dicitur æquius, nempe, e re communi eſſe, vt quemadmodum Eccleſia vnienda alteri aut vnita, in eius cui vnitur, ſocietatem, ac identitatem aſſumitur, ita & eius cum nomine, naturam induat.

QVÆSTIO V.

Beneficij cum alio coniungendi, quæ ſunt cauſæ.

QVia vnione Dei cultus minuitur (eorum enim Sacerdotiorum, quæ adunantur inuicem, perire alterum & extingui eſt neceſſe, quod ſine diuini cultus, ſi minus interitu, at certe imminutione eſſe nequit) eſt eamobrem Doctorum conſtans, certaque opinio, id laborandum eſſe Epiſcopo, ne quod eſt plurium, vni detur, aut qui alendis binis Sacerdotibus reditus ſufficiunt, vni cuipiam impertiantur, quod cum tamen, cum beneficia inter ſe iungit ac copulat, facere nemo non videt. Quare ſapientiſſimè à Concil. præcipitur *in ſeſſione 7. cap. 6. vt uniones perpetuæ à quadraginta annis citra factæ, examinentur ab Ordinariis, tanquam à ſede Apoſtolica delegatis, & quæ per ſubreptionem vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarentur.*

Item iiſdem imperatur ibidem, vt quæ à dicto tempore conceſſæ nondum in toto, vel in parte ſortitæ ſunt effectum, niſi eas *ex legitimis, aut aliis rationabilibus cauſis, coram loci Ordinario factas fuiſſe conſtiterit*, præſumant eaſdem per *ſubreptionem obtentas fuiſſe.*

Sunt autem vnionis faciendæ, cauſæ plurimæ. Neceſſitas euidens, vel vtilitas: neceſſitas quidem, ſi Eccleſiæ vicinæ, vſque adeò ſint pauperes, vt ad victum ac depenſum diarium Parochorum duorum non ſufficiant, *Clementina Ne in agro parag. ad hæc de ſtatu Monachor.* Ad Clement. accedit auctoritas Concilij in *ſeſſ. 24. cap. 13.* ibi enim præcipit vt Eccleſiæ quæ propter redituum anguſtias, eorumque tenuitatem, illarum neceſſitati ſubleuandæ non ſunt ſatis, ab Epiſcopis vniantur, *ſeſſ. autem 21 cap 7.* decernitur beneficia ſimplicia, etiam iuris Patronatus, transferri alio per Epiſcopum, ex Eccleſiis valeant, quæ vetuſtate, vel caſu cum ſint collapſæ, ob earum inopiam inſtaurari nequeunt.

Secunda cauſa vniendi beneficia, eſt populi paucitas, & Eccleſiarum ſibi vniendarum proximitas. D. Gregor. *lib. 2. epiſt. 21.* ad Benenatum Epiſcop. refertque Gratian. 16. *q. 1. can. & temporis 48.* quod cum accidet, in earum alterutra quas volet, habitare earum præpoſitus poteſt. Diu. Gregor. *ibid.* Eodem pertinet ſi eſt Eccleſia deuaſtata ab hoſtibus *25. q. 2. can. 25. ita nos parag. pars* & expreſsè Gratiano maior Gregor. *in decret. quia de regular.* in hæc verba. *Quia Monaſterium, quod in fundo Martiano ſitum eſt, hoſtilitate faciente dicitur deſolatum, illud tuo Monaſterio, cum omnibus rebus ſuis, vel quæ ei competunt actionibus, perſpeximus vniendum.*

Tertia Eccleſiæ vnius alteri vniendæ iuſta cauſa eſt, quod earum altera, minus quam Parochianos decem habeat 10. *qu. 3. cap. vnic. 3.*

Quarto, transfertur vna, in aliam Eccleſiam cui iungitur, ſi eſt Monaſterium eo loco ſitum, vbi religioſis non permittitur religioſe ſeruire Deo, Petr. Gregor. *in inſtitut. beneficiar. cap. 20. nu. 14.*

Ac ne cuiquam ex mente noſtra fundamento ſubnixi nullo, loquuti videamur, exemplis ex priſca Patrum hiſtoria erutis, ſingula firmare placet. A Canonicorum quidem inopia vnioni Parœciani fani de *Oleum* cum Epiſcopali Lemouicum Collegio anno 1488. datum eſt ab Innoc. VIII. initium Epiſcopo & Canonicis id poſtulantibus, patet ex Bulla, in qua ſupradicti canonici narrant vix ab incenſa vrbe per Eduardum Angliæ, ex antiquis ſuis reditibus ſupereſſe tantum, quantum eſſet neceſſe, *vt ſe ſuſtentare, & reparationi ædificiorum dictæ Eccleſiæ, aliaque ſupportare onera poſſent.*

Ab eadem factum cauſa credo, vt vniretur Archiepiſcopatui Lutetiano, D. Mauri Cœnobium, & Primatus ann. 1567. Rege permittente, faciente verò Pontifice. Probus *qu. 18. iuris regaliorum.*

Bella vero, illataque per hoſtes Andegauenſium prouinciæ vniuerſæ vaſtitas, vnioni Eccleſiæ S. Petri, cum Eccleſia S. Dionyſij de Dradio, dedere initium ann. 1500. Chop. *de ſacra polit. lib. 2 tit. 6. n. 13.*

Quod autem dignitatem ſuam Pariſienſi Epiſcopo tueri cum Epiſcopatus reditibus vix vt dicebam paulo ante fas foret, Pius IV. Romanus Præſul, Cœnobiticam S. Maglorij ædem Pontificali Pariſiorum Cathedræ Bullatis codicillis coadunauit ann. 1564. quos Greg. XIII. an. 1575. nouis ex vrbe tranſmiſſis, firmauit.

Pij IV. exemplum conſequutis exinde temporibus, ſequuti alij Pontifices, Rhemenſe quidem D. Remigij Monaſterium

coniunxere Archiepiſcopali Rhemorum A præfecturæ, Lotharingi Cardinalis inſtanti prece anno 1550. D. autem Martini Gemellorum, Auguſtinianæ diſciplinæ cœnobium, Ambianorum Epiſcopali Sacerdotio anno 1581.

Non probantur tamen in Gallia, perſonales ac temporariæ Eccleſiaſticorum munerum coniunctiones, quod exiſtimentur ambitioſæ, captatæ in quæſtum priuatum, ſed ſolæ perpetuæ ac prædiales. Ita ad copulanda fana & per vnionis rationem annectenda, legitimam cauſam tribuunt ſolitudo, populi paucitas, Eccleſiæ vtilitas, Parœciarum proximitas, Paro- B chiarum paupertas.

Solitudo quidem, quia eſt ea hominum multitudo, qui Parœciam incolebant antea, vel penitus ob varios caſus interciſa, vel alio quopiam auerſa ac dilapſa, nam cum non ſunt in ea decem capita, vt Concil. Tolet. exigit, aut ſunt hæc mittenda alio, aut ex vicino aduocanda, in ſupplementum iuſti numeri, quo conſtare Parochia debet, creſcat hic vero quantum eſt opus, per iſtud copula- C tionum genus, Eccleſia vna iungi poterit alteri.

Paupertas, nam quid æquius quam miniſtro ſtare operæ ſuæ iuſta, ſtataque ſtipendia? cum gratis militare nemo, Paulo teſte debeat, aut quid fœdius ac turpius quam carere templa luminaribus, gemere altaria, ruere tecta, nec eſſe ob inopiam qui ea reparare velit aut poſſit? cui malo medicina adhibetur, cum bina, terna, aut quaterna templa collecta ſunt ſimul, ac eorum, vnione, in vnum ſunt ab Epiſ- D copo corpus redacta, ſic enim quod ſingula præſtare commode nequeunt, congregata vnitaque faciunt.

Eſt & alia tēpla copulandi iungendiq; cauſa, nempe eorūdem proximitas, nam cum ambo miniſtros habere nequeant niſi paucos ob viciniam, quæ non patitur in ieiunis vacuiſque hominum multitudine Parochiis tantum eſſe redituum, quantis eſt opus ad iuſta ſingulis pendenda ſtipendia, non ſit autem plebi graue ſacris intereſſe in earum altera cum ambæ ab ambobus vicis æquali diſtent interuallo, erit earum Parœciarum vnio populo vtilis, & Parœcis ipſis ob rerum penuriam; quibus Dei cultum multitudine miniſtro- E rum promoueant, per neceſſaria.

QVÆSTIO II.

Faciendæ vnionis quæ ſint ſolennia.

PRimo requiritur, vt an eam fieri expediat, Epiſcopus cum Capitulo productis hinc & inde cauſis, deliberet.

Secundò, de eius ac Capituli voluntate conſtare debet literis authenticis Notarij manu obſignatis. Scio exiſtimare Gregor. de *inſtitut. benef.* nullam in ea quam init, facitque Epiſcopus templorum coniunctionem, requiri tractatus, vel pactam vel deſcriptam tabulam.

Ne tamen id credam, inducor hac cauſa. Quod quæ ad formam rei pertinent, vtpote eidem ſubſtantialia, omitti nequeant, ſed eſt de vnione facienda, eiuſque cauſis tractatio, ſubſtantialis, cum ſit formalis. Vnioni ergo præmitti debet, non illam ſubſequi. Formalem eſſe, hoc eſt, ad vnionis pertinere ſubſtantiam verba ipſa *regula 21. de Vnionib.* indicant. *Semper*, inquit ibi Pontif. *in vnionibus commiſſio fiat ad partes, vocatis quorum intereſt.*

Secundò, probat idem hæc ratio. Eſt vnio alienationis quædam ſpecies, at hanc fieri ratamque eſſe canonica iura vetant, niſi tractatu præhabito, vt habetur 12. *q.2. can. ſine exceptione iuncto cap. tua nuper extra de his quæ ſiunt à Præl.* tractatus ergo omiſſio, certa eſt vnionis irritatio.

Debet autem tractatus hic fieri cum cognitione cauſæ, auctoritate ſuperioris ſiue decreto Prælati, quæ duo ſic obligant, tantique ſunt ponderis, vt ſi eorum aliquod ſit omiſſum, alienatio vim non habeat ac momentum, & quidem in Conſtant. Synodo conſeſſ. 44. cautum video niſi fanorum vnio facta eſſet cauſa cognita, veraque & probabili, & vocata parte, cuius intereſt, ea vnitas rata firmaque ne foret, huicque auctoritatem roburque Romana ſedes ne adderet: quare in hac vnionum cauſa, quæ aliqua in re repugnant prædictæ Conſtantienſi Synodo, iudices nullam ſibi rationem in foro habendam eſſe exiſtimant, ſicut nec illius, quam induxit falſa cauſa, quæ etſi iure ſit nulla, eſt tamen per cauſæ diſcuſſionem euertenda, nullaque declaranda, vt Trident. indicat *ſeſſ. 7. cap. 6.* niſi quadraginta annorum præſcriptione ſit firmata, aut probetur cauſæ æquitas.

Tertiò, requiritur Capituli cōnſenſus, *Clement. ne vna de rebus Eccleſ non aliena*, ſine eo copulari per vnionem templa nequeunt quæ ſunt ædi Cathedrali priſco iure aſcripta, aut alicui de illis, quæ ſunt eius poteſtati obnoxiæ.

Quartò, requiritur eius beneficiarij approbatio

batio quo erant communi aut exemptitio priuilegiarioque iure conferenda, *Clementina ne in agro parag. ad hæc.*

Quintò, præter collatoris inferioris & Capituli conſenſum, requiritur etiam Epiſcopi, ac Patroni, *Epiſcopi* quidem, quia beneficij facta cum altero coniunctio, eiuſdem conſerendi ac adminiſtrandi in poſterum ius per vnionem, adimit, quià amplius non vacabit, itaque ſi eius aſſenſu non requiſito Metropolitanus alteri ſubiecerit aut copulauerit, Epiſcopo, Cœleſtinus III. *in decret. ſicut vnire S. de exceſſibus*, permiſſum vult eſſe, quod ille fecit *ſe inconſultò, auctoritate ſua, (ſicut iuſtum eſt) infirmare. Patroni* autem, quia cum beneficii vnius, cum alio facta copulatio, impediat ne vnitum vacet amplius, ius illi ſuæ præſentationis, in perpetuum interit, quo tamen iure, eum repugnantem, aut certe non conſentientem exui, nec oportet, nec decet. Quare cum de Parochiali Eccleſia de *Bloum* copulanda Cathedrali Lemouicum Innoc. VIII. ab eiuſdem Epiſcopo & Canonicis coniunctim rogatus eſſet, hac lege eorum votis annuendum cenſuit, ſi Margareta de Ambaſia cum filiis, eiuſdem Parochiæ Patronis conſenſum darent. Sunt hæc Bullæ verba. *Nos huiuſmodi ſupplicationibus inclinati Parochialem Eccleſiam prædictam, cum omnibus iuribus & pertinentijs ſuis, Venerabilis fratris noſtri Ioann. Epiſcopi Lemouicenſis, ac nobilis fœminæ Margaretæ de Ambaſia tutricis legitimæ nobilium virorum Ioann. Emerici, Caroli, & Petri de Rochechoart eius filiorum, Dominorum dicti loci, necnon Parochianorum dictæ Parochialis Eccleſiæ expreſſo conſenſu, per ſpecialem eorum procuratorem accedente præfatæ menſæ Capitulari, auctoritate Apoſtol. perpetuo vnimus & incorporamus.*

Adhæc, ad vnionis validitatem iuſta poſtulatur cauſa, Caccialupo teſte *in tract. de vnionib. art. 6.* quam probare eſt neceſſe, Rebuff. 1. *par. prax. in regula de vnionib. gloſſa vndecima num. 5. qui num. 7.* addit in Francia quæſtionem de eius æquitate, iuſtitiaque, etiam à Papa ſicut ab alio inferiore, inſtitui oportere, aliter reiici, hoc tamen tempore, Papa (inquit) *ſolet committere in partibus, vt inquiſitio fiat de cauſa & de commodo & incommodo, & poſtea iſtæ inquiſitiones ad eum mittuntur, & iſte vnionem probat ſi cauſa fuerit, alias reycit*, Rebuff. *in regulam Cancell. 21. de vnionib. gloſſa 11. num. 7.*

Poſtulatur inſuper ad vnionis firmitudinem, vt ei ipſi vnioni aſtipuletur, qui templi copulandi eſt Dominus, non vero beneficiatus, ſeu immediatus eius Rector aut beneficii quod eſt vniendum, *Clem. vna de rebus Eccleſiæ non alien.* num autem in copulandis his Eccleſiis, quæ exemptitio & priuilegiario iure cenſentur, ſatis ſit, ſi earum copulationi accedat Epiſcopi auctoritas & ſuffragatio, diſceptari inter auctores video, ad eorum ego ſententiam tranſeo, qui ſufficere, poſſe negant, eo quod de beneficiis his ſtatuere quæ ſibi Pontifex ſepoſita eſſe, iuriſque ſui eſſe ſpeciatim voluit, Epiſcopo non ſit integrum. Enimuero eſt ſacerdotiorum inter ſe vnio, veluti quædam eorum collatio, licet impropria, at beneficia quæ ſibi reſeruata eſſe Pontifex voluit conferre præter eum nemo poteſt: ergo, nec vnire.

QVÆSTIO VII.

Quomodo & vnde cognoſci queat vnionem principaliter vel acceſſorie factam eſſe.

NOn eſt vnio de principali facta, quando Sacerdotium quod eſt vniendum, aut vnitum, eſt eo cui vnitur in dignitate inferius. Ratio eſt, quod quæ res in coniunctione minor eſt, ac inferior alia, cui conglutinatur, hæc non ſit de principali eius compoſiti, quod ex duorum vnione corporum reſilit. Talis eſt præſens vt patet, non eſt ergo de principali ſed acceſſorio, *cap. quod in dubijs de conſecrat. Eccleſ. 3.* vbi dicitur, *Oleum non conſecratum, conſecrato poſſe oleo commiſceri*, quia eſt vnio minus digni cum digniore.

Secundo, vt de vnionis qualitate conſtet, ac nomine, verborum quibus eſt hæc concepta, perpendenda eſt ſeries. Quod ſi nihil ea habet, vnde certum fieri iudicium queat, beneficia ſpectanda erunt, & ſi erunt dignitate ſibi imparia, attendendum erit Ecquid ex vnitis vnum non ſit altero dignius, cum minus dignum, accedere magis digno & non æquè principaliter credatur iungi *leg. iuſtiſſimè verbo ridiculum namque dig. de ædilit. edict.* proinde Parochialis Eccleſia Capellaniæ, aut etiam Eccleſiæ Collegiatæ copulari non poterit, ſi tamen fieret hæc per Pontific. vnio, ſeruanda foret, per Epiſcopum autem pro alendis ſeminarii Clericis aut Xenodochiis in bonum pauperum, nonnunquam etiam Monaſteriis Parochias ad Regularium ſolatium, victumque adnexas lego, vt S. Priuati, & S. Proiecti d'Allemon in Epiſcopatu Metenſi, Eccleſiæ ſancti Clementis: quæ eſt in eiuſdem ciuitatis ſuburbio, *anno 1194. indict. 12. epacta 26.*

Quid ſi de digniori ambigitur, nec argumenta ſuppetant vlla, quibus res nota fiat, erit conſuetudinis, ſeu poſſeſſionis habenda ratio, quæ duæ res ſi deſint, præſumi debebit in dubio, vnionem æque principaliter factum eſſe, & non acceſſorie, & per confuſionem, Bleyan. *de beneſic. vnit. num. 42.*

DISPVTATIO NONA.

DE RESIGNATIONE.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit Reſignatio.

B RESIGNATIO, quæ & renunciatio, ſeu ceſſio appellatur, *eſt ſpontanea beneficij ſui facta coram ſuperiore eam acceptante dimiſſio*, Flamin. *lib. de reſignatione* 1. *q.* 1. Dicitur *dimiſſio*, quia reſignans beneficio ſuo renũnciat, nec illud retinere vult tanquam ſuum ſed ius in illud ſic nullum eſſe vult ſibi, reliquum, vt tanquam poſſeſſore vacuum, conferri queat, Flamin. *lib.* 1. *q.* 4. *nu.* 1. 2. *&* C 30. *q.* 5. *nu.* 2. *& ſeq.*

Dicitur *Spontanea*, quia dolo extorta, aut metu, eſt irrita, aut certe irritanda, vt eſt in *cap. ad aures de his quæ vi metuſque*, niſi eius factæ, *cauſam probabilem, id eſt non vi, nec metu, nec oppreſſione, nec interuentu pecuniæ, nec promiſſione extortam, iudex inueneris*, Clem. III. *in decret. ſuper hoc* 5. *de renunciat.* Superior autem coram quo fieri renunciatio hæc debet, alius non eſt quam collator ordinarius, quo nomine non eſt intelligendus Vicarius, D eo quod beneficia iure communi conferre non ſit ei licitum, & ſi quæ aliquando per Prælatum cuius vices obit, ei licet tribuere, non tamen renunciationes admittere. Nam id facere, eorum eſt tantum, qui deſtituendi poteſtate ſunt prædíti ſecundum Innoc. *in cap. quod in dubijs de renunc.* At nõ eſt in iure Vicarij, beneficio aliquem ſuo exuere Zechius de *benef. cap.* 13. *num.* 2. ergo nec ceſſiones probare, & vt ratas, firmaſque habere, plus enim eſt vltimum hoc poſſe, ac facere, quàm primum.

E Additum eſt poſtremo, quod ceſſiones *acceptari* à ſuperiore oporteat, nam eſt donatio omnis non acceptata, ſine robore. At eſt reſignatio, quædam veluti donatio etſi impropria, nam quod ſuum erat, Epiſcopi poteſtati committit, conferendum cui volet, ſi eſt reſignatio ſimplex & pura, aut certo cuipiam homini, ſi eſt hypothetica, & his facta verbis: *Nec alteri, nec aliàs, nec aliter*, ab eo ergo cui reſignatur, & Epiſcopo, eſt accep- A tanda, vt ſit rata.

QVÆSTIO II.

Quotuplex ſit Reſignatio.

DIuiditur primò, in tacitam, & expreſſam. Tacita eſt, quæ abſque verbis fit, factum tamen habet aliquod, renunciationem ſignificans, vt ſi lite mota ſuper beneficio, collitigantium alter intra tres annos, ius ſuum non perſequatur. Eſt etiam tacita renunciatio, quando fit aliquid, ex quó auctoritate canonis ac legis, vacatio ſequitur, vt ei accidit, qui intra annum à poſſeſſione pacifica Parochiæ, non fit Sacerdos, *capite licet* 14. *de elect. in* 6. aut qui beneficium ſecundum obtinet, quod eſt cum primo incompatibile, illius enim, hoc eſt ſecundi adeptio, tacita eſt prioris renunciatio, *cap. gratia* 7. *de reſcriptis in* 6. *ca. de multis* 28. *extra de præbend.* itẽ quũ poſt 6. menſes nulla facta acceptationis declaratione, diem ſuum obit, Rebuff. *ad regulam de public. reſignat. gloſſa* 13. *num.* 28. Du Clôs *ad q.* 2. *lib.* 1. Flammin. *de reſignat. num.* 15.

Expreſſa eſt, quæ fit verbis renunciationem ſignificantibus. Et hæc eſt duplex, pura & conditionalis illa conditionem non habet, fitque cum beneficium ſuperiori relinquitur, reſignante in eo ſibi nihil reſeruante, ex pacto cum reſignatario inito. Conditionalis, conditionem habet. Et hæc rurſus bipertito diuiditur, in eam quæ ſimplex eſt in fauorem, & qualificatam. Prior accidit, cum beneficium ſuperiori relinquitur cum conditione, vt illud certæ perſonæ nominatæ conferat, & iſta acceptet Flam. *li.* 1. *q.* 5. *nu.* 15.

Conditionalis qualificata eſt, cum reſignans, in beneficio reſignato penſionis nomine partem ſibi reſeruat fructuum, fitque cum harum adiectione vocum. *Nec alteri, nec aliter*, Petr. Gregor. *lib.* 17. *ſyntagmat. cap.* 17. *num.* 30 Flamin. *lib.* 1. *q.* 2. *num.* 28. Alij reſignationem conditionatam definiunt, ceſſionem iuris in beneficio, ſub conditione & modo, Papa ſciente, & hoc permittente, Boetius *de auctorit. leg. à latere.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

An reſignatio in fauorem certæ perſonæ facta coram Ordinario, cum clauſula nec alias, nec aliter, ſit valida.

EAm v: vitioſam cum ſit in Ordinarij manibus reprobant P. Gregor. *de beneficijs cap. 28. num. 7. & 8.* Roſſignac. *lib. 3. tit. 14.* Rebuff. *in praxi rubrica de reſignat. pura, & in tract. de reſignat. condit. num. 4.* Nauar. *cap. 23. num. 107. ad decimum,* Suar. *de Simon. cap. 35. num. 5.* Syluest. *verbo renunciatio q. 6. dicto 2.*

In eam mentem inducti videntur his rationibus.

Prima, quod pactum de re, cui non eſt neceſſaria cum beneficij natura coniunctio Simoniæ maculã inferat, *1. q. 2. can. cum pridem & cap. finali de pactis*: at reſignatio, de qua eſt quæſtio, facta cum clauſula, *nec alteri nec alias*, pactum habet ſaltem virtuale, Epiſcopi & reſignantis mutuum, huius quidem, quod in reſignatarij vtilitatem, ac commodum, beneficio ſit ſuo ceſſurus, Epiſcopi autem, quod illud ei certo ſit homini daturus, quæ obligatio, nexuſque non neceſſario cohærent beneficio, nec eius collationi, non eſt ergo talis ceſſio licita, cum ſit pacto adiecta à quo redditur minus libera.

Secunda, A canonica abire lege, ſine cauſa, non vacat ſcelere, at legis eſt inſtar, quicquid in Eccleſiarum eſt moribus, ac in Curia Romana frequentatum, (ſtylum enim eius ac conſuetudinem eſſe pro lege dixere Burſat. *volum. 4. conſil. 133. num. 15.* Flamin. *lib. 1. de reſignat. q. 2.*) ergo cum Pontifex, quique eius forum tenent Iudices in Rota, eiuſmodi ceſſiones factas coram Ordinariis in fauorem certæ perſonæ cum clauſula, *nec alias nec aliter*, improbent, non ſunt cenſendæ ratę ac permiſſæ.

Eas ſane olere Simoniam, diſerte docet Nauar. *in manuali cap. 23. num. 107. ad decimum,* his verbis: *Ad decimum dico quod renunciatio facta in fauorem alterius, id eſt adiecto modo, vt conferatur illi, vel illi, eſt Simonia, niſi fieret in manibus Papæ, ſecundum ſtylum Curiæ à multis ſæculis ſeruatum.* Vitioſam eſſe, proindeque vitandam, conficit hæc ratio, ordine tertia.

Quæ poſſeſſore non ſunt vacua, hæc conferri ab Ordinario beneficia iure nequeunt, cum quæ ſunt in alterius ære, dominioque, transferre hic in alterum, intacta, ac illibata conſciẽtia nequeat, at hac lege facta beneficii ceſſio, vt ſit huius, aut illius, non cuiuſpiam alterius à reſignante, eius dominium non abdicat, niſi poſt eius ab Ordinario collationem

A factam ei perſonæ, cui ille dari petiit, confertur ergo antequam plene vacet ac perfecte, quod non licet.

Minor, quæ ſola poteſt eſſe dubia ſic probatur, Diſpoſitio quæ fit interpoſita aliqua conditione, non ſortitur effectum, niſi poſtquam eſt hæc impleta, reſignatio præſens eſt hypothetica, eſtque in eo hypotheſis cum qua fit, vt reſignans beneficio ſuo, iureque ad illud non priuetur, niſi poſtquam reſignatario collatum erit, ab eoque acceptatum, confertur ergo vere antequam vacet.

B Confirm. Negat Clem. V. in *Clement. de rerum permut.* beneficium quod permutatur cum alio dari poſſe alteri, quam compermutanti: ergo cum ſit hoc in permutatione ſpeciale, ſecus dicendum erit in renunciatione ſimplici in fauorem alterius.

Nihil tamen impedit, quo minus ea renunciatio acceptetur ab Ordinario, idque ſine vitio, ſi à reſignante aut Epiſcopo, ei appoſita conditio tollatur, hicque à reſignante oretur, vt beneficium huic aut illi conferre ne grauetur, ſic enim legi canonicæ vis nulla, nulla

C conferenti ordinario ſit iniuria, cum in eius arbitrio iureque maneat, cui volet illud largiri.

Et quanquam Ordinarius committat in vſitatam, receptamque Eccleſia tota conſuetudinem, cum libertatem ſuam coerceri, ſtringique per reſignantem aliqua hypotheſi patitur, cum qua, vt oporteret, de beneficio reſignato, ſtatuere nequit, non eſt hæc eius culpa tamen, Simoniæ affinis ac agnata, vt dixere Nauar. *cap. 23. manual. num. 107. ad argumentum decimum,* Malderus *de Simon. tract. 9. cap. 3. dub. 11.* P. Gregor. *de benef. cap. 28. nu. 7. & 8.*

D Azor. *2. par. li. 3. ca. 21. q. 2.*

Probatur, Eſt Simonia, rem ſacram ac profanam, ſeu quæ ciuilem habet æſtimationem emere, ſeu vendere, nam quid fingi, aut cogitari fœdius poteſt, quam vile membrum terræ, qualis eſt pecunia, cum rebus ſacris collatum, pondus aliquod habere dignum æſtimatione, & quo emi poſſint? Iam quæro quid à reſignante Ordinarius accipiat, vt deſignatum à ſe hominem beneficio ſuo dignetur? Nulla pretii fit mẽtio, nulla pecuniæ, nulla rei cuiuſlibet alterius quæ cum pretio pro-

E portionem ſibi ac comparationem vllam vendicet.

Premitur quidem, ac velut captiua tenetur Ordinarii libertas, adiectione conditionis, cum qua fit ceſſio. At hoc non eſt, à reſignante donari eum aliquo munere aut pretium ab eo reſignationis admittendæ cauſa capere, ſed eum potius, in eas cogere anguſtias, quas prudens quilibet, ſuique amans, iuſte pecuniæ ſumma non modica, leuique redimeret, non eſt ergo facta coram Ordinario conditionalis renunciatio, eaque ſimplex, Simoniæ iure

Nn iij

diuino prohibitæ infecta labe,

Iure diuino Dixi, nam Eccleſiaſticam ſi ſpectes, de ea merito, iuſteque damnari poteſt, eo quod omnis pactio, vt eſt *in cap. finali pactis, & cap. 7. de tranſact.* maculam habet Simoniæ. Sane exiſtimat de Roſſignac. loco præcitato reſignantem peruulgata illa clauſa, *nec alias nec aliter*, Simoniæ non ſe illigare quando ex pacto, ſed ſponte in locum ſuum cooptat ac deligit, qui ſibi ſuccedat, eo quod illum gerendo muneri ipſo ſcit eſſe idoneum.

Similiter vacare culpa Simoniæ tam Epiſcopum, quam coram eo eiurantem beneficium, ſi iſte id agendi ius petat, prærogetque vt ſibi fas ſit, munus quod gerit, exuere, ſuumque Sacerdotium apud eum deponere: at vtrumque facit, qui ſacerdotio in alterius gratiam ea lege, abire ſe velle ait, vt certo homini detur, *non alteri nec alias*. Quæro enim inter hanc & Epiſcopum, quænam interceſſerint conuenta? quæ pacta? locis ambo ſunt ab inuicem ſeiuncti, nec ſibi ſunt, de facie noti, nec literas ſibi dedere mutuas vnquam, ceſſat ergo in iis pactio quæ prima eſt Simoniæ producendæ radix.

Deinde ſi oratio preceſque impediunt, ne qua in orante adhæreſcat labes ſimoniæ, ecquid non Collatori ſupplex ſit reſignans, cum ſuam aduerſus reſignatarium caritatem, ab eo probari deſiderat, & ita admitti in illius gratiam, eiurationem ſui beneficii, non tamen alterum nec alias nec aliter. Caret ergo Simoniæ vitio hæc de qua eſt hic ſermo, facta reſignatio cum hac conditione, *nec alteri nec alias*.

Obiicitur, Omnis pactio in ſpiritualibus, quæ iure non ineſt, eſt Simoniaca, vt eſt in *cap. finali de pactis, cap. ex parte de officio delegati, cap. quæſitum 5. de rer. permutat.* At hic pactum interuenit, quod naturâ non ineſt beneficio, cum purè repugnare poſſit, ac ſine addito.

Reſpondend. primo maiorem vniuersè eſſe falſam, nam ſimplex promiſſio, aut pactum, quod tantum debitum honeſtatis, fidelitatis, aut gratitudinis inuehit, eſt licitum, ſecundum Nauar. *cap. 23. Enchirid. num. 16. 17. & 100.*

Dixi *gratitudinis, &c.* quia legalis pactio qualis eſt ea, vi cuius res repetitur ab inuito coram iudice tanquam debita, eſt Simoniaca, & de ea intelligendi ſunt citati canones, aut de ea, per quam libertas hominis impeditur ab opere maxime ſi libertatis ceſſio per eum facta, ad receptionem beneficij, vt ad finem tendat, qualis in præſenti caſu nulla interuenit.

Reſpondend. 2. Minorem falſam eſſe, de Simonia diuini iuris veram de Eccleſiaſtica, cum intercedit pactio, qualis tamen propriè nulla hic interuenit: quæro enim ecquid id ſit

A tandem, de quo reſignantem inter, & reſignatarium facta ſit pactio? ab eo ſupplex poſtulat, vt eum beneficio ſuo donatum velit quem illi denotat, quam ille petitionem arbitrio refutare ſuo poteſt, cum eius admittendæ nulla ſit obligatio, vt enim eam approbare, ac recipere, ita & reſpuere poteſt, nulla ergo hic pactio reſignantem inter, & Ordinarium interuenit, nulla iſti iniicitur neceſſitas, faciendi quod ille placere ſibi, hac adiecta clauſula, *Nec alias nec alteri*, indicat.

Obiicitur 2. Vetare Pium eius nominis V.
B in Bulla cui initium. *Quanta Eccleſiam Dei Ne verbo quidem, aut nutu, vel ſigno futuri in huiuſmodi beneficijs ſucceſſores ab ipſis reſignantibus, aut alijs, eorum ſignificatione, vel hortatu deſignentur, aut de his aſſumendis, promiſſio inter eos, vel etiam intentio qualiſcunque intercedat*, in eam ergo Pii legem committit, qui ſucceſſorem ſibi dari, certum hominem quem nominat, reſignando poſtulat.

Reſpondend. contra eam quidem, reſignantem facere, non peccare tamen cum ea & hunc, & Ordinarium lateat, & quanquam eſſet vtrique nota, ambo tamen, adhuc va-
C carent culpa, eo quod lex prædicta non ſit recepta.

Quare cum beneficium in manibus reſignatur Epiſcopi, præſtat id ſimpliciter facere, ſine modo vllo obligatorio, aut conditione, ſi tamen addantur preces, vt certæ perſonæ conferatur, ne tunc quidem erit Simonia vt notarunt, P. Greg. *cap. 28. de benef. num. 7.* S. Anton. *par. 2. tit. 2. cap. 5. parag. 11.* Sanch. *tom. 1. conſiliorum lib. 2. cap. 3. dub. 36. num. 14.* quia ad rationem ſimoniæ requiritur pretium, quale nullum hic interuenit, ſed reſi-
D gnans vult tantum beneficium ſuum iſti conferri, quod ſi renuat, eius dominium in reſignatarium non vult transferri, ſed penes ſe ſeruari, quod licere volunt, Sotus *lib. 9. de iuſtit. q. 7. art. 2.* Couar. *1. variar. cap. 5. num. 1.*

Secus quam nos ſentiunt Aragon. *2. 2. q. 10. art. 4.* Sotus *lib. 9. de iuſtit. q. 7. art. 2.* Couar. *lib. 1. variar. cap. 5.* Sanch. *conſil. lib. 2. cap. 3. dub. 36. num. 14.* hac ſe tuentur ratione. Quod reſignans hoc duntaxat agat cum Ordinario
E vt beneficium ei impertiat ſi velit, quem deſignat in literis ſuper eius reſignatione confectis, ſi nolit, abdicare ſe quoque ius ad illud ſuum non velle.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

Coram quo facienda ſit beneficij renunciatio, quæ clauſulam hanc nec alteri, nec aliter, aut obligationem ſoluendæ penſionis habet.

DIco primò, *Eam acceptare in iure Papæ eſſe*: quia in canonica diſpenſare lege, omni eſt ei iure licitum, at quod illam Epiſcopo admittere, alterutra conditione circumſcriptam, ſit irritum, id oritur ex conſuetudine, ſeu ſtylo curiæ, qui inſtar eſt legis canonicæ: ergo cum hac teneri Papa nequeat, ab ea cùm volet, recedet ſine crimine: quare *conſequens eſt*, (inquit Nauar. *cap. manual. 23. num. 107. ad decimum*,) *conuentionem quæ alias eſſet Simoniaca deſinere eſſe talem per clauſulam adiectam, ſi, & quatenus S. Sedi Apoſtolicæ placuerit, & non aliter, nec alio modo.*

Dico ſecundò, *reſignationes hypotheticas, cum obligatione ſoluendæ penſionis annuæ ex beneficij fructibus factas*, & cum clauſula, *nec alias, alteri, nec aliter*, à Romano Pontifice admiſſas, ratas eſſe, ac validas.

Confirmant hanc opinionem Doctores penè omnes, eamque probat, vſus communis, & praxis Romanæ Curiæ, nec enim quidquam eſt ferè in prouinciis communius, quàm beneficia de vnius poteſtate, ac manu, in aliam cum penſionis onere tranſmitti, quod nemo tamen arguit, nemo vt cenſura dignum reprehendit.

Secundò, cum ſit Pontifex fidelis diſpenſator, Deique nomine bonorum Eccleſiæ Oeconomus, ea cum eſt neceſſe, aut vtile, integra, aut ex parte, dare ei poteſt quem ſua virtus dignum his reddit: ergo & penſionis colligendæ ex beneficii renunciati fructibus, facultatem beneficiato reſignanti concedere, nonobſtante clauſula ceſſioni adiecta, *nec alias, nec aliter.*

Dico tertiò, *Legatis à latere, id iure communi permiſſum non eſſe.* Quia cum Papæ parere, ac obſequi debeant, non ius dicere, eius imperia ſuſpicere, non ludere, decreta ſeruare non refigere, niſi de eo eiuſdem Papæ conſenſum habeant valide nihil facient: Ita Rebuff. *in praxi beneficiar. rubric. de reſignat. condit. numer. 2. & 14.* Quod ſi hoc eis per Pontificem liceat, ſitque reſignatio in fauorem huius, aut illius, cum penſionis tamen onere, & clauſula, *Nec alias, nec alteri*, reſignanſque addat de vtroque, hoc eſt penſionis & beneficii conceſſione, ſe Legatum rogare, vt poteſt hic ſi volet, poſtulata facere, Rebuff. teſte ſupra *num.* 13. ita quoad beneficii collationem, deſignato faciendam homini, hanc quoties, & quando erit ei placitum, reprobare, ac beneficium alteri po-

A teſt tradere, *& valebit*, inquit, *collatio, dummodo retineatur penſio reſignanti, alioqui non valebit*, quod quam parum ab eo ſit dictum probabiliter docebitur inſequenti *art.*

QVÆSTIO V.

An Reſignatio facta cum clauſula nec alteri, nec aliter, ius à reſignante abdicet conditione non poſita.

B DIco primò, *Non tollere, quandiu conditio non ponitur*, Leſſius *lib. 2. de inſtit. ca. 35. dub. 14. num. 8.* Flamminius *de Reſign. lib. 1. q. 3. num. 8.* Rebuff. *in praxi rubr. de reſignat. condition. num. 7. & 10.* Sanch. *in conſil. lib. 2. cap. 3. dub. 36. num. 5.*

Probatur, Reſignatio rata nulla eſt, ac valida, niſi quæ voluntaria: nam inuitum re ſua exui, æquitas non ſinit, at non eſt illa eiuſmodi, conditione non poſita cum qua fit.

Quid? quod actus (vt eſt in *lege ſi quis cauſa, dig. ſi certum petatur, lege obligatorum ſubſtantia digeſt. de obligationib.*) quod actus (in-
C quam) vltra agentis intentionem non operetur, eo quod ceſſet operantis conſenſus, vbi actio eius intentionem prætergreditur, ac excedit. At conditionata reſignatio, cui eſt hæc adiecta clauſula, *Nec alteri, nec aliter*, non eſt voluntaria, conditione non poſita, cum qua eam fieri placuit: quid ita vero? quia reſignanti nunquam placuit, beneficium ſuum transferre in alium, quam quem animo comprehenſum, deſignauit Ordinario per clauſulam, *Nec alteri, nec aliter*, eius expreſſiuam, excluſiuam autem aliorum quorumlibet.

D Sane (quæ eſt ratio altera) iuris eſt axioma, omnium cõſenſione verum, in conſcientia conditiones quæ in contractus incidunt, in ſua, ſpecificaque forma implendas eſſe, *lege Manius dig. de condit. & demonſtrat.* eorum autem defectu, abſentiaque, inanes hos reddi ac nullos, *de conditionib. appoſitis, ca. 1. 2. 3. & 4.* At certo homini facta reſignatio beneficij, cum clauſula de qua antea, eſt quaſi contractus, cui ſua quoque eſt addita conditio, quod illi beneficium reſignatum dabitur nõ alteri: ergo ſi hæc deerit, reſignationi vis nulla inerit, at reſignatio quæ eſt nulla, ius à reſignan-
E te non abdicat: ergo conditionis in reſignatione poſitæ omiſſio, iuris eſt ad beneficium in reſignante retentio, hancque Romani fori in iudicando praxim eſſe, Gallicique, auctores ſunt, de Romano quidem, Flamminius *de reſignat. condit.* & Puteus in conſiliis, de Gallico, Boerius *in deciſionib. Burdegal. deciſ. 94.* de Selua *3. par. de benefic.* Rebuff. *in praxi rubr. de permut. num. 13.* cum aſſerit permutantem, beneficio ſuo non excidere, ſed illud ſine noua collatione ſeruare poſſe, ſi non po-

natur conditio, cum qua permutatio eſt facta, aut fieri ſolita.

Dico ſecundò, *Reſignationem quæ ſimplex eſt, & in fauorem, ius à reſignante ad beneficium ante poſſeſſum, & reſignatum abdicare illico ac eſt acceptata ab Ordinario*, quia ceſſio eſt iuris ſui renunciatio: ergo acceptata, illud à cedente transfert in eum, qui ſuo aut alterius nomine, ceſſionem acceptam habet.

Dico tertiò, *Non poſſe Papam & Epiſcopum, reſignationem hypotheticam, & cum clauſula, ſeu conditione factam admittere, ea reſecta.*

Sunt huius doctrinæ defenſores ac Patroni Flamin. *lib. de reſign.* 1. *q.* 3. *num.* 50. Petr. Gregor. *lib.* 17. *ſintagmat. iuris cap.* 17. *num.* 28. Rebuff. *in praxi par.* 3. *rubr. de reſignat. condition. num.* 7.

Præſidium ſententiæ ſuæ hoc habent, quod à conditione, modoque cum quo fit, reſignatio pendeat: ergo hæc recipi, illa reiecta, non poteſt, cum vnum ſine alio approbari aut admitti reſignans nolit.

Secundum, Diſpoſitio conditionalis & hypothetica, non ſortitur effectum, ſi conditio non ponitur, quia actus agentium non operantur vltra eorum intentionem, *lege non omnis de reb. creditis* & conditiones ſunt implendæ in forma expreſſa in ſpecie, *lege qui Herodi, lege Mænius de condit. & demonſtrat.* At hæc verba. *Nec alias, nec alteri nec aliter*, renunciationi appoſita, *habent vim conditionis*, P. Gregor. *in inſtitut. benefic. cap.* 28. *num.* 9. admiſſa ergo à Papa, cum hoc modo facta renunciatio, ius à reſignante non abdicat, ſi eum Papa reprobet, ac reſpuat, ſed *cenſetur ſemper eſſe Dominus, ac poſſeſſor, ſeu titularius beneficij ne alij conferri queat*, P. Gregor. ſupra.

QVÆSTIO VI.

Quibus circunſtantijs munitam eſſe renunciationem oporteat, vt ſit valida.

EAm liberam eſſe, ſponteque fieri eſt neceſſe, quia donatio quæ vi eſt expreſſa, nec niſi ore tenus eſt voluntaria, rei donatæ in donatarium, dominium non transfert irreuocabiliter vt loquuntur, cum hæc auctoritate iudicis reddi poſſit irrita. At eſt reſignatio veluti quædam donatio, per quã inchoatiuè, ius à reſignante, in beneficiũ reſignatario acquiritur: quare cum vbi eſt coactio, nec plena ſit, integraque voluntarij ratio, non erit reſignatio vi extorta, dominij ipſius beneficij in reſignatarium, irreuocabilis translatio, proindeque nullarum erit virium, *Clement. multorum de pœnis & cap. ſtatuit de elect. in* 6.

Secundo, debet eſſe reſignatio à ſui compote, mentiſque ſanæ, qui non intelligit quid

A facit, quorſum, & quamobrem, reſignare nequit, quia reſignatio libera eſſe debet, ac voluntaria, qualem eſſe quis exiſtimet ab eo factam, qui impos ſui, quid moliatur, & agat, noſſe nequit? quare furioſis facere aliquid in hoc genere validè, non licet, *Clem. ſi furioſus de homicid. &* 15. *q.* 1. *can. inſaniens* 12. niſi lucida habeant interualla, P. Greg. *de inſtitut. rei beneficiar. cap.* 31. *num.* 4.

Tertio, à metu debet eſſe reſignatio libera, *cap. Abbas, cap. ad audientiam de his quæ vi metuſque*, quia vt reſpondet Alexand. III. in

B quadam decret. quæ incipit, *cum locum de ſponſalib. conſenſus locum non habet vbi metus vel coactio intercedit*, at ſine conſenſu non eſt rata, perfectaque renunciatio, quare ne defuiſſe vnaque, vis ei ſua omnis abrogata videatur, actis inſerere ſuis, Notariis eſt in more, beneficio ſponte ſuo reſignantem cedere, *de ſon plein gré & vouloir*, quod Concordata exigunt *in rubr. de regia ad prælatur. nominat.* nam nolunt Regi ad beneficia maiora nominationem competere, niſi quæ ſunt per obitum vacantia, *aut per ceſſionem in Papæ manibus, canonicè intrantis ſponte factam.*

C Quare ſecus facta quam hic dicitur, aliquorum eſt opinione ac ſenſu, iure factoque nulla, hanc ſequuntur Flamin. *lib. de reſign.* 13. *q.* 1. Rebuff. in Concord. *de regia ad Prælatur. nominat. parag.* 1. *verbo ſponte, & in* 3. *par. prax. benefic. tract. de cauſis reſignat. irritantibus num.* 1. *& de pacific. poſſeſſ. limit.* 4. *num.* 30.

Mihi contra non inanis ac nulla, ſed in nihilum auctoritate iudicis videtur reuocanda eſſe, hanc ſententiam vti veram tuetur, Petr.

D Gregor. loco proxime citato *num.* 5. habetque ſua firmamenta, eaque non pauca, nec inualida.

Primum, quod quæ metu fiunt, abſolute ſint voluntaria, ſecundùm quid autem inuoluntaria: at amplius ad perennitatem ſuam, roburque, exigere renunciatio quid poſſit, ac debeat, non occurrit, à metu ergo orta, rata eſt ac valida.

Secundum, cum actio perquam operans dominium rei ſuæ transferre vult in alium iure, factoque eſt nulla, hæc operan-

E tem re prædicta non ſpoliat (cum ei ad hunc effectum vis deſit, alioqui iure factoque non eſſet nulla,) ſi facta metu reſignatio eſt de facto irrita, per eam beneficio ſuo renuncians non excidet, nec proinde, vlla erit auctoritate Iudicis opus, vt in illud remigret, cum poſſidere non deſtiterit ſed verum eſt prius: nam *in decretali ad audientiam* 4. *de his quæ vi metuſque*, mandat Innocent. III. vt is qui metu renunciauit ſuo beneficio, eidem præficiatur vt ante, illudque Epiſcopus ei reſtituendum curet. *Quia*, inquit, *quæ vi, metuſue cauſa fiunt, carere debent robore firmitatis, manda-*

mus

mus, quatenus ſi eundem ad reſignationem conſtiteris à vobis per talem metum fuiſſe coactum, qui potuerit, & debuerit cadere in virum conſtantem, nonobſtante iuramento prædicto, quo non ad repetendum, ſed ad reſignandum ſolummodo tenebatur, præf. tam Eccleſiam ei reſtitui faciatis, traditque Alexand. III. *in cap. Abbas 3. eod. titulo, quæ metu & vi fiunt debere de iure in irritum reuocari, & in lege 1. dig. de eo quod metus cauſa geſtum eſt*, eſt his verbis: *Ait prætor quod metus cauſa geſtum eſt ratum non habebo.* non ſunt ergo, quæ metu fiunt, aut timore, graui licet, irrita. ſed irritanda, *per officium iudicis, aut per edictum quod metus cauſa, proindeque ipſo iure non ſunt nulla*, quia voluntas, coacta licet, tamen voluntas eſt, P. Greg. *de benefic. cap. 31 nu. 5.*

Quarto, non valet reſignatio, niſi quæ facta eſt à capaci, hoc eſt annos egreſſo, intra quos qui verſatur, cenſetur eſſe minor, quia quandiu reſignans eam ætatem non attigit, quæ maiorem facit, cenſetur iudicij vi tanta non pollere, quanta eſt eligendo homini ad poſſeſſionem reſignati beneficij neceſſaria. at nihil ab eo expectari, peti & recipi valide poteſt, qui mente non conſtat, eſtque amens, aut puer: ergo, &c.

Induxit hæc ratio Senatum Pariſienſ. & Burdigal. olim, vt crederet, minores inconſultis parentibus de beneficiis arbitrari ſuis per ceſſionem liberalem ac ſpontaneam non poſſe, & ita eos in rem ſuam, quaſi poſtliminio reuocandos videri.

Tenet tamen ceſſio, niſi reſcindatur, Sylu. *verbo minor*, Rebuff. *de Simon. in reſignat. trac. quomodo vitietur ratione perſonæ num. 1.* quia in beneficialibus, cæteriſque cauſis, quæ ſunt ſpiritales, minor 25. annis, habetur pro maiore, verbis id Bonifac. VIII. fit planum *in decretali 3. de iudiciis in 6.* Si annum 14. *tuæ peregiſti ætatis, in beneficialibus, & aliis cauſis ſpiritualibus, necnon & dependentibus ab eiſdem, ac ſi maior 25. annis exiſteres, ad agendum & defendendum per te, vel procuratorem, admitti debebis.* Poteſt tamen reſcindi reſignatio; tam à Papa, quam ordinario, ſi fuit hæc renunciatio ab eo admiſſa. Et de beneficio, cuius tam inſtitutio, quam collatio ad eum ſpectabat iure canonico, tradit Rebu. *in praxi tract. de reſignat. quæ ratione rei & perſonæ vitiatur num. 6.* quia ad eius officium, *tam inſtitutio, quam deſtitutio ſacerdotum pertinet, cap. ex iniuncto 12. de hæretic.*

Secundo, Reſignatio infringi auctoritate iudicis poterit, ſi ſuper poſſeſſorio ad eum à minore, aut eius parentibus appelletur: nam tunc re ab eo cognita, ac ceſſionis natura diſcuſſa, iubere minori poterit, ne rei ſuæ poſſeſſione abeat, quam per ceſſionem non perdidit, eo quod eius faciendæ parens, aut curator auctores non fuere, vt oportet, in re quã minoris intereſt fieri aut omitti, *& ideo ſimpliciter admiſſam reſignationẽ minoris diceremus non valere quoad effectum, ſed poſſe reſtitui*, Rebuff. *ſupra num. 3.* & ita Boerius *deciſione 350.* à Senatu Burdegal. iudicatum ſcribit.

Tempora ſunt tamen aliqua, in quibus facta per minorem reſignatio, valere eſt cenſenda. Primo, cum ab Epiſcopo, ad quem cauſæ cognitio eſt delata, iudicatum eſt ceſſionem è re eius, aut communi multorum eſſe, quia tunc deceptioni non eſt locus, nec præſumptioni; quod per fraudem fuerit ad reſignationem rei ſuæ impulſus.

Secundo, cum è duobus beneficiis, curam animarum habentibus, Minor dimiſit alterũ, fecit enim tunc quod poſtulabat æquitas, quod ſuadebat bene inſtituta ratio hoc vitauit, quis arguat? aut quaſi imprudenter geſtum, ac inualide, ab eo reſtitui oportere quis dicat?

Tertio, reſignatio cuius dolus cauſa fuit, & occaſio, eſt nulla, proindeque in hac materia, magna vitandus diligentia.

Ratio eſt, quod ius non naſcitur ex iniuria: ergo cum fallere, cum dolis, malaque arte perrumpere reſignantis animum, eumque ad reſignandum inflectere, iniuria ſit, non videtur ex ea, ius aliquod in reſignatione tali modo facta, exiſtere poſſe.

Quid? quod ſponte, ſuo cedere beneficio quiſque debeat ac libere? ergo cum fraudibus ac dolis libertas intereat, nec agere decepta voluntas libere queat, fraus eſt omnis remouenda à ceſſionibus, doloſæ non ſunt validæ, vtpote libertati conſenſus, qui in illis exigitur aduerſæ, *cap. ſuper hoc de renunciat.*

Quarto, fieri debet renunciatio ne corruat, ſitque valida, coram eo qui eius recipiendæ facultate eſt prædictus, vt ſunt Papa, Epiſcopus, & quilibet alius Ordinarius, ratio eſt, quod reſignatio, beneficij reſignati collationem habeat, at hæc ſolius eſt Ordinarij, aut Superioris Prælati actio. ergo, &c.

Et quoniam Epiſcoporum Vicariis ceſſiones recipere, communi iure non eſt licitum, non ſunt hæ in eorum factæ manibus futuræ ratæ, niſi de eo, ſpeciali inſtructi poteſtate ab illo forent, cui eam dare eſt conceſſum. Idem de Capitulo ſentiendum eſſe reſpectu eorum beneficiorum, quæ à ſolo conferuntur Epiſcopo, vt credam, facit decretalis, *illa deuotionis; ſecunda ne ſede vacante*, in qua eſt, nuſquam inueniri cautum in iure, *quod Capitulum vacante ſede, fungatur vice Epiſcopi in collationibus prebendarum, & in 6. cap. 2. ne. eod. titulo*, ſcribit Bonifac. *cum ad ſolum Epiſcopum prebendarum ſpectat collatio defuncto Epiſcopo vel ſuſpenſo, non poſſe ſe Capitulum intromittere de iiſdem.* At ſine collatione effectum habere vllum facta beneficij, renunciatio non poteſt, eorum ergo quæ in ſolius ſunt iure Epiſ-

copi, ceſſiones recipere Capitulo eſt interdi- A
ctum.

Quinto, Debet illi conferri beneficium, in
cuius fauorem, cum clauſula conſueta nec al-
teri, nec alias, eſt reſignatum, Leſſ. *lib. 2. cap.
34. num. 192.* Rebuff. *de reſignat. condition.
num. 16.*

Ratio eſt, quod reſignans nolit beneficium
ſuum fieri alterius, quam deſignati per clauſu-
lam in reſignatione ſua appoſitam: ergo ſi da-
tur alteri, datur cum eius iniuria, nec enim
quod eſt alterius, auferri ei poteſt & dari al-
teri eo inuito, niſi in pœnam. B

Sexto, Ad reſignationem in fauorem re-
quiritur inſuper Patroni conſenſus, ſi benefi-
cium reſignatum eſt patronatum, aut electo-
rum, ſi electiuum, Flammin. *lib. 1. de reſignat.
q. 3. num. 53.* Gigas *quæſt. 23. & 24. de penſio-
nib.* Leſſ. *ſupra num. 195.* Couar. *practicar. qq.
cap. 30. nu. 9.*

Ratio eſt, quod reſignatio collationem ha-
beat, at hæc eſſe nequit valida, ſine conſenſu
patroni, *cap. cum dilectus 28. de iure patronat.*
ergo nec reſignatio. Si tamen hæc putaretur
valde Eccleſiæ vtilis, poſſet eam approbare C
Pontifex, & valeret collatio abſque conſenſu
Patroni extra Galliam, dummodo ille eius
iuri ſi eſt Clericus in literis collationis dero-
get Leſſ. ſup. Docet tamen Aluin. *de poteſt. Ab.
cap. 10.* reſignationem aliter factam, hoc eſt
ſpreto Patrono non eſſe ipſo iure nullam, ſed
annullandam, ſi non eſt tempus elapſum,
quod Patronus habet ad præſentandum.

Septimo, Vt ſit reſignatio valida acceptari
debet tam à Superiore, quam reſignatario: ab
iſto quidem, quia aliter reſignanti non eſt cer-
tum iure ſuo ad beneficium exui, vt indicat
hæc particula *nec aliter*: ab illo autem, quia D
eius intereſt noſſe, quæ beneficia in ſua ſint
Diœceſi vacantia, vt ea intra ſex menſes con-
ferat, nec Eccleſiam miniſtris deſtitutam eſſe
ſinat. Sane cum Abbas quidam qui ſe regimi-
ni, curæque cœnobij, cui præerat imparem
crederet, inconſulto Rom. Pontif. magiſtratu
quem ad eam diem geſſerat, cedendum ſibi
cenſuiſſet, loco iuſſus eſt ſuo reſtitui à Gregor.
IX. *in cap. dilecti filij extremo tit. de renun-
ciat.*

Octauo, Cum in alterius gratiam æger re-
ſignat, 20. dies à facta renunciatione integros
ſuperuiuere debet, alioqui ſi diem obit, vaca- E
bit eius beneficium non per ceſſionem ſed
mortem. Rebuff. in regulam de infirmis reſi-
gnantibus.

QVÆSTIO VII.

Explicantur dubia, circa ea quæ ſunt dicta, occurrentia.

PRimum, *An qui per interualla inſanit, ſa-
cerdotium ei olim collatum, ſimpliciter vel
alia quacunque ſpecie, eiurare queat valide.*

Dubitandi eſt hæc cauſa, quod vecordem,
menteq. captum, quocumque tandem inſaniæ
B genere laboret, iura tam canonica, quam
ciuilia, ab omni pactione conflanda remo-
ueant, *lege in negotijs digeſt. de regul. iuris.*
Sane ſi deliquerit, ſitque mentis commotio
talis, quæ aperte furorem arguat, cum pœna,
quæ delicti cauſa infligi ſolet, non teneri, reſ-
pondit, Clemens *in Clem. 1. de homicid.* & ve-
re, nam ſi hi duntaxat coercendi ſunt pœnis,
quos culpa ſtringit, cum qui mente non con-
ſtat, non peccet (Nam quid ſit æquum, quid
obliquum in moribus, ac turpe, quis in dictis,
factiſque tenendus ſit modus non videt) à
C pœna immunis eſſe debet, ac liber, nam
quem delicti conſcientia non mordet, pœnæ
ſubeſſe, cuius illud eſt cauſa, non decet.

Verum enim, eſt hæc nunc ſententia ſola
vera, & tenenda quæ ait, eum qui non perpe-
tuo, ſed per interrupta temporum momenta
deſipit, ſuo ſe beneficio abdicare poſſe va-
lide.

Ratio eſt, quod cum eſt ſedata mente, ad-
uertere queat, quid animo cogitet, quid mo-
liatur, quid tentet, cæteraq; adhibere omnia,
ſine quibus, conſiſtere renunciatio non valet,
facta ergo tum ab eo, reiici vt improbabilis,
D inanis, ac nulla, non debet.

At enim (inquies) ſi de re non conſtet, ſit-
que ambiguum, an quando Clericus pure ac
ſimpliciter, vel cum gratia, bonoque alterius,
ſacerdotium reſignauit ſui compos foret, an
contra conſediſſet furor, quid iuris? Aut reſi-
gnanti facto quid tum eſt opus, vt ſcrupulis
præſcindatur aditus, ſitque tam reſignatarij,
quam Epiſcopi ceſſionem approbantis, con-
ſcientiis conſultum?

Reſpondend. tunc reſignatario incumbere,
omni qua poteſt ratione, vt oſtendat, reſi-
gnantem, cum ſe beneficio abdicauit, inſa-
E ni non fuiſſe animi, cum enim affectus men-
tis, non ſint niſi ægre curabiles, iuſta cuique,
niſi doceatur oppoſitum, cauſa eſt exiſtiman-
di, reſignantem etiam tum, cum bene de alio
mereri voluit, ſui non fuiſſe compotem, hiſ-
que correptum morbis qui mentem, conti-
nuata acceſſione mali, de ſtatu deiiciant, ſe-
cundum id iuris tritum axioma, qui vel ſemel
nequam fuit, in ea perſiſtere malitia eſt cen-
ſendus in qua adoleuit, aut prima pueritiæ ru-
dimenta poſuit, niſi mores mutaſſe ac inge-
nium

nium, non improbabili coniectura ſit planum, eſt enim conſuetudo natura altera, nec ab eo facile quiſquam diuelli poteſt, in quo à teneris (vt loqui ſolent) vnguiculis aſſueuit.

Quibus ergo probabit argumentis reſignatarius, factam cauſa ſua, ab inſipiente, beneficij ſui ceſſionem, ratam eſſe ac validam, eo quod tunc ſani eſſet animi, non ægri?

Nempe ſi quæ dixit, furioſum non ſapiunt, ſi eius oratio conſtans fuit, ſi non interrupta facetiis, aut iracundia, ſi quæ tum egit, ſedatum animum, beneque compoſitum indicant, non eſt dubitandum, quin quæ in ea morbi relaxatione dixit, & fecit, valeant, & per conſequens eius reſignatio.

Secundo, ſi vno illo die, aut alio quolibet breui temporis ſpatio, conturbata eſſe ratione cœpit, non leue eſt præſentis eius in reſignando animi argumentum, nam cum vlterius, & in longam diem eius dementia non proceſſerit, quod de ſanis, cum quid in rem ſuam, aut proximi faciunt, dicere vulgo conſueuimus, eos, ſic officij partes omnes in illo expleſſe, nihil vt ad eius validitatem expeti vltra queat, hoc de affectis, hoc de ægritudine labili ac fluente tentatis (vtpote quæ vltra biduum non eſt prouecta) affirmare poſſe videor, nempe cum beneficio cuiuſpiam cauſa renunciant, id eos cum plena perfectaque rationis aduertentia facere ſolitos.

Ad argumentum initio propoſitum, Reſpondend. in illo agi de eo, qui perpetuo deſipit, qui nullos, aut ſi aliquos, non niſi breues alienationis circuitus habet: nam cum eius inſania ſit continua, exiſtimandum eſt eum, quæcunque agit, vel dicit, agere aut dicere furoris tempore, eaque interualla, quia fuere breuia, non videri ad firmanda eius acta virium habere ſatis, de eo autem nos loqui, qui per ſpatia, temporumque interrupta momenta ſapit, eaque dicit ac facit, quæ à dictis, factiſque ſanorum alioqui mente hominum non diſſident, & de hoc homine pronunciamus, tam liberè, quam verè, ſi tunc beneficio abire ſuo velit per ceſſionem factam in alicuius gratiam, ratam hanc fore ac validam.

Secundum, *An reſignatio metu facta, aut vi extorta conualeſcat, ſi poſt beneficij ab Ordinario collationem factam, conſenſum reſignans præbeat.*

Id ne credam, tritum facit axioma iuris. *Quod ab initio non valuit, tractu temporis non corroboratur de regulis iuris in 6. regula firmatur:* at ceſſio metu facta, vt non libera, reprobatur à canone tanquam inanis, ac nullarum virium: ergo nouo conſenſu eam approbantis, de inutili ac irrita, firma non euadet, ac rata.

A At enim (inquies) vnde, qua via, & argumentis probabitur, metu concuſſum fuiſſe reſignantis animum, eum geſſiſſe nihil libere, coacte, & per timorem omnia.

Primo, ſi intentatæ ſunt minæ, ſi ad eas acceſſere verbera, ſi calumniæ, magna ſunt eaque non obſcura indicia, ceſſi per metum beneficij, nam cum fama nihil ſit præſtabilius, nihil exiſtimatione hominum ſapienti charius, eam opum iactura redimere, aut in tuto ceſſione rei ſuæ, ac beneficij ponere, nemo eſt, qui non laudi ducat.

B Secundo, ſi fictis eſt eius fama violata criminibus in foro, ſi vita eſt in ſuſpicionem maleficij vocata apud plebem, quam vt diſpelleret, cœptamque litem perimeret, beneficium accuſatori dare placuit, ad id eum non ſponte ſed metu inductum eſſe, eſt pluſquam veriſimile.

Non autem ſi ille, id eſt accuſator vir bonus erat, ſi ſapiens, quiſquis enim ſapit non peccat, libertatem premere, vrgere, cogere crimen eſt, ad illum ergo eius macula non pertinet, nec proinde ab eo metum Clerico
C iniectum eſſe, reſignationis exprimendæ cauſa, præſumi non debet.

Tertium, *An beneficium ad cuius titulum fuit quis ſacris initiatus ordinibus, poſſit ab eodem reſignari alteri.*

Poſſe, dixere Maynardus *lib. 7. cap. 83. nu. 5.* Robert. *rer. iudicatar. lib. 3. tit. 2.* Fabric. *in Theoria trac. de titulo & intitulat. num. 4.* Hancque Galliæ praxim eſſe.

Verum enim, vera & tenenda ſententia eſt nec Eccleſiæ legibus, nec regni, id licere vlli, ſi præter beneficium, quod eſt ſubiectum in,
D exemplum, hoc eſt ad cuius titulum promotus eſt Clericus aliud nullum, nec ex patrimonio, vnde viuat reditus habeat, id enim vetat Concil. *ſeſſ. 21. cap. 2.* his verbis: *Id vero beneficium reſignare nequit, niſi facta mentione, quod ad illius beneficij titulum ſit promotus, neque ea reſignatio admittatur, niſi conſtet, quod aliunde commode viuere poſſit, & aliter facta reſignatio nulla ſit*, vetant & canones, vt ſecundus *diſt. 70. cui initium Sanctorum*, qui eſt Vrbani II. in Concil. Placentiæ habito. *Nos canonum Sanctorum ſtatutis conſona ſanctione decernimus, vt ſine titulo facta ordinatio, irrita*
E *habeatur.*

Quid? quod in eodem can. iubeatur Clericus, *in qua Eccleſia eſt titulatus, in ea perpetuo perſeuerare?* quod an facere verè poſſunt, qui beneficio ſuo in alterius gratiam renunciant, mihi ab his dici cupio, qui illud abiudicari poſſe aſſerunt, quod Nau. *de tempor. ordination. conſil. 14.* & Pariſius *lib. 8. quæſt. 6.* improbant.

Sane ſi ad ſacros ordines, nulli patere Eccleſiæ legibus aditus poteſt, quem premit ino-

pia, eo quòd patre paupere natus, legitima, id eſt patrimonio, quantum ad quotidianos vitæ ſumptus ſufficeret, non eſt donatus, nec ab Epiſcopo ſuo beneficio Eccleſiaſtico, cur in iis verſari ac viuere ſineretur impunè, quem ſua in reſignando beneficio ad quod eſt promotus, liberalitas eo redegit, vt nec domi nec foris quidquam habeat, vnde inopiam arceat? Ne mendicare ad ſtatus Clericalis infamiã Clericus cogatur, ad ordines nõ recipitur, niſi patrimonio, aut beneficio munitus quam non eſt ergo credibile, ei per Eccleſiæ benignitatem licere, in eo ſe ſtatu ponere, beneficii ſui ceſſione in alterius gratiã, vt ei mendicato viuere ſit neceſſe. Quod ne fieret cauiſſe Carolum nonum video, in regni comitiis, Aureliæ habitis: nam Sacerdotem fieri non vult vllũ, qui beneficio, careat, aut prouentu librarum 50. annuo, quẽ ipſum quoque vendere, aut abalienare ſit nefas. Sic enim ille *articulo 12. Nul ſera promeu à la Preſtriſe, qui n'aye bien temporel, ou Benefice ſuffiſant pour ſe nourrir, lequel reuenu temporel ſera de la valeur de 50. liures par an, & ſera ledit reuenu temporel inalienable, & non ſubiet à aucunes obligations & hypotheques, &c.* & iuxta hãc legem, à Senatu, Lutetiano ſunt cuiuſdam Clerici creditores reiecti, qui Clerico aſſignata pro titulo, in cauſam pignoris cœperant, haſtæque ſubiecerant, auctor Charondàs *in memorabil. verbo Clerici.*

Et quanquam maiorum æuo, hoc eſt ante Tridentinum, Clericorum immobilia in Gallia alienari, obligari, & in pignoris vel iudicati cauſam capi poſſent, vt oſtendit Ægid. Meſtræus, *in tract. ſubhaſtat. cap. 23. num. 2.* etiam aſſignata in titulum, vt teſtatur Berengar. Fernand, *cap. 3. art. 3. num. 13.* non fit id tamen hoc tempore, prohibente Concilio loco citato.

Eſſet tamen tituli ad quem eſt reſignans ſacro initiatus Ordine, reſignatio valida, etiã mentione de eo non facta, ſi eius in alium, paris valoris ac pretij permutatio fieret, eo quod æquipollentium eadem ſit ratio, Barboſa *allegat. 19. num. 44.* Marchinus *tract. 2. de ordinib. in particulari part. 6. difficult. 7. numero 14.*

Secundo eſſet valida, ſi renuncianti aliunde ſuppeteret vt ex patrimonio, aut beneficio, vnde vitam duceret, aut ſi ex eo penſionem ſibi 50. aureorum, Papa approbante ſeruaſſet: eſt enim hæc ſumma, vitæ vtcunque tolerandæ, hoc eſt non omnino magnificè, ac lautè ſufficiens, & proinde impediens, ne quid peccetur in Concilium, cui in alienatione prohibenda tituli, hoc vnum videtur fuiſſe propoſitum, ne contra quàm Clericorum dignitas exigit, qui titulo ſe ſuo, alterius cauſa priuat, ſtipem corrogare debeat Flammin. *de reſign. lib. 2. q. 6. num. 41.* Natar. *lib. 4. conſil. titulo de*

A *renunc. conſil. 9.* nam ceſſante legis cauſa, ceſſare debet & ipſa *cap. cum ceſſante 60. de appell.* vt facta tamen ab eo beneficii ad quod eſt promotus, reſignatio ſit rata, exponere Pontifici Romano duo reſignans debet, primum, quod ad illud, factus eſt maiorum ordinum Clericus, ſecundum, quod aliunde ei ſuppetat, vnde pro dignitate, ſtatuque Clerici inter populares ſuos honeſte viuat, Concil. Trid. *ſeſſ. 21. cap. 2.* facta aliter reſignatio, id eſt cum ſuppreſſione vtriuſque rei, eſt nulla & inualida, Flamin. *lib. 2. q. 6. num. 35.* vtpote Papæ
B voluntati non conſona, quem non eſt veriſimile reſignationi faciendæ de beneficio conſenſurum, ſi illud ſciret fuiſſe ei vnicum, quo cum eſt promotus, poneretur extra mendicandi periculum, metumque: quare eſt vtriuſque facienda Pontifici mentio.

Pœna renunciantis abſque mentione tituli & facultate ab Epiſcopo impetrata, eſt priuatio ſui beneficij, & quidem talis, vt ſibi poſtea dari ab eodem non poſſit, ſed à ſolo Papa, Ordinarius autem, qui mala fide, reſignationem admiſit, ei de alimentis prouidere debet, ſi hæc ei ad vitam idonea non ſuppe-
C tunt, ſanxit id Pius V. *in Bulla contra male promotos edita anno 1567.*

Quartum, *In beneficiorum reſignatione, quæ ſint obſeruanda regulæ Romanæ Cancellariæ.*

Duæ, de infirmis reſignantibus quæ eſt *nu.* 18. & de publicandis reſignationib. quæ eſt 34. Auctor prioris Bonifac. nomine VIII. renouator Martin. V. approbator Nicol. V. verba quibus, eam his Pontificib. concipere placuit ſunt iſta. *Item voluit quod ſi quis in infirmis te conſtitutus reſignauerit aliquod beneficium, aut illius commendæ ceſſerit, ſeu ip-*
D *ſius beneficij vnionis diſſolutioni conſenſerit, etiam vigore ſupplicationis, dum eſſet ſanus ſignata, poſtea infra 20. dies, à die per ipſum reſignantem præſtandi conſenſus computandos, de ipſa infirmitate deceſſerit, ac ipſum beneficium quauis auctoritate conferatur per reſignationem ſic factam, collatio huiuſmodi nulla ſit, ipſumque beneficium nihilominus per obitum cenſeatur vacare.*

Itaque vt locum habeat hæc regula, quæ ſe-
E quuntur ſunt neceſſaria. Primum, vt reſignans dum reſignat ſit æger.

Secundũ, vt hic reſignationi det conſenſum, ſunt enim paria, reſignationi conſenſum dare, & reſignare, *Clem. vn. de renunciat.*

Tertium, vt 20. diebus à die præſtandi per reſignantem conſenſus, ſit hic ſuperſtes.

Quartum, vt quod reſignat, ſit beneficium, quo nomine intelliguntur dignitates, præbendæ, & quælibet alia beneficia, tam regularia, quam ſecularia, officia item Eccleſiaſtica, & capellæ.

Quintum, quod reſignans, de infirmitate decedat,

decedat, hoc eſt vi eius, vnde ſi poſt reſignationem ab infirmo factam, diem hic obeat aliena confoſſus manu, in eo locum non eſt habitura regula, quia ex infirmitate, quæ eum ad reſignandum impulit, non interiit, quod quando, quoties, & quomodo accidat, medicorum eſt ſtatuere, in dubio cenſendus erit reſignans oppreſſus, vi morbi quo tenebatur, cum beneficio ceſſit ſuo in Pontificis manu.

Sextum, vt reſignatio ſit admiſſa per Papam, vel legatum, nam beneficium conferri debet, debet ergo & eius ceſſio admitti.

Confirm. Per mortem vacare id beneficium eſt cenſendum, cuius poſſeſſio penes defunctum erat cum exhalauit animam, at quandiu à Prælato, beneficij collatore ordinario, eius non eſt admiſſa reſignatio, plena perfectaque apud reſignantem remanet eiuſdem poſſeſſio, cũ poteſtate colligendorũ fructuũ, quos Dño ſuo beneficiũ parturit: locum ergo duntaxat in eo habet hæc regula, cuius beneficium eſt collatum, illo, ante exactos 20. dies à facta eiuſdem ceſſione, mortuo.

Ex dictis ſequitur primò, huic regulæ locum nullum in eo eſſe, qui moritur intra 20. dies à reſignatione quam fecit, cum ſanus eſſet, quia hãc ab eo fieri eſt neceſſe qui eſt in *infirmitate conſtitutus*, alioqui vim in eum non eſt vllam habitura hæc regula. Secundo valere tamen in eo qui in morbum, relapſus, ex quo cum beneficio ceſſit ſuo, vtcunque cõualuerat, naturæ conceſſit, intra dies 20. ab ea ceſſione, Rebuff. *in regul. de infirm. reſign. gloſſa 2. num. 8.*

Ratio eſt, quod pro ſano haberi non debeat, qui morbi in ſe ſemina principiaque alit, quæ cum tantiſper humoribus incaluerint, adoleſcent in eius perniciem. Eſt is tamen ab hac regula excipiendus caſus, in quo aliunde quam ab antiqua ſua ægritudine mori illum accideret, vt per caſum non præuiſum, per immoderatum ciborum ac vini vſum, nam tunc vere de eo dici non poſſet quod *in infirmitate conſtitutus renunciauerit*.

Sequitur 3. non habere hanc regulam locum in ſene, quanquam decrepito, quia etſi valde ſenex, æquiparetur infirmo *cap. 1. de Cleric. ægrot. in 6.* ſitque ſenectus ipſa morbus, non ſolum corporis, quod ſitu, anniſque exẽſum fatiſcit, ſed etiam mentis, vt eſt in *lib. 2. politicorum*, non tamen eſt eo infirmitatis genere languens, de qua loquuntur Pontific. in hac regula, quæ non eſt niſi vera, & propria, qualis eſt ea duntaxat quæ ex humorum exceſſu gignitur, ex quo ſuccedit febris, quam Medici & Iuriſper. motum eſſe aiunt corporis, contra naturam vt *in lege quæſitum § 1. de re iudic.* cuiuſmodi ſenectutem nõ eſſe, vt ipſe nõ dicam, ſatis intelligunt, qui eam non tam morbum, quàm debilitatem naturæ, membrorumque dici norunt, & ideo in ea qui verſan- A tur, hac non comprehendi lege.

Idem eſt de his iudicium, qui ſalutem ſuam in diſcrimen vocant, tam coacti, quàm ſponte, vt qui eam mari & vndis committunt, aut armis in duello, hoſtium furori in vrbis expugnatione, vnde paucis referre gradum eſt licitum, nam etſi in aperto ſint certoque vitæ periculo, dum hæc factitant, quia tamen cum his initium faciunt, non ſunt in infirmitate conſtituti, hac eos regula certum eſt non teneri, Gomeſ. *in eius explicatione parte 1.*

B Sequitur 4. Satis non eſſe quod quis ſe reſignaturum ſit pollicitus, aut procuratorem ad reſignandum conſtituerit, nam ſi interim hic intra dies 20. expiret, per poſſeſſoris obitum vacabit beneficium, quia promittere, & facere ſunt diuerſa, promiſſio futurum reſpicit, actio tempus præſens.

Dubium quintum, *A quo die computari dies 20. debeant, an à die renunciationis facta coram notario, an ab eo, quo eſt illi conſenſus Romæ præſtitus.*

A die factæ renunciationis coram notario & teſtibus Guido Papa *conſ. 172. verſu dico* C *quod regula Cancellariæ*, Ioan. Andr. *in cap. quod in dubijs de renunciat.* Petrus Gregor. *in inſtitut. beneficiar. cap. 31. num. 17.* quia notarius vt perſona publica ceſſionẽ pure factam & ſimpliciter, acceptare poteſt ordinarij nomine, itáque in Senatu Tholoſano bis iudicatum eſſe idem refert *num. 17 citato.*

Verum enim, inter dies qui 20. eſſe debent, etiamne eius in quo conſenſus eſt renunciationi coram notario à reſignante præſtitus, habenda eſt ratio? an illius etiam, quo procurator bullis expediendis dat operam.

Neutrius, non primi, nam vt eſt in textu, D totos dies viuere reſignans debet, *à die per ipſum reſignantem præſtandi conſenſus computandos*, quod non fieret, ſi qui dies reſignationi dedit initium, locum ſibi inter viginti quos regula exigit, vendicaret.

Quid? quod particula *A* ſeparationem apud Iuriſperitos, ac excluſionem ſignificet, vt habet lexicon iuris in litera *A.* patetque ex his Gregor. X. verbis *in cap. ſtatutum 3. de prabend. in 6.* quibus Epiſcopis imperat, vt *poſt menſem, à die, quo beneficia ipſa vacauerint in Curia, numerandum, conferant,* ſi ad ea Pon- E tifex pro paterna ſua in Eccleſiam caritate, idoneos homines non admouerit. De dierum ergo viginti numero, eſt is remouendus, qui reſignationi dedit initium, per conſenſum ei à reſignante præſtitum.

Nec in iis numerandus pariter is videtur, quo procurator pro bullarum expeditione laborat, Quia verbo fit gratia, literiſque nullis eſt opus, niſi vt de Pontificis voluntate, admiſſaque per eum ceſſione, argumenta prouiſus habeat, quibus de ea, ſi erit neceſſe, fidem in foro faciat.

Secundo, cum non ſint ad poſſeſſionem beneficij, abſolutè Bullæ Pontificiæ neceſſariæ, ſintque hæ eius collatione poſteriores tempore, quæro, quid ad eam prodeſſe procuratoris diligentia in iis procurãdis aut quid eiuſdem incuria, admiſſæ reſignationi obeſſe valeat? fac enim renunciantẽ mori poſt 20. dies ab hac recepta, otiari procuratorem interim, ac vagari Romæ, poſtquam eſt mortui voluntas, ceſſioque probata Pontifici, ecquid eſt hæc futura per Procuratoris in leuandis bullis incuriam negligentiamque inanis ac nulla? cum ipſe nihil faciat, ſed tantum rem factam exequendam curet, Petr. Gregor. *de benefic cap.31. num. 17.*

Sextum, *An beneficia monialium, & Commenda Abbatum ſæcularium contineantur hac regula.*

Commendarum ſpecies ſunt duæ, quædam temporales. Perpetuæ, ac ad vitam Commendatarij durabiles aliæ: priores vtilitatem ſpectant Eccleſiæ, vti finem; poſteriores Commendatarij: illæ ſex menſibus non ſunt longiores, quibus tamen elapſis finitiſque ſi adhuc Eccleſiæ neceſſitas, vel vtilitas poſtulet, iterato dari poſſe ad ſemeſtre, aut ſpatium eo breuius, Rebuff. ait *in priori parte praxis titulo de Commendis num.65.*

Iſtæ, hoc eſt perpetuæ, iiſdem quibus vita ipſa Commendarij clauduntur terminis, danturque ei in titulum, qui ideo efficitur tanquam procurator, in rem ſuam, ſicuti docet, Renat. *in lib. 1. monaſticon. tit. 2. num. 3. in fine.*

Iam ergo dico, iſtiuſmodi commendas regula de infirmis reſignantibus comprehenſas eſſe, ſunt enim beneficia, & ex alia parte qui ea poſſident, facere iure queunt, quod beneficiatus non eſt negandum, nam vt iſti beneficia, ſic illi ſuas permutare, ac reſignare commendas poſſunt, ſuper earum fructibus tranſigere, eos ad aliquot annos locare.

Quid? quod hæ ſaltem in Gallia per commendatarij obitum vacent, & ita impetrari à Pontifice valeant, quæ omnia loquuntur ac indicant, eas pro veris beneficiis habendas eſſe, & ideo lege de infirmis reſignantibus contineri, peræque ac illa, quod erat probandum.

Non item temporales, eo quod beneficiis accenſeri non ſoleant, quæ ſunt perpetua, nec vt illæ, ad ſemeſtre redacta.

Fuit altera quæſtio de monialium præfecturis, Prioratibus, ac Monaſteriis, nimirum an per mortem vacent, ſi à die quo cum facultate Regis in Gallia, quæ alibi non videtur neceſſaria, ſi à die (inquam) quo in alterius gratiam, ſuis ceſſere beneficijs, in manibus Romani Pontificis; vigeſimum videre debeant.

A Et dico vacare, primo, quia beneficii nomen abſolutè ac ſimpliciter in regula ponitur, ea ergo quæ puellarum ſunt propria complectitur, nec ad ea duntaxat quæ viris ſunt debita, reſtringitur.

Secundo cum peccare fœminæ reſignando, peræque ac viri poſſint, quid eſſe, aut cogitari poteſt æquius, quam has iis teneri legibus, quibus à culpa deterreri, ſicut & illi, valeant.

Quid? quod ſexuum differentia eſſe nulla debeat, cum ſalus propria aut vtilitas publica agitur? agi vero vtrumque in puellarum re-
B ſignationibus, ſicut & virorum eſt certum, ſalutem quidem cedentium, nam de beneficiis teſtari ſuis beneficiarii, cum extrema eorum hora aduenerit, etiam in conſanguineorum gratiam, vetantur *in cap. 1. de præbend.* teſtamenti autem inſtar, ac ſpeciem habere beneficii ceſſionem, ſub vitæ finem, cum viuendi ſpes nulla eſt ſuper, quis non videt? Ordinarii autẽ noceri intẽpeſtiuis his renunciationibus, cum per eas proprio cõferendi iure priuentur, nominatis item, graduatis, ac mandatariis Romani Pontificis, cum excludantur à ſuis iuribus, vt ipſe non dicam, ſatis omnes intelligunt: maneat ergo
C tanto tempore à reſignatione per ſe facta, puellis viuendum eſſe, vt ſit hæc rata, quanto viris.

Septimum, *Sintne beneficia aliqua, in quibus locum non habeat hac regula.*

Omnino, & primo ab ea ſunt remouendæ penſionũ tranſlationes, quia non ſunt beneficia, *extra de præbendis cap. quamuis pleniſſima 4.* nec per eas quis intitulatur, nec paſtor, aut canonicus huius aut illius Eccleſiæ appellatur *16. qu. 1. can. poſſeſſiones 16. qu. 6. can. illud.*

D Secundo, non comprehenduntur ſub hac regula, beneficia, quæ dantur in Conſiſtorio Papæ per renunciationem, quia præſumitur hæc expers eſſe fraudis, omnemque regularũ Cancellariæ vim ac ſolennitatẽ Papa præſente ceſſare: ita P. Gregor. *cap. 31. de beneſ. num. 13.* ſit pro argumento, quod coram eo, quid, & quantum beneficium valeat, exprimere non oporteat. Idem ibid.

Tertio ab ea regula eximuntur officia Sacriſtæ, Oeconomi, Defenſoris, quia non ſunt
E beneficia.

Octauum, *An Regula de 20. diebus locum tempore Regaliæ habeat.*

Habere, communis eſt opinio, quia eam indiſtinctè Pontifex, & abſolutè in cuiuſlibet beneficii ceſſione, obſeruari oportere aſſerit: nihil ergo eſt rationis, quamobrem ea excludi beneficia oporteat, quæ quomodolibet, regalia aperta vacant. Quare vt à Pontifice, Abbatia aut Epiſcopatus, per reſignationem poſtulanti Reſignatario conferri nequeunt

queunt, niſi Regi ad eas dignitates nominare placuerit, ita nec minora beneficia, quæ ab infirmo renunciantur aperta regalia, poſſideri poſſunt legitimè ac validè, à reſignatario, niſi à renunciatione eius cauſa facta, renuncians diebus 20. ſuperuixerit, quod ſi moritur, beneficium ante reſignatum, vt vacans per obitum, conferri à Rege cui volet poterit ad arbitrium.

Nonum, *An regulæ præſenti derogare Papa valeat.*

Poſſe, probat hoc argumentum, Quod abrogare legem ſuam ſit legiſlatori permiſſum, aut ne quis ea teneatur, facere, atqui legis huius auctor eſt Pontifex & ne in eum cuius cauſa derogat, vim ſuam exerat impedire poteſt, iſti ergo derogare legi Papæ eſt licitum.

Secundo, eius eſt ſoluere, cuius & ligare. Ligat Pontifex cum reſignationi robur nullum vult eſſe, niſi ab ea, reſignans ab infirmitate illa qua laborabat, cum reſignauit, dies viginti viuere perſeueret, aut ſanitatem recuperet, ſoluit autem, cum ab eius obligatione, nexuque liberat: ergo, &c. Debet tamen ea derogatio iuſta eſſe, hoc eſt cauſa niti probabili, literiſque beneficii collatitiis inſeri, vt ſi dicat Pontifex *Parochiam de vineis in vim reſignationis factæ tuâ cauſa per N. tibi P. conferimus cum derogatione regulæ de 20. diebus.*

At enim (inquies) prodeſſe vni cuipiam cum certo alterius detrimento, Papam cuius eſſe communis aduerſus omnes, parque debet eſſe charitas, nec decet, nec oportet, at ſic eſt vni regulæ de qua eſt quæſtio, derogatio fructuoſa ac vtilis, vt aliis ſit noxia, fac enim eam concedi ſub finem menſis Iunij, nocebit nominatis haud dubie, quibus ea Parochia derogatione regulæ ſubtrahitur, quæ tamen ab iis Iulio menſe ſi vacet, peti poteſt, tanquam ſibi per concordata debita.

Reſpondend. non præiudicare nominatis Pontificem cum regulæ iſti derogat, nec enim præiudicium alteri facere dicitur, qui iure ſuo vtitur, vti colligitur ex *cap. dilectus 6. de officio legati*, vbi Pontifex per legatum præiudicatum fuiſſe patrono negat, quod illius quam iſtius ius eſſet potius, & ita iſto, hoc eſt patrono inconſulto, Eccleſiam ſancti Trudonis in Metenſi Epiſcopatu ſitam, conferre potuerit.

Patet ex dictis, primo, in Epiſcopi iure non eſſe diſpenſare cum infirmo, ne à reſignatione, teneatur 20. diebus viuere, quia cum diſpenſatio iuriſdictionis ſit actio, eorum tantum eſt propria, qui legiſlatori, aut ei qui legem ſanxit, vel mandatum dedit, ius dicunt: at eſt Pontifice Epiſcopus inferior, nec eſt huius regulæ de qua nobis eſt quæſtio, auctor ac conditor, ſed Papa, in ea ergo derogare Pontifex ſolus poteſt, non Epiſ-

A copus, per quas enim cauſas eſt aliquid, iiſdem & tolli debet de regulis iuris extra, regula 1. ergo à contrario, legem antiquare quis non poterit, quam non ſciuit, ſtatutum refigere ac tollere quod non fixit, aut poſuit, ſicut Epiſcopus.

Infertur 2. Cum Legati à latere poteſtate præſtent Epiſcopis, improbabile non eſſe, ab iis reſignationes cum derogatione regulæ de 20. diebus recipi poſſe: ita Rebuff. in *Concord. rubr. de collationib. parag. præſ. atque ordinarij verbo vacare.*

B Ratio eſt, quod legati à latere, poteſtas ſit eadem, quæ Papæ, niſi eam reſtringi placuerit, vt fecit Innoc. III. in decretali *niſi ſpecialis illa deuotio 3. de officio legati*, vbi dicitur quod ei transferendi Epiſcopi, aut cathedralis Eccleſiæ ſubiiciendæ alteri, poteſtas ſit nulla: ergo cum Papa diſpenſare cum reſignante in infirmitate poſito valeat vt rata ſit eius reſignatio, etſi a die quo eſt concepta, minus 20. diebus vixerit; idem quoque erit eius conceſſione Legato à latere licitum.

C Dices quod eſt alteri debitum eidem adimere Legato non eſt permiſſum. At ſunt graduatis nominatis affecta beneficia quæ in menſibus Iulio & Ianuario vacant, eis tamen à Legato, cum regulæ derogat, adimuntur, eſt ergo derogatio talis ei non permiſſa.

Eſt ea pars Minoris neganda, quæ nominatis beneficia per Legatum eripi aſſerit.

Primo, quia id tolli nequit alicui, quod nunquam in eius iure dominioque extitit, ſunt de hoc genere, beneficia graduatis &
D nominatis affecta per Concordata, antequam ſint eis collata, cum ad ea, ius ad rem duntaxat, non in re habeant.

Secundo reſpondend. indirecte eripi in quantum id per Legatum ponitur, (nempe regulæ derogatio) quo poſito Nominati, ſpe excidunt conſequendi beneficii, quod vacaſſet niſi regulæ de 20. diebus derogatum eſſet, de quo iuſtam nullam nominatis querendi cauſam exiſtere reſpondit Senatus anno 1536. die 13. Maij, Rebuff. teſte ſupra.

Decimum, *An in Ordinariis, locum hæc re-*
E *gula habeat.*

Quæſtionis eſt hic ſenſus, ecquid reſignantem Ordinario præſente, inque eius manibus tâdiu hic a reſignatione in infirmitate facta viuere debeat, quandiu eum viuere oporteret, ſi reſignaſſet in manu Pontificis.

Affirmant Rebuff. *in tract. de nominat. q. 17. & ſequenti*, Gomeſius *ad dictam regul. q. 20.*

Negant Decius *conſil. 224.* Petr. Gregor. *de inſtitut. beneficiar. cap. 31. num. 16.* Peleus

lib. 2. actiõn. forenſ. actione 10. Carolus *in hanc regul. num.* 34. hoc habent ſententiæ ſuæ fundamentum præcipuum.

Quod cum reſignatio ſimplex & in fauorem admittitur ab Epiſcopo iuri hic ſuo renunciet, nam cum ei reſignationem admittere, vel reiicere ſit liberum, cum omnis quæ in eius ſit manu, ſimplex ſit & in fauorem, non conditionata, ſi ei beneficium conferat, pro quo rogatur, cum ad id non teneatur, imputare ſibi debet ſi reſignante moriente ex infirmitate, ſeipſum collatione priuauerit, quæ erat illi competitura per eiuſdem mortem, intra viginti dies. Quod autem iuri ſuo renunciet Epiſcopus, eiuſmodi reſignationes admittendo, ſaltem in Gallia, ſic oſtendo. Agere quilibet ſecundum morem patriæ in qua degit, eſt cenſendus, niſi ſecus dicat ac ſentiat. At eſt hic tribunalium Galliæ communis ſenſus, iſque non improbabilis, Epiſcopi, cum reſignationes recipit ſimplices, & in fauorem, conceſſionem abſolutam eſſe & irreuocabilem, nec ab euentu futuræ mortis intra 20. dies pendentem, Tournetus *to. 2. arreſtor. litera R. num.* 102. *& ſequentibus*: ergo cum factum legitime reſcindi ac reuocari nõ debeat, *licet caſus poſtea eueniat, à quo non potuit inchoari de regul. iuris in 6. reg.* 73. nec deſtitui cum deceat, qui recte eſt inſtitutus, *cap. querimoniam de iure patronatus*, eo quod *actus legitimi conditionem non recipiant de regul. iuris in 6. regula* 50. ſitque iuri, naturæque rerum conforme, vt renunciatione beneficii admiſſa, & collatione eius, perfecta ſit eius conceſſio, ex ſequenti mortis cauſa infirmari hæc non debebit nec poterit.

Dixi *ſi reſignatio eſt ſimplex & in fauorem*: nam ſi eius collatio erit neceſſaria, qualis eſt facta ex cauſa permutationis coram ordinario, locus erit præſenti regulæ in Gallia, & proinde, ſi compermutantium alter diem ſuum intra 20. dies obeat, à permutatione beneficij ſui facta cum alio, vacabit id per obitum teſte Papon. *lib. 3. tit. 1. cap.* 1. Pet. Gregor. *de inſtitut. benefic. cap.* 21. *num.* 16. Maynard. *lib.* 1. *qq. cap.* 33. Luca *lib. 1. arreſt. cap. 4. art. 9.* Renato *lib. 1. de ſacra polit. tit. 9. num. 3.* quæ ſuper eadem regula moueri præterea quæſtiones poterant, quia à nobis ſunt in praxi iuris Gallici explicatæ, eas hic non repetimus.

QVÆSTIO VIII.

De Regula Cancellariæ, quæ eſt de publicandis reſignationibus.

EST hæc numero 34. inter regulas Cancellariæ his verbis concepta. *Item Dominus noſter ſtatuit, & ordinauit, quod quæcunque beneficia Eccleſiaſtica, ſiue in Romana curia, vel extra eam reſignata, niſi de illis facta reſignationes, ſi in Romana Curia, intra 6. menſes, ſi extra dictam curiam factæ, intra menſem ex tunc vbi ipſa beneficia conſiſtunt, ſint publicata, & poſſeſſio illorum ab eis quos id contingit, petita fuerit, ſi reſignantes poſtmodum in eorundem reſignatorum poſſeſſione deceſſerint, non per reſignationem ſed per obitum huiuſmodi vacare cenſeantur, collationes quoque de illis tanquam per reſignationem factæ, & inde ſecuta, nullius ſint roboris, vel momenti.*

Circa quam ſequentia proponi poſſunt dubia. Primum *an ea locum in permutatione, ſeu renunciatione ex caſu permutationis habeat.*

In eorum ego partes tranſeo, qui affirmantem tenent, quo de numero ſunt Rebuff. *in praxi benef. ſuper regul. de publicand. reſignat.* Flaminius *lib. de reſignat. 11. q. 5. num. 16.* Petr. Gregor. *cap. 25. de benef. nu. 18. ſub finem.*

Ratio eſt, quod facta ex permutationis cauſa renunciatio, ſit vera reſignatio, eſt ergo ex præſcripto regulæ publicanda, cum indefinitè omnes in eam legem Pontifex cogat, nullam excludat, vt textus ipſe indicat.

Quid? quod in quibus locis eſt hæc regula in vſu, ceſſionis publicatio ſit inſtar formæ: ergo ne hæc corruat, vique ac robore careat, omitti non debet, cum omiſſa forma actus ſit nullus, Innoc. III. teſtimonio *in cap. cum dilecta 22. de reſcript.* his verbis: *propter quod proceſſum ipſorum, contra noſtri formam reſcripti, ac iuris ordinem attentatum irritum & inanem decernimus.*

Quid? quod Pius V. in conſtitutione à ſe hac de re edita, & Gregor. XIII. ambo Romani Pontifices, permutationis expreſſe meminerint, in eaque huic regulæ locum eſſe velint? vt conſtans eſt, firmaque Doctorum opinio apud Theſaurum *par. prax. Eccleſ. 2. verbo reſignatio cap. 4.*

Secundo, pro publicandis reſignationibus, ex permutationis cauſa factis, rationes pugnant omnes, quarum cauſa, eas publicari Pontifici placuit, in primis, vt intelligat populus, ad quem Sacramentorum cauſa, eum amodo ire, cuius in repurganda conſcientia opem implorare oporteat.

Tertio, ne reſignans fructus, cæteraque beneficij commoda ſibi per ſpeciem beneficij adhuc à ſe poſſeſſi doloſe vindicet.

Quarto, ne quis bona fide cum eo tranſigens

ſigens, in fraudem ſimulata eiuſdem virtute A fictoque iure cadat: ergo cum legis inſtituendæ cauſæ, ratioque, ab his reſignationibus ex permutationis cauſa inſtitutis, faciant, ea contineri, proindeque publicari, eas oportere nemo vel parum intelligens, non videt.

Quarto, eſſe beneficiorum in ſeſe inuicem permutatio nõ poteſt, ſine eorundem renunciatione propria, veraque, at eorundem ceſſiones publicari Pius V. & Gregor XIII. cæterique Pontifices imperant, ergo & permutationes.

Deinde, quam non eſt dubium, permutatione vacare beneficium? *cap. 1. de permut. in 6.* eodem à mitti titulum, peræque ac eiuſdem ceſſione facta in tertij gratiam? quæ ergo de hac publicanda Pontificiæ leges præcipiunt, ſunt etiam in Sacerdotiorum commutatione obſeruanda. B

Dubium 10. *Quantum ſit temporis, publicandæ reſignationi aſſignatum?*

De ea re ſcripſere multa multi, Pij quinti, & Gregor. iudicio eſt ſtandum, quibus ſtatuere placuit, vt beneficiorum reſignationes, & ceſſiones eorundẽ, ſeu iurium, etiã permutationis cauſa factæ in manibus Papæ, & ſuper eis prouiſiones, vel mandata de prouidendo, publicari debeant cum literis Apoſtolicis deſuper confectis intra ſex menſes, ſi beneficium ſit intra montes, & reſignatio facta ſit in curia. Vltra montes autem intra nouem menſes à data conceſſionis gratia, non autem à die præſtiti ſuper ea conſenſus numerandos. In renunciationibus autem quæ fiunt extra curiam, Epiſcopus infra menſem reiicere aut admittere debet, & prouiſus publicare infra 3. ſimiliter menſes vt dicitur in Gregor. XIII. Bulla 85. cui initium eſt *Humano paragr. de beneficijs autem.*

Pœnæ in hoc genere peccantium ſunt duæ; prima reſignatarium afficit, qui niſi infra tres menſes, à die ſibi factæ prouiſionis reſignationẽ publicauerit, & poſſeſſionem cœperit modo & & forma ſupradictis, *iſtis elapſis, nulla eius eſt prouiſio, & beneficium vacare cenſetur eo ipſo, Ordinarij autem, qui hac vti eis præcipitur, non perficiunt, poteſtate eo caſu diſponendi de ipſis ſunt ea vice priuati,* Greg. in Bulla citata *parag. de beneficijs autem.*

Ex quo notare placet, primo eiuſmodi reſignationes admittẽdas infra menſem, beneficiaque ſi hæ admiſſæ fuerint, intra menſem conferenda eſſe.

Secundo, ſi hi ad quos id ſpectabat facere eas non admiſerint, vel intra menſem beneficiis, non contulerint, ea vice poteſtate priuatos eſſe facultate de illis diſponendi.

Tertium, ius conferendi beneficij quod non eſt ſuo tempore collatum deuolui ad Pontif. proindeque impetrari poſſe à quolibet, quia vacat, & ad Pontificem deuoluta eſt eius collatio.

Quartum ex earum defectu rerum, aut cuiuſlibet ex illis collationem eſſe nullam, & ita beneficium eo ipſo vacare.

Quintum vacare item, ſi non capiatur reſignati poſſeſſio, nam Gregor. duo petit ne vacet. Primum factæ ceſſionis notitiam, ac eiuſdem publicationem imprimendam in eorum qui intererunt animis, alterum, in eius induci poſſeſſionem per eum qui debet, & poteſt.

Dubium 11. *A quo ſint tempore computandi menſes, aut menſis, intra quos, aut quem, publicari reſignatio debeat.*

A die conſenſus reſignationi præſtiti à Papa, aut collatore Ordinario, quia ante hunc conſenſum, reſignatio eſt informis, & ſine effectu, ac à reſignante reuocabilis.

Dicunt alij menſes de quibus eſt hic quæſtio, computari à die conſenſus, à reſignãte & reſignatario in manibus Notarij Cancellariæ, aut cameræ, reſignationi adhibiti, quæ eſt opinio Gomeſij *ad hanc regul. q. 7.* Petr. Greg. *ſupra num. 19.* minus tamen meo ſenſu probabilis, quam prima. Quia neuter aſſenſum reſignationi factæ extra vrbem, (id eſt eo loco vbi eam fieri contigit) admittendæ autem à Pontifice, diuerſum ab eo tribuit, quem in eo loco præbuit, vbi primo beneficium eſt reſignatum, & tamen ab eo, vt patet, non computantur ſex menſes qui reſignationi factæ in curia, vel menſis, qui extra eam per hanc regulam, publicandæ reſignationi tribuitur, eſt hæc ergo opinio improbabilis. C

Secundo, ab eo eſt tempore ducendum ſemeſtris initium, infra quod euulganda eſt beneficii reſignatio, & quo primum à reſignante tranſit in reſignatarium eius titulus, at id non accidit niſi poſt papæ conſenſum, ab eo ergo præſtito, non autem per reſignantem aut reſignatarium adhibito, menſes, aut menſis, qui ad reſignationem publicandam præſcribuntur, per hanc ſunt regulam, computandi. Quare in Gallia vt auctor eſt P. Gregor. *de inſtitut. benef. cap 31. num. 19.* conſideratur menſis in renunciationibus factis coram Legato, qui tunc eſt ibi pro ordinario, à die quo illas ei admittere placuit, qua de voluntate ac aſſenſu, conſtare oportet per Bullas, aut literas, in quibus ſit expreſſio conſenſus tam Pontificis, cum Romæ ſit reſignatio, quam ordinarii aut Legati cum alibi, nec fieri ante poteſt hæc, de qua loquimur, beneficij reſignati publicatio. D E

In Gallia tamen cum per bella facilis non eſt, tutuſque per Italiam tranſitus, ſignaturam ſine bullis, per Bancarios (vt loquuntur) verificatam, pro adipiſcenda beneficii poſſeſſionẽ ſufficere dum pace facta, Papæ literæ ex vrbe veniant, docent Papon. *li. 3. tit. 3. ar-*

recto 7. Petr. Gregor. loco proxime citato.

Extra hoc tempus, literas expediri in vrbe eſt neceſſe, quæ de voluntate Papæ, eiuſque aſſenſu fidem faciant, qui ne ſit inanis ac vanus, (vt foret, ſi ſuum reſignans reuocaſſet) in manibus Notarij Cancellariæ, vel cameræ à reſignantis, ac reſignatarij procuratore vtriuſque nomine debet exprimi, & à die eius expreſſi, acceptatique viciſſim à Papa, aut quolibet altero qui eius vices gerit, computanda ſunt deſignata hic tempora.

Quid ſi ſupplicatio, reſignationis conſenſum à tergo contineat?

Sola ad publicationem non ſufficit, ſecundum Gomeſium in *regul. de publicand. q. 7.* nam publicari titulus debet, ſola publicatio, ſine expeditis literis titulum non continet, Rota *in tit. de præbendis concluſ. 17.* & alii apud Gomeſ.

QVÆSTIO IX.

An poſſeſſionem inire beneficij oporteat, intra tempora publicandæ reſignationi præſtituta.

NEquaquam, quia publicare & poſſidere, ab inuicem natura differunt; ergo cum à diuerſis non fiat illatio *cap. in præſentia de probat.* quæ de reſignatione euulganda intra ſemeſtre in Curia, extra autem intra menſem Pontifex præcipit, ad poſſeſſionem non ſunt trahenda.

Secundo, publicanda eſt intra 6. menſes facta Romæ reſignatio, infra vnum, in ſuburbicariis eique proximis vrbibus, cum poſſeſſio, eiuſque capeſſendæ poſtulatio differri ad reſignantis obitum poſſit, vt verba regulæ indicant, *Si in poſſeſſione deceſſerint*, approbant Gomeſius *q. 8. in prædictam regul.* Gregor. Lucas, Loüetus & alij, inferuntque tria admodum eſſe neceſſaria, vt beneficium per obitum vacet. primum quod non fuerit facta publicatio, ſecundum quod non fuerit petita poſſeſſio; tertiũ, quod reſignans poſt ſex menſes, vel menſem, mortuus in beneficij poſſeſſione fuerit, quod ſi horum aliquid deerit, locum regula non habebit.

Patet ex dictis primo, iure communi ſatis eſſe ne beneficium cenſeatur vacare per obitum, ſi reſignatarius eius poſſeſſionem ineat, pridie eius diei quo in viuis eſſe reſignans deſiit, quia ſic in eius poſſeſſione non interit, quod regula tantum exigit.

Sequitur 2. Sufficere ſi per procuratorem eam ſibi concedi roget, impetratamque eius opera miniſterioque ineat, quod enim per alios facimus, hoc à nobis factum creditur, vitiique in illo quicquid eſt, aut laudis, nobis vt eius auctoribus non negatur.

A Sequitur 3. reſignatarium non factum officium, ſi non ſuo, ſed reſignantis, aut cuiuſpiam alterius nomine, poſſidere ſe beneficium diceret.

Ratio eſt, quod tunc non ille, ſed is cuius nomine, in ceſſi beneficij poſſeſſionem venit eius poſſeſſor foret, & ita eo moriente, vacaret per obitum.

Sequitur 4. Etſi certa nulla ſint præſtituta poſſeſſioni capiendæ tempora, ſed ſufficere, ſi hæc reſignantis mortem antecedat, vt paulo ante eſt dictum, eſt id tamen ſic intelligẽdum B quod eius adeptio, tempori ſex menſium, quos publicandis ceſſionibus lex præfinit, commenſurari neceſſario non debeat, ſed prorogari porro queat ad diem, qui cedentis antecedit obitum, dummodo non fuerit à reſignatione beneficij à ſe facta, in eius poſſeſſione pacifica triennio.

Capi hæc ergo debebit à reſignatario, intra tres annos, à die ſuæ prouiſionis numerandos, alioqui ſi triennio reſignantem ſinat in beneficij poſſeſſione conſiſtere, iure ſe ſuo, C eius cauſa abdicare cenſebitur, quodque reſignatione acquiſierat, tam ratione petitorij quam poſſeſſorij amittere Gloſſa *Concord. in rubr. de pacificis poſſeſſoribus.*

Similiter eo iure excidet, ſi reſignantem ſinat redditus omnes beneficij percipere, interimque ipſe in eius poſſeſſione obeat: nam tunc vacare cenſebitur per obitum, ſecundum Gregorium loco ſupra citato.

QVÆSTIO X.

D *An is cui per reſignationem ceſſum eſt beneficium Eccleſiaſticum, poſſit per ſe, nec interpoſita vllius auctoritate hominis, qui publicum gerat magiſtratum, beneficij poſſeſſionem inire.*

NOn poſſe tradunt Archidiac. *in cap. eum qui de præb. in 6.* Ancharan. *in regulam ſine poſſeſſione de regn. iuris in 6.* Eſtque ea de re Innoc. III. reſponſum in decret. paſtoralis 19. de priuilegiis, vbi ad quæſtionem ſibi propoſitam, ecquid illæſo iure canonum, vlli liceret auctoritate propria, poſſeſſionem Eccle- E ſiarum intrare? reſpondit. *Niſi in indulgentia ſummi Pontificis id contineatur expreſſum, ſuo Epiſcopo inconſulto, in poſſeſſionem ipſarum, nulli licitum eſſe intrare, quia per indulgentiam huiuſmodi, Epiſcopali iuri non derogatur.* Senſus idem, iudiciumq. Cæſarum, cum in *l. ſi ex ſtipulatione dig. de acquirendum poſſeſſ.* nulli ſine magiſtratuum offenſa licere aiunt, auctoritate propria in rem venire, eiuſque poſſeſſionem capere, ſed eorum duntaxat bona venia, ac permiſſu.

Sunt

Sunt pro hac ſententia rationes plurimæ: prima quod id per ſe facere, cuius cauſa, certi ſunt in Repub. ciuili, aut Eccleſiaſtica miniſtri conſtituti, ſit malum, hoc enim eſt, eorum ſibi arrogare officium, hoc Principis aut Iudicis ſequi nolle imperium, in quo eſt arrogantiæ non modo, ſed inobedientiæ quoque vitium. At id facit, qui ſua ſibi poteſtate beneficium addicit, & in illud velut in rem ſuam venit, nam Notarios, quos ad eam rem Rex conſtitutos voluit non adhibet, præterquam quod ergo Principi non paret, legitime beneficium non poſſidet, ita Boniſac. VIII. *in decret. cum qui 18. Vt violenti qui auctoritate (vel verius temeritate) propria occupare dignitates, perſonatus, aut alia quæcunque beneficia Eccleſiaſtica non verentur, & ſi non virtutis amore, pœnæ ſaltem formidine à ſuæ temeritatis audacia refrenentur, eo ipſo iure ſi quod in dignitatibus, perſonatibus, aut beneficijs occupatis taliter, vel ad ea ipſis forſitan competebat, amittant.*

Maior probatur: peccat, qui cum poteſt iudicis auctoritate, quæ ſibi ſunt debita ab aliquo, recuperare, ea ſuis ſibi auſpiciis vindicat, quia ius ſibi nemo ſine iudicis iniuria facere poteſt, quod id tentare & aggredi ſit aliena ſibi iura contra fas, æquumque vſurpare. Similiter, qui litem vicit, ſuaque ſibi ab iniuſto occupatore bona reddi in iudicio obtinuit, in ea manus inijcere, ac per ſe ab iniquo extorquere detentore nō poteſt, ſed habet neceſſe, ea in re auctoritatem adhibere iudicis, qua in antiquam rei ſibi ſublatæ poſſeſſionem redeat. Nec ius eſt legatario, in rem legatam venire, & pro poteſtate illam ſuis viribus arrogare, ſed eſt orandus hæres, vt teſtatoris iuſſa faciat, debita nomina expungat, quæ ſibi ſunt legata, ſoluat; quod ſi facere renuat, enimuero tum erit legatario iudicis imploranda æquitati iuncta ſeueritas, quæque iubebit, aut negabit, hæc legatario exequenda erunt, eius ductu ac auſpiciis; nihil ſuis; vera eſt ergo argumenti facti maior propoſitio.

Datur autem poſſeſſio per Archidiaconum *cap. ad hæc de offic. Archid. & cap. ad noſtram eod. tit.* vel per Decanum *cap. poſt electionem de conceſſ. præb.* vel etiam per quemlibet Sacerdotem aut Clericum, Notarium publicum, ſiquidem in literis collationum Epiſcopalium, mandari ſolet quibuſuis Clericis, Notariis, vel iis ad quos pertinet in poſſeſſionem inducere beneficiarios, vt eam præſenti Clerico rite ac canonice prouiſo præbeant. Rebuff. *in praxi de miſſione in poſſeſſ. num. 13.* in literis autem Apoſtolicis, quas voce parum latina prouiſiones communiter nominant, executores nominari ac dari ſolent, qui conceſſam à Pontif. exequantur gratiam. Abſque eorum miniſterio beneficij poſſeſſor eſſe qui incipit, intruſus dicitur, eoque ipſo *ius ſi in dignitatibus, perſonatibus, & beneficiis occupatis taliter, vel ad ea forſitan competebat, amittit: cap. cum qui 18. de præbend. in 6. parag. inſuper.*

Pro intruſo ſimiliter eſt habendus, inquit Nauar. *conſil. de renunciat. 6.* ſi breue (vt aiunt) executoriale obtinens, iudici ad executionem deputato literas non oſtendat, ſed auctoritate ipſe ſua poſſeſſionem accipiat, non tamen ius ſuum amittit, ſi litteræ erant expeditæ, licet peccet, Theſaur. *par. 2. prax. Epiſcop. verbo gratia cap. 6.*

Ratio eſt, quod executoriales Papæ literæ, non titulum ſed inductionem in beneficium eiuſque poſſeſſionem, per executoris manum faciendam ſuſpendant.

Verum enim (inquies) eſt intruſus, voluntate Pontificis *in cap. cum quis de præb. in 6.* in audaciæ ſuæ pœnam, iure, ſi quod ei forte competebat in beneficium, omni priuatus.

Reſpondend. in eo canone alios à Pontif. non plecti, quam qui vi beneficia occupant, Theſaur. ſupra, quod in eos non cadit, ad quos hæc vere, Papæ benignitate pertinent, quo de genere ea eſſe nemo ambigit, pro quibus, literas ipſe executoriales ad certum aut certos homines, dediſſe eſt certum: nam cum iure poſſideri non ſua, id eſt aliena nequeant, fiat ei tamen qui per ſe, propriaque poteſtate poſſeſſionem Eccleſiæ inuadit, beneficij retinendi facultas in quod ab eo, cuius eſt hæc à Pontifice demandata prouincia, & quem executorē nominant eſt miſſus, dicendū eſt iſtiuſmodi hominem eſſe prædicti beneficii, etiam Papæ opinione legitimū Dominum, proindeque inuaſoris ac intruſi nomine non vocandum, ſed furtiue in rem ſuam ac male irrumpentis, quare cum nec inuaſor, nec intruſus dici vere queat, (nam violentiam non adhibet, nec rem alienam ſibi arrogat) ad eum pœnæ non ſpectabunt quæ intruſorum ſunt propriæ.

Quid? quod cum odia coerceri oporteat, quæque ſupplicium inuehunt, leniri potius quam irritari & acui, ſit autem pœna non leuis, beneficio aliquem ſuo Prælati auctoritate exui, dici debet pœnam hanc, non niſi poſt ſententiam ei ſubeundam eſſe, qui id cuius cauſa eſt lata, feciſſe probabitur, & ita, qui poſt expeditas à Pontif. literas, per ſe abſque cuiuſquam miniſterio, operaque, beneficij poſſeſſionem ſui capiet, eius titulo hoc ipſo non excidet, ſed de hac re plura poſtea.

QVÆSTIO XI.

Quo in loco ſit reſignationis facienda publicatio.

IN loco beneficij, vel in Eccleſia, præſente populi multitudine, ſiue ſit dignitas, ſiue curatum beneficium: ſiue ſimplex, quæ mihi ad veritatem magis videntur accedere, quam quæ ſcripſit Gomeſius *q. 9.* & poſt eum Pet. Greg. ſufficere ſi coram notario & teſtibus id fiat in curia, & ſi ſimplex eſt beneficium in audientia contradictarum Romæ.

Quæro enim an cum ea notificatione, Pontifici, ac intentioni quæ illi fuit præ oculis dum regulam hanc ſanxit, fiat ſatis? Id ſpectaſſe Pontificem conſtat, cum publicari reſignationes voluit, vt noſſent Epiſcopi, qui in Diœceſi beneficia regerent, qui primas in Dei Eccleſia ſedes tenerent, qui infimas, qui medias. Quam eſt hoc vero illis facile, ſi Romæ coram notario & teſtibus, aut in audientia contradictarum, ſe hæc aut illa poſſidere beneficia dixiſſe eſt ſatis?

Voluere ſane Pontifices, cum publicam de reſignatione mentionem iuſſere fieri, impedire ne in beneficia temere vlli irrumperent, eaque inſciente Epiſcopo, vti hæreditatem poſſeſſore vacuam peruaderent, expectantes inſuper, ac Apoſtolicæ ſedis mandatarios, extra periculum fraudis ponere, dum ea ſibi forte pollicentur beneficia, ad quæ, ceſſione Reſignantis admiſſa Romæ, in reſignatarii gratiam admitti nequeunt, quæ tam hi, quam Epiſcopi, conſequi qui valebunt, ſi illam publ.ce, in camera Apoſtolica, aut Romæ, Notario ac binis teſtibus, aut tribus ſignificari eſt ſatis? quis ea de re inde ad eos venturus eſt nuntius, aut quo auctore illorum aures, ac animos de ceſſo beneficio poſſeſſoque, rumor afflabit?

Quare cum iis ſentio, qui in loco beneficij reſignationem publicari oportere aſſerunt, teſtibus aliquot eius conſciis, quorum voce, fideque probari queat ſi erit opus: Quod autem duos aut tres, ad id non ſufficere, Panormit. tradit, audiri non debet, cum *in ore duorum aut trium teſtium*, ſcriptura teſte, ſtet omne verbum.

At enim (inquies) quid eſt reſignationem publicari?

Idem quod palam fieri, quod pro natura ac qualitate beneficiorum diuerſa, diuerſo quoque modo fieri accidit. Nam ſi ceſſa beneficia, ſunt in Eccleſiis Cathedralibus, conuentualibus, aut collegiatis ſita, is (inquit Rebuff. *in praxi benef. gloſſa decima ſupra regul. de publicandis num. 3.*) *qui vult poſſeſſionem capere, & publicare, debet habere notarium*

A *ſeu ſcribam illarum Eccleſiarum, & ille inſtrumentum poſſeſsionis conſcribere debet, qui ſi recuſet, alter notarius regius, vel Apoſtolicus, adhibitis duobus teſtibus poterit inſtrumentum huius miſsionis in poſſeſsionem conſcribere, vt lege regia cauetur in titulo de reformat. prouiſionis art. 13.* Hæc ille.

Quod ſi Parochiæ capienda eſt poſſeſſio, ſatis erit eam coram notario tam regio quam Apoſtolico ac teſtibus ingredi, aut à Reſignatario ſacrum dominica die dici, aut concionem haberi ſecundum Pariſienſ. *conſil.*
B *39.* & Rebuff. loco proximè citato.

Fit etiam reſignationis publicatio quando ſignificatur Epiſcopo vel eius Vicario, quod à Papa ſit hæc admiſſa, aut cum Patronis, vel eorum Vicariis, aut collatoribus Ordinariis, indicatur miſſio in poſſeſſionem, notarij aut alterius cuiuſpiam, quæ ad id auctoritatem habeat, obſignata ſigillo ac manu.

Ad tempus autem prædictæ poſſeſſionis capiendæ quod attinet, dicendum eſt, quodlibet videri idoneum, dummodo ſit diurnum, conſueſſe tamen prouiſos, in Collegiatis, Cathedralibus, aut Conuentualibus Eccleſiis, in
C principio miſſæ maioris vel fine, aut veſperis collati ſibi beneficij poſſeſſionem ingredi, Curatos & cæteros in die feſto, aut cum frequens eſt populus.

QVÆSTIO XII.

An diſpenſare in hac regula Papæ ſit conceſſum?

DE eo ambigendi locus eſt nullus, quia *ſecundum plenitudinem poteſtatis, de iure*
D *Papa poteſt, ſupra ius diſpenſare cap. propoſuit 4. de conceſſ. præb.* ergo cum reſignationes palam fieri, Epiſcopo ac populo indicari ac innuit lex ſit humana, cuius auctor eſt Pontifex, in ea is qui modo Eccleſiã regit, Innocẽtius pari cum Petro, eoque qui illam ſanxit, poteſtate quia eſt præditus, diſpenſare poterit, tempuſque ſex menſium, ad totidem alios pro facienda publicatione extendere, aut eam ſi videbitur, tollere.

E Quia tamen eſt hæc de publicandis reſignationibus regula in Gallia recepta, eſſet eius abrogatio facta à Papa, aut ſuper ea data diſpenſatio, inanis ac nulla, niſi à cauſa aliqua; eaque iuſta, quæque iure communi eſt recepta, principium duceret. Facta in ea diſpenſatio, aut temporis ſine ratione prorogatio litibus locum præbet, quas appellatio ab abuſu creare ſolet,

QVÆSTIO

QVÆSTIO XIII.

An Reſignanti liceat continuata veluti poſſeſſione functiones obire quas antequam ſe beneficio abdicaſſet, tractare erat ſolitus.

LIcet, primo, quia quandiu poſſidet, habetur pro beneficiario, at hic propria beneficij miniſteria explet, ergo & ille.

Confirm. ei qui eſt in poſſeſſione, nominare licet ad beneficium, etſi vere non ſit patronus, licet (inquam) ſecundum id ius poſſeſſionis, ordinandum in Eccleſia nominare, eique templo cuius ſe patronum falſo aſſeuerat, Epiſcopo præficiendum offerre: ergo & reſignanti, dum hic abeſt, cuius gratia ſacerdotiũ ſuum eiurauit, & in cuius ipſe poſſeſſione perſeuerat, ea facere omnia licet, quæ priuſquam iure ſe ſuo reſignando ſpoliaret, gerere conſueuerat.

Confirm. Beneficiarij munia propria ceſſare, aut intercumpi non oportet, ne quod optimo cuique eſt timendum, Eccleſia damnum ferat. Ceſſarent hæc vero, ſi reſignanti, dum is cui ceſſum eſt beneficium non comparet, fas non eſſet, in eius curam incumbere, ei clientelam fidemque præſtare. quis enim interim ſacerdotia vacantia quæ reſignatario ſi præſens eſſet, nominationis iure, aut collationis, ad reſignatam Eccleſiam pertinent, eo abſente conferet, ſi hoc reſignanti non permittit poſſeſſionis gratia, qua adhuc fruitur?

Sanè cum reſignatario, hoc eſt illi, cuius cauſa eiuratum eſt beneficium, fas nõ ſit rem eius adminiſtrare, niſi poſt poſſeſſionem eius initam, ſi illam ſimiliter attingere ac tractare reſignanti non licet, erit Eccleſia, hoc eſt templum in quo ſitum eſt beneficium, viduata homine, in cuius ſit patrocinio, curaque, quod eſt iniquum, ac à voluntate Eccleſiæ alienum, quæ cum ab eo qui reſignauit, nec adhuc beneficio abiit, rem geri, ſolitaſque obiri functiones patitur, eidem tacitè facultatem in iis verſandi, dilargiri cenſetur.

Equidem validè præſes prouinciæ, omnia quæ ad ſuum magiſtratum legibus imperatoriis ſpectant, munia capeſcit, quandiu à ſuo ſibi ſucceſſore non reſiſtitur, aut hæc fieri tacitus in òculis ſuis patitur. Similiter & Vicarius legitimo & valituro iure, literas dimiſſorias petentibus annuit, impeditos reſeruato aliquo ſcelere abſoluit, dignos beneficiis impertit, quandiu ſibi id faciendi poteſtatem non nouit eſſe à Pontifice abrogatam, *lege ſi forte digeſt. de offic. præſidis*, Rebuff. *in praxi ſuper regul. de publ. reſign. gloſſa 15. nu. 19.* ergo à pari is qui beneficio ſuo per reſigna-

A tionem in manibus Papæ reſignatarii cauſa factam abiit, eius rationem, curamque habere poterit, dum hic abeſt, aut ita fieri patitur, ita Rebuff. *in trac. nominat. q. 14. num. 92.*

Dices: vt primum eſt à Papa comprobata reſignatio, ius à reſignante abit, totumque in reſignatarium tranſit: ergo cum ſine iure eſſe collatio nulla poſſit, nec actio valida vlla ſine poteſtate eius obeundæ, qua tamen caret eiurator, ex quo primum tempore, ceſſioni per eum factæ Pontifex auctoritatem

B dedit, nec beneficia conferre, nec validè aliquid, quod ad beneficij reſignati adminiſtrationem pertineat, gerere poterit.

Reſpondend. ius quidem à reſignante in reſignatarium commeare, cum factæ per illum ceſſioni Papa conſenſum affert, requirit tamen ad eius iuris abſolutionem, ac complementum integrum, vt beneficii ſibi reſignati poſſeſſionem reſignatarius ſubeat, quod quandiu non facit, nec veri poſſeſſoris partes, vult Eccleſia ob bonum publicum, reſignantem qui beneficio à ſe ceſſo, necdum abiit, ea præſtare ac gerere omnia, quæ

C antequam illud reſignaret, ei permiſſa erant.

QVÆSTIO XIV.

An ad eiurandum Sacerdotium datus procurator à beneficiario reuocari queat, & ſi reuocantis mandatum ei ante admiſſam ceſſionem non innotuerit, hac ſit nihilominus habenda valida.

D QVi mandauit, mandatum reuocare ſuum poſſe ac elidere docet Clemens V. *in Clement. de renunciat. vnica*, quod cum eſt opportunè, temporique geſtum, facta poſtmodum beneficij collatio ab Ordinario eſt nulla, fiet autem opportunè hæc reuocatio, ſi conditionibus quæ ſequuntur, ſit inſtructa.

Prima, ſi nõ ex pacto reſignantis ac reſignatarij mutuo, ſit hic procurator ad rem gerendam conſtitutus, nam à contractu abire, cum infringere, aut reuocare non licet, repugnante parte contrahentium altera, ac reſignantis

E ac reſignatarii mutua de procuratore conſtituendo conuentio, contractus eſt, tolli ergo tum ac reuocari, data ei ad reſignandum poteſtas nequit, non aſſentiente reſignatario.

Secundo, procuratorium anno antiquius eſſe non debet, vt fuit Rebuffo auctore in *Gloſſa 7. ſuper regula de veriſimili notitia*, Tholoſæ iudicatum, & in regno ſtatutum in ordinat *reg. tit. de la reformation des prouiſions art. 10.*

Tertia reuocatio nota eſſe procuratori debet, eique fieri, Clem. V. *in Clem. vnica de renunc.* ei non facta, ſed cuilibet alteri, non impedit quin admiſſa reſignatio valeat, Clem. ibid.

Quarta, fieri debet eo loco reuocatio, vbi negotium agitur: quare ſi reſignans, Epiſcopo, aut in eius prætorio ſignificet, nolle ſe, vt quidquam ſuo agere nomine, ac beneficium valide reſignare procurator valeat, non valebit hæc eius ſignificatio, pro camera, ac Cancellaria Apoſtolica, quia paria ſunt, nihil intimare ac dicere, ac id vt oportet non facere, B at non monentur, qui debent Romæ moneri, ſcilicet reſignantis procurator, aut Papa cum domi ſuæ admonetur Epiſcopus, aut in prætorio eius Vicarius: ergo eis intimata reuocatio, factam à Papa ceſſi beneficii admiſſionem non impediet. His præſuppoſitis.

Dico primò, *Reſignanti fas eſſe, quem ſuo nomine, procuratorem ad reſignandum conſtituit, arbitrio ſuo reuocare.*

Quia quibus cauſis quid naſcitur, iiſdem & diſſolui poteſt. At quod hic, aut ille, procuratorem reſignantis agant, eiuſdem eſt beneficium, cum alterius nemo negotia ſuſcipere aut gerere queat vtiliter, niſi ab eo neceſſaria ad id ſit inſtructus facultate, cuius conceſſio cum ſit ſpontanea, coacta nullo modo, eam reuocare reſignans quin poſſit, ambigendi locus nullus eſt reliquus.

Dico ſecundò, *Valere reſignationem beneficij, per procuratorem in manibus Papæ factam, ab eoque admiſſam, antequam de eius reuocatione, à reſignante ad eum literæ venerint.*

Ratio eſt, quod geſta per procuratorem eius nomine, cuius agit negotia, ſint rata, quandiu data illi per iſtum operandi facultas, illibata manet, nec reuocata. At hæc conſtitutione Pontificis Clem. V. *Clement. vnica de renun.* perſeuerat integra, quandiu ei de reuocato, a reſignante mandato, per literas aut nuntium non conſtat, verba Clement. rem indubitatam, certamque reddunt. *Si quis ad cedendum*, inquit, *Pontifi. alt, ſeu aly dignitati, vel beneficio procuratorem ſponte ac libere conſtituerit, & ipſum ignorantem poſtmodum duxerit quomodolibet reuocandum, teneat ceſſio facta per eum, antequam ad ipſius, vel illius, (in cuius manibus ceſſio fuerat facienda) notitiam reuocatio eiuſmodi ſit deducta.*

Patet hinc enim, procuratorem de abrogata ſibi prouincia debere certiorem fieri, alioqui quidquid is reuocationem ignorans egerit, ratum eſſe, quod ideo ita ſancire Clementi viſum, vt omnis eludendi procuratoris, Romanique Pontificis cauſa ſublata eſſet, id quod accidebat non infrequenter antea, dum beneficiarii dato mandato ad reſignandum in aula Romana, illud poſtea reſ-

A cindebant, nec de reſciſſo, quicquam procuratori ſignificandum ducebant. Vt vt ſit de cauſis iſtius ſciſcendæ legis à Clemente, certe conſtat, Procuratorii, ac mandati vim non elidi, niſi eius reuocatione expreſſa, verbis, aut literis procuratori intimata.

QVÆSTIO XV.

Sitne in eiurantis poteſtate, beneficium pro quo reſignando in manibus Papæ, procuratorem ille in aula Romana conſtituit, illud ipſum auctoritate ac facultate Ordinary reſignare cuipiam alteri.

SI mandato per procuratorem Romæ eſt factum ſatis, ipſumque eſt eius ceſſione ſpontanea, ac Papæ viciſſim approbatione exhauſtum, reſignanti illud idem beneficium apud Epiſcopum eiurare non licet. Ratio eſt, quod reſignatio iuris ſit ſui in alterius gratiam ceſſio, quo de iure, reſignanti nihil eſt ſuper, cum eſt hæc eius in illum caritas approbata, ac à Pontifice admiſſa, obruit ergo quæ vi mandati Romæ facta eſt beneficii reſignatio, C eam quæ apud ordinarium fiet, priore illa Romana poſterior tempore.

Confirm. Dare reſignanti niſi quod eſt ſuum eſt nefas, poſt admiſſam Romæ reſignationem reſignatarii gratia, beneficium ab eo reſignatum iſtius eſt, reſignantis nullo modo, eo ergo abſcedere in alterius bonum, iſti apud Ordinarium Antiſtitem non licet.

Quid ſi reſignans procuratorem quem Romæ conſtitutum habet, anteuertat? quid ſi apud ordinarium Antiſtitem, prius beneficium deponat, quam qui Romæ degit procu- D rator id apud Pontificem fecerit.

Valituram iſtius ceſſionem tempore licet priore longis interuallis poſteriorem, dixit Clem V. *Clem. vnic. de renunc.* cum à reſignante non eſt procurator admonitus, placere ſibi vt porro in procurando Papæ conſenſu ſuper ceſſione à ſe facta non pergat, cuius rei cauſæ sūt binæ, dubio præcedenti redditæ, eas breuitatis cauſa nō repeto, hoc tantū dico, iniquum eſſe ſimulatione beneficii aliquem deludere, liberalitatem palam iactare ac fin- E gere, ſed ſterilem, rebuſque omnibus, præterquam verbis inanem, hoc vero facit, quiſquis Romæ de beneficio apud Pontificem amici cauſa deponendo, Procuratori mandatum dedit, & ſubito de voluntate ſententiaq; decedens, illud idem nondum Romæ peracto mandato, non diſſentiente Epiſcopo alteri reſignat, in quo, cum conuenta retractat, cum fidem mutat cum priorem orationē factis retexit, ecquid procuratorem, eumque, cui beneficiū Pontifice permittente ceſſurus

erat

erat pollicitus, ſi non aperte, at certe clanculum, quod eſt impiobius, ludificatur? non eſt hoc ergo reſignanti permittendum facile.

QVÆSTIO · XVI.

An ſi conueniri procurator non poteſt, ſufficiat reuocationem mandati ei olim a reſignante, de eiurando ſuo Sacerdotio dati, Antiſtiti deferre, ad cuius tribunal eius erat facienda ceſsio.

B

SVfficere vt credam perſuadet hæc ratio. Quod Papa rei alienæ dominium transferre in alium nequeat, vero eius legitimoque poſſeſſore non volente: ergo nec beneficii reſignationem admittere ac probare, de qua facienda re adhuc integra, facultatem procuratori ſuo omnem à beneficiario ſcit certo ademptam eſſe.

Conſeq. probatur, cum reſignatio in alicuius gratiam à reſignante facta, a Pontifice admittitur, ius reſignante in beneficium a ſe reſignatum nullum manet, ſed totum auctoritate Papæ, ac cedentis voluntate, in reſignatarium tranſit, at eo ſe iure priuari, vt in iſtum transfundatur, reſignanti non placere declarat mandati reuocatio de eiurando ſuo beneficio procuratori traditi, eaque eſt vt ſupponimus Papæ, aut Ordinario cognita, nihil ergo tacere ambobus eſt licitum, quod reſignanti noxam ac præiudicium afferat, cum de abrogata procuratoris poteſtate explorata habent nuntia.

C

Confirm. cum de transferendo dominio agitur, quidquid fit per procuratorem cui mandans tabellam procuratoriam ademit, nullo vero legitimoque fit iure, etiamſi procurator de ea mandati reuocatione non ſit factus certior, dummodo id is non ignorarit qui cum procuratore contrahit, quia mala fide acquiſita non modo mala ſunt ſed & nulla, at qui procuratori tabulas mandati abrogatorias à mandante miſſas nouit, mala fide cum eo contrahit: ergo & eadem, res ad eius dominum non pertinentes acquirit: ergo male, inutiliter & inualidè.

D

QVÆSTIO XVII.

An cum duobus, reſignandi beneficij negotium eſt ab eius vero poſſeſſore commiſſum, eorum alteri ſignificare ſit ſatis, quod reſignans eum vlterius cauſa ſua nolit progredi, aut procuratorem ſuum agere.

SI vtrique par ad id ac æqualis eſt facultas à reſignante tradita, ambobus quoque ſignificari oportet, vt à reſignatione facienda

A amodo abſtineant, quia cum eorum quilibet poſſit in ſolidum cedentis nomine rem gerere, hoc eſt, beneficium in Papæ manibus deponere, non ſufficit eorum alteri, dare reuocatorias mandati literas, ad vtrumque ſunt perſcribendæ, alioqui quod in ea re procuratorum alter quem reuocatum eſſe non conſtat, faciet, id erit ratum, & firmum.

Ratio eſt, quod in hoc caſu, idem ſit, pluribus eiurandi beneficij prouinciam dare in ſolidum, ac eorum vni ſoli, ſed ſi procurator vnicus foret non plures, præfectura, ſacerdotium aut dignitas, ab eo reſignata nomine eiurantis, valerent iure quam optimo, hicque illa amitteret, ſi perſcriptæ reuocatoriæ mandati tabulæ, ei non fuiſſent redditæ: ergo & cum pluribus in ſolidum, cura relinquendi ſacerdotii eſt à reſignante credita, eorum procuratorum quilibet, quandiu retractati, expunctique mandati erit inſcius, reſignare illud poterit, nec quod faciet, inane erit aut irritum, *cap. ſi duo 6. de procuratorib.*

Dixi *Si perſcriptæ eſſent literæ, ac procuratori datæ.* Enimuero vt data Procuratori ad eiurandum beneficium auctoritas, duobus modis interit; primo expreſſe, ſecundo tacite: abrogatur tacitè, cum reſignans facit aliquid quod priori mandato aduerſatur, expreſſe, cum verbo, hoc eſt coram procuratore ſuo reſignans ſignificat, velle ſe vt cura ſibi commiſſaque prouincia abſiſtat in poſterum, nec de eiurando ſua cauſâ beneficio cogitet, fit etiam mandati retractatio per literas, nuntium aut notarium, quæ infringendi mandati ratio cum ſit cæteris communior, ideo literarum, facta eſt à nobis mentio non verborum, aut operis, quod ſit illi, quo procuratori data eſt ad reſignandum facultas neceſſaria, oppoſitum, quo de genere ſunt iſta.

Procuratorem in eadem poſtea cauſa reque deligere, antiquo, id eſt priori ad id antea conſtituto legitimè, conſcio ac vidente, ei de ſuſcepto procuratoris munere, gratias agere, operæ ad id ſua cauſa collocatæ mercedem pendere, idem mandatum alteri dare, ſunt enim hæc obliterati mandati prioris, non obſcura indicia, abrogatæ procurationis argumenta tacita, ac conſequenter iſti homini, cuius eſt aliquo de his modis renunciatum ac

E expunctum mandatum, quod & ipſe habet exploratum, nefas eſt mandantis nomine beneficio cedere.

QVÆSTIO XVIII.

An nondum expleto, perfectoque Romæ mandato procuratorio, quod à beneficiario datum erat, de eiurando ſuo beneficio apud Pontificem in gratiam certi cuiuſpiam hominis, interea fas ſit mandanti, illud apud Ordinarium deponere, eidem aut cuipiam alteri conferendum.

FVere è Iuriſperitis nonnulli qui id mandanti concedi poſſe negarent.

Primo, quia ſic fit Pontifici iniuria, cui collatio, ac reſignationis acceptatio, hac mandantis mutabilitate eripitur.

Secundo, quia ſic reſignatario, ac procuratori ſuo mandans illudit, ecquid enim ille in ſpem venerat obtinendi beneficij, cuius cauſa Romana ſunt à Procuratore ſuo tẽtata ſubſellia, vt quod de beneficio fieri ſuo mandans iuſſit executioni mandetur? à qua tamen eum re, ſpeque per mandantem deiici, quam non modo eſt graue, ſed optimo cuique non facile tolerabile?

Habet etiam procurator quod in mandantis facto arguat, patientiam enim ſuam lædi cauſabitur, innocentiam, ſedulamque ſuam & acrem in rebus gerendis ſolertiam, in certam ignauiæ ſuſpicionem trahi. Dicet inſuper futurum poſtmodum in vrbe neminem, qui inſana de ſe iudicia non ſit facturus, ſeque quod prouidentiæ commiſſa ſuæ negotia in curia labefactet, ac negligat, reuocatum eſſe, quo quid illi acerbius, ac ad ſenſum grauius eſſe queat, æſtimare non eſt facile, hæc Iuriſperiti.

In eam tamen ſententiam ire placet, quæ huic oppoſita mandanti fauet. Enimuero de re ſtatuere ſua, cuique vt lubet, licet, at eſt beneficij, quandiu non eſt eius apud ſedem facta reſignatio, mandans poſſeſſor ac Dominus, nihil eſt ergo cauſæ, quamobrem apud Antiſtitem Ordinarium, Sacerdotium deponere nequeat, quod procuratori à ſe delecto, illud idem apud ſupremum Pontificem eiurare in mandatis dederat.

Secundo noſſe de aduerſariis aueo, cur quod procurator Romæ poteſt facere, ſit mandanti de eo hic cogitare nefas?

Maneat ergo auctoritate ordinarij poſſe mandantem, ſi modo res ſit integra, beneficium cuius cauſa procuratorem Romæ dederat, alteri quam quem in eius mãdato deſignauerat, tribuere, manet enim adhuc in beneficij eiurandi dominio, nec ab eo abit titulus, donec apud Papam, confectum abſolutumque ſit eiuratorium negotium.

Argumentis reſpondend. eſt priori quidem, falſum eſſe, Pontifici fieri ob id iniuriam, quod poſt datum mandatum ad rem tractandam in eius aula, hæc agatur apud Antiſtitem

A in prouincia, eſt enim iniuria omnis à iuris alieni violatione non abiuncta: ineſſe vero tale aliquod, Romano Pontifici qui diceret, vidi neminem, quæro enim, ecquid res ſuas agere cuique liceat? ecquid vbique de quolibet, rei ſuæ donatione gratuita ac liberali bene mereri? facit id verò, qui ob cauſam beneficio ab Antiſtite ordinario donari mauult amicum, quam alium, cuius cauſa illud ipſum in Papæ manibus eiurare per procuratorem condixerat.

Procuratori autem illudi, (quod ſecundo B loco eſt obiectum) cum eius opera Romæ inanis redditur, mandantis eum anteuertentis cura & diligentia, tàm eſt falſum, quam verum, facere mandantem officium, cum digniorem digno præfert, aut quæ de reſignatione beneficij per procuratorem Romæ facienda, conſilia in iſtius ſinu locauerat, ex cauſa mutat.

QVÆSTIO XIX.

C *An facta Romæ reſignatio per Procuratorem poſt reuocatum mandatum quod ei de reſignando datum erat, valeat.*

REſpondend. Neceſſe eſſe procuratorem de abrogata ſibi prouincia certiorem fieri, quia anſa ei dari nulla debet fallendi, nulla decepto querendi ſe procuratoris fraude deluſum eſſe, at vtrumque accidit, cum qui mandatum dedit, procuratorem per literas aut nuntium non admonet, ne vltra de beneficio nomine ſuo eiurando laboret, ſubrogaſſe ſe ei alterum qui id ſit facturus, aut vero D mutaſſe ſe conſilium, nec de reſignatione vti prius apud ſe conſtituerat, cogitationem habere modo aliquam, ſic enim & procuratorem fallit, quia poſt obſignatas mandati tabulas, quibus per eũ volebat poſſeſſo à ſe beneficio, apud Romanũ Pontificẽ abſcedere, repente mutata voluntate de ſententia decedens, illud idem nondum peracto Romæ mandato, apud Antiſtitem ordinarium reſignat. Deludit eum inſuper cui à Procuratore ceditur: nam reſignari nequit, niſi quod eſt in reſignantis dominio, iureque, at beneficium ſimul ac apud ſuum peculiarẽ ordinarium fuit E à ſuo poſſeſſore eiuratum, in eius eſſe poteſtate deſiit, nihil eſt ergo procuratori relictum vltra, quod in ea re poſſit agere: reſignatario ergo impoſuit, cum beneficium quo frui non poſſet, ei per Pontificem, eiuratione de eo beneficiarij nomine facta, eſt largitus.

Reſpondend. 2. Quicquid à Procuratore geritur mandato nondum exhauſto, cognitoque quod ſit reuocatus eſt ratum, Clement. V. *in Clement. vnica de renunciat.* fuit hic ſenſus, vt hæc eius oratio indicat. *Sancimus vt ſi quis*

quis ad cedendum Pontificali, aut alteri cuilibet dignitati, vel beneficio, procuratorem libere ac ſponte conſtituerit: & ipſum ignorantem poſtmodum duxerit quomodolibet reuocandum, teneat ceßio facta per eum, antequam ad ipſius, vel illius in cuius manibus ceßio erat facienda, notitiam reuocatio huiuſmodi ſit deducta.

Excipiendus eſt caſus, in quo per procuratorem, aut eum, in cuius manibus facienda erat reſignatio, *malitioſe fieret, ne ad eos, vel eorum alterum, ante ceßionem, potuerit reuocatio perueniſſe, Clem. vnica de renunc.* Erit ergo (inquies) facta per beneficiarium beneficii ſui ceſſio apud Antiſtitem loci ordinarium inanis & nulla, ſi procuratori de ſua reuocatione antequam ea fieret, nihil ei innotuerit.

Affirmant iuris canonici interpretes ferè omnes. Negat Felinus & alij. Renunciationem ego hanc pro irrita ac inani non habeo. Primo, quia ea de re nulla eſt in can. mentio. Secundo, quia leges ac ſtatuta quæ pœnam reis irrogant, ante iudicis ſententiam non obligant, at eſt præſens de hoc genere, nam quia à Clericorum grauitate ſapientiaque abhorret, vndarum more huc illucque volui, ſicut ab æquitate vlli anſam dare fallendi, Clementi è re communi eſſe eſt viſum, ab his illos abſterrere incõmodis metu pœnæ, quam ab eo vult ſubiri, qui contra quàm ratio, æquitaſque poſtulant, à mandato dimoueri ſe ſinit, quod de reſignando beneficio apud Romanam ſedem, procuratori ſuo tradidit.

Ne ergo beneficiarius litibus fores pandat, ſéque amittendi beneficij periculo à ſe in collatoris ordinarij manu reſignati obiiciat, prudenter aget ſi antequam id exequatur, cum procuratore conſilia ſua communicet, eumque tanquam rebus ſuis fututum exitiale inutilem reuocet, alioqui non erit eius renunciatio irreuocabiliter valida, vtpote quæ Procuratore reſignatarii poſtulante, reuocari poteſt irritaque reddi, & ita iudicatum fuiſſe tam in Rota, quam curiis Tholoſana & Burdegal. ſcribunt Selua *in tract. benef. 3. par. q. 16. num. 9.* Pariſius *lib. 9. q. 25. num. 53.*

QVÆSTIO XX.

An Procuratori ad reſignandum, certum ſit tempus iure conſtitutum, quo id ei facere ſit neceſſe.

TAle aliquod extare vſpiam non habeo, nam quid vetat (inquiunt aliqui) eum diem trahere, impedimenta noua obtendere, morbum excuſare, cauſari tempus reſignationi idoneum necdum eſſe, fore poſt ſeptimanas aliquot oportunius, hocque expectari poſſe. Et quidem cum à mandantis voluntate (inquiunt) mandati à ſe traditi executio pendeat, ſitque hanc in eius arbitrio accelerare aut differre, probare mandatum aut refellere, datum abrumpere, aut Procuratori prorogare, non intelligimus (inquiunt) cur maturato ſit opus in hoc negotio.

Verum enim ſic ſtatuo, procuratori quidlibet in hoc rerum genere, illæſo conſcientiæ iure non licere. Quia dare debet operá, ne vlli faciat iniuriá facit autem cum ſuſpéſum tenet reſignatarij animum, eũque re ſibi ex voluntate reſignãtis debita, diutius priuat quam par eſſet, ſic enim illum eius amittendæ periculo exponit, vt enim ſunt res humanæ incertæ ac inſtabiles, vita autẽ fortunæ telis ad iniuriam expoſita, iuſte metuere poteſt reſignatarius ne quidpiam præter opinionem reſignanti interim, dum mandatum eius in Curia non expletur, humanitus accidat, itáque ſpe obtinendi beneficii excidat ad quod, ab eius eſt poſſeſſore in procuratoris ſui mandato deſtinatus, ſi Papæ ita viſum erit, in id autem diſcrimen vocare reſignatarium, an vlli liceat, iudicium appello prudentium.

Itaque etſi certa non ſint communiter, procuratori definita iure canonico tempora, quibus, quod eius caritati ac ſolertiæ negotiũ à mandante eſt cõmiſſum, exequi debeat, eſſe id tamen ei curæ debet, ne quando negligentiæ in faciẽdo officio argui queat. Sanè quia per procuratoria aliquando poſt quatuor annos vt ſcribit *lib. 4. de reſignat.* Flam. *poſt decem autem prouiſiones expediebantur, bonum eſt quod poſt annum non valeant, vt fuit Tholoſæ iudicatum, & etiam in hoc regno ſtatutum, in ordinationib. regijs titulo de la reformation des prouiſions art. 10.* Rebuff. *in praxi ſuper regul. Cancellar. de veriſimili notitia gloſſa 7.* quod Pontificum exemplo nos facere, dici poteſt. Enimuero reſcripta illi ſua ad lites vltra annum valere nolunt, *cap. ſi autem 9. de reſcript. cap. plerumque 23. eod. tit.* & ita ſi quis intra annum literas Pontificias, *poſtquam copiam iudicum habuerit, poſtpoſuerit vti*, vis earum omnis interibit, *cap. plerumque* Maſuetius *in ſua practica rubrica de literis*, Rebuff. *to. 2. in conſtit. regias in præfat. tract. de reſcript. q. 1. verſu, alia in quibus, nu. 4.*

QVÆSTIO XXI.

Cuius ſint beneficij reſignati fructus, reſignantis an reſignatarij.

PErſpicuitatis gratia animi ſenſum mei ſuper hoc quæſtionis genere, in paucas aſſertiones conteram, ſit ergo.

Prima Aſſertio, *Ei qui Sacerdotium in manu Ordinarij collatoris purè, hoc eſt nulla conditione interpoſita depoſuit, fructus nulli ſunt debiti.*

Ratio eſt, quod ius nullum amplius, ex quo ab Epiſcopo eius eſt approbata, receptaque ceſſio, ſibi in beneficium arroget: ergo rationem pro ſe nullam prætexere poteſt, quamobrem partem fructuum eius, aut omnes vindicare ſibi queat.

Confirm. Reſignationis puræ & ſimplicis approbatio per eum, qui ad id poteſtatem habet à iure, aut principe eſt tituli, dominiique in rem beneficiariam canonica priuatio: ergo & iuris in eius fructus ablatio ſi deſit poſſeſſio, deeſſe autem in ſimplici, puraque abdicatione beneficij in manibus ordinarij, res ipſa loquitur, cum eiuſmodi pura eiuratio, ſit actualis rei ante poſſeſſæ deſertio, vt patet, quandoquidem reſignandi cauſam hanc vnam habet, vt abſcedat, beneficioque vt reuera facit, abeat.

Secunda Aſſertio, *Beneficij ſic ceſſi, quemadmodum & vacantis per obitum, fructus & commoda, ei ſunt iure communi danda, cuius in poteſtatem, beneficium Epiſcopi beneficentia, ac collatione veniet,* Flamin. *lib. 1. de reſignat. q. 6. num. 17.*

Ratio eſt, quod res quælibet, ſuo eſt frugifera domino, non alteri, at beneficij ius ac dominium ſolus hic ſibi vindicat, cui eſt collatum, aut conferendum ab Ordinario.

Dixi *iure communi*, vt quæ vacant per regaliam eximerem ab hac regula, horum enim obuentiones ac prouentus, non futuro Epiſcopo, defuncti ſucceſſori, ſed Regi debentur, vt *in tract. de iure liliorum ſcripſere,* Feraldus & Graſſalius. *& in tract. de iure Regalia* Ruzæus.

Quid ſi facta eſt renunciatio tertij cuiuſdam gratia? quid ſi cum clauſula nec alteri, nec aliter?

Quorundam fuit opinio, eaque non improbabilis, ex quo primum temporis momento Papæ eſt viſum bene mereri de reſignatario, acceptatione ceſſi à reſignante beneficij in eius fauorem, fructus quos poſſeſſori ſuo ſacerdotium reſignatum parturit, reſignatario tribuendos eſſe, reſignanti nullos.

Huius opinionis firmamenta ſunt iſta.

A Primum, quod fructus rei cuiuſlibet, Domino ſint debiti non alteri. At beneficii reſignati dominium cum titulo, reſignatarius acquirit, per conſenſum Papæ, reſignantis in illum caritatem acceptantis: ergo, &c.

Secundum, Retexere ac reuocare reſignans nequit, quæ reſignatarii cauſa fecit, poſtquam ſunt hæc approbata à Pontifice, at huius rei cauſa non eſt alia, quam quæ eſt allata, nempe quod approbatione Pontificis beneficii ad eam diem à ſe poſſeſſi, dominium cum titulo, ab eo ad reſignatarium tranſit: verum
B eſt ergo, iure eum plenò, perfectoque beneficii gaudere: ergo & eidem fructus negari non poſſe.

Pugnant contra alii, fructuſque reſignati ſacerdotii à reſignatario negant poſſe exigi, antequam eius poſſeſſionem inierit: ita de Ruffignac. *lib. 3. tit. 14.* quam vt probabilem tuendam ſibi quoque Flamin. credidit *de confid. q. 35. num. 6. 7. & 8.* ab eaque non longe abiiſſe viſus eſt mihi Rebuff. *cum in tract. nominat. q. 14. num. 93.* affirmat Reſignanti tandiu attribuenda eſſe commoda beneficii, quandiu à reſignatario non docetur de expe-
C ditis Romæ, cauſa ſua ac nomine, collatitiis ceſſi beneficii literis, *Reſignans enim,* inquit, *facit fructus ſuos, antequam ei intimetur admiſſio reſignationis, cum ſit in bona fide, & bona fidei poſſeſſor, lucratur fructus, lege certum Cod. de rei vendic.* Pro reſolutione ſit.

Tertia Aſſertio, *Quæ beneficij reſignati propria ſunt functiones, ac munera hæc reſignans obire, redituſque eiuſdem percipere tandiu poterit, quandiu eius poſſeſſionem ingredi, reſignatarius non induxit animum:* Ita Rebuff. *in praxi benefic. rubrica de Simon. in reſignat. num.*
D *27. & in tract. de nominat. qu. 14. num. 154.* Pariſius *de reſign. lib. 1. q. 7. & de confid. q. 35. num. 6. & ſequ.*

Probatur & quidem primo de functionibus. Quandiu quis prouinciam gerit, aut magiſtratum agit publicum, munera quæ ad vtrumque pertinent, obire poteſt, vt eſt *in lege meminiſſe digeſt. de offic. proconſul.* his verbis: *Meminiſſe oportebit, vſque in aduentum ſucceſſoris, omnia debere proconſulem agere, cum vtilitas prouinciæ exigat eſſe aliquem per quem negotia ſua prouinciales explicent.* At reſignans
E poſſeſſionem beneficii à ſe reſignati adhuc retinens, magiſtratum in Dei Eccleſia obit, eiuſque, ac fidelium intereſt eſſe qui eius curam habeat, qui illud adminiſtret ac regat, reget ergo vt ante Eccleſiam, qua cum conſenſu Papæ, reſignans reſignatũ at eſt dignatus, quandiu hic illũ in ea patietur ſubſiſtere.

Confirm. Quæ Pontifice approbante fiunt hæc carent culpa, at hic non neſcit inueteraſſe vbique hunc morem, vt reſignanti omnia facere ſit impune; quæ beneficii à ſe reſignati

reſignati ratio poſtulat, quandiu illud reſignatario ſinente poſſidet, nec tamen reclamat aut prohibet: ergo.

Confirm. hac lege beneficio ſuo reſignans cedit, conditionem approbante reſignatario, vt illud ei adminiſtrare liceat, quandiu reſignatarius poſſidere renuet: ergo ſine eius iniuria in priſco functionum ſuarum exercitio perſeuerare reſignans poterit, quandiu ille ad reſignati ſibi beneficij poſſeſſionem, animum non adiunget.

Confirm. Qui ſuſtinetur in officio adminiſtrare illud poteſt, Flamin. *lib. 1. q. 7. num. 14.* B & quæ ad illud ſpectant conferre *S. q. 4. can. vlt. cap. ad probandum de re iudicat.* toleratur autem in eo reſignans quandiu beneficij ſibi reſignati reſignatarius poſſeſſionem non accipit: ergo, &c.

De fructibus par eſt, æqualiſque ratio. Nam hi à poſſeſſore bonæ fidei poſſunt percipi *lege certum Cod. de rei vendic.* Talis eſt reſignans, quandiu de poſſidendo beneficio, eoque per ſe adminiſtrando, reſignatarius cogitationem nullam ſuſcipit.

Quid? quod neſcit reſignãs, an reſignatarius C beneficij factã à ſe ceſſionẽ acceptauerit? ergo cum ab illo in iſtum ius beneficij cum fructuum dominio non tranſeat, niſi cum illud acceptat, quod tamen an fecerit, reſignanti non conſtat, abire hic de poſſeſſione, aut redituum perceptione neceſſario non debet, antequam ei de acceptatione reſignationis per reſignatarium facta, conſtiterit, quæ eſt Rebuffi argumentatio in *praxi tract. de Simon. in reſignat. num. 41. Adhæc licet pars ſciat reſignationem admiſſam, neſcit tamen*, inquit, *an pars acceptauerit, vel an vti velit literis, & prouiſione ſibi facta, ideo quouſque fuerit ei intimatum poterit recipere fructus, & alia facere tanquam verus beneficiatus.* Qua ex oratione colliges, reſignanti ante beneficio cedendum non eſſe, quam nouerit. Primo, reſignationem ſuam Romæ admiſſam eſſe. Secundo quod de ea expeditæ literæ fuerint. Tertio quod ſibi intimatæ, oblatæque fuerint. Quarto quod ceſſionem beneficij cauſa ſua factam reſignatarius approbet. Quinto, quod his literis ac prouiſione ſibi facta vti velit, iſtorum aliquid ſi deerit, de poſſeſſione beneficij reſignati reſignanti ab eundũ neceſſario nõ erit.

Obiicies, admiſſa Romæ reſignatio, reſignantem poſſeſſione priuat & iure, hoc eſt titulo, non poteſt hic ergo eius occaſione ac prætextu, beneficii quo ceſſit, fructus ſibi commodaque vindicare.

Duplex eſt poſſeſſio vna iuris, naturalis alia, naturalis ſeu corporalis, in eo eſt, qui poſſeſſionem rei tanquam ſua ſit, apprehendit, dum alter qui abſens eſt ciuilem eius poſſeſſionem tenet. Eſt autem hæc in eo, qui à poſſeſſione abſens, nullumq; aliũ qui ſuo nomine in poſſeſſione ſit, relinquens, ſolo animo rem retinet, hoc eſt poſſidet, poſſeſſio enim, quam quidam quaſi pedum poſitionem nominant *lege 1. dig. de acquirenda vel amittenda poſſ.* eſt detentio rei corporalis, corporis, animi, iuriſque adminiculo, Sylu. *ver. dominium q. 1.* Molina *to. 1. tract. 2. de inſtit. diſp. 12.*

Dico iam ergo verum eſſe reſignantem, vbi primum eſt eius admiſſa reſignatio, iuris poſſeſſione priuatum eſſe, quia eſt hæc tituli, ſeu iuris in beneficio effectus quidã, quo carere eos eſt neceſſe, qui titulo carẽt vt reſignãs, Innoc. teſte *in ca. quod dubijs de rer. permutat.* at nego idem de naturali poſſeſſione reſpectu reſignantis dici poſſe, cum ei incumbere valeat, donec ſciuerit reſignationem ſuam à Papa admiſſam eſſe, quæ eſt opinio Rebuffi *in praxi tract. de ſimon. in reſignationibus numero 43.*

QVÆSTIO XXII.

An abrogatio mandati ad reſignandum. ei ſignificata cuius bono facienda erat reſignatio, aut Notario qui procurationem perſcripſit, eius à Papa acceptationem impediat.

RESpondend. Satis abrogatum haberi mandatum, quod datum procuratori fuit de reſignando beneficio, cum illi, re adhuc integra ſignificatur cuius bono facienda erat reſignatio.

Probatur, Superiori, aut procuratori declarata ceſſionis reuocatio, diſpungit ac obliterat, quicquid reſignatarii gratia, reſignanti facere viſum erat, vt eſt *in Clement. 1. de renunciat.* at adferri cauſæ nihil poteſt, cur hæc ſignificata reſignatario minorum ſit virium, quam ſuperiori Antiſtiti, aut procuratori intimata, nec enim vlla inter haſce duas ſpecies diſſimilitudinis eſt ratio, quæ momentum aliquod habeat. Enimuero ſignificatæ procuratori, aut Epiſcopo, reuocatoriæ reſignationis tabulæ, eius ideo effectum morantur ac impediunt, quod in vnum idemque duæ concurrere voluntates deſinant, eiurantis ſcilicet, vel ſuo nomine mãdantis cedere, & illius, in quem tranſit id quod ceditur, nam hic beneficium acceptare non poteſt, quod reſignans, at cedens dare modo recuſat, non eſt ergo mutua inter vtrumque voluntatum conſenſio, de ea ergo mutatione mandati abrogatione, ceſſionis reuocatione ſignificata reſignatario ſi conſtiterit, quicquid contra poſtmodum geſtum erit, inane erit ac irritum, & conſequenter (quod fuit probandum) mandati reuocatio, declarata reſignatario ante acceptationem ab Ordinario

factæ reſignationis in gratiam eius cui fit mandati reuocatio parem vim eſt habitura, atque ſi procuratori ad reſignandum indicata foret, ſicque Senatus Lutetiani iudicio deciſum eſſe, auctor eſt poſt Probum, de Ruffignac. *lib. 3. tit. 24.*

Confirm. Eſt reſignatio, vtpote donatio ac ceſſio rei ſuæ, pactio quædam, ergo paciſcentium & reſignantis ac reſignatarij voluntates ambas coaleſcere in vnum eſt neceſſe, nam pactum *duorum eſt, pluriumue in idem placitum atque conſenſus lege 1. dig. de pactis*, ſed id eſſe nequit, ſi Procuratoris beneficam in ſe voluntatem admittere Reſignatarius non poteſt, vt non poſſe ſit hac ratione perſpicuum. Acceptari nequit, niſi quod acceptanti eſt datum: ſed reſignatarium ſibi reſignans non vult eſſe in beneficio ſuo ſucceſſorem, id enim ſignificat facta illi ea de re denuntiatio in reuocatoria eius tabula quæ ei eſt denunciata, ab eo ergo acceptari facta à Procuratore reſignantis nomine reſignatio non poteſt.

Quæſtionis pars altera de Notario fuit, nempe, an cum in exarando, ſignandoque mandato de reſignãdo beneficio, bono gratiàue alterius operam ſuam attulit, ſufficiat, retardandæ ceſſioni, eum per literas aut nuntium, de ea reuocata certiorem reddere.

Et Reſpondeo id mihi iudicii non eſſe, quod Notarius poſt conſignatum eiurationis negotium, nihil agere vltra ſoleat, quo tanquam perſona publica, publicæ rei conſulere debeat, aut priuati tantum vnius cuiuſpiam hominis, ſanè id ſi accideret, eidem obeſſe ſimul, ac prodeſſe poſſet quod non decet, obeſſet, quia reſignatarii rem, cauſamque, eum admonendo de abrogato mandato infringeret, prodeſſet vero, contractum ei exhibendo, vt tenetur, quo reſignans eius commodo gratiaque beneficio ſe ſuo abdicauit.

Deinde non eſt faciendæ reſignationis reuocatio denuntianda alteri, quam cuius intererat eam fieri, aut à quo in eſſe pendet, ob quam cauſam eſt eiuſmodi reſignationis reuocatio ſuperiori notificanda, à quo eam admitti & beneficium dari reſignatario conuenit. At Notario nullum poſt conſignatum reſignationis negotium, relinquitur hic miniſterium, à quo reſignationis vis pendeat, aut in eam influat. Maneat ergo quod in hoc quæſtionis genere enuntiatum eſt poſitum, Procuratorem per reuocatoriã de reſignando tabulam Notario nuntiatam, non impediri, quo minus factum ſibi prius de reſignando mandatum poſſit exequi, quod de parte, id eſt, deſignato per reſignantem futuro reſignatario, dici ſimiliter non poteſt. Verba ſunt hæc Rebuffi in Com-

A mentario *rubricæ de ſublatis Clement. literis. Quarto perdit officium regula iſta in procuratore conſtituto in fauorem pro cuius reuocatione ſufficit, etiam parti, in cuius fauorem factum eſt procuratorium notificare, quia quædam videtur conuentio,* & contractus inter conſtituentem, *procuratorem & acceptantem, ergo illa reuocatio notificari debet cum quo conuenit.* Hæc ille, quæ à Gloſſa Clementinæ, Ioan. de Selua in *tract. de benef. par. 3. q. 16.* Probo in *addit. ad Ioann. Monach. in rubr. de renunciat. in 6.* didiciſſe ſe non contemnendo humilitatis B exemplo ait.

QVÆSTIO XXIII.

An iuris ante Notarios abdicatio, reſignantem beneficio ſuo ſpoliet.

EX reſignatione tam quæ pura eſt ac ſimplex quam quæ conditione circumſcribitur, non prius amittitur beneficium, quam fuerit hæc à Superiore Antiſtite approbata. C Primo, quia reſignãs eo ignorãte, multomagis nuito ac repugnãte de ſtatione ſua in Eccleſiæ acie decedere non poteſt, ſine defectionis, transfugiique ad hoſtes turpi nota, vt eſt *in cap. 1 de renunc. cap. admonet 4. cap. dile*, hanc ergo ne contrahat, aut in ſuſpicionem proditæ, deſertæque Eccleſiæ cùm non oportebat, apud facti ſui conſcios veniat, ad ſuam eiurationem accedere debet ſuperioris Antiſtitis comprobans auctoritas.

Confirm. Qui procuratorem Romæ conſtituit, ad deponendum nomine ſuo beneficium apud Roman. Pontificem, poteſt quandiu hic aſſenſum factæ per ſe ceſſioni D non dedit, mandatum illud ſuum infectum reddere, quod cum facit, eodem quo ante iure in beneficium potitur, nec decedit eius poſſeſſione ac titulo, illud ergo reſignanti ſuperioris confirmans auctoritas adimit, non ſola eiuratio.

Tertio, ſi dum expectatur Romani Pontificis aſſenſus, ſuper Sacerdotio in fauorem tertii abdicato, oret illum interim abdicans, vt ſe nouo quopiam dignetur: quæro, ec- E quid non ipſi, vt rata ſit eius, firmaque impetratio, ſit neceſſe, eius quod reſignauit, ſed necdum approbatione Pontificis perdidit, eidem mentionem facere? id ſi eſt neceſſe, vt fatentur omnes, & id quoque dicere eſt neceſſe, Superioris auctoritate legitima, amitti eiurati beneficii titulum, non reiſignatione ſola.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXIV.

An qui Sacerdotium apud eum reſignat, qui Laicus eſt, aut cui confirmandi, approbandique eam abdicationem, auctoritas non ſuppetit, iure beneficij ceſſi cadat.

OPinantur è Canoniſtis non pauci, eiurationem apud Laïcum factam, ipſo iure nullam eſſe, ipſumque, cum placebit, ad id quod relinquere ei erat animus, re integra redire poſſe.

Qui in iudicando non ſe, ſed Pontifices, eorundem ſenſum non ſuum audiunt, ſic ſtatuunt, primò peccare eum, qui apud perſonam prophanam beneficium deponit conferendum alteri, quia quantum poteſt, ius dandi beneficii ei eripit, cui conuenit, & tribuit non habenti, quod ab iniuſtitia ſeiungi nequit.

Dicunt tertiò, Reſignationem, quæ fit in manibus Laïci, ratam non eſſe, quia eſt hæc reſignatio donatio quædam iuris, quod eiuranti in rem Eccleſiaſticam tanquam ſuam, Eccleſiæ beneficio competit, at eſt omnis donatio, quam vt ſibi gratam acceptamque, is cui fit, non approbat, ſine vi ac robore, ergo & Sacerdotii ceſſio, quæ non eſt Superiori facta ſed Laïco, cuius in hoc genere nulla eſt ad eam confirmandam poteſtas.

Sane 17.*q.*2.*can.Gonſaldus* 1. *qui beneficium Eccleſiæ in manibus aduocati* (hoc eſt Patroni) *refutauerat*, iuſſus eſt auctoritate Apoſtolica, *beneficia, & altaria ſua reciperẽ, habere, & quietè retinere*, cuius rei cauſa haud dubiè non fuit alia, quam quia apud perſonam non capacem, hoc eſt profanam, nec adhuc attonſione crinium, tonſuraque in Clericorum claſſem allectam, facta fuerat eorum ceſſio, non amittit ergo reſignans in Laïci manibus beneficium, nam titulo, quem citra Superioris Antiſtitis auctoritatem legitimam dimittere non potuit, non dimouetur, niſi eo priuetur à iudice, quod poteſt facere in pœnam admiſſæ per eum culpę, vero Collatori ius ſuum tollendo, vt contra ius faſque omne daretur alteri.

Deinde eſt renunciatio actus legitimus, qui cauſa cognita apud Superiorem fieri debet, aliter factus eſt irritus, nec prodeſt, nec nocet, inquit Florenſ. *ad titulum nonum de renunc.*

Pars quæſtionis fuit altera, an quæ apud Antiſtitem non ſuum facta eſt reſignatio, ſubſiſtat vt valida. quam ego cum diſtinctione ſoluendam puto. Aut enim eiurat quis Sacerdotium apud eum, cui eſt eiurationis

A approbandæ poteſtas tanta, quantam Pontificia decreta poſtulant. Aut ei nulla ſuppetit, quia nempe non eſt Prælatus, non Abbas, non Superior Antiſtes quiſpiam, ſed de turba populi laïcus, ſi ſecundum, cum in fraudem legitimi præſulis reſignatio quæ ſic eſt perperam facta, vergat, in eius culpæ pœnam, valebit eiuratoris ceſſio, ſi ſuperiori, hoc eſt legitimo collatori eiurati beneficij viſum erit, ſiquidem in eius eſt arbitrio factam à reſignante ceſſionem ratam habere, & ſic illum poſſeſſione beneficij male ceſſi mulctare, quod ſi nolit, eum tanquam fugitiuum ac ſta-
B tionis ſuæ in ſacra Chriſti militia deſertorem, ad eius caſtra, hoc eſt Eccleſiam, reuocare pro auctoritate poterit, vt eſt in *can. Gonſaldus* 1.*cauſa* 17.*q.*2.

Verum enim (inquies) cum eiurato Sacerdotio quis priuatur, quod ad id alterius quam veri ſui Antiſtitis opera ſit vſus, eſtne eius ad id, aut cuiuſpiam alterius iudicis neceſſaria ſententia?

Mihi eorum præ cæteris placet opinio qui verbalem nullam exigunt, facti ſufficere aſſerunt, in eoque verſari illam aiunt, quod be-
C neficiũ temere, & non vt par fuit abdicatum donet alteri, eſt hoc enim inſtar ſententiæ, per quam titulum eiurantis etiam ad id non vocati abrogat, tollitque, ac omni iure caſſum, inanemque reddit.

QVÆSTIO XXV.

Quis ſit is Superior Antiſtes, penes quem reſignanda Sacerdotia deponi debeant, vt per eum rata eſſe renunciantis ceſſio queat. queat?

D DIco primò, *Eorum eſſe beneficiorum reſignationes approbare, recipere, ratas habere, quorum eſt cum vacant, ea tribuere, eademque ex cauſa poſſeſſoribus adimere, ſeu quod eadem recidit, dignos illis præficere, procuranda, regendaque idoneis committere, ac ſi forte de ijs conceptam opinionem fallant eaque in illorum adminiſtratione faciant, quæ pœnam mereantur, illos ab eorundem cura dimouere, ac beneficijs collatis depellere.*

E Ratio eſt, quod habet reſignatio quælibet deſtitutionem ac collationem, duo hæc, non pauciora nec plura, deſtitutionem quidem, quia etſi ſuperior Antiſtes beneficium non tollit, at certe reſignãtem ſinit ac patitur iure ſe ad illud omni ſpoliare quod eſt virtute idem ac ſi illud omni ſpoliaret, collationem autem, quia beneficium ea duntaxat lege relinquitur, vt alteri tribuatur. Adeundus eſt hic ergo reſignationis confirmandæ gratia, qui conferre poteſt & auferre, benefi-

cium & deſtituere, vno verbo perfecturam Eccleſiaſticam, eiuſque miniſterium iure abrogare, aut fruendam dare cui volet.

Dico ſecundò, *Non poſſe alium à Romano Pontifice beneficij reſignationem cum clauſula nec alias, nec aliter factam, confirmare, auctoritatemque ei ac ius tribuere:* quia cum ſit hæc de Simoniaca impietate ſuſpecta, non eſt cuipiam facile ea tribuenda poteſtas, ſibi vt licere exiſtimet, in eius committendæ periculum, ſalutem ſuam imprudenter vocare ac temerè, & quanquam non haberet ea ceſſio Simoniæ maculam, vt ea carere antea eſt probatum, quia in ea facienda, conſignandaue nulla cum Pontif. intercedit ex compacto tranſactio, quia tamen in alterius quam eius manu fieri mos communis non patitur, ſitque proinde malum, ab eo tanquam à lege diſcedere, Epiſcopi auctoritatem in eiuſmodi reſignatione firmanda implorare non eſt tutum, nec proinde vſurpandum.

QVÆSTIO XXVI.

An minor 25. annis agere in iudicio queat, vt ad beneficium à ſe reſignatum redire ſibi liceat.

PRo affirmante eſt, quod minor 25. annis, ſi ex contractu læſum ſe queratur, iudicio prætoris reſtitui in integrum cauſa cognita debeat *lege 1. digeſt. de in integrum reſtit. & lege 1. digeſt. de mininorib.* cuius rei ratio ibidem redditur, nempe *quod inter omnes conſtet fragile eſſe atque infirmum huiuſmodi ætatum conſilium, & multis captionibus ſuppoſitum.*

Pro parte negante produci multa poſſunt, primum, quod etſi annis 25. minor, cenſeatur eſſe imbecillo ingenio, nec ſatis ad res gerendas in foro forti, & idoneo, ſit tamen beneficiarius, à ſummo Pontifice ſacerdotio Eccleſiaſtico donatus, eiuſdem iudicio, diſpenſandæ rei ſibi commiſſæ ac traditæ iudicatus idoneus, alioqui quis eum Oeconomi officium prò dignitate præſtare crederet? excuſare ergo ætatem, animique parum maturi non ſatis expedita conſilia, annis 25. minor nequit.

Deinde nemo non intelligit charitatis eſſe ac prudentiæ, Eccleſiam vni cuipiam, eiuſq; commoda priuatis anteferre, at læditur Eccleſia cum quæ reſignantis Antiſtes eius auctoritate ſuffultus, vi reſignatoriæ eiurationis per minorem factæ geſſit, reſcinduntur vt irrita, ſic enim tacite arguitur imprudentiæ, qui conſideratè non ſatis, minorem apud ſe beneficium deponere eſt paſſus, audiri hic ergo non debet, cum mutato conſilio inſtat ſibi ſuum reddi beneficium ex capite legis, quæ minoribus rei ſuæ reſtitutionem fieri annuit.

Quid? quod minor annis 25. obligare ſe voto queat, idque valide, patre non modò ignorante, ſed reclamante etiam ac inuito, iam autem reſponderi mihi ab aduerſariis aueo, vtrum exiſtiment plus ad reſignandum ingenij prudentiæque in minore, quam ad vouendum exigi, ſi negant hocque extremum eum poſſe dicant, & alterum quoque eos aſſerere eſt neceſſe.

Vtendum eſt in hac quæſtione ea diſtinctione, quæ tùm à legiſlatoribus, tùm à legum ſacrorumque canonum interpretibus ſapienter eſt excogitata.

Dico ergo primò, *Si fraude ac dolo in eam mentem venit eiurator, vt beneficio ſibi ſuo cedendum in gratiam certi hominis crederet, eſt eius reſignatio, licet à Superiore admiſſa, inanis ac nulla.* Quia quæ cum inſigni minorum damno fiunt, & cum eorundem fraude, legum ac principum approbationem non habent, ſed omnino reſcinduntur. At in hypotheſi de qua ſit in aſſertione mentio, fraus interuenit, nec minor modicum eſt detrimentum paſſus, qui omnibus ſuis bonis cum beneficio quod unum habebat, eſt ſpoliatus, ergo actum, pro non acto eſt habendum.

Dico ſecundo, *Ad eiuratum beneficium redire minorem poſſe, ſi cum reſignauit, necdum plenos pubertatis annos attigerat,* quia non videtur in ea ætate tantum maturitatis, ac prudentiæ conſequutus, quantum eſt ad reſignandum neceſſe. At quum eum beneficio præeſſe Pontifex voluit, eidem non tam ætatis veniam dedit, quam illum regendi, adminiſtrandique beneficij curæ commiſſi, capacem cenſuit.

Argumentis Reſpond. 1. De hoc Pontificis Romani iudicio non conſtare, imò de oppoſit certos nos eſſe, cum puellas, quæ Regum commendatione ac precibus fiunt eo annuente aliarũ in cœnobiis præpoſitæ, nolit ſuo nutu arbitrioque illa ſolas regere, ſed cum antiquarum conſilio, vt Remis in puellari S. Petri Monaſterio, Metis in ſacra Diuæ Mariæ æde, ac Meldis contigiſſet non ita pridem Vrbano fœlicis recordationis ita imperante, factum ſcimus.

Deinde nego, fictione iuris, aut præſumpto principis iudicio, quicquam Minoribus accedere, quod ipſa veritas aufert.

Quid ſi id ætatis adoleſcentuli plenam iudicandi, faciendique nacti ſunt copiam? quid ſi his adeſt, animi maturitas ac concilij? quid ſi perfectè intelligant, quid moliantur ac agant?

Reſpondend. In conſcientiæ foro, ratam tum fore eorum ceſſionem, in externo irritandam ſi ſe læſos probent, quod eis facere non eſt difficile, cum beneficio carere ſuo nequeant,

nequeant, ſine rei ſuæ detrimento.

Dico tertiò, *Valere factam à pubere, ſuique iuris adoleſcente beneficij ceſsionem.*

Quia regredi ad rem minori non permittitur, niſi ob imbecillitatem ætatis ac ingenij, at puberes, ſi non omnes certe multi, maximeque vicenariis ſuppares, animi motus ad cogitandum acres, iudicij autem vim habent, qua quid eos facere aut omittere, amare aut odiſſe oporteat, intelligunt, non ſunt ergo de eorum numero qui iuuari lege debeant, qua qui eſt annis 25. minor, in priſtinum locum reſtitui oporteat,

Panormitano tamen ſecus quam nobis eſt viſum, eſtque eius ſententia in externo foro probabilis, qua parte de beneficio agit, cuius eſt reſignatio à ſuperiore admiſſa quidem, ſed eiuſdem nulli eſt adhuc facta collatio.

QVÆSTIO XXVII.

An Procuratori à ſe delecto mandare reſignans queat, vt beneficium ſuo nomine in certi hominis gratiam, apud ſummum Pontificem eiuret.

POſſe reſpondet Clemens *in Clement. vnica de renunc.* nec eſt ambigẽdi cauſa in eo iudicio vlla, nam ſi aliena vti opera in rem noſtram poſſumus, ſi domeſtica per miniſtros gerere negotia, cur non & Eccleſiaſtica? Eligere certe de multis, vnum quempiam cuique licet, qui quæ ſibi ſunt morientis voluntate benefica ac liberali legata acceptet, item qui Sacerdotia ad quæ Epiſcopi Capitulique delectu vocatur, grata ſibi acceptaque eſſe, ſuo nomine ſignificet, cur ergo quod procurator in mandantis bonum, in his ac ſimilibus ritè gerit ac valide, idem in re beneficiaria quæ ei à mandante committitur, licitè non poterit ac fructuoſe?

Ergo ad reſignandum nominare quem volet, reſignanti cum placet, licet, Clericus ſit, an Laicus nihil intereſt, quilibet modo ſui compos, ad hoc adhibitus miniſterium, auditur, Flam. *lib. 9. q. 3. num. 4.* Roſignac. *de benefic. tit. 12. num. 14.* Gloſſa *in Clement. vnica de renunc.* cum enim nuſpiam Laicus fungi vetetur hoc officio, eius obeundi cenſendus eſt capax, *de procurat. in 6. cap. 1.* Piaſec. *par. 2. prax. Epiſcopal. cap. 5. art. 3. nu. 101.* de litibus. Quia tamen Laïcum multi ab hac procuratorum vtili ac neceſſaria prouincia, vt indignum remouent, ſecurius ego cum Flaminio *lib. 9. q. 3. num. 23.* crederem, Clerici ad præſens negotium opera vti.

Vt autem ſit hæc reſignatario vtilis, debet qui hanc illi operam vti reſignantis procurator nauat, ſpeciale ad id habere mandatum, *cap. qui ad agendum, de procur. in 6.* generale

A non ſufficit, quia quod noſtrum eſt, à nobis ad alium, tranſitu non illicito & illaudabili, ſine noſtro commeatu aſſenſu non poteſt, qualis tamen nullus ſaltem actualis interuenit cum quis ad negotia vniuerſim ac communiter, aut beneficia eo modo, hoc eſt nullo in particulari expreſſo, reſignanda præficitur, facta ergo in vim generalis procuratorij reſignatio, eſt inualida ſicut eſt regia lege cautum in titulo *de la reformation des prouiſions artic. 10.*

B Secundo, non niſi libere ac ſponte à reſignante creari procurator debet, vi vocatus adhoc munus nihil promouet, quia reſignatio vi facta, vt dictum eſt antea, quia reſcindi auctoritate iudicis debet, non valet, ideo à Clemente in Concil. Vienn. dictum puto, vt rata ſit firmaque procuratio, data *ad cedendum Pontificali, aut alij cuilibet dignitati, vel beneficio, procuratorem libere ac ſponte,* à reſignante conſtitui oportere *Clementina vnica de renunciat.*

Tertio, Procuratorem ab eo deſignari conuenit, qui ſit ſanæ mentis, quos ira, quos C furor, aut ægri affectique animi morbus, tranſuerſos agit, de eorum eſſe numero non videntur, qui Procuratorem gerendæ rei ſuæ valide, aut cedendæ dignitati vel beneficio fructuoſe præficiant, quia cum in iis non ratio, ſed ægritudo imperium exerceat, nec perfecte quis in agendo, dicendoque ſeruari modus debeat noſſe queant, ſponte nihil ac libere agunt; quod eos poſſe tamen qui ſibi procuratorem aliquem renuntiant, Clemens loco prænominato poſtulat. Et ita furioſi, mente capti, ac amentes, procuratoris ſibi ad reſignanda beneficia quæ poſſident, conſtituendi non ſunt capaces, eo quod conſentire D ſponte nequeant ac libere, metus enim impedita ac his perſtricta nubibus quas corruptum vt ſic loquar, capitis ſolum exhalat, quid agat, quid moliatur ac cupiat, videre nequit, amore autem in ea quæ prodeſſe ſibi, odio vero in his oppoſita, ferri non poteſt, ob quam cauſam furioſus & amens, nec per ſe, nec procuratorem beneficia reſignare ſua aut permutare queunt valide. Flam. *lib. 2. q. 4.*

E

QVÆSTIO XXVIII.

Procuratoria ad reſignandum vt proſint, qua & qualia eſſe debeant.

PRocuratorem, qui noſtrarum ſit interpres voluntatum in reſignando, duobus inſtitui modis poſſe, tam eſt cuique notum, quam nulli eſt dubium animi ſui ſenſa ſignificare poſſe ſingulos, voce ac ſcripto, tam ſuo, quam alieno voce, cum quas habet animo ſuo anteceptas notiones verbis expri-

mit, ſcripto cum literis. Bipertito autem diuidi hæ poſſunt, in priuatas, & authenticas ſeu publicas, ſunt illæ, quas manu exarare quiſque ſua eſt ſolitus, vt quid velit, aut nolit, amico, vt fit inter familiares, indicet, ſunt iſtæ, id eſt authenticæ, quæ Notarij ſcriptæ manu, publicoque vrbis aut regni obſignatæ ſigillo, fidem de re faciunt, quæri ergo hic primo poteſt, an mandatum ad reſignandum literis priuatis, quas miſſiuas nominant, procuratori tranſmiſſum, ratum ſit ac validum, an contra, vt ſit tale, oporteat eſſe auctoritate Notarij munitum.

Cauſa dubitandi, hæc ſe prima fronte cogitanti offert, quod vtriſque his literis reſignans mentem explicare ſuam Procuratori valeat, quid enim vnæ præ aliis, habere debeant, quid continere ac complecti quod neceſſario omittatur in alteris non eſt facile dicere, ergo vt per publicas ita & per priuatas literas ſuas, ſibi quiſque procuratorem conſtituere, ac edicere ad reſignandum poterit. Ab iis nihilominus ſtare placet, qui mandato vim ad eum effectum cuius cauſa datur, ineſſe nullam aiunt, cui deeſt vel vnica de ſequentibus.

Prima eſt, quod vt de eo per inſtrumentum publicum Ordinario collatori conſtare queat, priuatum per cuiuſque priuatas literas ad reſignandum procuratori datas vix recipitur, ſecundum Rebuff. *in praxi benef. rubr. de procurat. ad reſign. conſtit. num.* 5.

Eſt autem publicum quod eſt à Notario in forma ſolita confectum, quod tamen vt à Notariis cameræ ac Cancellariæ Romanæ admittatur, debet eſſe ſigno iudicis ordinarij publico, vel communitatis ſignatum, Boërius *deciſione* 254. *num.* 6. & ſi teſtes in mandato ad reſignandum adhiberi placet, debebunt eſſe tales, qui domicilium in eo loco, vbi inſtrumentum ſeruatur à Notario habeant, nec ſint reſignantis ac reſignatarii conſanguinei, hoc eſt Pater, auus, frater, patruelis, auunculus, matruelis, aut conſobrinus germanus, Du Clos *ad lib. nonum*, Flam. *de reſignat. q.* 6 *num.* 13. quod ſeruatur in Gallia iuxta conſtitutiones regias, ad Henrici codicem *lib.* 1. *tit.* 21. *relatas*.

Quod autem de obſignatione iudicis Ordinarij, ſigno publico facienda dicitur, non habet ea locum in Gallia ſi Cloſio creditur *ad lib. nonum*. Flamin. *de reſignat. quæſt.* 7 *num.* 3. non magis quam ſubſcriptio teſtium, Notarij ſignum ſolum ſufficit, atteſtantis eos in ſcheda originali vt aiunt, ſubſcripſiſſe.

Adhæc vt procuratoris in reſignando opera reſignatorio ſit vtilis, debet inſtrumentum reſignantis manu ſubſcriptum eſſe, Rebuff. in *praxi rubric. de procurator. ad reſignand. conſtit. num.* 6. alioqui procuratori eius nomine, cuius eſt procurator, aſſerenti

A ſe beneficio cedere, fides non daretur vlla, quemadmodum nec inſtrumento, vt docet Guido Papa *in deciſione Delphinat. qu.* 126. quare ne vtriuſque vacillet fides, lege Regia ſubſcribere inſtrumento reſignans debet, vt de rei veritate, ambigendi cauſa Papæ ac Datariis nulla ſit ſuper.

Tertio, in inſtrumento vt valeat, loci, vbi eſt Notarij manu exaratum, ac ſigillo Principis aut vrbis obſignatum, facienda eſt mentio.

Quarto, niſi Procurator ſit certus, proprioque nomine, in procuratorio notatus B nullarum erit, ad id cuius cauſa datur, virium, *lege* 2. *digeſt. de procurat.* Sanè ſi eſſet incertum eius nomen, ad eum ſi quid accideret, quod eum noſſe eſſet neceſſe, dari nullæ poſſent literæ, præcepta nulla, nulla de renunciatione reuocanda, aut non facienda, monita,

quinto, vt Procurator reſignatario in exequenda reſignantis voluntate ac mandato prodeſſe poſſit, debet hoc ſpeciale eſſe; vt C eſt dictum qu. proxime præcedenti, indicatque Cancellariæ regula 40. Sixti quinti, *de beneficiis in curia reſignatis*, in hæc verba, *per procuratorem ſuum ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum.* Eſt autem procuratoris ſpeciale mandatum, cum nominatur expreſſe beneficium, quod reſignari permittitur, locuſque vbi eſt poſitum non tacetur, horum per incuriam omiſſio, certa eſt de procuratoris nullitate probatio, eo quod eorum expreſſio, ſit de iure ac ſtilo curiæ, qui nobis eſſe debet pro lege, Rebuff. *ſupra num.* 7.

D Sexto, non nomen modo, ſed & procuratoris cognomen debet exprimi vnde non valent procuratoria vacua, inquit Flamin. *lib.* 9. *q* 7. *num.* 40. qualia ſunt, in quibus futuri procuratoris ſcribendo nomini, locus relinquitur vacuus Chaſſan. in

Septimo, requiritur, vt in inſtrumento litura ſit nulla, nulla literarum abſterſio, ſi qua intercedat, fidem non facit, factaque in vim eius reſignatio eſt nulla, Rebuff. *in praxi rubrica de procuras. ad reſign. conſt. num.* 31. nec eſſet Notarius à culpa, pœnaque liber in Gallia, qui poſt mandati cancellationem, nihilominus parti expediret aliud, Du Clos in E *annotat. ad Pariſium lib.* 9. *q.* 7. *num.* 44.

Octauo inſtrumentum notarij ſubſcriptionem & rogitum non habens, neque ſigillum, non eſt in forma quæ eſt ad faciendam fidem neceſſaria Pari. *lib.* 9. *q.* 7.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXIX.

An reuocari Procurator poſſit, & qua forma.

CLementinam *de renunciat. vnicam* quiſquis legit, pro reſignante, eiuſque ad reuocandum poteſtate, ſententiam illico certam dicet, ac veram, ei quando, & quoties eſt collibitum, à prima ſua, beneficii ſcilicet in tertij gratiam reſignandi, abire poſſe voluntate, idque procuratori per literas, aut certum de eo nuntium, indicare.

Enimuero quid eſt neceſſe reſignantem in eodem quaſi gradu, perpetuaque veluti voluntatis ſuæ ſtatione conſiſtere? ſed quis hominem neſcit, natura eſſe mutabilem, vt mare momento vertitur, ita eum quolibet die, cuiſque hora mutare ſententiam, quæ hic approbat, alibi vt ſe dant tempora, improbare ſine prudentia, quam ergo, non eſt vero abſimile, licere cuilibet, quæ de eiurando Sacerdotio mandata procuratori dederat reuocare cum libet, quibus enim quid cauſis ponitur, iiſdem tolli quid vetat? ergo vt reſignans velle poteſt, ſua procuratori negotia curæ eſſe, ita poteſt & nolle, ergo & de eo illum per literas aut nuntium certum reddere.

Facere id vero reſignans poteſt expreſſe & & tacite, expreſſe, cum id illi verbis tam ſuis, quam alienis ſignificat, tacite, cum in animo ſibi eſſe indicat, beneficio dignari ſuo alium, aut illud ipſum ſeruare ſibi, dum aliud nanciſcatur æque commodum. quodque de iſto hic dicitur, par eſt quoque de reſignatario intelligi, cui facta per reſignantē gratia, vocatione ſui ad beneficium, quod ipſe reſignans cum poſſideret, eius eſſe per reſignationē voluit, cui facta (inquam) gratia interit, ſi ante expreſſum à Papa aut Ordinario conſenſum, ſuum ipſe reſignās reuocet, ac reuocatum eidē reſignatario indicet, non *ſufficeret tamen intimationem in domicilio factam fieri, ſeu perſona domeſtica reſignatarij, ſed eſt opus, vt fiat propria perſona reſignatarij, vel ſaltem quod clarè probetur, factam in domicilio, vel domeſtica perſona, & quod ad reſignatarij notitiā re adhuc integra perueniſt*, hæc Hieronym. du Clos *in annotat. ad cap. 9. lib. noni de reſign. per Flam.*

Ad ſuperiora addi debet, Procuratorē reuocari a Prælato *rectore, vel alio quolibet, pro Eccleſia ſua, vel beneficio conſtitutum, per mortem conſtituentis, Clem. vltima de procurat.* mors enim omnia ſoluit *parag. deinceps authent. de nuptijs*, mandatum ante cætera, quod mandantis obitu ceſſare eſt planum, Pontifice id decernente in *Clement. vlt. de procurat.*

Itaque ſi quid tum procurator egerit, inane erit, vti ab eo factum, cuius auctoritas periit, quod enim de iudice dicere Iuriſperiti ſolent, acta eius omnia nulla eſſe & irrita, quando Principi eum in ordinē redigere ac amodo illum de plebe, turbaque populi vnum eſſe aliquem placuit, hoc de mandatario, hoc de procuratorē ad reſignandum conſtituto ſentire decet, nihil eum quod reſignatario prodeſſe queat, facere poſſe: equidem quod eſt nullius, quia extremi poſſeſſoris obitu, morteque vacat, beneficium eiurare procuratori in vim mandati ſui non licet. At reſignante fatis functo, eius quoque beneficium a ſua, in Ordinarii collatoris poteſtatem ac manum tranſit, ab eodem conferendum cui erit placitum, ceſſat ergo cum mandante mandatarii ad reſignandum auctoritas.

Excipiendus eſt caſus, in quo res non eſſet integra, puta quia in Cancellaria Romana, pro literarum expeditione ſuum procurator conſenſum dedit, Boërius *deciſione 348.*

Quarto, Procurator, quantum eſt ſatis, vt reſignatario prodeſſe non poſſit, reuocatur quando cameræ Apoſtolicæ, aut Cancellariæ Notariis, reſignans per ſe aut alium ſignificat, opera ſe Procuratoris amodo vti nolle, nec proinde mandato eius procuratorio ad reſignandum in manibus Papæ, velle vllam vim eſſe, quia cum noſtra quæpiam actio vt ſit rata, à Superioris & noſtro aſſenſu pendeat, ſi eam valere nolumus, id eum ſcire eſt ſatis, nam cum ad eam amborum ſit concurſus neceſſarius, ne ludat operam, ſuum non adhibebit, cum deeſſe noſtrum volumus, at quod in Romana ſit Cancellaria, in Pontificis conſiſtorio eiuſque oculis fieri dicitur, cum qui eam regunt viri Principes Cancellarius, ac Datarius, eam Papæ nomine, viceque regant.

Vtrobique autem, hoc eſt in Camera & Cancellaria Apoſtolica vt mandati procuratorij reuocatio ſit valida faciendam hanc eſſe, probat Doctorum de Rota præiudiciis non paucis Flamin. *lib. 9. q. 26. num. 8.* quæ apud eum legi poſſunt.

QVÆSTIO XXX.

An quum Procuratori à reſignante ſit facultas, reſignandi cui volet, modo capaci ac digno eligere ſeipſum queat.

C*Vm nullus ingerere ſe debeat, Eccleſiaſticæ prælationis officijs, nullus ſe poteſt ad perſonatum alicuius Eccleſiæ præſentare, quantumcumque ſtudijs & meritis adiuuetur*, Sic enim cum Innoc. III. *in cap. per noſtras 26. de iure patron.* factæ quæſtioni quanquam in diſſimi-

li materia reſponderi poteſt, magná tamen A & copioſa argumentorum eſt copia, quibus idipſum quod Innoc. in cauſa diſpari tenendum cenſuit, in præſenti probari queat.

Primum, non alius Papæ eſt à Procuratore reſignantis nomine offerendus, quem beneficio ſuo cum auctoritate præficiat, quam qui contineri literis poſſit, quibus eligendi ſibi ſucceſſoris procuratori poteſtatem eſſe voluit. At has ad eum non pertinere vel hinc conſtat, quod cum perſona nominans & nominata differant, mutuo ſeipſas excludant, nec vna aliam ſignificatu ſuo complectatur ac arceat: ergo, &c. B

Secundum qui eligendi, à iure aut homine facultatem habet, ſuffragio ipſe ſe ſuo ad vacantem Eccleſiam vocare nequit, *cum ſecundum Apoſtolum nemo debeat ſibi honorem aſſumere, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron de elect. cap. qualiter 17.* ergo nec qui reſignandi beneficij alieno munere ac voluntate, id eſt reſignantis ius habet, ſibi ipſi id conferre beneficium poteſt, cum an donum virtutis ac ſcientiæ beneficio conueniens ſit aſſecutus, ignoret.

Tertium, Vt ad honores Eccleſiæ mala arte clam irrepere eſt turpe, ita & eos ambire ſcelus eſt arrogantiæ, ambit autem, quiſquis eos non modo cum offeruntur, recipit, ſed fugientes arceſſit ac quærit, eſt id ergo in nullo laudabile, nec in procuratore qui ſe, cæteris in reſignatione præferret, vllo modo tolerabile. C

At enim vetus eſt verbum, verum tamen, proſequi ſe charitate oportere ſingulos, in eoque debere ſe quemque anteponere cæteris, eo quod *bene ordinata charitas à ſeipſo incipiat.* Nil ergo quod viri boni cenſuram mereatur, facturus videtur reſignantis procurator ac mandatarius, ſi quod illi iſte voluit eſſe liberum, ſeipſum Papæ ad beneficium eiuſdem voluntate poſſidendum offerat. D

Reſpondend. Valere quidem hoc axioma quum ſalus vnius cuiuſpiam maximeque operantis agitur, eſtque talis charitas pura, nullique intermixta imperfectioni, quod in præſenti caſu locum non habet, quum per ſpeciem charitatis ac amoris erga ſe, honorum amor ac ambitus, beneficij quod cuipiam alteri, ex tacita reſignantis voluntate dari debuerat, ſibi Procurator præ cæteris, ex reſignatione in manibus Papæ facta, acquirit. E

QVÆSTIO XXXI.

An Cancellatio qualibet inſtrumentum vitioſum reddat, ac nullum.

VT inſtrumenti partes ſunt variæ, nec omnes pari modo neceſſariæ, ita nec eſt vitium, maculaque omnis, quæ partem eius aliquam inficit eiuſmodi, vt illud reddat nullum. Debet ergo Cancellatio, lituraque vocum quibus conſtat, in eam inſtrumenti partem cadere, quæ ſi non eſt præcipua, non eſt tamen vltima, quia quæ ad rem non faciunt, vt non proſunt, ita obliterata aut deleta inſtrumēto nō officiūt, ſicut nec quæ poſt reſignationē factā accidit à qua proinde vitiū iſta non trahit, ſed eſt peræque valida ac ſi in prædictū inſtrumentum labes irrepſiſſet nulla: Rebuff. *in praxi tit. de procur. ad reſign. conſt. n. 34.* Quia cum ſit Notariis cameræ Apoſtolicæ aut Cancellariæ exhibitum, ab iiſque repertum ſine vitio, vt ex eo ſit planum, quod eius intuitu admiſſa ſit reſignatio, quicquid labis maculæque à reſignatione facta contrahet, reſignationis vim non imminuet, nec fidem inſtrumenti abrogabit ac tollet, Rebuff. loco citat. *n. 34.* Pariſ. *l. 9. q. 7.* quia cum à tantis ſit viris diſcuſſum, præſumi honeſtè, iuſteque non poteſt, vitioſum fuiſſe ac malum. Dici idem debet, de ſcriptura, quæ ſi diuerſa eſt ſcripta manu, mandatum de falſitate ſuſpectum reddet, Alexand. *lib. 1. conſil. 41.*

QVÆSTIO XXXII.

An reſignatio à Procuratore facta teneat, ſi hic exceſſerit, aut mandatum non ſeruarit.

CVm ex defectu formæ non ſeruatæ, cōceſſio ſit nulla, Procurator eā nō ſeruans valide nihil gerit, quia cum conditione futuri euetus facta donatio, ea nō ſubſiſtēte corruit, at eſt procuratoris ad reſignandum electio, quædam etſi imperfecta donatio, quam certis circunſcriptam eſſe conditionibus reſignāti placet, vt quod Romæ fiat, quod in huius aut illius reſignatarij gratiam, cum onere tamen pēſionis, aut gratis eſſe debeat ab hac ergo eius voluntate Procuratori diſcedere eſt nefas. Ita qui beneficium à procuratore vult dari N. bona Papæ venia, & datur alteri, quia ſecus quā ei eſt præceptū operatur, nihil facit.

Item qui iuſſus ab abdicante cuius perſonam agit beneficium certo homini cum penſione 100. librarum relinquere, & exigit 200. operā ludit, quia quod eſt iuſſus facere, facit, quidem ſed non perfectè cum in penſione poſtulanda modum ſibi conſtitutum exceſſerit,

ſit, Rebuff. *de pacific. poſſeſſoribus.* A

Tertio, eſt reſignatio à procuratore facta ſimiliter inualida, ſi cum eſſet à reſignante iuſſus, à Pontifice vt tantum penſionis nomine peteret ob labores, incommodaque quæ eum tolerare in beneficij ſui procuratione oportuit, ſi huius eſt oblitus clauſulæ, reſignatio nihil valet, quia non eſt hoc concepta modo, quo illam fieri reſignanti placuerat & non aliter.

Quid ſi eam poſtea ratam habet? quid ſi eius eſt vtilitati coniuncta, quid ſi interrogatus, reſpondiſſet reſignans, cum his aut illis circunſtantiis factam rei ſuæ reſignationem ſibi acceptam eſſe, ecquid eſt eius rahabitione, futura talis? B

Ne credam argumenta bina faciunt, primum, quod in reſignatione, conſenſus reſignantis virtualis ac tacitus nō ſit ſatis, expreſſum ac formalem intercedere eſt neceſſe, quia reſignatio eſt donatio, quam voluntariam, proindeque verbis, nutu, aut ſcripto donatario, declarari conuenit, vt eam acceptet, alioqui erit nulla, ſed in ceſſione de qua eſt hic ſermo, nulla interuenit conſenſio, non C reſignantis vt patet, cum quæ ſunt à procuratore geſta, hæc ei non fuerint cognita. Non iſtius, quia cum non entis nullæ ſint qualitates, non potuit procuratoris conſenſus expreſſus eſſe, ſi nullus extitit, at fuiſſe nullum, probat petita ex mandati natura ratio, eaque certa; nempe quod mandantis & mandatarij voluntas moraliter eſſe vna eademque debeat, ergo cum hic à mandante diuerſa dixerit ac fecerit, nihil quod ratum eſſet, validumque præſtitit, fuit ergo eius conſenſus inanis ac nullus, quia mandati adimpleta forma non fuit.

D Secundum, eſt pactum duorum in vnum idemque, conſenſus & quidem expreſſus, ſed eſt procuratio ſeu mandatum contractus, iſque iuris ſtricti, quia detorqueri alio, quam quod verba ſonant, iudicis auctoritate ſenſuque non poteſt, nec eodem mandantis & procuratoris voluntates concurrere, cum aliter quam illi placuit, de ſuo beneficio procurator ſtatuit, puta quia reſignauit alteri, quam cui reſignandum dixerat, aut ſine penſione, vel ſi cum aliqua, maiore quam volebat, non eſt ergo mandantis conſenſus idem qui mandatarij nec vtriuſque eſt expreſſus, ſed E præſumptus & imaginarius.

Tertium, Quod ab initio non valuit tractu temporis firmari nequit. At quæ ſunt à procuratore contra mandati formam geſta, non fuere valida, non ſunt ergo rahibatione mandantis futura rata.

A

QVÆSTIO XXXIII.

Reſignationis effectus qui ſint & quales?

PRimus eſt totalis, perfectaque iuris amiſſio quod habebatur ad beneficium, eiuſque fructus, ex quo ſequitur nullum ad idem beneficium, ſine noua iuris collatione aut antiqui reſtitutione, renuncianti ingreſſum dari, Sylu. *verbo renunciatio q. 5.* Nouum B autem ius per electionem nouam tribuitur, quam de eodem fieri poſſe, etſi ſacra ſe iuriſiurandi religione obligaſſet ad idem beneficium iterato non petiturum, habes in decretali *cum inter 2. de renunciat.* his verbis: *Non videtur nobis impedimentum afferre iuramentum, quod de eodem non petendo vlterius proponitur præſtitiſſe, ſi conſenſus maioris & ſanioris partis canonicorum Eccleſiæ interceſſit.* Ius vero antiquum reſtituitur ipſo iure in quatuor caſibus. Primus eſt, cum quis beneficio ceſſit, vt illud haberet quod poſtea à Pa-C pa collatum eſſe didicit, tunc enim ad ſuum illico redire poteſt, alioquin vtroque priuabitur, *de præb. in 6. cap. ſi beneficia.*

Secundus eſt, cum quis reſignat cum conditione, videlicet vt eo cuius cauſa gratiaque beneficium eiurat, fatis functo, beneficii ſui vt ante poſſeſſor fiat, quæ reſignatio regreſſus dicitur, nec eſſe, ac fieri ſine Papæ facultate poteſt, quod Concil. *ſeſſione vlt. cap. 7.* eiuſmodi ceſſiones amodo eſſe cum acceſſu & regreſſu vetuerit in Eccleſia.

Tertius eſt, cum beneficium ſuum permutat cum alio, nam ſi eſſe rata eiuſmodi permutatio non poterit, abſque noua alia collatione, illud quaſi poſtliminio repetet, *cap. cum vniuerſorum de rer. permut. & Clement. vnica eod. tit.*

Quartus eſt, cum reſignationi clauſula additur *nec alteri, nec alias, nec aliter*: nam ſi his affecta conditionibus non recipitur, vt eſt hæc inanis ac irrita, ita & reſignatario infructuoſa, nec proinde iuris ablatiua, quo ſe in eius gratiam priuare reſignans ſub allata verborum forma intendebat.

QVÆSTIO XXIV.

An beneficiarius qui ſceleris eſt publici reus, dum de eo exercetur quæſtio, ſacerdotia ſi qua habet, libere poſſit, & ad nutum ſuum reſignare.

SVppono 1. Indicta cauſa beneficio priuari ſuo neminē poſſe, quia cuilibet, magnorum licet criminū poſtulato, ſui cōtra petitiones hoſtium defendendi facultatem, natura

tribuit, facit ergo ei iniuriam, qui reum antequam de eo iudicium ſit peractum, accuſatum quidem, ſed inauditum damnat.

Suppono ſecundo, Quod etſi non ſint palpanda Clericorum ſcelera, nunquam à iudicibus eorum tractanda leui manu crimina, de ſuo tamē deiici beneficio eos nō poſſe, niſi ex graui delicto, pœnaque tali, à iure nominatim in hanc rem conſcripto, decreta, nec enim quidlibet eſt cuilibet in hac iudiciorum materia licitum, quod eſt à Pontificibus deciſum olim, ſequi iudices debent in exigendis de Clericorum vita, moribuſque ſuppliciis.

Sane negat Eleutherius Papa I. *in epiſt. ad Galliæ prouincias cap.* 2. licere Epiſcopis definire, de pœna qua Epiſcopum cum eſt nocens, plecti oporteat *ſine ſanctæ ſedis auctoritate, ſicut ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus multorum conſenſu Epiſcoporum tam definitum eſt* 1. *q.* 3. *can. quamuis* 7. Quod hic de Epiſcopis cum dixit, dixiſſet & de minoribus Clericis, ſi dicendæ ſententiæ iuſta ſe aliqua obtuliſſet occaſio.

Suppono tertio, Suum cuique crimini iure canonum impoſitum eſſe ſupplicium, ipſumque iure ipſo, aut facto incurrendum illico eſſe ac eſt commiſſum.

Suppono quarto, Vt explicabitur poſtea fuſius cum de Simonia, pœnarum latæ ſententiæ genera eſſe duo, quædam ſunt merè priuatiuæ, vt inhabilitas ab beneficia, ſuſpenſio à ſacro celebrando, &c. ita dictæ vt patet quod non requirant factum hominis, ſeu actum poſitiuum ad ſui executionem: aliæ ſunt poſitiuæ, quæ ad ſui conſummationem actum poſitiuum poſtulant, vt priuatio bonorum patrimonialium, beneficiorum, & officiorum.

Suppono quinto, nulla ex his pœnis, tam quæ priuatiuæ ſunt, quam poſitiuæ obligare ante ſententiam declaratoriam criminis. De priuatiuis teſtantur Nauar. *de datis & promiſ. num.* 31. *&* 44. Sanch. *de matrim. lib.* 9. *diſp.* 30. *lib.* 2. *in Decal. cap.* 39. *num. vlt. & opuſcul. lib* 2. *cap.* 1. Mald. *par.* 2. *q.* 96. *art.* 4. *memb.* 4. maxime ſi ſunt hæ pœnæ, de earum genere quæ priuant iure quæſito vel naturali, vel ciuili, vel Eccleſiaſtico magni momenti, vt ſunt inhabilitas ad officia, & beneficia, priuatio vocis actiuæ, non autem Cenſuræ & irregularitas, quia hæ pœnæ ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ ſemper obligant abſque alia ſententia, iuxta Suar. *de cenſur. diſp.* 3 *ſ. ct.* 2. Sanch. *de matrim. lib.* 9. *diſp.* 30. His ita ſuppoſitis.

Dico primò. *Beneficiarium qui priuationem beneficÿ ob admiſſum ſcelus commeruit, dum inſtituta actio publica apud iudicem concinnatur, & nihil adhuc eſt pronunciatum, quod eum à beneficio obtento excludat poſſe illud apud Pon-* A *tificem deponere, in alterius gratiam, vt eidem ab illo auctoritate qua eſt præditus conferatur.* Ita Flamin. *de reſignat. lib.* 3. *q.* 16. *num.* 1. *&* 45. de Roffignac. *lib.* 3. *de inſtit. benef. cap.* 20. Boer. *deciſ.* 205. & alij apud Flamin.

Prob. De re ſua arbitrari ac diſponere cuique licet ad arbitrium. At quandiu beneficio non eſt quis ſuo per ſententiam priuatus, tandiu verè dici poteſt eſſe eius poſſeſſor ac dominus: ergo & arbiter quoad eius eiurationem faciendam in manibus Papæ, aut cuiuſlibet ordinarij.

B Confirm. Sunt hæretici bona omnia iure acquiſita fiſco vt eſt in Sixto decret. & tamen illa (dum his non eſt priuatus per ſententiam) poteſt arbitratu ſuo dare gratis, poteſt ergo & beneficiarius, beneficium reſignare ſuum cui eſt placitum, Pontifice vel ordinario id permittentibus.

Confirm. Cum poſſeſſio, complementum ſit iuris in beneficio, quandiu quis ab ea non deturbatur, tandiu eſt eius dominus. At is penes quem eſt rei ſuæ dominium, eam cui lubet dare poteſt, ergo & reſignare.

C Confirm. 3. Reus licite beneficium retinet, eiuſque titulum quo iure dicitur priuatus eſſe, quia priuatio quæ eſt iuris, non excludit ſententiam executoriam, quæ quandiu non fertur, reus facit fructus ſuos ſecundum Fagund. *lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 16. ergo valide & licite beneficium, cuius eſt adhuc titularius, reſignabit, non ſolum in ſuperioris manibus, ſed etiam in fauorem tertiæ perſonæ.

Dico ſecundò, *Non tantum in manibus Papæ, ſed & ordinariorum, poſſe accuſatum de cri-* D *mine, ſuum eiurare beneficium licite ac valide.* Ita Flamin. loco ante citato.

Ratio eſt, quod renunciatio ſeu beneficij ceſſio, ab eo acceptari poſſit ac recipi, cuius eſt iure ordinario eiuſdem collatio: ſed Epiſcopalis officij pars non eſt vltima, beneficia adminiſtranda dignis tribuere, male nominatos ac improbos ab eorum, Eccleſiæque regimine repellere: ergo, &c. & eiurantium ceſſiones in alterius gratiam approbare & recipere.

Dico tertiò, *Non modo ante litem conteſta-* E *tam, ſed diſcuſſa cauſa, ac concluſa necdum tamen per ſententiam latam ad exitum deducta, reo fas eſſe beneficio ſuo alterius cauſa cedere.* Nititur hæc opinio Pontificis Romani ſanctione & neceſſaria ratione, extat Innocent. III. *decretalis dudum de elect.* 55. Vti ait beneficio quemque ſuo poſſe cedere ante pronunciatam ſententiam. *Tandem*, inquit, *cum non reſtaret niſi proferenda ſententia idem tam iuri (ſi quod ei competere videbatur) quàm liti ceſſit ſpontanea voluntate, cuius ceſſione, duximus admittendam*, viden' vt poſt conteſtatam litē, poſt expenſa cauſæ merita Archidiaconi de quo

quo ibi erat quæſtio, factam reſignationem Pontifex recipit cum nil reſtaret (inquit canon) quam ſententia? Quid clarius expreſſiuſque pro noſtra ſententia ab eo afferri poterat? quare Flamin. & Rebuff. & alij ante à nobis citati, hac Pontificia reſponſione, tanquam tutiſſimo ſe clypeo proteguntvt pudere eos oporteat, qui aut Innocentium præ ſe nihil in hac materia vidiſſe exiſtimant, aut ſi putant ab eo tamen illos recedere, nõ pudet. Pugnemus ratione. Quamlibet peccet beneficiatus grauiter, non eſt tamen beneficio ſuo tituloque priuatus, niſi poſt ſententiam: ergo ea non prolata iure ſe ſuo ad illud, in Pontificis manibus abdicare, tertij cauſa valide ac ſine culpæ formidine poterit.

Idem dicendum, quando illico poſt latam, reus appellat ad Apoſtolos.

Ratio eſt, quod appellatio cauſam ſuſpendat ad eumq; ſtatũ reducat, in quo erat, antequam ſententiam iudex diceret, ſed tunc reſignare in fauorem reus poterat: ergo & poſt latam, ita Flam. *lib. 3. q. 16. num.* 17. Amplia (inquit) tertio etiamſi lata ſit, *ſententia priuationis contra inquiſitum, vt ſi appellauit ſententia non obſtante poſſit renuntiare beneficio de Roſſin. tract. de benefic. cap. 20. num. 6. vbi referri ita iudicatum fuiſſe in Senatu Pariſ. Rebuff. in praxi de modis amittendi benef. num. 52. vbi atteſtatur ita obtinuiſſe Epiſcopum Vticenſ. in magno conſil.* Hæc ille.

Quid ſi interim dum agitatur accuſati iudicium, eius ſibi beneficium à Pontifice Clericus aliquis impetret? Eſt hic nodus diſtinctione adhibita diſſoluendus. Aut illud impetranti ſeruari vult Pontifex, dum vacauerit aut necdum vacans tribuit: ſi vltimum, eſt eius collatio infirma, vtpote rei non vacantis, & quæ poſſeſſori ſuo, ſine ſententia, iuſte non poteſt eripi.

Si primum, hoc eſt, ſi quod à Pontifice decretum emanauit, præcipit vt cum primum beneficium à reo fuerit ob commiſſam noxam abiudicatum, conferatur in eum qui illud ab eo exorauit, rata quidem futura eſt hæc iuſſio, reſcriptum ratum, quia tali mandato, ſic illud iuri ſuo ac auctoritati addixit ſibique vni prærogauit, vt de eo diſponere, nulli ſit ordinariorum integrum, erit itaque impetranti dandum.

Nobis tamen, qui Concordatorum lege viuimus, ſecus eſt ſentiendum, ac dicendum, nam mandatis iſtiuſmodi præmaturis ac prærogatoriis nullus eſt locus in Gallia, niſi reſpectu Patronorum, quos Eccleſiaſticos nominant, eos enim, vt eſt in Concordatis, Pontificia certo numero mandata, pro beneficiorum numero ad quæ nominant, grauare eſt certũ. Quæro ergo exẽpli cauſa cui de Clericis, ſuum de eius beneficio qui capitalem cauſam dicit, conferendo in

A eum qui petiit mandatum dirigit? Delegato à ſe iudici? At id ibi in Concord. *rubrica de cauſis*, licere noluit, cum, *omnes cauſas exceptis maioribus apud illos iudices in partibus qui de iure aut conſuetudine præſcripta, illarum cognitionem habent terminari & finiri iuſſerit.*

Fac hanc ergo eum prouinciam nulli dare, ſed per ſeipſum quando reus damnatus erit, eius ſacerdotium conferre ei qui petiit.

Nec hoc illum ſimiliter poſſe, petita ex Concordatis ratio indicat. Nam per ea ſunt

B reſeruationes & expectatiuæ gratiæ ſublatæ omnes, ergo & beneficij poſtulati, antequam poſſeſſore vacuum foret, donatio. Cum enim hæc ſit Ordinarij collatoris actio propria, eam ne exerceat impediri nequit, niſi quia eam Pontifex ſibi retinuit, iuriſque eſſe ſui voluit, quod ipſum nec forum Gallicum nec Concord. recipiunt *rubrica de reſeruationibus.*

QVÆSTIO XXXIV.

C *An reſignatio à Clerico criminis quidem delato ſed nondum conuicto, ac comperto, facta valeat, ſi ſit beneficio iam impetrato à Papa per alium.*

Exempli cauſa, Qui in carcerem ob vim illatam homini, reus auctoritate iudicis coniectus erat, fama narrante comperit, quendam ſibi de nomine tantum cognitum, ſuum à Pontif. impetraſſe ſacerdotium, ea re commotus ſpem eius fruendi omnem ho-

D mini eripere ſtatuit, amicum deligit in quem ius omne ſuum reſignando in eius fauorem tranſmittit, quæritur an dum de cauſa ſua diſceptatur, facere id reus licite poſſit ac valide.

Cum rem ſuam, negotiaque facere, cuique liceat, non video cur vlli culpæ dari queat, ſi beneficium ſibi ab eo qui poteſt, dari poſcat, quod ſibi vtile ac perhonorificum fore putat.

Deinde ſi eſt ea petitio vitioſa ac turpis, aueo de aduerſariis intelligere quamobrem? quouſque, & quadantenus? forte quia ambire

E honores Eccleſiæ, non vacat ſuſpicione arrogantiæ? At eorum amore capi vt his tua te ſedulitas meritaque dignum reddant, virtutis eſt inter morales nõ extremæ. An quia opes in beneficiis quærere, indeque cauſam popularis auræ vel famæ conſequendæ in populo, ſibi corrogare probroſum eſt ac turpe? ſed alior ſum flectere animum, Deumque ac eius gloriam, qui criminoſi beneficium ſibi à Pontif. poſtulat, habere pro fine poteſt, quo quid glorioſius?

An quia dum agitatur adhuc accuſationis iu-

diciũ nó vacat? At prope eſt vt vacet, quæ autẽ in procinctu ſunt vt fiant aut ſunt facta, inter ſe, teſtimonio Marcelli *lege qui pœnæ digeſt. de ma.* ſunt paria, quid ergo mirandum ſi quæ mox futura eſt condemnatio pro iam facta habeatur? Vnde illinc deducta argumentatione colligi poteſt, non minus ante conſtitutum de crimine accuſati iudicium, ante teſtes ſibi, ipſique reo altrinſecus commiſſos, ante latam ſententiam, licere Pontifici eius beneficium qui prope eſt à damnato, perinde dare ac ſi iam damnatoria tabula ab eodem plane ſecluſus eſſet: facit ad hanc rem commune iuris axioma, quo non ſecus cenſetur, iudicaturque de eo, quod tantillo abeſt tempore, atque de eo quod eſt præſens, quare cum parum pro nihilo reputetur, eius beneficia qui capitis necdum eſt damnatus, ſed prope eſt vt damnetur tam conferre valide Papa poterit, quam quæ vacant tam facto, quam iure.

Quæ ſi ſunt vera, dicta eſt cauſa, facta beneficii à Põtifice impetrati reſignatio per reum, rata, non eſt ac valida. Quid ita vero? Nempe quia eſt reſignatio iuris ſui ceſſio, eiuſque non impediti in alium libera tranſlatio. At beneficij per Papam collatio facta impetranti, facultatem antiquo eius poſſeſſori omnem adimit de eo diſponendi in cuiuſquam gratiam. Eſt enim hæc Pontificia collatio, vt minimum prædicti beneficij reſeruatio, ei qui obtinuit poſt criminoſi obitum cõferendi: ergo cum beneficia quæ ſibi reſeruata Pontifex voluit, cuiuſquam non ſint arbitrio, iurique obnoxia, quæ reus dum iudicio ſuo finis non eſt adhuc per ſententiam impoſitus, in tertij cuiuſpiam gratiam reſignando faciet, valida non erunt firmaque.

Quid ſi inter moras criminoſus diem ſuum obeat? quid ſi inudicatus intereat? poteſtne impetrator agere, inſtareque vt in eum, à iudice tanquam eorum criminum conſcium propter quæ ſi viueret, beneficio excideret, ſententia prodeat, qua ab eius collatione ſubmoueatur ordinarius, ipſa autem quæ per Pontificem ſibi facta eſt eius donatio, vt vacantis per culpam, valeat?

Dubitandi hæc vna eſt cauſa, quod Pontificis collatio ſit hypothetica, totaque pendens ab euentu futuræ ſententiæ, non peccabit ergo contra iuſtitiam qui à Pontif. eſt ea lege adeptus criminoſi beneficium, ſi eo per ſententiam excluſus eſſet.

Verum enim cum defuncti manes laceſſere inhumanum ſit ac turpe, cum eius oſſa refodere vt in patroni ore ſe tuẽtis cẽſeantur reuiuiſcere, charitatis nõ ſit Chriſtianæ, auctor nulli eſſem, vt morte extinctum crimen reuocaret in lucem, cum bona quam virtutem, beneficia præſtet amittere, quam

A in mortuos humanitatem.

Nam quod de Ordinario affertur, non probo. Cum ſit certum, quod de beneficio alicui erogando Pontifex ſtatuit, etſi tum ex cauſa aliqua effectu careat, tamen quia illud cenſetur auctoritati ſuæ iurique tali collatione addixiſſe, de illo nulli arbitratu ſuo ſtatuendi, ius eſt reliquum.

QVÆSTIO XXXV.

B *An Irregularis renunciare beneficio ſuo licitè poſſit & validè.*

SVpponendum eſt irregularem peccare quidem cum de nouo beneficium recipit quod ſacrorum ordinum functionem exigit, eſſe tamen eius collationem validam. Ita Suar. *tomo 5. de cenſur. diſp. 40. ſect. 2. num. 34. 35. & 36.* Innoc. *in caput noſti de conceſſ. præb.* Leſſius *lib. 2. de iuſtit. cap. 34. dub. 22. nu. 116.* Peccat quidem, quia vltro ſe, ſalutemque ſuam in diſcrimen peccandi prope certum vocat, nam abire à præcepto Eccleſiæ, C abeunti eſt piaculare: ergo & illi, qui eius ſe rei periculo obiicit. Facit id vero, quiſquis à ſuorum ordinum ſubmotus vſu, beneficio donari ſe ſinit, quo rite ac canonice defungi ſine eorum miniſterio non poteſt, vel enim ab his, eorumque exercitio ſibi temperabit, vt lex canonica præcipit, vel contra quàm imperat, his in ſubiectæ ſibi plebis commodum operam dabit. Si primum, non faciet officium, ac quod eſt cuique pro virili ſua vitandum, ſubditis ſuis daturus eſt hac omiſſione ſcandalum, ſi alterum, contra Eccleſiæ, quæ irregulari vſum ſacrorum ordinum D prohibet, præceptum committet. Eſt ergo ab irregulari beneficij Eccleſiaſtici, quod vſum exigit ordinum, interdicta receptio.

Erit tamen valida. Primo, quia irregulares, quà tales, beneficij non ſunt incapaces, cum illud retinere valeant & poſſint: ergo cum per irregularitatem non magis fiant receptionis incapaces, quàm retentionis, vt eſt hæc rata, ac valida, ita quoque eſt futura E beneficij acceptatio.

Secundo, cum irregularitas nulla ſit cuius expreſſa non habeatur in can. mentio, *cap. is qui de ſentent. excomm. in 6.* ita nec ei effectus tribui vllus debet, cuius non ſit auctor Pontifex. At talem vllum aliquem in corpore iuris extare nego, qualem ſibi hic aduerſarij, nobiſque fingunt: recipere ergo beneficium irregulari non eſt vetitum.

Contraria tamen ſententia, vt communior, ita eſt in foro externo ſecurior, nempe non eſſe irregulares beneficia admittentes ſine crimine, iiſdemque factam de illis collationem,

collationem inanem eſſe ac nullam, quam tuentur, Nauar. *Enchirid. cap. 27. nu. 249.* Flamin. *de reſign. lib. 4. q. 3. lib. 5. q. item 3. nu. 181.* & alij apud illos magno numero, Fagund. *lib. 5. cap. 2. nu. 22.*

Dico iam ergo, Poſſe irregularem beneficium ſuum in Papæ manibus deponere, conferendum alteri quem deſignat per Procuratorem aut ſeipſum. Eſt hæc concluſio explicata his verbis à Fagunde loco proximè citato: *Poteſt irregularis licitè & validè beneficium renunciare in fauorem tertiæ perſonæ, etiam poſt ſententiam priuatoriam iſtius, ſi ab ea fuit legitimè appellatum.* Probatur autem hoc modo.

Cum reſignatio ſit iuris ſui ceſſio, poteſt hæc ab eo penes quem eſt tale ius fieri validè, niſi ſit canonica lege prohibitus eam facere. At eſt irregularis eius beneficij iure quam optimo dominus ac poſſeſſor, quod ſibi eſt à Pontifice, aut ordinario collatum legitime: ergo ſi illud à ſe per ceſſionem voluntariã abiudicet, erit hæc abiudicatio, ceſſioque valida.

QVÆSTIO XXXVI.

An ſua reſignare beneficia beneficiarijs omnibus ſit permiſſum.

NEquaquam, primo enim id facere lege canonum nulli licet, ſine ſuperioris licentia, facta aliter ſecundum Syluest. *verbo renunciatio q. 3.* reſignatio eſt nulla, ſecundum Couarr. primo *variar. cap. 5. num. 6.* irritanda, quod *cap. quod in dubijs de renunc.* habeatur, eum qui ſuperiore non conſulto, beneficio renunciat, dignum videri cui auferatur per iudicis ſententiam, quod indicat, eum priuatum necdum eſſe ſed priuandum.

Superioris autem nomine, non eſt intelligendus alius, quam qui immediate reſignanti præſidet, vt eſt Epiſcopus reſpectu Parochi aut canonici, *cap. admonet de renunciat.* Electores & Patroni, ſi beneficium de eorum ſit genere numeroque, quæ non niſi ſuffragantium calculo Patronique voluntate obtinentur.

Secundò, Reſignare nequit, qui Parochiale beneficium etiam titulo Vicariæ perpetuæ, aliudue Curatum vacans per obitum à ſede Apoſtolica obtinuit præuio examine, Diœceſani ac teſtium fide de idoneitate, & præſtito iuramento, & etiam fideiuſſione de ſe infra certum, & tunc expreſſum tempus, ad locum beneficij ſe conferendi, & ibi per ſeipſum curam exercendo reſidendi. Pius quartus in Bulla quæ in Laertij bullario eſt *87. Inter multiplices*, ſecus facienti pœnæ ſunt à Pont. Pio IV. impoſitæ duæ, excõmunicatio Papæ, eidem ac ſucceſſoribus reſeruata, eius benefi. ac aliorum omnium quæ poſſidet priuatio, cum inhabilitate ad ipſa in poſterum obtinenda, quæ ipſo facto vacare, & diſpoſitioni ſedis Apoſtolicæ reſeruata eſſe cenſentur. Manantque pœnæ hæ duæ ad eos, qui ad id conſilio auxilioque illum iuuerint, aut auctoritate ac gratia apud Superiorem proſequuti fuerint, qua de conſtitutione legi poterunt Pariſius *de reſign. lib. 3. q. 2.* & Filliuc. *tract. 15. num. 167.*

Tertio, Reſignare nequit, qui ſacris eſt initiatus ordinibus, niſi tria vota in Religione profeſſurus, aut aliunde ei facultatum tantum ſuppetat, quantum eſt ad vitam neceſſe. Pius V. in Bulla *58.* quæ incipit. *Quanta.*

Quarto, reſignare eodem prohibente Pontifice nequeunt, qui facto prætexere ſuo vnam de cauſis quæ continentur his verſibus non poſſunt. Debilis, ignarus, male conſcius, irregularis,

Quem mala plebs odit, dans ſcandala, cedere poſſit.

Nam cũ Patronis ac ordinarijs collatoribus Pius licere nolit reſignationes admittere, quæ ab vna quapiam de cauſis quas Doctores eo diſticho ſunt complexi, originem nõ habent, beneficiarijs quoque ne facerent, pro auctoritate interdictum voluit.

Factæ aliter quam Pius ſanxit, iure ipſo, factoque ſunt nullæ, eos autẽ qui recipiunt; ac auctoritate ſua approbant, vult eſſe ſuſpenſos à collatione, præſentatione, electione, confirmatione, in qua deliquerunt, prout cuique competit, donec à Papa eius abſolutionem conſequi per ſe aut alios meruerint, par quoque pœna ac ſimilis prouiſos de ijs beneficijs eiuſdem Pii voluntate afficit, maior autem conferentes, quos cum ſingulares ſint perſonæ, excommunicationem ipſo facto à ſolo Papa ſoluendam incurrere voluit, ſi Collegium aut vniuerſitates, ſuſpenſionem à diuinis.

Ab vtraque tamen hac pœna excuſat ignorantia antecedens & probabilis. Nauar. teſte *conſil. 9. de renunc. n. 2.* maximè in foro conſcientiæ, nam de externo certi quid ſtatuere non eſt facile, in eo tamen excuſationi quoque ab ignorantia inculpata locum eſſe Theſaurus aſſerit *parte 2. praxis verbo reſignatio 2. limitatione 3.* & ita Epiſcopum à ſuſpenſione eſſe liberum, ſi beneficium conſanguineo reſignantis, quem talem eſſe ignorat, pro iure ſuo conferat.

Quarto, Parochialis Eccleſia quemadmodum & beneficia quæ reſidentiam poſtulant, reſignari nequeunt niſi quinquennio integro, vel circiter, id eſt aliquot menſibus plus aut minus, poſſeſſa fuerint. Garzias *par. 11. cap. 3. num. 44.* Theſaur. ſupra, *verbo reſignatio cap. 6. ſub finem*, nec ita pridem hoc eſt anno 1658.

aut non multo ſecus, coercendæ Parochorum auaritiæ, ac leuitati animi, D. Illuſtriſſimo de Sourdis Burdegal. Archiepiſcopo id poſtulante, vetare Curiæ placuit, ne cuiquam in poſterum fas foret, Parochia in alterius gratiam cedere, quam non annis aliquot rexiſſet.

A

QVÆSTIO XXXVII.

An Procurator cui reſignans ius liberam eſſe voluit, nominandi quem vellet ſibi in beneficio ſucceſſorem eſſe, ſeipſum offerre Ordinario valeat.

B

NOn poſſe Iuriſperitorum vera eſt, certaque reſponſio, Bartoli *in leg. plane dig. quod quiſque vniu. nomin.* Baldi *in leg. ſi is cui Cod. de furt.* Decii *in cap. licet de elect.* Theſauri *parte 2. prax. verb. ambitus num. 11.* & probatur.

Contra voluntatem reſignantis facta reſignatio non eſt rata, eiuſmodi eſt in qua ſeipſum procurator de beneficio inſtituendum Ordinario nominat. Enimuero eum ſibi reſignans in hoc reſignationis negotio ideo ſubrogat, vt aliquem qui beneficio ſuo ſit dignus, ſuo nomine ac loco Ordinario offerat, qui illud amodo, cum auctoritate regat eum ergo reſignans tacite vult ab eius poſſeſſione excluſum eſſe, alioqui quid eum procuratorem dicere eſſet neceſſe?

C

Sane ſi ſibi hunc ille in beneficii regimine voluiſſet ſuccedere, dixiſſet clare, nam quid cum vetabat, mentem tum ſuam eloqui? quid vulgare palam quas habebat anteceptas animo, de ſucceſſore ſuo ideas? Procuratorem eſſe ſibi voluit, vt eius induſtria ſuppleret, in quærendo reſignatario quod poſſe per ſe facere reſignans non ſperabat, eum ergo ſibi ſucceſſorem eſſe noluit, ſed alium, abiret ergo à reſignantis voluntate procurator, ſi ſe eius reſignatarium eſſe vellet.

D

Confirm. idem eſſe nequit nominatus & nominans, ſicut nec electus & eligens *cap. qualiter de elect.* dans & recipiens, *cap. vlt. de inſtitut.* inſtituens & inſtitutus *cap. per noſtras 26. de iure patronat.* ergo nec procurator & reſignatarius, ſimul eſſe quis poteſt, eſt enim procurator nominans, cum eius ſint hæ partes ex multis idoneum aliquem eligere qui beneficio pro reſignante præſit, quod cum iſte facere niſi annuente Epiſcopo non poſſit, nominatus dici poteſt, quæ tamen, duæ in vnum eundemque qualitates cadere eodem tempore cum nequeant, qui eſt cuiuſpiam ad reſignandum procurator, eiuſdem eſſe non poteſt reſignatarius, factaque ei ab Epiſcopo per ipſummet reſignati ſibi beneficii collatio nulla foret, vtpote quæ formæ ceſſionis, & cedentis voluntati ſit contraria.

E

EPITOME TRACTATVS
de Reſignatione.

EST reſignatio abdicatio iuris proprij quod quis habet in beneficio, & quaſi reſtitutio in manibus Superioris qui eius conferendi poteſtatem habet. De reſignatione loquuntur alij hoc modo.

CAPVT I.

Quid ſit Reſignatio & quotuplex.

EST reſignatio, beneficij ſui remiſſio ſpontanea, ex certa cauſa, & cum Superioris ſui auctoritate, ac conſenſu facta in alterius gratiam. Eius duæ ſunt ſpecies, expreſſa & tacita, illa verbis fit aperte nominatimque conceptis, altera latenter, & occulta quadam interpretatione iuris, ſic qui acceptauit beneficium, quod tenere cum primo nequit, iſti renunciaſſe eſt cenſendus, *cap. de multa 28. de præb. cap. gratiam de reſcript. in 6. Clement. gratiæ eod. tit. in clement.* ita qui in ſacerdotem promoueri ſe intra tempus lege conſtitutum non facit, beneficio quod ad ſui functionem legitimam ac ratam, presbyteratus ordinem poſtulat, tacite renunciat, cum idem virtute agat ac tacite, quod qui palam & apertè diceret, Parochiam ſe nolle.

Eſt autem expreſſa iterum duplex, ſimplex, ſeu pura, & conditionata. Simplex eſt, quæ fit coram ordinario collatore, ſine pacto aut die. Conditionata, ſeu modificata, quæ fit cum conditione & pacto. Eiuſque eiurationis hypotheticæ, quatuor ſunt ſpecies, quædam enim fit in fauorem certæ perſonæ, *& non alias nec alio modo*, quædam cum reſeruatione penſionis conſtituendæ in beneficio reſignato, aut perſona illud acceptante *cap. niſi eſſent de præb.* Tertia fit cum poteſtate regreſſus, quarta ex cauſa permutationis *nec alteri, nec alias, nec aliter.* Accidit reſignatio cum regreſſu, cum reſignans, ſibi poteſtatem vult fieri redeundi ad beneficium, ſi reſignatarius promiſſa non faciat, aut reſignanti præmoriatur, Rebuff. *de reſign. condit. à num. 14. ad 23.* quæ tamen reſignationis forma reiicitur in Gallia, ſicut in Concil. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 7.* eo quod hæreditariæ ſucceſſionis ſpeciem habeat, quæ *ſacris conſtitutionibus eſt odioſa, & Patrum decretis contraria,* Trident. ſupra.

eſt tamen hæc reſignatio cum ea penſionis onere facta valida cum ſit in manibus Papæ, non Epiſcopi, cum quæ canonibus ſunt aduerſa probare nequeat, aut in iis, inconſulta Romana Eccleſia diſpenſare, vt taceret, ſi beneficia, parte redituum altera imminuta, dare poſſet penſionis nomine cui liberet, quod ei tamen decreta Pontificum licere nolunt *in tit. vt beneficia ſine diminutione dentur.*

Dixi cum penſionis onere. Quia factam in fauorem, cum clauſula, *nec alias nec aliter,* ab eo admitti poſſe, Boërius aliique non pauci cenſent, eo quod repudiata in totum ea conditione, ius collator ordinarius habeat, in quemcunque voluerit, ſic reſignatum Sacerdotium conferendi.

CAP. II.

De conditionibus neceſſariis ad reſignationem.

Iam verò in omni reſignatoria eiuratione, danda eſt in primis opera, vt ſit ſpontanea & irreuocabilis, *cap. ſuper hoc, & cap. in præſentia 6. de renunc.* in priori enim Clem. III. ait *eius qui ſpontaneam renunciationem negat, probationes admittendas eſſe*, in altero autem audiendum non videri, *de cuius renunciatione ſpontanea, per quaſdam Epiſcoporum & confeſſionem ipſius conſtabat*, renunciantibus enim non datur regreſſus, eo quod, iure ſe ſuo ſic reſignando abdicant, vt nullum eis amplius in beneficium ſit reliquum, *l. ege poſtquam liti Cod. de pact.*

Secundo ad voluntatem renunciantis, adiici cauſa debet, eaque iuſta, *cap. literas tuas 1. de renunciat.* quia vt ſcribit Alexand. III. ad Louden Epiſcop. *Indecens probatur prius ſoluere militiæ cingulum, quam cedat victori aduerſitas præliorum, & ſi pernicioſum eſt prorſus tam in tranquillitate nauim deſerere, quanto magis in fluctibus*. Nicol. Papa Humfrido Morinenſ. Eccl. Epiſc. vt refertur a Grat. *7. q. 1. can. ſciſcitatis 47.*

Tertio, quia vbi metus, viſque voluntati infertur, perfecta non eſt libertas, ideo non eſt reſignatio, quæ à metu habet originem, valida, quia vt reſpondit Alexand. III. in decretali quæ incipit, *cum locum de ſponſalib. conſenſus locum non habet, vbi metus vel coactio intercedit.* At ſine eiurantis conſenſu, eiuratio non perficitur, quare cum eodem Pontifice teſte *in cap. Abbas eod. tit. Quæ metu, & vi fiunt, debent de iure in irritum reuocari*, non erit reſignatio metu facta irreuocabiliter valida, multo minus ſi vis interceſſerit ac coactio, quia terrore, minis, ac violentia, quempiam ad quidpiam omittendum aut agendum cogere, eſt ei iniuriam facere, ex ea autem ius aliquod in beneficium reſignatum exiſtere poſſe quis putet?

Cum autem violentiam audis, caue de abſoluta intelligas, quam Ariſtot. *in 3. Ethicor. cap. 1.* violentum abſolutè nominat, ſed de inducente ſeu conditionata coactione, quæ tum accidit, cum voluntas propter timorem quarundam rerum, & propter alia quædam, nonnulla eligit quibus ſublatis eadem nollet, cum abſoluta in voluntatem eiuſque actum cadere nequeat, quandoquidem in eo eſt eſſentia talis actus, vt ſit voluntarius, hoc eſt à voluntate elicitus, cum voluntario autem, hoc eſt quod à voluntate eſt promptum, coactum eſſe non poteſt.

Et quoniam nihil eſt ſpontaneum, ſeu voluntarium, quod non ſit ſimul à ſciente factum, eſt à furioſo aut amente beneficii reſignati facta reſignatio, quo tempore ſui non erat compos, nulla, *7. qu. 1. can. quamuis 14.* vbi ex Gregor. *lib. 11. epiſtolar. epiſt. 7.* ad Eutherium, oſtenditur, loco Epiſcopi, ordinario eo recuſante alium poſſe neminem. *Sed ſi ægritudinis interualla habere eſt ſolitus, ipſe data petitione, non ſe vlterius ad hoc miniſterium intellectum habere, nec ad alia officia ſubuertente infirmitate, poſſe fateatur aſſurgere.* Ratio eſt, quod inſani reſignatio non ſit voluntaria ac libera, vtpote qui talis voluntatis non ſit particeps, ex *can. ſi quis inſaniens 15. q. 1. & Clem. ſi furioſus de homic.*

Quarto, fraus & dolus à reſignatione abeſſe debent, qui ad eam, eſt harum rerum aliqua inductus, iudicis auctoritate beneficio reddi ſuo poterit, quod hæc ſit vnica iniuriæ, quæ eſt illi per fraudem irrogata, tollendæ ratio.

Quinto fieri reſignatio cum ſuperioris facultate iure moreque communi debet, nam cum Clericus in poſſeſſionem templi venit, eiuſque curam ſuſcipit, illi ſe alligat, vincitque ſancto quodam nexu, nam eius adminiſtrandi, regendique legem ſibi dicit, à qua eximi niſi venia a ſuperiore ante impetrata, non poteſt, *cap. literas 1. de renunc.* quod enim ibi de Epiſcop. Pontifex ſtatuit, dictum de beneficiatis omnibus par eſt intelligere, quæ enim ratio Epiſcopum non patitur, cura ſemel Epiſcopatus ſuſcepta, citra Papæ auctoritatem, conſecutamque ab eodem id agendi licentiam, eo defungi, valet etiam in beneficiato quolibet, quæro enim exempli cauſa, cur Epiſcopo abire magiſtratu ſuo, id eſt Epiſcopatu, inconſulto Pontifice non licet? opinor, quia ſacra quædam eum inter, & Eccleſiam cui præeſt, intercedit vnio coniugali non abſimilis, quam ab eo abrumpi ac diſſolui ſine Papæ facultate nefas, quod interea dum illo paſtore eſſet vidua, pateret hoſtium iniuriis quod non

Si

oportet, at facit contra Presbyteros dignitate Epiſcopo minores hæc ratio, nam eius intereſt ſcire quæ beneficia vacent vt illa intra ſex menſes ei ad conferendum conſtitutos, tribuat *cap. 2 de conceſsione præbend.* ſecundo, vt illa digno cuipiam ſacerdoti commendet, interim dum eis à quibus ſunt deſerta, alios ſubroget, Eccleſiaſticæ functionis, obeundique ſacrati muneris gratia, ergo vt Epiſcopi iniuſſu Papæ beneficio ſuo decedere nequeũt, ita nec Presbyteri ſacerdotiis poſſeſſis ſine Epiſcopi ſui commeatu, *cap. admonet 4. de renunc.*

Sexto, tam beneficia reſignanda, quam reſignata conferri prohibentur niſi ſeruatis quæ in conſtitutione Pij V. requiruntur, nempe vt *Epiſcopi & alij facultatem habentes, eorum duntaxat reſignationes recipere & admittere poſſint, qui aut ſenio confecti, aut valetudinarij, aut corpore impediti, vel vitiati, aut criminis obnoxij, cenſuriſque Eccleſiaſticis impediti, aut nequeunt, aut non debent Eccleſiæ vel beneficio inſeruire, ſeu qui vnum aliud, vel plura beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud* C *contigerit promoueri, religionem quoque ingreſſuri, vel matrimonium contracturi*, quas reſignandi beneficii iuſtas cauſas complexus eſt Pio antiquior Innoc. III. in decretali *niſi cum pridem 10. de renunc.* ſummulæ his verſibus,

Debilis, ignarus, male conſcius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans ſcandala, cedere poſſit.

Eſt ad renunciationem neceſſaria inſuper hæc conditio, vt apertis verbis fiat, non D obſcuris & ambiguis eam ob cauſam in *cap. veniens 13. & cap. ſanè 7. de renunc.* dicitur, quod qui canonicorum ac aduerſarii miſericordiæ ſubiicere ſe dixerat, quantum eſt ſatis, beneficium eiuraſſe ſuum cenſeri non poterat, & proinde ipſum in fratrem & canonicum, vt ante admitti oportere à cæteris, eo quod non eſſent hæ voces, eius menti de renunciatione ſacræ rei hactenus à ſe poſſeſſæ, exprimendæ ſatis idoneæ.

Septimo, Non eſt reſignatio valida fraude facta, quia ab eo penes quem eſt fori Eccleſiaſtici ſumma auctoritas, reſcindi poteſt. E

Octauo, Beneficii eiuratio, ab eo qui annum ætatis 25. necdum attigit eſt nulla, quia poteſt reddi irrita, eo quod per eiuſmodi hominem geſta, non ſint perpetua: quare ſi volet beneficio minoris ætatis vti, in antiquum ſuum ſtatum factâ ſibi de eiurato Sacerdotio reſtitutione, eiuſdem auctoritate iudicis in illud quaſi poſtliminio reuocabitur, modo tamen ante triennium, de irrogata ſibi iniuria queri in tribunali Eccleſiaſtico audeat, nam conceptæ poſt id tempus A querelæ omnes, ſunt ad effectum cuius cauſa vſurpari illæ ſunt ſolitæ, inutiles, vtpote quæ elapſo triennio præſcriptionem, à qua canonicis legibus poſſeſſioni triennali vis accedit, impedire nequeant, de ætatis ergo impedimento, minor recuperandi beneficij quo ceſſit alteri, appetens, proteſtabitur coram quo eſt neceſſe, velle ſe, cum occaſio opportuna ſe dederit, redire in rem ſuam.

At enim (inquies) in beneficialibus cauſiſque id genus ſpiritualibus ac ſacris, beneficiati habentur pro maioribus, vt eſt in *cap. finali de iudicijs in 6.* ſpes ergo eis eſt omnis B reditus ad beneficium præcluſa.

Neganda eſt conſequentia, quod enim minor, maior cenſeatur in re beneficiaria, priuilegium eſt, quod in eius præiudicium noxamque retorqueri non decet, in cuius eſt fauorem bonumque traditum, iuxta *regulam 61. de regul. iuris in 6.* in qua eſt, *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum.*

CAP. III.

Reprobantur reſignationes, quæ, & quales;

QVæ ergo ab earum cauſarum aliqua, originem beneficii ceſſio non habet, vt à iure aliena, Pontifici non probatur. Similiter nec quæ fit cum pacto, aut promiſſione pecuniæ *cap. ſuper hoc 5. de renunc. cap. cum pridem de pactis, cap. ad quæſtiones de rerum permutat. cap. extremo de pact.* item quæ vi extrinſecus illata fit, & non ſponte, reprobatur, *in Clementina multorum de pœnis*, & ſi incarceratione beneficiatus ad illam cogitur, tam qui facit, quam qui fieri procurat, in excommunicationem incurrit, *can. ſi quis, 17. q. 4. & cap. nuper de ſentent. excomm.* incurrit inſuper procurans, ſi ſit prælatus, ſuſpenſionẽ triennii à perceptione fructuum ſuæ Eccleſiæ. inferior autem eſt ipſo facto priuatus beneficiis iam obtentis, *Clement. multorum de pœnis cap. 2. Reſignationes autem beneficiorum modo ſupradicto extortæ, licet à reſignantium ipſorum prælatis receptæ, aut rata habita fuerint, nullius omnino ſunt firmitatis*, hoc eſt vt explicat Theſaur. *2. par. prax. Eccleſiaſt. verbo reſignatio cap 3.* eo ipſo ſunt nullæ, quod ipſum vt declarent, locorum ordinariis iniungitur, *Poſtquam eis conſtiterit, aliquos ſibi ſubiectos pœnam & ſententiam incurriſſe, quam & executioni debitæ prout ad eos pertinuerit, demãdare iubentur, Clem. de pœnis 2.* has tamen pœnas præter (excommunicationem) non ſubeunt alij, quam qui laici, & ex illis hi ſoli, qui auctoritate publica ſunt vſi, vt beneficiatus compingeretur in carcerem, Theſaur. ſupra *verbo nota primo.*

Quarto

Quarto reprobatur ceſſio, quæ fit Epiſcoporum nepotibus ac conſanguineis per fallacem circuitum, aut eorundem Epiſcoporum hortatu, deſignatione & precibus: Ita Pius V. *in conſtitut. citata* his verbis: *Interdicimus ne ipſi Epiſcopi, aut alij collatores de beneficijs & officijs reſignandis prædictis, aut ſuis, aut admittentium conſanguineis, affinibus, vel familiaribus etiam per fallacem circuitum, multiplicatarum in extraneos collationum audeant prouidere, quod ſi ſecus, ac etiam quidquid præter, vel contra formam prædictorum fuerit à quocunque temerè attentatum, id totum ex nunc vires & effectum decernimus non habere.* A B

CAPVT IV.

Effectus renunciationis qui & quales?

RESignationis effectus primus, eſt perfecta & totalis perditio iuris quod habebatur ad beneficium, eiuſque fructus, *ca. ex transmiſſa 3. de renunciat. cap. in præſentia 6. & cap. poſt tranſlationem 11. eod. tit.* quare renuncianti ad idem beneficium non datur regreſſus, niſi per collationem noui iuris, aut antiqui reſtitutionem, Sylu. *verbo renunciatio q. 5.* Nouum ius tribuitur per electionem *cap. 2.* aut ordinarij collationem, vt ſi mortuo beneficiario qui reſignauit eligatur, aut iterum à collatore beneficio vacanti præponatur. Ius antiquum reſtituitur ipſo iure in quatuor caſibus. C

Primus eſt, Cum quis beneficio renunciauit, vt illud haberet, quod poſtea à Papa collatum eſſe, tam rumore ipſo quam facto didicit, tunc enim beneficium repetere ſuum debet, alias vtroque priuabitur *de præbend. in 6. cap. ſi beneficio 20. parag. ne talis ignorantia.* D

Secundus eſt, cum quis cum conditione reſignat, ea lege, vt poſt eius mortem cui beneficium ſuum reſignat, reuertendi ad illud poteſtatem habeat, quæ reſignatio à ſolo Papa admittitur, nec ſine magna, eaque rara cauſa ex Trident. *ſeſſ. vltima ca. 7. de reformat.*

Tertius eſt, cum reſignatio fit permutationis gratia: nam ſi hæc effectu caruerit, vtrique reuertendi ad beneficium ſuum facultas eſt à iure *de rerum permutat. cap. vniuerſorum 5. & Clement. vnica eod. titulo.* E

Quartus, cum beneficium ea conditione tribuitur, vt detur certæ perſonæ nec alteri, nec aliter, nam ſi ei negabitur, in eius poſſeſſione reſignãs morabitur, Rebuff. *de renunc. n. 146.* maximè ſi necdum eſt collatũ. Quod ſi erit, iudicis auctoritas ad vitandas lites implorabitur, qui communiter eſt Epiſcopus vel ſuperior, Reginal. *lib. 31. nu. 338.*

CAP. V.

Quis ſit Superior, cuius eſt ad renunciandum neceſſaria auctoritas?

TAlis vulgo non eſt alius, quam qui beneficium renunciare volenti contulit, apud quem illud ipſum debet per ceſſionem aut renunciationem deponere, *6. q. 3. can. denique 18. q. 2. can. Abbas*, cum ad eum deſtitutio pertineat, cuius eſt inſtituere, *cap. cum ex iniuncto de hæreticis cap. 1. de capellis Monach.* vbi eſt his verbis ab Vrbano 3. pronunciatum *ex ipſius Epiſcopi arbitrio, tam ordinatio eius* (puta capellani qui populum in Cœnobitarum domibus regit) *quam depoſitio, & totius vitæ conuerſatio pendeat.*

Si tamen alius ab Epiſcopo per præſcriptionem beneficium conferret, etſi adeundus hic pro collatione foret, non tamen pro eiuſdem deſtitutione, ſi deſtituere ſolitus non eſſet, quia amplius non cenſetur præſcriptum quam eſt poſſeſſum, *cap. cum in tua de decimis cap. extremo de officio Archid. cap. auditis 15. cap. cum olim 18. de præſcription.* At ex hypotheſi non fuit collator vnquam in vſu deſtituendi, ergo alius eius eſt cauſa conueniendus qui poſſit. Tales ſunt iure communi Papa & Epiſcopus, hic quidem reſpectu beneficiorum ſuæ Diœceſis *16. q. 7. can. nullus cap. conquerente de officiis ordinar. cap. ex frequentibus de inſtitutionib.* Abbas reſpectu eorum, quorum conferendorum facultatem ſibi per præſcriptionem acquiſiuit *de renunciat. cap. cum olim frater 18.* Papa reſpectu maiorum, cuiuſmodi ſunt Epiſcopatus & cœnobia, tam virorum quam mulierum, Leo in *Concord. rubrica de collationib.*

Praxis fori Gallici circa Reſignationes.

FActa beneficij reſignatio, iure communi reſignantem eius poſſeſſione, iureque in illud omni ſic ſpoliat, vt eius iterata poſſeſſio illi ſit interdicta, ſine noua ſuperioris collatione. *De conſuetudine tamen regni Franciæ non petitur nec requiritur noua collatio*, inquit Rebuff. *1. par. praxis rubrica de permutat. num. 12. quando quis redit ad ſuum beneficium*, eo quod conditio cum qua reſignatio eſt facta, non fuit impleta, *& ſtylus Franciæ fuit allegatus & ſecundum eum iudicatum anno 1525. die 2. Maij, ideoque poterit etiam agere poſſeſſorio is qui redit ad ſuum beneficium, etiam antequam redierit vt ſemper vidi ſeruari.*

Et ſi à die ſummationis non reſtituatur compermutanti ſuum beneficium, condemnabitur ad reſtituendum fructus à die requiſitionis ſibi fa-

cta. Idem *in tract. de pacif. poſſeſſor. numero* 145.

Secundo, Olim in Gallia reſignatio mortis cauſa facta non erat rata, ſi reſignans conualeſceret, Louetus in *arreſt. ver. beneficium,* Fontanonius *tomo 4. decretor. regior. tit. de Simonia,* vbi memorat Henrici II. auctoritate Parochum ſuo beneficio reſtitutum eſſe, quod fati imminentis metu Vicario ſuo, Ordinario non improbante, reſignauerat cuius praxis erat hæc ratio, quod hypothetica donatio conditione non extante quæ ei eſt addita, inanis ſit, ac non implenda, eiuſmodi autem eſſe reſignationem cauſa mortis factam, nemo non intelliget, qui ſciet, eam ex communi interpretatione Gallorum, vſuque habere hunc ſenſum, reſigno, ſi ſpiritum efflauero, ſi vixero, non reſigno: quare cum mortis cogitatio, reſignationi det cauſam, ea non ſecuta, reſignatio erat nulla, Tourn. *lit. R. verbo reſignatio nu.* 169.

Hoc tempore Regis Ludouic. XIII. de anno 38 omnis eſt ad beneficium interdicta reſignanti ex quacunque cauſa regreſſio, *Nous, ſans deroger à la regle de publicandis, en cas que le Reſignant meure apres le temps de ladite regle ou poſſeſſion du benefice, voulons & ordonnons qu'apres la reſignation & demiſſion pure & ſimple faite entre les mains de l'Ordinaire, & par luy admiſe, le reſignant demeure entierement priué du Benefice, & qu'il n'y puiſſe rentrer ſans nouuelles prouiſions, ſoit que ladite reſignation ait eſté faite en maladie ou autrement, ordin. art.* 20. quod olim non ſeruatum eſſe indicant quæ ſcriptores noſtri de Rege, vſuque fori memorant, eius nimirum imperio Semellium quendam genere Gallum profeſſione Presbyterum, ſtatu Vicarium, beneficiis omnibus abire iuſſum, quæ à Parocho cui tùm in procuranda Parœcia Vicariam nauabat operam, imminente in diſceſſum anima mortiſque cauſa (vt aiunt) per ceſſionem in Ordinarij manibus factam acceperat, Petr. du Clos *in annotatation. ad Flaminium de reſignat. lib.* 1. *q.* 13.

Tertio, Gregor. XIII. voluntate certum eſt tẽpus quo beneficiũ ſibi reſignatũ, etiam cauſa permutationis factæ in manibus Papæ, & ſuper eis prouiſiones, vel mandata de prouidendo publicare, reſignatarium ſit neceſſe, & quidem ſi beneficium ſit intra montes, ante ſex menſes exactos à data conceſſionis gratiæ, non autem à die præſtiti conſenſus numerandos, vltra vero mõtes intra nouem, Greg. in Bulla 85. quæ incipit *Humano,* Pius V. in 58. cui initium *Quanta.*

In Francia tempus olim nullum erat, quo viuente reſignante, reſignati ſibi beneficij poſſeſſionem, reſignatarium capeſſere eſſet neceſſe: ita Petr. Guenois *lib. collationum regiarum* 1. *titulo de Archiep. & Epiſcop. littera*

A *M.* de Ruffignac. *tract. de beneficijs titulo* 12. *num.* 26. *Quandiu viuit eiurator, (inquit iſte auctor) nullo alioqui accipiendæ poſſeſſionis præfinito, certoque tempore circunſcribitur, itaque ſuperſtite reſignante, nulla ei pertimeſcenda eſt moratio, vel temporis in tempus protractio.*

Eſt iſtiuſmodi conſuetudinis cauſa, his verbis à P. du Clos expreſſa, in commentariis ad Flamin. *lib.* 1. *q.* 7. *num.* 14. *In Gallia, cum ibidem conſtitutio ipſa, de modo & forma publicandi reſignationes, & iurium ceſſiones adhuc promulgata non ſit, ſed regula* 34. *Cancellariæ* B *Apoſtolicæ de publicandis reſignationibus, & in Curia Parlamenti Pariſ. regiſtrata fuerit, ac ideo tanquam lex Regni ſeruetur, viuente reſignante, tempus ad beneficij reſignati adipiſcendam poſſeſſionem, reſignatario non eſt præſcriptum.*

Quare communis erat olim Aduocatorum opinio ſufficere reſignatario ſi antequam diem ſuum reſignans obiret, poſſeſſionem reſignati ſibi beneficij capeſſeret, P. Greg. *inſtitutionum iuris lib.* 1. *tit.* 28. *cap.* 4. *littera N. Regula,* inquit, *Cancellar.* 34. *in Gallia non* C *ſeruatur, vbi ſufficit publicari reſignationem, & poſſeſſionem adipiſci ante mortem reſignantis ex conſuetudine.* Rebuff. *ad parag. Monaſterijs de regia ad præl. nominat.* ergo vt iure ſibi per reſignationem acquiſito reſignatario frui fas eſſet, ſufficere hoc inter cætera videbatur, quod ante triennium à reſignatione ſibi facta exactum, beneficij ſibi reſignati poſſeſſionem iniſſet, vt ſciunt, qui hanc fori tunc regnique praxim fuiſſe intelligunt, traditque P. Guenois fuiſſe ſuo tempore ſatis, ſi pridie eius diei quo reſignans diem ſuum obierat, D reſignatarius in rem ſibi reſignatam veniſſet. His tamen modo moribus in foro viuere, & facere non licet, ſanxit enim fœlicis recordationis Ludouicus XIII. anno 1638. reſignationi vim fore nullam, niſi biduo ante reſignantis obitum, reſignatarius reſignati ſibi beneficij poſſeſſionem caperet, ſic tamen vt bidui ad hanc rem præſcripti interuallum, diem mortis, captæ poſſeſſionis, diſcuſſionis factæ aut faciendæ prouiſionum, ac earum regiſtrationis non comprehenderet: *Declarons nulles & de nul effect & valeur, les reſignatiõs pures & ſimples en faueur, & pour cauſe* E *de permutation qui ſerõt cy apres faites en Cour de Rome, en la Legation ou pardeuant les Ordinaires, ſi les reſignataires ou permutãs pourueus par le Pape ayans differé leur priſe de poſſeſſion plus de ſix mois, ne prennent ladite poſſeſſion, & icelle font controller & enregiſtrer au plus tard deux iours auparauant le decés du reſignant, ſans que le iour de la priſe de poſſeſſion, controlle & enregiſtrement d'icelle, & celuy de la mort du reſignant ſoient compris dans ledit temps de deux iours, & à faute de ce, voulons leſdits benefices eſtre declarez comme par ce preſent Edit nous*

nous les declarons vacans par la mort du reſignant, ita Ludouic. *in edicto de reſignat. anno 1638. art. 17. & 19.*

Quarto, ſubrogatus à Romano Pontif. in ius & poſſeſſionem reſignantis ſine noua apprehenſione efficitur eius poſſeſſor, vt habet *Gloſſa in reg. Cancell. 27.* Felin. *in rubr. de reſcript. In regno tamen Franciæ ſolet ſubrogatus nouam accipere poſſeßionem, quando non erat antea poſſeſſor.* Rebuff. *tomo 3. commentarior. in ordinat. regias, in proœmio tract. de mater. poſſeſſ. num. 108. & in parag. declarantes demandat. Apoſtol. in concord.* alioqui (inquit) non B audiretur ſuper poſſeſſorio, quia poſſeſſio non apprehenſa in alium transferri non ſolet, ſi tamen reſignans in cuius demortui locum eſt hic à Pontif. ſubſtitutus, fuiſſet in beneficij ſibi reſignati poſſeſſione quamuis non pacifica, quia nimirum ſuper ea, tituloque, lis erat ei ab aduerſario intentata, hæc eius poſſeſſio, ſubrogato prodeſſet, dum modo eam ipſe apprehenderet Rebuff. ſupra *num. 109.*

Sunt & alia duo in hac materia ſeruanda in C Gallia. Primum, quod literæ Pontificiæ quibus eſt aliquis mortuo reſignatario ſubrogatus intra annum & diem, oſtendantur Iudici corã quo lis eſt mota defuncto dum viueret, & qui adhuc cauſæ dirimendæ præeſt, Imbert. *in praxi ciuili & crimin. cap. 32. de except.* Alterum, quod cum his aliæ obtineantur à Rege, quas intra annum & diem à publicatione obtenti beneficij, manifeſtari eidẽ iudici cõuenit, quia eo exacto moribus noſtris, vis earum nulla in iudicio eſt futura, Papon. *lib. Notarior. 10. cap. de literis in re ciuili contingentib.* quæ quoniam dantur Magiſtratui D vt auctoritate regis fretus, ius cuique ſuum reddat, ideoque ſubrogatum à Pontifice audiat, non videntur improbandæ, niſi qua parte ab Epiſcopis, eorũque Officialibus, contra Concilior. ac Pontificum decreta, ad Laïcos eorumque tribunalia ſpirituales cauſæ diſceptandæ transferuntur, quid enim aliud ſonant hæ voces, quibus ad magiſtratus reſcripta regia cõcipi ſolent in hac materia. *Parquoy vous mandons, & pource que ledit procés eſt pendant & indecis pardeuant nous, expreſſement enioignons, que leſdites parties comparans en noſtre dite Cour, ou Procureurs pour elles, s'il vous appert de ce que dit eſt, meſmes du* E *procés pendant pardeuant vous, pour raiſon de ladite Cure, ou autre Benefice, entre tel & tel, & que ledit expoſant ait eſté pourueu au lieu de feu tel, & prins poſſeſſion, ou de tant que ſuffire doint, vous audit cas ſubrogez ledit expoſant, lequel nous voulons par vous eſtre ſubrogé par ces preſentes au lieu & droict de feu tel, & ſoy aider deſdites procedures & actes faits audit procés, &c.* Ita Guenois *ad cap. 32. praxis ciuilis Imberti ex ſtylo Theſauri Cancellar. Gal-* A *licæ lib. 1.* Carondas *lib. 8. reſponſ. cap. 6.*

Porro quod de anno, intra quem tam à Pontifice quam Rege peti facultas debet iuris ſibi vindicandi quo nitebatur mortuus, ſui in eius locum, nomina, iuraque ſubrogatione canonica ac ciuili, de anno debet intelligi, cui fiat initium à die captæ poſſeſſionis per eum qui iuri ſui reſignantis, litique inter eum, ac alium quempiam pendenti ſubrogari poſtulat, Imbertus in Enchir. *litera S. verbo ſubrogation doit eſtre demandée dedans l'an.*

Quinto, Nemo ambigit remanere penes B eum beneficij reſignati dominium, qui cum in fauorem tertij addita ceſſioni clauſula *nec alias, nec alteri, nec aliter* illud eidem conferendum, in Pontificis manibus reſignaſſet, illi ipſi tamen cuius cauſa ab eo facta eſt reſignatio, non eſt traditum, Rebuff. *in praxi titulo de reſignat. condition. num. 14. & ſeq.* Flamin. *lib. 1. de reſign. q. 3.*

Secus tamen nonnunquam accidit in Gallia, exemplum peti debet à Regalia quam à conditione reſignationi appoſita non impediri, docent Ruzæus de iure Regalior. & P. C Gregor. *de inſtitut. rei benefic. cap. 28.* his verbis: *Si beneficium quod eſt iuris regaliæ renuncietur in fauorem alicuius, ſpreto, nec habito conſenſu vel auctoritate Regis, ſtatim vacat poſt renunciationem*, quod eſt Rebuffi quoque admonitum *ad parag. 1. de regia ad prælatar. nominat. ad verba per ceſſionem in Concord.*

Ratio eſt, quod quæ beneficia aperta Regalia vacant in Gallia, iuris ſint regij, & poſſunt à Rege conferri cui placuerit, Ruzæus *de iure regaliæ*, P. Gregor. *loco citato num. 10.* nam hæc eorundem ceſſione, poſſeſſore ſunt vacua, quid eſt enim vacare? nec facto nec D iure poſſideri ab homine, facit id reſignatio ſeu ceſſio, quæ in bonis ac fortunis accidere tunc dicitur, quando ea, eorumque poſſeſſionem relinquimus alteri, *Cod. qui bonis cedere poſſunt lib. 7. tit. 71.* quæ ei ſignificatio communis eſt cum verbis renunciandi & reſignandĩ *in cap. quidam cedendi de renunc. & in Clement. vnica eod. titulo*: ergo cum beneficia tempore regaliæ vacantia, dari à Rege poſſint, poterunt & quæ ſine eius facultate, cum hæc eſt aperta, eo non aſſentiente reſignantur.

Sexto, Minori, iure communi fas eſſe ſcrip- E tores aiunt, beneficij à ſe reſignati reſtitutionem petere, cum quicquid ante 25. annos expletos tutore agit non approbante, ſit eius auctoritate reuocabile.

Quo eum beneficio gaudere in Gallia, Forgetus negat *in tract. de penſionib. num. 28.* maximè ſi ſuo ſe beneficio, alterius commodo gratiaque, ex cauſa permutationis abdicauerit, & inter beneficium acquiſitum hoc modo, & relictum, iuſta ſit in fructibus auctoritate Pontificis conſtituta æqualitas, penſio-

nis ei per illum attributæ ope, quæ eſt etiam Fabricij opinio *rubric. de penſionib. litera C. ad margin.*

Ratio eſt, quod in cauſis ſpiritualibus, pro maiore minor haberi ſoleat, *cap. finali de iudicijs in 6.* ſintque omnia ab ea geſta quæ ad beneficia, eorumque adminiſtrationem ſpectant, in vtroque foro rata, quia in beneficialibus minor, perinde ac maior admittitur & agit, & conuenitur, *cap. ex literis de reſtit. ſpoliator.* factaque metu à minore reſignatio reſcinditur in Gallia, P. Gregor. *in inſtitut. rei benef. cap 31. num. 7.* Papon. *lib. 3. tit. 11. placito 1.*

Septimo, Etſi Reſignatio in ordinariorum manu facta, conditionem olim in Gallia priſco vſu fori reciperet, quâ non ſecutâ, reſignans ſine noua collatione ad beneficium à ſe reſignatum redibat, quo de reſignationum genere eſt, quod qui ex duobus beneficiis poſſeſſis canonicè, primum reſignabat, ſeruaret ſecundum, nam ſi poſtea ex cauſa iuſta aliqua eum inde deturbari caſus ferret, iſtiuſque, hoc eſt ſecundi poſſeſſione deiici, primum ei repetere, contemplatione ſecundi non reſignati, ſine noua collatione fas erat, quia tum communis omnium ſenſus erat, ea lege & conditione beneficio primo ſuo reſignantẽ cedere ſi ſecundum ſeruaret, qua conditione non ſecuta, reſignatio cenſebatur in Gallia inanis & inualida, quia qui ſub conditione rem tradit alteri, eam, ſi prædicta conditio non impletur non perdit, *lege ſi ſine 34. lege qui abſenti 38. parag. ſi quis de acquirenda poſſ.*

Secus tamen hoc tempore ſentiendum nobis eſt ac loquendum, Ludouici enim XIII. decreto, *articulo edicti de beneficijs 20.* iſtum ſibi ad beneficia reditum, ex quacunque cauſa prætexere nulli licet. *Voulons qu'apres la reſignation, & demiſſion pure & ſimple faite entre les mains de l'Ordinaire & par luy admiſe: & quant aux reſignations faites en faueur, ſi le reſignataire y a conſenti expreſſement ou tacitement, le reſignant demeurera pareillement priué de ſon droict, & n'y pourra rentrer ſans nouuelles prouiſions.*

Octauo, Habet praxis Gallici fori, vt hæc verba procuratoriis ad reſignandum literis adiecta, *vel alias quouis modo,* ad reſignantis obitum, ac vacationem beneficij eius occaſionem ortam non ſe extendant, quia eſt talis clauſula reſignationi accidentaria, nec eius cauſa codicillo procuratorio inſerta, ſed quia ita fert conſuetudo moſque impetrantium opera Bancariorum, a Sancta ſede beneficiũ, quod ſi eſt earum vocum vis aliqua in libello ſupplici ad Papam ſuper reſignatione admittẽda dato, non alia ſanè quã quæ ſe ad ſimiles caſus extendit, vt cum beneficium per incapacitatem renunciantis, aut eius matrimo-

A nium vacat, & non eius obitum, quia eſt hic caſus renunciationi per omnia diſſimilis, & ideo hac loquendi forma non incluſus, *vel alias quouis modo.*

Nono, eſt pactio de regreſſu ad beneficium culpabilis, vtpote Simoniaca infecta labe.

Fuit illi tamen olim locus in Gallia, cum promiſſam à ſe penſionem, ac à Pontif. approbatam, reſignanti pendere reſignatarius abnueret Papon. *lib. 2. titulo 8. placito 20.* tum enim maximè valere Pragmatici illud axio-
B. ma fori exiſtimabant. *Aut redde aut ſolue,* quam Gallici fori praxim, de beneficio curiæ imperio abdicando à reſignatario, ſi nummariam penſitationem quotannis dependendam titulo pactæ penſionis non exolueret, agnouit Gigas *de penſionib. q. 99.* Flaminius *lib. 6. de reſign. q. 3. num. 1. 2. & 3.* Choppin. *lib. de polit.*

Olim dixi, nam hoc tempore, *In Francia,* inquit Flamin. *lib. 6. de reſignat. q. 2. num. 17. non admitti regreſſus ob non ſolutionem penſionis atteſtantur,* Gigas *reſp. 46.* Rebuff. *de pacific. poſſ. num. 129* Gregor. *ſyntag. iuris lib.*
C *17. cap. 17. n. 30.* Flam. *loco proxime cit. n. 17.* quia ſunt in Gallia regreſſus ſublati, nõ ſecus ac reſeruationes cæteræ P. du Clos *ad q. 3. lib. 3. Flaminij de reſign. nu. 1.* Exceptis his duntaxat quæ ſunt clauſæ in corpore iuris, aut quæ fiunt in Prouincia & Britannia, vbi eas vigere idem qui ſupra. Du Clos aſſerit.

Decimo, Quæ beneficia canonicè poſſidentur, eorum quoque eſt permiſſa reſignatio: dantur tamen aliqua in Gallia, quæ à poſſeſſore eorundem poſſeſſione gratuita in alterius gratiam, tranſire nequeunt. Eius generis Canonicatus ſunt quidam, qui quoniam
D certis dantur hominibus, quos habituatos nominant, aut certè quia aſſiduæ cantandi functioni, vti glebæ ſunt aſcripti, dicuntur ab eo munere *Aſſiſij,* quos reſignari non poſſe, ſine conſenſu Capituli communis eſt fori miniſtrorum opinio, de quo quoque Senatorum interueniſſe iudicium ſcribunt Chenuius *titulo 1. cap. 15.* Papon. *lib. 1. tit. 3.* Bleyan. *de reliquis ſtipendijs Eccleſ. num. 16. & litera F. ad margin.* prohibitionis eſt hæc cauſa, quod
E Capitulo, & miniſtris Eccleſiæ, eſſet hæc reſignatio iniurioſa, & grauis: Miniſtris quidem, quia cum talia loca, ac ſemipræbendæ iis ſunt affectæ, quaſi merces operæ ab iis in Dei cultu à iuuentute collocatæ, iis per reſignationem factam aliis priuari non poſſunt contra fundatorum voluntatem ac mentem. Capitulo autem, quia cum reſignatio in manibus Papæ aut Ordinarij fieri debeat, per eam priuarentur Canonici iure quod habent à fundatoris voluntate, conferendi præbendas eiuſmodi dignis è Clero, atque ad præſtandum officium idoneis.

Vndecimo,

Vndecimò, quod indignum ſit perſona, quam in Eccleſia Clerici ſuſtinent, eos ad vilia ſeruorum opera, aut alienam liberalitatē emendicandā abiicere, ex eo enim vt dicitur *in can. Diaconi diſt. 93.* deſpicitur ſacerdotale officiū, dū oppreſſi inopia Clerici, eo putantur ſua culpa ipſi, ideo vetuere Patres in ſacra Trident. Synodo *ſeſſ. 21. cap. de reform. 2.* ne quis ſacris initiaretur ordinibus, quem paupertas ſic vrgeret, vt ex beneficij ſacris prouentibus, aut prophanis ex patrimonio, non haberet commeatus ad vitam, neceſſarios, ordinato autem integrum eſſe noluere, id reſignare beneficium, cum quo ſacro eſſet charactere à ſuo inſignitus Antiſtite, niſi facta mentione quod ad illius titulum promotus eſſet, Ordinario autem poteſtatem ademptam voluere, admittendæ ceſſionis in alterius factæ gratiam, niſi eidem, fide teſtium vnius aut plurium, ante conſtiterit, ei ſuppetere aliunde, vnde viuere queat omnino non maligne ac ieiune, Trident. *ſeſſ. 21. cap. 2.* nam cum Clerico ad vitam decentemque eius ſtatum requiſita non deſunt, ceſſat canonum de mendicitate ab eo fugienda ratio; ergo & prohibitio, *cap. cum ceſſante cauſa 60. de appell.*

Eſt tamen hæc optimorum Patrum conſultiſſima ſanctio, contrario ſublata vſu in Gallia, vbi ſi fides eſt Gallis ſcriptoribus, Clerico cuilibet eſt impunè, ſua gratis aut cum onere dare cuilibet, tam beneficia, quam quæ patrimonij nomine bona poſſidet, opinionis huius meæ Auctores habeo Frerotum *in additionib.* ad Guenois *in lib. 1. collation. regiar. titulo 3. parag. 54.* Fernandum *lib. 4. cap. 3. art. 3. num. 13.* vbi ait ab appellationum ciuilium Iudice apud Tholoſates id probatum eſſe, vt regni legibus conforme. Dixere idem Maynard. *lib. 7. cap. 83. num. 5.* Robert. *rerum iudicatar. lib. 3. cap. 2. ſub finem*, his verbis: *Quis neſcit corrupto hoc ſæculo veteres illas Eccleſiæ regulas in deſuetudinem abyſſe, & beneficiorum non minus licitas eſſe quam temporalis patrimonij alienationes, permutationes & reſignationes. Neque vero eſt quod diſtinguamus, an qui titulum reſignat aliunde ad alimenta reditus habeat.* Hæc ille.

Huius conſuetudinis in mores noſtros inuehendæ cauſæ fuere multæ, prima, quod Clericus ſatis ſit diues, quem perpetua morum vitæque probitas ſpectabilem reddit.

Secunda, quod in Gallia, vt eſt Francorum vniuerſa natio ad pietatem diuorumque cultum, ſi quæ alia, orbe toto propenſa, deeſſe Sacerdoti non poſſit, quod ad vſum vitæ ſufficiat. Quotus quiſque enim eſt de Sacerdotibus Lutetiæ verſantibus, qui quotidie ſacro litatorio Deum alteri non propitiet mercede laboris certa? & tamen habere ea vrbs dicitur ad quina minimum Sacerdotum mil-

A lia, graue ergo aliis oppidis non eſt futurum, paucis, cum hæc eorum vtentur opera, diaria numerare ſtipendia, ac proinde cum metus ſit nullus, ne quis ea deſtitutus Eccleſia, ad quam eſt promotus, manum ad ſtipem porrigat, eius in alterius gratiam reſignandæ, poteſtatem eſſe Clericis, in Gallia quid mirandum?

Duodecimò, Reſignatio beneficij facta per Simoniam, ſic iure Pontificio eſt irrita; vt nullo vnquam tempore conualeſcat, eſt enim reſignatio, iuris ſui in beneficium ceſ- B ſio, quale tamen Simoniacus nullum vnquam habuit, hanc tamen valere in Gallia, qui de eius moribus, forique vſu ſcripſere commentarios, memorant. Enimuero cum Simoniacus decennali poſſeſſione eorum, iudicio, ſenſuque iuuetur in Gallia, peræque ac triēnali poſſeſſione pacifica cum colorato titulo quilibet bonæ fidei poſſeſſor, nō eſt dubiū (inquiūt) quin eo exacto tēpore, poſſit ſimoniacus ſi velit, in Papæ aut Ordinarij manibus, beneficio ſuo in tertij cuiuſpiam fauorē & gratiā cedere, quod non eſt communi iuri cōforme, eo quod præſcriptioni cum mala fi- C de, (qualis eſt Simoniaci) nūquā ſit locus. Eſſe autem in Gallia docent, Fabricius *tract. vlt. de complurib. alijs benefic. num. 57. ad margin.* Petr. Guenois *in annotationib. ad Ioann. Imbertum lib. 3. cap. 22.* Papon. *lib. 3. tit. 12. art. 1. in fine*, Petrus du Clos *in annotat. ad Flamin. lib. de reſign. 1. q. 3. num. 9.* vbi ſic ſcribit, *Sciendum eſt in Gallia, eum qui Simoniace beneficium eſt aſſecutus, licet decreto de pacificis poſſeſſoribus tueri ſe nequeat, decennali tamen poſſeſſione iuuari poſſe, ſicque iudicatum fuiſſe*, refert Carondas *parte 2. Pandectar. iuris Gallici lib. 2. cap. 9. fol. 99. cuius rei rationem, nos hanc eſſe* D *exiſtimamus, quod ex poſſeſſione tanti temporis titulus canonicus, & ſic poſſeſſio iuſta & legitima præſumatur*, quod à quoquam, cui ſua ſalus ac virtus ſit curæ, admitti poſſe non credo, quod Simoniaca collatio iure ſic ſit nulla, vt temporis tractu corroborari nequeat, nec proinde facta beneficij ſimoniace acquiſiti reſignatio per collatarium, eſt vllo modo valida.

Decimo tertio, non valet in Gallia facta beneficij reſignatio, cum reſeruatione omnium fructuum Brodæus ad Louetum *litera* E *P. art. 31.* Rebuff. *rubrica de reſeruationibus tam generalibus quam ſpecialibus num. 13.* & nouiſſimè Ludouicus XIII. in edicto, de beneficiis eorumque reſignationibus articul. 18. his verbis: *Pource qu'afin de perpetuer les Benefices dans les familles, on a introduit vne autre fraude, qui eſt de reſeruer au reſignant des penſions qui égalent ou excedent la valeur des fruicts, &c. Nous ſans deroger aux Arreſts de nos Cours, & Vſage obſerué en noſtre Royaume de reduire les penſions au tiers du reuenu des Be-*

fices, en faueur de ceux qui en ſont pourueus: Auons declaré & declarons nulles, comme Simoniaques, toutes reſerues, creations, & omologations, qui ſeront cy apres faites & obtenues deſdites penſions ſur les fruicts des Benefices, ſi elles excedent la moitié des fruicts.

Cauſæ ita decernendi fuere duæ, Prima, quod ſeparari à reditibus titulos non oporteat, ne peccetur in decretalem *vt beneficia ſine diminutione dentur.*

Altera quod qui altari ſeruit, de altari quoque alimenta capere oporteat, ſecundum Apoſtolum, quod tamen non facit, qui beneficium ſine re, ac prouentibus vacuum habet.

Decimo quartò, Sunt reſignationes in fauorem cuiuſpiam conceptæ, cum clauſula nec alias, nec alteri nec aliter eiuſmodi, vt non niſi à Romano Pontifice poſſint admitti, ſecundum Flam. *li.1. de reſign. q.2. n. 8.* Leſſ. *de reſign.* Et tamen ſi fides eſt Probo *de regalib. q.34. n.1.* factas cũ hac hypotheſi ex conſuetudine recipit vtiliter ac validè Rex Chriſtianiſſimus, cũ Regalia in aliquo ſe Epiſcopatu aperuit, quod etſi ſit contra communem Doctorum ſenſum, quia tamen cõſuetudo rationabilis & præſcripta vim legis habet, *cap. finali de conſtit.* ſitque præſens de hoc numero, cum eius neſciatur initium, nec ſit improbabile, Regem, qui nihil niſi conſulto agit ac prudenter, eius moris iuſtas habere cauſas, non poteſt hic non eſſe rationabilis.

Decimo quinto, lege Regni cuius auctor eſt Ludou. XIII. anno 1638. eſſe reſignatio valida non poteſt, rataque, ſi Pontificis de ea admiſſas literas poſt reſignantis obitum, Procuratori Bancarij datas eſſe conſtiterit, aut poſt ſemeſtre, à procuratorio ad reſignandum in vrbem miſſo. Sic enim ille *art.16.* eius edicti quod eſt eius imperio promulgatum in curia anno 1638 *Voulons que les prouiſions par reſignation qui auront eſté expediées, & deliurées au correſpondant du Banquier à Rome apres la mort du reſignant, & plus de ſix mois apres le iour de l'ennoy, ſoient declarées, comme dés à preſent nous les declarons nulles, & de nul effet & valeur.*

Decimo ſextò, eſt item eiuſdem Ludou. decreto *art.15.* nulla in Gallia reſignatio, cuius faciendæ poteſtas Notariorum exarata manu, literiſque commiſſa, quas procuratorium appellant, non eſt à cognitore fori beneficiarij diſcuſſa, ac à Nummulario, quem Banquietium vocitant, relata in acta publica, antequam è Francia mitteretur in vrbem: *Ne receuront leſdits Banquiers aucunes procurations ny autres actes ſubiects à controlle, & ne les enuoyeront en Cour de Rome, s'il ne leur appareiſt qu'ils ont eſté controllez & enregiſtrez à peine de nullité, & de deux mille liures d'amende.*

Decimo ſeptimò, Cum aperta eſt Regalia admittit Rex in Gallia reſignationes hypotheticas in fauorem, adhibita hac ſolita clauſula, *Nec aliter, nec alias, nec alio modo,* Probus *de Regal. qu. 34. num. 1.* Forgetus *tract. de Regal. nu. 15.* Carondas *libr. Reſponſ. 10. cap. 3.* Chenutius ad Papon. *lib. 2. tit. 3. art. 2.* Fabric. *in Theor. titulo de pertinentib. ad laicor. & aliorum diſpoſition.* Omnibus vna eademque ita ſentiendi cauſa. Nempe quod eius ſit reſignationem beneficij admittere, cuius & conferre. At Beneficia quæ per Regaliam vacant, cum ſunt ſimplicia, conferri à Rege ſolent pleno iure: poteſt ergo & eorum ceſſiones admittere, de quo extare quoque Curiæ præiudicium, quod in annum 1601. incidit, tradit Forgetus loco qui ſupra.

Eſſe id tamen iuri communi oppoſitum, proindeque regni priuilegium, patere hinc puto, quod vt eſt in *cap. nulla 2.* dari beneficia nequeant antequam vacent. At quæ reſignantur cum clauſula, *Nec alias, nec alteri, nec aliter,* aut purè *in fauorem* antequam conferantur non vacant: ea ergo cum conditione in reſignatione poſita admittere, iure communi non eſt Regi licitum, id ergo facere ſine crimine, eius quoddam eſt priuilegium. Quod autem ſit ea reſignatio hypothetica ac conditionalis, res ipſa indicat, nam non aliter abdicare ſe ſuo beneficio reſignans videtur velle, quam ſub ea conditione, ſi is in cuius fauorem facta eſt reſignatio, non modo prouiſionem canonicam obtineat, ſed & beneficio ipſo cum effectu, & fructuum, poſſeſſioniſque commodo gaudeat: cum has ergo non alius, quam Pontifex admittere ſoleat, id Rex Gallus ſi faxit, priuilegio dandum erit eius proprio, non facultati quæ originem ſuam iuri canonico debeat.

DISPVTATIO

DISPVTATIO DECIMA
DE PERMVTATIONE.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit? & quarum rerum ſit in materia beneficiali permiſſa permutatio?

EST Permutatio, *ex conceſſione ſuperioris, rei certæ pro altera, Vicaria præſtatio.* Hoſtienſ. *in ſumma.*

Rei nomine beneficia intelligi volo, quæ ſola permutari poſſunt, Rebuff. *de permut. num. 23. & 24. in praxi*: quare ius ad illa, cum iure in re non eſt cõmutabile, ius in re tamẽ licet ſit litigioſum, cum liquido permutari poteſt ex quorundam ſententia, non tamen irreuocabiliter, cum auctoritate iudicis reſcindi poſſit ad petitionem eius compermutantis qui læſus fuit.

Quid ſi permutatio, cum iure eſſe decimarum fiat, patronatus, ſepultura, aut reliquis?

Reſpond. irritam eſſe Sylu. *ver. permutatio 2. qu.* 13 Malderus *dubio* 10. *cap. 3. tract. 9.* Rebuffus *in Concordat. titulo de forma mandati*, quia ius iſtud non eſt beneficium, ob quam cauſam cum beneficio, permutationem gratiæ expectatiuæ, aut mandati inanem, ac irritam eſſe tradit.

Patet ex dictis ius ad rem, cum iure alio quod ſimiliter eſt ad rem, mutari licite non poſſe, quia ſola beneficiorum inter ſe mutatio, iure canonico eſt permiſſa, vt indicat Bonifac. *decretal. vnica titulo de rerum permutat. in 6.* nam non niſi *ſua beneficia*, Clericis ſecundum formam iuris, ipſiuſmet Papæ teſtimonio, permutare licet, at non ſunt iura ad rem, electione, præſentatione aut optione acquiſita, beneficia, non ſunt ergo de earum rerum genere, quas inuicem permutari iura ſinant.

Patet ſecundo, Expectantibus, nominatiſque à Pontifice ad futura beneficia, fas legibus Eccleſiæ non eſſe, factas ſibi ab eo gratias, auctoritate Epiſcopi commutare inuicem, quia Coadiutoriæ in beneficiorum non ſunt claſſe, ſunt hæ quidẽ Coadiutoribus Papæ benignitate, eo ſatis fũcto cui ſunt in ſubſidiũ dati, debitæ, nego tamen, quæ ſunt beneficiatorum propria, vt fructus colligere, con-A ferre, nominare, fideles regere, eos, quandiu eſt alter cuius ſunt coadiuuæ, adhuc in humanis, facere poſſe, non ſunt ergo expectatiuæ gratiæ beneficia, nec iura in re, ſed ad rem, nec proinde auctoritate Epiſcopi permutabiles.

Secundo, eſt gratia expectatiua ad Epiſcopatum hunc v.c. præbendam hanc, aut Canonicatum perſonalis, eſt ergo cum alia impermutabilis, quia perſonæ eſt facta, non cuilibet, ſed certæ, ſed iſti nominatim & non alteri: non eſt ergo in eius iure, ea in alterius B gratiam Papa non concedente, cedere.

Patet tertio, Commendas quæ ſunt perpetuæ, quales ſunt Prioratuum & Abbatiarum, Hoſpitalia, quibus eſt adiuncta Capella, ſuntque non puræ adminiſtrationes ſed beneficia, permutari cum quibuſlibet aliis poſſe auctoritate Epiſcopi, Sylu. *verbo permutatio 2. qu. 11.* Diu. Anton. *3. parte tit. 15. cap. 3. parag. 1. qu. 11.*

QVÆSTIO II.

Cuius ſit permutationes beneficiorum inter ſe admittere, ſicque eas ratas facere?

C SVperioris, cuiuſmodi eſt is omnis qui conferendi ius habet, vt Papa, Legatus à latere, in ſua prouincia, Azor. *lib. 7. cap. 19. 2. part.* Coraſ. *tract. de beneficijs*, Epiſcopus item *cap. vnico de rer. permut. in 6.* non tamen eius Vicarius: quia eius eſt renunciationem ex cauſa approbare, cuius eſt Clericum priuare beneficio: At id non facit Vicarius, Clemens *in Clement. 1. de renunciat.* Bonifac. *in cap. licet 2. de offic. Vicarij in 6. niſi ſibi ſpecialiter* D *hæc committantur*, idem ibid.

Secundo conſtat, neminem qui ſit Epiſcopo inferior, beneficiarios, de vno loco, in alium transferre poſſe, quia id munus ſolius eſſe Epiſcopi proprium, dicitur in *can. quantum 5. de rerum permutat. & cap. admonet 4. de renunciat.* At beneficiorum permutatio eſſe non poteſt, ſine tranſlatione compermutantium, & Vicarius inferior eſt Epiſcopo: licet huic ergo *ſi cauſam inſpexeris neceſſariam, licitè de vno loco ad alium transferre perſonas,* E *vt quæ vni loco minus ſunt vtiles, alibi ſe valeant vtilius exercere*, Vrban. III. *cap quaſitum 5. de rerum permutat.* impedire autem pro virili ſua, ne quis Eccleſias Diœceſis ſuæ *intrare audeat aut deſerere, aut ſe inconſulto dimittere*, Alexand. III. in *decret. admonet 4. de renunc.* non autem Vicario, ita ſi ius commune ſpectetur, in manibus Vicarij, citra facultatem ei factam à Papa aut Epiſcopo, beneficiorum permutatatio fieri non poteſt.

Tertio, Nomine ſuperioris in ordine ad A permutationem, intelligitur Capitulum, ſede vacante, *Gl. ſſ in Clement. vnica de rerum permutat.* quia Epiſcopo ſuccedit in ſua iuriſdictione, Gregor. IX. in *cap. cum olim 14. de maior & obed. & cap. vnico ne ſede vacante in 6.* maximè, cum tam à defuncto præſule, quam ſuperſtite capitulo conferri beneficium oporteat: nam ſi ad ſolum Epiſcopum eius ſpectabat collatio, de ea cogitare Capitulo eſt vetitum, *cap. cum illa deuotionis ſinceritas 2. ne ſede vacante, & cap. vnico eiuſdem tituli in 6.* pro quo Doctores faciunt, Coraſ. 1 *part. de B benefic. cap. 9.* Leſſius, Reginald. *de beneficijs.*

Quarto, ſuperioris quoque nomine, intelligendus eſt patronus, in ſententia Malderi ſupra. Nam eius conſenſus, laïci maximè, ad effectum permutationis validæ eſt neceſſarius, Gloſſ. in *Clement. de rebus Eccleſ. non alienandis*, Paponius *trium Notariorum lib. 3.* niſi ei per Pontificem ſit derogatum, quod in Gallia facere eum valdè nonpoſſe. Auctor eſt Fabricius de Bleins in *Theoria benefic. tract. de iure patronatus*, cum aliis de quibus C nos antea.

Eſt item ſecundum Azorium in 2. *part. inſtitut. moral. lib. 7. cap. 29. & 30.* & Regin. *lib. 30. cap. 24. num.* 342. ſuperior in hac permutationum materia, quiſquis de conſuetudine præſcripta, aut ſedis Apoſtolicæ priuilegio iuriſdictionem habet quaſi Epiſcopalem, & & poteſtatem ſubditis ſuis conferendi beneficia quando eſt opus vacantque.

Notare tamen hic placet, Epiſcopo ſemper cuiuſcunque beneficii permutationem promiſcue ac ſine diſcrimine admittere non eſſe integrum, ſed eorum duntaxat quorum D eſt collator, ſic enim colligitur ex *cap. vnico de rer. permut. in 6.* vbi Bonif. eorum permutationes in manibus fieri ſuis permittit, quæ *ad eius collationem ſpectant*, aut confirmationem, modo collatorum conſenſus non deſit, Sylu. *ver. permutatio 2. q. 2.* Tabiena *ver. beneficium 3. q. 14.*

Notandum 2. Eſſe qui dicant Capitulum poſſe quidem reſignationem ex cauſa permutationis admittere, etſi ei commutationi auctoritatem dare non valeat, nec perficere, ſed expectandum eſſe Epiſcopum, Sanch *tom. 1. E conſil. lib. 2. cap. 3. dub. 38.* cui ne in eo aſſentiar, impedior hac vna ratione, quod reſignationem permutationis cauſa approbare, idem eſſe videatur ac ei auctoritatem dare, ſeu illam admittere, facit primum (inquit) hic auctor, ergo & alterum.

QVÆSTIO III.

Quæ ſint ad permutationem conditiones neceſſariæ?

PRima Aſſertio, *Ad permutationem eſt id neceſſe*, primò vt vterque compermutantium, ius in beneficio quod permutat reale habeat ac pacificum, Leſſius *cap. 34. dub. 16.* Laym. *lib. 4. tract. 11. cap. 17. num. 7.* Nauar. *lib. 5. conſil. 43. num. 2.* quia dare nemo valide poteſt & efficaciter, niſi quod eſt ſuum. Deinde eſt permutatio beneficiorum quæſitorum, non quærendorum commutatio, eſſe ergo hæc debet de beneficiis quæ extent.

Tertio, de ratione permutationis eſt, vt compermutantes beneficia compermutata de Papæ, aut ordinarij conſenſu ſeruare, mutuoque retinere valeant, quod non accideret, ſi in permutatione alter duorum daret non ſuum: nam alienum retineri nequit, nec datum videtur, quod eſt reddendum.

Secunda Aſſertio, *Exigitur inſuper, vt ſi beneficia in duabus ſita ſint Diœceſibus, relinquantur earum ordinarijs conferenda compermutantibus*, Azorius *ſupra cap. 29. q. 8.* Regin. *to. 2. lib. 31. cap. 24. num. 344.* & probatur.

Primò, quia proprie, in eorum ſunt poteſtate, vt dicitur in *can. omnes baſilicæ 10. cauſa 16. q. 7.*

Secundò, quia permutatio, vim ſuam proprie à conſenſu compermutantium, ſaltem complete non accipit, ſed à ſuperioris auctoritate, *cap. quæſitum 5. capite cum olim 7. de rerum permutat.* quare præceptum eſt Bonifac. VIII. in *decret. licet 1. de rer. permutat. in 6.* *vt qui ſecundum formam iuris ſua beneficia in Diœceſi, ad collationem Epiſcopi ſpectantia permutare volunt libere ac ſine fraude ea, in manibus eius reſignent.*

Tractare tamen inter ſe permutantibus de permutatione facienda, antequam eius cauſa ſuperiorem adeant, eſt licitum, dummodo tamen de ea abſolute inuicem non tranſigant, ſed dependanter ab eius voluntate, *Clement. vn. de rerum. permutat.*

Cauſa prima eſt, quod eiuſmodi tractatus, nec tranſlationem beneficiorum habeat, nec transferendorum plenum conſenſum.

Secunda, cum finis eſt per canones, decretaque Pontificum permiſſus, quæ ad eam ſunt ordinata vti media, non ſunt vetita, ſed eſt permutatio licita, colloquiaque ſuper ea facienda, ac tractatus, iter ad eam tanquam media inter compermutantes muniunt, eſt ergo vtrumque iure illis licitum.

Concludere tamen deque re certo ſtatuenda tranſigere inter ſe abſolute nequeunt, ſed tantum hypotheticè ac ſub conditione,

ditione, ſeu facta cum hac reſeruatione, & A modo, ſi ſuperior ad quem pertinet beneficiorum collatio voluerit, Reginaldus ſupra *cap.* 24. *numero* 343. quia talis concluſio non eſt vera concluſio cum ſuſpendatur vſque ad Superioris conſenſum. Hæc ille.

Tractatus ergo eſſe inter compermutantes poteſt, non tamen eius concluſio, ſeu perfectio ante ſuperioris conſenſum, quod idem eſt ac dicere, vtrinque permutationem exequendam non videri, antequam ſuperior eius auctor extiterit ac probator. B

Quid eſt vero hunc auctorem eſſe? factæ permutationi cum conditione, ſi vellet, ſi non repugnaret aſſenſum dare, non eſt ergo antequam detur, perfecta, rataque permutatio, quia pacta quæ hypotheſim habent, non ſunt firma, niſi conditione poſita, cum qua ſunt concepta, at quæ à permutantibus inſtituta ſunt inter ſe de permutatione facienda colloquia, ſunt hypothetica, nempe ſi Papæ viſum erit, ergo eo diſſentiente non tenet.

Tertia Aſſertio, *Permutatio debet eſſe libera, cap. licet* 1. *de rerum permutat. in* 6. & de beneficio pacifico ac reali. C

Nam metu facta eſt iniuſta, quemadmodum & fraude extorta, proindeque irritanda. Quod ſi inæqualitas aliqua erit in beneficiis puta, quia eorum vnum eſt litigioſum, pacificum alterum, qui litigioſum pacifici cauſa compermutanti offert, eum extra aleam, periculique metum omnem conſtituet, reparatione damni integra, ſi quod inde naſci contigerit.

Quod autẽ Rebuff. aſſerit in *praxi par.* 1. *tr. de perm. n.* 14. *&* 15. eã interdum valere, cum beneficio ficto, ſimulante ſcil. permutantiũ altero ſe beneficium habere, quod non habet, admitti non debet, quia permutatio eſt rerum quæ veræ ſunt, & non fictæ, beneficiorum quæſitorum tantum & non quærẽdorum, hæc enim in eius Epiſcopi Diœceſi ſita vult eſſe Bonifac. *in cap. licet de rer. permut. in* 6. ad cuius collationem pertinent, ſupponit ergo ea poſſideri, non poſſidenda quæri. Caſus excipi debet in quo alteri de compermutantibus notum eſſet, cõpermutãti ſuo beneficium nullum eſſe quod reponat pro accepto, vt explicabitur poſtea. E

Quarta Aſſertio, *Debent beneficia conferri compermutantibus, aliter collatio facta non tenet*: ita Pontifex, *Clement. vn. de rerum permut. Ne conceſſione iuris vtentibus circa ſpiritualia illudatur, ſi qua beneficia ex cauſa permutationis ab aliquibus reſignata, alijs, quam ipſa permutare volentibus, conferantur, nullius hoc eſſe volumus firmitatis.*

Secundo, ad hoc ſe Ordinarius, pacto quodam tacito erga compermutantes obligat, Charondas *in memorabilibus verbo beneficium, & lib.* 1. *reſponſ. cap.* 41. at à pactis conuentis abire eaque fallere malum eſt *cap.* 1. *de pactis.*

Tertio, ſua compermutantes beneficia aliter non reſignant, quam ea lege vt ſibi mutuo dentur, fiet ergo illis iniuria ſi ſecus accidat.

Ordinario dixi, Nam cum permutantes, ius ſibi mutuo in beneficia ſua non tribuant, Hoſtienſis in *cap. ex ore, & his quæ fiunt à maiori parte*, nec hi poſſidere ea, ſine iure poſſint, ſuperioris collatio adueniat eſt neceſſe, vt ſit permutatio per quam ius datur, valida.

Probatur, beneficium non canonice poſſeſſum dimitti debet: at non poſſidetur canonicè, ſine collatione & inueſtitura, vt ante probauimus. Et verò vt iuſtè, proindeque validè, poſſideatur, eccui eſt incognitum, expectandum id eſſe, ab habente eius concedendi poteſtatem? cuiuſmodi ſunt Epiſcopus, & eo ſuperior, omnis item Prælatus qui ius conferendi habet, & amouendi Clericos à beneficio, Candid. *diſquiſ.* 18. *art.* 36. *dub.* 1.

Quinta Aſſertio, *Sunt & alia quorum abſentiâ, eſt beneficiorum permutatio illicita.*

Primum eſt, quod beneficia compermutanda in eius ordinarij manibus reſignentur, à quo conferri debent, Bonifac. *cap.* 1. *de rerum permut. in* 6.

Secundum, quod ab eo aut iis ad quos collatio pertinet, vere conferantur, *cap. inter de præb.*

Tertium, vt eorum, quorum intereſt, conſenſus habeatur, quales ſunt electores, patroni, collatores, Gloſſa *in Clement. vnica de rerum perm.* Rebuff. *in Concordata rubr. de collat. parag. volumus.* D

Quartum, quod interuenit conſenſus, permutare volentium, *cap.* 1. *de rerum permut. in* 6.

QVÆSTIO IV.

An requiratur ad permutationis validitatem vt fiat tum cauſa & Patronorum conſenſu.

Aſſertio prima, *Præter Patroni conſenſum ſi beneficium eſt ſub iure Patronatus laicorum, requiritur etiam in permutatione iuſta cauſa.*

Primam partem defendunt Panormitanus *in cap. ſignificatum de præb.* Flamin. *de reſignationib. lib.* 2. *q.* 4. *num.* 10. Paponius *trium Notariorum lib.* 3. *tit. de benefic. elect. pag.* 160. Aluynus *de poteſt. Abb. cap.* 10. *nu.* 10.

Tuentur alteram Syluest. *q.* 3. *de rerum permut.* Malderus *dub.* 10. *de ſimonia.* Requiri vero Patroni conſenſum, vt permutatio rata

ſit ac valida, vel hinc patet, quod omitti ſine A eius iniuria nequeat quum nominandi idonei viri, ad beneficium cum vacat, ius habeat. quod in permutatione quoque habere locum, argumento eſt, quod hæc firma non ſit ac ſtabilis, niſi ſuperioris indulgentia beneficia compermutata, vtrique compermutanti tribuantur. Requirit ergo permutatio (quandoquidem eſſe ſine collatione nequit) nec hæc ſine patrono, aſſenſum eius aut Pontificis derogationem, *quæ tamen non recipitur in hac patria Galliæ conſuetudinaria.* Rebuff. *de permut. num. 31.* B

Requirit inſuper permutatio iuſtam cauſam, alioqui leuitati imputanda foret, imprudentiæque permutantium, qui vt affecto corpore languidi, mali ſui leuamenta in mutatione locorum, ac cœli quærunt, qua eos ſpe, fructuque præter expectationem, qua eos ſæpe carere ſit neceſſe, nihil me in multorum conſcientia dicere eſt opus.

Sunt autẽ cauſæ admodum duæ, quibus induci, flectique Epiſcopus poteſt ad poſtulata permutantium: prima Eccleſiarum vtilitas, neceſſitas altera, vtilitas quidem, quia hanc ab iſto, quam alio regi præſtat, multarum vir C eſt opum, quas pauperum, quarum eſt in ea Parochia ſeges magna, ſubleuandæ inopiæ impendere Chriſtiane poterit. Deinde multos habet non contaminatos modo ſcelere, ſed in ouina pelle lupos, qui innocentis & religioſæ vitæ falſa opinione, & ſpecie quadam aſſimulatæ virtutis, hæreſim animo obtegunt, quos erroris ſui argui argumentis omni humana fide maioribus expedit, quod eum facere poſſe quocunque alio fortius, quia prolixa eius inſolitaque eruditio ſpem facit, cauſa eſt Epiſcopo iuſta, tam illi, quam compermutanti annuere quod poſtulat. D

Cauſa altera à neceſſitate petitur, Vt ſũt enim homines ad vitia proni, neſcio quid compermutantium alteri humanitus accidit, vnde fœda eius nomini labes eſt aſperſa, male ex eo itaque in populo audit, ſi loquitur è cathedra ridetur, ſi tacet, contemnitur, ſi poſtulanti ſolum vertere, ſi migrare domo ad aliam, vbi ignotus omnibus, Deo, ſibique notus de culpa ſua, audaci fortique dextera pœnas exigat, obſequatur Epiſcopus, ecquid quod eſt E charitatis ac officij, feciſſe laudabitur? Deinde, cui non eſt notum cœlum idem omnibus ex æquo propitium non eſſe ac vtile? leni gaudent ac ſereno aliqui, turbido ac inclementi alij, quod iſti nocet prodeſt alteri, facere ſatis vtriſque Epiſcopus poteſt, ſua eos permutare beneficia inuicem ſi ſinat, in eo quia cauſa ex eorundem valetudine petita eſt iuſta, acquieſcere non eſt illaudabile.

Quanquam quod Rebuff. eſſe neceſſe aſſerat, vocari patronos, eorundem ea de re rogari ſententiam, omnium quorum intereſt, huic Eccleſiæ iſtum præfici, illum illi, ac ſi è re eorundem, communique pop. ac ſua id eſſe dixerint, tum enimuero, Epiſcopo fas eſſe quod petunt, compermutantibus annuere, quod (inquam) id Rebuff. poſtulet non probo, nam Epiſcopum alieno id eſt Laicorum ſubeſſe iudicio in regenda Dei Eccleſia quam non decet?

Deinde illud ipſum à praxi communi Antiſtitum, quam eſt alienum? quæ me cauſa inducit vt exiſtimem, ſolius in hac re Epiſcopi ſufficere iudicium, cauſaſque inſtitutæ aut inſtituendæ permutationis inter compermutantes duas eſſe, neceſſitatem, aut alterius è permutatis templis vtilitatem, aut ipſorum compermutantium: ſpiritualis quidem, vt ſi hi vno loco commodius vacent ſuæ ſaluti quam alio, S. Thomas in 4. *diſt.* 29. *q.* 3. Syluest. proxime citatus, aut vero eorundem temporalis ac corporea, vt ſi beneficia quæ permutantur, vtrique permutantium, aut eorum alteri, ad vitam commodiorem proſint, quam ego rem tamen, non niſi raro ordinario conferenti ſpectandam eſſe, credo.

His conditionibus addendæ ſunt & iſtæ. Prima, vt compermutantium nomina & cognomina, in literis permutationis exprimantur, alias eſſet incerta, ideoque non valeret, Rebuff. de *permutat. num.* 5. nomen tamen interdum ſolum exprimitur vt in Cardinalibus, qui ſignificantur & diſtinguuntur ab aliis tam nomine ſuo proprio quam titulo ſui Cardinalatus,

Secunda, vt electorum conſenſus interueniat, ſi beneficium permutandum eſt de eorum genere quæ non dantur niſi electo plurium ſuffragiis. Idem dicendum de Patroni conſenſu, quod etſi Staphil. apud Zerolam neget, *in praxi ver. ius patronat. ad* 6. dummodo fiat hæc permutatio auctoritate Epiſc. huic tamen eius opinioni præponderat communis, quam conſuetudo corroborat, Rebuffo teſte *in pract. beneficia tit. de permutat. num.* 43. Redoan. *conſ.* 5. Aluy nus *de poteſt. Abbat. cap.* 10. *nu.* 10.

QVÆSTIO V.

An valeat permutatio, ex conuentione permutantium mutua ſic facta, vt beneficia non verè ac realiter inter ſe, ſed fictè tantum permutentur, quia alter nullum poſſidet.

REbuffi ſententia eſt *nu.* 15. *de permutat. par.* 1. *praxis*, valere: Dicti ſui cauſas has profert quod etſi decipiatur Epiſcopus, nullam tamen ſibi iniuriam factam eſſe queri is poteſt, qui ſuum in eius manibus beneficium reſignauit, illi dandum cum quo fictè tantum compermutat,

compermutat, nec enim fraus hunc latet, & tamen non reclamat: volenti autem & ſcienti non fit iniuria teſte Pontif. *de reg. iur. in 6.*

Secundò non irritatur permutatio, cum alter permutantium, compermutanti ſuo beneficium condonat quod ſibi permutationis nomine erat debitum, eique fruendum permittit: ergo nec ſi fictè tantum compermutet, vtrobique enim par & æqualis reperitur ratio.

Contraria ſententia vt tutior, ita eſt tenenda in praxi quam defendunt Malderus *dub. 10. de Simonia*, P. Matthæus *7. decretalium titulo de reſignat. q. 22. num. 4.* Layman. *ſupra citatus.*

Probatur primò, auctoritate Pij IV. Pontificis, cui non tantum ſuſpectæ, ſed & ſunt huiuſmodi ceſſiones omnes irritæ.

Secundo, *de rerum permut. in 6. cap. vn.* dicitur, compermutantibus *ſua eſſe beneficia* inuicem permutanda, at ficte permutans nec ſuum, nec alienum tribuit, cum ergo tali contractui ſua non ſit ſubſtrata materia, haud dubiè non vacat.

Tertio, Beneficij non vacantis collatio eſt iure nulla, nam is cui datur, deponendus dicitur in *capite quia in viuorum 1. de conceſſione præbendæ*, quod non accideret ſi eſſet rata: ergo & reſignatio, non exiſtentis beneficij eſt nulla: nam non entium nullæ ſunt qualitates, *lege eius qui in prouincia ff. ſi certum petatur.* At permutatio reſignationem habet ex dictis: ergo eſſe hæc non poteſt de beneficio quod non eſt niſi ficte.

Ad primum oppoſitæ ſententiæ argumentum dicendum eſt, habere permutationem beneficij veri cum ficto, ac non exiſtentis quod ſit vitioſa, ac irrita, non ab iniuria, quæ fiat reſignanti ſuum beneficium: ſed à natura permutationis, quæ exigit, vt vterque eius terminus ſit realis, cum nulla ſit permutatio non exiſtentium.

Secundo, habet eiuſmodi reſignatio quod ſit vitioſa ex defectu voluntatis in Epiſcopo cõferendi beneficij aliter, quam ſi vera intercedat permutatio, id vero eſſe patet hoc argumento, quod in omni reſcripto Pontificio, (& idem eſt, de priuati cuiuſlibet Epiſcopi) ſemper intelligatur tacita hæc conditio vt dicitur *de reſcriptis lib. 1. decretalium: ſi preces veritati nitantur.* Nec enim eſt credibile, ſibi imponi ſuperiorem velle, & cum illuditur, ludenti eſſe impune. Quod tamen accideret ſi Epiſcopus ratam eſſe permutationem vellet, quæ ficta eſt, proindeque non niſi nomine tenus, talis.

Secundi facilis eſt reſponſio. Nam remiſſio, aut beneficij recipiendi à compermutante condonatio non impedit, quin verè permutatio facta fuerit, quod tamen non euenit

A cum eſt facta.

QVÆSTIO VI.

Quomodo ad æqualitatem reducendi ſint reditus beneficiorum quæ permutantur cum eos impares eſſe contingit.

Fieri id poſſe, docent Armilla *verbo beneficium num. 66.* Azor. *qu. 15.* Candid. ſupra *dub. 5.* Regin. *lib. 30. cap. vlt. num. item*
B *vltimo.*

Modus autem in eo eſt hic ſeruandus, primo vt ſpiritale cum ſpiritali, ideſt, titulus cum titulo permutetur, Clem. in *cap. ad quæſtiones 6. de rer. permut.* Rebuffus *in concordat. de coll. parag. volumus*, vt enim eſt hic ſpiritalis, facta eius cum reſimili permutatio, pro vitioſa haberi non debet.

Deinde ſunt per contractum alium prouentus inter ſe permutandi, petendo à Pontifice, vt eorum partem aliquam vtendam ei permittat, cuius beneficium locupletius erat,
C aut minoribus grauatum oneribus, ne ex permutatione beneficij locupletioris cum minori permutantium alter damnum patiatur aliquod, aut ſaltem ipſe beneficiario imperet, vt ex ſuo patrimonio, aut alijs beneficijs, tantum illi rependat, quantum eſt ad vitandum dãnum futurum ex ea permutationem neceſſe ſiue id fiat ſingulis annis numeratione penſionis pecuniariæ, ſiue ſemel: nam vt habetur *cap. 6. ad quæſtiones de rerum permutat.* inæqualitas fructuum compenſari poteſt pecunia facultate Pontificis. Sic enim Clem. III. in decret. proxime citata. *Cum de*
D *dictis Parœcialibus Eccleſijs per ſe queat commutatio celebrari, & in permutatione poſſeſſionum per ſe non ſit inhibitum, ſi altera ratione poſſeſſionum alteri præponderet pecuniam poſſe refundi, de ipſorum poſſeſſionibus ad inuicem, prout viſum fuerit expedire, refuſa pecuniæ certa quantitate poterit contractus permutationis iniri, ſic tamen quod illi contractus nequaquam ſibi inuicem miſceantur.*

In hac tamen beneficiorum inæqualium permutatione, fructuum tantum & aliorum bonorum temporalium quantitas, quæ eſt beneficiis annexa ſpectari debet, non dignitas, aut iuriſdictio Eccleſiaſtica illis con-
E iuncta, penſionem enim exigere ratione eius exceſſus, qui in illis in honore aut poteſtate cernitur, crimen eſt ſimoniæ Reginaldi & Candidi opinione locis citatis, & quod ad pecuniam ſpectat quam inæqualitatis tollendæ cauſa inter fructus prædictorum beneficiorum dari poſſe Pontifex ait, id ſine facultate Pontificis tentandum non eſſe, cenſeo.

Quod ſi beneficium ob culpam iure vacat, & vt tale eſt impetratum, à Pontifice etiamne

cum alio permutari valet?

A

Nequaquam, ita Antilla *in repetit. cap. licet de rerum permutat, in 6.* Rebuffus *de pacificis n.263.* Pariſ. *lib.3. de reſign. q.1. n.54.* Boerius *deciſ.*105 *nu.* 5. quia opere nullo meo ius alterius poſſum lædere læderetur autē permutatione beneficij quod iure vacat. Enimuero per impetrationem, impetranti ius ad beneficium eius, qui ob culpam eo priuatur, eſt acquiſitum, quo tamen iure per permutationem ab eius poſſeſſore factam excidit, temerè ergo non eſt vlli permutationis iſtiuſmodi faciendæ concedenda auctoritas.

Iure dixi: nam ſi tantum eſt priuandus, Reus reſignandi aut permutandi ſui beneficij poteſtatem non amittit, Rebuff. *de pacificis num. 262.* & ita ſi ante ſententiam renunciauerit in fauorē amici ſui, valebit renunciatio, & faciet fructus ſuos donec priuetur, quos tamen ab eo tempore ſi perceperit, reſtituere debebit, vt iniuſtè acceptos, ſecus eſt dicendum de eo qui iure eſt priuatus, nam hunc fructus omnes à die commiſſi criminis debere reddere poſt ſententiā, opinio eſt Gloſſæ *in authent. de inceſtis nuptiis in verbo imminere,* Rebuſſi *de pacificꝫ poſſ.* *num.*263. P. Gregor. *de inſtitutione rei ben. f cap. 26. num.* 13. vbi ſic habet. *Priuatus beneficio ipſo iure amittit diſpoſitionem ſui beneficij à tempore, quo ex facto inducitur priuatio, vt non poſſit renunciare, aut permutare, quia nullum ius habet amplius in eo quo priuatur, cum tamen poſſet renunciare & permutare ante condemnationem, qui tantummodo per ſententiam priuandus eſt quando in reatu eſſet.* Hæc ille.

QVÆSTIO VII.

An beneficium permutare ſuum quis valeat, cum nominatione facta de aliquo, per Patronum ad Paræciam aut ſacerdotium aliquod aliud.

NOn poſſe, innui paulo ante, vt id ſentirem cauſam habui, quod permutatio vnius ſit rei, pro alia vicaria præſtatio, at ius nominato acquiſitum, ſui per Patronum oblatione ad beneficium, propriè nō eſt res, quæ ſit de earum genere, quæ permutari canonicè ſoleant, ſed ius ad illā, quod infringi, ac impediri diuerſimodè poteſt, eius ergo cum beneficio permiſſa non eſt permutatio, ita Layman. *de benefic. tr.ac. 20. cap.17. num.7.* Rebuff. 1. *par. prax. tract. de permut.*

QVÆSTIO VIII.

An admitti poſſit facta beneficiorum permutatio, quando Patronus aut electores ei aſſentiri renuunt.

COmmuniter eſt id ſuperiori cuique vetitum, permutantibus autem inutile ac infructuoſum. Quia beneficia dari vlli, patronis inuitis ac reclamantibus non debent,

B cum eorum erga Eccleſiam caritatem reſtingui non oporteat, vt fieret, ſi quæ illi conſtituta ſunt honorum in nominando præmia, hæc ſopiri contingeret aut tolli compermutantibus. Rogandi ſunt ergo hanc ſibi facultatem ne denegent, ſibi vt ſua viciſſim permutare beneficia liceat, quod ſi negauerint, tùm enimuero, poterunt ad aſſenſum cogi, ſi eſt Eccleſiæ futura hæc permutatio vtilis, Federicus *de permut. q.24.* vel eorum conſenſus per Epiſcopum, quantum erit neceſſe, ſuppleri, totaque permutantium actio ab eodem

C approbari.

Ratio eſt, quod vt bonum commune priuato præſtat, ita Epiſcopi, ac cuiuſlibet alterius qui in Eccleſiæ Repub magiſtratum gerit publicum, hæ videantur partes eſſe, eius præcipuam habere curam, ergo & Patroni, qui illud bonū impeditant eiuſdē progreſſioni moras obſtinatus obiicit, aſſenſum auctoritate qua pollet ſupplere. Quare *hodie vſus obtinuit, quod poſt requiſitionem patroni, maxime etiā eo nō conſentiente, permutatio approbatur ab Epiſcopo, & valet & ſic iudicauit totus Senatus*

D *Pariſiēſis vt retulit Do Quadrigarius,* Rebuff. ſupra *num.* 22. quæ eſt etiam opinio Candidi ſupra *dub.* 5. vbi collationem ſine conſenſu Patroni factam, non irritam, ſed irritandam ait.

QVÆSTIO IX.

An cum factam manu Epiſcopi reſignatio permutationis cauſa, effectum ſortiri non potuit, permutantibus ad beneficium remigrare ſuum, quaſi poſtliminio ſit

E *conceſſum, & an collatione Epiſcopi noua ad id ſit opus.*

POſſe, communis eſt veraque Doctorum omniū opinio propter cauſam conditionis, quæ permutationi tacite eſt adiuncta, *nec alias, nec alteri, nec aliter,* nec enim abire ambo compermutantes de beneficiis ſuis conſtitutum habent, niſi ea lege, vt ſibi viciſſim conferantur ab Ordinariis.

Ergo collatione ad id noua eſt opus (inquies?) Sane Ioan. de Selua 3. *par. q. 24. de benefic.*

beneſic. Layman. *tract. 1. de beneſic. cap. 17. nu. 7.* Petrus Gregor. *de beneſ. cap. 31. num. 2.* Cauſa eſt, quod eſſe nequeat permutatio, ſine beneficiorum ceſſione reciproca, in ſuperioris manu facta, *cap. licet vn. de rer. permut.* diſertius *Clement. vnica de rerum permut.* At habet hoc omnis renunciatio, vt omne renunciantis ius in beneficium perimat: nam illud poſſeſſore vacuat, & tanquam omni deſtitutum Epiſcopus pro arbitrio, digno homini regendum mandat: ergo cum beneficium quo quis eſt exutus, obtinere denuo ſine collatione noua non poſſit ac debeat, quin permutata compermutantibus, ſi ad ea, ex cauſa iuſta redire velint, iterato eis ab Epiſcopo conferri debeant, non ambigo. *De conſuetudine tamen regni Franciæ non requiritur collatio noua, quæ conſuetudo multis fuit probata areſtis, & ſi à die ſummationis non reſtituatur compermutanti ſuum beneficium, condemnabitur ad reſtituendum fructus, à die requiſitionis ſibi factæ quos permutans recipit, cuius beneficium fuit euictum, & ipſe tenebitur reddere, & poſſeſſionem illius beneficij, quod habuit ab altero,* Rebuff. *de pacificis poſſeſſoribus 150.* & in praxi *beneſic. parte 1. tractatu de permut. nu. 12.* Gregor. ſupra. Quem morem in permutationibus quoque fieri in Papæ manu ſolitis, ſic vt permutans ſtatim ad ſuum beneficium redire poſſit, ſi ſucceſſum permutatio non habuit, quem (inquam) morem in permutationibus antedictis ſeruari oportere docent, Laym. *lib. 4. tract. 2. cap. 17. de beneſic. num. 7.* & Garcias *par. 11. cap. 4. num. 7.* eo quod eorum opinione non cenſentur permutantes ius ſuum in beneficium, permutatione non completa perdere, quam id vero vterque parum probabiliter dicat, vel hinc patet, quod reſignatio, ſine qua permutationi initium eſſe nequit, reſignantes iure omni ſuo in beneficia ſibi propria ſpoliet: ergo ad ea, reditum ſibi ſperare nullum queunt, niſi eorum collatione ſibi denouo facta.

QVÆSTIO X.

An accuſatus de crimine, pro quo beneficio eſt ſuo priuandus, illud permutare ante priuationis ſententiam in ſe latam valeat.

De homicida exemplum eſſe poteſt, quem ob admiſſum à ſe parricidium, irregularem eſſe, ac ideo de beneficio ſuo deiici per iudicem poſſe, nemo ambigit, de hoc ergo homine quæritur, an cum tenetur in vinculis, auditurus propediem dicendam in ſe mortis ſententiam, beneficium permutare ſuum cum alio valeat?

Valet, ratio eſt, quod crimen cui iure non eſt coniuncta beneficij priuatio, eo beneficiarium non priuet, ſed duntaxat dignum faciat, cui auferatur per ſententiam, eius ergo quandiu hæc in illum à Iudice non profertur, dominium plenum retinet ac integrum, de eo ergo arbitratu ſuo, tam permutatione cum alio, quam renunciatione pura, aut hypothetica ſtatuere iure quam optimo poteſt.

Secundo, accuſatio hominem notat, crimen arguit, beneficium non tangit, cum peræque laïcus ac Clericus pœnam homicidij capite luere debeant, nec hoc ſpectat actor, cum reo litem intendit, vt ſacerdotio excidat, ſed vt in iis pœnis hæreat, quas ab eo crimen cuius accuſatur repoſcit, quare ſi pendente lite obeat, hæc finita cenſetur, adeout beneficium tunc vacet per mortem, non priuationem, aut depoſitionem, quæ omnia indicant, à crimine de quo reus accuſatur præciſe non fieri, vt diſponendi de rebus ſuis, per ceſſionem, aut permutationem ſit incapax, quod eſt contra Rebuff. *in praxi rubrica de ſubrogandis collitigant. in praxi Gloſſa 9. & in reg. de infirmit. Gloſſa 9. num. 19.* Azor. *lib. 7. cap. 29. q. 25.*

Pergit porro Layman. loco ſupra citato, cum ait, etſi quis eius ſit peccati conſcius ob quod ipſo iure beneficij priuatio incurritur, valere nihilominus factam alterius gratia eius ceſſionem, licet hæc poſtea, per iudicis ſententiam reſcindi poſſit, perinde ac ſi facta non fuiſſet, quæ eſt Leſſij ſententia *lib. 2. cap. 34. num. 190.* quam in permutatione quoque ſequendam eſſe, tradunt Garcias loco ſupra citato *num. 67.* Laym. *num. 7. concluſ. 2.* ſed male, vt eſt oſtenſum *dubio 4.*

QVÆSTIO XI.

An qui Sacerdos eſſe deſiit eo anno quo debebat, beneficium quod eum exigebat ordinem, permutare poſſit cum alio fructuoſe, ac valide.

Ne exiſtimem impellit me hæc vna cauſa, quæ multarum apud me vim habet. Permutari hæc dũtaxat beneficia æquitas patitur, quæ ſunt permutantiũ, at exacto à promotione pacificæ poſſeſſionis anno ſine ſacerdotio, beneficiũ in eius eſſe iure deſiit, qui contra quàm iubebat Pontifex, non eſt ſacro Presbyterij decoratus ordine, ab eo ergo dari permutationis nomine alteri non poteſt.

Exacto dixi: Quia ſi antequam annus finem caperet, cum alio de cõmutando tranſigeret, valeret ea tranſactio. Ratio eſt ad manum, Paciſci quilibet valide ac efficaciter poteſt ſuper re quæ iuris eſt ſui. At ante expletũ annũ à poſſeſſione pacifica poſt promotionem ad beneficium, ſine ſacerdotali ordine, non promotus verus eſt ac legitimus eius poſſeſſor,

nec tenetur illud dimittere, ſed poſtea, Gregorij X. verba indicant *in decret. 14. licet canon de elect. in 6. Quod ſi intra annum promotus non fuerit, Eccleſia ſibi commiſſa, nulla etiam præmiſſa monitione, ſit præſentis conſtitutionis auctoritate priuatus*, ergo ante elapſum hoc tempus vim in eum ſuam, Gregoriana hæc ſanctio non exerit.

QVÆSTIO XII.

An regula de infirmis reſignantibus, locum in permutationibus habeat.

DE eo ambigendi cauſa eſt nulla conſideranti valere eam in reſignationum materia, nam cum permutatio ceſſione ſit poſterior, vtpote per quam patet ad illam tranſitus, quod in illa ſeruari Papa præcipit, & in permutatione tenendum erit.

Quid? quod in regula Innoc. VIII. expreſſe fiat *permutationis mentio, ſi quis infirmitate preſſus*, inquit ille, *reſignauerit, ſiue ſimpliciter, ſiue ex cauſa permutationis*, quæ etſi in vulgata Iulij III. ſit omiſſa, habet illa tamen vnde opinioni meæ accreſcat fides, in ea enim eſt, his verbis: *Si quis in infirmitate conſtitutus reſignauerit aliquod beneficium admiſerit, aut illius commendæ ceſſerit, &c.*

Hinc enim argumentandi ſic ſe mihi ratio obiicit. qui rem ſuam cõmutat cum alia, eam dimittit ac deſerit. At eſt omnis beneficij dimiſſio, regulæ de infirmis reſignãtibus comprehenſa terminis, ergo & permutatio.

Docent hanc ſententiam Gomeſ. *qu. 19.* Gregor. *de benef. cap. 31. num. 15.* Rebuff. *in eam regul. Gloſſa 4.* ac proinde, vacare beneficia tam mortui, ante 20. dies, quam compermutantis ſani ac ſuperſtitis, nam permutatio, ex vna tantum valere parte non poteſt, ergo hæc cũ ex parte defuncti rata eſſe nequeat, ſi poſt cõſenſum præſtitum de permutatione facienda beneficij ſui cum alio, dies 20. viuendo non expleuit, (quia per hanc regulam vacat) vacabit & alterum compermutantis, niſi ei ante alterius obitum fuiſſet ab Ordinario collatum, quo in caſu ſi euinci contigerit, qui è compermutantibus eſt ſuperſtes, fuitque de tali beneficio prouiſus vi factæ inter eum & mortuum permutationis, ad ſuum in pœnam præſumptæ fraudis, redire non poterit, in eo autem fraudis eſt præſumptio, quod cum permutantem morbo videret afflictum, propeque iam extinctum, ei ſuum de manibus beneficium non ſine Ordinarij ac expectantium detrimento, qua prece, qua veteris inter eos amicitiæ recordatione, violentus extorſerit, ita citatus paulo ante Rebuff. qui addit caſum ab hac regula excipiendum videri, in quo infirmi ſacerdotium ante eius mortem, ſano compermutanti eſſet ab Ordinario conceſſum, non vero iſtius, compermutantium alteri qui eſt mortuus: nam tunc vtrumque retinere ei fas eſſet, *& bona, vt loquuntur* fortuna frui.

Quid ſi beneficia permutanda valore ſint pretioque æqualia? quid ſi dignitate, ac poteſtatis amplitudine ſint inter ſe paria, etiamne cenſenda erunt contineri hac regula, ſic vt vacent eo moriente, ante dies 20. qui in infirmitate poſitus ſuum ſibi cum alio permutandum credidit?

Reſpondet Gomeſius *q. 9. ſuper hac regula,* B non habere hanc locum in renunciationibus ex cauſa permutationis æqualibus, cuiuſmodi ſunt ex cenſendæ, in quibus beneficia, quæ permutantur ſunt prouentibus ac bonis ſibi ſimilia, quia tunc (inquit P. Gregor.) *de inſtitut. rei benefic. cap. 31. num. 15.* fraus præſumi nulla poteſt, cum permutatio non dicatur fieri in præiudicium ordinarij, qui poteſt æque bonum beneficium dare expectantibus, ac ſi animam infirmus efflaſſet, cum ſui adhuc C poſſeſſor eſſet.

Sed vniuerſe cum de beneficiis omnibus ſine diſcrimine loquatur regula, vt ex iis patet, quæ ſunt ante *in tract. de reſignat.* à nobis dicta, non minus parua, ac redituum numero inter ſe imparia, arceri hac regula exiſtimo, quam locupletia, quam magna, quam fructibus appetenda.

QVÆSTIO XIII.

D *An facta beneficij cum penſione permutatio ſit valida.*

NEgandæ ſunt hæ cauſæ, prima, quod rei ſacræ, cum profana ac temporali facta permutatio, vitioſa ſit ac mala. Penſio qualibet eſt tẽporalis, vtpote redimibilis: ergo, &c. Maiorem auctoritate ſua confirmat; Clem. III. in *decret ad quæſtiones 6. de rer. permut.* vbi etſi aſſerat in permutatione Eccleſiarum, per ſe non eſſe inhibitum pecuniam refundere, vt in iis conſtituatur æqualitas, ſi altera ratione poſſeſſionum alteri præponderet, contractus tamen nequaquam miſcendos eſſe, ſed E titulum titulo commutandum, beneficiorum autem prouentus, ad æqualitatem alio contractu reuocandos eſſe, eo quod ſpiritualia ab humanis cum ſint remota commerciis, in iis adhibita, de ſimonia ſint ſuſpecta.

Secunda; beneficiorum quæ improprie ſunt talia cum proprie dictis permutatio, legibus non eſt permiſſa Eccleſiæ, eam ſanè reprobant Gloſſa in *pragm. ſanctione verbo beneficiorum de collationib.* Bleyan. *de impropriè dictis benef. nu. 10.* ergo & penſionis, cum non ſit titulus, & à beneficio minus differat præſtimonium

monium, quod eſt beneficium improprium, quam penſio. Non eſt ergo de ea permutanda cum beneficio, vlla ſuſcipienda cogitatio, Rebuff. *de pacificis poſſ. num.* 124.

QVÆSTIO XIV.

An Beneficij cum loco Presbyterali in Xenodochys aut Collegijs facta permutatio valeat.

Loca pia, Presbyteris concedenda ſolis in noſocomiis, aut collegiis, cum ſint beneficia, permutari ſunt idonea, aptaque cum ſuperiorum conſenſu. Probatione ad id nulla opus, quia eſt reſponſio perſpicuitate ſua nulli ambigua.

Sunt tunc autem habenda pro beneficiis. Primo, cum habent Eccleſiam committi ſolitam Sacerdoti à quo regatur, cum fructuum eius parte aliqua, ad victum neceſſaria.

Secundo, cum ſub eius Eccleſiæ titulo quis irreuocabiliter & in perpetuum intituiatur.

Tertio, cum à Cœnobitarum aliquo, aut Capitulo, locus eſt inſtitutus pius aliquis, cuius adminiſtratio, regimenque Sacerdoti ab Epiſcopo, tradi ſoleat, Chopp. *lib. 3. de ſacra polit. tit. 5. num.* 27. exemplum eſt in Xenodochiis S. Anton. almæque Triadis, quæ non œconomicæ tantum Præceptorum ſui Ordinis curæ ac poteſtati relinquuntur, ſed dominatrici ac deſpoticæ, vt beneficiatis Sacerdotia tradi ſolent, hæc enim bono cauſaque alicuius, eiurari ac cum ſuperiorum licentia permutari poſſe, mihi non eſt dubium, cum eis ad beneficij rationem, ac naturam, nihil deſit, de ſæcularibus Presbyteris, idem eſt iudicium: nam cum ad ea loca inſtitui tanquam veri beneficiati eorum nonnulli ſoleant, vt ab Ambianenſi Rector Xenodochij Abbeuillanæ Pontinenſium vrbis à Monachis Diui Nicolai, eiuſdem Xenodochij fundatoribus præſentatus, Choppin. teſte *in lib. 3. de ſacra polit. titulo 5. num.* 27. ambigi nequit quin quod beneficiariis eſt permiſſum iiſdem quoque ſit licitum.

De locis Collegiorum Presbyteralibus, ita dictis, quod qui ea obtinent, Presbyteri eſſe debeant, vt diuina in illis munia obeant, vt Auenione in Collegio quod ſancti Nicol. de Auiciaco nuncupatur, Montiſpeſſulani in Eccleſia S. Saluatoris, Maguelone in ſacra ſacræ Trinitatis æde, dicere nihil habeo, niſi quod, non ſint eiuſmodi loca adiungenda beneficiis, niſi ſint perpetua, cum iure ſacræ functionis exercendæ, ac colligendorum redituum irreuocabili, conſtituto Papæ auctoritate aut Epiſcopi, ſine cuius proinde, aut alterius cuiuſpiam inſtitutione canonica, poſſideri nequeant.

QVÆSTIO XV.

An ſit hæc permutatio valida, cui adiecta eſt hæc conditio, vt pro ſupplemento fructuum, quibus alterum de beneficijs permutandis, ſuperat alterum, alter compermutantium ſibi tertij cuiuſdam dari ſacellum curet, vel hominis quem nuncupauerit?

Reſpondend. conuentionem de qua eſt hic ſermo, permutationis vim non habere. Cauſa eſt, quod de re ſua tantum fieri queat, at præſentis abſolutio, pro parte alterius permutatoris vel etiam vtriuſque de re aliena ſit, & non de ſua, nam ædicula ſacra ad alterum permutatorem non ſpectat, quæ tamen eſt pro ſupplemento pretij adiecta vt res aliena, non eſt ergo eiuſmodi permutatio valida.

Secundo, non poteſt ea eſſe tranſactio rata, quæ ex voluntate pendet aliena, talis enim promiſſio inanis in iure dicitur ac inepta, quia in euentum reiicitur, qui fieri poteſt aut vanus, aut etiam impoſſibilis, nam cui conſtare poteſt, verum ille qui ſacellum poſſidet, illud ſit dimiſſurus? aut is illud ipſum recepturus, qui à permutante ad illud nominabitur? quamobrem pro certo habeo talem conuentionem, pro permutatione legitima haberi non poſſe.

Si conceptá tamen vt explicuimus, Romanus Pontifex approbaſſet, præſtanda foret, quia ſacellum quod ex mala cauſa, ac modo eſt poſtulatum, eius auctoritate cenſetur bene dari, ac peti, eſt enim eius diſpenſatio & gratia, legis in qua diſpenſatur, derogatoria, & proinde facultatis ad recipiendam ædem ſacram conceſſiua.

QVÆSTIO XVI.

Quæ beneficia permutari nequeant.

Primò, Commendata ad tempus, quia non ſunt eius propria, cui ſunt commendata, & tamen de re quæ ſit permutantis, fieri permutatio debet.

Secundo de manualibus idem cenſendum, cum non ſint perpetua, ſed ad nutum reuocabilia.

Tertio, cum beneficio permutari non poteſt expectatiua gratia. Primo, quia eſt perſonalis, nec perſonam excedit cui conceditur, *cap. ſi cui 36. de præbend. in 6.* Secundo, quia iuris ad rem, cum iure in re permutatio iure reprobatur canonico.

Quarto, beneficia ad quæ poſſidenda, diſpenſatio Papæ fuit neceſſaria, quia beneficia-

tus erat ad illa inhabilis permutari ſine facultate Pontificis nequeunt cum alio, aut aliis quæ habere aut retinere cuique ſine vlla diſpenſatione eſt permiſſum. Ratio eſt, quod diſpenſatio in perſonam cadat quæque eius eſt propria, illique data ad alias non tranſeat, Salzedo ad Diaz in *praxi ca.* 54. Theſaur. *par.* 1. *prax.* 130. *qu.* 5.

Quinto, beneficium vnitum, aut ad tempus conceſſum, quia quæ ſunt vnita non ſunt amplius beneficia, ſed eorum membra, quibus ſunt vnita, Rebuff. *de Vicarijs perpet. nu.* 18. Si autem eſt beneficium imperio Papæ dimittendum, non eſt abſolute eius, qui iubetur dimittere.

Vltimo, Beneficium ſimoniacè acquiſitum permutari nequit, quia ad illud, ius ſimoniacus nullum habet, non ergo permutat aliquid quod ſit ſuum.

QVÆSTIO XVII.

An & quomodo in beneficiorum aut rerum ſpiritualium commutationibus admitti ſimonia ſoleat.

DIco primò, *Simoniam eſſe ſolo iure Eccleſiaſtico vetitam, beneficium commutare beneficio altero, ſine ſuperioris facultate.*

Ratio eſt, quod omnis ſuper re ſpiritali facta tranſactio, *ſpeciem contineat ſimoniæ cap. conſtitutus* 4. *de tranſact.* quare beneficium ſic poſſeſſum impetrari poſſe habetur *cap. ex literis veſtris* 16. *de tranſact.* eo quod *pactiones facta pro ſpiritualibus obtinendis, cum in huiuſmodi omnis pactio, omniſque conuentio debeat omnino ceſſare, ſitque proinde nullius momenti,* Gregor. IX. *cap. extremo de pactis*, ſed habet beneficiorum permutatio, ſine ſuperioris auctoritate facta, vtriuſque permutantis pactum mutuum, non poſſunt ergo *commutationes prabendarum de iure fieri, præſertim cum pactione præmiſſa, quæ circa ſpiritualia, vel connexa ſpiritualibus labem habet ſimon.* Vrbanus III. *cap. cum olim* 7. *de rer. permut.* quare ex vacare iure ſunt cenſendæ, ac per iudicis ſententiam ſi ea de re rogatur, eripiendæ poſſeſſoribus, *cap. cum olim* 7. *de rer. permut.*

Dico Secundo, *Simoniam non eſſe, res ſpirituales commutare cum aliȷs eiuſdem generis,* non quidem iuris diuini, cum temporale nec quidpiam eo æſtimabile earum gratia detur. Non Eccleſiaſtici, quia de eo nulla fit in canonib. mentio, ſed tantum de beneficiis, qui canones cum ſint pœnales, non debent ad alia, quæ his non continentur, exporrigi.

Deinde cum in rebus pure ſpiritualibus, vt ſunt ſacræ, nihil ſit temporale, reperiantur autem in beneficiis commoda nec parua nec pauca eius generis, iuſta cauſa Eccleſiæ extitit, prohibendi ad vitandã ſuſpicionem Simoniæ ne hæc mutentur ſine ſuperioris aſſenſu, non autẽ alia quæ purè ſunt ſpiritualia, vnde cum in *ca. quæſitum* dicitur, pactionẽ omnem circa ſpiritualia ſimoniacam eſſe, nomine ſpiritualium intelligi beneficia Doctores tradunt apud Sanchez *conſil. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 4. *num.* 3. quo cum nomine calix & veſtes ſacræ appellari iuſtè nequeant, concludit ea adinuicem commutari poſſe, calicem nempe pro calice, aut hunc pro ſacris veſtibus, dummodo valoris tantum earum rerum habeatur ratio nec æſtimetur conſecratio.

QVÆSTIO XVIII.

An qui beneficium iure vacans permutauit cum alio, fructus ſuos faciat, & ſi non facit cui reſtitui, eos oporteat.

QVi beneficium iure vacans permutari non poſſe exiſtimant, eo quod iure ad beneficium qui caret, non ſit eius poſſeſſor legitimus ac verus, quia eſſe poſſeſſio iuſta non poteſt ſine dominio iureque in rem poſſeſſam, ſed qui beneficium iure vacans poſſidet, in iſtorum opinione hominum quorum explicamus ſententiam, non eſt verus eius poſſeſſor ac legitimus, cum iure ad illud careat: ergo cum reſignatio iuris ſit ſui in alium tranſlatio, quo tamen omni ex hypotheſi caret permutantium alter, de beneficio quod iure vacat, nulla per eum cum pacifico, ac canonice poſſeſſo poteſt eſſe permutatio. Quare cum qui rem non ſuam habet, illam cum fructibus reſtituere debeat, ei de permutantibus, qui beneficium iure vacans dedit alteri pro ſuo, tam eius, quam fructuum imperanda erit reſtitutio plena & integra.

Qui autem ſecus quam iſti ſentiunt, beneficium eiuſque emolumenta ac commoda omnia reddi oportere negant ante iudicis ſententiam, itaque vbi hic pro auctoritate, beneficium quod iure vacabat, dederit idoneo homini qui permutantium alteri ad proprium redire fas erit, eiuſque fructus à compermutante repetere, ſi adhuc extent, aut ex iis factus eſt locupletior.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XIX.

Quando in permutatione beneficiorum, Simonia accidat & quomodo?

DIco primò, *Aeſtimare æqualiter duo beneficia Eccleſiaſtica, eaque inuicem priuata auctoritate commutare, ſuperioris, cuius eſt ea conferre, ſi non contempta, at certe poſthabita, eſt quidem naturæ iure illicitum, non tamen eodem, aut diuino Simoniacum.*

Eſt illicitum, quia priuatum aliquem hominẽ Eccleſiæ Rectorem dare, eam tã per ſe, quam ſubſtitutas operas regere, eſt in alienum irrumpere, meſſem velle in non ſuo ſolo facere, ſed donare Sacerdotia, iis arbitrio ſuo & quos placet, præficere, ecquid eſt Eccleſiæ curam gerere, hanc moderari ac regere? non eſt ergo innocens, quiſquis è media Clericorum turba, ſuperiore ſuo non conſulto ac probante, beneficium ſuum alio commutat, facit enim illi iniuriam & ſibi, contra quàm patitur æquitas vſurpando quæ ab eo fieri oportet, vt enim Regem decet dare qui ius vice ſua ac nomine dicat, ciuicaque munera ciuibus diſtribuere, qui ciuitatem ſuo conſilio nutuque moderentur, ita Prælatos beneficia Clericis non negare conuenit quos illis dignos credunt, quod tamen non facerent, ſi quæ ab illis expectare eſt neceſſe, hæc priuati quique auctoritate, qua ad id nulla pollent, ſibi in eorumdem permutatione inuicem tribuerent, *Non eſt Simoniacum,* Quia nullum eſt hic rei temporalis cum ſpiritali commercium, nec vllum pro ea, eiuſque vice ac loco refunditur pretium, nullum eſt hic ergo quod diuinæ aut naturæ legi ſit oppoſitum, petitum è Simonia vitium.

Dico ſecundò, *Eſſe tamen in Sacerdotiorum permutatione auctoritate propria facta, Simoniam humani iuris ac Eccleſiaſtici.*

Quia eam, auctoritate propria ne fieret, prohibere in honorem miniſteriorum quæ ſacra ſunt, Eccleſiæ placuit: facit ergo illis iniuriam, Deoque conſequenter, qui quæ Prælatorum propria ſunt munera, hæc ſibi contra præceptum Eccleſiæ vendicat, beneficiumque vnum alio commutat.

Dico tertiò, *Simoniacos videri ac eſſe, qui Superioris auctoritate quidem, beneficia commutant, ſed ea lege, vt vnus alteri penſionis nomine, redituum partem ſibi aliquam quotannis tribuat, compenſandæ inæqualitatis gratia, quæ eſt inter ea in obuentionibus annuis.*

Ratio eſt, quod tunc reſignatio ex pacto inter compermutantes mutuo, fiat cum præſtandæ penſionis onere quod eſt Eccleſiæ legibus prohibitũ, *in ca. ſuper eo 7. de tranſact. ca. de pactis extremo cap. quæſitum 5. de rer. per-*

A *mutat.* his verbis: *Generaliter teneas quod commutationes præbendarum de iure fieri non poſſunt, præſertim cum pactione præmiſſa, quæ circa ſpiritalia, vel connexa ſpiritalibus labem ſemper continet Simoniæ.*

Dico quartò, *Vt tractare de penſione pendenda quotannis ei qui alterius cauſa, pinguius beneficium relinquit, conſcientia illæſo iure compermutãtibus eſt permiſſum, ſi tota hæc eorũ trãſactio, à Pontificis voluntate ac conſenſu pendeat:* ita malum eſt ac Simoniacum id clam eo facere.

B Pars vtraque eſt clara, quia cum hæc tractatio ſit hypothetica, non eſt antequam ſit probata Pontifici obligatoria, nec proinde pactitia cum de ratione pacti ſit, in ambobus aut de contrahentibus altero obligationem inducere. Pars altera probata eſt Aſſert. tertia.

QVÆSTIO XX.

Praxis fori Gallici circa Permutationes.

C PRimò, Sunt mandata ad reſignandum aut permutandum, quemadmodum & prouiſiones ſuper iis ab Ordinariis eorumque Vicariis factæ, decreto Ludouici XIII. nullæ, niſi biduo ante reſignantis obitum aut alterius de permutantibus fuerint à recognitore regio diſcuſſæ, & in acta publica relatæ, Gallice, *Si elles n'ont eſté controllées & enregeſtrées deux iours auant le decés du reſignant & permutant, le iour du decés, & celuy du controlle non compris, art. 19.*

D Secundò, Contra quàm priſcæ leges, moſque fori patrum memoria præſcribebat, vt ex altera parte tantum impleta permutatio, rata foret, vnde factũ huic iuris axiomati videtur initium, ei qui compermutantis ſui beneficium, ordinarij collatione aſſequutus erat, antequam ſuum daret, gaudere bona fortuna ſua fas eſſe, & proinde cum alieno, ſuum quod compermutanti, conferri non potuit, quia diem ſuum obiit, retinere poſſe, contra morem hunc (inquam) decernere Regi Ludouico placuit ann. 1638. ne amodo permutationibus in Gallia vis vlla foret quæ vtrinque

E impletæ non eſſent, quod id earum natura poſtulet: *Si apres que l'vn des permutans a eſté pourueu, l'autre decede, le Benefice qui a dû luy eſtre reſigné, vaquera par ſon decés, ſoit qu'il en aye eſté pourueu ou non, ſans que le ſuruiuant puiſſe le retenir comme iouiſſant de ſa bonne fortune, art. 21.*

Tertiò, Quod olim facere compermutantibus erat in more, vt ſi fidem ſibi viciſſim compermutando datam non explerent, aut beneficium pro pacifico litigioſum darent, vtrique ſine noua collatione ad ſuum reuerti beneficium fas foret, vt ſanxiſſe Senatum

aiunt Burdigal. hoc eorum neutri licere in poſterum ſtatuit idem qui ſupra Ludouic. in conſtitutione regia de anno 1638.

Quartò, Quia habet omnis permutatio reſignationem beneficiorum mutuam, quæ in ea vt ſit canonica, fieri Regis voluntate eſt neceſſe, hæc omitti in permutatione ab eo nequeunt, qui illam carere non vult robore, quare vt biduo antequam reſignans viuere deſinat beneficij à ſe reſignati ineunda eſt poſſeſſio à ceſſionario, ita & à compermutantibus. ſic tamen vt ab eo dierum numero captæ poſſeſſionis recognitionis ac regiſtrationis vt aiunt excluſi dies cenſeantur. *Sans que le iour de la priſe de poſſeſſion, controlle & enregiſtrement d'icelle, & celuy de la mort du reſignant ſoient comprins dans ledit temps de deux iours, art. 20.*

Quintò, Eſt beneficiorum permutatio inanis ac nulla, ſi permutantium alter diligentiam non adhibuiſſe tantam conuinci poteſt, quanta erat conſequendo per compermutantem ſuum beneficio neceſſaria Ludouic. *art.* 20.

DISPVTATIO VNDECIMA.

DE TRIENNALI POSSESSIONE.

QVÆSTIO PRIMA.

Vnde triennalis poſſeſſio ortum habeat.

DE triennali poſſeſſione pacifica ſcripſere, Gomez in *reg. 33. Cancellariæ 1. de triennali*, Sanchez *lib. 2. conſiltor. lib.2.cap.1.dub.23.* Rebuff. *in tract. de pacific. poſſeſſ.* Azor. *tom. 2. lib. 7. cap.35.q.8.* Reginald. *tom.2.lib.30.tract.3.cap.* 18. eorum exemplo, pauca quædam quæ ad huius intelligentiam materiæ ſpectare videbuntur in certas quæſtiones conferam. Et quidem vt ab eius origine ducatur initium, videtur eſſe hæc referenda, ad Pontifices, Concilia, & leges.

Leges quidem. Enimuerò clam nullo eſt, legibus ſtatutum olim ciuilibus eſſe, vt poſſeſſa tempore præſtituto, ideſt, tribus annis, ſi eſſent hæc mobilia, decem autem, ſi immobilia, poſſidentis forent, hæc quidem per pre-
A ſcriptionem, illa per vſucapionem, ſpe nulla exinde veris relicta dominis ea repetendi poſt elapſum prædicti triennij ſpatium.

Ad Concilia autem, nam à Baſileenſi prohibitum video, *in ſeſſ. 21. titulo de pacificis. Ne qui pacificè & ſine lite, prælaturam, dignitatem, beneficium vel officium poſſederit triennio proximo, vel in poſterum poſſidebit, moleſtari poſſit.*

In Africano vero *can. 86.* qui refertur, *lib. 2. decret. tit. de praeſcript. cap.* 1. prohibetur, ne qui ad vnitatem Eccleſiæ locum aliquem
B conuerterit, quem nemine contradicente toto triennio poſſedit, *hic ab eo vlterius repetatur.* At beneficium locus eſt, certaque hominis in Eccleſia ſtatio: ergo triennio pacificè poſſeſſum fit per Concil. poſſidentis.

Cenſetur autem pacifica poſſeſſio, quando beneficiarius toto triennio in beneficio à ſe poſſeſſo, nec de iure nec de facto per litem eſt turbatus, nec in ſe nec in Vicario à ſe ſubſtituto.

Quod ad Pontifices attinet, res eſt omnium Doctorum confeſſione notiſſima, quæ
C de triennali poſſeſſione pacifica dicuntur, ab his non improbari, & primo quidem extat de ea *regula Cancellariæ 33.* per Calixtum III. ſcripta.

Secundo, *Eſt canon literas quartus, de ſupplēda neglig. prælator.* in quo ab Innoc. III. prohibetur, ne admoti ad beneficia per eos quibus ius nullum erat, iis priuentur, ſed in pœnam propriè collatorum negligentiæ in conferendo (quia nempe tempore quo erat neceſſe, de ſucceſſore idoneo non prouiderunt) de *patientia* (verba ſunt canonis) *ea ab Epiſcopo*
D *ſinantur pacificè poſſidere.* Ergo triennalis poſſeſſio à voluntate Pontificum, conciliis, ac legibus originem habet, quod fuit initio huius quæſtionis dictum. Habetque eius occaſione beneficiarius, vt moleſtia ei creari nulla poſſit, ſiue in petitorio, vt quando petit actor adiudicari ſibi beneficium quod ante poſſedit, ſiue in poſſeſſorio, nempe cum poteſtatem ſibi fieri eius poſſeſſor poſtulat illud retinendi, vt ad illam diem fecit, ac vt tale nemine repugnante ſeruauit, ſic enim Calixtus in prædicta Cancellariæ regula, *voluit & ordinauit Dominus noſter quod ſuper be-*
E *neficijs taliter poſſeſſis moleſtari nequeat, nec non impetrationes de beneficijs ipſis ſic poſſeſſis factas, irritas & inanes cenſeri debere decreuit, antiquas lites ſuper illis motas penitus extinguendo.*

Fuitque hæc regula approbata à Leone X. in Concil. Later. *ſeſſ.* 11. recepta à Rege Francisco I. & toto regno, vt videre eſt in *Concord. titulo de pacificis poſſeſſ.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

Vt triennalis poſſeſſio effectum habeat, an conditiones aliquæ ſint neceſſariæ, & quæ?

POſſeſſio non quælibet acquirendi beneficij, aut retinendi quod eſt acquiſitum, ius tribuit, ſed quæ eſt his affecta circunſtantiis, quas Calixtus in ſua regula eſt complexus, earum prima eſt titulus ſaltem coloratus. Eſt hæc Concilij Baſileenſ. præceptio, concepta his verbis: *ſeſſ.* 21. *Quicunque non violentus, ſed habens titulum coloratum*, approbata autem a Gomeſio *qu.*5. *in hanc regul.* Reginald. *lib.*30. *tract.*3. *cap.*18. *num.*261.

Talis autem eſt (inquit) Rebuff. *de pacific. poſſeſſoribus numero* 32. Azor. *in* 2. *parte lib.*7. *cap.*35. *qu.* 1. *habitus ab eo, qui de iure ſiue generali ſiue ſpeciali, aut priuilegio, beneficium conferre poteſt, & niſi impedimentum intercederet, iuſtus foret*, Rebuff. loco citato, Reginald. *lib.*30. *tract.*3. *nu.*260.

Ex quo patet, habere eum coloratum titulum, qui non eſt intruſus in beneficium, ideſt, qui illud nec vi, nec propria eſt poteſtate adeptus, ſed eius, qui illius conferendi legitimam eſt authoritatem à iure aut homine nactus, vt declaratur in regula Cancellariæ citata quæ eſt 33. probantque Gomez *q.* 27. *in eandem regulam*, Rebuff. *to.* 2. *conſtit. regiar. tract. de cauſ. poſſeſſ. benef. gloſſa vna num.* 4. *pag.*794. Gloſſa *regula de trienn. verbo coloratum.*

Eſt autem titulus, iuſtæ & naturali æquitati conſentanea poſſeſſionis cauſa, veluti pro donato, pro empto, ſeu ratio, ac modus quilibet quo ſe de acquiſito beneficio, aut acquirendo, tueri quis poteſt.

Duo ergo titulum talem faciunt: legitima poteſtas conferentis, & capacitas præſcribentis, Gomez *qu.* 15. Reginaldus proxime citatus *num.* 260. Mandolius in *regulam de triennali in hac verba. In annuali poſſeſſore longe minor poſſeſſio requiritur, quam in triennali poſſeſſore, quoniam in hoc neceſſarius eſt titulus, ſaltem probabilis, & veriſimilis, quem coloratum appellant, & item opus eſt, vt ipſe poſſeſſor, beneficij ſit capax, at in illo nec requiritur titulus verus, nec veriſimilis, nec vt poſſeſſor ſit beneficiorum capax, ſed ſufficit in eo poſſeſſio, quæ ſit veluti corporalis detentio.*

Et quoniam non cadit in laïcum iſtiuſmodi capacitas reſpectu beneficij, hac regula iuuari nec ſolet, nec poteſt, quemadmodum nec bigamus, hæreticus infidelis, excommunicatus, infamis.

Idem quoque dicendum de ſæcularibus nonnulli exiſtimant, reſpectu beneficij regularis, aut contra, eo quod eiuſmodi ho-

A mines titulum poſſidendi beneficii regularis vtpote eius incapaces obtendere nullum poſſint.

At enim ea acquirere ſæculares Clericos longa multorum annorum ſibi inuicem ſuccedentium ſerie, quid vetat? & ita per poſſeſſionem triennij pacificam de incapacibus reddi ad eiuſmodi beneficia idoneos? Id tamẽ eſſe nõ poſſe, vel hinc patet, quod quantalibet, & quantumlibet longi tẽporis poſſeſſio incapacem non habilitet iuxta *caput cauſam & cap. accedentes de præſcript.* & ita eſ-
B ſe oſtendunt incommoda quæ inde ſequerentur, primum, quod qui viuentis beneficium impetraſſet, & per triennium ab eius obitu illud poſſediſſet, eius foret verus ac legitimus poſſeſſor & Dominus, quo quid abſurdius? item à bigamo præſeri poſſe ſacerdotium quod triennio poſſediſſet, quo quid eſt fœdius?

Sane Alexand. eius nominis tertius in decretali cui initium eſt *cauſam quæ eſt ſeptima de præſcript.* negat Laïcos præſcribere decimas poſſe, hoc vno maxime nomine, quod
C earum, illi iure Pontificio non ſint capaces, Layman. *lib.*3. *tract.*3 *cap.*8. cum *enim eas diſtinere non poſſint, eaſdem nulla valent ratione præſcribere.* Ergo à pari, nec ab iis acquiri beneficia poterunt qui legibus Canonicis ab iis faceſſere iubentur. Ex his patere Gomez ait quod vbi nullus eſt in conferente poteſtatis defectus ad conferendum, nec in collatario, hoc eſt beneficium recipiente, eius poſſidendi incapacitas, à iure vel homine inducta, eius poſſeſſionem coloratam eſſe, Gomez *in regul. de triennali q.*.7.

Patet 2. Ad titulum coloratum duo exi-
D gi, quorum alterum ſe tenet ex parte conferentis nempe poteſtas, alterum ex parte poſſidentis, nempe capacitas, qui enim iure non eſt habilis capaxque beneficij, aut illud recepit à non habente poteſtatem legitimam, titulum coloratum non habet.

Tertio patet, quod qui beneficio eſt ab eo præpoſitus, qui eſt eius ordinarius collator, contra executoris Pontificij mandatum, patet (inquam) quod titulus coloratus pro eo faciat, poſſitque eius ope, beneficium triennali poſſeſſione præſcribere, ſi ad illum, cæteræ conditiones ad id neceſſariæ concur-
E rant.

Patet 4. Ex collatione Ordinarij titulũ coloratum non acquiri, quãdo eſt beneficium cõtra formã datum, Butrius in *cap. literis de conceſſ. præb.* & ita non iuuatur hac regula, qui beneficium à collatore per reſignationem factam in manibus ſuis obtinuit à penſione omni liberum, cum tamen reſignans aliquam peteret, nec reſignationem ea negata aut non conceſſa, ratam eſſe vellet ac validam.

Ratio eſt, quod reſignanti beneficij ſui poſſeſſionem auferre ſine cauſa Ordinario non liceat: ergo nec dare contra eius voluntatem, aut formam ab eo præſcriptam, deeſt ergo in hoc caſu titulus qui ſit coloratus, cum ab eo beneficium non detur qui iure illud conferre queat à penſione exemptum, qua ipſum reſignans grauatum eſſe voluit.

QVÆSTIO III.

Dubia explicantur aliqua, ad rationem colorati tituli pertinentia.

PRimum, *An facta à Capitulo beneficij collatio ex priuilegio, titulum coloratum in prouiſo pariat.*

Non parere Gomeſius aſſerit, dare autem ac facere, Rebuffus ait in *tract. de pacific.* Gomeſij eſt hæc ratio, quod in *Regula 33. de triennali*, Papa ſolius Ordinarij, factæque ab eo collationis rationem habeat: *Si quis,* inquit, *quæcunque Eccleſiaſtica beneficia qualiacunque ſint, ex Apoſtolica vel Ordinaria collatione, vel electionis confirmatione, &c.* ergo ſi Capitulum non niſi extraordinariè, proindeque ex priuilegio, beneficium poſtulanti Clerico dederit, non erit hæc eius collatio iuſta tituli colorati fundandi ratio.

Sententia mihi tamen oppoſita, vt probabilior, videtur tenenda eſſe in praxi, quod Ordinarij ſit hic cenſendus nomine, qui creatur cum iuriſdictione, aut à Principe, aut à canone, aut ab vniuerſitate, Comitol. *lib. 5. cap. 3. nu. 6.* At eſt Capitulum (vt præſupponitur) conferendi beneficij iure à Pontifice præditum, officium ergo ſuum ſi fecerit, ordinaria poteſtate beneficium tribuiſſe recipienti, exiſtimabitur.

Dubium ſecundum, *An beneficij facta per Ordinarium collatio irrequiſito Patrono, tituli acquirendi qui colorem habeat, cauſa ſit ac ratio.*

Reſpondend. eſt eſſe, Quia conferens eſt Ordinarius, nec eſt præſentatio idonei per Patronum ad beneficij adminiſtrationem, aut collationem validam neceſſaria, ſed tantum vt ſit iuſta: quare cum titulus pro colorato haberi debeat, quando quis beneficium obtinet, ex Apoſtolica, vel ordinaria collatione, aut electione, aut electionis confirmatione, & inſtitutione illorum ad quos eius vel beneficiorum huiuſmodi collatio, ſeu prouiſio, ſeu quæuis alia diſpoſitio pertinet, vt eſt in *regula Cancell. 33.* non poteſt non eſſe eius collatio colorato nixa titulo, quia Sacerdotium iuris patronatus Clericorum, eſt Ordinarij beneficentia, ſine Patroni præſentatione adeptus.

Tertium, *An titulus qui ſub finem anni ter-* A *tij coloratus eſſe incipit, ad effectum acquirendi dominij, per regulam de triennali poſſeſſione pacifica, ſit ſatis.*

Reſpondend. eſt non ſufficere, quia poſſeſſio quæ triennij eſt definita ſpatio nunquam eſſe debet toto illo tempore deſtituta titulo, qui verus ſit aut figuratus, alioqui non eſt rata validaque quæ per eã acquiritur ab antiquo rei domino, ac in præſcribẽtem per hanc regulam dominij tranſlatio, eius enim rei ſit in Baſil. Concilio mentio, his verbis: *Quicunque non violentus, ſed habens titulum* B *coloratum pacificè, & ſine lite prælaturam, dignitatem triennio proximo poſſedit, aut poſſidebit non poſſit moleſtari, &c.* ſi ergo idem quod triennij, tituli quoque colorati non ſit initium, regulæ de triennali poſſeſſione pacifica, ad tranſlationem dominij ab vno in alium, vis erit nulla.

Ex quo infertur, quod cauſa beneficialis poſſeſſoria, ex titulis iuſtificari & probari debeat, Gloſſa *in Clem. vn. in fine cauſa poſſ.* & ſic requiritur quod poſſeſſor titulum habeat quo probet, iuſtam ſibi non deeſſe cauſam, retinendæ rei quã poſſedit annis tribus, C aut vno, quod locũ habet, tam in poſſeſſorio rei retinẽdæ quã reſtituẽdæ, nã qui beneficij quo eſt ſpoliatus, reſtitutionẽ poſtulat, illud fuiſſe ſuum, ſibique proinde iniuriam eius ablatione factam eſſe, literis authenticis tituloque probare debet: Ita Carol. VII. *in conſtitut. à ſe edita, artic. 75. Pource que les procés & matieres des Benefices, les droicts des parties apparent & doiuent apparoir par leurs lettres & titres, Nous voulons qu'iceux procés ſoient expediés, decidés & determinés, le plus bref & ſommairement que faire ſe pourra par les* D *lettres & titres des parties.*

Quartum, *An qui Beneficium cum cura, ſibi ante ætatem legitimam conferri eſt paſſus, iuuetur hac regula.*

Iuuari poſſe Rebuff. negat, cæterique qui in præſcribente capacitatem ad beneficium quod triennali poſſeſſione acquiritur, exigunt.

Affirmatiuam tenent Probus in *addit. ad Coſmam parag. ſanctio, tit. de pacificis ſuper verbo moleſtari*, Sanch. *conſilior. moral. lib. 2.* E *cap. 1. dub. 31. num. 19.* quam opinionem vt probabilem & ſecuram in conſcientia cenſent plurimi, quia non eſt hæc ætatis inhabilitas, de his caſibus quos regula excipit: ergo cum exceptio in non exceptis firmet regulam, non ſunt hi cenſendi ab huius regulæ fructu excluſi, quos canones ob defectum ætatis ab animorum procuratione, ac ſacerdotijs quibus in eam incumbere eſt neceſſe, mouent.

Eſt tamen ſentia Rebuffi tenenda, vt principiis, à nobis de titulo colorato poſitis conformior.

Quintum

Quintum, *An ſint aliqui, & quonam nomine vocandi quibus hæc regula non proſit.*

Tria hominum genera reperito, quibus hæc Calixti regula de triennali poſſeſſione non prodeſt.

Primum eſt eorum, qui Simoniaca ſunt infecti labe.

Secundum eſt intruſorum, hoc eſt qui auctoritate propria, aut vi adhibita, ſibi fecere ad beneficium quo fruuntur, aditum.

Tertium eorum, qui beneficium aliquod de iis poſſident, quæ ſunt reſeruata, reſeruatione in corpore iuris clauſa. De vi fit in Cōcil. Baſileenſi mentio, cum ad præſcriptionem huius generis quæ fit poſſeſſione pacifica triennali beneficij, requiritur vt poſſeſſor non ſit *violentus*, De Simonia Calixtus, cum eũ negat regulæ ſuæ priuilegio gaudere poſſe, qui *de Simonia ſit ſuſpectus, aut in beneficijs diſpoſitioni Apoſtolicæ reſeruatis ex aliqua reſeruatione generali in corpore iuris clauſa ſe intruſerit, reg. Concil. 33.*

QVÆSTIO IV.

Explicantur conditiones aliæ ad poſſeſſionem triennalem neceſſariæ.

PRima eſt eius continuatio. Secunda, rei habitæ toto triennio penes ſe conſeruatio. Tertia, turbarum priuatio dum retinetur, debet enim ea poſſeſſio eſſe pacifica qualis eſt futura ſi toto triennio, nec de iure nec facto lis eſt ab aduerſario poſſeſſori aut eius Vicario intentata, Gomez *ad hanc regulam quæſtione* 58. Rebuff. *numero 168.* incipit autem eſſe poſſeſſio pacifica, à tempore quo titulus coloratus haberi eſt cœptus, modo ne ſit, vt dixi, eiuſmodi poſſeſſio incompleta, nam vel vnius diei defectu eſt irrita, taliſque, vt eius cauſa, beneficio exui poſſeſſor poſſit. Quid ſi hic vocatus non fuit ad iudicium, ſed extra creata eſt illi moleſtia? Aduerſario ſcilicet negante verbaliter, ei ad beneficium ius competere vllum, aut habere verum titulum?

Reſpondend. id ſufficere vt pacifica eius poſſeſſio cenſeri nequeat, Gom. *q.* 58. quia non poteſt non eſſe hæc exprobatio poſſeſſori moleſta ac grauis, ergo & eius paci contraria, non eſt ergo pacifica. Contrarium Reginaldo placuit, negat enim *num.* 264. poſſeſſionem deſinere pacificam eſſe, per interuentum verbalis controuerſiæ, niſi ad citationem veniatur, quæ à iudice competente emanet, quæque ſit executioni mandata, ac titulus actoris, ſit in iudicio parti contra quam agit, exhibitus, vt ſtatim dicetur, quæ eſt etiam opinio Rebuffi & Sanch. *lib. conſil. 2. tom. 1. cap. 1. dub. 27.* Gomez *in reg. de trienn. qu. 55.*

A nam negant poſſeſſionem turbari deque pacifica litigioſam fieri ante litem motam, etſi forte poſſeſſor fateatur, per literas ſe citatum fuiſſe.

Quid ſi poſſeſſio triennio tenuit, ſed ſub variis, ac varie, anno ſcilicet vno V. C. ſub reſignante, duobus ſub reſignatario.

Reſpondetur, duo illa tempora, ſuis ac propriis diſtincta poſſeſſoribus, in vnum coaleſcere non poſſe, quia titulus reſignantis, eius morte extinguitur ex *cap. 1. de conceſſ. prebend.* nec ſucceſſione in alium tranſit, vt hæreditas, Rebuff. *num. 167. de pacificis*, ſed
B attributione gratuita, & liberali Pontificis conferentis: at hic aliena beneficia non vult per hanc regulam eſſe poſſidentis, niſi ea per triennium poſſideret, & cum titulo vero, aut in ſpeciem probabili, id eſt colorato, ac pacificè & ſine lite.

Ad quam neceſſaria ſunt quatuor.

Primum, poſſidentis in forum citatio, facta legitimi auctoritate iudicis.

Secundum Accuſator.

C Tertium titulus eius aliquis, qui & ipſe palam ſit exhibitus parti contra quam agit, nam moleſtiam poſſeſſori creari verbo duntaxat, non ſufficit, quemadmodum nec ſi ad verba res addatur, ſatis eſt eam ab vno de collitigantibus proficiſci ſi ſunt plures qui litem poſſeſſori intentant, quia omnium debet eſſe publica iuris ſui inſecutio: Quare ſi eorum aliquem cadere ſua cauſa accideret, cæteri qui conticuiſſent, dum hic ius ſuum inſequitur, triennio exacto audiendi non eſſent, ex Reginaldo *cap. 18 ſect. 1. num. vlt.*

D Quartò, & hoc quoque ad litem eſt neceſſarium, vt ſuper titulo beneficij moueatur, & non aliquo eius prædio, poſſeſſione, ac domo. Enimuerò decretum de pacificis poſſeſſoribus, tantum de titulo beneficij intelligitur, qui coloratus eſſe debet ac quietus, nec lite vlla interruptus aut dubius.

Sit ergo hæc quarta conditio triennalis poſſeſſionis pacificæ, vt nulla turbetur lite, nulla iuris ad beneficium incertitudine, ancipiti ac dubia, ex quo ſequitur pacificam poſſeſſionem beneficij non amitti, niſi is à quo poſſidetur in forum citatus à iudice fuerit, liſque ei intentata, ac titulus, quo ad illud nititur
E aduerſarius ſit in iudicio ipſi exhibitus, Rebuff. *de pacificis poſſeſſorib. nu. 169.*

QVÆSTIO V.

An ad effectum huius regulæ requiratur bona fides?

PRima ſententia eſt recentiorum quorundam, qui exemplo doctorum de Rota apud Gomez *q. 42. de triennali poſſeſſione*, hanc exiſtimarunt non neceſſariam, quam Nauar. quoque tenuiſſe in *conſil. 8. de renunciat*: & Emman. Sa *verbo beneficium num. 14.* Laymannus ait, *lib. 3. tract. 1. cap. 5. num. 16.* Emman. ſunt hæc verba. *Triennio poſſidens beneficium pacifice etiamſi mala fide ſit eius Dominus.*

Primò, quia triennali poſſeſſione cui auctoritatem eſſe volumus à regula Cancellariæ, & canonibus, exceptio tantum iuris acquiritur, & non ius, ergo cum illius tantum reſpectu, & non exceptionis, requiratur bona fides, non erit hæc poſſeſſori triennali neceſſaria.

Secundò, quia cum ſit hæc regula à iure exorbitans, peculiare quippiam ac proprium in bonum poſſeſſoris habere debet, eique tribuere quod ius commune non facit: at id non accidet, ſi poſſeſſio fidem in poſſeſſore bonam exigit: non eſt hæc ergo neceſſaria.

Tertio, vt vim ſuam regula obtineat, plura ad id non ſunt neceſſaria quam Papa poſtulat, at bonam fidem non petit, cum eius in ſua regula non meminerit, vt oportebat ſi ab ea poſſeſſionem pendere triennalem ei erat in animo.

Quartò, habet triennalis poſſeſſio pacifica, quod beneficium poſſeſſori tribuat non à præſcriptione, ſed ab inſtitutione ac voluntate liberali Papæ, non eſt ergo ad eam bona fides neceſſaria. Sane conſtat Pontificem velle, vt expleto triennio, beneficium ad eum vi regulæ pertineat qui præſcripſit, idque ad tollendas lites, quod eum facere poſſe nemo ambigit, qui pleniſſimam eius poteſtatem in beneficialibus eſſe intelligit.

Secunda ſententia in praxi eſt tenenda quam probant Reginald. *num. 164.* Rebuff. *de pacific. poſſeſſorib. num.* 28. Azor. *lib. 7. cap. 35. q. 1.* ac priori omnino contraria, quæ antequam probetur.

Notare placet primò, bonam fidem, idem eſſe ac opinionem, qua quis in eam mentem prudenter inducitur vt exiſtimet, rem quæ eſt controuerſa, ſuam eſſe, & non alterius, & ſi non eſt, id eum tamen neſcire, Leſſ. *cap. 6. lib. 2. dub. 2. num. 9.* Sanchez *lib. in decalogum primo.*

Notandum ſecundò, Pontificem in animarum regimine, Chriſti Legatum eſſe, iuxta traditam ei ab eodem paſcendarum ouium

A poteſtatem, Ioann. 20. ac ſtabiliendæ in fide Eccleſiæ, Matthæi 16. *Tu es Petrus, &c.*

Notandum tertiò, Sic Papam Chriſti legatum eſſe, vt tamen eius ſit Oeconomus, bonorumque diſpenſator iuxta illud Euangeliſtæ, *fidelis ſeruus, ac prudens*: proindeque, ei bona fide Domini ſui adminiſtranda bona eſſe, ſecus eum peccare, quia non eſt Pontifex eorum diſſipator, ſed fidelis diſpenſator ac legitimus, iuxta Paulum, *ſic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei*: quibus præmiſſis: ad quæſtionis ſolutionem ſit.

B Vnica Aſſertio, *Eſt mala fides poſſeſſori triennali contraria: ſenſus eſt, eum cui conſtat coloratum nullum aut verum titulum ſtare à ſe, nec ius ad beneficium: triennali poſſeſſione pacifica non iuuari.*

Primò, quia præſcriptio in ordine ad acquirendum rei præſcribendæ dominium, nullarum eſt virium ſine bona fide, at triennalis poſſeſſio, præſcriptio quædam eſt: ergo.

Confirm. Nulli ſuum ſcelus patrocinari debet: faceret vero, ſi exacto triennio, ei mala ſua fides, acquirendi beneficij cauſa foret, cum ex eo lucrum caperet.

C Et quidem ſi de canonibus agitur, peractum eſt negotium, cum ſententiæ cui noſtra eſt oppoſita, aduerſetur *canon finalis de præſcriptionibus*, ex concilio Lateranẽſi ſumptus: ſunt hæc eius verba. *Quoniam omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt ſynodali iudicio definimus, vt nulla valeat ſine bona fide præſcriptio, tam canonica quam ciuilis, cum generaliter ſit omni conſuetudini, & conſtitutioni derogandum, quæ abſque mortali peccato obſeruari non poteſt: Vnde oportet, vt qui præſcribit, in nulla temporis parte alienæ rei conſcientiam habeat,*

D hactenus canon.

Sanè eſt regula de triennali poſſeſſione ſine vi ad effectum transferendi dominij rei quæ præſcribitur, ſine colorato titulo, at eſſe hic cum mala fide non poteſt, cum qui alienum occupat ſine vero aut probabili titulo ac colorato ſit violentus & intruſus: ergo, &c.

Tertiò, abhorret à prudentia credere, Pontifices Romanos tantum ab antiqua deſciuiſſe Petri Apoſtoli virtute ac fide, vt auctoritate ſua viam velint munitam eſſe ad

E ſcelera, quæ ſeueritate cenſurarum tam acerbè caſtigant in nocentibus: at id eos moliri eſt certum intelligentibus, in hac temporum corruptela, morumque & animorum, nihil eſſe procliuius, quam vt opum cupidi, ac honoris ſupra meritum, in alienum ſe inferant, ſpe non modo impunitatis propoſita, ſed & iuris ac poteſtatis illud acquirendi, vt fieret, ſi malę fidei poſſeſſor triẽnio illud pręſcriberet.

Quartò, quia commune eſt peritorum axioma, malæ fidei poſſeſſorem non præſcribere

bere ſic enim Pontifex *reg. 2. de regulis iuris in 6. poſſeſſor malæ fidei vllo tempore non præſcribit.*

Placet iam aduerſariorum argumenta diluere: & primum quidem diſertè eſt negandum: quia exceptio eſſe nulla poteſt, ſine iure: nam ſi eſt dilatoria, iuris eſt alieni, actioniſque in eo fundatæ, aut ab eo manantis excluſio: ſi peremptoria, iuris eſt noui in rem acquiſitio, ex Leſſ. *dub. 1. de præſcript.* & aliis apud illum, dici ergo non poteſt exceptionem quæri hac regula tantum, & non ius. Quomodo enim à poſſeſſione excludere poſſum alium licitè, vt fit per poſſeſſionem triennalem, ſi ad id verum ius, & proprium non habeo? dicendum eſt ergo, ius per eam acquiri, & non exceptionem tantum.

Ad ſecundum neganda eſt maior, ſufficit enim per hanc regulam, ius antiquum de dominio rei alienæ acquirendo per poſſeſſionem bona fide triennio continuatam firmari, alioqui ſuperflua forent noua Pontificum diplomata, quæ ſæpe antiquorum ſunt tantum canonum confirmatio, aut eorum diffuſior explicatio.

Tertij minor eſt falſa. Ad confirmationem dicendum, quod etſi expreſsè Pontifex bonæ fidei non meminerit, hanc tamen tacitè & virtute exigere in *decretali literas 4. de ſupplenda negligentia prælatorum*, his verbis: *Diſcretioni veſtræ mandamus quatenus ſi beneficia & dignitates noveritis perſonis idoneis aſſignatas, eas de patientia permittatis ab ipſis pacificè poſſideri.* Etenim irregularis, Sodomita, hæreticus ac id genus homines, vita ac moribus turpes, non ſunt Sacerdotiis admouendi Eccleſiæ, niſi peccata vitæ præteritæ oderint, & ita dignos ſe ſacris magiſtratibus ſanctitate ſuorum operum exhibeant, & tamen ſi à mala fide triennalis eorum poſſeſſio habet initium, non erunt hi beneficiorum in quæ cum aliquo de his vitiis irrepſerint, quæ Eccleſia in quolibet arguit, veri ac legitimi domini ſecundum Gomezium & Azor. *cap. 35. lib. 7. q. 1.* & Rebuff. *de pacificis poſſeſſo. nu. 206.* ergo cum in beneficiis conſiſtere, non alij ſint ſinendi, voluntate Pontificis, quam qui ſunt ad illa idonei, quales eſſe non poſſunt, ſine bona fide, hanc tacitè Pontifex ad validitatem ſuæ regulæ videtur exigere.

Quarti argumenti conſequentia, primò eſt neganda, ob rationem proxime allatam, deinde ad Antecedens dici debet, ius quidem obtenti beneficij per poſſeſſionem triennio continuatam à Pontifice originem ſuam trahere, cum ordine tamen ac dependentia ad præſcriptionem tanti temporis, quam in re quoque Eccleſiaſtica valere voluit: ergo cum hæc bonam fidem poſtulet, poſtulabit & triennalis poſſeſſio,

Quare eſt hæc Rebuff. veriſſima opinio, *de pacific. poſſeſſorib. num. 28. quod ſi quis ſciueris ſuum titulum inualidum, & tamen poſſideat, ſciens alium verum habere titulum quod in conſcientia non ſit tutus, per Gloſſam & Doctores in cap. 1. de conceſſ. præb.*

QVÆSTIO VI.

An Simoniaci irregulares, & alij, qui iure canonico ad beneficia ſunt incapaces hac iuuari regula poſſint?

Est hic duntaxat de his ſermo, qui ſcientes Simoniam contrahunt, nam qui ex ignorantia inculpata in eam incidunt, hi ſi triennio bona fide beneficium quo eos Superior eſt dignatus, pacifice poſſederint, eius fore per hanc regulam poſſeſſores veros, ac legitimos ſcripſere Suar. *cap. 57. num. 39.* Gomez *q. 12. ſuper hanc regulam*, Caſtro Palao *to. 2. lib. 13. diſput. 2. puncto 33.* Theſaurus *par. 2. prax. Verbo Simonia cap. 2.* Ergo de vere ſimoniacis quid cenſendum?

Nonnullis affirmatiua placet, quod in Concordatis omiſſa ſit ſimonia, cuius tamen facienda erat mentio, ſi eam Leo X. cum Concilio Lateranenſi ſua lege comprehenſam voluiſſet, peræque ac regula Cancellariæ, exarata à Calixto tertio. Vnde ſic argumentantur: non latebat Pontificem Simoniacos commodis, vſuque huius regulæ à Calixto III. excluſos eſſe, his verbis: (*abſque ſimoniaco ingreſſu*) quæ tamen inſerta Concordatis noluit: eſt ergo eorum præteritio, virtualis quædam ac tacita permiſſio, Simoniacis ab eodem Pontifice facta: vt beneficia per eos ſic acquiſita retineant: hæc illi: *Quæ confirmant*, per regulam iuris communis, *qui tacet conſentire videtur*, maximè cum tacentis intereſt non tacere ſed loqui.

Deinde Regula duos tantum caſus excipit, ergo *vult alios etiam cum mala fide valere, ac ratos eſſe*, Gomez *q. 42.*

Contraria ſententia eſt aliorum omnium & in praxi tenenda, maxime Fabricij de Bleins *in Theor. benefic. tract. vlt. 56. & 57.* Rebuff. *de pacific. poſſeſ. num. 7. & 17.* explicanda ſequentibus aſſertionibus.

Prima Aſſertio. *Simoniaci regula de triennali poſſeſſione pacifica non iuuantur in Gallia.*

Primò, quia vt res aliena huiuſmodi triennali poſſeſſione pacifica, eſſe poſſidentis incipiat, eam neceſſe eſt niti titulo ſaltem in ſpeciem colorato ac probabili: at qui ſciens, deditaque opera ſimoniæ ſe labe inficit, culpæ prætexere ſuæ quid poteſt, quod eam eluat, eleuet aut tollat? titulum ergo habere nullum poteſt, quo beneficij per ſimoniam

acquiſiti poſſeſſionem à culpa vindicet?

Minor probatur, Qui iure canonum beneficio ſe ſcit priuatum eſſe, non niſi imprudenter & male, eius ſe poſſeſſorem legitimum & verum iactat, facit enim iuris ad illud priuatio, vt ipſo facto diſcoloratum titulum hoc eſt nullum habeat, vt loquitur Felin. in *can. nobis de reſcript.* apud Gomeſium *de triennali poſſeſ. q. 10.*

Quid eſt enim titulus? cauſa ſeu ratio rei poſſidendæ legitime, iam quæro, ecquid habere talem vllam poſſit, qui ea ſe ſcit iure priuatum eſſe? quod de Simoniaco negare nequit, qui per Extrauag. Pauli II. *cum deteſtabile*, receptam in Gallia, ſcit collationem beneficij ſimoniace factam in conſcientia ante omnem ſententiam eſſe irritam, nulliuſque valoris ac roboris coram Deo, Flamin. teſte *lib. 11. de reſignat. & tract. de confidentijs*: quare beneficium ita acquiſitum à ſuo eſt poſſeſſore relinquendum, auctore Gomeſio *q. 12. limitat. 1.* nam in ea Extrauag. dicitur ius nullum ad illud ſimoniaco acquiri, proindeque fructus ſuos non facere, ſed Eccleſiæ aut pauperibus dandos eſſe.

Confirm. Etſi per contractum, qui in commodum gratiamque priuati cuiuſpiam hominis eſt nullus, transferatur poſſeſſio, ex *lege 1. parag. ſi vir vxori, digeſt. de acquirenda poſſeſſione*, non tamen per eum qui eſt illicitus, boniſque moribus oppoſitus, nempe quia culpæ mortali eſt coniunctus, aut ad eam inducens, Imbertus *lib 1. praxis forenſ. cap. 34. num. 6.* Guenois *ibi litera Q* at eſt contractus Simoniacus omnium iudicio talis: non eſt ergo dominij, rei quæ eſt acquiſita per ſimoniam tranſlatiuus.

Secundò, vnde reo debentur ſupplicia, in de nulla trahere debet commoda: quia lex indignis priuilegia non concedit, *lege auxilium ff. de minorib. & cap. quia 14. de vſuris*: at eſt ſimoniacus violatæ religionis reus, ideoque plectendus, non eſt ergo rationi conſonum, eum ope ac beneficio huius regulæ, pœna à ſe ob culpam ſimoniæ admiſſæ commerita ſubduci ac eximi, nec enim, *decet*, inquit Bonif. *in cap. eum qui 18. de præbend. in 6. vt ſtultus melioris, quam peritus conditionis exiſtat, vel quod inuaſor, eo qui iuſtè ingreditur priuilegio gaudeat potiori*, at eſt ſimoniacus inuaſor, cum iuſta nulla cauſa fretus, beneficium eiuſque fructus habeat, pari ergo illum priuilegio gaudere non decet cum eo, qui iuſtè legibuſque canonicis conſentanee, ad illud eſt vocatus.

Nec mouere nos debet quod Gomezius in hanc regulam aſſerit poſſeſſorem annorum 13. hac regula iuuari ſine titulo eoquod decennio non interrupto poſſeſſio facta eſſe cum titulo præſumatur, *lege filius-fam. Cod. de petit. hæredit.* titulus autē qui præſumptione

A eſt talis, tantum operari debet quantum verus. Sed eſt contra mentem Pontif. quem in *regula 33.* de hac materia, conſtat titulum à poſſeſſoribus vt moleſtari nequeant, exigere. Nam eos de beneficio vult ab his prouideri qui ius illud conferendi habent, quod eſt habere ſaltem coloratum & non præſumptum qui reipſa non eſt titulus. Tertio, qui titulo nullo fretus, beneficium occupat, eſt intruſus: ergo cum eiuſmodi hominum generi regula de pacificis Papæ decreto non ſit vtilis,

B poſſeſſio decennij ſine titulo, non eſt dominio beneficiorum acquirendo ſufficiens.

Scio Bleyanum ſenſiſſe contrarium in *tract. de complurib. alijs benef. num. 57.* cum ait decennali poſſeſſione opus eſſe, cum ſimonia aut quodpiam tale vitium, inficit titulum vt elapſis poſtea annis tribus, poſſeſſio præſumatur eſſe pacifica, & ita iudicatum eſſe à Curia Pariſ. anno 1574. quod item aſſerunt Charondas *lib. 2. Pandectar. iuris tit. 9. in lib. 1. reſponſ. cap. 47.* Chenut. *in addition. ad Papon. lib. 3. tit. 12. arreſto 1.*

Sed quod pace eorum ſit dictum, à com-

C muni Doctorum ſenſu abire non placet, nec Patronorum de foro iudicium, iuſtis Pontificum decretis anteferre.

Caſus excipi vnus debet, nempe cum quis ſimoniacè eſt inſtitutus per ignorantiam, quia v. c. pater ipſo neſciente filio, clam omnibus collatoris animū certa expugnauit ſumma pecuniæ, vt eum culpæ ſuæ non conſcium Sacerdotio donatum vellet, huic enim ſic prodeſſe tùm regulā de poſſeſſione triennij pacifica & eiuſmodi titulo colorato ſcribit, Layman. *lib. 3. tract. 1. cap. 8. de præſcript. num. 16.* vt rehabilitatione tituli, ac diſpenſatione

D nulla ſit opus.

Extra hunc caſum non eſt Simoniacis, à triennali poſſeſſione recipiendi ſubſidij ſpes vlla.

Et vero à Senatu Rothomagenſi anno 1609. probatam non fuiſſe penſionem ſimoniace acquiſitā annis licet quatuordecim poſſeſſam pacificè, auctor eſt Forgetus *tract. de penſionib. num. 12.* quod eſt argumentum eius rei non leue, de qua eſt in præſenti ſermo, ſimoniam præſcriptione quantalibet longi temporis non abſtergi, nec proinde

E eius conſcios à regula de triennali poſſeſſore ſubſidium habere vllum.

Secunda Aſſertio, *Etſi iuuari hac regula pro certo habeam, non irregulares*, contrarium tamen defendunt Gomez *qu. 1. 10. 15. 27. & ſequenti in hanc regulam*, Sanchez *7. de matri. dub. 41. num. 15.* Cardin. Pariſ. *conſil. 96. volum. 4.* huius opinionis, eſt hæc præcipua ratio quod excipiantur tantum in hac regula ſimoniaci & intruſi. Ergo eā iuuari irregulares quid vetat?

Conſequentia probatur, Exceptio in non exceptis

exceptis firmat regulam, vt ex *can. Dominus* 22. *qu* 7. Dinus probat *in lib.* 1. *de regul. iuris pag.* 4. *num.* 5. *& ſequent.* At non alij vulgo exiſtimantur indigni, qui regulæ huius priuilegio gaudeant, quam qui ſimoniaci ſunt & intruſi, irregulares ergo, modo tamen incogniti & occulti, ab eius vſu commodiſque non debent excludi, ſic illi.

Mens mihi tamen eſt alia, ſicut & Reginaldo & Rebuffo *de pacifſic. num.* 126. Enimuero ad rationem colorati tituli ſine quo non ſubſiſtit triennalis poſſeſſio, ſubiecti capacitas eſt neceſſaria. At eam irregularis non habet: ergo, &c.

Maior oſtenditur, Moniales etſi centum annis Eccleſiam viro deſtitutam occupent, à regula tamen de triennali poſſeſſione, conſequendi beneficij ius ac facultatem habituræ ſunt nullam, Rebuff. *de pacifſic. ampliat.* 3. *nu.* 4. & 5. Fabricius *de beneficijs tam virorum quam mulier. num.* 40. At huius rei cauſa non eſt alia, quam earum incapacitas: ergo, &c.

Confirm. Qui in Gallia beneficium Parochiale in villis muratis habent, ſi non ſint Graduati, decreto de pacificis iuuari nequeunt vt à Senatu Tholoſano reſponſum eſſe ſcribit Maynardus *lib.* 1. *q.* 6. *cap.* 56. ergo vt poſſeſſori beneficij, ius ex pacifica poſſeſſione triennij acquiratur, certum aliquod ac validum, eſt in ſubiecto, hoc eſt poſſeſſore, eius obtinendi capacitas, hoc eſt facultas neceſſaria.

Confirm. Quamdiu eſt irregularitas ignota hominibus, non poteſt ea non eſſe occulta: at ex incognita ad ordines & beneficia contrahitur incapacitas. Dubia enim & maximè quæ eſt talis, ratione facti homicidij, de quo proinde certo non conſtat, tam à beneficiis quam vſu ordinum remouet, ſecundum Henriq. *lib.* 13. Nauar. *Enchirid.* 27. *num.* 143. Couar. *in Clement. ſi furioſus num.* 3. eo quod in dubio commiſſi homicidij teneri ſingulos gerere ſe pro irregularibus Pontificum ſit opinio in *cap. ad audientiam & cap. ſignificaſti & Clement.* 2. *de homicidio*, eo quod in dubio pars ſit tutior eligenda, vt potè quæ excludat omne peccandi periculum, dubia ergo irregularitas ex probabili horum Doctorum ſententia eundem effectum habet ac cognita. Eſt hæc opinio probabilis, prior tamen ſecura eſt, ob rationem ante allatam, nempe quod irregulares & id genus homines culpa ſua beneficij incapaces, non ſint de eorum hominum genere, qui excluduntur priuilegio regulæ, quales ſunt intruſi, Simoniaci, & prouiſi de beneficio reſeruato Pontifici, reſeruatione quæ ſit in corpore iuris incluſa.

Ad argumentum pro Simoniacis allatum initio reſponderi debet, quod Pōtifex in Cōcordatis, cum de triennali poſſeſſione agit, Simoniacos expreſſe ab eius vſu & priuilegio non excludat, certum non eſſe animi eius ac voluntatis indicium, de iis admittendis in Societatem beneficii per hanc regulam conceſſi ſingulis quos ipſa non reiicit: nam vt habet *regula* 44. *de reg. iuris. Is qui tacet, nec probat, nec vtique negat*, eo quod tacere, non reſpondere, non loqui, quiddam ſit inter aſſenſum non loquentis & diſſenſum eiuſdem, medium ac interiacens, vt notat Dynus in eam *reg. num.* 1.

Negari ſecundo debet, quia per canonem, aut legem Eccleſiaſticam conſtitutio ei contraria non tollitur, niſi ſuper eo verbis claris ac dilucidis mentem ſuam Pontifex exprimat, & ita olim à ſe conſtitutionem editam abroget, vt eſt *in cap. vt animarum de conſtitut. in* 6. At clauſulam concordata nullam habent qua ſimoniacis Papa aperte ſignificet fauere ſe velle, cum expunctione regulæ Cancellariæ de triennali poſſeſſione, non ſunt ergo Simoniaci in eorum aſciſcendi numerum, quibus hæc poſſeſſio continuata triennio, faueat.

Ad id quod dicitur, regulam non excipere niſi duos caſus Reſpondet Rebuff. *de pacific. poſſeſſoribus num* 28. non excludere ſimiles.

QVÆSTIO VII.

An qui iure aut natura, ſunt ad beneficium manifeſte inhabiles, poſſint iuuari hac regula.

Dico primò *Non poſſe*, quia tùm, & non alias, & aliter vim hæc ſuam exerit, quam cum titulus interuenit aliquis, ſaltem coloratus, quo ea nitatur, at qui natura, aut iure, beneficij poſſidendi eſt incapax, titulo colorato tantum, & in ſpeciem vero, donari à collatore non poteſt, eſt enim titulus, id virtute cuius quiſpiam eſt beneficiarius at qui beneficii eſt incapax, beneficiarius eſſe nequit: ergo nec ei tribui titulus.

Confirmat. Si qui natura aut iure, eſt ad beneficium inhabilis, eius verum acquireret titulum per poſſeſſionem triennij pacificam, laïcus, ideſt non Clericus, poſſet eſſe beneficiarius, id autem quis credat? cum ad ordines & beneficia, aditum tribuere lege Eccleſiæ tonſura debeat, *cap. cum adeo* 17. *de reſcriptis & cap. ex literis* 6. *de tranſact.* quare etſi coniugatus, vel mere laïcus aut bigamus, triennio beneficium ſibi collatum poſſederint, non tamen iuuabuntur hac regula, quia eius acquirendi, aut acquiſiti non ſunt capaces.

Cinfirm. cum inhabilitas eſt publica & manfeſta, tollitur color tituli, fitque hic de-

coloratus, & ita intelligendi ſunt Rebuff. & A alij Doctor: qui negant inhabilem iuuari hac regula, de manifeſta enim eos loqui argumenta allata indicant. Sane excommunicatos beneficiis ante cenſuram habitis non excidere, docet Sanch. *in conſil. lib. 2. cap. 1. dub. 31. num.* 21. ex eoque fieri planum poteſt, quod non ſint vitandi, niſi ſint per ſententiam iudicis declarati, etſi ſit eorum excommunicatio manifeſta. Concord, *de excommunic. non vitandis*, Nauar. *cap. Enchirid. vlt. num. 35.* vbi hæc habet. *Vſus orbis & vrbis habet non vitare excommunicatos ſpecialiter* B *ob contumaciam non comparendi, aut parendi, antequam declarentur & denuntientur*, in quo eum, Suar. ſequitur *diſp. 14. de cenſur. ſect. 2. num. 5.*

Dico ſecundò, *Inhabilem iure Eccleſiæ, iuuari hac regula, ſi eſt eius inhabilitas occulta.*

Ratio eſt, quod non ſitis, cuius eſt inhabilitas occulta, acquirendi tituli colorati incapax. At hunc occulta inhabilitas non impedit, cum collationis impedimentum ex hypotheſi lateat.

Secundo, ab hac excludendi regula ſunt hi tantum, quos excluſos Pontifex voluit, at C de hoc non ſunt numero, niſi ſimoniaci & intruſi: ergo in eorum non ſunt claſſem includendi irregulares quilibet, ſed hi duntaxat, quorum eſt manifeſta inhabilitas.

Tertio ſunt actus omnes, quos exercet occultus inhabilis validi, at id eſſe non poſſet, ſi titulum coloratum non haberet iuxta Thom. Sanch. *de matrim. diſp. 22. n. 49.*

Ex dictis patet illegitimo huius regulæ ope ac beneficio, acquiri Sacerdotium, quod ei fuit collatum, quia non eſt de exceptis in regula, ergo cum exceptio firmet in non exceptis regulam 22 *qu. 7. can. 6.* fiunt illegitimi D per præſentem, poſſeſſores beneficij à ſe pacifice triennio poſſeſſi.

Patet 2. Idem eſſe de ſæculari iudicium, ſi beneficium regulare tribus annis ſine turbis ac tumultu poſſideat, & contra ſi regularis ſeculare, nam neuter eſt exceptus à regula, ergo cum per diſpenſationem Pontificis ambo beneficiorum ſint capaces, regularis quidem ſæcularium, ſecularis autem regularium, cenſendi ſũt ad ea diſpẽſati eſſe per hanc regulã. E

Quod ſi *in cap. de beneficio 5. de præbend. in 6.* Bonifac. aſſerit regulari ſeculare beneficium committendum non videri, quod tanto tempore à regularibus poſſeſſum non fuit, *vt præſcriptio legitima ſit completa*, de eo intelligitur, quod regularibus ſine diſpenſatione communiter dari poteſt, eo quod per præſcriptionem annorum 40. eius eſt natura mutata, factumque eſt è ſæculari regulare, quo de beneficiorum genere nobis hic non eſt ſermo, ſed de his, quæ tùm primum à regulari poſſideri incipiunt, eorumque per poſſeſſionem triennali titulum acquirunt.

QVÆSTIO VIII.

An ſubreptitia collatio titulum coloratum efficiat?

Omnino, ita Probus *in pragmatica ſanctione titulo de pacific.* vocatur autem ſubreptitia collatio, quæ per falſam narrationem, aut taciturnitatem obtinetur eius, quod deberet exprimi. Cauſa eſt, quod titulus colorem habeat à collatione ordinarij, at quod hæc ſit ſubreptitia non impedit, quo minus ab eo fiat cuius eſt beneficia mandare dignis: ergo, &c.

Dicendum idem, quando beneficium primo datur vni, deinde alteri, nam primus verum titulum accipit, & ſecundus coloratum, Gomeſ. in hanc regul. *q.* 28. Similiter quum datur beneficium viuentis, ipſo decedente, retinet alter coloratum titulum Gomeſ. *q.* 44. Item quando in impetratione beneficij verus valor nõ exprimitur, eius collationẽ coloratus titulus ſequitur Gomez. ib. *q.* 51. Deniq; quando datur beneficiũ litigioſũ, aut cõtra aliud decretũ Cancellariæ, manet tamen nihilominus coloratus titulus, Gomeſ. ib. *qu.* 28 quorum omnium vnica eſt ratio, nempe quod hic nihil excipi debeat, quòd non excludat regula iuxta illud commune axioma iuris. Exceptio in non exceptis firmat regulam. At Cancellariæ ac Concordatorum regula nihil eorum excipit, quorum in hac eſt quæſtione facta mentio: ergo, &c.

QVÆSTIO IX.

An ſint caſus aliqui aut peccata, in Cancellaria regula incluſa, quæ vim poſſeſſionis triennalis impediant & quæ?

Omnino, eaque numero tria. primum eſt Simonia, alterum intruſio, tertium reſeruationis violatio, qui ergo beneficium ſimoniaca fraude poſſidet, qui reſeruatum reſeruatione in corpore iuris clauſa, aut auctoritate propria & non ordinarij, quæ intruſionis eſt ſpecies, hic vt eſt dictum antea, regula de triennali poſſeſſore iuuari nequit.

Fit autem quoad præſens negotium quis intruſus. Primo quando non habet titulum verum, vel præſumptum, vt ei accidit qui accipit & retinet beneficium auctoritate propria. Secundo, quum titulum habet quidem, ſed non ab eo qui hunc iure conferre poteſt, vt habet qui præſumpto tantum nititur. Tertio, qui de eo eſt Simoniace prouiſus, cum enim ſit hæc prouiſio inanis ac nulla, eius ope capeſſere

poſſere beneficium, eſt illud ingredi abſque iure, malaque arte, ac proinde nulliter ac irritè, quæ autem beneficia ſint reſeruata Pontifici dictum eſt antea.

Quid ſi vim poſſeſſor triennalis adhibeat, quid ſi beneficio, in quod eſt ingreſſus, poſſeſſorem per vim, minaſque extruſerit?

Sua ei triennalis poſſeſſio non proderit, pacifica licet, quia etſi Calixtus violentiæ non meminit, eam tamen Baſileenſe Concil. pari loco ſtatuit quo ſimoniam: ergo vt ab iſta, vis poſſeſſionis continuatæ triennio impeditur, ita & à violentia, docent hanc ſententiam Rebuff. *de pacific. num.* 228. Nauar. *lib. 3. conſil. tit. de præb. conſil.* 41. & 42. Sanch. *ſupra dubit. 33. n.* 1.

Quare qui per vim, metumque palam beneficii poſſeſſori incuſſum, illud iniit, ac triennio poſſedit, non eſt hic verus ac legitimus eius dominus, quia cum auctoritate ipſe ſua illud inuaſerit non ſuperioris, eſt intruſus, cuiuſmodi homines regulæ præſentis priuilegio non gaudent.

Quid ſi legitimus eius beneficii poſſeſſor vi aut metu ei renunciet? Ne tunc quidem futurus eſt eius ſucceſſor tutus in conſcientia. Cauſa eſt, quod quum *quæ metu & vi fiunt, de iure debeant in irritum reuocari, cap. Abbas 2. de his quæ vi metuſque*, ipſaque beneficii abiuratio, eo facta modo, irritari à ſuperiore debeat, ſuaque Eccleſia reſignanti reddi, non poteſt Epiſcopus, qui de metu illi impreſſo eſt certus, renunciationem admittere, nec proinde beneficium conferre: quare cum ſine titulo, eoque ſaltem colorato, præſens non operetur regula, erit facta collatio beneficii, reſignati per vim aut metum, nulla.

QVÆSTIO X.

An regula de triennali locum in conſcientia habeat.

SEnſus eſt, an poſſeſſor triennalis beneficium ſic poſſeſſum retinere in conſcientia valeat.

Prima ſententia negat, quam defendunt Coſmas *in pragmat. poſſ. ſ. ſuper verbo triennium, & verbo moleſtari*, Couar. *in reg. poſſeſſor 2. p. parag. 10. num. 10. concluſ. 7.* rationem hanc dicti ſui habent, quod Pontifex in ſua regula moleſtiam poſſeſſori triennali, exacto poſſeſſionis ſuæ triennio, creari quidem nolit, ſed de beneficio ab eo retinendo, ne verbum quidem habeat, quod eſt argumento, per hanc regulam, ius ad beneficium irreuocabile, firmumque ac ſtabile non dari triennali poſſeſſori, ſed tantum aduerſario, id eſt actori, actionem in eum non tribui, vi cuius de poſſeſſione deiici queat ac

A beneficio ſpoliari, *Non moleſtari enim, ſeu non inquietari, idem important de iure canonico quod ſilentium imponere, hoc autem, id eſt ſilentium imponere, ac audientiam denegare*, Gomeſius *in hanc regul. q.* 58. at vetare alicui, ne ſit in repetione rei ſuæ moleſtus alteri, non eſt iſti, ius in illam, dominiumque plenum dare: ergo, &c.

Confirm. Exceptionis conceſſio non eſt iuris in rem collatio, ſed per hanc regulam, datur tantum triennali poſſeſſori exceptio, & non actio, & ſic erper hanc regulam non ac-

B quiritur titulus. Ita Gom. *q. 53 parag. tamen iſtis non obſtantibus*, ex quo ſequitur, in eius ſententia regulam hanc non habere locum in conſcientiæ foro, ſed ciuili tantum.

Ad eorum ego partes tranſeo, qui poſſeſſorem aſſerunt, finito triennio cum his conditionibus, quas Calixtus exigit: eſſe iure quam optimo beneficij ſic poſſeſſi dominum, ac proinde illud in foro conſcientiæ ſeruare poſſe.

Ratio eſt, quod præſcriptione legitima, id eſt toto eo continuata tempore, quod eſt præſtitutum legibus, verũ dominium rei præ-

C ſcriptæ ſic acquiritur, vt ea retineri poſſit ac ſeruari in conſcientia, etenim quia id erat neceſſe ad ſedandos ſcrupulos, pacandas conſcientias, tollendam dominiorum incertitudinem, Imperatoribus placuit dare præſcriptioni vim tranſlatiuam dominij rei quæ eſſet præſcripta legitimè. At præſcriptioni æquiualet hoc triennium, ex ſententia omnium: ergo vt per illam rei præſcriptæ, ita & per triennalem poſſeſſionem, beneficij titulus ac dominium acquiritur, & non tantum ius ac poteſtas actoris excludendi à ſua poſſeſſione, Rebuff. *de pacific. num.* 21. & 29. Gom. *qu.* 58. Sanch. *in conſil. lib. 2. cap. 1. dub.* 21.

D

QVÆSTIO XI.

An is cum quo triennalis poſſeſſor permutauit ſuum beneficium, iuuetur hac regula.

CAſus eſt, talis, N. beneficium ſibi ab Ordinario collatum & triennio pacificè poſſeſſum, ſed quod de iure, factoque verè non vacabat cum ad illud eſt promotus,

E permutat cum alio, quæritur an tueri ſe iſte poſſit, contra beneficiarium primum, qui rem ſuam, id eſt beneficium reddi ſibi poſtulat.

Reſpondend. poſſe, ratio eſt, quod acquirens beneficium per permutationem, eodem iure illud poſſideat, quod permutanti competebat, antequam eo cederet in gratiam ſui compermutantis, ſed ille plenum habebat ac integrum, ergo & iſte.

Secundò prædeceſſor, hoc eſt permutans

beneficium quod triennio pacificè, cum colorato titulo poſſedit, id quod proprie ſuum erat, compermutanti tribuit, nam ius in illud præſcriptione triennali acquiſiuit, iure ergo tueri ſe poteſt prædeceſſoris ſui contra quemlibet.

Confirm. Compermutanti excludere actorem licet per exceptionem iuris in beneficium non ſuum, ergo & ab hac regula poſſeſſioni ac permutationi ſubſidium quærere.

Conſeq. probatur, à repetitione rei quam repetens ſuam eſſe dicit, iuſte excludi nō poteſt, ſi ad excludentem non pertinet; At ab ea iuſte repetens excluditur, cum hæc, iſti in foro externo negari ſoleat, & quidem iuſte vt patet: ergo, &c.

Tertio, negat Calixtus in ſua regula moleſtiam creari vllam debere ac poſſe beneficiario, qui cum titulo colorato beneficium triennio poſſedit ſine turbis, at id falſum eſſet, ſi facta permutatione, compermutanti poſſet ab actore eripi, quia cum ſic inanis hæc ac irrita redderetur, prædeceſſori triennali magna haud dubie inferretur moleſtia, quæ vt vitetur, dicendum quod res eſt, & permutationem validam eſſe, & compermutantem titulum habere beneficij quod à prædeceſſore triennio pacificè poſſeſſum fuit.

QVÆSTIO XII.

Explicantur dubia, ad intelligentiam regulæ de triennali poſſeſſione ſpectantia.

PRimum, *An qui beneficium, ab Epiſcopo excommunicato, & denunciato conferri ſibi eſt paſſus, titulum coloratum habeat, quo fretus illud per poſſeſſionem triennij pacificam præſcribere valeat.*

Dubitandi eſt hæc cauſa, quod eius collatio nō ſit rata. Enimuero eſſe hęc ſine iuriſdictione non poteſt, at eſt per Eccleſiam excommunicato denunciato adempta omnis, ergo cum titulus ſit id Iuriſperitis, ac ſummarum ſcriptoribus, quo beneficium acquiritur, & acquiſiti dominium defenditur; verus nullus, aut coloratus obtendi ab eo poteſt, cui facta ab ordinario beneficij collatio, eſt nulla.

Reſpondend. facere pro eo tamen, qui à denunciato beneficium obtinuit, titulum ſi non verum ac probabilem, at apparentem, coloratum, ac in ſpeciem legitimum.

Ratio eſt, quod quiſquis eſt ab eo beneficio donatus, qui vt ordinarius conferre poteſt, etſi ob cenſuram, aut impedimentum ſimile quodpiam, iuſtè tum id facere nequeat, Sanch. *tom. 1. lib. conſil. 2. cap. 1. dub. 31. num. 4.* Quia regula cum Baſileenſi Concilio, duos tantum caſus excipit, in quibus à collatione

A Ordinarij titulum non vult coloratum fieri, nempe cum prouiſus eſt ſimoniacus, aut datum eſt ei beneficium à Pontifice reſeruatum, in reliquis ergo caſibus, valet regula vt ex Probo *in additionib. ad Coſmam pragmat. Sanction. de pacif. poſſ. §. ver. coloratum*, probat Sanch. loco proximè citato.

Argumenti allati initio, facilis eſt ſolutio. Enimuero veriſſimè dicitur quod quidquid in collationum materia ab excommunicato denunciato geritur, geritur inualidè, ſed eſt negandum, titulum ab eo coloratum tradi nullum, cùm eum talem eſſe ſit certum qui ab

B ordinario datur.

Secundum, *An titulus, qui tantum eſt præſumptus, ſufficiat ad effectum huius regulæ.*

Eſt titulus præſumptus qui de ſe eſt nullus, ex certis tamen coniecturis & argumentis, exiſtimatur idoneus. Exempli cauſa, annis decem aut 13. beneficium quis aliquod poſſedit ſine titulo, quia cum vacaret, illud vi, manuque armata occupauit, quæritur, an exacto eo tempore, hac ſe regula tueri queat.

Affirmant Gomez *q. 26.* & Sanchez *conſil. lib. 1. cap. 1. dub. 30.* Negat Rebuff. *de pacific. poſſ. §. num. 57. & 204.* cuius ſententiam priore veriorem his maxime nominibus ha-

C beo.

Primo, quod ſine titulo, nullarum ſit virium triennalis poſſeſſio, at ex hypotheſi, is de quo nobis eſt hic quæſtio, prætexere nullum poteſt, præter præſumptum, qui in re eſt nullus.

Secundo, intruſo non prodeſt triennalis pacifica beneficii poſſeſſio, cum ab eius vſu ac priuilegio remoueri eū Calixtus imperet. At beneficium ſine titulo, hoc eſt collatore ignorante ac inſcio occupans, eſt intruſus, quantalibet ergo temporis intercapedine hic

D illud etiam ſine lite ſeruabit, non fiet eius poſſeſſor.

Tertium, *An qui viuentis beneficium poſſidet, fiat exacto triennio, eius poſſeſſor legitimus ac Dominus.*

Quia titulo aliquo ſaltem colorato niti debet ea poſſeſſio, quæ rei alienæ ius at poteſtatem poſſidenti tribuit, qualis pro eo, nullus facit, qui rem viuentis penes ſe habet, quandiu erit hic ſuperſtes, præſcribi non poterit, nec proinde eius dominium acqui-

E ri: ita Rebuff. *de pacific. num. 260.* contra Sanch. *lib. 2. dub. 31. num. 16.* Quod ſi eo mortuo, illud ipſum auctoritate collatoris ordinarii capeſſeret, ſed non ſine vitio, proindeque inefficaciter ac inualidè, poſt triennii poſſeſſionem pacificam, hoc eſt ſine turba, ac tumultu, vi præſentis regulæ, hoc eſt iure canonum, eius Dominus foret.

Quartum, *An illegitimus, aut tonſura Eccleſiaſtica charactere non notatus, acquirendi beneficij per hanc regulam ſit capax.*

Non

Non eſſe contendunt Coſmas *in annotation. ad pragmat. Sanction. de pacific. poſſeſſ. verbo quicunque*, Rebuff. *de pacific. num.* 162. quia qui eſt natura, aut canonum iure, ad beneficium inhabilis, non fit tractu temporis quamlibet longi, eius capax, ita in *cap. cauſam 7. & cap. accedentes* 11. *de praeſcript.* negant Alexand. III. & Innoc. III. ille quidem *in cap.* 7. decimas à laïcis præſcribi poſſe, quia earum non ſunt capaces: iſte autem, Ordinariis excuſationi locum eſſe vetat, qui procurare legatos Apoſtol. ſedis renuunt, & procurantibus ad expenſas ſubſidium impertiri, *etiamſi longiſsimo tempore procurationis obſequium non impenderint cum in talibus præſcriptio ſibi locum nequeat vindicare*, hinc enim argumentari ſic lubet. Quia decimas detinere Laïci nequeunt, eas nulla valent ratione præſcribere, ſecundum Alexand. *in cap. cauſam citato*, ergo nec qui beneficii eſt incapax, eius conſequendi per poſſeſſionem triennii pacificam, capax fiet, cum vtrobique par ſit ac æqualis ratio, nec quid mora, quid tempus in animo, moribuſque poſſidentis agat, quo melior, aut ad regendum fiat aptior, intelligi queat.

Eorum mihi videtur ſententia potior, qui illegitimos, ab huius regulæ effectu excludi nolunt, eo quod de eorum non ſint numero quos illa excipit, nec enim ſunt Simoniaci. Intruſi aut beneficia Papæ reſeruata poſſidēt, præter quos non ſunt alii, gratiæ per Calixtum, ope ac beneficio huius regulæ ſingulis conceſſæ, incapaces, quia cum hos duntaxat reiiciat, in reliquis firma manet, *lege nam quod liquida dig. de pœna legat.* Sanch. ſupra *nu.* 20. Probus *in addit. ad Coſm. pragm. Sanct. tit. de pacif.*

De non tonſurato fuit altera quæſtio, cuius eadem eſſe priuilegia ac illegitimi, quoad effectum acquirendi beneficii per hanc regulam eſſe non poſſunt, eo quod non tonſuratus ſit recipiendi tituli cuiuſlibet ad beneficium, incapax, ſine quo tamen quid poſſeſſori pacifico prodeſt hæc regula?

Eſſe autem non tonſuratum incapacem tituli, vel hinc patet, quod laïco legibus Eccleſiæ conferri beneficium nequeat, ergo nec titulus, tam qui verus eſt, quam qui coloratus.

Quintum, *An in conſcientia foro locum hæc regula habeat, & à quo.*

De externo eſt certum, de alio quoque, res eſt Doctorum opinione veriſſimâ, nulli ambigua. Etenim quæ à Romano Pontif. beneficia Catholico dantur homini, hæc eum iure quam optimo poſſidere, nemo qui quodlibet, Pontifici in beneficiorum materia ſcit licere, ambigit, at hæc cum ſunt poſſeſſa triennio, vult ad eum pertinere Pontifex, qui poſſedit ſine lite, ea ergo retinere ſibi poteſt

A licitè ac validè.

Secundo, quæ præſcriptione quis acquirit, hæc illæſo conſcientiæ iure, ſua eſſe iuſtè poteſt dicere, id pacis inter ciues retinendæ gratia, Imperatore non ſinente modò, ſed volente. At Pontificis maior eſt in Eccleſiam poteſtas, eiuſque bona, quo de numero ſunt beneficia, quā Cæſaris in imperiū: ergo quod ille de prædiis, agris, ac domibus decernit, nempe vt in ius præſcribentis tranſeant, hoc Pontifici in rebus quæ ſui ſunt iuris vt Sacerdotia, honeſte negari nequit, cum ſint hæc

B ergo de Chriſti ſuppellectile, patrimonioque, eaque iuſtas ob cauſas illius eſſe velit, qui triēnio ea ſeruauit, illi de peccato, aut de poſſeſſionis ſuæ æquitate religionem iniicere, non eſt vt quàm minimum dicam ſapere.

Tertio, non vult Calixtus poſt exactum annorum trium ſpatium, vllum poſſeſſori de re ſic poſſeſſa iniici ſcrupulū: ergo pro poteſtate, quā præſtat in Dei Eccleſia, ius beneficii titulo tantùm colorato poſſeſſi, in eum, pro quo hic, ac triennalis poſſeſſio faciunt, transfert, patetque per regulam *Cancellariæ* 33. & canones ante citatos, quartum maxi-

C me *de ſupplenda negligent.* vbi hoc ipſo, quo aliquem Eccleſia, poſſidere beneficium pacifice patitur, ius ei ad illud dare creditur.

Ex dictis infertur, non peccare eum, qui poſt beneficium, bona fide annis tribus pacificè poſſeſſum, illud cum facultate Papæ aut ordinarii cedit alteri, quia vt eſt eius poſſeſſor ac Dominus, de eo arbitrari ac ſtatuere, poſſe quæ iuri non ſunt contraria, vt eſt reſignatio in manibus Papæ facta, quis nō videt?

Sextum, *Qualiter intelligatur triennium,*

D *vt poſſeſſio, quæ toto eo ſpatio durauit, cenſeatur pacifica, & dominio per eam acquirendo idonea.*

Primo, debet eſſe perpetua, interrupta menſibus aut mēſe, non eſt triennalis, quia facit ea interruptio vt triennium integrum non ſit ac plenum, quanta enim & quam eſt hæc longa, tantū de triennio detrahi per eam eſt neceſſe. Quod autē hoc completū eſſe debeat, Iuriſperitorum eſt opinio *ad leg.* 3. §. *minor. dig. de minorib.* qui rem in iure certam habent, quod cum tempus, vt valida ſit ac rata actio aliquod ſtabile requiritur, oporteat illud eſſe conti-

E nuum, Sanch. *lib.* 5. *ſumma cap.* 4. *num.* 31.

Secundo, debet eſſe completa poſſeſſio, hoc eſt de momento ad momentum producta, quia cum ad opus tempus à lege præſtituitur quo fieri debeat, id de eo par eſt intelligere, cui de integritate ſua pars nulla deeſt ne minima quidem, quanta eſt momenti, aut ictus oculi.

Quid ſi biennio beneficium ſeruaueris, anno autem altero ſine turbis is qui tibi in eo ſucceſsor eſt factus?

Reſpondend. bina hæc tempora in vnum

coire non poſſe, quia ius primi poſſeſſoris inchoatum per poſſeſſionem annorum duorum pacificam, cum eo interit, nec ad ſucceſſorem hæreditatis more tranſit, vt ergo poſſeſſio triennalis dici queat, interciſa eſſe non debet, quilibet eius in tempore defectus, eius eſt interitus, quia vt tempus cenſeatur completum ex omnibus ſuis momentis, tanquam partium ſuarum aggregatione conſtare debet, Rebuff. *de pacif. num.* 266. quare ſi de triennio vel vnus dies defuerit inquietari poſſeſor poterit, Reginald. *to. 2. lib.* 30. *cap.* 18. *ſect.* 1. *num.* 263. Nec ſufficeret ſi ab vno aliquo inchoata fuiſſet poſſeſſio, V. C. ab eius prædeceſſore, in cuius poteſtate eſt beneficium, & ab iſto continuata poſtmodum foret, quia vnus idemque poſſeſſor eſſe debet, qui etiam interruptionis tempore titulum retineat.

Quid ſi contra poſſeſſorem agere is non potuerit cui beneficium ab eo poſſeſſum, ſibi ait eſſe debitum?

Si quominus id poſſet, legitimum aliquod impedimentum proferet, contra eum durante hoc impedimento triennium non curret, ſed de tempore ſequente hoc impedimentum, tantum erit adiungendum tempori quod præceſſit, quantum eſt opus ad triennium. Debet hic autem qui ſe impeditum cauſatur, impedimentum ſuum iuſtificare parti contra quam agit, alioqui elapſo triennio ei agere non erit amplius permiſſum, *cap. finali de appell. & Clementina cauſam de elect.*

QVÆSTIO XIII.

An is cui ſecundo idem beneficium eſt reſignatum, tueri ſe poſsit hac regula.

FActum eſt tale, Beneficio abire ſuo in Mæuii gratiam Titius cum vellet, illud ipſum Ordinario ei conferendum tribuit, de quo ſeipſum paulo poſt arguens, idem Lucii cauſa in manibus Papæ reſignat cum penſionis onere, illudque triennio occupat ſine turbis ac lite. quæritur an iuſte, & cum effectu retinendæ rei Eccleſiaſticæ à Pontifice ſibi traditæ ceſſione Titii, ac triennio poſſeſſæ E
pacificè.

Reſpondendum pro Lucio, nec æquitatem nec triennalem beneficii poſſeſſionem facere, non primam, quia vero ac legitimo ſuo Domino eripi quod eſt ſuum non poteſt, at Sacerdotium ceſſione Titii, factaque ab ordinario collatione Mæuio, cui primo eſt ceſſum, eſt in eiuſdem, iure ac dominio quam pleniſſime, ei ergo eripi, vt detur alteri, non poteſt ſine crimine, facere id vero Titio fuit in animo, cum illud in Curia ſuo reſignari
A nomine voluit, Lucioque dari à Pontifice, cum onere penſitationis nummariæ, peccauit ergo contra eam virtutem Titius, quæ aliena, vt ſacra intacta eſſe vult, illibata ac perpetua.

Non facit etiam pro Lucio triennij poſſeſſio pacifica, quia quæ duæ res poſſeſſori fauere debent, titulus coloratus, & non turbata poſſeſſio, hæ contra Lucium faciunt ambæ. Titulus quidem, quia hic conferri ab eo debet qui poteſt, quod hic non accidit, cum beneficia quæ nec iure nec facto vacant, Papa conferre non ſoleat.

B Quid? quod collatio ſubreptitia ſit nulla? nulla item eius rei in fauorem tertij ceſſio, quæ ad cedentem non pertinet? vtroque iſto vitio laborat præſens ceſſio. Subreptionis quidem, nam quid eſt minus probabile quam Pontificem, ſi iam factam beneficij ceſſionem alteri noſſet, admiſſurum illam fuiſſe in Lucii gratiam, quanquam non ſine penſionis quotannis pendendæ nexu ac obligatione? nec enim ius quæſitum alteri vnquam adimit ſine aliqua eius culpa, qualem hic in Mæuio
C primo Titii reſignatario nullam video.

Deinde cui non eſt cognitum, beneficii non vacantis collationem nullam eſſe? nullam item ſine inſtitutione canonica poſſeſſionem dari poſſe, nec hanc concedi, niſi rei vacantis, gloſſa *pragm. in verbo inquirant, parag. ordinarij de pacif. poſſeſſ. Et hoc*, inquit Flaminius *ne aperiatur via malitijs, vt quis reſignet duobus, & ſecundus capiat poſſeſſionem, & tollat ius tertio, lib. 1. q. 15. num. 15.* maneat ergo quod eſt in reſponſione poſitum, præſenti
D regula iuuari reſignatarium ſecundum non poſſe, quia reſignatio ei facta, ſecutaque vi eius collatio eſt nulla, vt dicitur in *regula Cancell. 40.* his verbis: *Si reſignantem ſeu cedentem plures, ſuper vno & eodem beneficio in fauorem diuerſarum perſonarum ſucceſſiue conſentire contigerit, voluit ſanctitas ſua quod primus conſenſus & litera illorum prætextu, ſub priori data expedita pro tempore, nullius ſint roboris.*

DE

PENSIONIBVS.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit Penſio & an ſit Beneficium?

DE Penſionibus diſputant Nauar. *in conſil. tom 2. lib. 1. de reſcriptis*, *& lib. de ſolutionibus conſil. 2.* Tolet. *l. 5. cap.* 83. Malderus *tract. 9. cap. 3. dub. 13. & 14.* Leſlius *lib. 2. de iuſtitia tract. de beneficijs*, Flamin. *lib. 6 de reſignat. q. 1. & 2. trac. de ſimonia confidentiali*, *& lib. 1. q. 9.* Rebuff. *in practica Cancellariæ*, & in *tract. de pacific. num. 93. & ſequent.* Piaſecius *praxis Epiſcopalis part. 2. cap. 5. art. 2. nu. 63. & ſequentibus*, Guerrera *in ſpeculo cap. 6.* vt quæſtioni fiat ſatis.

Notandum eſt primò, eſſe de ratione beneficii vt ſit perpetuum, nã vt eſt in *can. ſicut vir* 11. *cauſæ 7. q. 1.* inter Eccleſiam, & beneficiarium qui ei præficitur, matrimonium quoddam ſpiritale intercedit: ergo vt hoc eſt perpetuum, ita & beneficium.

Notandum 2. de beneficio abire ſuo beneficiarium ſine conſenſu ſui ſuperioris non poſſe, Euariſti Papæ teſtimonio *in can. ſicut vir citato*, *ſicut enim vir non debet adulterare vxorem ſuam, vt illam dimittat, ita nec Epiſcopus Eccleſiam ſuam.* His præſuppoſitis.

Dico primò, *Penſionem non eſſe vt quidam volunt, certam portionem fructuum ex beneficio ſeparatam ad tempus.* Nam vt bene probat Nauar. *tom. 2. conſil. lib. 5. conſilio de ſimonia 43. nu. 6.* conuenit hæc definitio aliis pleriſque rebus, quæ penſiones eſſe nequeunt: nam quis dicat, quæ medico, aut militi ſtipendia dari de bonis Eccleſiaſticis ſunt ſolita, penſionem eſſe? & tamen certa ſunt, ſtataque pars fructuum beneficii.

Quid? quod de locuplete beneficio fructuum partem aliquam detrahere Papæ ſit in more, dandam Coadiutori aut Epiſcopi Vicario? Quod talis aliqua portio, de reditibus beneficii ſeparari queat, impendenda templi reparationibus? Quod diuidi illi queant, vt conſtituendis beneficiis pluribus ſufficiant, ex vnoque duo fiant? & tamen in nullo horum euentuum, eſt eiuſmodi fructuum ſeparatio, proprie appellanda penſio. Eſt ergo beneficialis portio fructuum, delibata ex beneficio vt detur alteri, proprieq; ſumpta penſio (inquit

A Nauar. Enchirid.) *cap. 23. num. 3. & conſil. 43.* ſupra citato eſt, *ius non temporarium purè, ſed aliquo modo ſpiritale, percipiendi fructus ex beneficio. Ius eſt* (inquit) quia penſio, pars eſt diminuta fructuum beneficii permutati, aut reſignati, cum eius dandæ ſoluendæque onere, beneficium autem propriè, ius eſt recipiendi fructus, dependenter ab officio ſpiritali, à quo habet vt ſit ſpiritale conſequenter: ergo & pẽſio. Quare eſt hoc ius (inquit idem) in penſione maxime beneficiali ſpiritale, quia dicit ordinem ad beneficium à quo pendet, vt effectus à ſua cauſa, cum beneficialis

B penſio, ortum à reſignatione aut permutatione beneficii vt plurimũ habeat, ſuper quo eſt imponenda, nempe ne reſignans, aut qui ſua inuicem ſacerdotia permutant, damnum permutando ferant. Eſt ergo penſio (inquit hic auctor) conſequenter annexa ſpiritali, quemadmodum ei eſt ius patronatus antecedenter coniunctum. Et quidem pendere penſionem à beneficio à quo detrahitur ſicut à proprietate pendere vſusfructus ſolet, ſcripſere Rebuff. *de pacificis poſſeſſoribus num.* 100. Cardinalis & Innoc. *in Clement. primam de ſupplen-*

C *da negligent. prælat.* vnde concludunt ius percipiendæ pẽſionis ex fructibus Eccleſiæ ſpiritale eſſe, nam qui adhæret Eccleſiæ, regi videtur eius legibus ac iure, & quæ à religioſis non ſunt abiuncta, religioſa habentur, *lege quæ religioſis ff. de rei vendit.* vt ergo ius Patronatus, antecedenter eſt ſpiritale: ita & penſionis obtinendæ ex beneficio, maxime oneroſo, (inquiunt hi auctores.)

Verum enim ſententia vera ac tenenda eſt, penſionem ſpiritalem non eſſe, quia ius functionis ſpiritualis exercendæ nullum habet,

D totaque quanta eſt, talis eſt per ordinem ad fructus, ad quos refertur, qui cum mere ſint temporales, talis quoque futura eſt penſio, quam ſic Theologi ac Summiſtæ deſcribunt: *Eſt penſio certa portio fructuum ex alieno beneficio Eccleſiaſtico vel in pecunia, vel in reditibus ad tempus, vel in perpetuum à Papa, vel alio ad id poteſtatem habente conſtituta.*

Iam ad quæſtionem alteram, eſt ne penſio beneficiorum ponenda in numero? Affirmant quidam apud Flam. *in tractatu de confidentijs beneficialibus qu. 23. num. 1. & ſequent.*

E quorum & meminit Gigas de *penſionibus q. 57. & 28. n. 1.* probantque.

Primo, quod quæ exoriri controuerſiæ cauſæque ſuper pẽſionibus ſolent hæ decidi à iudice Eccleſiaſtico debeant, Gigas *de penſionibus q. 59. n. 3.*

Secundo, quod extingui anticipatis ſolutionibus non poſſit, niſi cum conſenſu Papæ, vt Nauar. tradit *in manual. cap. 23. num. 3. & in conſil. tom. 2. lib. 5. de ſimonia conſil.* 40.

Tertio, quod ſit penſio quid ſpiritale, vt beneficium, aut ſpiritali annexum ab eo trahens

originem, & in eo fundatum, Laym. *lib. 4. tract. 2 cap. 18. q. 2.*

Secunda opinio priori contraria, eaque verior defenſores habet, Flam. loco citato, Rebuff. *in practica Cancellariæ Apoſtolicæ*, Bleyanum *in Theoria tract. de penſ.* probaturque.

Primo, quoties & quando eſt placitum, beneficium ſuum reſignare quiuis poteſt, aut cum alio de ſuperioris conſenſu permutare, *de rerum permut. ca. ad quæſtiones 6.* Sed penſio nec reſignari, nec permutari poteſt, Flam. *lib. 2. de reſignare q. 15.* ergo.

Secundo, Penſio non requirit reſidentiam, nec habet rationem tituli, nec dat poſſidenti ſtallum in choro, vocem in capitulo, quod tamen beneficium efficit.

Quid? quod obligationem dicendi breuiarii penſionarius nullam habeat? quæ tamen omnia, ſic ſunt beneficiis coniuncta, vt ab iis ſeparari nec queant, nec debeant.

Tertio, de ratione beneficii eſt, eſſe perpetuum, vt ex definitione eius ante allata patet. Sed penſio non eſt perpetua, cum definiri poſſit certo tempore, vt anno aut menſe, aut duobus menſibus.

Quarto, dimitti beneficium non poteſt, ſine ſuperioris licentia, factum ſecus irritatur vt inane nullarumque virium *capite cum venerabilis 7. de conſuetud.* at relinqui poteſt penſio, non conſulto ante aut interrogato ſuperiore, (inquit) Flam. *de confidentijs beneficialibus q. 23. num. 26.* & anticipatis ſolutionibus redimi, Gigas *de penſionibus q. 86* & non vacat morte reſignatarii, vt beneficium beneficiarij obitu, Rebuff. *in practica Cancellariæ Apoſtolicæ verbo & inter cætera.*

Quid? quod ad beneficia admittantur ſoli Clerici, cum laïcis penſiones quoque concedi à Papa ſoleant, *cap. finali extra de magiſtris,* numerari ergo hæ in beneficiis nec debent, nec poſſunt.

Ad primum partis aduerſæ argumentũ reſpondendũ eſt, ex eo nihil ſequi, quam multa ſunt enim quorum cognitio ſolius eſt Eccleſiaſtici iudicis, vt decimæ, matrimonium, &c. quæ tamen nemo iuſtè in beneficiis collocauerit.

Ad ſecundum dicendum eſt primo, id eſſe valde dubium, cum Toleto contrarium videatur eſſe probabile *lib. 5. cap. 8. n. 4.*

Secundo, inde argumentum eius rei de qua agimus, potiùs ſumendum eſſe, nam ſi annuente Pontifice redimi penſio poteſt, haberi in beneficiorum numero non poteſt, cum hæc ne quidem Papa approbante quoad ſpiritale vendi queant.

Tertij facilis eſt ſolutio, negandum enim eſt quicquid ſpiritale eſt, beneficium eſſe. Enimuero eſt ius patronatus, & decimarum, ſpirituale, cui tamen beneficij rem ac nomen A nemo iuſtè dederit, ex eo ergo, quod penſio in rerum ſit ſpiritualium numero inferri non poteſt, eam in beneficiorum loco habendam eſſe.

QVÆSTIO II.

Quotuplex ſit Penſio.

PEnſionum ſpecies ſunt multæ, quædam enim beneficij loco dantur, ſuntque tales B virtualiter: quædã ſunt reales, ita dictæ, quod in re, & non in perſona reſideant, & talis penſio nihil eſt aliud quam perpetuus quidam reditus eius loci cui debetur, cuiuſmodi penſionem à Franciſco Cardin. à Lotharingia Patribus Minimis vrbis Remenſis ſuper B. Remigij Cœnobio aſſignatam fuiſſe ſcripſit Choppin. *de ſacra polit. lib. 1. Monaſtica tit. 3. num. 10.*

Alij penſionem realem nominant, quæ à ſummo Pontifice homologata beneficium afficit, & cum ipſo beneficio tranſit ad ſucceſſorem.

C Perſonalis eſt, quæ ex promiſſione Reſignatarij dependet, ideoque in perſona promittente reſidet.

Diuiditur item in laïcam & Clericalem. Illa ob temporalem aliquam cauſam, laïcis à Papa ſolo datur, vt nobili, cuius eſt res domi exigua ac tenuis, nec proinde alendæ familiæ pro ratione gradus idonea, eius generis eſt penſio, quæ patrono aut defenſori conceditur, vt *in cap. 23. de iure patronatus.*

Clericalis ad Clericos pertinet, ita nuncupata, quod in eos cadat, & hæc iterum eſt duplex, vna ſimpliciter ſpiritualis quæ Clerico datur ob ſpiritale miniſterium, vt Coadiutori D Epiſcopi, Vicario Parochi. Altera mixta, ſeu media, quæ non fundatur in ſpiritali miniſterio, ſed in cauſa alia, vt in paupertate, aut ſeruitiis ante redditis.

Diuiditur tertio, Penſio in licitam & illicitam, Gigas *q. 4. de penſionib.* Illicitæ modi ſunt varij, de quibus cum de ſimonia agendi locus erit. Licita triplex eſt Epiſcopalis, Papalis, & Patroni, Epiſcopalis. nomen habet ab Epiſcopo eam imponente, quod quando, & quomodo id poſſit, explicabitur poſtea.

Papalis ſic dicitur à Pontifice Romano, à E quo habet originem. Et eſt rurſus duplex, lucratiua, & oneroſa, Fabricius de Bleyns in *Theoria tract. de penſione,* Flamin. *de reſignat. lib. 6. q. 2. num. 7.* Gigas *q. 4. n. 4.* Brodæus *ad Louetum lit. P. art. 30.*

Lucratiua eſt, cum Papa, partem redituum, vacantis beneficii quod alteri confert, certo attribuit homini, vt ſi ex beneficio vacante V. C. Parochia, quæ collata eſt Lucio, aut Titio, penſionem Paulo attribuat.

Oneroſa

Oneroſa eſt, quæ mandatur beneficiario A tanquam onus, nempe quia habet beneficium alterius per reſignationem; aut permutationem, quod eſt ſuo pinguius, aut lite cedit in alterius gratiam, quæ ceſſio, ne ſit ei detrimentoſa, penſionis ei loco aliquid tribuitur *cap. niſi 21. de præbendis*. Similiter ne ex reſignatione, aut permutatione locupletis beneficii cum tenui ac paupere, in permutantem ac reſignantem damnum redundet, Papæ placet beneficio reſignato, aut permutato, onus penſionis addere *cap. ad quæſtiones de rer. permutat.*

B Quæ eſt cauſa, cur numquā non ex his conditionibus aliqua, literis ſupplicationis ad Papam penſionis ab eo impetrandæ, gratia addatur, Gamber. *tit. de penſione n. 305.* Flam. *lib. 6. de reſignat. q. 2. num. 2.* in his maximè, quibus Galli ſibi à ſancta ſede aliquā concedi poſtulant, Brodæus *ad Louetum litera P. art. 30.* Rebuff. *in praxi titulo de reſeruat. tam generalibus quam ſpecialibus lib. 1. cap 30. num. 21. 22. 23.* Carolus Pariſienſ. *in regul. de infirmis reſignantibus num. 302. & in regul. de publicand. num. 280.*

C Indeque eſt factum, vt penſionem beneficii loco ſuccedere dixerit Gigas *de penſionib. q. 56.* ab eoque ſeductam eſſe, vt quid ab illa pendens ac ſpirituale antecedenter, quanquam impropriè.

Quarto diuiditur Penſio in eam quæ cum clauſula *transferendi* tribuitur, & eam quæ illa caret: prior definitur poteſtas, auctoritate acquiſita Pontificis, transferendæ penſionis ſuæ in alium.

D Diuiditur quinto, in illam quæ datur cum regreſſu, & eam quæ tali eſt deſtituta iure. Prior facultatem in reſignante connotat, reuertendi ad beneficium a ſe cum penſionis onere reſignatum, ſi non ſit hæc præſtituto ſoluta tempore.

Regreſſui autem in Gallia, non hic tantum eſt locus, ſed & alibi, & primo quidem cum beneficium quod permutationis cauſa compermutanti eſt datum, euincitur, nam tunc compermutantium alter, ſuum quod compermutationis cauſa reſignauerat, repetere poteſt, Rebuff. *in praxi tit. de permut. num. 25. & in Concord. tit. de collat. parag. volumus.*

E Secundo, cum Graduatus, beneficium ad quod eſt ab Academia nominatus, incompatibile tamen cum eo quod poſſidet, ea conditione admittit, vt ei ad primū reuerti ſit integrum, ſi ſecundū in vim gradus conſequi nequeat, Rebuff. *rubr. de collat. parag. Volumus in verbo tempore vacationis.*

Tertio, cum per vim metumque, facta eſt reſignatio, du Clos *in annotat. ad q. 3. lib. 3. de reſign. nu. 1.*

QVÆSTIO III.

Penſiones Beneficijs Eccleſiaſticis imponere; in cuius ſit iure.

PRima Aſſertio, *In Pontificis eſt Romani poteſtate reſignationes cum penſionis onere pendendæ quotannis*, Nauar. *tom. conſil. 2. lib. 5. de Simonia conſil. 63. num. 3.* Leſſius *lib. 2. de iuſtit. cap. 34. dub. 38. num. 206.* Piaſecius *2. par. prax. cap. 5. art. 5. num. 63.* probatur aſſertio.

Diſpenſare in canone ei ſoli eſt licitum, cui ſumma eſt in Eccleſia auctoritas, eſt enim legis abrogatio, aut eiuſdem in vnius aut alterius gratiam relaxatio, iuriſdictionis actio, quam in Pontificem eiuſque decreta, arrogare ſibi mortalium nemo poteſt. Sed eſt fructuum aut partis eorum reſeruatio, canonicæ legis transgreſſio, nam per eam, ſeparari hi à titulo ſeiungiq; nequeunt, *ca. vt beneficia ſine diminutione dentur*, facit id tamen penſionis aſſignatio, vt pote fructuum à ſeſe inuicem realis diuiſio: ergo vt eſt hæc Papæ ſolius actio, ita & penſionis conceſſio, per relaxationem canonis, qui beneficia dari ſine diminutione præcipit.

Confirm. Eſt conſuetudinis præſcriptæ longo populorum vſu, vis eadem, quæ legis, at mos pridem inualuit ne id ſibi Epiſcopi aſſumerent, quod illibatum ſeruari ſibi vult Pontifex.

Ex cauſa tamen eaque probabili conſtitui ab Epiſcopo penſionem poſſe, vel hinc mihi fit veriſimile, quod Parochias penſionibus grauari Concil. vetet in *ſeſſ. 24 cap. 13.* nam cum Pontifici legem dare Eccleſia nequeat, ad Epiſcopos ſolos pertinere præceptum hoc debet, ad Papam neutiquam.

Quare non niſi grauiter repugnanteque animo, eorum in cuſtodiendo iure ſuo incuriam illaudabilem, ferre ſe poſſe Rebuffus aſſerit, quo tamen vti eos cum continget dabunt operam, ne Simoniæ ſe labe inquinent. Sic enim ille *in praxi titulo de reſeruationibus num. 16. & 29. & de pacificis poſſeſſoribus num. 105. quando imponitur ab Epiſcopo, non poteſt fieri aliqua conuentio inter partes de penſione, & ſi fiat, Simonia eſt.* Papæ ergo, cum eius imperandæ cauſa ſubeſt, penſionem beneficio imponere cum licet, libet, quia in beneficiis poteſtatem habet, eamque pleniſſimam *de præbendis in 6. cap. 2.* Clement. I. *vt lite pendente.*

Secunda Aſſertio, *Dantur etiam tempora, quibus id eſt impune tentare Epiſcopo*: Ita Doctores *in caput extirpandæ de præbendis*, & Piaſecius proxime citatus, vbi id ait à Rota deciſum anno 15. 6. Layman. *cap. 18. q. 3. num. 3.*

Bleyan. *in Theor. de penſio. num.* 10. Guerrera A *in ſpeculo Imperator cap.* 61. Rebuff. *de pacific. num.* 103.

Primum eſt, cum ob ætatem maturam annis ſenioque feſſam; Parocho defungi officio non eſt integrum, nam tunc ei de beneficio, cui diu nauauit operam, alteri tamen collato, aut conferendo, aut Coadiutori commiſſo vt illud adminiſtret, attribui ab Epiſcopo fructuum pars aliqua poteſt, ad vitæ onera ſuſtinenda communia, *cap. de rectoribus, & cap. tua nos de Clerico ægrotante.*

Secundum habetur *in capite paſtoralis officij 9. de his quæ fiunt à prælato,* vbi expreſsè dicitur, Epiſcopum, cum Capitulo poſſe de Parœcia abundanti atque copioſa penſionis loco partem fructuum quadrageſimam detrahere, religioſis aſſignandam, ad eorum commodam honeſtamque ſuſtentationem, aut ad Eccleſiæ fabricam; vel ſolutionem debitorum quæ ſunt contracta Eccleſiæ nomine, Diu. Thom. 2. 2. *qu.* 100. *art.* 4. *in fine,* Paul. Roman. *in tract. de penſione cap.* 4. *num* 10.

Dixi *abundanti,* nam ſi Eccleſia inops eſſet penſione grauanda non foret.

Caſus tertius, in quo licet Epiſcopo penſionem beneficio imponere, eſt quando litis componendæ cauſa, quæ eſt inter duos ſuper eodem exorta, paciſque habendæ gratia, ei qui lite cedit, penſionem dari imperat ſuper beneficio inter eum & alium controuerſo.

Pro Epiſcopo facit canon *niſi eſſent* 21. *de præbend.* & Doctores Piaſecius, Reginald. & Laym. locis citat. his verbis: In caſibus neceſſariis, vt propter paupertatem, vel ſenium reſignantis, ob litis compoſitionem coæquandos fructus in permutatione beneficiorum Epiſcopo adhuc hodie competit beneficio penſionem imponere, fuit hæc ei mens iniecta ab Innoc. *in decre. Niſi eſſent* 21. *de præb.* vbi cum inter duos de dignitate ad quam ſe quiſque ſuffragatorum calculo vocatum aiebat, lis mota foret, placuit arbitris, quos colitigantes, de vtriuſque conſenſu mutuo elegerant, vt Prioratus eorum alteri cederet, aſſignata alteri annua 40. librarum prouiſione de eius fructibus, quod ab iis factum probauit, Innocent. his verbis: *Quod poſt concertationem diutinam ordinatum eſt circa vnum,* inquit, *de duobus electis, vt ipſe habeat prioratum, hoc ex iuriſdictione delegata, ſecundum iuſtitiam videtur eſſe ſtatutum. Quod autem ordinatum eſt circa reliquum vt ipſe viginti libras de reditibus capituli, & quadraginta de reditibus prioratus, percipiat annuatim, hoc ſecundum prouidentiam intelligitur eſſe præceptum, ex arbitraria poteſtate, &c.* hæc Innocentius, quæ eſt etiam Reginaldi opinio. *lib.* 30. *cap.* 8. *n.* 130.

Quarto, etiam in caſibus, quibus Epiſcopo fas eſt penſioni locum dare, adnumerat & alios, duos Piaſecius ſupra *num.* 65. quos quia probabiles exiſtimo, non explico, ſed vt digito fontes indico. Primus eſt ad Scholaſtici inopiam ſubleuandam, vt cum ei ex alieno beneficio vnde ſtudiis, in Academia operam nauet, præſtationem annuam imperat.

Eius opinioni fauent Oldradus *conſil* 286. Laym. *cap.* 18. *num.* 4. vbi ait, ab Epiſcopo cum Capitulo ob cauſam neceſſitatis, vel magnæ vtilitatis partem aliquam fructuum beneficii penſionis nomine dari poſſe ad pium vſum, at quid Deo gratius excogitare pietas

B poteſt, quam iuuentutem literis ac virtute imbuere, quod fit in Academiis: ergo, &c.

Caſus alter eſt quando ad compenſandam fructuum, vtriuſque beneficii permutati inæqualitatem, permittit ei qui beneficium ab alio recipit, quod eſt ſuo pinguius annuam penſionem dare Ancharan. *conſil.* 279. Reginal. *lib.* 30. *cap.* 8. *num.* 130. *Cum enim eorum beneficiorum quæ permutantur vnum eſt opulentius altero, Epiſcopus conſtituere poteſt, vt qui accipit opulentius, ſoluat alteri penſionem, ſecundum illud quod ſtatuitur in cap. ad quæſtiones de rerum*

C *permut.* Hæc ille.

Facit pro hoc auctore & citatis ratio, eaque duplex. Prima, Quod facere priuatus quilibet, hoc ipſum Epiſcopus auctoritate ipſe ſua poteſt. Sed ex *capite* 6. *ad quæſtiones, de rerum permutatione,* poſſunt Eccleſiæ adinuicem permutari, tituli quidem titulis, poſſeſſiones poſſeſſionibus, modo ne vnico contractu, & inæqualitas eorum compenſari pecunia per alium. Sic enim Clemens III. eo loco. *Reſpondemus quod cum de dictis Parœcialibus Eccleſiis, per ſe queat commutatio cele-*

D *brari, & in permutatione poſſeſſionum, per ſe non ſit inhibitum, ſi altera, ratione poſſeſſionum, alteri præponderet pecuniam poſſe refundi, de ipſarum poſſeſſionibus, adinuicem, prout viſum fuerit expedire,* quæ eſt etiam opinio Emman. Sa *verbo Simonia num.* 2. hæc eſt cauſa cur Canonicis, quando iis non niſi parce ſuppetit vnde viuant, ob præbendarum Eccleſiæ cathedralis inopiam quas poſſident concedi capellæ, reſeruata ipſarum Presbyteris portione, ſoleat, vt eſt in *cap. expoſuiſti* 33. *de præbendis.*

E Ratio aſſertionis altera, ex Innocent. III. decretali *nuper* momentum ſuum habet. Enimuero cum quid eſt iure permiſſum, nec ſibi illud Romanus Pontifex reſeruatum vult eſſe, ab Epiſcopo fieri id poſſe tradit Innoc. in *cap. nuper de ſent. excom. in* 6. at non eſt Epiſcopis interdictum, fructuum partem aliquam de beneficio detrahere, quæ ſit alicui penſionis loco, & expedit in eorum iure eſſe, eam vt poſſint ex cauſa concedere, poſſunt id ergo cum cauſa ſubeſt.

Similiter permittitur Epiſcopo, conſtituere Laico, aut Clerico penſionem ſuper beneficio,

ficio, quod de eiuſdem voluntate ac conſenſu fundat ex propriis ſuis bonis, nec enim quidpiam tum obeſt, quamobrem non poſſit partem eorum aliquam, aut reditiuum eius, eidem ad ſuſtentationem dare.

Item cum loco alicui pio Eccleſiam concedit, tunc enim in ea ſibi reſeruare poteſt aliquid quod penſionis vicem habeat, ſecundum Innoc. *in cap. conſtitutus 6. de capellis Monachor.* his verbis: *Nec inſolitum eſt, nec nouum, vt cum Epiſcopi Eccleſias conceſſerint piis locis, aliquid ſibi reſeruent in eis nomine penſionis.*

Extra hos caſus Epiſcopo iure canonico non licet eam vlli annuere, vt cuique datur intelligere, ex *cap. prohibemus de cenſib. cap. vt beneficia ſine diminut. cap. paſtoribus de iis quæ fiunt à Prælato cap. vacante de prabend. 20.* vbi eſt his verbis: *Cum Turonenſ. ſtatuta Concilij ſectionem inhibeant prabendarum, teneris vtrique de his quæ vacare contigerit, integrare præbendam.*

Ex dictis infertur tres ad conſtitutionem penſionis canonicæ ab Epiſcopo conditiones exigi, primam, vt cauſa expreſſe ponatur in literis, alteram, ne ob ſolam reſignationem id faciat, tertiam, ne cum transferendi clauſula eam tribuat.

QVÆSTIO IV.

Penſionis qui ſint canonico iure incapaces.

PEnſionis incapaces ſunt illegitimi, Rebuff. *de diſpenſatione ſuper defectu natalium num. 49. in praxi*, Nauar. *lib 5. conſil. 61. & 63. de Simonia.* Nec diſpenſatio illis ad beneficium conceſſa, extendit ſe ſimiliter ad penſionem.

Primo, quia in beneficiis locum hæc non habet, quæ de illis ergo ſtatuere Pontifici viſum erit, ſimiliter ad penſionem trahere non oportebit.

Secundo, vt eſt ſanctio, quæ vtilitatem ſpectat publicā aut priuatam, eſt que proinde fauorabilis vt loquuntur, amplianda eſt iuxta iuris regulam, ita reſtringi odia conuenit. At eſt omnis penſio odioſa ac grauis ſecundum Flamin. *lib. 6. de reſignat. q. 2. nu. 5.* cum eius ſolutio ſit onus, eius autem paſſiua impoſitio in beneficiis, ſeruitus, Gigas *q. 96. n. 1.*

Sane de beneficiis, partem demere fructuum, cum imminuta dari debeant, vt eſt *in cap. vt ſine diminutione beneficia dentur*, iuri aduerſatur canonum, ergo cum ſint reſtringenda odia *lege odia regulis iuris*, ſit autem in pœnis mitior interpretatio facienda, *can. in pœnis 49. de regulis iuris in 6.* eſt ad eos reſtringenda penſio quorum per Pontificem expreſsè iuri derogantem ſit mentio, nec pro-

A inde ad illegitimum trahenda, qui ad eam non diſpenſatur, ſed ad beneficium tantum.

Tertio, diſpenſatio quemadmodum & mandatum, ad alios caſus quàm expreſſos, extendi non debet, *c. cui de non Sacerdotali 27. de præb. in 6.* At penſio nō eſt beneficium, nec contrà beneficium eſt penſio: Ergo ad illud diſpenſatus qui erit, illico non erit exiſtimandus ad iſtam quoque diſpenſatus eſſe. Quæ etſi veriſſima iudicem; Eſt tamen contraria ſententia probabilis, tutaque in conſcientia, quū eam pro tali Rebuff. loco citato habeat.

B In inhabilitate tamen quæ eſt illegitimi propria, Epiſcopum diſpenſare poſſe tradit, Reginald. *lib. 30. cap. 8. num.* 128. quod id ſit minus, quam diſpenſare ad ordines & beneficium. At Epiſcopo vtrumque licet, cum illegitimus ſit religioſus *ex c. 1. de filiis presbyt.* niſi forte ſit eius filius qui idipſum beneficium habet aut habuit, Trid. *ſeſſ. vlt. cap. 15.* ergo, &c.

Secundo, Penſionis eſt incapax, qui in eadem Eccleſia, in qua ſibi aſſignari cupit, beneficium poſſidet aut præbendam, Rebuff. *in praxi rubr. de diſpenſat. ratione ætatis, verbo etiamſi ſint.* Sic enim ibi. *Iidem dicunt incompatibilem eſſe penſionem in eadem Eccleſia, cum*

C *alio beneficio.* Similia his plane habet in *tract. de pacific.*

Tertio, non eſt penſio concedenda Laïco, quia cum eſt Clericalis, Clericatum præexigit, Nauar. *conſil. 6. de Simon. iuxta 2. edition.* quo tamen caret Laïcus.

Quarto, is cui tribuitur penſio, cœlebs eſſe debet, vxoratus eius eſt incapax, quia matrimoniū ius omne ad reditus Eccleſiaſticos adimit: ergo & ad pēſionem, poteſt tamen in eo diſpenſare Pontifex, iuſta ex cauſa qualis eſt (inquit) Nau. *in Ench. c. 25. n. 119.* ſi eā permittat

D ad iuſtam eius ſuſtentationem, ſtatuique congruentem, quia poteſt (inquit hic auctor) applicare fructus beneficij de conſenſu beneficiarij, illis piis operibus quibus poteſt ipſe beneficiarius: at hunc conſtat de beneficij ſui fructibus coniugatos pauperes alere poſſe: ergo & Pontificem.

Quid ſi is, cui ſub Clericali titulo datur penſio, Cleris needum ſit per tonſuram allectus?

Reſpondendum eſt, pro nulla habendam

E eſſe, *ex cap. ſignificante de reſcript.* quia alteri quam Clerico penſionem ex re ſacra tribuere, Epiſcopum velle non eſt veriſimile, ergo ſi cui dabitur, qui Clericali needum ſit charactere inſignitus, erit nulla, quia conditio ſuperueniens, quæ præextitiſſe debuit non firmat actum.

QVÆSTIO V.

Vt penſio ſit valida, iure canonico quid ſit neceſſe.

COmmuniter ſuper beneficio imponi nulla poteſt, ſine conſenſu beneficiarij, quia citra voluntatem ſuam, aut Principis legem, priuari re ſua nemo debet, aut onere premi culpa ſua nulla: ergo cum de pēſione, huic aut illi tribuenda non ſit lex vlla canonica, ſitque hæc petenda ex beneficij prouentibus annuis, qui ad beneficiarium tanquam ad eorum poſſeſſorem legitimum quam optimo iure pertinent, eo repugnante impoſita penſio communiter eſt iniuſta, ne ergo ſit talis proindeque nulla, eius eſt, ſuper illa tempore ſuo ſoluenda, conſenſus neceſſarius.

Dixi *communiter*, quia cum ſit Romanus Pontifex Eccleſiæ cum auctoritate præpoſitus, eius opes bonaque, modo ne ſine cauſa, dare poteſt quibus conuenit, placetque, quod indicant verba ipſa quibus beneficium quod rogatur, roganti annuit, non ergo Pontifici Romano eſt neceſſe, eius qui beneficium eſt ab eo adeptus, conſensū pro penſione petere.

Secundo vt penſio ſit rata, proindeque ſoluenda, in literis noui beneficij, aut ſecundæ penſionis impetratoriis, eius facienda eſt mentio, quæ iam ſuper eodem beneficio, conceſſione Papæ ab alio Penſionario eſt habita, Rebuff. *in praxi tract. de diſpenſat. ratione ætatis*. Fabric. *in Theoria tract. de penſione num.* 23. Cardin. Pariſ. *conſil.* 5. *num.* 134. *volum.* 4. Ratio eſt, quod non ſit veriſimile, velle Pontificem Eccleſiam duplici grauare onere, *cap. mandatum 38. & cap. literas, de reſcriptis cap. duobus eod. tit. in 6.*

Secundo, quia literæ quæ ſecundo impetrantur à Papa, ſunt Innoc. III. decreto inanes ac nullæ, prioribus non expreſſis, *cap. ad audientiam 31. de reſcript.* his verbis: *Mandamus*, inquit, *quatenus eos qui poſt literas taliter venditas alias (de illis mentione non habita) impetrabunt de cætero, vel hactenus impetrauerint, carere decernas commodo earundem.*

Tertio, ſunt literæ quæ falſum Papæ narrant, aut quidpiā cælant ac ſuppriment quod ab eo cognitum, earundem effectum impediret, nullæ, at ſunt tales hæ literæ, quibus impetratur à Pontifice ſecunda penſio, imponenda ei beneficio, quod eſt iam alteri ſubſtratum, de iſta, hoc eſt prima, mentione non habita, nam quis credat Pontificem in eam venturum mentem vnquam, aut ſaltem tam facile, vt penſionem penſioni adderet antiquæ nouam, primæ ſecundam? eſt ergo impetraturo penſionem ſuper beneficio, quod eſt iam ad alterius præſtationem obligatum, neceſſe eam Papæ exponere, vt ſit rata ac valida.

Vt enim Innoc. teſte *cap. mandatum* 38. *de reſcript. ſuper receptione duorum* (in canonicos) grauandi Eccleſiam non eſt intentio mandatoris, niſi hoc in ſuis iſte literis exprimat, ita nec ſuper eodem Sacerdotio, aut Eccleſia, duas duobus indulgere præſtationes annuas, nec vni ſecundam, de priore mentione non facta vt colligitur, *ex ca. ad audient. 31. de reſcript.*

Ratio eſt, quod tùm penſionis obtinendæ à Pontifice, ratio non niſi difficilis ac ardua, ſe offerat, cum primæ conceſſio, cum à ſecunda anuenda remouere queat.

Quid ſi earum penſionum vna ſit temporaria, hoc eſt anno vno aut pluribus circunſcripta, perpetua altera?

Reſpondend. prioris mentionem faciendam eſſe non ſecus, ob cauſam allatam, quia cum multiplici onere beneficiatum premere velle Pontificem ſit improbabile, priori non adderet alterum, ſi illud ſciret impoſitum.

Excipiendi ſunt hi caſus. Primus ſi quæ primo loco eſt reſeruata fuit nulla, quia vt non entis nullæ ſunt qualitates, ita nec effectus, ab ea itaque ne Pontifex à conceſſione ſecundæ retardetur, cum metus ſit nullus taceri poteſt. Alter eſt cum penſio primo data, non fuit à Penſionario acceptata, quia cum ſit tùm nulla, eius apud Pontificem meminiſſe, quid eſt neceſſe? Ad Clerici poſtulata, aut eius facta vltro per Pontificem conceſſio eſt valida, cum petentis preces veritate nituntur, *cap. ex p.* 2. *de reſcr.* At non ſunt hæ tales, cum reſſecus quam ſunt, narrantur, quod in præſenti accidit, cum penſionis obtentæ diſſimulatio, ſit tacita quædam eius negatio, quæ veritati numquam non eſt contraria.

Deinde, cum penſio, iâm impoſita beneficio, Papam à concedenda ſecunda retardare potuiſſet eius ſuppreſſio vitiat literas, *cap. ſuper literis* 20. *de reſcriptis capite poſtulaſti* 27 *& cap. præſentia* 22. *eiuſd. tit.*

Sunt tamen qui exiſtiment, quod ſi per longum tempus eiuſmodi penſio quæ ob expreſſionis defectum eſt vitioſa, pacificè & ſine turbis toto triennio poſſeſſa eſſet, eo expleto ratam fore ac præſtandam. Enimuero coloratus hic titulus interuenit, qui decreto de pacificis locum dare poteſt, niſi forte eſſet penſionis conſtitutio vitioſa propter Simoniam in beneficio, nam etſi Simoniacum retinendum in beneficio poſt decem annos, huncque eius poſſeſſorem eſſe ſuprema Pariſiorum Curia cenſuerit, quarto Martij an. 1574. apud Charond. *li.* 1. *reſp. cap.* 47. male tamen vt eſt dictum antea, penſionem tamen quam annis 14. Simoniacus perceperat reprobandā iudicauit Rothomagenſis Senatus anno 1609. Forgeto teſte *de penſionib. num.* 12.

Non

Non eſt hæc tamen opinio meo ſenſu probabilis. Ratio eſt, quod triennalis poſſeſſio locum tantum habet in beneficio, vt patet ex verbis regulæ ante citatæ. At non eſt penſio beneficium, ius ergo ad illam, tituluſque triennalis eiuſdem poſſeſſione pacifica non acquiritur.

Tertio, ad penſionem ne quid ei ad validitatem deſit, requiritur, vt qui eam recipit, ex legitimo concubitu ortum ducat.

Quarto, vt cum Patroni conſenſu, ſine quo tamen à Papa imponi poſſe ſcripſere Guerrera *in ſpeculo Imperatorum cap.* 61. Rebuff. *in praxi* 1. *parte, titulo pars ſignaturæ tertio num.* 28. & 48. Quia ius Papæ ſummum eſt in Eccleſiam Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum, &c.* & in beneficia eius omnia 16. *qu.* 7. *can. nullus* 2. *Clementina* 1. vt lite pendente, ergo vt hæc imminuta ac integra, ita quoque præciſa, parteque redituum altera decurtata, ac proinde onerata penſione, conſenſu prius non requiſito Patroni etiam Laici, dare Papa poteſt, Rebuff. ſupra *nu.* 28.

Quinto, vt rata ſit penſio moderata eſſe debet, quæ enim eſt iuſto maior, eſt ad æquitatem iudicis arbitrio reuocanda, Bergeronus *in addit. lib.* 3. *tit.* 5. qualem autem eam eſſe oporteat dicetur poſtea.

Sexto, debet is qui eam impetrari ſibi à Pontifice patitur, aut qui eam impetrat, eandem præciſe & non hypotheticè ſeu conditionaliter exprimere in bulla, ſi ius patronatus ſpectet ad laïcum, alioqui non valet impetratio, Rebuff. *in tract. de* 3. *parte ſignaturæ num.* 31. nec ſimiliter cum eſt in fraudem iurium impoſita, *cap. extirpandæ parag. qui vero de præbend.* talis eſſet ſi Epiſcopus beneficium cum cura alicui conferret, ſed ea lege, vt nepoti ſuo fructuum eius partem aliquam penſionis ergo tribueret, eſſet hæc nulla ſi per ætatem Parochiam non poſſet regere, Rebuff. *de pacific. poſſeſſ. num.* 117. quia eius penſionis nulla videtur eſſe cauſa, eſt ergo vt inanis ac nulla reprobanda.

Septimo, eſt in beneficij fructibus imponenda frumento v. c. & vino, Rebuff. 1. *parte praxis titulo de reſeruationibus num.* 23. Excipienda eſt Gallia, in qua, penſio omnis eſt in pecunia, ſecus eſt nulla, idem loco citato, de qua re poſtea.

Octauo, non niſi vnica debet, in vno aliquo imperari beneficio, multiplicata ſine diſpenſatione Papæ eſt nulla. Quia admodum eſt probabile, vnum & idem beneficium duplici grauari onere eum non velle, Forgetus *de penſion. num.* 25. Rebuff *de pacificis num.* 123.

Nono, quia in conſtituenda pẽſione ſubeſſe fraus poteſt, vt ſi ei Epiſcopus aſſignandam exiſtimet, cui beneficium dare ipſe nequit, cauſam exprimere eum erit neceſſe in literis, quibus de ſua in illum voluntate conſtabit,

A quamobrem hanc ei gratiam collatam velit, alioqui penſio futura eſt nulla, Piaſec. ſupra, Zechius *de benefic. cap.* 11.

Decimo, eſt item penſio nulla; cum ab Epiſc. ei conceditur, qui beneficij ſuper quo ponitur eſt incapax Abbas *in cap. extirpandæ parag. qui vero nu.* 6. *de præb.*

Vndecimo, in literis quibus à Papa aut Epiſcopo datur alicui penſio exprimi debet quota pars fructuum reſeruetur eo nomine, tertia, aut quarta, aliter non erit eiuſmodi reſeruatio valida. Nec ſimiliter ſi eius conce-
B dendæ poteſtate careat, qui illam petenti annuit.

QVÆSTIO VI.

Quanta & quam magna eſſe penſio poſſit ac debeat.

QVia non debet eſſe penſio iuſto maior, eo quod in certum reſignatarij damnum ſic cederet, placet hic videre an certos
C illa limites habeat, quos egredi ſit nefas.

Prima Aſſertio, *Tunc eſt penſio maior quam ferat æquitas, cum inter eam, & beneficij reſiduos reditus, nulla eſt proportio, aut eſt cum aperto Eccleſiæ coniuncta damno, quia nempe per eam plus grauatur, quam ſit neceſſe, eidemque vtile*: Ita Gigas *qu.* 35. *num.* 1. & 2. & *quæſt.* 5. *num.* 2.

Cauſa eſt, quod tùm non ſeruetur æqualitas inter reſignantem & reſignatarium, onera huius & relictos fructus: quare ſi ſoluta penſione reſignatario non ſuperſit, vnde viuere,
D decimas pendere, Archidiacono ſatisfacere poſſit commode, haberi talis penſio debet pro iniqua minimeque canonica, Gigas *qu.* 5.

Secunda Aſſertio, *Communiter non debet penſio annuorum redituum partem tertiam excedere*, indicat eius conceſſioni clauſula apponi ſolita, *dummodo tertiam partem non excedat*, Probantque Gigas *q.* 35. Flamin. *lib.* 6. *de reſignatione qu.* 2. *num.* 24. Piaſecius 2. *parte praxis Epiſcopalis art.* 4. *cap.* 5. *num.* 6. Caccialup. *de penſionib. q.* 7. Rebuff. *de reſeruationibus numero.* 18.

E Poteſt tamen Papa penſionario partem eorum reſeruare mediam Flam. ſupra *nu.* 25. ac etiam interdum maiorem, idque tam in quota, quam in quantitate Gigas *qu.* 8. *num.* 7. Rebuff. citatus *num.* 3.

Primo, quia in beneficiis nil non Pontifex poteſt, cum ei pleniſſimè ſubſint omnia, *Clement.* 1. *vt lite pendente.*

Deinde ſi ſecus fiat quis hic querendi eſſe locus poteſt? quis arguendi Pontificis? liberalis eſt in Clericum bene de Eccleſia meritum, conceſſione partis ſacrorum beneficij fru-

A ctuum, quid laudabilius? Nec beneficiario cui ſacerdotia conferuntur penſione grauata, fit iniuria. Nã cum in eius ſit poteſtate, ea cum hoc onere acceptare, aut reiicere, ſibi, ſi quid in eo genere læſum ſe putat, ſuæ totum imprudentiæ acceptum ferat, non Papæ, qui eum dignatur Eccleſiaſtico magiſtratu ac beneficij honore in Eccleſia.

Dixi *communiter*, nam à Papa fructus beneficij omnes, aut eorum partem mediam reſignanti reſeruari pro penſione poſſe præterquam in regno Galliæ, eſt teſtimonio Doctorum certum, **B** nec eſt dimidiæ partis fructuum reſeruatio, exiſtimanda nimia, exceſſiua & iniuſta, cum Ioann. XXII. *in Extrauag. ſuſcepti regiminis cap. 2. de elect.* eam concedi beneficiario aſſerat, *pro ſuſtentatione ſua & alijs Eccleſiæ oneribus ſupportandis*, ſcribit tamen Rebuff. cum Flam. *lib. 6. q. 1. num. 56. & ſequent. quod in patria conſuetudinaria reformari ſolet reſeruatio medietatis fructuum, ſi beneficiatus non poteſt viuere, qua reformatio fieri ſolet vſque ad tertiam partem, quam obtinebit penſionarius, reliquas duas partes beneficiatus.* Hæc ille. **C**

Tertia Aſſertio, *Habet tamen Curia Romana ſtylus, vt ſuper beneficio, cuius obuentiones annuæ, viginti quatuor ducatos non excedunt, annua imponi penſio non ſoleat,* Flamin. *lib. 6. q. 2. num. 27.* nec in Canonicatu, ac Parœcia, ſi penſione ſoluta, minimum canonico ac Parocho, aurei non ſuperſunt centum Antonius Auguſt. *deciſ. 1. lib. 2. de procurationibus*, Flam. *lib. 6. q. 2. num. 21. & 28.* Præit illis in hac mente Concil. Tridentinum in *ſeſſ. 24. cap. 13. de reformatione*, vbi eſt his verbis: *In poſterum omnes hæ cathedrales Eccleſiæ, quarum reditus ſummam ducatorum mille, & Parochiales, quæ* **D** *ſummam ducatorum 100. ſecundum verum annuum valorem non excedunt, nullus penſionibus aut reſeruationibus fructuum grauentur.*

Equidẽ vix hæc videtur ſumma par eſſe cõmunibus Canonicorum & Parochi oneribus, iſta ergo niſi cõmodè ambo ferre poſſint, cũ imperata ſibi penſione, iuſtè hæc exigi non poterit, auctor Alex. ac hortator in *cap. 12. de Monachis, titulo de prebendis*, in hæc verba. *Ad præſentationem Monachorum nullum recipias, niſi tantum ei de prouentibus Eccleſiæ fuerit aſsignatum vnde iura Epiſcopalia poſsit perſoluere, & congruam ſuſtentationem habere.*

At enim (inquies) cum poſtulatur, à Gallo beneficium, dicitur ſummam ducatorum 24. non excedere, & tamen ſi eſt ita Pontifici placitum, de eius rediribus partem nonnunquam detrahit, quam alteri penſionis nomine tribuat.

Reſpondend. id quidem narrari Pontifici, ab ea tamen narratione, poteſtatem eius in rem Eccleſiæ non minui, ac proinde ſi erunt Canonicatus eiuſmodi, ex quibus magni proficantur reditus, partem eorum alteram, penſionis loco tribuere Clerico quin poſſit, nihil impedit.

Sunt hi tamen reſignanti in impetranda penſione vitandi ſcopuli, ad quos non modo alliſus animus, ſed & penſio ipſa frangatur ac pereat, ſunt hi vero qui ſequuntur: primus, cum ad obtinendam maiorem pẽſionem, beneficium dicitur plus valere, quam valeat.

Secundus, cum in eodem beneficio alia penſio eſt impoſita, idque tacetur ſummo Pontifici.

Tertius, quando penſio ſtatuitur, non tantum in beneficii illius beneficiarij cum quo tranſigitur, ſed etiam ſecundum partem in beneficio alterius beneficiarij, quam tamen prior ille teneatur ſoluere.

Quartus eſt, quando reſignans propria auctoritate aut ſolius Epiſcopi, fructus ſibi omnes beneficij reſignati retinet, quia tunc contra canonem *ne beneficia ſine diminutione dentur*, titulum habet ſeparatum à fructibus, Reginald. *to. 2. lib. 30. cap. 8. nu. 126.*

QVÆSTIO VII.

Super quibus Beneficij fructibus, imponi penſio debeat

FRuctuum genera ſunt duo. Primum eſt eorum, quos noſtrates Groſſos nominant. Alterum in diſtributionibus quæ diætim dantur præſentibus eſt poſitum: magnaque ſæpe ex parte Canonicorum reditus, in quamplurimis Galliæ Eccleſiis componunt, ex his autem an ſolui penſio debeat, ambigunt non pauci, quid iudicij ſuper ea quæſtione habeam, exponam hic pro more meo breuiter.

Dico ergo primò, *In conſtituenda penſione, maſſæ communis ſeu groſſæ rationem in primis habendam eſſe*, quia eſt hæc maximè ſtabilis certaque, ergo præ reliquis beneficii fructibus commodiſque, conſideranda Papæ aut Epiſcopo, vt ad eam, ex æquo bonóque penſionem exigant.

Dico ſecundò, *Quando non alij prouentus, commodaque debentur Clerico beneficiario, quam quos ratione collocatæ operæ ſibi iuſte poteſt petere* **E** *ac ſeruare, ſuper ijs imponi penſio non debet,* Gamb. *in tract. de penſ. n. 24.*

Ratio eſt, quod quæ dantur pro labore, obſequioque, hæc beneficij fructus proprie dici nequeant, ſed merces, abit ergo à quæſtione eiuſque ſenſu, qui an collocari ſuper acquiſitis ex labore proprio penſio poſſit, in tanquam beneficii fructibus ambigit, quæritque.

Dico tamen tertiò, *In quotidianis beneficij obuentionibus quas manuales diariaſque diſtributiones appellant, penſionem imponi poſſe*: Ita

Pariſ.

A Pariſ. loco ante citato *num. 29. & ſequent.* & alij apud illum:

Probatur, Si ſunt diſtributiones quotidianæ numerandæ in fructibus, de iis haud dubiè detrahi quid poterit, quod penſionis locum teneat, ac tales eſſe, declarauit Curia, Brodæo teſte ad Louetum *num. 46.* patetque hinc maxime, quod præbendæ ſint non paucæ in Gallia, quæ in ſolis diſtributionibus conſiſtunt Fabric. teſte *de præbe. diſtrib. num.* 18. in quibus omnia ſunt communia, danturque quot diebus, Canonicis ſingulis, qui choro cum oporteret, diuiniſque interfuere officiis, B tot libræ panis, tot menſuræ vini, ipſiſque adeo ſcholaribus quos ſtudiorum amor in Academiis occupatos tenet, iubetur Canonicorum Collegium aliquid in ſumptus quotidianos dare, vt ſæpe iudicatum à Curia Charondas memorat *lib. 1. reſponſ. cap.* 68. & poſt eum Maynard. *in lib. 1. quæſt. cap. 8. in fine.*

Confirm. ſunt diſtributiones, *manualia beneficia*, vt ait Bonif. VIII. *in cap. vnico de Cleric. non reſid. in* 6. ſed hoc appellari nomine iuſte non poſſent ac honeſte, ſi ad beneficij C fructus nocturnæ diurnæque diſtributiones non pertinerent: Ergo cum ſuper illis conſtitui penſio poſſit, poterit & in diſtributionibus. Quod cum fiet, addi hæc debebit à Papa ſuæ erga poſtulantem indulgentiæ teſtis clauſula, *etiamſi in ſolis diſtributionibus quotidianis, & non niſi præſentibus & diuinis officijs intereſſentibus dari, & per eos lucrari conſuetis*, Flam. *lib. 6. q. 2. nu.* 29.

Dico quartò, *Cum in fructibus habeatur adminiſtratio beneficij, propria eius iuriſdictio, ſtallus in choro, locus in capitulo, habitatio, beneficiorum omnium pro tempore vacantium collatio, reſeruari hæc omnia à Pontifice poſſunt penſionis* D *nomine, aut eorum aliqua.* Ita Flam. *de reſign. lib. 6. num. 9. & ſeq.*

Ratio eſt, quod penſio idem Doctorum opinione ſonet, quod pars fructuum beneficij aliqua, at quæ ſunt in aſſertione exempli cauſa propoſita, fructus ſunt, cum Epiſcopo, Parocho, & aliis qui beneficia poſſident, minime competant, niſi eorum occaſione ac cauſa. Sane conſtat Eminentiſſimos Cardinal. Rupifucaldium & Gondium, cum à ſuorum ſibi Epiſcopatuum regimine, curaque miſſionem à Paulo V. impetrarunt, vna quoque ab E eodem conferendorum Canonicatuum qui vacarent in eorũ Epiſcopatuũ æde principe, poteſtatem penſionis loco impetraſſe, quod ipſum communiter Romæ fieri, ac Cardinalibus concedi citatus Flam. aſſerit *nu.* 36.

QVÆSTIO VIII.

An penſionis ſoluendæ obligatio ad ſucceſſorem in beneficio tranſeat?

SEntentia affirmans & vera eſt, tranſire, hanc tuentur Gigas *de penſion. q. 43.* Flam. *lib. 6. q. 2. num. 94.* & probatur.

Res quælibet in eius à quo poſſidetur poteſtatem, iuraque cum ſuis commodis, onere, & damnis migrat, ſed penſio beneficio impoſita, eius quoddam eſt onus, eſt ergo cum beneficio ad demortui beneficiarij ſucceſſorem, tranſitura cum beneficio. Maiorem probabilem reddunt quæ ſequuntur.

Primum, quod ſint cuiuſque rei commoda & onera eius quædam affectiones & proprietates licet extrinſecæ, ſunt ergo ab ea inſeparabiles. Alterum quod qui vtilitate innata rebus gaudet, eius quoque experiri incommoda debeat.

Tertium, quod is cuius commodo beneficium eiuratur, illud cum conditione tacita recipiat, penſionis ſoluendæ quotannis, agendique cum eo cui reſignabit, vt idem reſignanti ſuo præſtet, quod ab ipſo eſt factum, quandiu beneficij poſſeſſor fuit, faceretque niſi eo ipſe cederet, inter hunc ergo & reſignatarium primum, quidam veluti contractus de penſione quotannis reſignanti numeranda interuenit, quemadmodum & inter ſecundum reſignantem & reſignatarium: at ex quaſi contractu, naſcitur omnium conſenſu obligatio; actioque perſonalis in contrahentes mutua *parag. omnium Inſtit. de actionib.*

Confirm. Eſt penſio ſuper fructibus conſtituta onus reale, ſicut ſunt cenſus & decimæ, ſecundum Gloſſ. *in cap. niſi eſſent de præb.* At onera cum re ad ſucceſſorem tranſeunt: ergo.

Secundo, cum mens legiſlatoris eſt dubia, ſtandum eſt maximè verbis, quibus eſt concepta, at hæc indicant, Papam velle, vt qui ſuccedit beneficio cui eſt adiuncta penſio ex cauſa reſignationis, eam præſtet penſionario reſignanti, ſic enim habent literæ Pontificiæ, *Volumus extare tibi penſionem annuam, ſuper fructibus talis Eccleſiæ, tibi, quoad vixeris vel procuratori tuo per N. illius rectorem vel eius ſucceſſores perſoluendam.* Ex quo patet, penſionem eiuſque ſoluendæ obligationem, non tam ex contractu ac partium inter ſe conuentione pendere, quam ex Pontificis voluntate & conceſſione, quandoquidem eius ſolius eſt reditus imminuere beneficij, eorumque partem dare alicui.

Tertiò, res ei maximè eſt præſtanda, cui eſt obligata, ac debita, at fructus beneficij, pro quota penſionis exoluendæ, quæ in iis eſt conſtituta, penſionario ſunt debiti, Gigas *qu. 3. num. 9. & 10.* Quæ cauſa eſt, cur beneficij

poſſeſſor nouus, idemque antiqui, hoc eſt primi reſignatarij ſucceſſor, ſecundum multos ad præſtationem penſionis ab eius reſignante non ſolutæ cogi valeat, Flamin. ſupra *q.43.n,2.* quia penſionis pendendæ obligatio realis eſt, cohærenſque beneficio, ergo quandiu erit hoc in natura rerum ſoluendæ tandiu penſioni ſubſtratum erit: ita Gigas *q.39.num.*13. Caccialup. Flamin. *lib.de reſign.s.q.8.*

Saluo tamen meliori iudicio, reſignatarii ſucceſſorem in beneficio, ac obligatione penſionis reſignanti dandæ, ad penſiones tempore prædeceſſóris mortui decurſas non teneri, hoc nomine exiſtimo. Quod hæc eius obligatio, ex re aliena fluere nequeat, cum fructus qui reſignanti erant aſſignatione Pontificis gratuita debiti, non extent, vt ſupponimus: Nec ex iniqua actione, cum reſignatarii ſucceſſor in beneficio conuinci de iniuria reſignanti illata nequeat, aut opere ſuo aliquo, auctorem Reſignatario cauſamque fuiſſe, penſionis ei non exhibendæ cui erat debita, cum oportebat: Nec ex contractu, aut quaſi contractu naſci hæc poteſt, quæro enim quis inter vtrumque interceſſit? aut ſi quis fuit, quo nomine appellari debeat?

Si tamen inſoluta penſione reſignatarius decederet, ex beneficii fructibus, quos ille dũ viueret, collegit, hæc pendenda ſoluendaque eſſet ante reliqua debita, quia ſunt hi præ cæteris obligati penſionario. Extra hunc caſum non condemnat Rota ſucceſſorẽ in penſionibus non ſolutis. Creſcent. *deciſ.2.vel 66.lib,2.*

QVÆSTIO IX.

An extingui aut redimi penſio poſſit ſine facultate Pontificis.

PRima Aſſertio, *Penſio data militi aut Laico redimi, ſine vlla Papæ facultate poteſt*, Toletus *lib.5.cap.83.& cap.93.num.1.* Gloſſa *pragmat. in titulo de collat. parag. item quod vniuerſitates in pragm.* Rebuff. *de pacific. poſſeſſ. n.*132.

Ratio eſt, quod iſtiuſmodi penſio ſit quid merè temporale, hoc enim differt à Clericali, quod hæc conferatur ob officium, à Clerico exercendum, in Dei ac Sanctorum cæremoniis, illa minime, ſed ſit talis, per ordinem ad obſequium olim Eccleſiæ in temporalibus præſtitum, vt ſi eam armis, ſi voce ac charitate propugnauit ab iniuria, ſi non ſine capitis diſcrimine eam periculis exemit, cum quæ Epiſcopo, aut Parocho datur ſenio confectis ad vitæ ſubſidium, aut adoleſcenti initiato minoribus ordinibus, aut per tonſuram ad eos deſignato, vt eius commodis alatur in ſtudiis, quæ in animarum ſalutem poſtea conuertat, aut Dei gloriam: ſit ſpiritalis ex fine quo refertur ac tendit, quoniam cum penſio data militi, aut Laico, nil habeat, ſpiritalis dici non poterit: ergo nec inuendibilis.

Confirm. non eſt penſio laïco aſſignata ius immediate ad decimas quod eſt ſpiritale cõſequenter, quia à iure exercendi officii ſpiritalis oritur, tanquam effectus à cauſa, ſed eſt ius, ad beneficiarium cogendum vt penſionem Laïco à Papa cõceſſam ſoluat, ſi ergo de ea redimenda cum beneficiario tranſigat, aut eam vendat, non peccat eo culpæ genere quam Simoniam nominant.

Secunda Aſſertio, *Emi penſio non poteſt quæ Clerico vt Coadiutori Epiſcopi v.g. datur, cum onere exequendi ſpiritualis officij.*

Ita de Beia *parte.1.caſuum caſu* Sotus *lib.9. de iuſtit.q.7.art.2.* Nauar. *cap.23.Enchir.& to.2.conſil.lib.5.conſil.39.num.2.& conſil.60.nu.2.& ſequentibus, & conſil.52. de præb.* Flam. *lib.6.de reſign.q.2.n.128.* Gigas *de penſ.q.45.*

Probatur, quod eſt in ſe ſpiritale aut ſpiritali annexum emi aut pretio addici temporali ſine culpa nequit, at eſt pẽſio annexa ſpiritali, ſecundum D. Thomam 2.2. *q.*100.*art.4.* Pet. du Clos *ad q.8.lib.primi*, Flamin. *num.*34. Et quidem conſequenter, quia præriquirit ordinem in conferente, & tonſuram ordinariè in eo cui conceditur, & præterea habitudinẽ ac reſpectum dicit ad beneficiũ & functiones ſpirituales quarum cauſa eſt conceſſa, & ad quas ius ex aliena volũtate habetur: ergo, &c.

Quid? quod penſionario, per Pii quinti bullam, adiuncta ſit obligatio ſacri miniſterii, nempe recitandi officii Beatæ Virginis, ob quam cauſam eſt penſionis emptio Simoniaca inquit cum Suarez *tract.3. de relig. lib.4.cap.26.num.8.* Reginald. *lib.23.cap.18.lib.5.num.276.* de quare nos poſtea.

Secundo, *quiſquis eorum alterum vẽdit, ſine quo nec alterum prouenit neutrum inuenditum derelinquit*, inquit Paſchalis Papa, *2.q.3. can. ſi quis obiecerit.* Sed ius exigendæ penſionis eſt ſpiritale, eſt enim ius poteſtaſque petendæ partis decimarum, quæ functionem in eo ſpiritualem iuſque eius obeundæ ſupponũt in illo qui illas petit acrecipit: ergo redimere aut vendere conceſſam ſibi à Pontifice penſionem non licet.

Confirm. eſt id auctore S. Thoma *q.*100. annexum ſpiritali quod in ſpirituali fundatur aut ex eo dependet, vel de iure nequit competere niſi Clericali ſtatui. Talis eſt penſio, nam fundatur in beneficio, ipſumque ex ordinatione Eccleſiaſtica conſequitur, à qua dependet, nec aliis conuenit, quam qui ſpirituali ſtatui aliquo modo inſeruiunt, Eccleſiam protegendo, &c. eſt ergo ius penſionis ſpirituale conſequenter, proindeque inuendibile.

Tertia Aſſertio, *Poteſt tamen redimi.* Docent hanc ſententiam Caiet. *opuſcule 17.reſp.*10. Flam. *de confidentys 32.n.29.& ſeq.*

prob.

Probatur, Quod per ſe & immediate hic redimitur non eſt quid in ſe ſpiritale, nec ſpiritali annexum, ſed libertas, ſeu imminutas ab obligatione & onere pendendæ penſionis beneficio impoſitæ, quæ imminutas, res non eſt in ſe ſpiritalis ac ſacra, nec antecedenter, concomitanter, & conſequenter. Non primum, quia ad ſpiritale non ordinatur eiuſmodi immunitas. Non ſecundum, quia labor qui eſt in ea procuranda verbis, aut numeratione pecuniæ, quidpiam eſt materiale & corporeum. Non vltimum, cum non innitatur fundamento ſpiritali, ſed pecuniæ pro qua obtinetur.

Confirm. Si quis pecunia eximeret ſe à ſoluendis decimis, non peccaret, cum ius ſpiritale non acquirit: ergo nec qui à penſione præſtanda ad quam erat obligatus, ſe redimit.

Aſſertio quarta, *Non poteſt tamen abſque auctoritate Papæ penſio redimi ſine culpa.*

Ratio eſt, quod ſtylus Romanæ Curiæ inſtar ſit legis ad quam nos noſtraque fingere eſt neceſſe, ob quam cauſam *c. 2. ex lit. de conſtitutionibus*, is recipiendus à ſuo Epiſcopo, in aliorum magiſtratuum conſortium dicitur, qui parere poſt excommunicationem eſt paratus: *Quod tam iuris, quam noſtri moris exiſtat*, inquit Pontifex, *vt is qui propter contumaciam communione priuatur, cum ſatisfactionem congruam exhibuerit, reſtitutionem obtineat.* Verum eſt ergo, ſtylum Curiæ, pro lege habendum eſſe, ergo cum hic Papa ante non conſulto penſionem redimi non ſinat, ſtatuatque vt facta aliter redemptio non valeat, ſecundum Reginald. *lib.* 30. *cap.* 8. *num.* 133. Nauar. *harum rerum ſcientiſſimum in conſilio de Simon.* 62. *num.* 3. *& de conſtitut. conſil. vltimo num.* 6. eſt hæc tanquam Simoniaca infecta labe vitanda cuique.

Eſt hæc ſententia vera, de penſionibus aliis quid cenſendum?

Aſſertio quinta, *Quæ datur ſeni Parocho, quæ inopi Clerico, hanc redimere ſine culpa, maculaque Simoniæ, cuique abſque Pontificis facultate, eſt natura iure integrum.*

Ratio eſt, quod ſit omnis eiuſmodi penſio temporalis, ab officio munereque Clericorũ proprio abſtracta, tituloq; nullo cõſpicua, nec cum iure ſpiritali vllo exercenda nexa.

Quæ eſt opinio Sanchez *conſilior. lib. 2. cap. 3. dubio 46. num. 15. & ſeq.* Quæ autem datur beneficiato reſignanti vt Caietanus *tom. 1. opuſcul. tract. 17. & tract. 31. q.* 10. Tolet. *lib. 5. cap. 85.* Victoria *relectione de Simonia 1. parte num.* 52. aiunt etſi nec natura ſua nec habitudine ad ſpiritale, proprie eſſet ſpiritalis, tamen ſine Papæ facultate redimi non poteſt, quod ſeruari in Gallia Bleyanus in *tract. de penſione* aſſerit *num.* 18. *litera F. ad marginem*, quia per quas cauſas quid ponitur, iiſdem & tollitur: ergo cum penſionis ſuper aſſignato beneficio facta alicui conceſſio ſit Papæ actio, erit & extinctio.

Secundo, quæ in Romanorum inueterauere moribus hæc habenda ſunt pro lege, ergo cum redimi Romæ, ſine auctoritate penſiones non ſint ſolitæ, multoque minus emi, ab hoc opere cuique eſt abſtinendũ ſi vacare vult crimine. Sane pro penſione quidpiam dare in numerata pecunia aut fructibus, tanquam iuſtum eius pretium, reprobari in Gallia, habet Frerotus *in additionib. ad Guenois lib. 1. collat. ordination. titulo 3 parag. 33.*

Aſſertio ſexta, *Poteſt penſio à penſionario cui eſt debita, remitti reſignatario aut alteri.*

Quia eius poteſtati eſt ſubiecta, ergo vt eam exigere, ita & condonare eſt in eius iure, Flam. ſupra *n.* 123.

Excipiendus eſt caſus, in quo hæc locum haberet patrimonii, aut tituli, ſub quo penſionarius ſacris eſſet initiatus ordinibus, nam tunc pẽſionem dimittere, aut extinguere ſine Epiſcopi facultate, quoad aliunde illi abunde ſuppetat ex beneficio Eccleſiaſtico vnde viuat, non videtur legibus Eccleſiæ licitum, cum id Concilium prohibeat *ſeſſ. 21. cap. 2. de reformat.* extra hunc caſum eam abdicare illi eſt tam naturæ quam Eccleſiæ iure conceſſum. Naturæ quidem, quia de re ſua diſponere, vt lubet, Domino licet, at eſt penſionis, id eſt partis fructuum beneficij, penſionarius arbiter ac Dominus: ergo vt eam ſtatis anni temporibus, quibus eſt ſoluenda, poſtulare à reſignatario, ſuo penſionario eſt permiſſum, ita & eidem remittere, cum id in Eccleſiæ, ac beneficii commodum tendat, cui liberari à ſeruitute, eique impoſito onere, eſt vtile.

Eccleſiæ autem quia cum id nuſquam in iure legatur prohibitum, cenſeri debet eſſe tacite, ac virtute conceſſum.

Obiicies, Penſio quæ renuncianti datur, aut beneficium permutanti cum alio, datur pro beneficio: ergo eſt ſpiritualis, alioqui pro beneficio quod eſt ſpiritale daretur temporale quod non licet.

Anteced. eſt negandum, primo, quia reſignare beneficium cum penſione non eſt illud commutare cum alio, ſed partem ſibi fructuum ſeruare, reſignatario integros dare nolle.

Vltima Aſſertio, *Etſi non ſint dameandi de Simonia qui auctoritate ipſi ſua de penſione pretio redimenda conueniunt non ſunt tamen ſine aliqua culpa.*

Pars prima eſt certa, quia obiectum iſtius contractus nempe penſio, eſt temporale, ergo tale, vt nec ſit capax faciendæ Simoniæ.

Probatur altera, Iuſtæ legi non obſequi eſt culpa, ſed Romanis moribus, noſtriſque

A

nefas eſt in externo foro penſionem Pontifice non probante redimere, habetque hæc conſuetudo vtpote rationabilis ac perſcripta vim legis: ergo, &c.

QVÆSTIO X.

An Penſio extingui poßit, & quomodo?

B

CEſſare ſola Penſionarii voluntate eam remittentis, dictum eſt quæſtione proximè præcedente, an ad hunc modum adiici quoque debeant alii iam eſt videndum.

PRima Aſſertio, *Ceſſat penſio, per contractum auctoritate Papæ factum, de ea anticipatis ſolutionibus extinguenda, quæ ſolutiones ad eam redigi ſummam debent, quæ quinque annis pendendæ forent*, teſtatur Tolet. *in ſumma cap.* 83.

C

Quia per quas cauſas quid ponitur, iiſdem quoque & tollitur *de regulis iuris regula* 1. ſed habet penſio à voluntate Papæ originem: ergo & ab eadem finem ſuum, ſine ea, ſimoniaca eſt ſaltem in foro externo, illius extinguendæ tranſactio, Nauar. auctore *lib.* 5. *conſil. de Simon.* 60. & 62. Reginaldo ſupra, non quod ſit ſpiritalis, aut ſit omnis in ſpiritualibus pactio maxime legalis, ſimoniaca, vt eſt in *cap. finali de pactis*, ſed quod præſumatur, præceſſiſſe de ea redimenda talis aliqua inter reſignantem & reſignatarium, qualis intercedere inter eos nulla poteſt ſine ſimonia, eo quod obligatio omnis pretio æſtimabilis beneficio contra eius naturam addita, vitioſa ſit, nec à Simoniæ macula abiuncta.

D

Secunda Aſſertio, *Ceſſat item per contractum matrimonij, verbis de præſenti, & non futuro tantum initi*, Gigas *de penſionib. q.* 54. & *apud eum Ioann. Andreas.*

Ratio eſt, quod ſit coniugatus, beneficij incapax: ergo & penſionis, quæ eſt quædam eius portio.

E

Conſequentiæ eſt hæc cauſa quod qui de matrimonio cogitat, illudque tam ſuâ, quam propinquorum voluntate contrahit, ideo videatur eſſe beneficij incapax, quod cum ſtatum amplectatur Clericatui oppoſitum, videatur beneficio remittere nuntium, illudque habere pro derelicto, at eadem eſt penſionis ratio, quæ beneficij, cum ex eo oriatur, remotè licet ac indirectè, nempe ex reſignationis, permutationis, aut componendæ litis cauſa, non eſt tamen hæc pœna facti, ſed iuris, cum maritum, hoc eſt coniugatum ipſo facto, non eſſe ſuis priuatum beneficiis, ac penſionibus, ſed priuandum, veriſſima ſit Doctorum opinio.

Tertia Aſſertio, *Morte quoque penſionarij extinguitur penſio*, Fabricius *tract. de penſione num.* 28. Paulus Piaſecius 2. *parte praxis Epiſcopat. art.* 5. *capitis* 5. *num.* 70. Flam. ſupra *num.* 113. Rebuff. *de pacific. num.* 157.

Quia penſio onus eſt temporarium, & quidem recipientis vita circumſcriptum, ergo cum ea extinguendum, non autem cum vita illam debentis. cùm ex dictis antea ad ſucceſſorem in beneficio tranſire penſio ſoleat, Rebuff. *in praxi titulo de reſeruat. num.* 20. Piaſec. *ſupra nu.* 70.

quarta Aſſertio, *Extinguendæ penſionis tres quoque alij ſunt modi.*

Primus eſt, per tranſlationem eius in alium, non alterius tamen auctoritate quam Pontificis, Flam. ſupra *n.* 125. Piaſecius *n.* 70. Quia fidem omnem ſuperat, Pontificem, penſionis aſſignatione certo datæ homini, omni ſe priuare velle facultate, quæ ei vt ſummo Eccleſiæ parenti, ac principi in res Eccleſiæ conuenit, maxime cum eſt culpa ſua penſionarius earum vſu, fructuque indignus.

Secundo, non poteſt eſſe perennior penſio, firmiorque beneficiis: at hæc à poſſeſſore in alium, per eum qui poteſt, vt eſt Pontifex, transferri queunt in pœnam admiſſi alicuius criminis: ergo, &c.

Ratio, extinguendæ penſionis altera eſt, religioſæ vitæ inſtituta in religione approbata capeſſere, Gigas *de penſion. q.* 57. *num.* 7. quia per profeſſionem vacant beneficia Monachi omnia, poſſuntque conferri hoc nomine, at eſt penſio impropriè, & latè beneficium, eſt ergo hæc regulari profeſſione vacatura ipſo iure.

Secundo, qui vitæ, idem quoque eſſe ſolet penſionis finis, ſed religioſæ vitæ profeſſio per vota tria ſolemnia, mors eſt quædam ciuilis, *lege Deo nobis Cod. de Epiſcop.* ergo.

Eſt & caſus alter, in quo ceſſare ſolita eſt pēſio nēpe cū quis militiæ degit in ea arma tractat, maximè ſi erat hęc ei aſſignata beneficij loco, quia eſt miles armorum & immanitati aſſuetus ac turbis, eius incapax. Non vacat tamen pro ſeruitio Eccleſiæ exhibendo attributa, quia eiuſmodi ei obſequium præſtare laïcus poteſt, & tam fructuoſum & vtile, quod penſione compenſari debeat, ergo hic illam iſta cauſa, ſibi à Papa conceſſam exigere poterit ac capere.

Sunt & alia tempora, in quibus non eſt neceſſario præſtanda penſio. Primum eſt beneficij, ſub penſione reſignati, aut permutati euictio, nempe, cum reſignatarius, publica magiſtratus ſententia de beneficio ſibi cum penſionis nexu ac onere reſignato abire iubetur, eo quod reſignantis non eſſet. Enimuero cum ſit penſio pars fructuum, ad eorum præſtationem obligatus eſſe, qui nullos recipit, iuſte qui poteſt?

Alterum eſt, cum ſuper hac euictione lis eſt mota, aut recredentia adiudicata, nam tunc

penſionem negari poſſe, niſi prius idoneè ſit cautum à penſionario de reſtituendis fructibus in caſu retractatæ recredentiæ, & ſubſequutæ euictionis, docent Forgetus *de penſionib. num. 31.* Bleyanus *in eod. tract. num. 18. litera F. ad marg.*

Vltimo, amittitur penſio per Concubinatum Trident. *ſeſſ. vltima cap. 14.* ſed hæc pœna locum non habet niſi poſt iudicis ſententiam.

QVÆSTIO XI.

An penſio à penſionario transferri poſſit in alium.

PEnſionis hic nomine intelligo, quicquid eſt ac cenſetur in fructibus beneficij quorum in numerum eſt etiam collationum reſeruatio Senatus Pariſienſis iudicio referenda, vt in cauſa Eminent. Cardinalis Gondij, ſanxiſſe illum ſcimus, cuius eſt tũ ab eo approbata Lutetiani Epiſcopatus ceſſio in fauorẽ Eminent. Cardinal. de Rets, cum hoc onere, fas ſibi vt eſſet, quemadmodũ & antea, beneficia eiuſdem Epiſcopatus cum poſſeſſore vacua forent conferre quibus viſum eſſet, modo dignis. Sunt enim collationes in fructu, vtpote quæ collatori bene merendi de aliis, bona cum iis communicando Eccleſiæ, materiam ſuppeditent, partemque proinde reditus faciant, Probo teſte, *q. 32. regalium*, & Brodæo ad Loüetum *litera P. art. 33.*

Quæſtio eſt hic ergo, an Pontificis indulgentia penſionem ſibi debitam penſionarius transferre poſſit in alium, hoc eſt, gratis eam ac ſponte alicui concedere (nec enim tranſlatio aliud ſonat, quam iuris ſui, facta alteri vltronea ceſſio,) & ſi poteſt, vtrum inſciente Pontifice.

Prima Aſſertio, *Penſione ſibi debita poteſt alteri penſionarius cedere, ſi reſignatarius conſentiat.*

Probatur, vt eſt penſio inſtar vſusfructus, ita & penſionarius vſufructuarij vicem habet, Fabricio teſte *de penſione beneficiali litera S. in margine, ob quam* cauſam non tranſit illa ad penſionarii ſucceſſores, ſed eo moriente moritur, ſicut & extingui vſumfructum cum vſufructuario iura ratioque imperant. At huic in alium, de conſenſu proprietarii, ea quorum vſumfructum habet transferre non eſt prohibitum: ergo, &c.

Secundo, liberum eſt cuique quod eius eſt pleno iure dare fruendum alteri, niſi id eum facere leges vetent, at eſt penſionario, debita penſio Papæ beneficio, nec ea, niſi ex cauſa priuari poteſt, præiudicio Curiæ, de anno 1566. vt Brod. adnotauit ad Loüetum *lit. P. art. 30.* ergo, &c.

Secunda Aſſertio, *Facere id nihilominus*

A *penſionario ſine Papæ conſenſu non licet.*

Quia penſionis creatio, fructuum eſt beneficii in duos diuiſio, ac eorum, reſpectu beneficiarii, imminutio, at hæc ſoli permiſſa eſt Pontifici, præterquam in caſu, quo id propter bonum pacis Epiſcopus aut arbitri facerent, quod eis licere aſſerit Papa Innoc. III. *in cap. niſi eſſent 21. de præb.* & Clem. III. *in cap. 6. de rer. permut.*

Secundo, eſt donatio ex cauſa inanis ac nulla, iſta non poſita nec extante. At eſt penſionis creatio quædam veluti donatio, eaque

B in Gallia ex reſignationis, permutationis, aut ſedandi litigii cauſa, vim ſuam habens, qualis tamen nulla in eo reperiri ſupponitur, ad quẽ traiici fingitur, tranſmitti ergo à reſignante in alium Papa inconſulto non poteſt.

Tertio extra caſus, à nobis ante expoſitos quibus fas eſt Epiſcopo, tertio cuipiam penſionem vnde neceſſaria vitæ ſubſidia capiat, indulgere ad vitam, nemini eſt permiſſum fructus beneficii aũt eorum partem aliquam præterquam Papæ, concedere alteri, nec proinde ius penſionis transferendæ, eſt enim hæc temporale onus, quo à priuato grauari alium,

C auctoritate propria non poſſe eſt certum, quia beneficia nulla ſui parte imminuta, ſunt lege canonum bene meritis tribuenda Clericis, *cap. vnico vt beneficia ſine diminutione dentur.* At hac teneri ſingulos, nec ab ea poſſe deflectere, indubitati eſt iuris, eſt ergo certum ſimiliter penſionis poſtulandæ ab alio ius dari non poſſe præterquam à Pontifice.

Quarta Aſſertio, *Eam facultatem, habent ab homine & perſonalem, quorum poſtulationi eſt hæc indulta à Pontifice ex cauſa, eaque cognita.*

D Pars prima eſt clara, ſecunda probatur. Eſt penſionis in alium traiectio odioſa ac grauis cum per eam prorogetur beneficii ſeruitus, Sarnius *de infir. reſign. q. 16.* At ſunt odia iudicio Pontificis Bonifacii mitigãda, nec id facere eſt facile, niſi transferẽdæ penſionis auctoritas nitatur cauſa, eaque iuſta, qua leniatur impoſiti oneris acerbitas: ergo penſionis in alium tranſlatio, faciẽda tantum eſt ex cauſa.

Fit autem hæc tranſlatio tripliciter. Primo, obtenta facultate à Pontifice eam transfe-

E rendi in alterum per clauſulam eius poteſtatis expreſſiuam.

Secundo, cum partes ipſæ ab eodem obtinent, vt penſio quæ abſolute & ſine clauſula creata fuit, in fauorem A. per N. ſoluenda extinguatur, ad effectum vt B. reſeruetur *& non aliter*, tunc enim accedente conſenſu tam eius, qui habet penſionem, quam cui eſt impoſita, prior extinguitur vt noua creetur.

Tertio, transfertur in vim priuilegiorum, quæ ea de re certis perſonis voluere ſummi Pontifices eſſe conceſſa.

Quinta Aſſertio, *Eſt hac autem penſionis*

conferendæ in alium auctoritas militibus SS. A *Petri & Pauli iure conceſſa.*

Prioribus quidem à Leone X. & Clemente VII. cuius facultatis extare ipſi voluere memoriam, apud poſteros, duplici diplomate, vtriuſque meminere Mandoſius, *in regul. de infirm. reſignant. q.* 11. *num.* 9. Puteus *deciſ.* 344. Poſterioribus id eſt S. Pauli militibus à Pio II. & Iul. III. modo hæc tamen penſio 150. ducatos pro primis, 200. eoſque de camera pro aliis non excedat: ſunt eadem quoque priuilegia poſtmodum Lauretanis attributa equitibus à Sixto V. & Pio IV. vt illorum ea de re B conſcriptæ bullæ fidem faciunt, Pij quidem IV. decima ſexta Sixti 35. *cui initium poſtquam anno* 2.

Vt autem ſit hæc penſionis tranſlatio rata ac valida, ſunt hæ quæ ſequuntur, conditiones neceſſariæ.

Prima eiuſdem per Pontificem extinctio.

Secunda, ipſiuſmet, aut alterius ei in quantitate ſimilis creatio, ſuper beneficio ex quo ſuam transferens petebat.

Probatur, eſt tranſlatio beneficii aut verius, penſionis ei impoſitæ, in fauorem alterius ceſſio, at res eſſe nulla mea poteſt per donationem alterius, niſi prius eſſe in donantis poteſtate ceſſarit: ergo cum penſio non pereat, ceſſetque penſionario niſi extincta, id prius fieri eſt neceſſe, quam validè ab eo in alium demigret, Gigas *de penſion. quæſt.* 88. *nu.* 8.

Secundo, communiter ante hanc penſionis mutationem, Beneficiarij, cui incumbet eam ſoluere, impetrandus eſt conſenſus, quia alioqui fieret ei iniuria, cum is ſæpè in quem D ius penſionis transfertur, annis ſit tranſmittente minor: id ergo eo non conſulto fiet.

Excipiendus eſt caſus, in quo Pontifici ſecus viſum foret, nec beneficiario ea de re ſermonem vllum iniici vellet: cum enim iuris ſit poſitiui tantum, quod Patronus, aut beneficiarius penſionem transferri alteri non repugnent, ei derogare Papa poteſt etiam valide, reſpectu Patroni Eccleſiaſtici in Gallia.

Obtinetur autem Papæ conſenſus tribus modis: primo per Bullam expreſſam qualis eſt E conceſſa militibus ſanctorum Petri & Pauli à Leone & Clem.

Secundo, per libellum ſupplicem, preceſque iiſdem concipiendas literis quibus reſignatur beneficium cum penſionis onere, aut diuerſis: Iiſdem quidem cum rogatur Pōtifex vt ſibi fructuū ſuper beneficio quo cedit partē reſeruare velit, cum poteſtate tamen eam cū volet transferendi alteri. Diſtinctis autem cùm rogatur Papa, vt pro cætera ſua benignitate, conceſſam olim ſibi penſionem extinguere dignetur, reſeruandam alteri, quem de nomine appellat.

Modus obtinendi conſenſus Pontificij vltimus eſt, cum coram, ac inter præſentes, verbo id ſibi gratum eſſe, Papa ſignificat: qua de re Gigas *de penſion. q.* 13. *&* 88. Cardinal Pariſius *conſil.* 46. Flamin. *de reſignat. lib.* 6. *qu.* 4. *num.* 7.

QVÆSTIO XII.

Explicantur aliqua quæ in penſionum materia videntur in primis notatu digna.

PRimum, Penſionem non niſi ei beneficio imponendam eſſe, ex quo redituum tantum eius poſſeſſori remaneat, quantum eſt neceſſe, vt viuere ſtatui ſuo conſentaneè, iura Epiſcopalia ſoluere, ac onera cætera ferre valeat, colligitur ex *cap. vacante* 26. *de præbend. & cap. cum cauſam* 36. *eiuſd. tituli*, vbi præbendæ prohibentur diuidi, *niſi tot ſint vtriuſque prouentus quod per vtramque ſit vtrique prouiſum in beneficio competenti.* Secus ſi C fiat, ex falſa cauſa ſupponetur impetrata eſſe, ſecundum Rebuff. *tract. de pacific. poſſeſſoribus*, ac proinde erit nulla.

Secundo, penſio ei de permutatis beneficiis imponitur, ad tollendam inæqualitatem quæ eſt inter illa ratione fructuum, at hæc non tollitur cum beneficium ea grauatur, cuius tamen minores ſunt obuentiones annuæ, quam alterius, cum quo permutatur, aut cum reditus qui relinquuntur, oneribus ad quæ tenetur ſunt impares, aut alendo beneficiario inſufficientes.

Notabile ſecundum, ſuper vtroque beneficio permutato penſionem creandam non eſſe Forgetus *tract. de penſion.*

Quia in Gallia penſioni locus eſt nullus, niſi quam ſuadet æquitas in hoc ſita maximè, quod reſignantes aut permutantes nullum ſua aduerſum reſignatarium aut compermutantem beneficentia, detrimentum ferant. At id aſſequi non eſt facile, cum vterque de ſuis ſibi prouentibus partem mutuo annuunt: ergo in vtroque beneficio non poteſt, nec debet imponi penſio,

Notabile tertium, cum eſt impetratum à ſummo Pontificè, ius transferendæ penſionis in alium, in transferentis poteſtate eſſe, captare ad id commoda tempora, ac ſi lubet, expectare vltima vitæ, quia id non legitur iure vllo Canoneque prohibitum. Eſt ergo ius iſtud eiuſmodi, vt vi eius, illi cum eſt ab vrbe conceſſum, certa nulla ſint definitaque tempora, quibus illud mandare effectui ſit neceſſe.

Notabile 4. Tribus à tranſlata pēſione mēſibus, eius eſt traiectio, beneficiario debitori indicanda, Puteus *deciſ.* 72. *de penſion.* Caſſad. *deciſ.*

deciſ.10.de reſcriptis, Gigas *de penſionibus q.85. n.9.* quia cũ duo à iure, eius præſtationi conſtituta ſint tempora nẽpe Iunii 24. & 8. dies Septembris, mature monendus eſt debitor, vt ad eam ſoluendam ſe comparet, quo omnis ei hoc modo, poſtmodum excuſationi iuſtæ interclusus ſit locus, quod aſſequi non eſt facile ſi trimeſtre & amplius, de penſione ſibi debita penſionarius beneficiario nihil indicet & ita totum illud ſpatium, tacite nulla de iure ſuo, ne minima quidem iniecta mentione prætereat.

Notabile quintum, vt à decimarum Papalium onere, eſt is exemptus, liberque, cui penſio pecuniaria ſoluitur non realis, ac partis fructuum, Rebuff. *tract. de pacific. poſſeſſor num.* 120. ita & ab viſitatis, quæque Epiſcopo pendi ſolent in procurationibus, cum Diœceſim viſitat, immunis eſt ac liber, Bleyanus *tract. de penſ. n.*25.

Ad quæ ergo eſt onera vi receptæ penſionis obligatus? Ad inſolita nouaque, vt ſunt pontiũ refectiones decimæ Papales, pecuniæ in bellorum ſubſidiũ à Clericis cum Papæ facultate, in graui Eccleſiæ regnorumque neceſſitate exhibendæ, Maynard. *lib.1. q. cap.44.* Fabric. *en Theoria de penſion. num.32. litera Q. ad margin.*

Dixi, cui penſio in pecunia ſoluitur, nam cum decimæ ſint onera fructuum, lege ſi ſine hærede *parag. Lucius dig. de adminiſtr. Tutor.* non videntur vlla à Penſionario ſubeunda niſi pro penſione partem fructuum beneficii habeat, quæ eſt ſententia auctorum qui ſupra, praxis tamen regni eſt contraria, vt res ipſa, curiæque iudicia fidem faciunt, de quibus Maynard. & Fabric. locis citatis.

Sextum, quando ſuper beneficio penſio imponitur non reſignanti, ſed tertio, de titularis poſſeſſoris conſenſu, ſucceſſorem eius ad illius præſtationem non teneri, fidem facit decretum Apoſtolicum porrectæ ſupplicationi apponi ſolitum, *Quod poſſeſſore cedente, vel decedente aut Eccleſiam ſeu beneficium quomodolibet dimittente, reſeruatio huiuſmodi ceſſet, eaque ceſſante, penſio prædicta extincta ſit, & eſſe cenſeatur eo ipſo.*

Septimum, locum hic nullum eſſe regulæ de triennali poſſeſſione pacifica, contra eum cui triennio non eſt ſoluta penſio vt habent Sarn. *in eand. regul. q.50.* Rebuff. *de pacif. nu.* 92. quando in ſignatura Apoſtolica qua conceditur eſt expreſſe, quod ad ſucceſſores tranſeat, ab iiſque reſignanti ſolui debeat, ipſaque, lege modum regnique moribus præfinitum non excedit, Du Clos *in annot. ad q.2. lib.6. de reſign. nu.*131.

Octauum, inhabilem ad beneficiã penſionis incapacem non eſſe.

Primo, quia pœna ſtricte, & vt verba ipſa ſonant, eſt intelligenda, at penſioni res bene-

A ficii ſignificata nomine non conuenit ergo qui ab homine aut iure, vt Sacerdotio indignus reiicitur, penſionis Eccleſiaſticæ commodis gaudere Papæ benignitate poteſt.

Secundo, Eſt ideo ad beneficia Clericus inhabilis quia ob inhærentem eius animæ aut corpori maculam, admitti ad ordines ſacros Eccleſiæ legibus non poteſt: at cœleſte obire miniſterium aliquod, penſionario non eſt neceſſe, cum præter horas B. Virgini ſacras, quibus perfungi Laïci ſolent, nullas decurrere Eccleſiæ decreto debeat, quod ergo beneficio, quia eſt ad illud inhabilis, frui Clericus nequeat, ratio inde peti iuſta nulla poteſt, quamobrem partem ſacrorum redituum aliquam pẽſionis nomine conceſſam, habere ſibi non poſſit: ita Nauar. *conſil.12. de reſcript.* Gonzal. *gloſſ.5. parag.5. num.* 26. cenſent enim in conſtitutione pœnali priuante, vel inhabilitante, penſionem beneficii nomine non contineri, cuius oppoſitum cenſent cum Theſauro 2. *par. prax. par.1. cap.31.* cenzias, Caſtro Palao & alii.

QVÆSTIO XIII.

An in diſtributionibus quotidianis imponi poſsit penſio.

Negant Oldradus *conſil.117.* Ioannes Andreas *in rubric. de conceſſ. prabendæ*, Felin. *in can.* ad aures de reſcriptis hac vna freti cauſa, quod penſio de ſolis ſit beneficii fructibus ſoluenda, ſed diſtributiones non ſunt fructus, vt notarunt Decius *conſil.*280. Gamber. *de author. legis lib. de penſion.6. n.*17.

Mihi opinio eſt alia, nam primo diſtributiones ſunt fructus teſtimonio Concil. Trident. *ſeſſion. 21. cap. 3.* vbi ſtatuit (verba ſunt concilii) *In Eccleſiis tam cathedralibus quam collegiatis in quibus nullæ ſunt diſtributiones quotidianæ, vel ita tenues vt veriſimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, & quorumcumque prouentuum & obuentionum ſeparari debere & in diſtributiones quotidianas conuerti.* Quibus ex verbis argumentari ſic poſſumus. Per deputationem ſacrorum prouentuum, factam ab Epiſcopo vt in diſtributiones quotidianas canonicorum officio aſtantium cederent, hę non amittunt rationem fructus, ſed ex verbis Concil. cuique eſt promptum, diſtributiones ante eam deputationem fuiſſe fructus, quod *ſeſſion. 22. cap. 3. & 24.* repetitur his verbis: *quarum fructus & prouentus reliquarum prabendarum diſtributionibus applicentur.* Sunt ergo diſtributiones ſacri fructus.

Secundo, quod canonico vi præbendæ eſt debitum, & ab Eccleſia ei datur cum obligatione fungendi officii, eſt id haud dubiè fructus ſacer, ſed diſtributiones ſunt eiuſmodi,

nam primo non dantur niſi præbendatis, cum præter illos, eas alij exigere, ac intereſſe choro, & horis inter canonicos, precis ac pſalmodiæ cauſa, non poſſint.

Deinde ſolis qui præſentes ſunt choro dum ſacra obeuntur officia, ſunt debitæ, ſecundum Trident. *ſeſſion. 22. cap. 3. & cap. vnico de Clerico non reſidente in 6.* vbi in conſcientia dicũtur hi eas retinere non poſſe, qui extra tempora infirmitatis, aut iuſtæ excuſationis, cum abeſſent, eas nihilominus exegerãt: Maneat ergo quod eſt in aſſertione poſitum, in diſtributionibus ſtatiſque aliis beneficii fructibus, penſionem imponi poſſe: ita Mandoſius *trac. de ſignatura gratia titulo penſiones colum. 9.* Rebuff. *de pacific. poſſeſſorib. num. 99.* Flam. *lib. de reſignat. 6. q. 2. & ſequent. num. 24.* pro quo facit Ioann. XXII. *in Extrauag. poſtulaſti 10. de prebendis*, vbi Hugoni de Mirabello collectori fructuum primi anni reſpondet his verbis: *vbi prebenda fuerit in decima tantum taxata quod parum ſupereſſet canonico hebdomadario (cui certum pro illa ſeruitium imminet in Eccleſia faciendum) poſt taxationẽ huiuſmodi tantũ remanere volumus, quod de taxatione ipſa pro huiuſmodi ſeruitij onere portionem aliquam congruam prædicto hebdomadario dimittas, pro iam dicta camera reſiduum precepturus*, vnde ſic argumentamur, quod de beneficij fructibus detrahitur Papæ dandum, idest propriè penſio, cum hæc definiri ſoleat, certa portio fructuum voluntate Papæ detracta à beneficio, & alicui applicata, at id habet locum in præſenti: ergò cum petatur hæc portio ex diſtributionibus quotidianis, in iis poteſt penſio conſtitui.

Sane in Gallia cum de penſione agitur, Curato beneficio imponenda, æſtimari ſolent oblationes altaris, quæque Parocho commoda obueniunt, ex funeribus, baptiſmis aut confraternitatibus, quæ nemo non videt diſtributionum inſtar eſſe: hancque Romanæ Curiæ praxim eſſe, verba quibus vti Pontifex ſolet, cum penſio conceditur indicãt, ait enim tibi N. penſionem, &c. *cum clauſula etiamſi in ſolis diſtributionibus quotidianis & non niſi præſentibus, & diuinis officijs intereſſentibus dari, & per eos lucrari ſolitus.*

QVÆSTIO XIV.

An ſuper Epiſcopatibus penſio imponi queat, & qua?

POſſe, Concilum indicat, cum *in ſeſſ. 24. cap. 13. de reformat.* ait hac eos grauari non oportere niſi in reditibus annuis pluſquam mille ducatos habeant, Parochiæ autem pluſquam centum, clariſſime autem in Lateran. Concil. ſub Leone X. è re communi Eccleſiæ, eiuſque maieſtate eſſe Patres cum crederent, habere Epiſcopos vnde ſumptus ad nominis ſui ſplendorem, Eccleſiæque lucem facerent, ſanxere ne cui in poſterum fas eſſet, de beneficij ſui ſtatis obuentionibus partem detrahere aliquam, tertio alicui conferendam pro beneficio *can. extirpanda 32.* Epiſcopales autem menſas nulla grauari placuit, niſi ex cauſa reſignationis, aut alterius cuiuſpiam quæ in Conſiſtorio ſecreto licita, probabilis, & honeſta iudicata eſſet, hæc eſt cauſa, cur iſtiuſmodi decreto Concilij derogari à Pontifice ſit neceſſe, cum de bonis Epiſcopalis Eccleſiæ, tantum penſionis nomine alicui tribuit, quantum è re eius, ac multorum publica eſſe credit, hancque derogationem vt ſit efficax, rataque, ſpecificam eſſe oportet, generalis his aut ſimilibus concepta vocibus non ſufficeret. *Non obſtantibus conſtitutionibus*, quia per eam Conciliaris ſanctio vim ſuam ac momentum non perdit.

Sunt ergo Epiſcopatus, de eorum Sacerdotiorum ſerie, quæ penſioni Eccleſiaſticæ quotannis penſionario tribuendæ, ſubſterni queunt, nam in Hiſpania vix eſt vllus, cuius ſe Patronum dicere Rex Catholicus poteſt, ſuper quo ex priuilegio, vel cauſa quapiam iuſta, partem redituum eius tertiam, Clerico à Pontifice concedi non petat, ideoque in ſolis conſiſtorialibus, Cardinalis cui incumbit ex munere, Papæ & Cardinalibus, in ſacro eorum cœtu Eccleſiæ tum vacanti proponere Regis ſui nomine futurum Antiſtitem, dicere hæc ſolet. *Supplicatur pro expeditione, cum reſeruatione penſionis annua in fauorem N. vel nominandi à Principe.*

QVÆSTIO XV.

An antequam ſint de penſione à Pontifice conceſſa, expedita literæ, eam exigere penſionario liceat?

LIcere in foro conſcientiæ, dixere, Nauar. *conſil. 6. de renunciat. num. 1.* Gigas *de penſ. q. 34. num. 4.* & alij apud Garziam, *parte 5. cap. 2. num. 35. & 36.* dummodo de Pontificis voluntate, reſeruataque per eum penſione conſtet.

Primo, quia cum verbo fiat gratia, penſionarius illico ac eſt hæc ei facta prouiſionis quæ ſibi eſt à Pontif. aſſignata ſuper beneficio, exigendæ ius habet, quod enim eſt benignitate Papæ ſuum, ad poſtulat, ergo non peccat.

Confirmatur, poſt expeditas in vrbe de conceſſa penſione literas, eam deſignatis anni menſibus ſolui, per beneficiarium ſibi petere pro iure ſuo penſionario, conſcientiæ illibato iure eſt permiſſum, ſed actus ſcriptura deſtituit,

deſtituti, tantum eſt momentum, quantum eius pro quo hæc facit *lege pactum quod bona fide, Cod. de pact.* nec enim ab ea, Principis indultum ac conceſſio vim trahit, ſed quod eſt geſtum exponit, quod ipſum quoque, ſine ea eſt validum *lege contrahitur digeſt. de pignorib.* vti ergo gratia ſua penſionarius, vique eius debitam ſibi penſionem exigere ſine literis in conſcientiæ foro poterit.

Dico primò, *Non eſt in foro externo poſtulanda penſio niſi poſt receptas ab vrbe literas.*

Probatur, Eſt id cuique pro charitate qua ſe proſequitur, laborandum ſtrenue, ne in ſuſpicionē fraudis factæ, aut faciendæ veniat. At hanc vitare non poteſt, qui id ab alio dari ſibi petit, quod deberi ſibi probare nequit, ne, quod non decet, tunc iuſte fur, ac mēdax audiat Fur quidem, quod in aliena bona inuolet; mendax autem, quod ea, aut illorum partem aliquam ſine literarum fide ſuam dicat. Quod ergo conceptam de ſe virtutis opinionem tueri quiſque debeat, eiuſque amittendæ aleam fugere, aſſignatam ſibi à Papa penſionem ſolui ſine literis non petet.

Dico ſecundò, *Penſionem non niſi literis Romæ expeditis, ſecundum vſum ſtylumque Romanæ curiæ, dari poſſe vel exigi.*

Ratio eſt, quod ab iis vis eius tota ſic pendeat, vt nulla ſi deſinit, cenſeri debeat, ſic ſanxere Pontifices Gregor. XIII. cuius æuo cœpta eſt primo apponi hæc *clauſula vigore literarum deſuper expediendarum, nec alias perſoluenda*, confirmata à Sixto V. & Clem. VIII. iiſdem pene verbis, quibus Gregor. eam adhiberi iuſſerat, ſic enim Clem. *vigore literarum Apoſtolicarum, infra nouem menſes proximos expediendarum, nec alias, & alias præſens reſeruatio nulla ſit eo ipſo.* Quæ ſi ſunt vera, vt eſſe nemo ibit inficias, qui ante expeditas literas, vel poſt eas impetratas, exactis à conceſſione penſionis nouem menſibus, hanc ſibi dependi à beneficiato poſtulat, iure illum ſuo omni ad eam, in conſcientia ſeruandam priuatum eſſe, hancque reſtitui oportere tradit, Theſaur. *par. prax. 2. ver. Gratia cap. 7.* quod modo ſi non fiat, eſt id ignorantiæ tribuendum. Enimuero cum ad paucos eiuſmodi ſanctionis notitia venerit, vt non ſunt ignorantes de culpa arguendi, cum eam non ſeruant, ita nec de omiſſa eius reſtitutione damnandi.

QVÆSTIO XVI.

In literis penſionis, clauſulæ apponi quæ ſint ſolitæ.

PRimo, indicant eiuſmodi literæ, quæ ad eius creationem cauſa Pontificē induxerit, ſunt autem hæ non paucæ, eæque fere omnes à charitate erga penſionarium, aut æquitate petitæ, præcipuæ, necnon de ſtylo Romanæ Curiæ præ cæteris frequētari ſolitæ, notantur his verbis: *vitæ, & morum honeſtas, aliaque laudabilia, &c.* & quanquam pro auctoritate Papa in eorum communionem fructuum, quos ſacerdotium parit, vocare poſſit quem lubet, etiam immerentem, Rebuff. *de pacific. num. 100.* ſi tamen huius ſuæ erga penſionarium beneficentiæ cauſam nullam habet, eam optimo cuique improbandam eſſe, Gamb. apud Pariſium *lib. de reſig. 6. q. 2. num. 133.* aſſerit, eiuſque effectu, qui eſt partis fructuum præſtatio, penſionarium in foro conſcientiæ gaudere non poſſe, quod à vero ſimili non abhorret. Eſt enim Oeconomi ſapientis, frugique, in re Domini ſui diſpenſanda id dare operam, ne hæc temerè ac ſine cauſa, de eius poteſtate manuque in alienam tranſeat, eſt enim in eo Oeconomi fidelitas, vt qua cura, diligentiaque res ſuas adminiſtrat, gerat & ipſe Domini. At quis eum tam ſibi ſi non inuiſum, at amicum putet tam parum, vt ſuas ſibi effluere de manibus, darique velit, promiſcuę omnibus ſine cauſa, ac cum ergo Eccleſiæ, eiuſque opibus fide, riteq; diſpenſandis Papa ſit à Chriſto ſeruatore præpoſitus, eas ſi officio præuaricari ſuo nolit, non niſi dignis, & ex cauſa, eaque iuſta diſtribuet.

Secundo, in iis ſignificat Pontifex velle ſe ab omni decima, quarta, media, & quauis alia fructuum parte, conceſſam à ſe penſionem liberam eſſe, à quouis item onere, charitatiuo ſubſidio, & penſitatione in Eccleſiæ, aut Principum bonum impetrata, exemptam eſſe.

Tertio, penſionem à reſignatario, eiuſque ſucceſſore in beneficio pendi iis imperat, idque Decembri menſe, circa naſcentis Chriſti tempora, aut Iunio, ad feſtum S. Ioann. Baptiſtæ, quod ſi nec dies, nec locus penſioni exhibendæ reſignanti penſionario deſignabitur, id fieri tamen oportere indicabitur, *loco & terminis de ſuper ſtatuendis*, quos eſſe poſſe multiplices ac varios ſcripſit Du Clos *in annotat. ad q. 2. lib. 6. de reſignat. per Flamin. num. 136.* vt Chriſti reſurgentis, conceptæ, aſſumptæ ac purificatæ Virginis, nec non & SS. omnium. De penſionis validitate tamen, nihil detractum iri crederem, ſi illius ſoluendæ dies tempuſque in diem profeſtum profa-

numque caderet, quod ad locum autem quo A eſt hæc præſtanda, attinet, communiter non eſt alius, quam qui à reſignante reſignatario eſt præſcriptus, Du Clos ſupra.

Et ne fidem reſignanti datam, reſignatario fallere ſit impunè, graues ei magnæque ne faciat, pœnæ intentantur à Pontifice. Eſt hoc ergo in literis quod quarto loco poni ſolet, cenſura ſcilicet excommunicationis incurrendæ à non ſoluente penſionem ſtatuto tempore, ſic enim Pōtifex, volentes & eadem auctoritate ſtatuentes, quod ille vel quicunque alius ſucceſſor, qui in dictis feſtiuitatibus B Natalis Chriſti Domini, vel Sancti Ioann. Baptiſtæ, vel ſaltem intra 30. horas illarum ſingulas immediatè ſequentes, prædictā penſionē per eum tunc debitā non perſoluerit cū effectu lapſis diebus iiſdē, ſentētiam excōmunicationis incurrat. Ad hanc pœnā additur & alia, beneficii ſcilicet ſuper quo penſio eſt impoſita, priuatio, ſi hæc nō ſoluatur cū poteſtate & iure in reſignāte regreſſus, & acceſſus ad idem beneficium vt illius corporalem poſſeſſionem per ſe, vel per alium propria auctoritate poſſit apprehendere Theſau. *2. par. prax* C *ver. penſio ca.* 1. & alij apud illum vbi prudenter admonet excommunicationi locum hic nullum eſſe, niſi penſionarius penſionem ſolui ſibi debitam poſcat, Nauar. *cap. Enchir.* 23. *num.* 104. Gigas *de penſion. q.* 77. eoque tempore, quo eſt Pontificis voluntate neceſſe: quare nec cenſuram à Papa reſignatarius incurret, niſi cum reſignans volet. Enimuero eſt hæc in eius impoſita gratiam, ergo non niſi ad eius arbitrium vim eſt habitura, ac momentum.

Et licet ex vi verborum, videatur incurri D ipſo facto, ſtatim ac eſt peccatum in bullam, moraque temporis præterit, intra quod eſt pendenda penſio, ex ſtylo tamen curiæ non incurritur, quamdiu id ſe velle penſionarius non innuit Caſtropalao *to. 2. de relig. trac. 13. diſp. 1. puncto 7. num.* 1. Theſaur. *ſupra, limitat.* 2. qui addit id ab eo debitori, id eſt reſignatario, declarandum eſſe iudicialiter, nec ſufficere ſi id penſionarij procurator citra ſpeciale eius mandatum, ſuoque motu faciat.

Sunt & tempora alia, quibus ob penſionem non præſtitam excommunicatio non ſu- E bitur.

Primum, cum in eo culpa debitoris nulla interuenit, nempe, quia eſt pauper, quia domo propter ſimultates quas cum hoſte habet, ſine aperto vitæ diſcrimine egredi non poteſt, nec enim alij ſacro Eccleſiæ verbere vapulant, quam qui ſunt rei, qualis cenſeri nequit, qui vitio ſuo nullo contracta nomina non expungit.

Secundum eſt, cum per bella, cœli aëriſque intemperiem, locorum; quæ latrocinijs anno toto fuere infeſta, agri non potuere coli, nec ex iis proinde tantum recipi fructuum, quanti erant ad ſummam penſioni faciendæ præſtitutam neceſſarii, Gigas *q. 77. num.* 14. Quia cum hæc pars ſit receptorum beneficii fructuum, ſi nulli ſunt aut fuerint, ex iis recipi pars aliquota penſioni exoluendæ idonea qui poteſt? quare *qui non percipit fructus ob incurſionem hoſtium non tenetur ad penſionem,* Flam. *lib. 6. q. 2. num.* 103.

QVÆSTIO XVII.

An ad beneficium à ſe reſignatum, regredi reſignanti ſit licitum, ſi ſe penſione debita quotannis, reſignatarius non liberet?

DVbitandi inter cæteras eſt hæc cauſa, quod reſignatio à reſignante ius abdicet, in eumque, cui ceditur, transferat: quare cum in alienum pedem inferre auctoritate propria natura vetet, non eſt à re noſtra aliena hæc quæſtio, ecquid ob non ſolutam penſionem in reſignantis ſit iure, reſignatarium beneficio reſignato exuere, & ad illud regredi?

Dico eſſe, primò quia hypothetica ceſſio hypotheſi cum qua fit, aut eſt facta, non extante, cedentē iuri ſuo reſtituit, eodemque loco quo erat antea, conſtituit. At eſt reſignatio, cum obligatione penſionis exhibendæ reſignanti ceſſio, eaque hypothetica, nempe ſi de præſtatione fructuum beneficij aliquanta, quotannis mihi danda, promiſſa feceris: eſt ergo eorum violatio ac omiſſio, ceſſionis in inane ſolutio, quod autem ſit reſignatio cum penſionis onere hypothetica, fit hac ratione planiſſimum.

Eo ritu, modoque beneficio quiſque ſuo cedit, quem in eo contractus genere admittendo Pontifex adhibet, & iuxta quem eum approbat; non aliter. At habet approbatio ceſſionis per reſignantem factæ cum penſionis onere conditionem, vt ſi hæc tempori non detur, reſignanti ſit permiſſum ad beneficium reſignatario ceſſum regredi, verba id indicant quibus Pontifici eſt in more reſignationem admittere. *Necnon dicto N. vel aliquo ex ſucceſſoribus in dicto beneficio in ſolutione dictæ penſionis deficiente, ſeu illam ad minorem ſummam reduci vel inualidari petente, liceat eidem liberum habere regreſſum, acceſſum, & ingreſſum, illiuſque corporalem poſſeſſionem libere per ſe vel alium libere apprehendere.*

Ad argumentum initio allatum Reſpondendum, reſignationis abſolutæ, puræque vim in eo eſſe, vt iure omni ſuo reſignantem ſpoliet, fit enim ab eo hac volūtate, intentione & fine, vt reſignatarius beneficii ſit modo, & iure quam optimo Dominus, quod non ceſſio hypothetica

hypothetica qualis eſt præſens non habet, vt eſt probatum.

QVÆSTIO XVIII.

Cauſæ Penſionis imponendæ Beneficÿs, quæ, & quales eſſe debeant.

QVuatuor a Paulo Roman. *in tra. de penſion. num.* 12. deſignatas eſſe video, literaturam, hoſpitalitatem, præmium, Pontificis aut benficiati amorem erga penſionarium, quia ergo hoſpites excipere, propter inopiam Clericus non poteſt, quia doctus eſt, concedi ei poteſt ſuper alieno beneficio pẽſio, nempe vt inde habeat, vnde par ſit impenſis adhæc charitatis officia neceſſariis.

Eius annuendæ inſuper ſunt hæ iuſtæ cauſæ, pax, reſignatio, & permutatio, fac enim inter duos de eadẽ Eccleſia, litem eſſe, amborumque ad eam ius, vtrinque eſſe ambiguum, ſedandæ controuerſiæ gratia aſſignari ab Epiſcopo poterit eorum alteri penſio, non in iis modo locis, vbi id eos facere mos antiquus ſinit, ſed vbique, vt indicat decretal. Innoc. III. *niſi eſſent* 21. *de præb.*

Ad hanc cauſam adiungenda eſt alia quæ à reſignatione in fauorem facta habet initium, cum enim gratis beneficio ſuo reſignans, reſignatarij cauſa abeat, ne ei ſua liberalitas ſit noxæ, partem fructuum beneficij quo cedit, vt petere penſionis nomine, ſic illam quoque, poteſt petenti Papa concedere: Ita Doctores omnes, Leſſius, Gigas de *penſion.* Rebuff. *de pacific. num.* 107. Reginald. *tom.* 2. *lib.* 30. *cap.* 8. *num.* 126.

Poteſt etiam Pontifex extra Galliam Clerico penſionem conſtituere duraturam, donec illi de beneficio paris valoris prouiſum fuerit Hoſtienſ. *in cap. cum eſſet de ſimon.* Rebuff. *de reſeruationib. num.* 28. Datur & pauperi vt inde habeat, vnde ſe alat, fidem verba faciunt quæ literis quibus datur adhiberi ſolent: *Nos vero vt melius ſuſtentari valeas, de alicuius ſubuentionis auxilio prouidere, & ſpecialem gratiam facere volentes, penſionem annuam, ab omni decima Papali, charitatiuaque ordinario & extraordinario exemptã tibi cõcedimus.* Et quoniam indultum *à iure beneficium non eſt alicui auferendum de reg. iuris in* 6. *reg.* 17. *decetque conceſſum à principe beneficium eſſe manſurum ibid. regula* 18. eſt eiuſmodi penſio paupertatis cauſa data, ſtabilis, firmaque, nec ei, cui eſt à Pontif. indulta, auferenda ob demerita, Pariſius ſupra *num.* 14. quia beneficij vices obit, ergo vt iſto, ne cum dedecore ſtatuſque infamia, manum ad ſtipem cogatur porrigere, non priuatur facile, ita nec illa, eo quod eius amiſſio, ſtatus ſit Clericorum proprij, propter conſequentem inopiam, abrogatio.

Tertia concedendæ penſionis cauſa à permutatione petitur, aut verius à beneficiorum quæ permutantur, inæqualitate redituum inter ſe, cum enim vni prodeſſe cuipiam nemo cum ſuo, aut familiæ detrimento debeat, e cõpermutantibus alterum, cuius eſt fructuum numero, copiaque ſacerdotium locupletius quã alterius, ſi extra iacturæ aleam poni velit ope penſionis quam ſibi ob eam cauſam, dari petit, quis iuſtè auaritiæ aut læſæ æquitatis arguat?

Itaque mirari nemo debet, ſi tùm ad amborum compermutantium poſtulata, aut ſaltem alterius è duobus, vt vtriuſque beneficij prouentus ad æqualitatem reduci poſſint, beneficio è duobus pinguiori imponitur à Papa penſio, vt quantum vni de compermutantibus eius ceſſione deperit, tantum penſione ſibi à compermutante ſuo, Papæ imperio ſoluenda, vtilitatis ac commodi redeat, *ca. ad quaſtiones de rerum permutat.*

Eodem allata per alios penſionis in *lucratiuam & oneroſam*, diuiſio recidit. Eſt lucratiua, cum beneficio vacante, vni illud confertur & alteri datur penſio ex eius ſoluenda fructibus, vt viuere commodius valeat, hoc modo. *Tibi N. vt commodius ac melius ſuſtentari valeas, de alicuius ſubuentionis auxilio prouidere, & ſpecialem gratiam facere volentes penſionem, &c.* Tales ſunt citatæ initio, & petitæ ex Pauli Romani doctrina, ac dari ſolitæ à Pontif. vt charitatis officia in pauperes ab habente exerceantur liberalius.

Oneroſa eſt quæ ob extinctionem litis, reſignationem beneficij in fauorem, aut compenſandam in beneficiorum permutatione ad inuicem, inæqualitatem fructuum, quæ in illis intercedit, de quibus nos hac quæſt. fuſius. Quocunque vero nomine ſit impoſita, eſt ab omni onere libera, vt in literis eius conceſſiuis declarat Pontifex his verbis: *N. oratori præfato, ne ex reſignatione huiuſmodi diſpendium patiatur, de alicuius ſubuentionis auxilio prouidentes, penſionem annuam ab omni decima Papali charitatiuoque ſubſidio, ordinario, extraordinario quauis etiam auctoritate Apoſtolica, & quacunque quamuis vrgentiſſima cauſa exprimenda liberam concedimus, &c.*

Et quanquam ſint hæc de cauſis imponendæ penſionis dicta veriſſime pro certo tamen habeo, etiam ſine cauſa Pontific. cui, quando & quoties viſum erit, indulgere hanc poſſe, quia vt ſunt eius poteſtati beneficia omnia obnoxia, ita de iis, eorumque fructibus diſponere in eius eſt iure, vt quæſt. proxime præcedenti oſtenſum eſt auctoritate canonum, nec in his, quæ poſitiui ſunt iuris, à cuiuſquam pendet arbitrio, vt habet Gloſſa *in cap. gratioſe de reſcriptis in* 6.

Si tamen in imperanda penſione cauſas

Pontifex ſectabitur præter allatas, ei deſequẽtibus vna quæpiam ſufficiet, prima eſt neceſſitas, ſecunda vtilitas, tertia pietas, ob primam, nempe *propter debita perſoluenda*, cuidam Epiſcopo Bonifac. VIII. *fructus beneficiorum primi anni quæ in eius Diœceſi vacatura eſſent*, annuit, *cap. ſi propter* 10. *de reſcr. in 6.* ex ſecunda & tertia cauſa Epiſcopo iuſta ſe ratio aperit Parocho ſeni qui ætaté in Eccleſiæ miniſterio poſuit, nec ei amodo operã nauare ob morbos poteſt, ſuper ſuo beneficio indulgendæ penſionis, docet Decius *conſil. 436.* ſed ea lege, ne ſimile aliquod ambiat, ſibique collatum recipiat, alioqui conceſſa illa per Epiſcopum penſio euaneſcit ac ceſſat, Rebuff. opinione *in tract. de pacific. num. 109.* & in practica Cancellar. Nicol. V. *in Extrau. quæ incipit Ad futuram rei memoriam.*

QVÆSTIO XIX.

Ex quibus cauſis penſio fiat inanis ac nulla.

MVlta ſunt, variaque, quibus iure penſio redditur irrita. Et primo quidem, cum eſt iniuſta, cuiuſmodi eſt cenſenda, quando pecuniarum numero aut quantitate fructuum beneficiarium grauat plus æquo, quod accidit, cum ei tantum fructuum non relinquit quantum eſt ei ad vitam eiuſque onera tolerandа opus, itaque præſtanda non videtur in conſcientia quoad exceſſum, *cap. vacante & cap. cum cauſam de prabend.* Rebuff. *de pacific. n. 122.*

Secundo, cum medietatem excedit fructuum in Gallia, penſio eſt nulla, decreto Ludouici XIII. vt videbitur poſtea, non tamen alibi, vt exiſtimant Gigas *de penſion. q. 9. & q. 35.* Flam *lib. 6 q 2. n. 58.*

Cauſa eſt, quod nouo Pontifici pro ſuo iure, liceat ſeparare à fructibus titulum, & hos vni, illum alteri præbere, cum aliquanta pecuniæ ſumma, quæ ad vitam ſufficiat, qua de ſeparatione fructuum à titulo, agit Forgetus obiter, cum de Coadiutoribus diſputat *ca. 58. de perſonis Eccleſiaſticis.*

Deinde quia extra Galliam locus eſt reſeruationi omnium fructuum: Ergo & minori, puta ad partem, medietate eorundem fructuum maiorem.

quare cum à ratione abhorreat, vt qui ſe alterius nomine beneficio ſpoliat, penſione quoque excidat; non crederem priuationi in Gallia locum eſſe ob exceſſum penſionis, niſi poſt ſententiam iudicis.

Primo, quia nullitas ipſo iure non inducitur niſi de ea ſit lex expreſſa aliqua Flam. ſupra *num. 52.* qualem etſi à Ludou. XIII. temporibus Gallia agnoſcat, non tamen declaratoria criminis, aut definitiuæ executoria tollitur.

Deinde eſt penſionis amiſſio certa pœna, non eſt ergo niſi poſt iudicis ſententiam ferenda in conſcientia.

Quarto, non tenet hypothetica conceſſio, hypotheſi non extante, eſt reſignatio facta alicui, cum obligatione pendendæ partis mediæ fructuum, penſionis nomine, conceſſio quædam, eaque hypothetica, vt patet, ſi eſt ergo hæc præſtatio nimia, proindeque irritanda, reſignatio reſoluetur, ſuumque reſignanti beneficium erit reddendum iuxta commune gallici fori axioma *aut redde aut ſolue.*

Tertio eſt penſio iure inualida, cum reſignatio cuius cauſa eſt conceſſa, incauta fuit & nulla, nam acceſſorium naturam principalis ſui ſequitur ſed penſio reſignationi accidit, cum hæc eius impetrandæ cauſa extitit: ergo hac ruente ruet & penſio,

Quarto, eſt nulla data infanti quatuor annorum, aut ſupra, non facta ætatis mentione in literis, quibus eſt impetrata. Ita Guido Papa *deciſ.* 138. Flam. ſupra *n.* 82.

Quinto eſt nulla, cum quo tempore eſt obtenta, Pontifici non eſt expoſitum, quod beneficium ex quo, eiuſque annuis diariiſque prouentibus eam ſolui oportet, ab eo, aut eius præceſſore, iam grauatum eſt alia, eaque non vulgari.

Cauſa eſt, quod gratiæ quæ eſt ſubreptitia vis ſit nulla, ad earum rerum vſum quarum cauſa impetrare eam placuit. Talis eſt penſionis nouæ conceſſio, ſuper eo beneficio, ex quo alia numerari iam eſt iuſſa, cum id ſi ſciſſet Pontifex, hanc haud dubiè petenti non dediſſet, nam quam eſt parum probabile, cum cum damno alterius vni cuipiam prodeſſe velle?

Sexto eſt nulla obtenta fraude canone *extirpandæ* 30. *parag. qui vero de præbendis.* Quia cũ fraus omnis æquitati aduerſetur, reſtitutionis obligationem annexam habet, per eam enim decepto fit iniuria, ſed hæc tolli nequit, niſi remiſſo penſionis impoſitæ onere impetrantis fraude.

Tunc autem *præſumitur impoſita per fraudem, quando de cauſa non apparet, & intellige in Epiſcopo, ſecus in Papa,* Rebuff. *de pacificis num.* 113.

Ratio eſt, quod rerum Eccleſiaſticarum alienatio ſine cauſa, ſit inualida, etiamſi de ſolennitatibus, quas ius poſtulat, ne quidẽ ei deſit vnica. At eſt pensionis aſſignatio, veluti quædam alienatio si non redituum omnium, at certæ partis eorum, cauſam ergo habere eam eſt neceſſe, vt ſubsiſtat.

Septimo erit pensio nulla si imponatur ſuper minori beneficio, eo quod eius impetrandæ cauſa ſit falſa, Rebuff. *in praxi rubr. de reſeruation. num.* 24.

Octauo

Octauo, erit nulla, ſi ſit obtenta abſque conſenſu beneficiarij, qui iubetur eam ſoluere, Reginald. *num.*131.

Ratio eſt, prima, quod ſit ſubreptitia, ſecunda, quod nõ ſit credibile Papam re ſua priuare quemquam velle ſine eius conſenſu, argumento eſt, quod in regula Cancell. quam conſtat ab Azorio relatam eſſe, *li.8.ca.5.q.6.* hanc ſibi facultatem velit ademptam eſſe, cũ neget etiã motu proprio literas reſeruationis annuæ penſionis ſuper alicuius beneficij fructibus expediri poſſe, niſi ex conſenſu illius qui penſionem debet. Qua de re conſulendus. Azor loco citato.

QVÆSTIO XX.

An Penſio ſuper beneficio tertij aut alio quam quod eſt reſignatum imponi poſsit.

POſſe, eſt pro argumento ſtylus in primis praxiq; Curiæ. Deinde ratio, volenti & ſcienti nõ fit omniũ opinione iniuria: at tertius hoc eſt alius à reſignatario, ſupponitur ad ſolutionem penſionis, de beneficij ſui fructibus pro alio conſenſum vltro dare, ergo ſuper eo imponi poteſt penſio, ea de re tamen moneri ante Pontifex debet in iis literis, quibus ob reſignationem, aut aliquam aliam cauſam, poſtulatur ab eo penſio, quia cum id ſit præter communem morem, conſtituta aut conſtituenda penſio latere Pontificem non debet.

Pars altera quæſtionis iam probatur, *ex cap. ad quæſtiones 6. de rerum permutatione*, vt beneficia permutata, quæ ſunt reditibus imparia, ad æqualitatem reuocentur, ſicque iniuriæ quæ metuitur, damnoque alterutrius de compermutantibus eatur obuiam permittit Clemens huius nominis III. pecuniam ei de compermutantibus dari qui alteri dat Sacerdotium, eo quod recipit amplius: *Cum de dictis Paræcialibus Eccleſiis*, inquit Pontifex, *per ſe queat commutatio celebrari, & in permutatione poſſeſſionũ per ſe non ſit inhibitum ſi altera ratione poſſeſſionum alteri præponderet pecuniam poſſe refundi, de ipſarum poſſeſſionibus ad inuicem prout viſum fuerit expedire refuſa certa pecuniæ quantitate, poterit contractus permutationis iniri.* Hæc ille. At quis non videt minus pugnare cum ratione, portionem, quæ eſt ad compenſandam inæqualitatem fructuum neceſſaria, ex altero peti beneficio, quam reſignato aut permutato, quam ideo, & ob eam cauſam, dari permutanti vel reſignanti, pecuniam, per quam ea fiat compenſatio: ergo reſignanti aut permutanti, ſuper alio beneficio, quam permutato aut reſignato aſſignari poteſt à Papa penſio.

A Quid ſi cum penſione reſignans à reſignatario, cautionem exigat, vt loquuntur bancharıam, aut ciuilem?

Reſpondend. id fieri annuente Pontifice poſſe, non aliter, Petrus du Clos *ad quæſtionem tertiam lib.6. de reſign. per Flamin.*

Cauſa eſt, quod ſit omnis pactio in ſpiritualibus Simoniaca, *cap. finali de pactis*, cum ſit oneroſa & grauis, proindeque pretio æſtimabilis. At pro beneficio petere pecuniam, aut aliquid ei æquiualens eſt peccatum: ergo, &c.

Nihilominus peccati non arguerem, qui eam conſtituta iam penſione exigeret, aut

B ante, ſed dependenter à Pontifice.

Cauſa eſt, quod cum in eo caſu, cautionis aſſignatio libera ſit reſignatario, vtpote qui ea negata, non ſit cariturus ideo beneficio non videtur ei fieri iniuria. Et aliunde reprehendi reſignans non poteſt, ſi ſibi modo quam optimo, conſulat, res ſuas ponendo in tuto, eaſque cum poteſt per contractum aſſecurationis eximendo diſcrimini.

Nec eſt Romanæ praxis curiæ, huic reſpõſioni diſſimilis, nam ſi Flam. eſt fides in *li.6. n.*95.& 73. tollendæ ſimoniæ in literis ad Põ-

C tificem ſuper ea cautione Bancaria obtinẽda datis, inſeri ſolet hæc clauſula demiſſionis erga illũ nota certiſſima, *Si ſanctiſſimo Domino noſtro placeat*, ſed de hac re pluribus alias.

QVÆSTIO XXI.

An tempore litis mota inter reſignatarium & alium penſio ſit debita.

D DEberi ab eo qui beneficii reſignati fructus percipit, res eſt meo ſenſu certiſſima.

Primo quia ſunt à Pontifice affecti penſionario, eique traditi, non ſunt ei ergo negandi.

Confirm. ſunt legata ei præſtanda, cui teſtator vt amoris erga illum ſui pignus forent, relicta eſſe voluit, & ſi ea transferri alio eſt neceſſe, ſunt hæredis eo transferenda impẽſis, non legatarii, licet lis illi ab aduerſario ſuper poſſeſſione hæreditatis futuræ aut præſentis intendatur, *ex lege fin. Cod. de petitione*

E *hæred.* At eſt penſio Legati inſtar, reſpectu reliquorum beneficii fructuum, qui reſignatario hæreditatis ſunt loco: ergo, &c.

Quid ſi hi, dum cauſa diſcutitur, dum vtrius è litigantibus ius ſit potius, ignoratur, ſequeſtro cuſtodiendi dentur? Ab eo tum erit ſoluenda penſio, penes quem erunt fructus, aut beneficii recredentia, vt Iuriſperiti Galli loquuntur, quæ vt intelligantur notare placet, Caroli VII. lege regia ſtatutum eſſe, vt lite inter duos ſuper beneficio controuerſo

mota, quo primum tempore per ſua illis negotia licet, titulos quiſque ſuos coram proferat, dumque eorum exploratur cum æquitate veritas, ne interim beneficij bona, ſingulis ea ſibi vindicantibus, pereant, ei de duobus, à Iuridicis regiis recredentia tribuatur, cuius in ſpeciem ius eſt apertius, cauſa melior, quia tamen falli iudices poſſunt, deque cauſa vniuerſa inſtrui cum tempore copioſius, quam cum primo ad eos eſt delata, & ita in alium magis inclinare, quam eum cui beneficij recredentiam initio dandam crediderant, ab iſto fideiuſſorem exigunt, qui aduerſario fructus omnes præſtet, ſi ſuperior euadat in iudicio, alioqui male iſti conſultum foret, cui beneficij fructus omnes per recredentarii negligentiam aut malam fidem perire poſſent, ne ergo male quid ei iſtius culpa vitioque accidat, iubetur hic per ſe aut fideiuſſorem bona beneficij omnia lite finita redhibere victori, de quo eſt Caroli VII. in ordinationib. eius in Senatu, promulgata imperio his verbis concepta præceptio. *Nous voulons que iceux procés ſoient expediez, decidez, & terminez le plus brief & ſommairement que faire ſe pourra, par les lettres & titres des parties, & par vn ſeul appoinctement ſur la determination dudit poſſeſſoire, ſi faire ſe peut, & ſi par lettres & titres le tout dudit poſſeſſoire ne ſe pouuoit promptement adiuger que la recreance ſoit adiugée par les lettres & titres, & le ſurplus audit poſſeſſoire, ſoit le plus briefuement & diligemment expedié que faire ſe pourra.* Hæc ille, quæ ad eorum quæ de recredentia ſunt dicta, fidem faciendam afferre placuit. Enimuero cui eſt hæc auctoritate commiſſa iudicis, incumbit ex officio, tantum ex beneficii fide ſua concrediti fructibus penſionario tribuere, quanta eſt eius penſio. Res enim quæ certi cuiuſpiam eſt hominis propria, ei negari nequit ſine culpa, at pars fructuum beneficii eius commiſſi cuſtodiæ, quoſque percipit, eſt penſionario debita, ergo ei à recredentiario non neganda, & ita dictum eſt veriſſime initio, ab eo penes quem ſunt fructus, penſionem ſoluendam, cum in eius conceſſione, apponi nunquam hæc clauſula non ſoleat, ſine retardatione penſionis Flaminio teſte *qu. 2. lib. 6. num.* 153. qui addit talem eſſe Romanæ Curiæ ſenſum, cui ſuo quoque calculo ſuffragantur, Guido *deciſ.* 138. Staphilus *in tract. de literis gratia & iuſtitiæ fol.* 154.

Dixi vero in principio, eius eſſe (*pendente lite*) penſionem ſoluere, penes quem ſunt fructus, vt innuerem primo ab hoc onere liberum eſſe, cui ob bella, vaſtitatem, grandinem, de beneficii ſibi reſignati fructibus, colligere parum aut nihil fuit integrum. Nam eſt penſio certa aliqua moderata tamen fructuum portio: ergo ſi nulli colliguntur nulla pendenda erit.

Secundo, verba ea addidi vt iudicarem exigi quoque penſionem ab eo non poſſe, qui reſignatario multarum penſionum debitori ſuccedit, iuxta Gigantem *de penſionib. q.* 43. Caccialup. *qu.* 11. & Flamin. *lib. 6. q. 2. num.* 103.

Cauſa eſt euidens nam ad eum pertinet penſionum ſolutio cuius in poteſtatem venere fructus. At hos nunquam poſſedit, reſignatarii primi in beneficio ſucceſſor: ergo, &c.

QVÆSTIO XXII.

An quod penſionario ſupereſt de penſione ſua teneatur in res pias impendere.

TRactatur hæc quæſtio à Nauarro *in Apologetico de redditibus q. 1. monito* 80. Comitol. *reſponſionum moralium lib. 1. qu.* 86. & vterque in affirmantem abit.

Primo, quia vetantur Clerici & Epiſcopi in conſilij Trident. *ſeſſ. 25. cap. 1.* ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos & familiares ditare ſuos: præterea admonentur vt prohibeant iuxta Apoſtolicos Canones ne Clerici res Eccleſiaſticas quæ Dei ſunt, conſanguineis donent. Sed penſio ex redditibus conſtat Eccleſiæ: ergo quos in vſus, impendi illi ex præcepto Eccleſiæ debent cum ſunt ſuperflui, deque iuſta Clerici beneficiarii ſuſtentatione reſidui, eidem quoque qui non erunt alendo penſionario neceſſarij, pauperum ſunt ſubleuandæ inopiæ applicandi. At illi conuerti in vſus profanos nequeunt, ergo nec qui penſionario de penſione ſua, poſt accepta inde vitæ commoda ſunt reliqui.

Secundo, res quælibet cum ſuo onere ad poſſidentem tranſit, *cap. paſtoralis de decimis cap. ex literis de pignoribus.* Sed habent bona Eccleſiaſtica omnia onus hoc annexum vt ſi beneficiario ſuperſunt aliqua, ad ſuam ſuſtentationem non neceſſaria, hæc diuidi pauperibus debeant: ergo cum de eorum bonorum genere ſit penſio, quæ hanc habenti ſupererunt, cum iiſdem communicanda erunt.

Tertio, ius penſionis, ex voluntate concedentium eſt eiuſmodi, vt pro alimentis ſit ei cui tribuitur, ergo cum ea ſe penſionarius alueri, quod de eadem ei erit reliquum, pauperibus erit dandum.

Dico tamen videri mihi probabile culpa carere omni penſionarios, ſi ſecus faciant, quam Nauarrus & Comitol. exigunt.

Nam eſt id primo inauditum, nec vſpiam viſum, vt à pœnitentibus hoc confeſſarii poſtulent, ſe vt reos male collocatæ penſionis arguant, quod tamen eſſet neceſſe, ſi quem-

ad modum beneficiarij, tenerentur & illi ſua ſuperflua iuſtitiæ lege communicare cum inopibus. A

Secundo, Obligatio dandi pauperibus quæ de bonis Eccleſiæ ſibi ſunt de iuſta ſua ſuſtentatione reliqua, ad alios non pertinet quam beneficiarios, cum de iis tantum fiat, loco Trident. citato mentio & in *can. 7.* Gangrenſis Concilij primi, & ab Innocent. III. *cap. cum ſecundum Apoſtolum de prabendis*, Anacleto *can. 39. Apoſtolico.* At penſionarij quà tales non ſunt beneficiarij: ſunt hi ergo ab obligatione omni liberi, ſuperflua ſua pauperibus dandi. B

Maior probatur, nam vt Concilium Epiſcoporum tantum meminit, ita & Pontifices citati Clericorum, quos ſua ſors, ſacris Eccleſiæ miniſteriis occupatos tenet, cuiuſmodi penſionarios non eſſe nemo non videt.

Tertio, certum eſt à Pontifice ſacrorum redditnum partem, interdum penſionis nomine, Laïcis attribui ac maritis, quos tamen velle Pontificem quis credat, vt quæ non erunt ſibi ad victum neceſſaria, aut honeſtam ſuſtentationem ſecundum ſtatum, hæc pauperibus diuidant? ergo, &c.

Quarto, habet in Eccleſiis Cathedralibus ferè omnibus Hiſpaniæ, Rex Catholicus tertiam ſibi partem redituum cum facultate Pontificis reſeruatam pro penſione, vt notarunt Couar. & Flam. *lib. 6. qu. 2. num. 39.* At quis hunc, & alios Principes in Gallia, quibus ſunt à Pontifice conceſſa bona Eccleſiæ, vt inde pro dignitate, vitæ ſubſidia habeant, iiſdem dicat legibus aſtrictos eſſe quibus Clericos, vt ſacris vti obuentionibus in res prophanas, ſine culpa nequeant? cum enim id ſit moraliter impoſſibile, non videtur Pontifex id ab iis pro ſua in illos caritate petere.

Perſpicuitatis tamen gratia notare placet, penſionum genera eſſe tria. Primum eſt earum quæ à Pontifice dantur intuitu laboris ac operę in Eccleſiæ bonum à Laïco exhibitæ, cuiuſmodi ſunt quæ viris militaribus mercedis nomine præmiique conferuntur.

Alterum eſt earum, quæ componendæ litis cauſa dantur ab altero collitigantium, vt ab intentata lite abeat. Ad tertium genus eæ pertinent, quæ in Clericali titulo fundantur, quales ſunt quæ dantur ſeni Presbytero, quæ permutanti beneficium, cuius reditus magnitudine ac copia alterius bona prouentuſque ſuperat. Iam ergo dico, penſiones primi & ſecundi generis, non eſſe illi, oneri modo obnoxias, cui beneficia ſubeſſe eſt certum, quia ſunt ſæculares, vtpote pro re temporaria labore ſcilicet, ac pace redimenda, collitigatori à Papa attributæ.

De tertiis maior eſt difficultas. Dicendum tamen ſi quæ de illis pars forte aliqua, penſionario erit reliqua, non neceſſario in res pias, bonaſque, applicandam videri. quia quæ dantur à vero legitimoque Domino abſolutè ac ſine addito, hæc ab eo cui ſunt donata, in quoſcunque abſumi vſus queunt, modo non illicitos, at eſt Pontifex, bonorum, quæ ſunt in iure Eccleſiæ, Oeconomus ac diſpenſator, beneficij autem ex quo, certa eſt de eius prouentibus detracta portio, reſignatarius verus eius redituũ eſt dominus, his ergo vti, etiamſi non ſint ad vitam neceſſarij, quomodocunque erit libitum, proindeque ad arbitrium, penſionario erit integrum, vtpote qui ei abſolute ſunt ab vtroque dati.

Confirmatur. Quod reditus ſibi ad depenſum diarium non neceſſarios, impendere in rem Eccleſiæ, pauperum bonum, aut Dei cultum Clerico ſit neceſſe, tribuendum eſt Eccleſiæ, quæ id in Trident. ſtatuit, ac ab omni æuo, vt communis fert piorum opinio ita voluit: ergo cum de penſione legem non ſanxerit Tridentinæ parem, nec de eius ſuperfluis in pauperes impendendis à penſionario, Doctores idem quod de ſacris beneficiorum obuentionibus faciendum illi non exiſtimauerint, in eorum ire ſententiam non diſplicet, qui ab eleemoſyna de ſuperfluis facienda inopibus, eundem liberant. C

Ad argumenta partis oppoſitæ facilis eſt reſponſio, prioris enim neganda eſt conſequentia.

Poſterioris minor, qua parte in ea dicitur, penſionem de eorum bonorum genere eſſe, quæ ſunt Eccleſiaſtica, quoad obligationem quæ ineſt, vt piis cauſis applicẽtur, cũ Clerico non ſunt ad vitã neceſſaria. Quod intelligi vt queat notandũ eſt quod ſuperflua ſua Eccleſiis aut pauperibus Clerici beneficiarij debeant, cauſam vnicam eſſe, Pontificum, Eccleſiæque volũtatem, quibus id ob iuſtas cauſas fieri ſic placuit. Non ergo ſeſe latius hæc Eccleſiæ prohibitio efferet, quam eam patere & hæc, & illi voluere, at hi ſua decreta pertinere noluere ad penſionarios, cum eorum non meminerint, ſed ad beneficiarios tantum, vt argumenta pro ſententia noſtra allata indicant: ergo, &c. D

Reſpondend. tertio, negatione conſequentiæ, cum de Pontificis voluntate id vt fiat, non conſtet. E

Tr.

QVÆSTIO XXIII.

An & quando abuſiua, ſeu male conſtituta penſio eſſe cenſeatur?

VT ipſe non dicam, veritas ipſa tamen pro ſe loquitur, non raro peccari in hoc genere. Primo quidem: ſi penſio beneficiati, præſertim Parochi, ſubſtantiã beneficii pene omnem exhauriat, ſic vt illi vix ſuperſit, quod ad neceſſaria vitæ commoda, vſuſque impendat, nihil autem quod in opera miſericordiæ erga pauperes, hoſpitalitatem erga peregrinos, pro charitate, officioque non Chriſtiani modo, ſed Patris ac Parochi inſumat, iuxta *cap. cum cauſam, & cap. de Monachis, extra de præbendis.*

Secundo eſt improbanda ea penſio, quæ *ex pactione partium*, eſt ab Epiſcopo impoſita tertio, iuxta Innoc. III, *in cap. niſi eſſent* 21. *de præbend.* non autem eius ſolius voluntate, nam ex cauſa neceſſaria, iuſtaque alicui per eum duntaxat deſignari penſionem poſſe, vt ſeni Parocho, ad beneficij ſubeunda onera non ſatis per ætatem aut inualetudinem idoneo, aut cum Capitulo religioſæ familiæ, quæ rei familiaris ac domeſticæ anguſtius premitur, dixere poſt S. Thomam 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. Layman, *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 18. Paul. Rom. *in tract. de penſione cap. 4. num. 10.*

Quod autem ex vſu forenſi, communique Curiæ obſeruantia, Brodæus ad Loüet. aſſerit *ſub litera L. art. 40.* id in Gallia Epiſcopis prohibitum, inſolitum autem nec communi frequentatum vſu, Rebuff. *in 1. parte praxis tit. de reſeruat. num. 29.* ideoque nec ab illis tentandum eſſe, eo quod ignari ſuæ poteſtatis illam perdidere per non vſum, audiri non debent, quia ignorantia iuris eius renunciationem ex ſe nõ habet cum hæc debeat eſſe voluntaria ſaltem tacite, ergo cum iure quis ſuo non priuetur, niſi per ſententiam, aut per voluntatem, ſaltem tacitam ei renunciando, ſi ex ignorantia Epiſcoporum inferri nequit, eos iure ſuo nolle vti, eique renunciaſſe, male inferunt hi auctores, per non vſum eius, illud perdidiſſe: quare concludit Bleyanus *trac. de penſione*, Prælatos in compenſationem meritorum, penſiones certis perſonis vtiliter aſſignare, etiam ſine conſenſu ſuorum Capitulorum, quæ eſt etiam opinio Guidon. Papæ *q.* 179. quam tamen vt ſtylo Romanæ curiæ contrariam non probo.

Tertio, cum apud nos penſio, peræque ac vſusfructus, morte penſionarij perimatur ac deſinat, eſt hæc abuſiua cenſenda in Gallia, quæ deſignatur alicui cum iure eam transferendi de perſona in perſonam, Rebuff. *de reſeruation. num.* 20. quia conſuetudine regni
A vetere, nobis penſiones aliæ non ſunt in vſu quam quæ ſunt in reſignatione, bono pacis, ac permutatione fundatæ, ac quæ proinde cauſam deſiderent, eamque iuſtam Fabric. *ſupra de penſione num. 30.*

Quarto, ſuper Theologali præbenda penſio impoſita, aut præceptoriali, abuſiua eſt, & nulla in Gallia, Fabric. *tract. de penſione num. 36. & in comment. litera V.* quod ad ſtudia, contentionem & impetum Doctorum retardari non deceat ac reprimi, ſed potius acui, refrigeſceret autem non parum, ſi quæ illis
B operæ ſuæ ſtat merces, hæc parte altera, quæ penſionis loco foret, minui poſſet.

Quinto eſt, etiam in beneficio parui reditus poſita, iure communi reprobata, Bergeronus *in additio. ad Papon. lib. 3. titulo 5. arreſto 1.*

Sexto. eſt omnis præſtatio partis redituum Clerico pro penſione tribuenda, inanis ac irrita, ſi eſt hæc, ex beneficio quod ſit iuris patronatus laïcorum petenda, ei tamen ſine Patroni conſenſu impoſita, Charond.

C QVÆSTIO XXIV.

Quanta eſſe Penſio debeat vt ſit Canonica.

COmmuniter fructuum partem tertiam non excedit, Rebuff. *1. parte prax. rubrica de reſeruation. num. 17.* ad mediam tamen nonnunquam peruenit, cum Pontifici placet, *Extrauag. ſuſcepta de elect.* quia cum in eius ſint poteſtate bona Eccleſiæ, ea ſi ſuo diſpenſet arbitrio, vt Patrem decet amanter, vt Oeconomum fideliter, vt Chriſti Vicarium ſapienter, quis iuſte reprehendat ac culpet?
D Et quanquam imperare hic maiorem queat, tamen, (qui eius eſt erga beneficiatos amor) ſua non niſi raro poteſtate in hoc rerum genere vtitur, probant id literæ, quibus de ſua in impetrantes voluntate, certum extare vult argumentum ac pignus in his enim eſt his verbis: *Dummodo præſens & alia forſan penſiones medietatem non excedant*, ſi ſummam hanc ſuperauerit, reformabitur vſque ad tertiam partem, duabus aliis beneficiario relictis, quia quando priuilegium tertio cuipiam eſt noxium, ad debitum reduci ſtatum debet, Re-
E buffo teſte *in tract. de pacific.* alioqui fieret ei qui grauatur, contra fas æquumque iniuria, quæ eſſet reſtitutione damni per eam illati, ab inferente reparanda. Penſionem enim iuſtam eſſe conuenit, qualem eſſe quis putet, quæ beneficiatum exhaurit, tantumque ei de beneficij ſui bonis non relinquit, quantum ſtatus ſui ratio, gentiſque conditio ad honeſte viuendum exigit.

Tempora ſunt tamen aliqua, quibus id fieri ac penſiones ad æquitatẽ reduci iudicum au-

ctoritate

ctoritate non ſolent de quibus nos quæſtione A proximè ſequenti.

QVÆSTIO XXV.

An ſuper Decanatu Cathedralis aut Collegiatæ Eccleſiæ nummaria penſio imponi queat.

DVbitandi cauſam ſuppeditat lex frãcica, quæ penſitationem omnem ab electiuo beneficio reiicit, quæ Regis aſſenſum non habuit. At eſt Decanatus de eorum Sacerdotio- B rum genere, ad quæ vocari canonicorum ſuffragiis, eorum poſſeſſores ſolent, ergo penſitationis onus, ei aut cuilibet alteri Sacerdotio, collegij nomine inſignito, aut electiuo indici non poterit, niſi annuente Rege.

Aſt è contrario vrgent iſta, primum, quod etſi Decanatus ſodalitio canonicorum præſit, ſacra dignitate ac præeminentia, ſicuti de eo reſcripſit Gregor. IX. *cap. ſignificante de appel.* non ſit hic tamen Regis nominationi obnoxius, nec ab eo Pontifici aut Epiſcopo, tanquam cliens à Patrono, præſentari ſolitus, er- C go cum ab his beneficiis tantum, pactitias penſitationes exploſas francico vſu conſtet, quæ cum Rege patrono glorientur, eius aſſenſu carent, ſuper Decanatu eo prius non conſulto impoſita, inanis futura non eſt ac nulla.

Secundum, eſt annuæ penſionis retentio in ceſſione beneficij, non commentitio iure, ſed ab longa iam vetuſtate in publica Eccleſiæ adminiſtratione, frequentari ſolita vt patet ex *cap. niſi eſſent* 21. *de prebend.* ſi eſt hæc ergo in Decanatu improbanda, eius rei haud dubie reddi cauſa debet aliqua, ſcire iam ergo D ab aduerſariis aueo, quam mihi in opinionis ſuæ ſubſidium promant? quod animorum curationem, aut in Eccleſiaſticos ſodales curatoriam poteſtatem ac præfecturam exerceat? At Curialia Eccleſiæ munera, Gallica forenſi obſeruatione, beneficiariæ penſionis onus non excutiunt: ergo nec Decanatus. Quod ſit prima Collegij dignitas? At Epiſcopatus, & Cœnobiarchia, quæ non ſunt vltimæ inter præfecturas Eccleſiæ, lege nummariæ penſionis eiurantur ſæpiſſime. Idem in Decanatu ſi fiat, de culpa quis arguat?

Ad argumentum reſponderi debet, non omnia beneficia, ad quæ ſuffragiis veniri ſolet, aut quæ Parœciaco funguntur munere, penſionis ſoluẽdæ iure exempta eſſe, niſi eius Rex auctor approbatorque fuerit, ſed ea duntaxat quæ illum patronum habent, quod ad ſacræ ædis præfectos, ſeu Decanos trahi non poteſt.

QVÆSTIO XXVI.

An literis, ſeu Bullis Apoſtolicis, quibus reſignanti penſio conceditur apponi clauſulæ aliquæ ſoleant, & quæ?

APponi dubitare iuſtè nemo poteſt, qui eas vel obiter, curſimque aliquando legit, fiet id ei vero quàm certiſſimum, ſi ad ea quæ ſequuntur aduertat animum.

Et primo quidem cauſæ iis inſeritur quæ ad eius conceſſionem Pontificem impulit, literatura nempe, ſcientiaque digna præmio, virtus vulgari maior, rerum quæ ſunt ad vitam neceſſariæ defectus & inopia, quod ſi horum nihil occurrat quod in penſionarii laudem dici queat, ad alteram de tribus his cauſis recurritur, quas nos imperandæ penſioni neceſſarias eſſe in Gallia diximus.

Secundo, quia penſionario vult prodeſſe Pontifex, non nocere, penſionem, quam ſuper beneficij iuſtis obuentionibus reſignanti, aut permutanti decernit, dat ab omni decima, quarta, media, & quauis alia fructuum pareuat. Tonere liberam.

Tertio, ne eius ſoluendæ neceſſitas eludi, alterius cuiuſpiam penſionis iam eidem beneficio impoſitæ prætextu queat, apponi ſolet hæc clauſula, *& ſi ſuper illis* (hoc eſt fructibus) *aliæ penſiones annuæ, quas, illarumque ſummas, &c. habere placet pro expreſſis, etſi aliæ forſan aſſignatæ exiſtant.*

Quarto in iis literis ponitur, quod penſio à reſignatario, eiuſque ſuceſſore ſolui debeat.

Quinto, deſignantur tempora quibus id fieri oporteat, nempe Chriſti naſcentis ac S. Ioannis Baptiſtæ celebritas.

Sexto, pœna non ſoluenti proponitur excommunicationis, ac priuationis per hæc verba: *volentes & eadem auctoritate ſtatuentes, quod ille, vel quicunque alius ſucceſſor, qui in dictis feſtiuitatibus, ſcilicet Natalis Chriſti Domini, ſeu feſto S. Ioann. Euangeliſtæ & natalis S. Ioann. Baptiſtæ, vel ſaltem infra* 30. *dies, illarum ſingulas immediatè ſequentes, penſionem prædictam per eum tunc debitam non perſoluerit cum effectu, lapſis diebus eiſdem, ſententiam ex-* E *communicationis incurrat.*

Quod autem ad beneficij priuationem, in pœnam non ſolutæ penſionis attinet, cum poteſtate in reſignante & iure regreſſus & acceſſus ad idem beneficium, vt illius corporalem poſſeſſionem per ſe, vel per alium pro propria auctoritate poſſit apprehendere, hæc non incurritur, quemadmodum nec excommunicatio, donec penſionarius declarauerit velle illum hãc incurrere Caſtropalao *to.* 2. *de Relig. tra.* 13 *diſp.* 1. *punc.* 7. quare id non ſuf-

ficit ab eius hærede aut Procuratore fieri, niſi ad id ſpeciale mandatum habeat, Theſaur. *parte prax. 2. verb. penſio cap. 1. limitat. extrema.*

Septimo, in iiſdem literis præcipitur, vt penſio ſoluatur tam poſſeſſione habita, quam non habita, quod facit Pontifex, vt præcludatur via fraudibus, quas aliter oporteret eſſe creberrimas, ob difficultatem probandi, an poſſeſſio ſit capta, vel non, & quis verus ſit poſſeſſor, vel intruſus, Flamin. *6. de reſignationib. qu. 2. num.* 145.

Octauo, apponi ſolet clauſula, *etiamſi in ſolis diſtributionibus quotidianis*, quam non adhiberi tradunt cũ fructuum tantũ ex beneficii reditibus colligi poſſe conſtat, quanti fidei ſuæ liberandæ de præſtanda penſione reſignatario ſunt ſatis.

Nono additur, quod creſcere aut minui, reſcindi aut mutari penſio non debeat, alioqui pro caritate annonæ, aut eiuſdem vilitate, augeri ea deberet, aut ad minorem ſummam reduci, quod non debet, ne litibus inter reſignantes & penſionarios fere aſſiduis, inde ſubminiſtretur occaſio.

QVÆSTIO XXVII.

Praxis fori Gallici circa penſiones.

QVia Pontifex Chriſti Seruatoris vices in terris agit, quia eius tanta eſt in Dei Eccleſia auctoritas quanta poteſt eſſe, proindeque ſumma & ampliſſima, *can. cuncta per principalem 21. cauſa 9. q. vltima cap. 7. de præbendis in 6. Clement. 1. vt lite pendente*, de beneficiorum fructibus ſtatuere pro voluntate poteſt, quod ei è re communi Eccleſiæ, priuataque ſingulorum eſſe exiſtimat Felinus *in cap. qua Eccleſiarum de conſtitut.* Boerius *conſil. 29. num. 4.* eoſque vniuerſos, aut ex parte ſeparare à titulo, diſtribuendos cui volet *cap. 11. ſi propter de reſcriptis in 6. cap. 26. ſi tibi conceſſo de præbendis eodem lib.* eorum etiam conſenſu, qui beneficia legitimè poſſident ac iuſte, non petito Felin. *in caput ad audientiam de reſcriptis num. 5.* Flamin. *de reſignatione beneficiorum lib. 6. q. 2. num.* 131. dummodo regulæ Cancellariæ de præſtando conſenſu deroget.

Hac tamẽ poteſtate quæ eius eſt ſingularis in Gallos humanitas, nõ vti in Gallia, cum in ea penſionẽ ſine eius beneficiarij conſenſu, cuius beneficiũ eo grauatum onere vult eſſe, impetrare ei non ſit in more, Petrus du Clos *comment. in Flam. lib. 6. q. 2. num. 155.* Eius rei eſt hæc cauſa quod in Gallia, reſeruationibus nullus ſit locus, Leonis X. beneficio, in Concordat. At partem fructuum, à beneficiis ſubtrahere, aſſignandam penſionis nomine al- A teri, inſcio beneficiario cuius à beneficio demitur, reſeruationis inſtar habet: ergo penſioni locus nullus eſt in Gallia, non probante beneficiario, cui ſoluenda præſcribitur.

Sunt inſuper quæ ſequuntur in penſionum materia regni propria, ac in praxi in eo ſeruanda.

Primo, quod penſionem nullam Gallia recipiat & approbet, niſi pecuniariam, Rebuff. *1 parte praxis titulo de reparationibus nu.* 23. cum id ſit iuri communi contrarium, quod eam in oleo, frumento, fructibuſque beneficii propriis ſolui præcipit, Flaminius *lib. 6. q. 2.* B *num.* 100. & colligitur ex tenore literarum, in quibus dicitur quod penſio imponatur ſuper fructibus.

Secundo, quod in beneficiis, ad quæ nominare Chriſtianiſſimis Regibus eſt in more, penſio imponi nulla poſſit, niſi his expreſſim aſtipulantibus, Rebuff. 1. *parte prax. rubr. de reſeru. & de pacificis poſſeſſoribus num.* 119. Choppinus *de ſacra politia lib. 3. titulo 2. nu. 15.* Charondas *lib. 1 pandectarum cap. 9. & in me-* C *morabilibus verbo penſio*, Fabricius *de penſione num. 38.* Forgetus *de penſionibus num. 30.* Qua de voluntate conſtare quoque debet, chirographo, eorundem Regum manu exarato ac in libelli ſupplicis calce, eiſdem in eum exhibiti finem appoſito, Chenutius ad Paponium *lib. 3. titulo 5.* Choppinus *de ſacra politia lib. 3. tit. 2. n. 15.* Satis tamen eſſe non pauci exiſtimant, authenticas Pontificis tabulas exhiberi, penſionis probatorias, ſeu ſyngrapham eiuſ voluntatis teſtem, quam vulgo *Signaturã* nominant eo quod credi Pontificiis verbis opor- D teat regium conſenſum de penſione præſtanda enunciantibus, hæc enim in inſtrumento poſita, factumque aliquod enarrantia fidem faciunt, Alexand. *in leg. ſciendum dig. de verb. oblig.*

Tertio eſt hoc quoque Regni proprium, conſtituendæ penſionis Eccleſiaſticæ poteſtatem in ſolo Pontifice agnoſcere, vt declaraſſe Gallos Antiſtites aiunt in Conuentu Meldenſi, anno 1574. ac Burdegalenſi, anno 1582. *cap. 23. parag. 5.* Certe Rebuffo teſte *de pacificis poſſeſſoribus num.* 105. his verbis: *Hodie extra Papam vix conſtituitur penſio in hoc regno.* Quod tamen iure communi iis permiſ- E ſum eſſe, ſcripſere Malderus *de penſionibus*, Petrus Ancharanus *conſil. 279.* Panormitan. *in cap. conquerente de Clericis non reſidentib.* clariſſime Rebuff. *in praxi benefic. rubrica de reſeruat. num. 29.* his verbis: *Hodie Epiſcopi non conſtituunt penſiones, imo ex non vſu, amiſſa eſt in hoc eorum poteſtas, quod nõ fuiſſet ſi ignari nõ fuiſſent, & ea vſi eſſent.* Hæc ille, quam verè non attinet dicere hoc loco ac tempore.

Quarto, & hoc quoque Gallicæ Iuriſprudentiæ pars fuit, penſionem quæ prouentuum partem tertiam excederet, non probare aut hanc

hanc illam auctoritate iudicis reuocatoria,
actione reducere in Curatis maxime bene-
ficiis, quæ eam ſummam in reditibus annuis
habere debent, quæ Parocho ad vitam
oneraque beneficij ſufficiat, qualis eſt ſe-
cundum Trident. centum ducatorum, Cora-
ſius 1. *parte beneficiorum cap.* 3. Choppin. *lib.* 3.
de ſacra politia. titul. 2. *num.* 17. Cum tamen
partem fructuum dimidiam iure communi
complecti penſio valeat, Ioannis XXII. *lege
in extrauaganti ſuſcepti de electione*, maxime
in beneficiis ſimplicibus ſecundum Flamin.
lib. 6. *q.* 2. cui opinioni Tholoſæ, & alibi, vbi
ius commune Pontificumque decreta vigent,
locum eſſe narrat Boerius *in deciſionibus Bur-
degalenſib. q.* 2. non Lutetiæ Pariſiorũ, vbi pen-
ſio tertiæ tantum partis curatis beneficiis, vt
Epiſcopatibus & Parochiis impoſita, appro-
bari per Senatum ſolet, non alia, Rebuff. *de
pacificis poſſeſſorib. num.* 116. *& in praxi benefi-
ciar.* 1. *par. rubrica de reſeruation. n.* 17. *&* 18. *in
Francia*; inquit, *penſio approbatur vſque ad
tertiam partem, quam obtinebit penſionarius, be-
neficiarius autem alias duas.* Hæc ille.

Dixi *in Curatis*: nam in ſimplicibus vſu
communi fori, ad mediam partem ex conuen-
tione reſignantis ac reſignatarij mutua, per-
ueniri poſſe, Louetus tradit, *in arreſt.* 15. *lit. P.*

Eius ſententiæ ſubſcribit his verbis Rober-
tus *rerum iudicatar. lib.* 1. *cap.* 7. *In beneficijs
quæ non habent curam animarum, quiſquis ex
reſignationis cauſa penſionem promiſit, obliga-
gatur, qualiſcunque ſit ea penſio, ſiue immodica
ſiue non. Penſio autem immodica apud nos cen-
ſeri ſolet, & legitimum modum egredi dicitur, ſi
tertiam partem fructuum excedat: quamuis ca-
noniſtæ penſiones legitimo iure permitti dicant
vſque ad mediam partem fructuum, cap.* 1. *ſuſ-
cepti regiminis de elect. in Extrauag. Ioann.
XXII.* imo non deſunt qui exiſtiment nihil
aliud ſpectandum, niſi vt beneficiarius alero
ſe poſſit & onera beneficij ſuſtinere: quia re-
ſignans qui penſionem illam ſibi ſtipulatus
eſt, non aliter fuiſſet reſignaturus, quod ſi re-
ſignatarius onere illo penſionis immodico,
grauatũ ſe queratur, poteſt reddendo benefi-
cium, ſeipſum promiſſione & fide data libera-
re. Hæc ille, quæ non ſunt pro veris habenda
hoc tempore, eo quod recenti Lud. XIII. de-
creto, excedere mediã partem fructuum pẽſio
non debeat, vt ſit valida, quæcunque eſt ea
maior, reprobatur vt inualida, ſic enim ille in
articulo prædictæ conſtitutionis 18. *Auons
declaré & declarons nulles, comme Simoniaques,
toutes reſerues, creations, & omologations qui
ſeront icy apres faictes & obtenues deſdites pen-
ſions ſur les fruicts deſdits Benefices, ſi elles ex-
cedent la moitié des fruicts, nonobſtant tous
Concordats & obligations de pleiges & cautions,
&c.*

Quarto, iure communi ſucceſſor in bene-

A ficio, ſuper quo, eſt conſtituta penſio, tenetur
eam penſionario ſoluere, ſi illud eſt ceſſione
reſignantis libera aſſecutus, quia tùm præſu-
mitur illud acceptaſſe, cum hoc onere, iuxta
Guidonem Papam *q.* 577. Gigantem *de penſio.
q.* 43. Flam. *de reſignat. lib.* 1. *q.* 8. *n.* 28. *& lib.* 6.
q. 2. *num.* 94. Du Clos *ad qu. ſecundam libri* 6.
dicti auctoris *num.* 99. alioqui ei ab Ordi-
nario beneficium collatum non eſſet.

Et vero in literis quibus concedi penſio ſo-
let mentio fit, tam eius beneficiarij cui bene-
ficium cum penſitatione fructuum annua Pa-
pa tribuit quam eius qui illi eſt in prædicta Ec-
B clesia ſucceſſurus, ſecundum Pariſium *conſil.*
82. *num.* 2. *volum.* 4. & ideo ſucceſſori literæ
erunt dictæ penſionis intimandæ. Flam. *li.* 6.
q. 2. *n.* 98. qui numero proximè ſequenti addit
eum quoque penſionis ſoluendæ teneri lege,
etiamſi de eo nihil fuiſſet expreſſum in Bullis.

Id tamen primò, in Rege locum non ha-
bet, quandiu iure Regaliæ penes eum aut eius
Oeconomos eſt Epiſcopatus, aut Abbatia
poſſeſſore vacua, Ruſæus *de iure Regaliæ, pri-
uilegio* 53. *n.* 6. & 27. Flam. *q.* 8. *l.* 1. *de reſignatio-
nibus num.* 24. his verbis: *in Francia tamen
tempore apertæ regaliæ non tenet, ſcilicet à die
vacationis Epiſcopatus, vſque ad ſubrogationem
C alterius, non ſoluitur penſio, ſed integri fructus,
Regi ſoluuntur*, vt tradit Burſatius *conſil.* 361.
n. 10. Caſtr. *q.* 42. *lib* 1. Hæc ille. Cuius rei eſt
hæc cauſa quod Vaſſallus rei quam poſſidet in
feudũ, onus imponere nequeat quod directo
domino ſit graue, Iacobus de S. Georgio *in
ſua feudali inueſtitura, verbo etiam quod ipſi
vaſſalli*, ac ſi caſu impoſitum eſt aliquod tale,
extinguitur, quum eſt feudum in poteſtate di-
recti domini, Ruſæus ſupra & alij. Sed bene-
ficiarij, regis ſunt, in Gallia ratione bonorum
D quę poſſident clientes ac Vaſſalli, Meſtræus
de iure regaliæ, Papon. *trium notariorum lib.* 2.
titulo de iure, præcipue autem Epiſcopi & Ab-
bates, qui de bonis ſuis infeodantur à Rege,
quæ illis eſt cauſa, fidelitatis eidem cum iu-
ramento pollicendæ, quum bullis Pontificiis
inſtructi, animum ad magiſtratum ſibi com-
miſſum applicare, eiuſque poſſeſſionem ſi-
nuntur capeſſere.

Non eſt item à reſignatarii ſucceſſore ſol-
uenda penſio in Gallia, quum in ſignatura A-
poſtolica deſuper formata, vel in procurato-
E rio ad reſignandum confecto, non dicitur ex-
preſſe, penſionem quæ reſignanti conceditur,
non modo per eius reſignatarium, ſed illius
quoque in beneficio ſucceſſorem ſoluen-
dam eſſe, vt Petrus du Clos *in quæſt.* 2.
libri 6. *de reſignationibus per Flam. nu.* 99.
ſcribit, his verbis: *Si in ſignatura deſuper for-
mata, expreſſè non dicitur, reſeruatam penſio-
nem, non ſolum, per reſignatarium, ſed ipſius in
beneficio ſucceſſorem ſoluendam, quo deficiente
crederemus, ſucceſſores ſaltem in Gallia, ad ſol-*

uendum non teneri: nam alibi, nil nocere penſionario quod id prætereatur à Pontifice, credidere Caccialupus *de penſion. q. 9.* Ferretus *conſil. 319.* & alii citati à Pariſio *libri l. 5. q. 8. n. 35.* cuius rei cauſam hanc reddunt, quod ſucceſſor in beneficio, cui ſoluendæ penſionis, aliqua incumbebat obligatio, illud cum ea acceptet, non aliter.

Secus eſt ſentiendum cum ius penſitationis annuæ poſtulandæ, ſuper beneficio reſignato conceſſum eſt non reſignanti, ſed tertio cuipiam, de titularii poſſeſſoris conſenſu. *Tunc enim porrectæ ſupplicationi conſueuit apponi decretum Apoſtolicum, quod poſſeſſore cedente, vel decedente, vel Eccleſiam quomodolibet dimittente, vel amittente, reſeruatio huiuſmodi ceſſet, eaque ceſſante, penſio prædicta extincta ſit,* Petrus du Clos *comment. in q. 2. lib. 6.* Flam. *de reſignat. n. 99.*

Extra hunc caſum, alibi quam in Gallia, præſtanda eſt pēſio reſignanti, a defuncti ſucceſſore aliter vt ſunt ingenia hominum, ad nocendum prona, penſionariis in horas ac momenta pene ſingula, magna immnierent in fortunis ſuis detrimenta, ſi quia Papa, de ſucceſſore, eiuſque ad ſoluendum obligatione in ſua ſignatura tacuit, non eſſet neceſſe penſionem illis ſoluere.

Tertio, nec ſucceſſorem grauat penſio in Francia, cum Parochiales Eccleſiæ quibus fuit impoſita, vacant per obitum, Charondas *pandectarum iuris lib. 1. cap. 10. pag. 94.* Forgetus *de penſionib. num. 24.* Robertus Annæus *lib. 1. cap. 7.* præter antiquam regni praxim, quam in iudicando ſequitur Curia, ſunt & eius rei cauſæ aliquæ.

Prima, quod prouiſus de beneficio Parochiali per obitum defuncti Parochi, ius nullum in illud ab eo, ſed à collatore tantum habeat.

Secundo, quod ſit iniquum, perſonales defuncti promiſſiones, perſonam eius egredi.

Tertio, quod *capite probibemus 7. extra de cenſibus,* prohibeatur Abbatibus, Epiſcopis. & Prælatis cuiuſquemodi: ne nouos Eccleſiis ſuis cenſus imponant, quod tamen facere videretur Parochus, ſi beneficii ſui fructus penſione à Pontifice non impoſita imminui ſineret.

Dixi *per obitum,* nam Parochiali Eccleſiæ, penſio per reſignationem impoſita, iuxta modificationem proximè allatam, à reſignatario reſignanti eſt præſtanda, ſi modo Romæ ſit admiſſa, & à Pontifice approbata.

Habet ſane communis Curiæ vſus vt reſignatarii reſignatarius, eam cui eſt promiſſa, debito ſoluat tempore, niſi malit cedere, quod fit ſapientiſſime, vt fraudibus præcludatur aditus, nec auctoris mala fides in ſucceſſorem tranſeat, quod in eo qui de Parochia pro- A uiſus eſt per obitum, locum non habet, cum neque aliquid promiſerit, nec promiſſoris hæres ſit. Annæus ſupra. In beneficiis autem curam animarum non habentibus, certiſſimo iure inualuit, vt penſio ſuper iis creata, & Romæ homologata peti & exigi poſſit, à quocunque ſucceſſore, & ita pluribus Senatus conſultis iudicatum eſſe, docet idem Annæus loco proxime citato, quæ hoc maxime nomine iuſta cēſeri debent, quod nō niſi ſuper beneficiorū annuis obuentionibus, deſignari ab eo penſio ſoleat qui poteſt. At quæ ſuper iis, B aut rei alterius fructibus prouiſio aſſignatur, hæc rem afficit non perſonam, iuſque hypothecicæ habet: manet hæc ergo exhibendæ penſioni affecta.

Secundo, alimenta quæ ſunt legata, aut occaſione polliciti, fideique datæ debita, ab eius ſuceſſore, qui fidem ſuper his ſuam obſtrinxit, aut ex iuſtitia eorum ſe debitorem eſſe voluit, ſunt præſtanda. At penſionario penſiones à Pontifice tribui alimentorum cauſa, probat eius concedendæ forma, de qua nos antea, *Nos vero vt melius ſuſtentari valeas, de C alicuius ſubuētionis auxilio prouidere, & ſpecialem gratiam facere volentes prouiſionem annuam ab omni decima Papali exemptam tibi concedimus.*

Notandum tamen, quod procurante reſignatario, penſionem auctoritate iudicis minui poſſe in Gallia eſt dictum, id de primi reſignatarii ſucceſſore debere intelligi, non autem de eo qui beneficium ſibi à Papa cum eiuſmodi penſionis obligatione conferri eſt paſſus, nam quamuis ſit fructuum medietate maior, pactis tamen conuentis ſtari debet, D quia iure naturali ac canonico, contractuum, promiſſique fides eſt implenda, ſecus ſi fieret, perfidia reſignatario vtilis foret ac fructuoſa, quod non oportet, *aut ſoluas, aut beneficio cedas,* eſt neceſſe. Ita Imbertus *in Enchirid.* expreſſe *litera P. pag. 56. num. 15.* Annæus *lib. rer. iudicatar. 1. cap. 7.*

Quę olim in literis Apoſtolicis quibus conceſſæ penſionis à Pontifice teſtimonium extabat, apponi clauſula ſolebat, nempe dummodo *tertiam, aut medietatem fructuum* non excedat de ſtylo curiæ nouiſſimo *in conſtitu-* E *tionibus penſionum, & reſeruationibus fructuum, non amplius, ſaltem quod pertinet ad beneficia huius regni concedi clauſulam hanc, quorum medietatem, penſio non excedit. Sciendum tamen eſt neutram dictarum clauſularum (dimidia videlicet aut tertiæ partis) in reſeruationibus ſeu conſtitutionibus, ſuper Parochialium Eccleſiarum fructibus ſeu perpetuarum Vicariarum, apponi conſueuiſſe, ſed loco earundem, hanc dummodo ex fructibus dictæ Eccleſiæ, centum ducati liberi, annuatim, pro tempore exiſtenti illius rectori, remaneant, idque iuxta Tridentini mentem; ſeſſ. 24. cap. 13. verſiculo ad hæc in*

poſterum

poſterum, Petr. du Clos *in annotationib. ad q. 9. lib. 1. de reſign.*

Septimo, quod Romæ, quod in Italia & alibi, iure communi Papæ facere cum lubet, licet, vt ſine cauſa, penſionem cui vult, tribuat, ſecundum Puteum *decis. 193. lib. 2.* Flamin. *lib. 6. de reſign. q. 2. num. 131.* hoc ille tamen in Gallia faciendum non exiſtimat, quod illa penſionem non agnoſcat niſi ex cauſa, Flamin. ibid. *num. 132.* cum Rebuffo *de pacific. num. 100. & de reſeruat. num. 23.* quam vterque triplicem eſſe aſſerit, pax ſcilicet ſtatuenda inter litigantes, fructuum inæqualitas tollenda in beneficiis permutatis, & poſtremò reſignantis incommodum, penſionis conceſſione impediendum à Pontifice, qua de re nos antea pluribus. Quod præter Flamin, & Rebuff. citatos initio, adnotarunt quoque Iuriſconſulti ſequentes, Charondas *pandectarum iuris Gallic. lib. 11. cap. 10. pag. 94.* Brodæus ad Loüetum *litera P. art. 30.* Forgetus *tract. de penſionibus initio.*

Eſt ergo pactitia reſeruatio, partis alicuius fructuum, penſionis loco in Gallia permiſſa.

Primo, pacis inter litigantes ſtabiliendæ cauſa.

Secundo, æqualitatis conſtituendæ gratia in beneficiorum fructibus, quæ permutãtur.

Tertio, ad impediendum damnum reſignantis, quo cum aliter affici eſſet neceſſe, ſi gratis, re ſua teneretur cedere, vnde apparet penſiones omnes in Gallia onerosas eſſe, lucratiuas nullas.

Eſt hoc item notandum quod etſi Papa penſiones irrequiſito conſenſu eius cui imperantur, imponere valeat. In Gallia tamen hoc non recipi niſi regulæ de præſtando conſenſu derogetur, Du Clos *in annotat. ad q. 2. lib. 6. Pariſ. 11. n. 155.*

Octauo, lege Pontificia eiuſdem eſt penſionem admittere, cuius eſt eiurationem ſacri miniſterii, ideſt, ceſſionem beneficii, per reſignantem factam, approbare: cum enim reſignatio, & penſionis creatio, ſibi inuicem reſpondeant, ac communi quodam priuatæ pactionis vinculo cohæreant, ad diuerſos pertinere poſſe non videntur, ſed ad vnum eundemque tantum. At Francica lege ſecus accidit, nam reſignatione purè ab Epiſcopo admiſſa, poſſe ſeparatim Pontificem in beneficio penſionẽ imponere in Gallia ſcribit cum Fabric. *tract. de penſione in ſigno T. & R.* Choppinus *de ſacra polit. lib. 3. tit. 2. num. 16.* quod beneficii ceſſio retenta penſione, diuiduus ſit actus, nihilque proponi queat, quo minus ab hoc ceſſio, admittatur autem à Pontifice penſio.

Nono, quanquam eſſent olim penſiones in Francia validæ quæ erant reciproca tantum reſignantis & reſignatarij voluntate

A conſtitutæ, ac proinde cum Simonia, Brodæus ad Loüet. *ſub litera L.* & ita pro reſignante iudicaretur in Curia, quod æquum eſſe Senatus crederet, fidem quæ iuſtitiæ, pactorumque eſt omnium fundamentum, impleri, non falli, nec ferendum putaret, vt qui bona fide alteri credidiſſet, eius læderetur ſcelere, factum ideo, vt beneficiorum ceſſiones omnes in Gallia, concipi ſub alternatiua penſionis ſoluendæ reſignanti, aut beneficij reddendi, Senatus cum diceret, ſequi quoque contrahentes oportere conditionem contractui appoſitam, aſſereret, & proinde ſi penſionis promiſſæ fide, ſe reſignatarius
B non liberabat, reſignationem irritam cenſebat ac inanem: quia tamen non eſt hoc iuri conſonum, cum fructuum partem de beneficio detrahere, quæ penſionis locum habeat, ſoli ſit Pontifici iure ordinario licitum, ſapientiſſimè decreuit penſionis beneficiariæ nullam amodo rationem habendam eſſe, nec pactitiæ conuentionis eiuſdem, niſi Pontifex conſignatis illam tabulis ſanxiſſet.

Decimo, quod priſco Patrum æuo Epiſcopis fas erat non modo, à Clericis Cathedralium vectigal exigere, ſed etiam à Mona-
C chis *Clem. vnica parag. in exigenda de exceſſib. prælator.* Abb. *ibi*, Bellenc. *de charitat. ſubſid. q. 32.* Piaſec *par. 2. prax. cap. 3. de viſitat. regul.* Noſtris id eſt francicis moribus, modo hoc illis nõ licere eſt certum, niſi indotatæ Eccleſiæ præfecti aut alij ex continuæ poſſeſſionis vſu, honorarium hoc Epiſcopale corrogarent, quo iure cum niteretur Aſſiſin. Epiſcopus, Honorio III. placuit, facultatem ei cõcedere exigendi *ſynodatici ſeu cathedratici nomine duos ſolidos*, quartam *decimationum & mortuariorum cap. conquerente 16.*
D *de offic. iuris ordinar.*

Extra hunc caſum conſuetudinis diutino ſcilicet ſoluentium conſenſu, vſuque firmatæ, pendi Epiſcopis aliquid in honorem Cathedræ, nihil eſſe à Clericis aut Monachis neceſſe in Gallia, declarauit Senatus anno 1574. contra Niuern. Epiſcopum, aſſes 25. à Parocho in ſpeciem erogationis cathedraticæ poſtulantem Papon. *lib. 1. tit. 11. art. 5.* ſimulque docuit indictiones penſitationeſque eiuſmodi nummarias, à conſuetudine patriâ pendere, ac ita demum probandas eſſe, ſi ex
E priſco Diœceſis ſitu, eas Epiſcopus poſtularet.

Vndecimo, abſque Patroni Laïci conſenſu poteſt iure communi Pontifex, auctoritate quâ pollet, de beneficij prouentibus Clerico dare penſionis nomine, quantum ei ad vitam eſt neceſſe, Couar. *practicar. qq. c. 36. n. 10.* Rebuff. *in praxi parte ſignaturæ tertia n. 28. & 48.* Cauſa eſt, quod ea conceſſio patroni ius non lædat, cum hæc eum à nominatione hominis. cui beneficiũ cõmitti quea, nõ impediat.

Habet tamen Regni praxis, annorum ſibi inuicem ſuccedentium, longo firmata tractu, ac multo maxime à tacito Papæ conſenſu, nullam vt imperandæ penſionis ſuper beneficio iuris patronatus laïcorum, iiſdem non aſſentientibus, ſibi facultatem eſſe velit, Fabric. de Bleins *in Theoria tract. de penſio. beneficiali nu.* 38. Choppin. *lib. 3. de polit. titulo 2. tit. 14. num. 13.* quod Couar. *in practicis cap.* 36. *num.* 10. ſeruari quoque in Hiſpania memorat, in Gallia autem Rebuff. *in tractat. de tertia parte ſignaturæ numero 36.* cuius moris affertur hæc à Couar. ratio, quod vt eſt Pontificis, vtpote communis omnium Patris par aduerſus omnes charitas, non ſit probabile, eum cuipiam prodeſſe velle, cum alterius detrimento. At obeſſet Patrono laïco, ſi eo neſciente, beneficium vnde, ſibi cum eſt è diuite factus inops, opportunos vitæ comeatus petere debet, penſione grauaret, quæ reditus eius exhaurit ex parte, abſorbetque ſibi ad inopiæ ſuæ leuamentum neceſſarios. Et ita *in Francia conſuetudinaria, & in Normannia non ſolet Papa derogare iuri Patronorum Laicorum, nec eius derogatio, de conſuetudine recipitur*, Rebuf. ſupra. Quæ ergo beneficia patronum Regem aut Laïcum hominem profitentur, *hæc nouæ penſitationi ſubijci nequeunt niſi Rex ipſe, aut Patronus ei ipſi calculum adiunxerint*, Renat. ſupra. Quid ſi patronus beneficiariæ penſitationi nominatim eſt aſſenſus, ſed quam Pontifex maiorem iuſto reſignanti tribuit, puta, quia partis fructuum tertiæ terminos eſt egreſſa.

Reſpondend. in eius iure eſſe petere eam reduci ad debitam quantitatem, maximè ſi eſt oneroſa Eccleſiæ, Gigas *quæſt. 23. ſub finem.*

Quid ſi eſt à reſignatario reſignanti cum Patroni conſenſu indefinito ac large præſtito, pactis conuentis promiſſa?

Reſpondendum, penſitationem ab eo omnem nummariam, hoc eſt titulo pactæ penſionis debitam, diſtricte pendendam eſſe, ſi ceſſum beneficium eſt ſimplex, aut eius iure omni, ac poſſeſſione cedendum.

Ad hæc, non tenetur in Gallia penſionarius, ad ferendum habitum, & tonſuram, vt conſtituiſſe, Sixtum V. in Bulla ſpeciali refert Comitolus *lib. 1. q. 62.*

Cauſa eſt, quod hæc Gallis numquam innotuerit, nunquam ſignificata per Epiſcopos fuerit, & ſi aliquando fuit, quod non conſtat, contrario tamen exoleuit vſu.

Duodecimo, reijcitur in Gallia, penſionis creatio, cum clauſula eius transferendæ in alium. Imbert. in *Enchirid. litera P. pag. 135.*

Ratio eſt, quod iſtiuſmodi pactio, ab emptionis ſpecie in recipiente, venditionis autem in transferente abeſſe vix poſſit, cum non ſit probabile, gratis ab aliquo dari vlli cõmoda annua pecuniaria, quanta ſunt penſionis beneficiariæ quotannis ſoluendæ, & ſi ea à quoquam daretur gratis ac liberaliter (quod non eſt veriſimile) iuſta tamen ſemper cauſa foret, exiſtimandi, pactum interceſſiſſe transferentem inter & accipientem mutuum, quo hic illi pro penſione tranſmittenda lucrum, aut aliud ei non abſimile commodum ſe daturum eſſet pollicitus. quare cum penſio in Gallia, nec emi poſſit, nec redimi ſine facultate Pontificis, vbique autem quæuis tranſactio, cui res aliqua eſt ſubiecta, vti materia, quæ ex natura rei beneficio non ineſt, Simoniam redoleat, nihil eſt mirandum, ſi Gallis penſio non probatur, cui talis adiecta eſt pacto, de conſenſu contrahentium mutuo. Sane de ea re ſic eſt loquutus, Rebuff. *in praxi par. 1. titulo de reſeruationib. num.* 20. *In hoc regno Franciæ, penſionem extingui conſtat per mortem penſionarij, & de conſuetudine non trãſfertur in aliam perſonam, etiã à Papa, quamuis in patria obedientiæ transferri poſſit ſicut aliud beneficium*, & in *tract. de pacificis n.* 115. *Qualibet*, inquit, *penſio de Papæ licentia transferri poteſt*, Gomeſ. *in reg. de infirm. q. 16. quod non ſeruaretur in hoc regno.* In eandem ſententiam ſic ſcribit P. du Clos *lib. 6. q. 4. num.* 39. *Tranſlationem penſionis non recipit Gallia niſi in prouincia Prouinciæ vt teſtatur* Probus *in additionib. ad Gloſſ. pragmat. Sanctionis in parag. item quod verbo præſentationis.*

Decimo quarto, quæ contra non ſoluentes imperatam à Pontif. penſionem, intentantur ſacra fulmina, his tentari, petique reſignatarii non ſolent in Gallia, cũ eã legitimo tempore non pendunt, ſuæque, tùm quum iubentur, ſatisfacere conſcientiæ, negligunt. Eſt autem bipartitum hoc tempus, parſque eius vna in feſtum S. Ioann. Baptiſtæ incidit, in celebritatem Chriſti nati altera. *Et ſi dictus talis*, inquit Pontifex, *in huiuſmodi termino, vel ſaltem intra octo dies, ſingulos terminos ipſos immediate ſequentes, penſionem ipſam non perſoluerit, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrat, quodque ab ipſa excommunicatione abſolui nequeat, donec tibi de penſione huiuſmodi tibi debita fuerit integre ſatisfactum, & ſi per annum penſionem eandem ſoluere prætermiſerit, ſit eo ipſo Eccleſia priuatus, ipſaque Eccleſia ex tunc ad te pertineat.*

Sunt ab his tamen pœnis, Galli beneficiarii liberi, nam primo de ſacerdotii ſui iactura faciẽda, ſi nomina propter penſionẽ contracta non expungant, timere non debent; cum in Francia, reſeruationi locus ſit nullus, quæ eſt tamen vt apparet cum hoc decreto implicita, quandoquidem vult Papa defectu penſitationis debitæ, vacare beneficium, ac penſionario acquiſitum eſſe, quod per concorda-

ta eſt

ta eſt illicitum.

Nec eſt ſimiliter pro contracto ære alieno petenda neceſſario ex vrbe cenſura, cum eam Epiſcopo inſubditos ferre ex cauſa ſit omni iure licitum: quare *non ſoluens penſionem, non erit excommunicatus in regno, niſi creditor cui debetur, eam petat*, Rebuff. *de pacificis poſſeſſ. nu. 129.*

Decimo quinto, lege Pontificia penſioni numerandæ, ſtata duo ſunt tempora; Chriſti naſcentis, & Ioannis Baptiſtæ feſtiuitas, Petrus du Clos ad Flam. *lib. 6. q. 2. num. 136.* Gigas *q. 93.*

Gallis hæc non eſt obeunda præſtatio, niſi exacto anno, vt mirer à Rebuffo *de pacif. nu. 128.* præſtitutum ad eam rem illius initium, cum colonus domino ſuo mercedem non debeat, niſi collectis fructibus ſub Auguſtum, & Septembrem, anno nimirum in exitum incumbente.

Decimo ſexto, in hoc regno, inquit Rebuff. *de pacific. poſſeſſ. num. 127.* penſionis *debitor, non poteſt ad ſoluendum compelli, per alium quam per ſuum ordinarium, vtpotè Epiſcopum aut alium, vt in pragmat. Sanctione iubetur titulo de annatis SS. item quod ratione. Quare in literis monitorijs, debet Officialis, declarare eas ſe auctoritate propria dare Parochis, non Apoſtolica, alias repurgabuntur hac voce, vt accidit anno 1581. 8. Iulij.* Hæc ille, quod tamen non probo, cum vbique & ius Pontifex dicere & fideles ad officium cogere cenſuris valeat.

Decimo ſeptimo, Quando penſio non reſignanti ſed tertio alicui, de conſenſu titularii poſſeſſoris imponitur, iſto cedente, vel decedente, vel beneficium quomodolibet amittente, ceſſat in Gallia ea penſionis reſeruatio, niſi in ſignatura Apoſtolica additum fuerit, quod ad ſucceſſores eius ſoluendæ obligatio ſit tranſitura, du Clos *ad q. 2. lib. 8. de reſignat. per Flam. n. 99.*

Etſi eſſent olim penſiones omnes in Gallia, definiendæ fructuum parte tertia, poſſunt hæ tamen hoc tempore ad eorum medietatem excreſcere, decreto Ludou. XIII. *articulo* 18. eius ſanctionis quam anno 1638. ferendam cenſuit, lubet hic eius verba ponere, *Declarons nulles & comme Simoniaques, toutes reſerues, creations, & omologations qui ſeront cy apres faictes & obtenues de penſions ſur benefices, ſi elles excedent la moitié des fruicts, nonobſtant tous Concordats & obligations de pleiges & cautions, leſquelles dés à preſent declarons nulles & en deſchargeons ceux qui les auront promiſes.*

Decimo octauo, Quod de medietate fructuum non prætergredienda in penſionibus eſt dictum, in reſeruatione quoque integra omnium eſt ſeruandum, Flaminius *lib. 6. q. 1. num. 42. In regno Franciæ ſimilis reſeruatio omnium fructuum, eſt prohibita, vt habetur in Con-*

A *cordat. titulo de reſeruat. beneficiorum, & fuit; inquit, latum arreſtum à Senatu Pariſienſi die 19. April. 1496.* hæc auctor Italus.

Paria ſcripſere Petr. du Clos *ad qu. 1. lib. 6. de reſignat. per Flamin. nu. 70. & lib. 1. q. 9.* Paponius *lib. 2. tit. 8. arreſto 3.* Rebuff. *in praxi tit. de reſeruationib. nu. 14.* & ſuper Concordat. *tit. de reſeruat.* Boërius *deciſ. 2.* Louetus *in arreſt. litera P. art. 31.*

An autem ſic facta reſignatio iure ſit nulla in Gallia dubitari video.

Negantem amplectitur du Clos, loco pro-
B ximo citato, cum ait eam ad fructuum partem tertiam aut etiam minorem ita poſtulante reſignatario reducendam eſſe.

Contrariam ſequuti ſunt Louetus *art. 31. litera P.* Rebuff. & Flamin *lib. 6. q. 1. nu. 42.* his verbis: *die 3. Martij 1512. fuit reſolutum, reſignationem factam cum reſeruatione omnium fructuum eſſe nullam, & beneficium vacare per obitum reſignantis, quamuis reſignatarius in poſſeſſione fuiſſet per duos annos.* Et paulo ante, *In regno Franciæ ſimilis reſeruatio fructuum eſt prohibita,* vt habetur in Concord. *de reſeruat. beneficior. ſine omnium fructuum illorum, &*
C *fuit latum arreſtum à Senatu Pariſ. die 19. Aprilis 1496. ex quo reſeruationes prohibentur de quo facit mentionem*, Rebuff, ſupra Concordata, *tit. de reſeruationib.* hæc Flamin, *lib. 6. q. 1. nu. 42.*

Cauſæ ſunt eius rei duæ, prima, quod ſit cum eiuſmodi reſeruatione fructuum beneficii ceſſio, regreſſus appellanda nomine, cum reſignatario diem obeunte, nihil reſignanti pereat.

Secunda, quod reſeruationibus in Gallia locus ſit nullus.

Tertia, quod verũ beneficij poſſeſſorem non
E deceat gratis, ac nullo operæ ſuæ pretio, operam ſuam beneficio tribuere: quare ſunt recenti decreto Ludouic. XIII. de anno 1638. penſiones eiuſmodi omnes, inanes ac nullæ, proindeque non admittendæ temerè, legendus *art. 18.* editæ tum ab eo ſanctionis. Sunt tamen à prædictæ reſeruationis denegatione excuſandi Cardinales, quibus cum reſignant, non modo fructus, ſed adminiſtratio quoque & iuriſdictio reſeruari ſolet, Flamin. *lib. 6. q. 1. nu. 36.*

Decimo nono, *Non ſolet in hoc regno ſummus Pontifex in Archiepiſcopatibus & alijs di-*
E *gnitatibus imponere penſionem ſine Regis conſenſu*, Rebuff. *de pacif. n. 119.*

Viceſimo, quia prouiſus de Parochia per obitum eius, qui ad penſionem erat obligatus, ad eam non tenetur, vt aiunt. Forget *in tract. de penſionib. num. 24.* Fabricius *in Theoria tract. de penſione nu. 45. litera E. ad margin.* quia vt dicebam antea neque eam promiſit, neque promittenti ſucceſſit, ſed totum ius ſuum collatori acceptum refert, hancque regni praxim

eſſe Peleus tradit *in actionib. forenſ. art. 32.* A Charond. *lib. 1. reſponſ. cap. 25.* quæritur quid facto eſt opus cum reſignatarius acceptam à reſignante Parochiam reſignat alteri?

Reſpondendum; cum Annæo Roberto *in 2. libro rer. iudicatar. cap. 7.* Bleyano *ſupra nu. 44. litera d. ad margin.* Loüeto *in arreſt. lit. P. art. 32.* penſionem ſoluendam eſſe, aut beneficium reſignanti reddendum, eſſe autem huius eligere, à quo eam ſibi præberi velit, an à ſuo, an à reſignatarii reſignatario, vt enim ille, fidem ſuam liberare, quæque eſt pollicitus tenetur facere, ita & iſte, ea præſtare ac B ſoluere, ad quæ obligata manet Parochia, & ita ad præſtationem penſionis vterque auctoritate iudicis cogi poteſt.

Vigeſimo primo, etſi in Gallia audiri reſignatarii non ſoleant, querentes de exceſſu penſionis ſuper qua iis cum reſignante conuenit, ne contra factum proprium, fidemque à ſe reſignanti de ea adhibenda datam veniant, nec ſimiliter iſtorum reſignatariorum reſignatarii, quia beneficium cum tali penſione acceptarunt, Imbert. *in Enchirid. verbo penſio.* Licet his tamen quibus per beneficiarij obitum patet ingreſſus in beneficium, de C penſionis exceſſu conqueri, ac à Iudicibus poſtulare, eam vt pro auctoritate ſua minuant, ac ad æqui boniquę limites reducant, Bleyan. *ſupra n. 48. lit. g. ad marg.*

Vigeſimo ſecundo, clauſula per ſignaturam apponi ſolita, quod reſignanti fructus ſibi ſuper beneficio penſionis nomine conceſſos, percipere auctoritate propria fas erit, literis non apponitur, quibus Gallis à Pontifice tribuitur, P. du Clos *in q. 1. de reſign. per Flam. nu. 15. ſed ſolum quod ijdem fructus, per pro tempore exiſtentem beneficij penſione grauati poſſeſſorem annuatim reſignanti perſoluantur,* quod D tamen in Cardinalibus non ſeruatur, cum eos conſtet, eorum ſibi locorũ prouentus capere, quæ ſibi reſeruata eſſe voluere pro penſione, vt recenti memoria factũ ſcimus in ceſſione cœnobii S. Genouefæ Pariſiẽſis ad montẽ, ab Eminentiſſ. Cardinali Rupefocaldio, cui præter domum Abbatialem, iuriſdictionem externi fori, attributa quoque ſunt prædia, ac eiuſdem Cœnobii Dominia non pauca, è quorum obuentionibus annuis, penſionem conſtare ſuam Papa annuente voluit.

Vigeſimo tertio, non tantum in Parochia- E libus Eccleſiis, ſed quibuſcunque aliis, *de ſtylo Curiæ nouiſſimo, (ſaltem quod pertinet ad beneficia regni huius,) non conceditur clauſula, quorum medietatem ipſa penſio non excedit.* Enimuero cum nullam Ludouic. XIII. ratam eſſe, firmamque voluerit, quæ fructuum parte media maior foret, ampliorque, ſane non niſi ſuperfluè vanéque ; eiuſmodi clauſula Pontificiis inſeretur literis: quare non eſt adhibenda hoc tempore.

Vigeſimo quarto, etſi non admittatur in Gallia penſio vlla, quæ ab Epiſcopo ſit conſtituta, eius Legato tamen id facere non eſt prohibitum, quãdo hoc expreſſe in mandatis habet, Coraſius *lib. 1. de Sacerdotio cap. 4. numero 9.*

Vigeſimo quinto, ob penſionem non ſolutam ſuo tempore, datur reſignanti iure communi regreſſus ad beneficium, ſecundum Flamintium, *lib. de reſign. 6. q. 3. nu. 6. & ſequ.* eique per ſe, vel per alium, propria auctoritate dicti beneficii poſſeſſionem repetere eſt permiſſum, vt in literis quibus petendæ penſionis ius ac facultatem Papa concedit, idem ipſe his verbis ſignificat, *Nec non dicto N. vel aliquo ex ſucceſſoribus in dicto beneficio in ſolutione dictæ penſionis deficiente, ſiue illam ad minorem ſummam reduci vel inualidari poſtulante & cætera liceat eidem N. liberum habere regreſſum, & ingreſſum, illiuſque corporalem poſſeſſionem per ſe, vel alium propria auctoritate libere apprehendere.* Quod Gallis licere Ludouic. eius nominis XIII. vetuit, anno ſæculi huius 1638. ſic enim ille in articulo conſtitutionis quæ tum eſt edita 20. his verbis: *Et quant aux reſignations faictes en faueur, ſi le reſignataire y a conſenty expreſſement ou tacitement, le reſignant demeurera pareillement priué de ſon droict, & n'y pourra rentrer ſans nouuelles prouiſions.* Quanquam vt quod res eſt eloquar, fuit hæc regni, forique praxis Ludouico antiquior, nam ad hanc quæſtionem, *Quæro tertio an huiuſmodi regreſſus vbique admittantur,* hæc habet Flam. *lib. 6. q. 3. nu. 17.* Reſponde, in Francia non admitti regreſſus, ob non ſolutionem penſionis vt atteſtatur Gigas *reſp. 46.* Rebuff. *de pacif. poſſeſſoribus num. 129.* Du Clos *in annot. ad q. 3. lib. 3. de reſign. per Flam.* P. Greg. *lib. 17. ſintagm. cap. 17. num. 30.*

Vigeſimo quinto, *In Francia tempore Regaliæ, ſcilicet à die vacationis Epiſcopatus vſque ad ſubrogationem alterius, non ſoluitur penſio, ſed integri fructus Regi ſoluuntur, vt tradit Ruſaus de iure regal. priuil. 53. relatus à Burſatio non. ſ. 361. num.* 10. hæc Flam. *de reſignat. lib. 1. q. 8 num. 24.*

Vigeſimo ſexto, quando reſignanti fructus reſeruantur beneficij, ſtylus Curiæ moſque exigit vt apponatur clauſula per ſignaturam, illos percipiendi auctoritate propria, vt habent Mandoſius *in tract. de ſignat. gratiæ tit. fructuum reſeruationes,* & Flam. *li. 6. q. 1. nu. 15.* Id tamen non ſeruari in Gallia Cloſius Tholoſanus Banquatius aſſerit, ſed ſolummodo quod penſionario *fructus per pro tempore exiſtentem beneficij penſione grauati poſſeſſorem, annuatim perſoluantur,* du Clos *ad cap. 1. lib. 6. q. 1. nu. 15.*

EPITOME

EPITOME,

EORVM QVÆ DE RE-ſignatione & Permutatione ſunt dicta.

CAPVT I.

Reſignatio quid ſit, & quotuplex.

EST Reſignatio, iuris proprij in beneficio ceſſio voluntaria, ex certis cauſis, & cum auctoritate Superioris facta, duplex eſt, tacita & expreſſa, fit tacita non verbis, ſed facto aliquo reſignationem indicante; expreſſa fit per verba explicita, ſponte à titulario prolata, eſtque duplex, pura ſeu ſimplex, & conditionata. Prior accidit, cum nulla ei conditio, pactum, aut dies adiicitur, fitque coram Ordinario. Altera conditionem habet, nempe vt certæ perſonæ detur, quæ in literis reſignatarius appellatur de nomine, & cum penſionis præſtandæ nexu ac onere, *nec alter nec aliàs.*

CAP. II.

In quo duo hi reſignationis faciendæ modi differant.

DIfferunt autem faciendæ renunciationis hi modi duo, primo in effectu. Secundo in modo. Tertio in perſonis quæ eam acceptant. In effectu quidem, quia pura & ſimplex iure omni ad beneficium illico ac eſt facta, renunciantem priuat *ca. 2. & 3. de renunciat. clement. vnica eodem titul.* ſi ſit admiſſa, *cap. quod in dubijs 8. de renunciat.* cum conditionalis ius beneficij reſignanti non adimat, antequam exiſtat ei adhibita conditio, iſque v. c. in cuius gratiam facta eſt eius ceſſio, illud auctoritate legitima ſibi collatum acceptet, quia diſpoſitio hypothetica nullum effectum ſortitur, niſi poſtquam conditio eſt impleta, Rebuff. *in praxi tit. de reſign. condit. num. 15.* Leſſ. *lib. 2. cap. 34. dub. 35.*

Secundo differt pura reſignatio ab hypothetica, quod illa in manibus Epiſcopi ſimpliciter & pure fiat, ſine vlla conditione ac modo obligatorio, etſi ſine culpa preces ei addere ſemper liceat, quibus ille oretur vt certæ cuipiam perſonæ beneficiū conferat, ſicut notāt Nauar. *cap. 23. num. 107. niſi preces*, inquit idem ibid. *pro pretio fiant & accipiantur.* Cum

A conditionalis fiat vel in fauorē alterius, *nec alteri, nec aliter, nec aliàs*, vel cum reſeruatione penſionis, in fructibus omnibus vel eorum parte, vel ex cauſa permutationis *cap. quæſitum de rerum permutat.* vel cum regreſſu, de quo Flaminius in opere *de reſign.* Fabric. *in Theor.* Rebuff. *in tract. de pacific. num. 144. & ſequentib.* Eſt autem regreſſus, adiecta ceſſioni conditio, quod ſi reſignatarium reſignanti præmori contigerit, huic cum Pontificis Romani poteſtate ſit integrum, ad beneficium reſignatarij cauſa ceſſum, quaſi poſtliminio regredi, quæ reſignandi forma modulque, rei-

B icitur in Gallia ſecundum Petr. Gregor. *partit. iuris lib. 1. tit. 28 cap. 9.* & recentem ordinationem Ludou. XIII. anno 1638 promulgatam in Curia, in cuius *articulo* 20. prohibentur ſinguli vti ſibi conceſſo regreſſus beneficio, per Pontificem ſine noua collatione ordinarij. *Apres la reſignation pure & ſimple faite entre les mains de l'Ordinaire, & par luy admiſe, le Reſignant demeurera entierement priué du Benefice & du droict qu'il auoit en iceluy, & qu'il n'y puiſſe rentrer ſans nouuelles prouiſions.*

Differt poſtremo renunciatio conditiona-

C lis à ſimplici & pura, in perſona eam acceptāte, quod illam id eſt conditionatā ſolus Papa recipiat, facta coram Epiſcopo in fauorem, eſt irrita, nulliuſque ponderis Rebuff. *in praxi tit. de reſignat. condition.* cuius rei eſt hæc cauſa, quod beneficium ab eo dari nullū queat niſi quod eſt poſſeſſore vacuum, *de rer. permut. ca. vnico in 6. & Clement. vnico eod. titulo, cap. nulla vap. ex tenore de conceſſ. prabend.* vnde & expectatiuæ ad primo vacatura, ſeu mandata de prouidendo, iure veteri vſitata, *in cap. Capitulum de reſcriptis cap propoſuit de conceſſ. prae-*

D *bend.* extra & *cap. ſi pauper de præb. in 6.* nouiſſimo iure Trid. Concil. *in ſeſſ. 24. cap. 19. de reform.* fuerunt abrogata, at reſignatum cum conditione, non vacat dum hæc nō ponitur, remanet ergo vt ante, in reſignātis pleno iure, quemadmodum & quæ inuicem permutantur cum obligatione pendendæ penſionis, expreſſa his verbis, *nec aliàs, nec alteri, nec aliter.*

Cauſa eſt, quod pridem conſuetudo longa ſæculorum firmata ſerie ſit adepta, ſoli vt Pontifici fas foret, beneficia eorūque fructus

E diuidere inter plures, eodem pro auctoritate imperante, *vt beneficia ſine diminutione dentur.*

Dicendum idem de iure regreſſus, quem ſi reſignanti, aut permutantibus concedere Epiſcopis vetitum non eſſet, ſequerentur hæc incommoda.

Primum, quod beneficia quæ necdum vacarent, dare poſſent.

Secundum, quod beneficia bonorum quæ ſunt hæreditaria, inſtar aliquod haberent ac ſpeciem, quod prohibetur *in can. Apoſtolica 8.*

q.1.cap. ad extirpandas, & cap. præſentium de filÿs presbyt.

Tertium quod habent reſignationes eiuſmodi votum captandæ mortis, vt in alterius beneficium ſuccedatur, quod iura tam ciuilia quam canonica improbant, damnantque *extra de conceſſ. prabend. cap. 2. & in 6. eod. tit.*

CAP. III.

Quas conditiones renunciatio poſtulet vt ſit rata.

VT autem ſit reſignatio valida, debet primo ſponte fieri, *cap. ſuper hoc 3. cap. in præſentia 6. de renunciat.* facta metu, aut dolo reſcindi poteſt, *cap. ſuper eo de renunc. cap. 2. de reſtitut. ſpoliator. de his qua vi metuſque cap. 2. 3. & 4.* dummodo metus ſit talis qui conſtantem mouere poſſit, non aliter *cap. dilectus filius 6. de his qua vi & lege metum dig. quod metus cauſa.*

Secundo non valet reſignatio niſi ſeruatis requiſitis *in conſtit.* Pÿ V. 58. numero, cui initium eſt, quanta, eſtque explicata à Flamin. *in tract. de reſign.* & relata à Piaſec. *in praxi Epiſc. par. 2. cap. 5. art. 3. num. 25.* Ecquid hæc ergo ad reſignationis firmitatem exigit? in primis iuſtam eius cauſam, quia *indecens omnino probatur prius ſoluere militia cingulum quam cedat victori aduerſitas præliorum,* Alex. III. *de renunc. cap. 1.* cauſæ autem legitimæ cenſentur debilitas, ſenium & cæteræ quæ his duobus comprehenſæ ſunt verſibus.

Debilis, ignarus, male conſcius, irregularis,
Quem mala mens odit, dans ſcandala, cedere poſſit.

Reſignationem contra hanc formam, & ſine cauſa, Ordinarius Pontifice inferior qui admittit, incurrit pœnam ſuſpẽſionis à collatione, præſentatione, electione, confirmatione, inſtitutione prout cuique competit, in qua deliquerit, donec abſolutionẽ à Papa meruerit obtinere, eſtque reſignatio ab Ordinario ſine cauſa vt ſupponitur admiſſa, irrita. Pius V. *in conſtit.* prædicta etiamſi ex ignorantia bonaque fide ſit admiſſa, Theſaur. *2. par. prax. ver. reſignatio ca. 3.* quia decretũ irritans ignorantes ligat, Azor. *par. 2. li. 7. cap.* 19. q. 5.

Quid ſi Ordinarius ſuſpenſionem volet? excommunicationis cenſuram ipſo facto incurret, Conuentus autem & Capitulum, ſuſpenſionem à diuinis etiam ipſo facto, à ſolo Papa ſoluendam, ſicut & excommunicationem.

De debilitate corporis, quæ ex infirmitate vel ex ſenectute procedit, quod eſt dictum, intelligi *de illa ſolummodo debet per quam quis impotens redditur ad exequendum officium paſtorale, nam ſi pro qualibet corporali debilitate,*

A *ſuſceptæ ſeruitutis officium poſſet deſeri, fruſtra fateretur ſe Apoſtolus in ſuis infirmitatibus gloriari,* Innoc. III. *in decret. niſi pridem* 10. *de renunc.* vbi fuſe explicat quando pro crimine aut irregularitate, reſignandi beneficÿ licentia poſſit ab Ordinario legitimè peti, & haberi, nam eius duntaxat conſcientia criminis, cedendi ius tribuit, propter *quod ipſius officÿ executio poſt peractam pœnitentiam impeditur.* Nec propter quamlibet irregularitatem perſonæ, eius eſt admittenda reſignatio. Quia *ſi & cauſa latet & culpa, cum eo qui laudabiliter ſuum
B impleuit officium, iniuncta ſibi pœnitentia competenti, poteſt non minus vtiliter quam miſericorditer diſpenſari.*

Quarto eſt reſignatio nulla, ſi eſt Simoniæ vitio infecta, ſi interuentu pecuniæ facta, ſi cum pacto recipiendi temporalis commodi, *cap. ſuper hoc* 5. *de renunc. cap. cum pridem de pactis, & cap. ſuper eo* 7. *de tranſact.*

Quinto renunciatio vi extorta eſt inualida, ac proinde reſcindenda, *cap. cum pridem* 4. *de pactis,* Flamin. *lib. de reſig.* 13. *q.* 2. ac ſi ad vim, acceſſit incarceratio eius facta imperio qui lo-
C ci eſt Dominus, excommunicationem in Laïcum inuehit, qui procurauit, iuſſit, & paruit, in Epiſcopũ qui eius eſt criminis conſcius, ſuſpenſionem triennio duraturam à perceptione fructuum ſuæ Eccleſiæ, eo autem inferior Clericus eſt priuatus beneficiis iam obtentis Clementina *multorum cap. 2. de pœnis.*

Sexto, ne inanis ſit ac nulla beneficÿ ceſſio, Superioris auctoritas requiritur *cap. 1. cap. admonet 4. cap. fin. de renunc.* Eſt autem in hac materia Superior qui beneficium ei contulit qui reſignat, vt Ordinarius, aut eius Superior,
D Romanus Pontifex in cuius manibus per ceſſionem deponitur *cauſa 6. quaſt. 3. can. denique 3.* dicitur quod Suffredus Epiſcopus qui ſe infirmitate prægrauari cum ſentiret, qua impeditus, nulli poſſe ſe ſua prælatione prodeſſe aiebat, Epiſcopatui renunciauit, quod tamẽ facere honeſte, iuſteque non potuiſſe, ſine Primatis ſui conſenſu dicitur, nõ vero aliorũ Diœceſeos Antiſtitũ & 18. *q. 2. can. Abbas 8.* ei permittitur *pro humiliatione, vt cum permiſſione Epiſcopi ſui locum ſuum poſſit relinquere.* In eius ergo manu facienda eſt ſacerdotÿ Eccleſiaſtici abrenunciatio, qui renunciantis eſt Su-
E perior, ac vt talis illud ei contulit, quia ad eundem inſtitutio ac deſtitutio pertinent, ita decernente Vrbano III. de Clerico quem ad curam Monaſterio ſubiectam præfici ab Epiſcopo per conſilium Monachorum imperat, *itaut ex ſolius Epiſcopi arbitrio tam ordinatio eius quam depoſitio, & totius vitæ pendeat conuerſatio, de capellis Monachorum cap. 5.* in beneficiis autem quæ conſiſtorialia nominant, vt ſunt Epiſcopatus, Abbatiæ, Prioratus Conuentuales, & ſi quæ ſunt beneficia his maiora, Superior, ſolus eſt Papa, ita *cap. 1. de renunc.*

Epiſcopo

Epiſcopo poſtulanti à Pontifice facultatem abeundi beneficio, cui ſe ætate grauis ac ſenio cauſabatur imparem, reſpondet idem, ſine Eccleſiæ aperto damno id ei concedi non poſſe, proindeque relinquendum non videri, quod *Eccleſia ſub eius vmbra melius gubernetur, quam ſi alteri nouæ incognitaque perſona gubernanda in tanto diſcrimine committatur, cap. autem finali eiuſd. tituli.* tam ab Abbate Abbatiæ ſuæ in manibus Regularium ſuorum facta ceſſio, quam per eoſdem in eius locum canonicè facta Religioſi cuiuſdam ſubrogatio, Gregorij noni decreto fuere inanes & irritæ quod *dictus Abbas cedere ſine eiuſdem licentia nequiuiſſet.*

In ſolum ergo Romanum Pontificem beneficia maiora deponi debent, his ab eo conferenda, quibus gratis reſignantur, aut cum onere.

CAPVT IV.

An omnibus ſua reſignare beneficia liceat?

AT à quibus? Omnibus, quibus id iure eſt permiſſum, quo de numero non ſunt qui Romæ cum eſſent, ſacroſancta ſe iuriſiurandi religione obligarunt ad reſidendum, & per ſe deſeruiendum in beneficio Curato, quod eis eſt à Pontifice ſub hac ſpe collatum, & ſi contra fidem iuramento ſuo ſic firmatam, eos forte venire acciderit, collatum ſibi Parochiale beneficium, aut Vicariam perpetuam in alterius fauorem reſignando, aut dimittendo, ipſe, & ij, qui ad id auxilium vel fauorem præſtiterint, ſi ſint Epiſcopis inferiores incurrunt ipſo facto pœnam excommunicationis Papæ reſeruatæ, & priuationem tam illius beneficij, quam aliorum per eos obtentorum. Pius quartus in Bulla 87. quæ incipit, *inter multiplices.*

Secundo ex ordinatione Gregor. XIV. non admittuntur in Romana Curia reſignationes Eccleſiarum Parochialium, & aliarum quæ reſidentiam exigunt, niſi expreſſum fuerit quanto eas tempore reſignans poſſederit, & ſi annis quinque vel circa, plus vel minus aliquot menſibus, ſit tempus hoc minus, reſignans non auditur Theſaur. *par. 2. prax. ver. reſignat. cap. 1.* Garcias *par. 11. cap. 3. n. 44.*

Tertio, non poteſt procurator qui ad reſignandũ eſt cõſtitutus, ſibi beneficiũ reſignare Pariſ *li. 9. q. 17. n. 13.* ſicut nec patronus ſeipsũ nominare, *cap. per noſtras de iure patron.* quia vt inter præſentantem & præſentatum eſſe debet aliqua diſtinctio, ita & inter reſignantem & reſignatarium, qualis tamen nulla eſt moraliter inter beneficij poſſeſſorem legitimum, & eum qui procuratoris nomine res eius negotiaque gerenda in reſignationis materia ſuſcipit.

Quarto ex aliquorum ſententia quam dixi eſſe probabilem, reus ante ſententiam prolatam contra ſe à Iudice, beneficium quo eſt ob admiſſum à ſe crimen certo priuandus, reſignare nequit.

Contra pugnant Leſſ. *lib. 2. cap. 34. nu. 190.* Garcias *par. 11. cap. 3. num. 67.* Laym. *lib. 4. tract. 2. cap. 17. num. 8.* aiunt enim quod etſi quis crimen commiſerit ob quod ipſo iure beneficij priuatio incurritur, in fauorem tamen alterius factam renunciationem validam eſſe, licet poſtea per iudicis ſententiam reſcindi queat, perinde ac ſi facta non eſſet.

Pars prima ſic probatur. Nulla pœna Eccleſiaſtica, priuans hominem re ſua, ſiue ſit temporalis, vt cum iubetur dare pecuniam, aut bonis cedere, aut mixta, vt eſt priuatio beneficij, aut ſuſpenſio ab eius vſu & exercitio; nulla (inquam) pœna talis eſt ſubeunda ante ſententiam, ſecundum Summiſtas *verbo Aſſaſinus, & verbo pœna,* Suar. *lib. 5. de legib. cap. 8. num. 5.* & rationem, nam *cap. ſecundum leges 19. de hæret. in 6.* hæreticorum bona ipſo iure confiſcantur, & tamen in eodem *cap.* dicitur quod non teneantur ea relinquere ante iudicis ſententiam. At beneficium vacare; pœna eſt, ergo vt talis non eſt toleranda ante ſententiam.

Secundo quandiu beneficiato beneficij ſui poſſeſſio relinquitur, poteſt eius fructibus vti, deque iis arbitratu ſuo diſponere, duo enim iura in ſua prouiſione accipit, nempe titulum beneficij & inductionem in poſſeſſionem realem actualem & corporalem, & quamuis per ſententiam priuetur, priori hoc eſt titulo, non tamen corporali poſſeſſione quod manifeſtum eſt, *ex ca. licet Epiſcopus 28. de præb. in 6.* vbi dicitur quod is cuius beneficium iure vacat, vel etiam alteri eſt collatum, ſua poſſeſſione ſpoliari nequeat, niſi audiatur, & nouus inſtituatur proceſſus de iure poſſeſſorio, remanet ergo, qui eſt beneficio priuatus, quandiu eius poſſeſſionem habet, verus eiuſdem dominus, eſt ergo adhuc ea poteſtate præditus quæ ad diſponendum de beneficij fructibus, eſt neceſſaria: ergo & ad reſignandum, cum reſignatio ſit in fructu.

Quod autem reſcindi queat, ratio indicat, nam particula *ipſo iure* efficit, vt in foro exteriori pœna retrorſum trahatur ad diem commiſſi criminis, ſicut hæc *abſque ſententia,* pœnæ ſententiam excludit, quæ infligitur, ergo ſi permutantium alter, iure priuatus eſt ſuo beneficio, illud reſignare aut permutare cum altero non poterit, & ſi fecerit, irritabitur, eſt hæc ſententia probabilis, & forte priore magis.

Quinto reſignare non poteſt, qui de beneficio Curato prouiſus, non eſt factus intra annum Presbyter, quia eſt reſignatio iuris ſui

ceſſio, at omni caret, qui ſe ſacro ſacerdotij charactere intra deſignata anni ſpatia inſignendum non curauit, quia vt eſt *in cap. commiſſa 35. extra de elect. & cap. licet canon 14. eod. Eccleſia ſibi commiſſa nulla etiam præmiſſa monitione*, vi conſtitutionis Pontificiæ *in cap. licet canon priuatus exiſtit*.

Sunt hæc quidem in Reſignatione expreſſa & actuali ſeruanda vt ſit rata, non item in tacita: nam hoc ipſo quod quis aliquid efficit, quo indicet quantum eſt ſatis, velle ſe, ſibi nihil eſſe amplius cum Clericis beneficiariis commune, & ita beneficium ſuum deſerit, aut quaſi derelictum negligit, cenſetur illud abdicaſſe, vt habetur in *cap. 1. de offic. Vicarij, & cap. ex parte 8. de Clericis non reſidentib.* vbi Canonicis fit ab Alexand. III. facultas eligendi ſibi Decanum, ſi qui ea fungebatur dignitate, abeſſe à beneficij ſui loco pergeret, quod eſſet longa illius ab eo abſentia, tacita quædam prædictæ dignitatis abrenunciatio.

Secundo, tacitè beneficio ſuo renunciat, qui cum priori, incompatibile dari ſibi ſinit & accipit *cap. de multa 28. de præb. cap. gratia 6. de reſcriptis in 6.*

Tertio, qui matrimonium contrahit.

quarto, qui militiæ dat operam, cum enim arma tractare, hoſtili ſanguine manus cruentare ſuas, Clericum non deceat, qui morum animique humanitate Chriſtum in vita referre debet, vt nomini, ita & Clericorum ſtatui renunciare eſt credendus, qui contraria Clericorum vitæ ſtudia amplectitur.

Quinto, beneficio tacite renunciat qui triennio ſuper eo motam litem non proſequitur, vel eripi ſibi patitur Rebuff. *in prax. tit. de tacita renunciat.*

CAP. V.

Vt ſit rata beneficij vnius permutatio cum alio quid ſit neceſſe.

ET hæc de reſignatione dicta ſunt. Ad permutationem quod attinet, opus eſt, primo vt fiat de beneficiis, ad quæ ambo permutantes ius reale habent, etſi eorum poſſeſſionem necdum ſint adepti, de Peruſio *tract. de permut. beneficior. par. 1. q. 1. num. 1.* quare penſionis cum ſacerdotio permutatio admitti Romæ non ſolet, quia non eſt beneficium, nec capellæ, auctoritate Pontificis aut Epiſcopi non erectæ, quæ eamobrem ſpiritualiſatione (vt aiunt) ſunt vacuæ, nomenque proinde beneficij non habent, cum Canonicatu aut capella ſacra, vt notauit Papon. *lib. 2. tit. 7.* Fabric. *in Theor. rubr. de capell. altar. & orator. nu. 45.*

Nec eſſet ſimiliter permutatio beneficii veri cum ficto valida, vt accideret ſi de permu- A tantibus alter habere ſe beneficium iactaret quod non habet, quia ea duntaxat permutantur quæ vere ſunt, itaque affecta vt permutantibus pereant, at cum permutationis, quæ in diuerſitate rerum conſiſtit, extrema non ſunt realia, ſed ex parte ficta, ei de permutantibus qui beneficio caret nihil perit: ergo, &c.

Hæc eſt cauſa cur ius nominationis regiæ, expectatiuæ, aut Coadiutoriæ cum futura ſucceſſione, cum beneficio mutari nequeat, quia non ſunt Coadiutoriæ beneficia proprie ſumpta, ſed quædam ad futuram illorum poſſeſſionem B præparatio. Quare qui Epiſcopo Coadiutor eſt datus, nec Epiſcopus dici, nec qui Archiepiſcopi eſt coadiutor pallio ac benedictione Epiſcopali vti poteſt, niſi ſit Epiſcopus. Quod ſi propter effœtum corpus, ſubrogādi in vices ſuas viri idonei, facultas ſit ægrotanti Epiſcopo data à Pontifice, quali ſunt olim vſi in Chriſtianiſmi auſpicatu, Gregor. & Narciſſus ille quidem Nazianzi iſte Hieroſolymorum Epiſcopus, eſtque ab vtroque ad eam rem electus, à priore quidem *Eulalius* vt de ſe ipſe teſtatur *epiſt. 39.* ab altero Alexander au- C ctore Nicephoro *lib. 5. cap. 9.* Euſeb. *lib. 6. cap. 9. & 10.* à Sixo Remorum Antiſtite Sinicius, Ab hoc Diuitianus, ex fratre nepos, Flodoard. teſte *li. 1. Hiſtoriar. cap 3.* non fuere hi tamen Epiſcopi, quandiu vixere qui eos ſibi cum poteſtate ſucceſſores adoptarant, ſed de his alias à nobis, cum de Coadiutoribus erat ſermo, dictum eſt copioſius.

Vt ergo cœptam de permutatione narrationem exequar. Dico 2. vt ſortiatur hæc effectũ eſſe neceſſe, vt beneficia permutanda, in eius reſignentur manibus cuius eſt ea conferre *Cle-* D *ment. vnica & Gloſſa ib. de rer. permut.*

Tertio, vt eſſe permutatio rata ſine conſenſu permutantium non poteſt, *cap. vnico de rerum permut. in 6.* ita nec ſine patroni, ſi ad eius præſentationem beneficia pertinent, ſunt tamen qui irritandam duntaxat aſſerant, ſi hic contemptum ſe queratur apud iudicem non aliter, poteſt hic tamen cogi ad aſſentiendum, ſi permutatio credatur futura Eccleſiæ fructuoſa ac vtilis, & ab Epiſcopo approbata, valet ſic facta, ſi fides eſt Rebuffo *par. 1. prax. rubr. de permut. n. 22.*

E quarto, beneficia permutanda, ſunt compermutantibus ab eorum collatore Ordinario conferenda, quia ius ſpiritale, dare illi ſibi mutuo nequeunt, nec Eccleſiam regere, vt faciunt tamen qui arbitratu ipſi ſuo, de beneficiis, cuique vt lubet tribuendis, ſtatuunt.

Quinto, Eccleſiæ cum ſunt exemptæ, permutari nequeunt niſi approbante Romano Pontif, *Clem. vnica de rer. permut.* & ſi ſunt iuris Patronatus Laïcorum, non niſi Patrono aſſentiente, aut Papa ei derogante, quod non facit in Gallia, vt eſt dictum antea.

Sexto in noua prouiſione *ex cauſa permutationis*

tionis coram Pontifice, opus eſt vt ſit hæc rata, permutantes in libello ſupplici, quem eidem ſuper eius conſenſu obtinendo offerunt, beneficiorum meminiſſe omnium quæ poſſident, nec eorum eſt omittenda qualitas, vt quod ſint curata, quod ſimplicia: ita Doctores apud Rebuff. *loco ante citato num.* 34. & 35. quæ mihi opinio vt ſecurior, ita & probabilior videri ſolet, quàm oppoſita negantium id eſſe neceſſe. Quia vt oſtendimus antea, cum de beneficio à Pont. conſequendo agetur, ei exprimi omnia eſt neceſſe quæ ab impetrante poſſidetur, alias nulla eſſet collatio, ſed habet hoc omnis beneficiorum permutatio, vt ea conferri compermutantibus poſtulet, cum ſola partium inter ſe cõuentio non ſit ſatis, *Clem. vnica de rer. perm.* vtpote quæ conferendi ſibi beneficij iure carent, ſine qua tamen collatione non fit permutatio: ergo, &c.

Septimo, vt permutatio valeat, debent compermutantes in Curia, 20. diebus ab ea facta viuere, quia cum hæc reſignationẽ habeat, regula quæ eſt de infirmis reſignantibus, ab Innoc. VIII. ſcripta, compermutantes complecti debet, peræque ac beneficiis cedentes ſuis aliena cauſa, & ita, qui ante exactum à permutatione diem vigeſimum interit, beneficium vi permutationis à compermutante acceptum amittit, vtpote per ſuum obitum vacans, & alteri illud ipſum quod à defuncto, loco ſui habuit, iudicis eſt, auctoritate auferendum, quia cum Ordinarios, ac expectantes Academicos iure ſuo per fraudem priuare voluerit, hac pœna eum plecti conuenit, vt vtroque beneficio excidat, & dato, & recepto permutationis nomine à mortuo, *Clem. vnica de rer. permut.* & Rebuff. *in praxi ſuper regula de infirm. reſign. gloſſa 4. num. 2. & 4.*

Octauo, non valet permutatio cum eo facta, qui beneficii permutati eſt incapax Quia cum qualitas in aliquo exigitur, eius abſentia actum inanem reddit ac nullum, ita qui Altare aut præſtimonium non niſi Clericis ex certa gente familiaque progenitis, Fundatorum voluntate conferendum, cum alienigena mutaret in præbendam, nihil ageret, quia eſt hic ab eo fundatoris voluntate ac decreto excluſus, eiuſque proinde incapax.

Similiter qui præbendam Cathedralis Eccleſiæ Doctori Theologo affectam, cum homine erudito illo quidem; ſed non Doctore Licentiato aut Baccalaureo formato permutaret, operam luderet, quia non eſt ille, iis Academiæ inſignibus conſpicuus, quæ in eo Concordata poſtulant, qui de ſuperiore loco ad populum, in ſacris templorum exedris dicere, ac ſcripturæ Clericis explicandæ, nauare debet operam.

Nono, vt ſit permutatio rata, ac firma A debet eſſe de beneficiis non reſeruatis Federic. *in tract. de perm. benef. q. 3.* quia ea ſibi conferenda Pontifex cum reſeruat, ſic ea eſſe vult ſui iuris, vt de iis arbitrari ac ſtatuere nulli amodo ſit liberum.

DISPVTATIO DVODECIMA.

B DE HIS AD QVÆ BENEficiarij obligantur ſub culpa.

PRIMO, Clerico beneficiario Clericali vtendum eſt habitu *can. non liceat penult. diſt.* 23. *& cap. penult. de vita & honeſtate Clericor.* nam in priori iubetur, veſtem *talarem induere* in altero *clauſa deſuper deferre indumenta* C *nimia breuitate vel longitudine non notanda*, neutrum in communi adhibere vita velle, eſt ſeipſum proprius ſtatus priuilegiis priuare, fori maximè, Comitol. *lib. 6. q.* 20. Anton. de Butr. *in cap. Clericus de Clericis coniugatis*, Flamin. *7. de reſignat. q. 1. nu.* 20.

Secundo, obligatur ad tonſuram, *cap. Ioan. de Clerico coniugato, & cap. penult. de vita & honeſtate.* Rotunda hæc eſſe debet, ac in modum coronæ, ad aures colliqueinitium raſione capillorũ expreſſa, *coronam & tonſuram Clerici habeant congruẽtem*, inquit Innoc. D III. *in ca. 15. de vita & honeſt.* Sylu. *ver. Clericus 2. num.* 1. veſtis vt plurimum eſt talaris, *can. non vaccat* 32. *diſt.* 23. niſi excuſet vſus prouinciæ contrarius, vt minimum protendi debet ad genua, vbi recepta eſt Bulla Pij IV. quæ incipit, *Nos pro paſtorali*, lubet audire quæ de ea re ſtatuere canones, ſic ergo 32. *diſtinct.* 23. *Clericos oportet attonſo capite, patentibus auribus, & ſecundum Aaron, talarem veſtem induere, vt ſint in habitu ornato*, ſunt his non abſimilia quæ ab Innocent. III. E ſunt præcepta in *cap. Clerici officia* 15. *de vita & honeſt. coronam & tonſuram habeant congruentem, clauſa deſuper deferant indumenta, nimia breuitate, vel longitudine non notanda.*

Ad veſtium colorem, quod attinet, non alius eſt permiſſus communiter quam ater, ac ſi purpureum Cardinales adhibent, non niſi Pontificis voluntate, id illis eſt licitum, qui eſt ſupra canones, à quibus hic color dãnatur *cap.* paulo antecitato, *de vita & honeſtate, Pannis*, inquit ibi Innoc. *rubeis aut viridibus aut aliam ſuperfluitatem gerentibus*

non vtantur.

De culpæ qualitate admittendæ à Clerico, ſi in eorum altero deſit officio, variant auctores Nauar. *cap. 25. Enchirid. num. 109.* Sylueſt. *verbo Clericus 2. num. 2.* Panorm. *in cap. ſi quis de vita & honeſtate Clericor.* Reginald. *lib. 33. tract. 3. cap. 2. num. 10.* Angelus *verbo Clericus 4. num. 1.* mortale eſſe aſſerunt, occaſio illis ita ſentiendi, ſumpta eſt ex Conciliis & canonibus maxime Trident. *ſeſſ. 14. cap. 6. de reformat.* Clement. *quoniam de vita & honeſtate.* Sane in Bulla Sixti V. de anno 1589. quiſquis Clericalem non fert habitum ſi eſt beneficiarius, ab ordinibus, officio, & fructibus beneficij ſui, ſuſpendi iubetur 23. autem diſtinctione *can. ſi quis* 23. hæc habentur: *Si quis ex Clericis comam relaxauerit anathema ſit.* Lethalis eſt ergo culpa, comæ ad ceruices relaxatio, cum anathema nulli dicatur, niſi reo mortalis peccati, ſed comam ad aures aut ceruices promittere, eſt tonſuram non ferre, nam auctore Sylueſt. *verbo Clericus 2. num. 1.* Fabrici *tract. de beneficiis tam virorum quam mulierum nu. 7.* hoc tonſura differebat à Clerica, quod extaret in vertice, comæ orbiculari ſectione, notaque eſſet ordinis, illa autem, quæ ſymbolum eſt renunciati ſæculi, in parte inferiori capitis, tonſione capillorum in rotundum, vſque ad aures, ſic enim canon non liceat 32. *diſt. 23. non oportet Clericos comam nutrire, ſed attonſo capite, patentibus auribus, & ſecundum Aaron talarem veſtem induere.* ergo tonſuræ in Clerico carentia, eſt mortalis.

Hæc illi quæ non niſi de beneficiariis, aut maiori initiatis ordine, capienda eſſe, ſcripſit de Graphiis *lib. 3. deciſion. cap. 3. num. 1.* Nauar. *cap. 25. Enchir. num. 109.* Regin. *num. 10.* Circa quæ iuuat adnotare, primo veſtis nomine ſignificari quoque pallium, quia cum de veſte canones agunt, Sextuſque ipſe Pontifex in Bulla quæ incipit, *cum ſacroſanctam,* qua in habitum Clericis præcipit, eumque talarem, id vnum ſpectat, vt hi diſtingui à Laicis, eius ope beneficioque valeant, at id per pallium promiſſius obtinent, id eſt longius, quam eſt ſæcularium, vt cum protenditur ad mediam tibiam, ſufficere ergo eſt cēſendum, maxime cum in Concil. Agathenſ. *can. 20.* ex duntaxat veſtes interdicantur Clericis, quæ non ſunt decoræ: *veſtimenta etiam & calceamenta eis, niſi quæ religionem deceant, vti aut habere non liceat.*

Secundo, placet aduertere, neutrum ſufficere ſine altero de Graphiis ſupra, Regin. *nu. 35. cap. 2.* quia præceptum eſt Eccleſiaſticum de vtroque adhibendo *cap. 15. de vita & diſt. 22. can. 21. & ſequent.* Quo teneri etiam ſcholares, ſi ſunt beneficiarij idem auctor aſſerit, etſi ex beneficio ipſi ſuo, nihil emolumenti per ſe cōſequātur ac referāt, quia ipſi nēpe, in Patris ſunt poteſtate, aut Tutoris qui vniuer-

A ſum ad ſua commoda traducunt, nihil aut parum ad ſuum, quia id non impedit, quo minus prædicti ſcholares vere ſint beneficiarij, argumento eſt quod beneficio tenui, nomen quoque beneficij competat, peræque ac diuiti, iuxta *cap. ſi proponente de reſcriptis, & can. non poteſt de prebendis in 6.* quod horas ipſi legere debeant, ſi peccare ac obligari ad fructuum reſtitutionem nolint: ergo vt commoda, ita & beneficiorum ad eos onera pertinent, at eſt inter hæc, numeranda veſtis nigræ ac tonſuræ adhibendæ obligatio: quam tamen, ad B mortale non eſſe, conſuetudine contraria, canonum aſperitatem mitigante, ſecluſo contemptu, ac ſcandalo dixere multi.

Nam de virgata, id eſt diuerſis coloribus texta veſte Clerico repudianda, in communi vita, Clement. *quoniam 2. de vita & honeſtate Clericorum,* mihi ſermo hic nullus, cum omnium ſit opinio vix citra mortale, vſui Clerico eſſe poſſe, vt pœnæ indicant, quibus eum Clementi. V, plectere placuit, quas Cardinalis Toletus *lib. 1. cap. 8. num. 19.* graui ſtylo inſequitur. Nam ſunt in citata Clem. II. *de vita* C *& honeſtate,* virgata aut partita veſte Clerici qui vtuntur ſi ſunt beneficiati, ſex menſibus à perceptione fructuum beneficiorum ſuorum ſuſpenſi, ſacerdotes autem non beneficiati, item inhabiles per ſex, ad obtinenda beneficia Eccleſiaſtica: Dignitates autem, perſonatus, aut beneficium Curatum habentes ſuſpenſi ſunt per annum à perceptione ſuorum beneficiorum.

Ad quas pœnas à Sixto quinto additæ ſunt & aliæ, beneficiatus enim habitum Clericalem cum tonſura non ferens, omnibus priuatus eſt officiis Eccleſiaſticis, nulla monitione, aut ſententia expectata, & qui beneficia pen- D ſionibus grauata habet, has illi vlterius ſoluere, non tenetur, ſententiam tamen admiſſi hujus criminis, declaratoriam excludi non puto, ante quam eum non teneri beneficiis ſuis in foro conſcientiæ cedere, nec fructus reſtituere nō eſt improbabile, quia talis ceſſio pœna eſt, iure quæſito & poſſeſſo priuans, non mera eius priuatio ob defectum conditionis ſeu modi requiſiti ab initio. Et quanquam Garziæ ſit viſum *par. 7. cap. 1. num. 24.* hanc Sixti bullam vſu receptam non eſſe quoad pri- E uationis, vel incapacitatis pœnam ob non delatum habitum & tonſurā, vt Theſaur. adnotauit *in verbo habitus cap. 1. partis 2. praxis,* de culpa tamen non muto ſententiam ob rationes quas me aſſerre memini parte, Theol. *1. tract. 11.* ſunt hæ præcipuæ prima, quod conſuetudo contraria ſit corruptela.

Secunda, quod ſit contra ius naturale, Clericum non oſtendere, ſe in hoc, aut illo ſtatu viuere, ad quem eſt à Deo ac Eccleſia magno ſuo bono vocatus.

Tertia, quod obligare hoc præceptum ad

mortale

mortale ſoleat, quod eſt de re quæ grauem Dei, vel proximi iniuriam continet, qualis eſt iſta, cum ſcandala generet, occaſiones periculaque perpetrandi flagitia prope certa habeat. A

Quibus argumentis, Aliter quàm nos qui credet, reſpondebit, negando quæ vbique ferè non ferendæ veſtis, ac coronæ conſuetudo inueterauit, corruptelam eſſe, cum lex Eccleſiaſtica ei contraria nunquam fuerit in multis locis recepta, aut ſi fuit, iam exoleuerit.

quid? quod illi conſuetudo oppoſita, rationabilis, & præſcripta deroget? vt dicitur *cap. fin. de conſtitutionibus*, qualem hanc eſſe nemo negauerit, qui promittendi capilli cauſas eſſe poſſe iuſtas, ſecum ipſe reputauerit. B

Ad ſecundum Reſpondebit, etſi forte cum ratione pugnet, ac prudentia, beneficiarium non præ ſe ſtatum ſuum ferre, eumque ſigno aliquo teſtari velle mortalibus, id tamen ob non notabilem cum ratione repugnantiā aut cauſæ iuſtæ defectum, mortale non eſſe.

Dicendum idem ad argumentum tertiò loco poſitum, negabunt enim qui à Reginaldo & nobis diſſentiunt, aliquid hic eſſe, in quo Deus aut proximus lædi queant, ſi hic, aut ille, palliati ac ſine tonſura procedant in publicum. Quare à conſuetudine, ſi quæ eiuſmodi alicubi inoleuerit, Clericos & beneficiarios habere dicent, vt excuſentur à mortali, non ferendo cum tonſura habitum, ſuo nomine ac maieſtate dignum. C

Vt vt ſit, negari non debet, quin Clericus minoribus ordinibus præditus, ſine habitu & tonſura incedens, omni prætermiſſa admonitione, priuilegio fori ſit exutus.

Secundo etſi illi priuilegium fori pereat, non tamen eidem interire priuilegium canonis, Innoc. II. *ſi quis ſuadente*.

Tertio, eſt & hoc certum, beneficiario, qui ſine cauſa tonſuram, & veſtem ſtatui conuenientem non fert, abſolutionem negangandam eſſe, quia neceſſarias ad eam diſpoſitiones non habet, ſi tamen de præterito verum dolorem conciperet, cum propoſito emendationis in futurum, ei neganda non foret. D

Secundo tenetur beneficiarius vitam ſe, ſtatuque dignam agere, *non pati fabulas inanes referri, aut cantari, non turpia ioca vel vrſo, vel tornatricibus ante ſe fieri de conſecrat. diſtinct. 5. can nullus* 36. parcè autem ac temperanter epulis eum vti oportere colligitur ex *capite à crapula de vita & honeſtate, de conſecrat. diſt. 5. can. non oportet* 37. vbi illi inter cætera, ſeuere prohibetur, ne ſe vino, cibiſque oppleat, aut alium ad bibendum æquo amplius prouocet, quod in illo tamen propriè non habet culpæ notam vllam, ab ea, qua ſe Laïci in eo peccantes impiant, diſtinctam. E

Tertio vt Epiſcopo ſuo obſequi beneficiarii, ita & ab eo debent corrigi, niſi Papæ ſunt beneficentia, vt Religioſi Mendicantes omnes, ab eius exempti iure, Trident. *ſeſſ. 6. cap. 4. & 14. cap. 4. & ſeſſ. vltima cap. 6.* quare non ſine culpa eius forum deuitant, Hoſtienſ. *in ſumma de foro comm. num.* 14. Piaſecius *prax. Epiſc. cap 2. parte cap. 4. art. 3. n* 17. ſi ei ſunt, ratione contractus domicilij aut rei de qua agitur, ſubiecti, ſed de hac re nos copioſe *par. 1. Theol. mor. tract.* 11.

Præter has, ſunt & aliæ quatuor Clericorum obligationes.

Prima eſt, vt ſint contenti vnico beneficio.

Secunda, vt eidem præſentes ſe exhibeant.

Tertia, vt officium, quod maxima parte horarum recitatione conſtat, ſtrenue faciant.

Quarto, vt prouentus beneficij, rationabiliter ac fructuoſe impendant, de quibus ſingulatim agendum, & primo de obligatione beneficij tantum vnius poſſidendi, non plurium.

DE PLVRALITATE BENEFICIORVM.

QVÆSTIO PRIMA.

An in vnum Beneficia conferri plura poſſint.

HOC eſt quærere an quis ſalua bona fide, plura obtinere beneficia Eccleſiaſtica valeat, qua de quæſtione multa Theologi cum D. Tho. *quodlibeto 9. art. 15. & 22 q. 63.* Canoniſtæ *in cap. dudum 2. de elect.* Rebuff. *lib. 2. prax. rubr. de diſpenſ. ad plura benef.* Duar. *lib. 8. cap.* 4. Summiſtæ *verbo beneficium* Sylueſt. quidem ſub eo *verbo num.* 4. Angel. *eod. à num.* 34. *ad* 38. Caiet. *eod.* Nauar. *cap.* 22. *de horat. & horis canonicis à num.* 58. *ad* 75. Archidiac. 21. *q.* 1. *in verbo Clericus num.* 6. Candid. *lib. 1. diſquiſ. 18. art.* 7.

Paucis propoſitionibus explebo quæ ad explicandam quæſtionem ſunt neceſſaria, ſed ante.

Notare placet primo, cum de beneficiorum pluralitate agitur, eam vocem accipi poſſe dupliciter, primo late, quomodocun-

que ſint, fuerintne plura, ſiue vnita, ſiue non, quæ eſt vulgaris prolatæ vocis acceptio, ſecundo ſtricte & proprie, quomodo non dicitur habere plura beneficia qui vnum habet in titulum, & aliud in commendam temporalem, vel legitimè annexum vnitumque ſuo, vt fieri poſſe patet, *ex cap. vniso 10. q. 3. ſub finem, cap. cum veniſſent de reſtitut. ſpoliator. & cap. eam te de ætate & qual. præfic. cap. extirpandæ parag. qui vero de præb.* ſed qui plura habet, & in titulum ſingula, vide Nauar. *cap. Enchirid. 25. num. 125. Miſcellaneo de orat. 60. num.* 10. & de hac pluralitate eſt hic ſermo.

Notandum 2. ex D. Thoma *quodlib. citato art. 15.* Soto *lib. 3. de iuſtit. q. 6. art. 3.* Salonio *22. q. 63. art. 2. controu.* 5. Gregor. de Val. *ibid. diſp. 5. q. 7. punc. 2. parag. 4.* actionum humanarum quaſdam eſſe intrinſece malas vt furari, alias intrinſece bonas, vt amare Deum, alias indifferentes, vt ambulare, alias quas vocant male ſonantes, quæ habent ſpeciem mali, tamen ex circunſtantia poſſunt eſſe bonæ & licitæ, vt verberare occidere, &c. & in hoc ordine eſt beneficiorum pluralitas, quæ ſimpliciter eſt inordinata, & contra ius naturale, aut diuinum, aut poſitiuum ſeu canonicum, cauſa tamen interuenire iuſta aliqua poteſt, quæ eam pluralitatem accedente Papæ diſpenſatione licitam faciat, vt dicetur poſtea.

Notandum tertio, Pluralitatem hanc vniuerſé loquendo, eſſe contra ius naturæ, diuinum, & humanum, in aliquorum enim beneficiorum pluralitate hæc omnia violantur, in particulari autem, quamuis pluralitas non eſt contra ius naturæ duntaxat, in his beneficiis quæ ſine neceſſitate, & vtilitate Eccleſiæ, imo cum eius euidenti damno poſſidentur, & ſic pluralitas eſt indiſpenſabilis, ſicut ius naturæ, ex quo ſequitur, quod cum tale ius ſit immutabile, nulla contraria conſuetudine fieri poſſe vt hæc pluralitas ſit licita, iuxta D. Thom. *quodl. 9. art. 15.* Nauar. *in manuali cap. 25. num.* 128. eſt enim corruptela, & abuſus eoque deterior, quo communior. Iam ergo ad quæſtionem, eſtne iure naturæ, canonum, ac diuino vlli licitum, plura poſſidere beneficia.

Dico primò, *Pluralitatem aliquorum beneficiorum, non eſſe contra ius diuinum, aut naturale ſtricte ſumptum, nec de ſe ac natura ſua indifferentem, ſed de earum eſſe rerum genere quæ ſpeciem mali habent ſuntque proinde contra ius naturale late acceptum.*

Non eſt beneficiorum pluralitas contra ius naturale ac diuinū, primo modo ſumptū quia quæ ſunt natura ſua mala, ex nulla cauſa fieri poſſunt bona ac licita, nec à Pontif. diſpenſabilia, vt eſt in *cap. cum ad Monaſterium 6. de ſtatu Monachorum.* At eſſe cauſæ poſſunt, exque non paucæ, quæ Pontificem inducant, ad beneficia plura vni cuipiam largienda, quo modo teſtatur Innoc. *in ca. dudum 54. de elect.* ſcribēs ad Epiſc. Syluanect. ſe diſpenſaſſe cum Archidiacono vt plures Parœcias poſſideret, quod haud dubie nō feciſſet, ſi Deus ac natura, eam pluralitatem vt vitioſam ex ſe, malamque reſpuerent: vitio tamen magis eſt hæc pluralitas affinis, quam virtuti, proindeque contra ius naturæ large ſumptum, vt mala ea indicant quæ hanc pluralitatem ſolent conſequi, de quibus Ioann. XXII. *in Extrau. execrabilis de præbend. parag. inter cætera,* & Pontif. *in cap. quia in tantum de præbend.* quæ Rebuff. ſingillatim perſequitur *tit. 2. prax. rubrica de diſpenſ. ad plura benef. num. 1. vſque ad 20.* Sotus *art. 3. concl. 2.*

Confirm. Eſt id malo propius quam bono, ex quo plura manant in hominum genus incommoda, quam bona, eiuſmodi eſt beneficiorum pluralitas de qua loquimur, vndecim eſſe numero poſt Ioann. XXII. ſummarum ſcriptores aiunt, quæ ad tria capita reuocari poſſe tradunt aliqui.

Quorum primum eſt, damnum quod Eccleſiæ ea ſacerdotiorum multitudo, per miniſtrorum diminutionem affert, quanquam non eſt hæc Eccleſiæ damnoſa tantum, ſed eius fundatoribus, ac defunctis in Eccleſia fidelibus.

Deo nocet, quia pro merito non colitur, vt enim ſacer eius cultus miniſtrorum multitudine augetur ac creſcit, ita eorundem paucitate ſi penitus non interit, decreſcit.

Eſt etiam patronis, ac mortuis, eiuſmodi beneficorum pluralitas noxia, quia quod multi facerent, ſi beneficiis ſingulis ſinguli gauderent, hoc fit ab vno, cuius non ſunt votiuæ preces, paris ad impetrationem meriti ac ponderis, quale habere plurium eſt certū. Malū tertiū quod beneficiorum pluralitas parit eſt ſcādalum, nam quis ſine offenſa ferat, multorū ſtipendia aufferre vnum aliquem vita forte turpem, moribus abſonum? aut quis non queratur, Chriſti patrimonium, bona pauperum magno eorum damno ac lachrymis, in ſinum vnius cuiuſpiam nobilis pueri, vbere largaque effundi manu? Faciunt hæc incommoda, pluralitatis in beneficiis fœdiſſima germina, vt hanc præ ſe mali ferre ſpeciem verius quam boni exiſtimem.

Non eſt tamen, vt dixi natura mala, quia dantur cauſæ & tempora, quibus plura retinere Sacerdotia non eſt culpa, primum eſt, cum hæc adeo ſunt tenuia, vt neutrum decenti congruæque Clerici ſuſtentationi par ſit & æquale, patet *ex cap. eam te de ætate & qual. præfic.*

Quid? quod Gregor. Papa I. Agnellum Fundorum Epiſcopum Tarracinenſis Cleri populique votis obſecundans, ſic etiam illi præeſſe voluit Eccleſiæ, vt ante dictæ Fundenſis

denſis illi iura, poteſtatemque nullo modo ſubtraheret 21. *q. 1. can. illud quoque 6. & lib. 2. ep. 13. ſeu ca. 52. ad Agnell.* Cauſa poſſidendi plura beneficia altera, eſt, quando cum auctoritate Pontificis, & ex cauſa legitima quæ eſt ex vtilitate Eccleſiæ, non ambitione perſonæ æſtimanda, duæ aut plures ſibi ſunt inuicem coniunctæ Eccleſiæ.

Tertia eſt, cum ad beneficium, quod quis legitime poſſidet, eſtque eius proprium, accedit & aliud, eius curæ à ſuperiore ad tempus commendatum, de quo Leo IV. his verbis 21. *q. 1. can. qui plures Eccleſias retinet, vnam quidem titulatam, aliam vero ſub commendatione retinere debet.*

Quarto, facit & paucitas, inopiaque miniſtrorum; vni plures vt Eccleſiæ conferri queant, tam curatæ quam ſine cura, præſtat enim virum vnum induſtrium duabus præfici Eccleſiis, quam ſingulis ſingulos, ignauos & nequam, & reuera ſunt pauci, quando plurimi ſunt quidem, ſed idonei pauci: quare etſi Clericum in duabus connumerari Eccleſiis non oporteat, *negotiationis enim hoc eſt, & turpis lucri proprium, & ab Eccleſiaſtica conſuetudine alienum. In villis tamen quæ foris ſunt, propter inopiam hominum, indulgetur.*

Vniuerſe vbi multitudini beneficiorum cauſæ adſunt, quæ eam excuſant, atque cohoneſtant, minimè eſt hæc reprehendenda.

Cauſæ vero ad plura vni concedenda beneficia, ſunt duæ, neceſſitas Eccleſiarum, ſeu beneficiorum, & eorundem vtilitas, de quibus Innoc. III. *in cap. in cauſis de ſentent. & re iudic.* Honor. III. *in c. expoſuiſti de præb.*

Eſt in eandem ſententiam Bernardi ad Eugenium immortalitate digna oratio *lib. 3. de conſiderat. cap. 6. vbi neceſſitas vrget, excuſabilis diſpenſatio eſt, vbi vtilitas prouocat, diſpenſatio laudabilis eſt, vtilitas dico communis, non propria, nam cum horum nihil eſt, non planè fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.*

Ergo vbi charitas, Eccleſiæ neceſſitas, populi vtilitas exigit, plura vni conferri beneficia, non eſt ea multitudo facile damnanda culpæ. Enimuero, inquit Gabr. *in 4. diſt. 15. q. 8. art. 3. dub. 2. notab. 3. ad diſpenſationem iudicis requiritur auctoritas diſpenſantis & cauſa diſpenſationis quæ eſt duplex, ſcilicet iuſta neceſſitas & pia vtilitas, neceſſitas eſt paucitas idonearum perſonarum, vtilitas, commune commodum Eccleſiæ, non commodum priuatum perſonæ plura beneficia appetentis.*

Dico ſecundò, *Ab vno, eodemque beneficia ſimplicia plura poſſideri poſſe ſine diſpenſatione licite, quando vtrumque eſt tenue, nec ſumptus ſuo poſſeſſori ſuppeditat ad vitam neceſſarios.*

Quia nõ eſt hoc iure diuino, naturali aut canonico vetitum. Nõ naturali, nam beneficiorum multitudinem bene informata ratio non damnat niſi quæ eſt ſuperflua, Eccleſiæ inu-
A tilis, ac noxia, ac poſſidenti non neceſſaria, cuiuſmodi nihil hic accidit.

Non primum, nam cum ea neceſſarios non ſubminiſtrent ad victum, veſtitumque commeatus, ſuperflua, hoc eſt, ad beneficiati vitam non neceſſaria, dici nequeunt.

Non ſecundum, quia cum reſidentiam beneficia ſimplicia non exigant, eorum pluralitas Eccleſiæ non nocet, cum ſubditos nullos proprij eorum legitimique poſſeſſores habeant, quibus imperent, quos regant, quos ſalutaribus monitis inſtructos, ad beatam
B æternitatem dirigere debeant.

Non tertium, quia ea tantum beneficia numero multitudinis poſſidere iure diuino non licet, quæ mentium procurationem ac reſidendi neceſſitatem adiunctam habent, quod beneficio ſimplici non quadrat.

Non item canonico, quia ſi quando ius hoc ſacerdotiorum multitudinem improbat, eo tempore maxime, quo ſingula, alendis beneficiatiis ſingulis opportuna ſunt ac idonea, vt ex Trident. *ſeſſ. 24. cap. 17.* colligere eſt facile, etiam etſi præcipiat, vt in poſterum vnum
C tantum beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur, permittit tamen, vt, *ſi ad vitam eius, cui confertur, honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo vtrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri.*

Obiicies, At enim nocet hæc beneficiorum pluralitas beneficiario, qui ea ambit, ambitaque ſeruat ac cuſtodit, quod enim vni cuipiam eſt parum, quod ad vſus commodaque quotidianæ vitæ non eſt ſatis, poteſt ſufficere alteri, ſibi ergo, ſuæque in agendo imprudentiæ tribuat, quod beneficium conferri
D ſibi eſt paſſus tenue, nec ad ſumptus diarios ſatis amplum ac vtile.

Repondend. ſatis eſſe, ſi poſſeſſori ſuo impenſas menſæ, oris ac corporis minime præbeat, hoc ipſo enim, aliud & alia, ad ſuſtentationem congruam obtinere poſſe, Trident. *ſeſſ. 24. cap. 17.* certa eſt veriſſimaque ſententia.

Quid? quod beneficium tenue paucorumque redituum, beneficii nomen non ferat, niſi diminutè, ac impropriè? non magis quam medium, quod eſt ad finem inefficax, otioſum, ac inutile, medij eſt donandum nomine,
E quare *cap. poſtulaſti de reſcriptis* 27. negat Pontifex, *pro habente beneficij ſufficientis ſubſidium, ex certa ſcientia ſuper obtinendo beneficio ſe ſcribere, quin faciat de primo in ſuis literis mentionem,* hinc enim argumentari ſic lubet Beneficiorum meminiſſe omnium in Pontificiis ſuis literis Pontifex debet, quæ à mandatario poſſidentur, cuius cauſa prædictas ad Epiſcopum literas ſuper prouidendo ei de beneficio tribuit, at beneficia non alia in eas tranſcribi literas eſt neceſſe ex Innoc. *cap. ci-*

tato, quam quæ ſufficientem ſuſtentationem ſuppeditant, quæ id ergo non faciunt, beneficia non ſunt, & ita obiectionis allatæ vis eſt nulla.

Obiicies 2. *in cap. ſi proponente de reſcript. & in cap. non poteſt* 1. *de præbend. in* 6. habetur quod *diſpenſatio ſuper pluralitate beneficiorum conceſſa, impetranti prodeſſe nequeat, ſi aliquod beneficium quantumcunque modicum ſubticuit in eadem.*

Reſpondendum, Papam caſtigare tantum mendacium, aut fraudem tacitæ ac diſſimulatæ veritatis apud ſe. Quod autem diſpenſationis meminit; fit id ex abundanti, vt nonnunquam contingit aliquos diſpenſationes & abſolutiones non neceſſarias reipſa petere.

Obiicies 3. Eſſe contra fundatorum mentem, vt vni cuipiam plura beneficia dilargiatur ordinarius, vno ergo contentus eſſe debet, licet inſufficienti.

Reſpondend. Antecedens eſſe falſum, nam cum non niſi iuſta ac honeſta, honeſte ac cum ratione velle fundatores debeant, æquum autem non ſit petere, vt qui diuino cultui dat operam, id gratis, ac ſine ſtipendio competenti faciat, de fundatoribus meliora ſentire eſt neceſſe, quam vt velint beneficiatum, cui ex beneficio non niſi annona tenuis, victuſque maligne ſuppetit, eo contentus viuat.

Dico tertiò, *Clerico per leges Eccleſiæ fas non eſſe, plura beneficia etiam ſimplicia, proindeque eiuſdem in ambobus præſentiam non exigentia conſequi ſine diſpenſatione, aut contraria conſuetudine, ſi poſſeſſori ſuo ſingula tribuant, vnde commodè queat viuere.* Ita Nauar *cap. 25. num.* 25. Gloſſa *in cap. dudum 2. de elect. verbo retinere*, Sylu. *verbo beneficium 4. num. 2.* Beia *par. 1. caſuum caſu 19* Aſſertionem certam facit Tridentini auctoritas, nam *ſeſſ. 24. cap. 17.* negat fas vlli eſſe, beneficia etſi ſimplicia plura poſſidere numero, ſi eorum quodlibet prouentus poſſeſſori ſuo pariat, quantos vitæ neceſſitas poſtulat.

De conſuetudine quod dicitur, conſtat per eam antiquos canones abrogatos eſſe, ac proinde licere cuique ſine diſpenſatione habere de iis beneficiis quæ ſunt ſimplicia, duo aut plura, reſidentiam minime poſtulantia, etſi ex eorum quolibet, tanti annuatim colligi prouentus poſſint, quanti ad beneficiarij vitam ſint ſatis: ita Candid. de *benef. diſqu. 18. art. 7. aſſert.* 2. pro qua opinione eſt etiam Sotus *lib. de iuſtit. 3. q. 6. art. 3. concl. 4.* Azor. *inſtitut. moral. par. 2. lib. 6. cap.* 10.

Ratio eſt, quod conſuetudo quæ vim legis habet, cum eſt rationabilis & præſcripta, decreta Pontificum canonica abrogat. At quod beneficio vnico ſimplici, modo ad ſuſtentationem ſufficienti, beneficiarius quilibet contentus eſſe debeat, iuris eſt Canonici præceptio, ergo eiuſmodi quæ per conſuetudinem oppoſitam antiquari poſſit ac tolli.

Ad Tridentin. Reſpondend. eſt quod *conſuetudo contraria, contra ius humanum excuſationem dat, videmus enim pluralitatem beneficiorum in vnam perſonam coacervari etiam ab inferioribus Prælatis ſine diſpenſatione, licet nulla interueniat ratio*, ait Candid. loco citato, quod eſt etiam Gregor. de Val. reſponſum *to. 3. diſput. 5. qu. 7. punc. 2.* Filliuc. *to. 3. de benef. tract. 41. cap. 7. q. 1. n. 4.*

Vbi tamen Tridentinæ Synodi leges vigent, poſſidere plura eius generis beneficia mortale eſt, ſecundum Gloſſ. *in cap. dudum de elect. verbo retinere. Qui habet*, inquit, *plura beneficia quorum alterum per ſe ſufficit, non poteſt ſine peccato mortali retinere aliud, ſed diſpenſatio reddit licitum quod erat illicitum.*

Atenim cuius? Non Epiſcopi, cum Concilij abrogare leges, aut in iis diſpenſare non poſſit, ſed Pontificis Romani, quem humanis conſtat non ſubeſſe Conciliorum legibus, ſed diuinis tantum.

Quid ſi in ea beneficiorum multitudine, iuſta diſpenſandi nulla ſit cauſa? Non exigi, cum in ſuis ſtatutis diſpenſat Superior, multorum eſt, eaque probabilis opinio, cum qui ea condidit illa ipſa quoque refigere cum lubet, poſſit.

Dico quartò, *Mortale item eſſe poſſidere plura Sacerdotia, quando ſingula beneficiarij præſentiam in loco vbi ſunt ſita, exigunt.* Docet id Theologorum, ac Canoniſtarum ſchola: cauſa eius rei vnica, nempe quod beneficiorum pluralitas iure naturali, & diuino ſit interdicta, eſt ergo vtriuſque violati reus, qui ſine diſpenſatione multa retinet ac occupat.

Repugnare autem iuri naturali Sacerdotiorum multitudinem, oſtendunt argumenta ſequentia.

Primum, quod ea dentur propter obſequium & officium ex *poſtremo cap. de reſcript. in* 6. at vnum eundemque duobus locis præſentem eſſe, aut duabus Eccleſiis inſeruire natura non ſinit: ergo, &c.

Secundum, eſt contra ius naturæ ac Dei, eius cultum in ſacris minuere, id facit qui beneficia beneficiis adiicit, aut his ſe per alios augeri ſinit, ſic enim miniſtrorum numerum perimit, tollitque qui precibus habendis, Dei numen placare, eius iram diuertere poterant, impediendo enim ne quis beneficium vnum ex illis habeat quæ poſſidet, Dei cultum impedit: ius ergo diuinum ac naturale peruertit qui ſibi beneficia quærit aut dari ſinit, quæ erant cum multis partienda, ita Ioann. XXII. *in Extrauag. quæ incipit execrabilis de præbend.*

Tertium, cum natura pugnat, quod quis voluntarium culpæ diſcrimen ſubeat, ſed hoc

diſcrimen ſpontè eligit, qui beneficia plura ambit, nam vt taceam arrogantiæ eſſe non vulgaris in homine, quod ſe his dignum, paremque credat, eſt etiam imprudentiæ in rebus politicis non extremæ, ea ſibi faciendi neceſſitatem imponere, quæ vix humanitus eſſe poſſunt ſine crimine, vt quod in pauperes aut pios vſus quæ de iuſta ſibi ſuſtentatione ſupererunt, erogabit, quod cuiuſque Eccleſiæ, in quam eſt aſcriptus, ſtatuta & conſuetudines ſeruabit, quæ cum ſint frequenter in diuerſis Eccleſiis diuerſæ, quis eum non videt in laqueos inducere ſe vltro, his promiſſis non ſtandi? nec eorum quæ de iuſto ſuo depenſo reliqua erunt, partem pauperibus dandi vllam? quæ cum natura abhorreat, abhorrere quoque eam eſt neceſſe, beneficiorum in vno aliquo multitudinem, ex qua, hæc incommoda peccandique periculá, vt à capite, riui profluunt.

Tertio eſt contra naturam, quod vnum membrum in corpore humano, neceſſarium alimentum ſubducat cæteris (inquit) Maior *in 4. diſt. 24. q. 12. concl. 2.* facit id quiſquis ſacerdotio vno non contentus, incubat aliis, eaque recipit, nam ſic eſt cauſa, cur qui eſt ad præfecturas Eccleſiaſticas idoneus, propter paupertatem qua premitur extenuetur & intabeſcat, alio qui eſt beneficiorum multitudine oneratus, abundante opibus. Quarto cum bonum ſit ſui diffuſiuũ, magis ad naturam, eiuſque agendi modum accedit, qui ſua cum aliis communicat, aliena autem iis non inuidet; aut cum his communicari non impedit, quam qui omnia appetit, & ad ſe fœda turpique libidine traducit, at id facit, qui ſacerdotia multa affectat & quærit, ex iiſque pauca, aut nulla, idoneis, beneque de re literaria meritis hominibus poſſidenda relinquit: cum natura ergo, ſpectata modo qui explicatur in aſſertione non facit beneficiorum multitudo ac ambitus, cum melius ſit, honeſtiuſque, cohibere ſe intra vnius limites, quam ad plura cupiditatem ſuam extendere, abeſt enim primum à peccandi periculo, non alterum. Nam cui poteſt eſſe dubium, vnum eundemque duobus locis eodem tempore præſentem eſſe non poſſe, nec proinde adminiſtrandis pluribus Parœciis æqualem eſſe? quæro enim quomodo commiſſos ſibi populos vrbibus ac prouinciis diſiunctos, eodem tempore ſalutari Dei verbo paſcet? qua diligentia, curaque inhiantes in eorum exitium hæreticos, vti lupos abiget? cum abſentis prouidentia & breuis ſit & obſcura.

Mitto dicere quod ex multitudine naſcatur in Clero inæqualitas, contemnantur literæ, negligatur pietas, quum hanc, & illas Clerici vident, his ad beneficia aſſequenda non prodeſſe, qui ab his ſunt artibus non male inſtructi.

Quid? quod hæc inter Clericos in beneficiis inæqualitas, querendi de Epiſcopis materiam ſuppeditet, eamque iuſtam? in Dei Eccleſia eam iuſtitiæ partem non ſeruari, quæ ſingulis pro meritorum ratione præmia diuidit, quã enim eſt parum probabile, virtutibus æquè ac temporalibus bonis Clericos qui beneficiis nec paucis, nec ſterelibus ſtipati ſũt, his præſtare, qui vix habent, vnde maligne ſe ac ieiunè, vitamque tolerent. Eſt ergo iuri naturali aduerſa beneficiorum pluralitas, quibus eſt mentium cura commiſſa.

Eſſe eam quoque iuri canonico oppoſitam, tam ex Conciliis, Pontificumque decretis eſt certum, quã eſt planũ quod ab iis pro graui ac perodioſo peccato ſemper eſt habitum beneficia ſine diſpenſatione habere multâ. Atque vt ordiar à Cõciliis, fuit à Chalcedonenſi *can. 10.* à Conſtant. Synodo *7. can. 15.* Later. *can de multa*, à Trident. *ſeſſ. 7 cap. 4 ſeſſ. 24 cap. 17.* eiuſmodi multitudo prohibita a Pontific. Vrbano in Concil. Placent. vt refertur *can. Sanctorum diſt. 70.* Alexand. III. *cap. quia non tantum de præbend. cap. cum adhuc cap. cum non ignores eod. tit. cap. eam te de ætate & qualit. ca. quia nonnulli de Cleric. non reſid.* Ioan. XXII. *Extrauag. execrabilis de præbend.* Gregorium ſane eius nominis primum, Ioannes Diaconus *lib. 2. vitæ eiuſdem S. Pontificis num. 54.* dicere ſolitum aiunt, *ſingula Eccleſiaſtici iuris officia, ſingulis quibuſque perſonis ſingulatim commitți debere.* Quia ſicut *in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita in Eccleſiæ corpore ſecundum veridicam Pauli ſententiam, in vno eodemque ſpiritu, alij conferendum eſt hoc officium, alij committendum eſt illud, neque vni quantumlibet exercitatæ perſonæ, vno eodemque tempore, duarum rerum officia committenda ſunt, quia ſi totum corpus eſt oculus, vbi auditus? diſt. 89. can. 1.*

Dixi *ſine diſpenſatione*, quia cum hæc interuenit, iuſta cuique eſt ratio retinendi Sacerdotia quæ eſt Papæ benignitate ac beneficentia conſequutus, ex cauſa legitima, cuiuſmodi cauſæ, duæ ſunt non plures, vt dictum eſt antea, Eccleſiæ neceſſitas, vel vtilitas.

Quid ſi Epiſcopo videantur eſſe tales? & ita diſpenſet?

Reſpondend. ius diſpenſandi in hoc genere, non conuenire Epiſcopo, ſi beneficia non ſint ſimplicia, in his enim ex conſuetudine, quæ Trident. conſtitutionem contrario vſu abrogauit, diſpenſare eum poſſe dictum eſt ſuperius, non tamen in Curatis, & aliis quæ poſſeſſoris præſentiam in illis poſtulant.

Ratio eſt, quod cum diſpenſatio iuriſdictionis ſit actio, ea ſit ſuperiori ſoli tribuenda, aut eius ſucceſſori; At æquare ſe Epiſcopi Concilio, nedum ei ſe auctoritate condendæ legis, aut perimendæ iam conditæ præpo-

nere, iuſte non poſſunt: ergo quod illud ſan- A xit, quod in moribus, communique vita ſeruandum cenſuit, tollere Epiſcopo non licet. Et hanc ſententiam tuentur Ludou. de Beia *1. par. caſuum caſu 59.* Zerola *de benef. q. 7.* Malder. *tract. 9. dub. 18. cap. 2.* Candid. ſupra.

Pro affirmante faciunt Rebuff *de diſpenſat. ad plura benef. nu. 30. 32. & ſeq.* Archidiac. *in cap. licet canon 14. de elect. in 6.* Reginald. *to. 2. lib. 30. tract. 3. num. 253.* Gutier. *lib. 1. canonica r. quaest. cap. 23. n. 19.* volunt enim in Epiſcopi iure eſſe ex cauſa iuſta, qualis eſt Eccleſiæ B neceſſitas, aut beneficiarij vtilitas, ei permittere vt plura in Diœceſi ſua Sacerdotia habeat. *Diſpenſare* (inquit Rebuff. *num. 29.*) *Epiſcopus poteſt, vt quis plura beneficia poſſit habere vt Doctores aſſerunt in cap. extirpanda par. tg. qui vero de præbend. licet hodie de conſuetudine in ſimplicibus non petatur diſpenſatio, ſed ſine diſpenſatione retinentur, & ſuperflua eſſet iſta Epiſcoporum diſpenſatio.* Hæc ille.

Nec in his modo, hoc eſt ſimplicibus ſed & Curatis, ac dignitatibus pluribus, diſpenſare cum aliquo ex cauſa neceſſitatis, aut euidentis vtilitatis Epiſcopum poſſe, auctor eſt Archi- C diaconus *in cap. licet canon de election. in 6.* idque in francia vſurpari ſolitum idem qui ſupra Rebuffus aſſerit *num. 32.* Quam opinionem ait fuiſſe Archidiaconi, Hoſtienſis, & Canoniſtarum, hocque nomine probabilem, quod plus ſit vnire, quam diſpenſare, diſpenſatio enim eſt tantum temporalis duorum beneficiorum coniunctio, ad vitam vnius hominis, vnio vero perpetua eorundem copulatio, ſed eſt in Epiſcoporum poteſtate Diœceſis ſuæ beneficia ex cauſa iuſta aliqua ſibi vnire inuicem, ac nectere: ergo, &c.

Addidi *in diuerſis Eccleſiis*, nam non videtur D introduci cõſuetudine vlla poſſe vt plures dignitates, vel perſonatus, aut officia eiuſdem Eccleſiæ, vni eidemque conferantur, talis enim conſuetudo reprobatur à Bonifac. 8. *in cap. 1. de conſuetud. in 6.* vt oſtendimus antea, eo quod per eam, cultus Dei minuatur, imminuto miniſtrorum numero, quod repugnat beneficiorum inſtitutioni, ob quam cauſam, non poſſunt ſimiliter canonicatus duo, aut præbendæ eiuſdem Eccleſiæ, vni eidemque dari, ſecundum Nauar. *conſil. 24. de præbend. nu. 5. edit. 2.* Garciam. *par. 2. de benef. cap. 5.* E quod Laymanno non probatur, aſſerit enim conſuetudine fieri poſſe vt Canonicatus Cathedralis Eccleſiæ habeatur cum Parœcia: ſic enim ille *lib. 4. tract. 2 cap. 8.* *Conſuetudo paſſim in Germania viget, vt beneficia Curata conferantur Eccleſiarum Cathedralium canonicis, ita vt ea per Vicarium perpetuum adminiſtrentur, relicta ipſi competente ſuſtentatione.*

De Gallia dicere nihil eſt neceſſe, cum conſtet multarum Cathedralium canonicos, cum præbenda ſua, curata quoque poſſidere beneficia quod iis initio Epiſcoporum diſpenſatione videtur indultum, cum enim ex præbenda ſibi collata, tantum non haberent redituum, quantum ad perſonæ quã gerebant dignitatẽ ſuſtinendam erat neceſſe, è re communi eſſe credebãt, canonicatibus quos in iure ſuo habebant, Parochiã addere, vt inde canonici ſibi caperẽt opportuna vitæ ſubſidia, quod Epiſcopos potuiſſe facere, vel hinc probari videtur poſſe, quod ſint eorũ auctoritate canonicatus inſtituti in Eccleſia non pauci, quibus ſit annexa Parochia *de præb. in 6. ca ſuper eos 6.* ergo cum ſit vnio perpetua temporali periculoſior, vt illam inſtituere, ita & beneficium curatum conferre poterunt cum ſimplici, *cui enim licet quod eſt plus, licet vtique quod eſt minus de reg. iuris in 6. reg. 53.*

Dices fuiſſe hos mores abrogatos per Concil. *in ſeſſ. 24. cap. 17.* nec proinde quod olim, licere etiam Epiſcopis hoc tempore.

Anteced. eſt negandum, quia vt eſt in *cap. licet 1. de conſtit. in 6.* ſtatuta locorum ſpecialia, moreſque abrogari non ſolent ac tolli per ſequentem legem niſi in ea expreſſa fiat eorum abrogatorum mentio per hæc verba, aut ſimilia, *Non obſtante quacunque contraria conſuetudine*, quale nihil reperitur in Trident. *ſeſſ. 7. cap. 4. & 24. cap. 17.* Gallis tamen id modo per ſtatuta D. Michaelis de Marillac, Curiæque decreta, nefas eſſe tam eſt certum, quam agente pro ſua prouidentia, ac in Diœceſanos charitate Illuſtriſſimo D. Nicolao Sanguin Syluan. Epiſcopo, eiuſdem Curiæ imperio ſententiaque, iuſſi ſunt Syluanectenſes Canonici, qui Curati quoque erant, alterutro de duobus his beneficiis decedere, vtrum mallent optare, quod & fecere non ſine demiſſionis, obedientiæque ſumma laude.

QVÆSTIO II.

Quæ ſint pœnæ plura beneficia incompatibilia poſſidentis ſine Papæ diſpenſatione.

NOtare placet primo, beneficiorum, quæ ſunt incompatibilia, quædam eſſe in primo genere talia, quædam in ſecundo. In primo genere, ea ſunt, ac dicuntur incompatibilia, quæ ſunt eiuſmodi, vt ipſo iure vnum excludatur ab alio: quæ ſunt in ſecundo genere incompatibilia, ſunt ea, quæ in eadem perſona ſe non compatiuntur, & ita tenetur hæc in conſcientia poſſeſſo vno alterum dimittere.

Notare 2 placet quæ ſunt hoc ſecundo modo incompatibilia, non vacare ipſo iure, ſic vt cum ad primum additur ſecundum, adeptione iſtius, vacet primum etſi inſtitutus eorum alterum cogatur dimittere quod maluerit, quæ eſt Laymanni animaduerſio *in tract.*

2. *de*

2. de benef. cap. 8. num. 3.

Notand. 3. beneficia quæ ſunt incompatibilia primo modo eſſe Epiſcopatus duos, Trident. *ſeſſ. 7. cap. 2. de reform.* Iuo Carnot. *epiſt 67. ad Paſchal.* duas dignitates aut perſonatus, curata item beneficia duo aut plura *cap. dudum 54. de elect. cap. de multa de præbend.* beneficia vniformia ſub eodem tecto, *cap. literas de conceſſ. præd.*

Incompatibilia ſecundi generis in eadem perſona, ſunt duo ſimplicia beneficia, vel vnum duplex, & alterum ſimplex quæ ſunt talia vt eorum alterum ſit ad vitæ ſuſtentationem ſufficiens, *cap. 15 cui de præb.* Trid *ſeſſ. 24. cap. 17.* item duo ſimplicia reſidentiam poſtulantia. Hoc ergo præſuppoſito.

Dico primo, *Qui cum beneficio incompatibili quod poſſidet, acquirit ſecundum quod item eſt incompatibile,* in primo genere, vacat illud primum, & ſi ſecundum retinere velit, priuari quoque debet ſecundo ita Sanchez *in conſil.* Theſaur. *in praxi par. 2. verbo beneficium cap. 7.* Innocent. III. *in cap. de multa 28. de præb.* his verbis: *Præſenti decreto ſtatuimus, vt quicunque receperit aliquod beneficium curam animarum habens adnexam, ſi prius tale beneficium habebat, eo ſit iure priuatus, & ſi forte illud retinere contenderit, etiam alio ſpolietur,* idem iiſdem pene verbis præcipit Ioan. XXII. *in Extrau. execrabilis parag. qui vero.*

Dico ſecundò, *Detentorem malæ fidei primi beneficij cum ſecundo incompatibili, effici ipſo iure inhabilem ad quæcunque beneficia Eccleſiaſtica.* Ita Pontifex *in Extrauag. execrabilis de præb. parag. qui vero,* vbi poſtquam beneficium primum incompatibile poſt ſecundi collationem, abſque moræ diſpendio, in manibus ordinariorum dimitti iuſſit, addit mandato ſuo non parentes, *ex tunc ipſo iure priuatos eſſe ſecundo, & nedum ad ſacros ſuſcipiendos ordines, quinetiam ad habendum quodcunque aliud Eccleſiaſticum beneficium inhabiles reputandos.*

Dico tertiò, *Beneficiario tamen abeundum neceſſario non eſſe, ante ſententiam declaratoriam beneficio incompatibili quod ſecundum acquiſiuit retento primo,* Leſſ. *lib. 2. cap. 34. num. 143.* Garcias *parte 2 cap. 10. num. 8.* Nauar. *cap. 25. nu. 129.*

Ratio eſt, quod pœna quæ in priuatione quæſiti iuris conſtitit, non ſit ſubeunda ante ſententiam, Suar. *lib. 5 de legib. cap. 8.* eſſe autem pœnam, vel hinc patet, quod beneficium ſecundum, non ſit ſub ea conditione collatum, vt primum relinqueretur, quare non fuit tali collationi conditio vlla reſolutiua iure, aut ex collatoris voluntate adnexa, & ita ſecundi huius beneficij, fructus colligere in conſcientia ei fas erit, quamdiu eo non priuabitur, Leſſius *lib. 2. diſp. 143.* Garcias ſupra, etſi impediat blanditiis ac muneribus modo ne ſi ne violentia ne proferatur ſententia Nau. *ca. 25. Enchir. num. 51.* Vaſquez *in 1. 2. diſp. 175. cap. 2. num. 13.* Azor. *tom. 1 lib. 5. cap. 8. q. 5.*

Illa etiam inhabilitas ad ordines à Ioann. XXII decreta, non eſt latæ ſententiæ, ſed ferendæ, nam non dicit eos ipſo facto eſſe inhabiles, ſed reputandos tales à Iudicibus, quod ad forum externum pertinet. Quod autem Concil. *ſeſſ. 24. cap. 17.* aſſerit beneficia incompatibilia ſi non dimittantur intra 6. menſes vacare ipſo iure, & *tanquam vacantia conferri poſſe, illa autem obtinentes tuta conſcientia fructus poſt dictum tempus non poſſe retinere,* de his intelligitur, qui ante Concil. plura huiuſmodi beneficia obtinebant.

QVÆSTIO III.

An ad plura beneficia incompatibilia, diſpenſare Papa queat?

POſſe, non ambigit qui eius in Eccleſia poteſtatem ſummam eſſe intelligit, nec hanc ab eius in regimine ſedis Apoſtolicæ anteceſſore reſtringi potuiſſe, vtpote *qui nullam poteſt in hac parte ſucceſſoribus ſuis præiudicium generare, pari poſt eum (imo eadem) poteſtate futuro, cum non habeat imperium par in parem, extra de electio. cap. innotuit 20.* quare vt *in cap. de multa 28. de prabend.* Innocentius III. aſſerit, vni & eidem plura poſſunt, Pontifice diſpenſante beneficia incōpatibilia tribui. Ratio ſumitur, ex *Clem. 1. vt lite pendente. Quia ad Romanum Pontificē Eccleſiarum, perſonatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum plena & libera diſpoſitio, ex ſuæ poteſtatis plenitudine noſcitur pertinere.*

An autem data per eum diſpenſatio, ad incompatibilia, ſine iuſta cauſa valeat, controuerſantur auctores: valere aiunt Layman. loco ſupra citato *num. 9.* Leſſ. *lib. 2. cap. 34. dub. 25. n. 152.*

Negant Sotus *lib. 3. de iuſtit. q. 6. art 3. concl. 5. 6. & 7.* Valent. *to. 3. diſp. 5. q. 7. parte 2. aſſert. 3.* Candid. *de beneficijs diſquiſit. 18. art. 7. dub. 1.* quæ mihi ſententia priore videtur probabilior ob hanc cauſam, quod Pontifici in Eccleſiæ detrimentum, contraque ius naturæ diſpenſare non ſit permiſſum, ſed vni, eidemque beneficia plura reſidentiam exigentia ac proinde incompatibilia ſine iuſta cauſa concedere, eſt nocere Eccleſiæ, iuraque naturæ peſſundare.

Noceret quidem Eccleſiæ Pontifex id agendo, quia eam priuaret miniſtris ſibi debitis, etiam naturam eiuſque iura euerteret, quia beneficium datur propter officium *cap. finali de reſcript. in 6.* at qui ſe diuerſis Eccleſiis oppignerat, iis ſimul inſeruire non poteſt, peccat ergo qui ſine iuſta cauſa, vni & eidem ad ſua commoda, non ad Eccleſiæ vtilitatem,

beneficia plura incompatibilia impertitur. Quare in conſcientia qui illa ſibi ſine cauſa collata eſſe nouit, eorum alterum relinquere debet. Nam beneficium retinere nemo poteſt cuius non eſt verus poſſeſſor, at is de quo nobis eſt ſermo, eſt talis, nam poſſideri legitime beneficium non poteſt, niſi per collationem legitimam ac veram. Talis non eſt facta à Pontif. beneficiorum incompatibilium, ſine iuſta cauſa, itaque eorum percipere fructus non poteſt, perceptos autem reſtitui omnes eſt neceſſe, in quo à nobis Layman. & Leſſius locis citatis diſſentiunt, ſed non eſt eorum in praxi ſequenda opinio.

Dixi *ſine cauſa*: Nam ſi quam Pontifex habet, vni & eidem plura ſacerdotia curam animarum habentia, conferre poterit, quia non eſt eorum multitudo de earum rerum genere, quæ ſic ſunt malæ, vt ex nulla cauſa honeſtæ eſſe queant ac licitæ.

Obiicies, diſpenſare in iure diuino ac naturali non eſt Pontifici licitum, at eſt reſidentia in beneficiis curam animarum habentibus diuini iuris.

Reſpondend. ad maior. etſi Papa tanquam agẽs principale, diſpẽſare in his nequeat, quæ ſunt iuris diuini, tollendo ſua auctoritate eius vinculum, impropriè tamen, miniſterialiter & inſtrumentaliter poſſe, declarando auctoritate ſibi à Chriſto tradita, illud ceſſare cum iuſta ac rationabilis ſubeſt cauſa: ita Candid. ſupra *dub.* 2. & hoc ad diſpenſationem ſufficere dixit Valent. *to.3. diſp.*10.*q.*3.

QVÆSTIO IV.

Explicantur dubia aliqua circa præſentem materiam.

PRimum, *An citra priuilegium, aut Papæ diſpenſationem eidem beneficia duo compatibilia conferri valeant.*

Poſſunt dummodo his ad honeſtam vitæ ſuſtentationem indigeat: ita Rebuff. *in praxi tit. de diſpenſat. ad plura benef. num.* 29. Azor. *to.2. lib.6. cap.*11.*q.*7. Valent. *to.3. diſp.* 5.*q.*7.*p.*2.*aſſer.*4.

Ratio eſt, quod vt tradit Laym. ius & conſuetudo id collatori permittant. Sane Concil. *ſeſſ.* 24. *cap.* 17. licere vult ordinariis, ad primum beneficium alicui à ſe collatum, addere & ſecundum cum illud *ad vitam eius, cui eſt collatum, honeſte ſuſtentandam non ſufficit, & vtrumque perſonalem reſidentiam non requirit,* vera eſt ergo reſponſio.

Secundum, *An altaria duo, ſub eodem tecto poſita eidem conferri poſſint.*

Cum idem munus, par & ſimile habent officium vt de Metenſibus eſt dictum, non poſſunt, quia tùm beneficia ſunt vniformia, vt A notauit Faber Sebuſian. *lib.1. Codic. tit.2. defin.* 70. hoc eſt eiuſdem qualitatis, ſicut difformia ea dici ſolẽt, quæ ſunt diuerſæ Bleyan. *tract. de complur. aliis beneficiis num.*49. Quod ſi diuerſum munus habent, & nullam aut certe non incompoſſibilem reſidentiam exigunt, vt cum in vno ex his altaribus dici miſſa debet duntaxat die Dominico, in alio autem diebus Veneris, & Iouis, hæc vni & eidem dari poterunt. Quia hæ duæ capellaniæ beneficia ſunt difformia, cum diſtincta onera ſeu officia habeant ſicut Præpoſitura, & B Canonicatus, quæ poſſidere ſimul quis poteſt, cum quis habens dignitatem, ſeruire ſub eo reſpectu poſſit, & vt Canonicus.

Tertium, *An conſuetudine obtineri poſſit, vt beneficia plura incompatibilia, eidem conferantur validè ſine diſpenſatione.*

Reſpondend. fieri conſuetudine nulla poſſe, vt plures dignitates, ac perſonatus, aut officia eiuſdem Eccleſiæ eidem conferantur valide, dixit hanc ſententiam Bonifac. VIII. *in cap. conſuetudinem 1. de conſuetud. in 6.* vbi prohibet, ne prætextu conſuetudinis C quantocunque tempore obſeruatæ, quis amodo dignitatem *aut officium perpetuum cum præbenda inſimul abſque diſpenſatione ſanctæ ſedis, in eadem Eccleſia obtinere, vel iam obtenta tenere queat.*

Eadem eſt de canonicatibus ratio, quorum pluralitatem in eadem Eccleſia deteſtantur canones, vt ſupra eſt dictum, notantque Garcias *part.11. cap.5. num.* 182. & Nauar. *conſil. de præb.24. num.5. edit.2.* quare ab eo mortiferam culpam contrahi, qui ſine legitima iuris, aut iudicis diſpenſatione, plura habet beneficia D ſcripſit cum Gabriele *in 4. diſt.*15. *art.*3. *dub.* 2. Comitol. reſponſion. *lib. 1. q.*73. Candid. *diſquiſit.*18. *art.*7. *dub.*2.

Quartum, *An Papæ diſpenſatio beneficiorum multitudinem excuſet à culpa.*

Huic multitudini aut cauſæ iuſtæ adſunt quæ eam excuſent, aut non, ſi adſunt non eſt reprehendenda, ſi ſecus iniqua eſt, & Deo perodioſa, *Non ſum,* (inquit Bern. *de conſiderat. ad Eugen. lib.* 3. *tam rudis vt ignorem vos poſitos diſpenſatores ſed in ædificationem, non in deſtructionem. Denique quæritur inter diſpenſatores* E *vt fidelis quis inueniatur vbi neceſſitas vrget excuſabilis diſpenſatio eſt, vbi vtilitas prouocat, diſpẽſatio laudabilis eſt, cum nihil horum eſt, non diſpenſatio eſt ſed crudelis diſſipatio.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO V.

An poſſit quis ſalua bona fide plura obtinere beneficia reſidentiam exigentia Romano Pontifice ſeu permittente ſeu diſpenſante.

DIco primò, *In pluralitate Canonicatuum & beneficiorum, quæ curam animarum non habent, vt ſunt dignitates in Eccleſiis Cathedralibus poſſe diſpenſare Pontificem, non tamen ſine cauſa.*

Hanc nobis ſententiam commendarunt Theologi ferè omnes, Diu. Thom. *in quodl. 9. art 15.* Maior *in 4. diſt. 24. q. 12.* Gabr. *ibid. diſt. 15. q. 8. art. 3. dub. 2.* eorumque diſcipuli Sotus *lib. 3 de iuſtit. q. 5. art 3.* Candid *par. 1. diſquiſit. 18. art. 7. dub. 1.* Comitol. *lib. reſponſion. 1. q. 73.*

Probatur, Eſt Romanus Pontifex bonorum Eccleſiæ diſpenſator, ea ergo qua charitate, prudentiaque Principum Oeconomi eorum opes ſolent, Eccleſiæ Deique bona adminiſtrabit ac reget, ſed illis, ſi peccare nolunt, cauſa ſubeſſe debet, eaque iuſta, cur his tantum tribuát, excluſis aliis: ergo & Pontifici, cur vni eidemque plura largiatur beneficia, non aliis, vera eſt ergo Aſſertio.

Confirm. Cum Sacerdotiorum multitudinem multa comitentur incommoda, vt ſolitudo templorum, pauperum neglectio, diuini cultus peremptio, ſacrorum deſerta procuratio, quidpiam ei ineſſe debet cui Pontifex plura impertitur beneficia, quæ eſſent cum multis partienda, quod præ vtilitate, quam ſpondet, mala quæ ex Sacerdotiorum pluralitate metuuntur, contemnenda ſuadeat, alioqui eſſet eorum diſtributio diſſipatio verius quam diſpenſatio: at eſt hæc, quæ ex beneficiorum multitudine vni cuipiam collata, ſperatur vtilitas, iuſta eorum largiendorum cauſa, ab ea ergo induci Pontificem conuenit, cum plura vni cuipiam beneficia tribuit.

Confirm. non ſunt beneficia cum Eccleſiæ detrimento conferenda Clericis, at id non modo facit, quiſquis non eius vtilitatem Deique gloriam in eorum donatione ſpectat vt finem, ſed ſuum aut recipientis commodum, verum & qui vni impertitur multa: nam ſic cultum diuinum minuit, miniſtrorum numerum perimit, Conciliorum iura & Pontificum decreta euertit, Conciliorum quidem, vt Chalcedon. *can. 10.* ſeptimæ Synodi *can. 15.* Lateranenſis ſub Innoc. III. quæ habentur *21. q. 1. can. Clericum, ead. q. & cauſa can. 1. & cap. de multa de præb. cap. 17.* Pontificum autem vt Alexand. III. *cap. quia non tantum de præb.* Gregor. I. *diſt. 89. can. 1.* Innoc. III. *cap. de multa 37. de prabend.* iuſtam ergo cauſam

A Pōtificem habere oportet, vt in vnum quempiam ſacerdotia plura quæ reſidentiam poſtulant, conferre queat.

Dico ſecundò, *Qui cauſam prætexere iuſtam nullam poteſt multitudini beneficiorum quæ poſſidet, in conſcientia tutum non eſſe, ſi hæc reſidentiam exigunt:* ita Candid. ſupra *art. 7. dub. 1.* Sotus *lib. 3. de iuſtit. q. 6. art. 3. concluſ. 5. 6. & 7.* Valent. *tom. 3. diſput. 5. qu. 7.* Caiet. *verbo beneficium.*

Ratio eſt, quod ab Oeconomo contra Dñi cuius res negotiaq; agit volūtatē geſta, inania ſint ac nulla, at in his quæ iuris ſunt naturalis ac diuini Pontif. Dei partes agit, cuius quoque
B eſt in eorū diſpenſatione Oeconomus, nec ea vult ſine cauſa ſuo relaxari nominē, remiſſa ergo hoc modo non ſunt rata. Maior eſt certa, eo quod facta ab Oeconomo catenus valeant, quatenus probantur Domino, & non aliter, eſt enim illius omnis ad agendum auctoritas, pars quædam eius quæ in iſto reſidet, ergo ſi præſtitutos ſibi ab hoc limites exceſſerit, vt vſu venit, cum quæ ille fecit, aut facit improbat, firma cenſenda non erunt & valida.

Minor prob. Nā quis putet earum rerū quæ
C cum natura ſunt coniunctæ, aut diuino ſunt faciendæ iure, diſpenſationem Epiſcopo Deū tradere, cum eius concedendæ nulla eſt cauſa? eſſet hoc enim euertere, non ædificare, diſſipare non diſpenſare, quæ ſi ſunt vera, vt eſſe è Theologis, primarum partium Doctores non pauci afferunt, & id quoque certi ac indubitati iuris eſſe credi debet, quæ vni cuipiam beneficia numero multa, reditibus opulenta, munere diuerſa, dantur ſine cauſa, dari inualide, ſi prouiſi in proprio eorum loco præſentiam poſtulant, nec ab eo proinde ſer-
D uari poſſe, quod ad ea poſſidenda ex diſpenſatione, quæ ob defectum iuſtæ cauſæ nulla extitit, ius verum ac legitimum nullum habeat. Ita auctores qui ſupra, expreſſe, & in materia ſimili, nempè de iuramentis ac votis, Suar. *lib. 6. cap. 19.* Sanch. 8. *de matrim. diſp. 17.* Laym. *de legib. cap. 2.*

Ad id tamen teneri neminem niſi de defectu cauſæ, certo tibi conſtet. Doctorum eſt opinio Suar. *de cenſur. diſp. 41. ſect. 3.* Sanch. *lib. 4. ſummæ cap. 44. num. 6.* ſicque eſſe in foro interno ſecurus poterit, quandiu de defectu
E cauſæ, argumenta ei ſe certa nulla offerent, quæ hunc ſuadeant. Addit Caietan. *ver. beneficium num. 10. non teneri de neceſſitate ſalutis renunciare reliqua, reſeruato ſibi vno, quando illis bene prouidetur per Vicarios,* quod quam ſit verum in eiuſdem ſententia aſſerentis diſpenſationem Papæ in beneficiorum multitudine eſſe nullam, malo ab aliis diſcere quam dicere.

Dico tertiò, *Epiſcopatus, Parœcias, & ſi quæ ſunt alia beneficia curam animarum haben-*

tia quæ ſine diſpenſatione legitima obtinentur ſeruari in conſcientia non poſſe, ſi diſpenſatio Pontificia cauſa non nititur iuſta.

Ita Diu. Tho. *quodl. 9. art. 15.* & alij ante citati, primo, quia in his quæ iuris ſunt diuini aut naturalis diſpenſare Pontifex, ſine cauſa eaque graui non poteſt, ſed Epiſcopis ac Parochis ſi velint eſſe ſine crimine, reſidere in propriis beneficiis eſt neceſſe, vt habet Concil. *in ſeſſ. 21. cap. 1.* nec poſſunt ſimul eodemque tempore in pluribus eſſe Eccleſiis, non eſt ergo data eis de non reſidendo diſpenſatio ſine cauſa, valida: non poſſunt ergo vi talis diſpenſationis beneficia plura ſeruare in conſcientia.

Confirm. De bonis Domini ſui diſponere valide Oeconomo non licet, ſi iuſtam eius rei cauſam non habet, cum hanc ei poteſtatem conceſſam eſſe ille nolit, ſine qua tamen iſti licere quid poteſt? ſed ſunt Romani Pontifices bonorum Eccleſiæ non Domini, ſed diſpenſatores ac Oeconomi, hæc ergo iuſta ſi cauſa deſit, dare efficaciter ac valide nequeunt, cum hoc eis licere Chriſtus nolit, niſi ex hypotheſi quod iuſtam eius rei cauſam habeant.

QVÆSTIO VI.

An eſſe cauſæ aliquæ poſſunt præter allatas poſſidendi plura beneficia, ex rationabili Papæ voluntate.

SVnt hæ vt dictũ eſt antea numero duæ, neceſſitas Eccleſiæ, eiuſque vtilitas: ita Doctores omnes poſt Bernar. *de conſid. ad Eugen. li. 3 ca. 6.* Innoc. III. *ca. in cauſis de ſententia & re iudicata,* Honorius III. *in cap. expoſuiſti de præbendis.* Neceſſitatis fit mentio *in can. Clericus 21. q. 1.* ibi enim ſtatuitur à Synodo 7. vt in villis quæ foris ſunt propter inopiam hominum, duæ vni concedantur Eccleſiæ & hoc quidem, inquit canon, *nempe de non committendis vni eidemque duabus Eccleſiis, in hac à Deo ſeruanda vrbe cæterum in villis quæ foris ſunt, propter inopiam hominum indulgeatur.*

Notare tamen lubet huius neceſſitatis, quo ad præſens negotium attinet, duo eſſe capita, primum tenet ſe ab Eccleſiis, quæ iuuari æque non poſſunt commode à pluribus licet idoneis, ac ab vno eodemque, etſi abſente, nempe quia in prouincia auctoritate eſt non communi, quia magno ortu, & ad res gerendas ex vſu Eccleſiæ aptior, potentiaque, ac ingenio maiori quam cæteri.

Tertio, quia præter eum, rari ſunt ac pauci procurandæ Eccleſiæ idonei, quia ipſe induſtria ſua ac virtute quamuis abſens, plus eſt Parœciæ profuturus, quam mille, quorum non eſt tanta ſagacitas, tanta verborum ac o-

A rationis copia, ad ciendos ad virtutem animos. Ex quo apparet veriſſime dictum eſſe à Gabriele *in 4. diſt. 15. q. 5. art. 3. dub. 2.* hanc neceſſitatẽ Eccleſiæ à paucitate eorum petendã eſſe, qui ad regendum ſunt idonei: vtilitatem autem à bono communi, non priuato beneficiarij, cuius tamen haberi ratio nonnunquam poteſt. Sane cenſet Sanch. *lib. conſilior. 2. cap. dub. 6.* multiplicandi beneficia iuſtam eſſe cauſam, cum beneficiarius duobus ad congruam ſuſtentationem indiget. Item cum ea petit ac recipit vt illi ſuppetat vnde

B pauperibus eleemoſynæ nomine habeat, quod eis det, retento tantum ſibi neceſſario: ita Nauar. 25. *num. 125.* ex Cardinali Sanchez ſupra.

Huius ergo neceſſitatis caput alterum oritur à beneficiariis, qui eum ex beneficio ſuo tenui ſcilicet, prouentus non niſi exiguos colligant, æquum eſt aliud illis attribui, præſertim ſimplex, ac reſidentiam non exigens, iuxta Trident. *ſeſſ. 24. cap 17.* ne deſtituti neceſſariis ad vitam commodis, dedecori ſint probroque Eccleſiæ, ſic Sylueſt. *verbo beneficium ſect. 4. num. 3.* Sotus *3. de inſtitut. q. 5. art.*

D 3. Adrian. *in 4. diſp. de reſtitut. 9.* quia in præmiſſis, *§. in hac quæſtione,* Anton. *in 3. parte tit. 14. cap. 1. §. 6.*

Ad beneficiarios, reuocanda eſt eorum indigentia qui illis ſanguine, ſtirpeque ſunt nexi, nam cum ab iis ali hi ex charitate debeant, In primo gradu tam aſcendentium, quam deſcendentium, crediderim inde iuſtam illis eſſe cauſam faciendi, vt beneficio quo vtuntur, adiungatur & alterum, ad hæc tam ſancta charitatis aduerſus propinquos ſuos exercenda officia. Id dixere Nau. *miſcellan. 65. de oratione,* Malderus *dub. 15. verbo*

D *cæterum.* Cardinal. *in Clem. gratiæ de reſcriptis.*

Aſſertionis eſt hæc cauſa, quod conſanguineorum inopia, in Clerici redundet infamiam. Secundo ſunt parentes opinione hominum idem cum liberis, & vice verſa: ergo cum Clerici paupertas, iuſta ſit ei cauſa petendi & recipiendi ſecundi beneficij vt inde habeat vnde honeſte ſe alat, erit & parentum.

Præter hanc cauſam ſunt & aliæ propter quas ex iure communi licita eſt plurium beneficiorum poſſeſſio.

E Prima eſt Eccleſiarum inter ſe cohærentia, vt cum vna pendet ab alia, aut altera alteri ſubiicitur, aut vna vnitur alteri, *can. Sanctorum diſt. 70. & cap. eam te de ætate cap. quia Monaſterium de religioſis domibus,* vel quia in alterius fundo, inſtituta eſt altera.

Cauſa ſecunda, quæ approbante iure plura largitur beneficia eſt perſonæ conditio, nobilitas, litterarum ſcientia, Comitolus *reſponſionum moralium lib. 1. q. 73. num. 2.* Reginaldus ſupra Laym. *lib. 4. tract. 2. cap. 8.* ab his

A his enim ad diſpenſandum cum beneficiario his inſtructo qualitatibus, induci poſſe Pontif. habes, *in cap. innotuit 20. de elect. parag. multa.*

Tertia cauſa, poſſidendarum Eccleſiarum plurium eſt, cum earum altera eſt fidei beneficiarij commendata ad tempus, alterius autem per Ordinarium collatus eſt ei titulus, *can. qui plures 21. qu. 1. & cap. nemo de electione in 6.*

Quarta, cum eſt Eccleſia annexa dignitati, aut præbendæ, quo tempore, vt eſt *in cap. exstirpandæ 30. de præbend.* in potiori reſidere Eccleſia, in eaque deſeruire debet, per Vicarium autem in alia, quod ſi beneficia erunt æqualia, reſidere poterit arbitratu ſuo in qua maluerit.

Poſtremo excuſat Papæ diſpenſatio iuxta *cap. de multa 28. de præbendis, cap. dudum 54. de elect.* aut beneficiorum inter ſe vnio vt cum Eccleſiæ Parochiali Canonicatus eſt annexus vel contra *cap. ſuper eo de præbendis in 6. & extra de præbendis ca. de multa 28. parag. vlt.* vbi eſt his verbis. *Addentes vt in eadem Eccleſia nullus plures dignitates, aut perſonatus habere præſumat etiamſi curam non habeant animarum, circa ſublimes tamen & literatas perſonas quæ maioribus beneficijs ſunt honorandæ cum ratio poſtulauerit, per ſedem Apoſtolicam poterit diſpenſari.*

QVÆSTIO VII.

An diſpenſatio ad plura beneficia, data à Papa ex cauſa, ſed non iuſta, ſit valida.

OMnino, Nam vt diſpenſatio rata ſit, ac valida, ſatis eſt, eam ex cauſa aliqua vera dari ab eo qui poteſt. facit id Pontifex, cum ad plura beneficia quempiam promouet ex cauſa vera, non ſufficienti tamen, quia ad ea confert titulum, vtpote legitimus in Eccleſia eiuſque bonis diſpenſator & Oeconomus, peccat tamen, quia ad diſpenſandum cauſam iuſtam non habet; eſt ergo beneficiorum iſtorum collatio, ac in multitudine diſpenſatio rata, ſed non licita, Gabr. *in 4. diſtinct. 15. q. 5. art. 3 dub. 2.* Gerſ. *2. par. Alph. 24. litera Q.*

QVÆSTIO VIII.

An qui beneficia plura incompatibilia poſſidet, quæ ab vno eodemque ſimul haberi ſine diſpenſatione nequeunt, abſolui poſſit. ſi eorum altero contentus, aliud aut alia Ordinario conferenda non relinquat, maximè ſi data ei diſpenſatio cauſam non habet aliam quam inſufficientem.

B CVm iura à natura Deo, vel Eccleſia conſtituta violare in re magni ponderis, animæ ſit exitiabile, dubitatur, an qui iſto ſe crimine obligauit, vt beneficiorum non modo multitudinem venaretur ac quæreret, ſed etiam, quod naturæ, Dei, & Eccleſiæ leges execrantur, ea retinet, abſolui queat.

Pro parte negantium ſtabunt hi omnes, quibus æquitas, beneque informata ratio ſuadebit, ei ad gratiam, vnde culpa ſua excidit, Sacramenti ope reditum non patere, qui vitam in melius, peccata ſua exoſus, mutare reſpuit, facit id, quiſquis ſine Pontif. conceſ- C ſione ac venia beneficia plura incompatibilia poſſidet & retinet. Nam contra ius naturæ agit, vt antea eſt dictum.

Primo, quia diuinorum miniſtrorum numerum augeri non ſinit, ſed potius impedit, ac perimit.

Secundo, quia cum Parœciæ locis ſint ab inuicem diſiunctæ; in vtraque ſimul eodemque tempore eſſe nequit, nec proinde Parochi partes explere, hoc eſt Deo litare ſacra hoſtia, mœſtos ſolari, iacentes erigere, pœnitentes abſoluere, ad extremam cum Dæ- D mone luctam, morientes ſacro oleo inungere.

Tertio, cum qui duarum Eccleſiarum, ſeu Sacerdotiorum eſt poſſeſſor, eorundem quoque ſit Tutor, ſi interea vnum alteri litem intendat, vtri patrocinabitur? ſi neutri, fallet fidem, ſi alteri tantum, quod eſt tacite profeſſus, cum vtriuſque curam ſuſcepit, non implebit.

Eſt hoc argumentum non leue contra eos, qui pro Sacerdotiorum multitudine diſputant, habent tamen quo ſe tueri valeant, ſi ea E non niſi ex priuilegio, ac Papæ beneficio teneant.

Primo, enim negabunt, ſe committere contra canones, cum in iis Papa diſpenſauerit.

Secundo dicent, peccaſſe ſe quidem initio, cum ea conferri ſibi poſtularunt, conceſſaque à Pontifice ſuſceperunt, vacare tamen culpa cum ea retinent, quia ab eo qui valide conferre poteſt, illa ipſa poſſident, nec eorum aliquid prætereunt (vt ſupponitur) quod communis priuataque ſingulorum ſalus quos

charitati ſuæ curæque commiſſos habent, exigit, quod enim per ſe ob abſentiam nequeunt, per Vicarios frugi homines, ſedulos ac prudentes faciunt, in quo quid ſit quod maximopere reprehendi queat, aiunt videre ſe nihil.

Argumentis reſponderi debet, priori quidem, nihil hic naturam, eiuſque iura lædi, cum habet beneficiorum pluralitas cauſam aliquam quæ Pontifici ſufficere eſt viſa vt eam concederet.

Aliorum quæ ſequuntur, vim elidit omnem Vicarij vnius aut plurium ſubrogatio, B qui quod prouiſo non licet, diligentia ipſi ſua, curaque explebunt accuratè ac fideliter. Quare ad quæſtionem initio propoſitam reſpondendũ eſt cum Thoma Sanch. *conſil. li. 2. ca. 2. dub. 6. abſolui poſſe, licet non relinquat alterum beneficium*, dummodo (quod eum facere innuimus) det operam, ne quid detrimenti res Eccleſiæ publica, priuataque fidelium abſentia ſua capiat, vt accidet, ſi Vicarios, gnauos ac probos in Parœciarum altera, ſibi ſubſtitutos conſtituat, qui rem Dei, populique procurent ex animo, ſimulque ſcandala C naſci ex nimio beneficiorum ambitu ſolita, vitet.

QVÆSTIO IX.

An ad poſſidenda plura beneficia ſimplicia, requiratur Papæ aut Epiſcopi diſpenſatio.

DE Beneficiis duntaxat quæ reſidentiam non poſtulant, vt ſunt Capellæ, Patro- D natus, præſtimonia, præſens eſt quæſtio, non autem de canonicatibus, à quibus eorum poſſeſſori abeſſe non licet, vt ergo ſit eius intelligentia cuique facilis ac perſpicua, notare placet cum Nauar. *in cap. 25. Enchirid. num.* 128. Primo conſuetudinis vim eſſe in hac materia tantam, quanta eſt diſpenſationis ac priuilegij, quia vt hæc duo legem humanam abrogant, ita & conſuetudo præſcripta & rationabilis. Secundo, cauſam excuſandæ pluralitatis in beneficiis tum iuſtam videri, cum tollendæ deformitati quæ eiuſmodi ſacerdotiorum multitudini ineſt, ſufficit, de quo pru- E dentis eſt arbitrari, his prænotatis.

Dico primò, *Vt Beneficio ſimplici, quod ad vitam non eſt ſatis, ſecundum addatur, quod eſt ſimiliter ſimplex, diſpenſatio nulla eſt Pontificis aut Epiſcopi neceſſaria*, quia id permittit Eccleſia in Trident. *ſeſſ. 24. cap. 17.* his verbis: *In poſterum vnum tantum beneficium ſingulis conferatur, quod quidem ſi ad vitam eius, cui confertur, honeſte ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo vtrumque perſonalem reſidentiam non re-* A *quirat, eidem conferri.*

Dico ſecundò, *Etſi non niſi ex iuſta cauſa aliqua, plura ſimplicia beneficia haberi queant, recepta tamen vbique, præſcriptaque conſuetudo à diſpenſatione ſuper iis petenda excuſat*, Sanch. ſupra *num.* 22. Nauar. *cap. 25. num.* 128.

Ratio non eſt alia, quam quæ eſt explicata initio. Sic ergo diſputo. Quæ humani ſunt iuris, hoc eſt ciuili, aut Eccleſiaſtico tantum iuſſa aut vetita, contrario tolli vſu poſſunt, ſi hunc, ij quorum repugnare intereſt, ſciant, diſſimulent tamen & taceant, quod in hac rei B ſpecie de qua eſt ſermo, accidit, nam & beneficia plura ſimplicia, quæ reſidentiam non exigunt, iure tantum canonico ſunt prohibita, in citata *ſeſſ. 24. cap. 17.* & eſt moribus inductum publicis, vt impunè ſit ſingulis plura eius generis beneficia adipiſci quod Epiſcopos non latet, nec reclamant tamen.

Quid? quod cum talis obtinendi beneficij ratio ſe honeſta aperit, nulli à Pontif. aut Epiſcopo veniam canonis, quo eſt beneficiorum pluralitas vetita, poſtulent? quod haud dubie pro eorundem in Deum & Eccleſiam C pietate non omitterent, ſi hanc neceſſariam crederent.

Sunt ab hoc beneficiorum ſimplicium numero, quæ ab vno eodemque acquiri poſſunt, ea excludenda, quæ ſunt in eadem Eccleſia incompatibilia, quia vniformia, hoc eſt in eadem obeunda functione occupata, vt ſunt capellæ Epiſcopales duæ, ſic vocari ſolitæ ab obſequio, quod inter ſacra ac Hierarchica officia, Præſuli exhibere debent, Canonicatus item duo ſub eodem tecto, quia ſunt beneficia conformia, non item Canonicatus, & Dignitas, vtpote inter ſe non confor- D mes, de quo eſt in *cap. 1. de conſuetud. in 6.* Bonifac. ſanctio, his perſcripta verbis, *Statuentes, vt, cum ſuum officium vix digne valeat aliquis adimplere, nulli liceat de cætero, niſi vnicum perſonatum, vel dignitatem quocunque modo cenſeantur, cum præbenda ſimul, abſque diſpenſatione dictæ ſedis, in eadem Eccleſia obtinere, aut iam obtenta poſſidere.*

QVÆSTIO X.

An adeptione cuiuſuis dignitatis, vacet beneficium primo obtentum.

NEquaquam, niſi binæ ſint hæ conditiones ei additæ. Prima, vt dignitas vtraque in eadem ſit Eccleſia, *ca. de multa 28. de præb.* vnius enim in vna Eccleſia poſſeſſio, non eſt alterius excluſio in altera, Innocent. teſtimonio loco citato. *Addentes*, inquit, *vt in eadem Eccleſia nullus plures dignitates aut perſonatus habere præſumat, etiamſi curam non habeant*, in pluribus ergo habere plures, non eſt

pœnæ

periculoſe exponere pœnæ ſe ſubeundæ canonis.

Conditio altera, eſt, vt beneficia ambo, duplicia ſint, aut curam animarum habẽtia Curam animarum habent, quæ ius tam in foro externo, vt Archidiaconatus, quam interno dicunt, vt Parœciæ. Duplicia ſunt, Perſonatus, vt cantoria, Dignitas vt Primiceriatus, Officium, vt Theſauraria, quare ſimplicia, alia ſui ſimilia non excludunt, nec Parœciam, quia canon *de multa* 28. *de præbend.* de Parœcialibus & dignitatibus duntaxat loquitur, de Parœciis quidem in *parag. præſenti decreto ſtatuimus*, inquit, *vt quicumque receperit aliquod beneficium curam animarum habens annexam, ſi prius tale beneficium habebat, eo ipſo ſit iure priuatus, & ſi forte illud retinere contenderit, etiam alio ſpolietur.* De perſonatibus vero, & Dignitatibus eſt paragraphus penultimus hoc idem, &c. vnde ſi habens ſimplex beneficium, curatum ſuſcipiat aut Dignitatem, non vacabit primum, ſed quod erit ei gratius, de duobus eliget alterum, vt eſt in *cap. referente* 7. & *cap. præterea* 14. *de præb.*

Quid ſi vtrumque ſeruet? Peccabit quidem lethaliter, fructuum tamen reſtituendorum legi non erit obnoxius, Sanch. *lib.* 2. *conſil. ca.* 2. *dub.* 7. quia vtrumque eſt ſuum, vtpote capaci collatum, ab eo qui poterat, nec poſtea eſt iure ei ademptum, cum de eo decretum Pontificum extet nullum, nec quæ contra plures obtinentes Parœcias decreta ſunt lata, ad ſimplicia extendi beneficia debeant, quia cum ſint hæc decreta pœnalia, reſtringi oportet non laxari.

Patet ex dictis primo beneficium non perdi aduentu ſecundi, niſi vtrumque ſit curatum aut dignitas.

Secundo retinentem vtrumque ſine diſpenſatione, vtroque priuatum eſſe, *cap. de multa, de præb.*

Tertio, non vacare ſimplicia ſi quæ habeat, quia de eo canon non loquitur.

QVÆSTIO XI.

Sintne caſus aliqui, in quibus curatum beneficium aut dignitas adeptione ſecundæ non vacet.

EST hæc quæſtio à ſummarum ſcriptoribus explicata, omniumque conſtans eſt opinio, vacationi, ob receptum ſacerdotium, A cui animarum cura incumbit, locum non eſſe.

Primo, cum alterutrum de duobus pacificè non poſſidetur, quia quæ dubij ſunt iuris, habenturque vt talia, quia controuerſa ſunt, plene non ſunt poſſeſſa.

Secundo, quando Pontifici diſpenſare placuit, vt duabus curis aut Dignitatibus vnus ac idem præeſſet.

Tertio, cum is cui ſecunda dignitas Pontificis voluntate accidit, poſſidere ſe primam neſciebat. Quia beneficij primo habiti priuatio, ob acquiſitum aliud illi ſimile, pœna eſt, B eaque non leuis, at hæc non niſi nocenti infligitur, noxam autem abſtergi omnem, tollique per ignorantiam quis neſcit? ergo, &c.

Quartò, prima Parœcia non excidit, cui cõfertur alia, quæ præbendæ eſt cõnexa, quia cum acceſſorium naturam principalis ſequi debeat, *de regulis iuris in* 6. *reg.* 42. ſitque Parœcia præbendæ acceſſoria, non hæc Parœciæ ſed præbendæ vocanda eſt nomine: fuit hæc cauſa cur Bonifac. eius nominis VIII. diſpenſationem ſuper eiuſmodi ſacerdotiis ſimul obtinendis negauerit eſſe neceſſariã. Sic enim *in cap. ſuper eo* 6. *de præbendis in* 6. *ſuper* C *eo, quod præbendas, quibus Parœciales Eccleſiæ ſunt annexæ, in quibus ſpiritualem iuriſdictionem, ſecundum Eccleſiæ veſtræ conſuetudinem approbatam & ſic animarum curam habetis, ſimul cum perſonatibus quorum aliquibus, cura imminet animarum in eadem Eccleſia obtinetis, cum hoc generali concilio non obuiet diſpenſatio neceſſaria non exiſtit.*

Quarto, primam Parœciam aut Dignitatem non amittit, qui ſecundam mala arte eſt conſecutus, proindeque infructuoſe ac inaniter.

D Quinto, nec qui expenſas in commodum ac vtilitatem primæ ſuæ Eccleſiæ de patrimonij ſui obuentionibus fecit, has enim quia illi reſtitui canonica lex imperat 12. *q.* 2. *can. quicunque* 2. tandiu beneficium quod eſt primo adeptus, retinere eum poſſe ſcribit Sanchez *dub.* 7. quandiu plene ei ſatisfactum non erit.

E

DISPVTATIO DECIMA TERTIA.

DE HORIS CANONICIS.

VT habent omnes qui in hac vniuerſitate vitam viuunt homine dignam aliquid, quod agant, & in quo occupentur, quoque vitæ ſuæ rationes ac conſilia dirigant: ita ſua eſt Sacerdotibus ac beneficiatis Clericis prouincia peculiaris, quam obeant, & in qua excolenda, ſemper & præcipuo quodam ſtudio occupati debent, hanc maiores noſtri *pietatem* dixere, ſacræ literæ θεοσέβειαν, hoc eſt religionem, Dei cultum, eiuſque tam ſibi quam populo propitiandi precibus, ac gratulationibus habendis indefeſſum ac acre ſtudium. Hanc ab iis illuſtri quadam ratione exerceri conſtat, cum quæ horarum, ac temporum interuallis, preces inſtituto Eccleſiæ ſunt diſtinctæ, publice, aut priuatim piè ac religioſe pronuntiant.

Et quidem eius communis orationis quæ fit pſallendo auctor ac parens extitiſſe in Oriente Ignatius creditur, ab eo enim beatarum mentium choros viſos eſſe Socrates libro hiſtoriarum 6. cum Niceph. *lib.13.cap* 8. commemorat, *qui ſanctam Trinitatem hymnis alternâ vice decantatis collaudabant, ab eoque formam canendi in ea viſione expreſſam, Eccleſiæ Antiochenæ traditam, vnde illa Eccleſiæ traditio in omnibus Eccleſiis recepta eſt.* In Occidente autem adhibitam, ac à Damaſo impetratam ad annum nati Seruatoris 396. refert Platina, inſuper *vt in fine pſalmorum hac verba ponerentur, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Ad oſtendendum*, inquit S. Agobardus *in libro de Trinitate, quod Filius manſit æqualis Patri, poſtquam factus eſt minor Patre.*

Sanè ſcimus, communem hunc orandi modum qui alternis in Eccleſia precibus occinendis conſtat, Auguſtini æuo, tam in Italia, quam Africa frequentari ſolitum, *Per certa*, inquit Auguſt. *epiſt.*121. ad Probum interualla horarum & temporum etiam verbis rogamus Deum, *vt illis rerum ſignis nos ipſos acrius excitemus*, quod expertum ſe eſſe, Mediolani cum degeret, ſcribit ipſe his verbis in Confeſſ. *lib.9.cap.6. Quantum fleui in hymnis &* A *canticis tuis ſuaue ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter, voces illæ influebant auribus meis & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis*, videns vt inter pias ſacrorum hominum functiones, quæ ad numinis cultum, pietatiſque in hominum animis ſenſum excitandum pertinent, ab Auguſt. cantus Eccleſiæ reponitur?

Quid? quod Templorum cantus, in animum ſeſe per aures placidè inſinuans, turbulentos eius motus ſi qui ſunt, ſumma æqua- B bilitate componat mœſtumque iucunda quadam lætitia perfundat? quod eſt Greg. Nyſſeni plenum ſapientiæ admonitum, *orat. 4. de reſur.* Chryſologi itē in *ſerm.*10. vbi *ad ſolatiũ laboris datam nobis ait naturaliter cantilenam*, itaque ſapienter hic virtute non minor, quam eloquentia Pôntifex, populum ſuum admonet vt ad longum Quadrageſimæ ieiunium, cantica diuina coniungat, vt abſtinentiæ pondus cœleſtis ſymphonia, temperet & ſubleuet quã pij cantus vtilitatẽ vimq; in primis diuinã ad eruendã è corde mœſtitiã, agnouere Dio- C nyſ. *cap.3. cœleſt. hierarch.* & Nilus profeſſione Monachus, *in tract. de orat. cap.78.* nam vt ille concentus ſacros aſſerit ψυχικὰς ἕξεις ἐναρμονίως διατίθεσθαι, *animales habitus apte & concinne componere*: ita & hic *cantus pſalmorum, ad perturbationes ſopiendas, & vt ipſa corporis temperatio ſedata ſit*, valere ſcripſit.

Equidem ſuper futuris à Manichæorum hæreſi, ciuium ſuorum caſibus, mœſta Mediolanenſ. Eccleſia cum gemeret pſalmos in principe æde ſacra, alternãtibus hinc & in- D de choris cani iuſſit Ambroſius, vt plebi turbatæ in tam acri aduerſus Eccleſiam tẽpeſtate ſuborta animos faceret, ſic enim Auguſt. *confeſſ.li.9.ca.7.* Annus erat aut non multo amplius, cum Iuſtina Valentiniani *mater, hominẽ tum Ambroſium perſequeretur, hæreſis ſuæ cauſa, qua fuerat ſeducta ab Arrianis. Nos frigidi adhuc à calore ſpiritus tui, excitabamur tamen ciuitate attonita atque turbata. Tunc hymni & pſalmi vt canerentur ſecundum morẽ Orientalium partium, ne populus mœroris tadio contabeſceret, inſtitutum eſt, & ex illo die in hodiernum retentum, multis iam ac penè omnibus gregibus tuis,* E *& per cætera orbis imitantibus.* Eſt ergo inter Eccleſiaſticæ modulationis commoda multa & ingentia, & hæc numeranda vtilitas, quod mœrentem animum recreat, nouaque & mirifica quadam ſuauitudine compleat, vt pudere eos oporteat, qui tam antiquam ſanctamque, placandi numinis, pacandæque mentis in Eccleſia conſuetudinem, aut arguunt, aut cum mœſti ſunt tenere nolunt, in quo quam parum aut nihil videant, norunt qui de cantu, ac ſymphonia ad iuſtam laudem, & numinis cultum adhibenda ſciunt

habere

habere nos à Chriſto & Apoſtolis documenta & A *exempla & præcepta*, Auguſt. *ep.* 119. ab Apoſtolis quidem vt Paulo ad Epheſ. 5. his verbis: *Loquentes vobiſmetipſis in hymnis & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino.* Sunt his per quam ſimilia, quæ habentur ad Coloſſenſ. 3. quæ breuitatis cauſa prætereo. Eſt ea de re Dionyſij viri docti iuxta ac pij nobile teſtimoniũ *Eccleſ. Hierar. ca.* 3. Cypr. *in tract. de oratione Dominica. Demum*, inquit, *ad ſanctum altare rediens pſalmorum incipit melos, continentibus ſecum ſacra carmina omnibus Eccleſiaſtici ordinis gradibus.* quod tam ſanctum ac laudabile canen- B di inſtitutum, vſque ad vltimas terrarum oras propagatum, è cœlo lapſum, ab Apoſtolis receptum ac Pontificum decretis firmatum, nulla non exinde Eccleſia in ſacrorum vſu, publicoque Dei cultu ſeruauit. Philo Hebræus qui naſcentis Eccleſiæ florem, oculis ac naribus magna ſua voluptate hauſit, docet illam ἀσμάτια καὶ ὕμνους, cantica & hymnos modulari conſueuiſſe.

Idem factum à Chriſtianis in cœtibus ſuis C antelucanis; Plinius ad Traianum Imperat. ſcribit. quanquam non in Iudæa, aut aliqua dũtaxat orbis prouincia, Chriſtiani huius cãtus mos ac vſus effloruit, ſed vbique, ſi Leoni orbis Pontifici eſt fides. Enimuero *in ſerm.* 4. *de collect. Pſalmos Dauidicos*, ait, *per vniuerſalem Eccleſiam cum omni pietate cantari*, hymnorum Cyrillus meminit in *comment. ad Michaam.* In Eccleſia,) inquit, ἀεὶ ὕμνοι καὶ χαριστήρια καὶ τῆς τοῦ θεοῦ δόξης ἔπαινοι, perpetuo *hymni & gratiarum actiones & Dei laudes vi-* D *gent*, non priuatæ modo ſed & publicæ, quod de Orientali Eccleſia ſcripſit hic auctor de Occidentali dixere alij. S. Hieronym. qui ſeueriore ſæculo vixit, pueros & cantores qui medicamine vterẽtur ad leniendam vocem, & conciliandam ſuauitatem cum arguit in *cap. 5. ad Epheſios*, in templis cantum ad Dei laudem, cultumque adhibitum indicat, ſic enim ſcribit, ſtudeant hi quibus pſallendi in Eccleſia officium eſt, Deo non voce, ſed corde cantandum, *nec in tragœdorum modum guttur & fauces dulci medicamine colliniendas, vt in Eccleſia, theatrales moduli audiantur & cantica, &c.* cui accedit eloquentiſſimi Chryſoſt. digna quoque pro Pontifice animaduerſio, in E cantu quærendam eſſe πραεῖαν καὶ συνεσταλμένην φωνὴν, *placidam, contractam moderatamque vocem*, Chryſoſt. de *verb: Iſaiæ hom.* 1. quod vt ait Baſil. *homil. de humilit.* oporteat τὴν ᾠδὴν cantum non minus quam ſuppellectilem ad mediocritatem accommodatam eſſe: ſunt ergo inſuaues illi cantorum boatus, inconcinnique modi remouendi à templis, vt feciſſe Athanaſius dicitur, non in tuenda religione Antiſtes fortior, quam fuit pietate in ſuorum animis promouenda, quam dudum vixit acer ac

vehemens, ſic enim Auguſt. in *Confeſſ. lib.* 10. *cap.* 33. his verbis: *Tutius mihi videtur quod de Alexandrino Epiſcopo Athanaſio ſæpe mihi dictum commemini, qui tam modice flexu vocis faciebat ſonare lectorem pſalmi, vt pronuncianti vicinior eſſet quàm canenti, veruntamen cum reminiſcor lachrymas meas, quas fudi ad cantus Eccleſiæ tuæ, & nunc ipſo commoueor non cantu, ſed rebus quæ cantantur, cum liquida voce, & conuenientiſſima modulatione cantantur.*

Fit id vero, horis per interualla diſtinctis, die quolibet ſepties, Prima, Tertia, Sexta Nona, Veſpere, nocte & mane. Et quidem Tertiæ & Sextæ Gregor. Turon. Epiſcopus meminit *in epiſt.* 15. quas & ab Iniurioſo in eius vrbis Eccleſiam inuectas tradit, Nonæ autem Conc. Aquiſg. ſub annum 816. Ludouico pio regnante, *can.* 126. Veſperarum & Completorij idem Concil *can.* 128. Matutini Caſſianus *de inſtitut. cœnobit. lib. 3. cap.* 4. Omnium Cyprian. *in tract. de orat. Domin. nu.* 94. Cauſæ ita vicibus alternis orandi in Eccleſia plurimæ, & quidem Tertia, Sexta & Nona oramus, *Vt Trinitas ter in die rogata colatur, illud etiam occurrit ad probationem Venerabilis Trinitatis, quod Spiritus ſanctus, hora tertia hoc eſt ſuo loco & tempore deſcenderit ad terras, impleturus gratiam, quam Chriſtus promiſit, nam & ſexta hora Chriſtus paſſus in Nonam patibuli cruciamenta porrexit Concil. Aquiſgr. ſub Ludou. Pio can.* 128. quæ à Cypr. loco ante citato etſi verbis diſparibus, ſimili tamen ſunt ſenſu dicta. *Prima enim*, inquit, *hora in tertiam veniens conſummatum Trinitatis numerum oſtendit, itemque ad ſextam quarta procedens, declarat alteram Trinitatem, & quando à ſeptima nona completur per ternas horas Trinitas perfecta numeratur. Et ſuper diſcipulos hora tertia deſcendit Spiritus ſanctus, qui gratiam Dominicæ Reſurrectionis impleuit. Et Dominus hora ſexta crucifixus, ad nonam peccata noſtra ſanguine ſuo abluit, & vt redimere, & viuificare nos poſſet, tunc victoriam ſuam paſſione perfecit.* Hæc Cypr.

Sunt præter has horas antiquitus, modoque obſeruari ſolitas, & aliæ. Nam & diluculo oratur, *vt reſurrectio Chriſti matutina oratione celebretur*, Cypr. ſupra, *nam luce radiante Dominus & Saluator noſter reſurrexit, quando cœpit oriri fidelibus lux, quæ moriente Chriſto occiderat peccatoribus.*, Concil. Aquiſgr. *can.* 130.

Recedente item die ac ſole ceſſante oramus, quod veſpere *ſacrificia olim offerri adolerique in altari aromata & thura mos erat*, Concil. Aquiſg. *can.* 127 hæc eſt cauſa inter alias non vltima, quod in honore ac memoria tantarum rerum ac Sacramentorum, *adeſſe nos deceat Dei conſpectibus, & perſonare in eius cultibus, orationum noſtrarum ſacrificia ibi offerentes, & in eius laudibus exultantes.*

Tradunt alij, hanc in orando diuerſitatem temporum ſeruari in Eccleſia, vt quæ, quaque tam diei quam noctis hora, Seruator Chriſtus cauſa eſt noſtra paſſus, in memoriam precibus inſiſtendo reuocemus: & ita erunt.

Horæ canonicæ ſtatæ preces, nocturnis ac diurnis horis, ex canonum præſcripto, ab Eccleſiaſticis, Eccleſiæ nomine fundendæ Deo, in memoriam Chriſti tam variis diei quam noctis temporibus hominum cauſa paſſi, quæ his verſibus exprimi placuit.

Matutina ligat Chriſtum, qui crimina purgat,
Prima replet ſputis, dat cauſam Tertia mortis,
Sexta cruci nectit, latus eius Nona bipertit
Veſpera deponit, tumulo completa reponit.

QVÆSTIO PRIMA.

Ad quos recitandi diuini Officij in Dei Eccleſia lex ſpectet?

Dico primò, *Perſoluendi diuini Officij lege teneri ſacrorum Ordinum Clericos.*

De Presbytero eſt res Conciliorum decretis certiſſima, Agath. vt eſt in *cap. 1. de celebr. miſſar.* Nannet. apud Gratian. *diſtinct. 91. can. Presbyter 2.* his verbis: *Presbyter mane matutinali officio expleto, penſum ſeruitutis ſuæ, canendo primam, tertiam, ſextam, nonamque perſoluat,* & ne veſperas, ac Completorium præteriiſſe videretur, additur *Septenarius ſacratus numerus*) precum ſcilicet quas exemplo Dauidis, ſepties dici à ſingulis quotdiebus expedit (*Sacratus*, inquam, *hic numerus à nobis ſic implebitur, ſi matutinæ, primæ, tertiæ, ſextæ, nonæ, veſperæ, completorijque tempore, noſtræ ſeruitutis officia perſoluamus.*

Diaconi eadem eſt ad has preces quæ Presbyteri obligatio, rem prope certam facit Martini Papæ ſanctio, relata à Grat. *diſtinct. 92. can. vlt.* his verbis: *Si quis Presbyter, aut Diaconus, intra ciuitatem fuerit, aut in quolibet loco in quo eſt Eccleſia, & ad quotidianum pſallendi officium, matutinis vel veſpertinis horis, ad Eccleſiam non conuenerit, deponatur à Clero.*

De vniuerſis, id eſt Presbyteris, Diacono, & Subdiaconis, eſt generalis Concilii apud Lateranum conſtitutio *in cap. dolentes 9. de celebrat. Miſſar.* vbi Innocent. III. Prælatis & Clericis enixe commendat, ac præcipit, *in virtute obedientiæ, vt diuinum officium, nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis dederit Deus, ſtudioſe celebrent pariter & deuotè*, quæ quoniam de horis extra chorum dicendis non ſunt apertè clara, placet mihi eorum opinio, qui hanc obligationem orandi canonice

A in vtroque, non ab Ordinis charactere, aut præceptione formali Eccleſiæ, ſed ab eius generali conſuetudine profectam aiunt: Ita Suar. *lib. 4. de relig. cap. 16.* Nauar. *de Horis cap. 7. num. 2.* Reginald. *lib. 18. ca. 11. nu. 136.* quæ cum ſit rationabilis, & legitimè præſcripta, vim legis habet, iuxta *cap. finale de conſuetudine.*

Cauſa autem cur eam induci placuerit, eſt, quod per ordines ſacros, ſtatum in Eccleſia Diaconi, Subdiaconique conſequantur, ac habeant diuino mancipatum cultui, qui cum B magna ex parte recitatione officij exhibeatur numini, mirum eſſe nulli debet, ſi quod oſtendimus dici debeat; conſuetudinem orandi canonice eſſe in Diacono & Subdiacono rationabilem, eſt etiam legitima, quia à legibus naturæ Eccleſiæque non eſt abiuncta, cum horis intereſſe omnibus Canonici inter quos erant haud dubie Diaconi & Subdiaconi aliqui, iubeantur in Concil. Aquiſgran. de anno 816. *can. 12.*

Dico ſecundò, *Ad horas quoque Canonicas obligatos eſſe beneficiarios, etſi ſacro nullo ſint ordine inſigniti.*

C Id defendunt D. Thom. *in quodl. 6.* Nauar. in *manuali cap. 25.* Laym. *de benef. tract. 2. cap. 5.* Fernandez *parte 3. cap. 12. parag. 1.*

Eſt eorum ſenſus à Conciliorum decretis, SS. Patrum ſententiis, reſpõſis Theologorum non abhorrens, ordiamur à Conciliis. Lateranenſe ſub Leone X. *ſeſſ. 9.* his verbis edicit. *Statuimus & ordinamus, quod quilibet habens beneficium cum cura, vel ſine cura, ſi poſt ſex menſes ab obtento beneficio diuinum officium non dixerit, legitimo impedimento ceſſante, beneficiorum ſuorum fructus non faciat ſuos, pro rata omiſſionis officij & temporis, ſed eos tan-* D *quam iniuſte perceptos, in fabricam Eccleſiarum huiuſmodi beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur.* Quam Concilij conſtitutionem renouare poſtea, Pio V. placuit ſpeciali diplomate, cui initium eſt, *ex proximo Later. Concilio*, ac in eo, hanc erga Deum Diuoſque cœlites pietatem, quæ precibus ex more Eccleſiæ recitandis illis exhibetur, beneficiatis præcipere, vt erat pridem tam in Later. Concilio factum, quam Romano, quod E eſt habitum Martino Pontificatum gerente, vt eſt in *can. ſi quis diſt. 92.* quod ex eo eſt depromptum, iubentur Presbyter, Diaconus, & quilibet alius addictus Eccleſiæ, quotidie conuenire in Eccleſiam, *ad quotidianum pſallendi officium matutinis & veſpertinis horis*, cum ergo Eccleſiaſtica beneficia qui obtinent, ſint ad Eccleſiæ functiones muneraque obeunda, Eccleſiæ voluntate deſignati: in eorum ſunt includendi claſſem qui horarum neceſſaria lege aſtringuntur.

Veniamus ad eam probationum ſpeciem, quæ eſt ex argumentis, vnico contentus ero.

Eſt

Eſt beneficium propter officium *can.9.* Lateranenſe Concil. ſub Leone X. & *cap finali de reſcriptis in 6. & cap. quod à te 3.* de Clericis coniugatis, dicuntur beneficiarij ſpoliandi ſuo beneficio, ſi in minoribus conſtituti, vxorem duxerint, eo quod amore, nexibuſque irretiti fœminæ, *diuinis & Eccleſiaſticis obſequijs & officijs vacare nequeant.* At officij Clericalis pars præcipua, eſt in recitatione horarum canonicarum poſita, non ſunt ergo ab ea eximendi beneficiarij.

Dico tertio *Eſt hæc quoque neceſſitas orandi iure Eccleſiaſtico, Religioſis choro deputatis, tam viris quam fœminis modo profeſſis, cum maiorum Ordinum Clericis communis* Ita Nauarr. *cap. Enchirid. 25. nu. 97.* Vaſq *de benefic. cap. 4. dub. 6.* communiſque DD. opinio, quamquam eius obligationis certam aliquam cauſam, ex eorum petitam ſtatu, aut canonum legibus, non afferant. Vnde habet hæc ergo originem vnde principium? ecquid à cultu, quem Deo ratione profeſſionis ſuæ exhibere Regulares conuenit? At hic coli poteſt aliter, quam pangendis precibus ſtatis diei horis. A lege canonica aliqua? at eiuſmodi nulla corpori iuris reperitur inſerta, & ſi quæ eſt talis, ad Clericos maiorum Ordinum Presbyteros, & beneficiarios pertinet, non alios. A populi Chriſtiani voluntate, aut Fundatorum, qui eos ideo eleemoſynis impertiere ac reditibus non paucis? at de ea non conſtat, cum eos certò ac determinate dari non ſit perſpicuum, vt horis publicè legẽdis in choro, aut priuatim inter priuatos parietes Religioſi dent operam, ſed vt in ſtatu propriæ perfectionis inſtituti, dignam Deo, ſeque vitam tranſigant: quare ſi quid illis à populo datur, datur per modum eleemoſynæ, aut abſolutæ donationis, niſi de oppoſito argumenta ſuppetant, eaque non obſcura.

Nec ſimiliter à ratione religioſi ſtatus, cenſenda eſt hæc obligatio manare, quia hic ad actiones duntaxat obligat, quas Prælatus præceperit, & ad continentiam, paupertatem, & obedientiam, quæ ſit regulæ conformis, ab eaque non ſeiuncta: at fit ſæpe vt de horarum recitatione ea nihil contineat, vt in ijs religionibus vſu venit, quæ inſtitutioni rudium, miniſterijs pauperum, ac propugnandæ Eccleſiæ contra infideles nauant operam, cuiuſmodi ſunt Melitenſes, S. Lazari ac Rhodienſes, Equeſtres omnes, has enim conſtat ad horas non teneri canonicas niſi profeſſioni accedat Sacerdotium.

Quid? quod ad religioſæ profeſſionis eſſentiam non ſit neceſſe, laudes diuinas in choro pangere, aut priuatim eo modo qui eſt præſtitutus beneficiariis, cum Regulares facere id poſſint aliter, Deumque pro populo orare, vt notauit Leſſ. *lib. 2. cap. 37. dub. 9. nu. 49.*

Cum his ſentio qui hunc penſi horarum exoluendi nexum in Religioſis, à conſuetudine vniuerſali repetunt, quam & ipſi cum obligatione ad mortale, Prælatis non diſſentientibus, acceptarunt, etſi forte in eorum regulis nulla horarum ſit mentio, multo magis ſi hæ illas ſub peccato legi imperent.

Pro hac ſententia faciunt hi omnes Suar. *lib. 4. cap. 17. nu. 9.* Caiet. *in ſumma verbo hora canonica cap. 1.* Leſſ. *cap. 37. nu. 51.* Reginald. *to. 2. lib. 18. cap. 11. nu. 140 ſect. 2.* Armilla *ver. hora cap. 1.* vbi ſic ſcribit. *Religioſi profeſſi non exiſtentes in ſacris, ſecundum Caietan, non tenẽtur de iure dicere officium, neque ex profeſſione, ſed ex conſuetudine, de qua dicit Caiet. ſe nihil ſcire, & hæc opinio melior videtur,*

Huic tamen obligationi vt ſubeſſe Regulares cenſeri poſſint, tria ſunt neceſſaria. Primum, vt ſint profeſſi. Secundum, vt ſint choro deputati. Tertium, vt eas commode decurrere valeant, ac ſine labore.

A primo capite excuſantur Nouitij, nam non ſunt Religioſi, ſed vitæ ea voce ſignificatæ candidati, futurique anno Nouitiatus exacto tales, ſi ſe dum probantur, ſeque ipſi viteſque ſuas probant, Prælatis morigeros exhibeant, & ex præſcripto regulæ vitam agant.

A ſecundo excuſantur Laïci, quos communiter *Conuerſos* nominant aut *Oblatos*, quia aliis impediti curis, diſtractique domeſticis negotiis, quorum procurationi vacant, ex inſtituto Religionis laudabili, horarum Canonicarum onere ſunt ſoluti. Etſi non eos, à culpa omni immunes putauerim, ſi quæ preces ſui ſunt ſimilibus imperatæ, negligant. Sic docet Ioſeph. Anglez *in floribus*, Fratres Conuerſos ſui Ordinis, id eſt Franciſcanos peccare mortaliter, ſi numerum Pater & Aue, qui eis per regulam in ſingulas horas præſcribitur, dicere cum eis per tempus & valetudinem licet, omittant.

Extremâ particulâ, quæ eſt de *deputatis ad chorum*, ſunt à penſo horarum quotidiano exempti, qui profitentur militiam, nam etſi ſua eos profeſſio è ſæcularium extractos albo, ſacris ac religioſis hominibus addat, quia tamen armis Eccleſiam tuentur, Deum hoſtili ſanguine non cantu propitiant, ideò lex quæ Regulares cæteros horis aſtringit, ad eos non pertinet.

QVÆSTIO II.

An tam Clerici maiorum Ordinum, quam beneficiarij, & profeſſi, choro deputati, obligentur ad horas ſub mortali.

ASsertio prima, *Clerici maiorum Ordinum, niſi quid eos, ab hoc pietatis officio erga Deum diſtrahat, quod iuſti impedimenti locum habeat, lege horarum Canonica tenentur ſub mortali.*

Ita Doctores, quibus hanc mentem iniecere argumenta quæ ſequuntur. Primum, eſt pœnæ grauitas, culpæ in præcepti violatione commiſſæ nota certiſſima, cum peccata leuia, caſtigari pœna acri, grauique non deceat, alioqui inter effectum ac cauſam, ſimilitudo vlla non intercederet, nec proinde ſeruaretur æquitas, quæ ſupplicia æquari flagitiis poſtulat: at magna in eos pœnarum acerbitate ſæuire canones conſtat, qui officium in orando canonicè non faciunt, nam *diſtinct. 92. can. fin.* iubentur deponi & *Clement. prima eod. titulo,* admonētur Epiſcopi ſi *Dei, & Apoſtolicæ ſedis indignationem euitare voluerint,* vt curent ſub cenſura Eccleſiaſtica debite *celebrari diuinum & nocturnum officium*: ergo cum depoſitio, pœna ſit eiuſmodi, qua eſſe grauior nulla queat, nec ad aliquid cogi quis poſſit ſub interminatione cenſuræ, quod non niſi ſub veniali teneatur facere, erit horarum omiſſio in culparum mortalium collocanda numero.

Id ſenſiſſe videntur Epiſcopi in Concil. Aquiſgra. Id Campegius Cardinalis in *ſtatuto 27. conſtitutionis ad reformationem Germaniæ,* nam vt iſte per legitimas monitiones, & primam correctionem, beneficio ſuo beneficiarium vult priuari, ſi in fungendo ſuo munere, dicendiſque horis pergat eſſe negligens, ita illi eum volunt publice corripi ab Epiſcopo, & ſi culpam monitus non emendauerit, in oculis omnium ſtare extra chorum ad infamiam, loco pœnitentibus, reiſque conſtituto, ne immixti cæteris, quaſi in mala contage, eos perdant, ſic illi, in *can. 35. Si quis in congregatione canonica conſtitutus, horas canonicas frequentare neglexerit, & opus Dei negligenter executus fuerit, hic primo ſecundum Dei præceptum admoneatur, & ſi his admonitionibus non ceſſerit, publica obiurgatione corripiatur, quod ſi his renitens fuerit, à ſocietate fratrum in choro pſallentium remoueatur, & in loco negligentibus à Prælatis cōſtituto, ſtare cogatur, Dein ſi his modis incorrigibilis extiterit, publica obiurgatione, & ieiuniorum continua afflictione, & ſequeſtrationis rubore corripiatur.* Cum enim ieiuniis, & priuatione fidelium in ſacrorum vſu, caſtigari non debeat, niſi qui conſcientiam peccati

A mortiferi labe inquinatam habet, cenſuere Patres innocentem non eſſe, quem ieiuniis culpam expiare ſuam, ac remotione à fidelibus, eorumque congreſſu voluere.

Secundum, Quæ in virtute obedientiæ fieri ſuperior præcipit, hæc omittere ſine cauſa, mortalis eſt culpa, ſed in *cap. dolentes 9. de celebrat. miſſarum diſtrictè,* Innocent. III. Clericis maiorum ordinum, *præcipit in virtute obedientiæ, vt diurnum officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis dederit Deus, ſtudioſè celebrent pariter & deuotè,* ergo cum obligatione incurrendæ mortalis culpæ ſi non B paruerit.

Eſt Maior huius ſyllogiſmi propoſitio certa, cum ſuperioribus ac Prælatis obſequi, tùm maximè ſit neceſſe, cum quid pro auctoritate, quâ pollent, quantaque valent, imperant.

Faciunt id verò quando *diſtrictè & in virtute obedientiæ,* ſua mandata executioni dari volunt, vt in præſenti negotio, eſtque res iuſſa, peccati mortalis idonea materia, cuiuſmodi eam eſſe de qua agitur, vel hinc patet, quod ſit præceptum de actu religionis, virtutis vtique inter morales non vltimæ, quæ ad Dei C cultum pertinet, & ad Eccleſiæ dignitatem ac bonum non mediocriter confert, non ſecus ac Miſſam diebus Dominicis & Feſtis, audire & dicere.

Aſſertio ſecunda, *Peccant item Regulares choro deputati, cum horam vnam officij diuini, aut plures, vel earum partem notabilem omittunt ſine cauſa,* probatur.

Legi iuſtæ in re graui non obſequi eſt mortale, ſed fuit hæc ab omni æuo conſuetudo in Eccleſia, vt Religioſi choro addicti, horas dicerent. & hæc cum eſt præſcripta, & rationa- D bilis, habetur pro lege, *ex cap. finali de conſuetud.* ab ea ergo eximere ſe, non magis quam à lege, honeſtè ac licitè religioſi nequeunt: ergo nec à culpa, ſi ab ea recedunt abſque cauſa.

A nobis diſſentiunt viri eruditione ſua conſpicui non pauci. Sane narrat Medina *Cod. de orat. q. 7.* Religioſos in ſacris non conſtitutos lege horarum non teneri, niſi ordinis regula, vel conſuetudo in eo recepta ita ſtatuat, & ita fratres prædicatores in ſacris non exiſtentes non peccare, ſi officium priuatim aut publice non recitent, aſſerit Alphonſus *lib. 1. de lege* E *pœnali cap. 5.* quem ſequitur P. Aragon. 2. 2. *q. 83. art. 12. dub. 4 concluſ. 3.* quia cum lege canonum ac Eccleſiæ propria ad horarum penſum nō obligētur, ſed regula aut cōſuetudine inueterata ordinis, nec ſit veriſimile primos voluiſſe eius fūdatores ac auctores, & qui poſt modū eis conſecutis tēporibus ſucceſſere viri graues illi vim obligandi ad mortale ineſſe, non eſt probabile culpam eum mortalem contrahere, qui citra contemptum horas aliquoties non recitat, maximè ſi alios ordines non

non habet quam minores, & regula ad mortale non aſtringat vt non aſtringere eſt certum.

Quam ego ſententiam qua parte de veniali tantum culpa loquitur, cum officium à prædictis fratribus omittitur, ſequendam non puto, quod communis proborum ſit ſenſus, religioſos omnes qui chorum habent, in quo, inſtituto laudabili regulæ, Deo laudes occinant, ad horas canonicas ſub mortali aſtrictos eſſe, vi eius conſuetudinis quæ vbique viget, eſtque in omnibus religionibus choro addictis, cum hoc vinculo nexuque, ſcientibus & conſentientibus eatundem Prælatis acceptata, quæ cauſa Reginaldo extitit aſſerendi *lib.* 18. *num.* 14. in hac officij dicendi lege, eos non magis, quam in qualibet alia Eccleſiaſtica diſpenſare poſſe, nec tunc niſi ex graui aliqua cauſa, qualem ſtudiorum eſſe non putat, cum literis & pietati dare ſimul operam quiſque poſſit.

Docet hanc ſententiam cum Palud. in *4. diſt.* 15. *q.* 5. *art.* 1. S. Anton. *par.* 3. *tit.* 13. *cap.* 4. Nauar. in *manuali ca.* 25. *nu.* 9. Toletus *lib.* 2. *cap.* 12. Valent. *to.* 3. *diſp.* 6. *q.* 11 *pu.* 10. *parag.* 2. Layman. *de benef. tract.* 1. *cap.* 4. *nu.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 9.

QVÆSTIO III.

Num ad omnes, qui vota ſunt tria in religione approbata profeſſi, obligatio hæc ſpectet, etſi cum Superioris facultate domi non degant, aut è cœnobio culpa ſua expulſi vagentur & errent.

DIco primò, *Non ideo recitandi officij onere ſolutos regulares eſſe, quod negotiorum, aut recuperandæ valetudinis cauſa cum propinquis verſentur in ſæculo.*

Ratio eſt, quod loci mutatione ad tempus, aut in perpetuum, regularium, ad præſtandum officium non perimatur obligatio ac vinculum. Eſt enim hæc obligatio perſonalis, hoc eſt perſonæ adhærens ac coniuncta, ergo eam concomitans, quocunque illam fortuna aut negotia vocent.

Confirm. Quod ſepties inſtitutione Eccleſiæ orare de die Monachus debeat, à ſtatu habet Religioſo quem eſt amplexus, at hunc, vbicunque terrarum degat, retinet ac ſeruat, eſt enim per vota quibus ſe totum Deo dedidit vbique à ſæcularibus, vita diſtinctus ac moribus, regulæ ergo cæteriſque Religionis obligationibus, quãdiu in viuis erit eſſe debet obnoxius, niſi ex cauſa cum eo ſuperior diſpẽſet, quod eum facere poſſe docet cũ Azorio *l.* 1. 10. *cap.* 6. *q.* 8 Laym *de horis canonicis tract.* 1. *cap.* 4. *num.* 2. Et quidem ſi illi in perpetuum indulgeat, vt extra Monaſterium vitam agat, aiunt A ambo, hoc ipſo illum à diuini officij lege exemptum eſſe, quia à choro (inquiunt) per eam commorationem in ſæculo perpetuam, fit liber: ergo & ab obligatione, quæ ex illo naſcitur.

Verum enim, cum is Religioſus eſſe non deſinat, cui abeſſe à Cœnobio, quandiu vita ſuperſtes erit, per Superiorem licet, ſitque religioſus, qui ſe vitæ ex Monachorum forma inſtituendæ per profeſſionem aſtrictum voluit, iſtique ex præſcripto regulæ incumbat orare, non poterit ab eo onere per Superiorem ſolui in perpetuum, niſi ad id iuſta ſit aliqua B ac neceſſaria inductus cauſa, nam cum hæc orandi neceſſitas, vt dicebam antea, ſtatus ſit propria, quocunque eum ſuperiorum imperia, aut voluntas, propriaque negotia deferent, vt hæc perſonam afficit, ita eam vbique ſtringet.

Caſus excipiendi ſunt ſequentes, primus eſt, obtentæ facultatis, nempe cum Religioſus, qui nullo eſt ſacro inſignitus ordine, à ſuperiore dari ſibi licentiam ſtudiorum cauſa poſtulat, non dicendi breuiarij, quam etſi ab eo concedi poſſe neget Reginal. *lib.* 18 *cap.* 18 *n.* 141. quod cauſam ad id ſufficientem ſtudia non ſuppeditent. In hoc tamen ei non ſunt aſ- C ſenſi Suar. *lib.* 4. *cap.* 28. Leſſius *lib.* 2. *de iuſtit. cap.* 37. *dub.* 9. *nu.* 51. nam in hoc ſtatuto, peræque ac cæteris ordinis, quæ præcepti vim habent, diſpenſare Prælatum poſſe cum cauſa, vterque ait, meminique videre me olim è familia SS. Auguſtini & Norberti regulares canonicos, quibus in Academia ſtudiorum cauſa verſantibus, de ſuperiorum ſuorum voluntate ſat erat, horas de Beata canonicarum loco priuatim legere, ab his ergo ſi erunt exẽpti, in eam quoque mentem venire debebunt, vt credant, neceſſaria ad id auctoritate Præ- D latos præditos eſſe.

Hieronymitis, & Clericis S. Sylueſtri de vrbe conceſſum eſſe à Clem. VII. ſcimus, vt qui habendis concionibus, docendæ Theologiæ, & Canonibus operam darent, legi de horis recitandis ſatisfacerent, dicendo 7 pſalmos quos Prior notaſſet, cum totidem Pater & Aue, & bis Apoſtolicum Symbolum, *Compend. D. Hieronymi verbo horæ canonicæ parag.* 7. quod eſt argumento, à literarum ſtudio, diſcendique deſiderio, promouendæ di- E uinæ gloriæ cauſa, poſſe ſuperiori, cum inferiore ſuo, profeſſo quidem, ſed non allecto adhuc inter altaris miniſtros per ſacrum vllum ordinem, iuſtam diſpenſandi, in recitatione diuini officij ſubeſſe cauſam.

Caſus alter, in quo profeſſo non Presbytero, Diacono aut Subdiacono, culpæ non tribuitur, horis canonicis non vacare cum domo abeſt, à conſuetudine in ordine recepta petitur, vt eiuſmodi, ſacris non initiati ordinibus homines, domo egreſſi ad negotia, ab

horarum ſint recitatione liberi. Mea non eſt, ſed Leſſij opinio loco paulo ante cit. his concepta verbis. *Imo ſi in aliquo ordine vel Monaſterio eſt conſuetudo, vt profeſſi nondum initiati, in ſtudijs verſantes, vel alijs negotijs occupati, propter quæ choro intereſſe nequeunt, non recitent officium, non eſt opus diſpenſatione.*

Quia Deo laudes beneficiariorum more pangere, illi non incumbit niſi ex conſuetudine ſui inſtituti propria, Sa *verbo hora*, Toletus *de horis cap. 12.* Leſſ. & alij: ergo ſi inualuit, vt hi illas non pronuncient cum domo abſunt, aut domi quidpiam agunt, quod eos cum cæteris choro intereſſe non ſinit, ab omni earum obligatione futuri ſunt liberi.

Pars quæſtionis fuit altera de fugitiuo, aut per ſententiā de Religione ad ſæculū remiſſo cum ignominia. De his ergo inquiritur ecquid horis recitandis vacare debeant vt cæteri?

Veraque omnium eſt ſententia debere, quia vt ſua eis prodeſſe culpa non poteſt, ita ex ea reportare illos commodum aliquod nec conuenit, nec decet nam cum eiecto (inquit) Portelius *in dub. verbo horæ canon. nu. 1.* tranſit onus, cui per eum fieri ſatis poteſt in ſæculo, quo de numero cum ſit caſtitas & oratio canonica vt illam ſeruare debet, ſic & iſtā non omittere Sanch. 8. *de matrim. diſp.* 8. *nu.* 11. Leſſ. loco cit. *nu. 50.* Layman. & Portelius citati, quæ ratio locum cum habeat in degradato, aut damnato ad triremes, ambos ad horas obligari ſcribunt qui ſupra citati Portelius & Laym. licet contrarium ſenſerint Sotus *lib. 10. q. 1. art. 3.* & Leſſius quorum ſententiam probabilem eſſe, tutamque in conſcientia, ſi qui è religioſa familia eſt eiectus, in maioribus non ſit conſtitutus ordinibus ſcripſit Laym. *tract. de horis cap. 4. num. 3.*

QVÆSTIO IV.

An qui è Clericorum claſſe in Laicorum ordinem transfertur, aut diſpenſatione Pontificis è Religioſo ſit ſæcularis, horis obligetur vt ante.

DIco primò, *Monachum qui Clericus eſt, & in profeſſione ſua inter Clericos eſt accenſus, ab horarum eſſe recitatione liberum, ſi ſuperioris eſt auctoritate in Conuerſorum numerum tranſlatus.*

Ratio eſt, quod talis cum gradu, quem in Religione obtinebat, ſtatū mutauit: ergo & eius onera: ergo & obligationem ſeu nexum, decurrendi officij Clericali more. Idem de eo dici debet, qui diſpenſatione Pontificis reuerſus ad ſæculum vxorem ducit, nam ſimul ac habitum religioſum Pontificis voluntate exuit, eum ſtatum priori mutato eligit, cui non eſt vlla penſi horarii, precumque con- A iuncta ex præcepto neceſſitas.

Equidem non decet, eum cui Ordinis priuilegia cum egreſſu intereunt, eiuſdem teneri legibus, cum qui rei cuiuſpiam commodo non fruitur, onera eius propria ſentire non ſit æquum, ſed profeſſionis cœnobiticæ in ea domo, vbi chori cantuſque habetur ratio, onus eſt pſallere, diurnum ac nocturnum officium priuatim aut in choro legere: ergo, &c.

B

QVÆSTIO V.

An cum Religioſis ſibi ſubditis, diſpenſare ſuperior poſſit ne canonice orent.

IN negantem abiiſſe Theologos non paucos, nec obſcuros video, Tannero quidem *in 2. 2. diſp. 5. dub. 5. num. 175.* non placuit id ſuperioribus tribuere, viſum idem Regin. *lib. 18. cap. 12. n. 141.* Filliuc. *to. 2. tract. 23. cap. 9. n. 304.*

Fuere his mitiores Leſſius *lib. 2. cap. 37. dub. 9. nu. 51.* Gauantus *in comment. rubr. Miſſal. to. 2. ſect. 1. cap. 5. tit. 1. nu. 6.* Villal. *to. 2. tract. 24. dub. 9. 12.* Portelius *in dubijs regular. verbo hora* C *canonica nu. 11.* vbi ſic ſcribit, *Prælati regulares poſſunt diſpenſare ne recitet horas canonicas religioſus, qui eſt infirmus, vel abſque graui tædio, ſeu difficultate non poteſt, ſiue ſit febris ſiue alius dolor compend. Minor. verbo diuinum officium parag.* 10. Hæc ille.

Aſſertionis cauſa reddi hæc poteſt, quod Superiores eà poteſtate præditos eſſe oporteat, quæ eſt ad ſubditæ ſibi gentis regimen neceſſaria, at præſens eſt talis, fac enim illos ea deſtitutos eſſe, quo modo timidis ac omnia metuentibus conſulent? aut eos pa- D cabunt qui corpore ægri, facere officium cum ob inualetudinem nequeant, volunt tamen, ne peccent? quo eos metu diſpenſatio eximit quietoſq; reddit, eius ergo rei cōcedendæ poteſtate, iureq; ſe Prælatos eſſe præditos oportuit, quam facultatem ſi habent, vt habere, ex tacita Eccleſiæ conſenſione eſt certum, quid eos vetat hac vti?

Sunt autem in Prælatorum claſſem includendi Domorum Vicarij Guardiano abſeute, *Compend. Mino. ver. infirmi fratres parag.* 11. E *& 12. & verbo Officium parag.* 10. quia cum fratribus præſint, ſintque verè cum Guardianus abeſt illorum ſuperiores, ac quaſi Prælati, cur quod Prælatis fas eſt facere, id illis moliri ſit ſcelus?

Et quanquam ſit conſilij, prudentiæque in ſuperiore, adhibere ad conſilium Medicum, vt de eo intelligat, ecquid in oratione verſari ægrum expediat, aut eundem inualetudo ſine magno eiuſdem incommodo orare ſinat, id tamen tanquam neceſſarium ad culpæ fugā, Papa non poſtulat in citato priuilegio *verbo Infirmi fratres parag.* 12. Imo nec Prælati re-

quir

quiri licentiam, ſed ſufficere ſi ægro Medicus ſignificet, morbum eſſe ſuum eiuſmodi, cum quo non facile ei ſit, tutumque horis pſallendis intendere, ſcripſit loco paulo ante citato, Portelius poſt Rodrig. *in Addit. ad ſumm. to. 3. cap. 197. concluſ.* 1.

QVÆSTIO VI.

An qui neſcit ecquid in ſuo ordine ſit conſuetudo non legendi breuiarÿ extra chorum, ſecundum eam poſsit agere?

ITa nonnulli ſentiunt, hac impulſi cauſa, quod in dubiis potior ſit poſſidentis conditio, quam non poſſidentis, quod iuris axioma etiam in præceptis quæ iuris ſunt naturalis ac diuini valere dicunt, Suar. *diſp. 40. de cenſuris ſectione* 5 *& 6.* Henriq. *lib. 12. cap. 6. parag. 7. & lib. 14. cap. 3. parag. 3.* ſed regularis ſacro non initiatus ordine libertatem ſuam circa horas poſſidet, ergo ſi de Monaſterij ſui ſenſu, ſuper horarum neceſſitate extra chorum dubitauerit, quam volet ſequi partem poterit, eaſque cum domi non erit, recitare aut omittere, ſi eum aliunde ad illas, ſacer ordo non ſtringat.

Contraria tamen ſententia eſt tenenda in praxi: Nam cum Religionum omnium ea ſit aduerſus Deum pietas, vt precibus quæ horis canonicis continentur, eum ſibi quot diebus propitiandum exiſtiment, prudenter præſumere nemo poteſt, eam ſolam in qua viuit, ab eis eſſe liberam, præſertim cum ius canonicum eiuſmodi præſumpto iuri non faueat, moſque ſit communis Eccleſiæ, vt qui chorum tenent, quo modo beneficiarij, publice pſallendo orent, aut priuatim qui cum vim legis habeat, à ſolo Pontif. tolli poteſt.

QVÆSTIO VII.

An non tantum horarum omnium omiſsio, ſed partis earum cuiuſlibet, ſit lethalis.

NOn eſt tantum horarum omnium omiſſio, animæ culpabilis, ſed & cuiuſlibet earum partis notabilis.

Dixere hanc ſententiam Theologi ſummarumque ſcriptores omnes, præter duos Angelum *verbo hora nu.* 10. & Henricum Anglicum, qui officio in hac parte ſuo, ſemel defuiſſe, modo ne ex contemptu Eccleſiæ præcipientis, mortale eſſe negant, quam ego opinionem ſequendam non puto.

Primo, quia præcepti Eccleſiaſtici tranſgreſſio in re graui, omnium eſt conſenſione DD. grauis. Eiuſmodi eſt partis alicuius horarum non infimæ, ſed ſpectabilis omiſſio. Talem autem eſſe, id eſt grauem minimeque contemnandam, quæ ſequuntur indicant. Primum quod præcipiatur in virtute obedientiæ. Alterum, quod iuſſa Eccleſiæ negligi, ſine aliqua eius irreuerentia & contemptu nequeant, erit hic ergo, pro qualitate omiſſæ rei quæ eſt in præcepto, maior aut minor: ergo ſi hæc erit quantitate ſua notabilis, peccatum pluſquam commune, maiuſque veniali faciet.

Secundo, ſi pars horarum quælibet ſeorſim ab alüs, ſolaque in præcepto foret, nemo ambigeret, quin eius omiſſio mortalis eſſet, ſi foret hæc grandis & præcepta in virtute obedientiæ. At quod vna coniungatur alteri, & cum ea iubeatur, peccati ratio non tollitur, cum ex eius adiectione ad horas cæteras, earumque partes ac membra, de cuiuſque grauitate, momentoque ac efficacia ad Dei cultum nihil depereat: ergo, &c.

Tertio, *Nullus abſque patentis prouentu moleſtiæ cum cœperit, imperfecta officia relinquere ſinitur,* à Concil. Tolet. 7. qui contra fecerit excommunicari præcipitur, *can.* 1. at non eſt cenſura culpæ niſi grauis pœna Eccleſiaſtica, eſt ergo partis horarum aliquantæ omiſſio, mortalis.

Confirm. Parte aliqua ſui eminente ac inſigni, Miſſam minuere, eſt mortale, ergo & horas, cum vtriuſque par ſit ratio Et ita cenſent Tabiena *verbo hora num.* 18. D. Anton. *3. par. titulo 13. cap. 4. parag. 5.* Nauar. *Enchir. cap. 25. nu. 97. Peccat,* inquit, *mortaliter Clericus ordinis ſacri, aut beneficiarius, qui omittit aliquam partem horarum notabilem, aut notabiliter male eas recitat.*

Quæ autem pars ſit in horis eiuſmodi, quæ dici notabilis queat, vna non eſt eademque opinio omnium. De hora integra, quaſi de parte ad mortale neceſſaria, loqui videtur Sylu. *in verbo hora num. 15. verbo quæritur 12.* ſed omiſſione non horæ tantum, ſed partis eius aliquantæ, lædi conſcientiam, Doctorum eſt vera ac certa ſcientia, pauloque ante à nobis probata. Partem certe ad mortale ſufficientem ac idoneam, ac proinde notabilem eſſe Primæ, Tertiæ, Nonæ & Completorij partem tertiam ſcripſere Malder. *in 2. 2. trac. 10. cap. 2. dub. 3.* Antonin. & Maiegnus *de horis canon. cap. 26. nu. 2.* quod Dianæ videtur improbabile, eo quod cuiuſlibet totius pars tertia non ſemper ſit cenſenda notabilis, alioqui pro tali habenda foret pſalmi pars tertia, ad cuius lectionem ſe ſub culpa aliquis obligaſſet.

Cenſet Nauar. *de orat. cap. 10. num. 44.* in horarum materia, partem cenſeri notabilem, cuiuſlibet horæ pſalmum vnum cum hymno, ac vero etiam aliquid minus; vt *Pater & Aue cum hymno,* vel ſuffragia, quæ ſub finem Com-

pletorij dici ſolent, ſed eſt hæc opinio, vt iuſto ſeuerior, Leſſio viſa improbilis, nec tenenda *lib. 2. cap. 37. dub. 9. nu. 52.* quem Diana ſequitur *par. 1. tract. 12. reſol. 41.*

Dicunt alij, partem vnius, ex horis quas paruas nominant, media minorē, non eſſe materiam quæ ad mortale ſit ſatis, nec proinde ad vllam fructuum reſtitutionem obligandum, qui omitteret. Ecquam ergo pro tali habent? Cuiuſlibet horæ minoris mediam, ita Regin. *tom. 2. lib. 18. cap. 12. nu. 43.* Fernand. *in exam. par. 3. cap. 13. parag. 7. nu. 3.* Matutini autem, Laudum & Veſperarum, eam partem quæ horæ vni æquiualet, hanc ſi non attingat, non videri peccatum mortale, Gauantus *in comment. ad rubric. miſſalis to. 2. ſect. 2. cap. 5. tit. 1.* Suar. *de relig. to. 2. lib. 4. cap. 26. nu. 16.*

Explebo aliquot Aſſertionibus quæ ad quæſtionis intelligentiam pertinere arbitror.

Dico primò, *Culpa lethalis affinem non eſſe qui partem horæ vnius tertiam omittit,* qualem Nauar *de orat. cap. 10. nu. 44.* ait eſſe horæ cuiuſlibet initium, vſque ad pſalmi primi finem, quia à mortali excuſat materiæ leuitas, cum ad illud, pœnæque vim & acrimoniam, quanta eſt peccanti mortaliter debita, res requiratur aliqua, aut actio non vulgariter Deo virtutique oppoſita, ciuiuſmodi cenſeri non debet, quæ verſatur in leui ac modica. Sed cuiuſlibet horæ hymnus, cum pſalmo vnico pro graui materia reſpectu horarum omnium, aut vnius de canonicis, haberi nequit prudenter ac iuſte, cum quælibet pſalmos contineat plures vnico, reſponſoria, orationem, & Pater in fine cuiuſque.

Dico ſecundò, *Vt quis peccet mortaliter contra præceptum de horis, non eſſe neceſſe, vt eas omittat ex conſuetudine, aut faſtidio, rerumque diuinarum nauſea ac contemptu*, vt cenſuit Angelus *verbo hora q. 10.*

Ratio eſt, quod vt præcepti Eccleſiaſtici tranſgreſſio ſit mortalis hanc ab eius violandi conſuetudine proficiſci non ſit neceſſe, alioqui qui menſæ ſacræ ſemel in Paſchate non accumberet, vel ſine cauſa abeſſet à ſacro, die feſto, non peccaret, quod nemo dicet.

Confirm. excommunicatur in Concil. Pariſiis habito ſub Odone *cap. de præcept. ſynodalib. nu. 33.* qui iuſſus aperire vitia matrimonij contrahendi inter duos, ea cælat: ſimiliter qui in Paſchate non communicat, item qui concionatur ſine facultate Epiſcopi in Concil. Lateran. ſub Innoc. III. *can. 3.* non eſt ergo ad culpam mortalem contrahendam in materia præcepta, aut vetita per Eccleſiam, vt violetur ex conſuetudine.

Dico tertiò, *Ad mortale in hac materia non exigi, vt omnes horæ omittantur.*

Ratio eſt quod omnes ac ſingulæ, dici iubeantur quotidie in *cap. 1. de celebr. miſſar.* quod præceptum ſub mortali obligat, cum *in virtute obedientiæ*, maiorum ordinum Clericis ſit impoſitum *cap. dolentes 9. de celebr. miſſa* reſt ergo ſingularum omiſſio lethalis.

A

Confirm. ſunt ſingulæ horæ materia ideo ad peccatum ſufficiens, quod iis diuinus cultus promoueatur non parum, lædatur autem earum omiſſione, ac neglectu plurimum, ſed quod hæ ſimul iubeantur, ſintque vnius præcepti totalis partes, non deſinunt eſſe materia ad peccatum lethale idonea, ſicut nec earum omiſſio, ceſſat eſſe diuini officij mutilatio: ergo non tantum eſt omnium horarum omiſſio mortalis, ſed & earum cuiuſlibet.

B

Dico vltimò, *Grauitatem materiæ ad peccatum mortale in hac horarum materia neceſſariæ, peti oportere ex comparatione ſui ad totum officium, adeo vt non tam cogitare debeat*, vtrum pars omiſſa ſit tertia, aut quarta, quam an multum diuino cultui obſit, aut eum imminuat, de quo iudicare eſt prudentis; dubitari autem non poteſt, quin pars ea officij, quæ horæ vni æquiualet ſit notabilis, ac proinde mortalis.

Secundo nec dubitari ſimiliter poteſt quin pars cuiuſque horæ minor dimidia, ſit venialis opinione Anton. Dianæ *par. 1. tract. 12. reſol. 41.*

C

Tertio & hoc quoque pro certo habeo, cum P. Sanch. *in ſumma to. 1. lib. 1. cap. 18. nu. 8.* peccare mortaliter qui in officio duplici aut ſemi duplici lectiones cum reſponſoriis omittit.

Probatur, ratio partis ex cuius omiſſione petenda eſt culpa mortalis, fundatur in illius influxu tanto ad diuinum officium, vt eius prætermiſſio prudentis æſtimatione ac ſenſu ſpectatiſque omnibus circunſtantiis non parum illi præiudicet ac noceat.

D

At hoc habet partis mediæ horæ, aut lectionum cum Reſpōſoriis omiſſio, vtpote quæ lecta vt decet, & eſt neceſſe, cultum Dei non parum promouet, ac cum eo acre virtutum, ac imitationis Sanctorum quorum acta leguntur, in audientium legentiſque animis acuit: ergo, &c.

QVÆSTIO VIII.

E

An qui pſalmos ſcit memoriter, aut Diurnum habet, teneatur illos ſine lectionibus aut Reſponſorijs dicere.

De ea re agit Nauar. *to. 2. Comm. de orat. & horis canonicis cap. 11. num. 9. & ſequentibus*, poſtque multa concludit, teneri cum lege horarum canonica, ea dicere beneficiarium aut Clericum in ſacris conſtitutum, quorum habet memoriam.

Docent idem Laym. *de legib. cap. 19. num. 6. & de horis tract. 1. cap. 6. num. 2.* Sanch. *in ſumma*

ma to.1.lib.1.cap.19.num.8. Rodrig. *to.1.regul. q.42.art.10.* Enimuero volunt, tunc implendum præceptum eſſe, cum totum aut eius pars maior potiorque, executioni mandari poteſt, ex quo concludunt, omitti pſalmos non poſſe cum ſciuntur, etſi lectiones ignorentur ac reſponſoria, quia cum ſint res hæ ambæ, etſi inuicem ſibi nexæ, collatæ cum officio res modica, ad moralem matutini integritatem tollendam non ſunt ſatis.

In contrariam ſententiam non contempti DD. abeunt. Omnium ſit inſtar Sancius in ſelectis *diſp.15.nu.2.* Filliuc. *to.2. tract.23 cap. 9.nu.287.* Malder. *in 2. 2. tract.10.cap.2.dub. 10.* Garcias *de benefic.tom.1.p.3.cap.1.nu.221.* negant enim ei neceſſitatem orandi iniectam vllam eſſe, qui pſalmos quidem ſcit memoriter & orationes, non tamen reſponſoria & lectiones, quia præceptum eſt (inquiunt) de dicendis horis, non earum parte aliqua, at ſoli pſalmi, horas non componunt, ſed tam hi quàm Capitula, reſponſoria, & orationes: ergo ſi hæc ignorentur, pſalmorum dicendorum obligatio erit nulla.

Eſt hæc ſententia probabilis, tutaque in conſcientia, iuxta quam dicendum, cum qui matutinum cum laudibus dicere nequit, ad nihil teneri, quia licet non ſit pars maior officij, eſt tamen prima ac præcipua, Rodrig. in *ſumma p.1. cap. 141.* Garſ. *de benef. tom.1 par.3. ca.1.* quorum ego ſententiam quia cenſeo probabilem, his illam argumentis firmare placet.

Primo, recitandæ horarum partis nulla eſt obligatio, ſi per eam præcepto non ſatisfit Eccleſiaſtico, at non impletur. Enimuero eſt hoc de horis & officio canonico, quale Eccleſia imperat, exequendo, at à lectionibus & reſponſoriis ſeiuncti pſalmi, officium non componunt canonicum: ergo, &c.

Secundo in præceptis implendis Eccleſiæ id duntaxat eſt curandum homini, vt iuxta formam, modumque communem quo obſeruantur, exequatur ac faciat, ad nouos modos nulla eum lex obligat, ſed horæ non niſi integræ dicuntur in Eccleſia, pſalmi nunquam in matutinis à lectionibus & Reſponſoriis ſeparati legi ſolent: ergo, &c. quare eſt Sancij opinio ob has ac ſimiles cauſas non improbabilis. Sane cum eſt præceptũ de re indiuidua, qui excuſatur à parte eius ſubſtantiali, excuſatur à toto, ſecundum Layman. *lib.1. tract. 4. cap. de legib. 19. num. 6.* At eſt præceptum de Matutinis indiuiduum, nec eius, vt ſupponitur, eſt impletio integra poſſibilis, cum lectiones ignorentur ac reſponſoria: ergo ſi hæc dici non poterunt, ob defectum breuiarii, nec ad pſalmos, vlla quoque futura eſt obligatio, quod autem præceptum de Matutinis ſit indiuiduum, ſit hac ratione certum.

Eſt res indiuidua, in cuius parte, ſeruari præcepti ſubſtantia non poteſt, eiuſmodi ſunt pſalmi, cum ſoli matutinum non componant, ſed tam hi quam lectiones & reſponſoria: ergo.

Ob cauſam oppoſitam, qui horam aliquam, etiam minimam recitare poteſt ex memoria, ad id tenetur, quia quæuis hora cum per ſe ſit canonica oratio, eſt à reliquis officii partibus diuidua, & verè ab Eccleſia præcepta. Et quoniam eſt præceptum Eccleſiæ de recitandis horis à ſeueritate alienum, admodum is eſſe ſollicitus non debet, qui cum eſt æger, ambigit, ecquid non earum partem aliquam dicere ex memoria valeat, cum tamen integras nequeat. Nam præcepta Eccleſiæ, cum eo rigore non obligant, *vt materia anxietatis & ſcrupulorum pariant*, inquit Laym. *tract.1. de horis cap.6.num.2.*

QVÆSTIO IX.

An qui cæcus eſt, teneatur vti ſocio, cumque alternis pſallat.

HAc de re diſputans Nauar. *to.2. in comment. de orat. & horis canonic. cap.11.nu. 9.* ſcribit, oculis captum teneri prius ſub mortali, ea omnia dicere, quæ ſcit memoriter. Secundo, teneri quoque aſciſcere ſibi ſocium, qui illum in orando adiuuet, & ita cum alere, aut parem ei labori ſuo ac operæ mercedem dare.

Non facit hæc tamen Nauar. opinio ad multorum ſtomachum, eam certe vt neceſſariam ſuadere cuiquam non auderem. Quod horarum obligatio ex iure diuino, aut naturali, vel humano Eccleſiaſtico ſcripto, aperte non naſcatur, ſed ex ſola conſuetudine. At hæc cœco nullã dicendi officii neceſſitatem imponit, vt patet, nec fuit ante Nauar. aliquis vt de ſe ipſemet fatetur, qui hanc ei legem diceret, *cap.11. de orat. num.11.* eſt igitur iſta opinio noua, nec praxi Eccleſiæ conſentanea.

Deinde vt eſt in præcedenti quæſtione dictum, qui iuxta communem formam Eccleſiæ, eius implere præcepta nequit, non tenetur de alia, qua illa poſſit facere, eſſe ſollicitus, ita qui ob infirmitatẽ, proferre ſolita horarum verba nequit, ea audire de alio vt culpæ ſit expers, non debet, etiam Nauar. teſte *cap.11.num.7.& 8.* nec qui hodie officio, ſuæque conſcientiæ facere ſatis non potuit, tenetur ſequenti, quæ ſunt ab eo præcedenti die omiſſa, ſupplere. Sed ex hypotheſi legere cœcus horas nequit, nouum autem eſt ac inſolens, quod hic impenſis non modicis habere hominem debeat, qui illum adiuuet, ad neutrum eſt ergo obligandus facile. Maxime

quod iure naturæ ſolo, pro fundatore & benefactorib. debeat orare, cui obligationi ſatisfit per quamcunque orationem etiam minimam, cum hæc multis ſit partibus pecunia prior, nec inter hanc quantælibet quātitatis, & illam, vlla ſit in valore comparatio. Quare cœco, eique qui oculis eſt caligantibus imperari non debet, vt habeant qui illos quotidie in pſallendo adiuuet: conſuli quidem id poteſt, ſed non præcipi, tanquam ad ſalutem neceſſarium, nam quis Eccleſiam ignoraſſe credat, quæ ad ſalutem ſunt, vitamque æternam neceſſaria? aut ſi nouit, ea voluiſſe eſſe fidelibus libera: vtriuſque autem eſſet culpæ in eam coniicienda ſuſpicio, ſi quæ mutus proferre, videre cæcus nequit ac legere, hæc eſſent ab ambobus audienda de alicuius ore, quem ideo magnis domi ſuæ ſumptibus alerent.

QVÆSTIO X.

An qui contra voluntatem, iuſſus eſt à parente beneficium ſibi à Papa aut Epiſcopo collatum accipere, ſacri lege officij teneatur aſtrictus, vt alij.

EST diſtinctione vnica ſoluenda quæſtio, eiuſque membra duo, in totidem ſunt concluſiones conferenda.

Dico ergo primò, *A ſacri recitatione officij puerum immunem eſſe ac liberum, qui cum beneficiarius eſſe nolit, non niſi inuitus, & quia ita parenti placet, eius capella aut Prioratus qui ſibi eſt collatus, beneficiarium ſe nominari & dici patitur.*

Ratio eſt, quod illum accenſeri Clericis, eorumque in poſterum more viuere velle oporteat, cui eſt ſacerdotium auctoritate Eccleſiæ deferendum, aut delatum, nam ſine Tonſura, nemo eius eſt capax, *cap. cum adeo* 17. *de reſcript. & cap. ex literis* 6. *de tranſact.* nec ſine intentione ſtatus Eccleſiaſtici capeſſendi, hoc eſt ordinis muneri ſuo neceſſarij, quod Eccleſiam non deceat bona ſua, id eſt ſacerdotia ei præbere, qui ſe eius miniſterio mancipare noluit, Nauar. *cap.* 25. *nu.* 118. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 26. *num.* 131.

At abhorret ab eo ſtatu puer hic, de quo eſt quæſtio, vt ſupponitur, nec ſibi quidquam eſſe vult cum beneficiariis, aut Clericis commune vnquam, cum clare & aperte coniugij, cum vir erit, ineundi deſiderium atque voluntatem præ ſe ferat, non eſt ergo puer hic, qui non niſi parentis imperio beneficiarium nominari ſe ſinit, numerandus in veris beneficiariis, ergo nec in eorum reponendus eſt ſerie, qui horarum tenentur lege.

Secundo non alius eas quot diebus decurrere eſt neceſſe, quam Clericis maiorum Ordinum Religioſis ac beneficiariis. At in horum referri numerum puer non poteſt, his affectus moribus quos in quæſtionis fronte expreſſimus. Eſt enim beneficij collatio, donatio, ergo vt hæc non acceptata, nullarum eſt virium, ita nec beneficij collatio, at hoc non acceptat, qui poſſidere illud renuit, qui ſibi certum eſſe aſſerit nihil eorum facere, quæ natura beneficij aut eius occaſione, Eccleſia de beneficiario poſtulat: ergo, &c.

Dico ſecundò, *Beneficium ſibi à Pontifice collatum, ſeruare ſi filius familias inducit animũ, dum ſtudia abſoluerit, dum filiam ſtirpe nobilem, opibus abundãtem, fortuna obtruſerit quam cum vir inter viros erit, aſciſcat ſibi in coniugem.* Dico (inquam) hunc ad horas vti beneficiarios cæteros cogendum eſſe.

Ratio eſt, quod tunc vere vnus de eorum ſit numero, nam vt talis audiat, non eſt neceſſe ſtabilem eum, firmãque ſeruare in Clericorum vita conſtantiam, aut ab eius inſtituendæ propoſito reſilire nolle, ſi quando ſuperi ſortem ei meliorem offerãt, vt per opimũ coniugium, & in familiam Prouinciæ totius principẽ optabilem tranſitum: ita Nauar. *cap. Enchir.* 25. *num.* 118. Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 26. *num.* 13. cum enim Eccleſiæ parentis optimæ, decretoriæ non ſint leges, non eſt probabile eam velle, vt quem ſemel beneficiarij ſtatum ſunt Clericorum amplexi, ex cauſa deſerere nulla valeant.

Similiter eſt is adigendus ad officium, qui minis, metuque factus Clericus, beneficium dari ſibi eſt paſſus, ſi eius percipit reditus.

Ratio eſt, quod ſit hæc prouentuum receptio, beneficij tacita acceptatio, ergo eiuſmodi cui perſoluendi officij canonici adiuncta ſit obligatio, Laym. *de horis Canonicis tract.* 2. *cap.* 3. *num.* 2.

QVÆSTIO XI.

An qui beneficium adeptus eſt Eccleſiaſticum, ſed in eius poſſeſſionem nequit ingredi precum ſit canonicarum onere ſolutus.

SEnſus eſt, an ſolus beneficij titulus officij dicendi neceſſitatem beneficiato inferat, an vero ei quoque poſſeſſionem addi oporteat, ſic vt quandiu eam non init, ab ea ſit liber.

Prima ſententia eſt Nauar. *in tract. de orat. cap.* 7. *num.* 29. cum nempe qui beneficium Epiſcopi eſt liberalitate conſecutus, quam & ſibi acceptam gratamque eſſe, præ ſe verbis & factis tulit, pari quo cæteros nexu, vinculoque ad orandum canonice, hoc eſt officij recitatione, aſtrictum eſſe. Tuetur ſe hæc opinio ratione non improbabili. Nempe quod per titulum, ſibi ab eo qui poteſt collatione canonica

canonica datum, beneficiarius legitimus verúique beneficij ſit dominus vtpote cui fructus eius omnes vti Domino ſint ex eo tempore debiti, cum ergo Eccleſiaſtici officii perſoluendi obligatio ad beneficiarios pertineat, ab ea eximi honeſte poſſe qui beneficii titulum habet non poſſeſſionem quis putet?

A Nauarro abeunt Paludan. *in 4. diſt. 15. q. 5. art. 1. concluſ. 5.* Laym. *de horis tract. 2. cap. 3. num. 3.* Flamin. *de reſignat. lib. 1. qu. 9. num. 15.* Azor. *tomo 1. lib. 10. cap. 4. q. 7.* Leſſ. *lib. 2. cap. 34. dub. 3.* Regin. *lib. 30. cap. 4. num. 38.* quæ mihi quoque ſententia probatur.

Non ſunt fructus beneficii, ante poſſeſſionem eius initam, beneficiario debiti, cauſa eſt, quod beneficium, ius non ſit ad fructus efficax, niſi poſſeſſioni adiunctus ſit titulus, argumento eſt, quod tandiu eos ſeruare ſibi reſignans valeat, quandiu ſuus reſignatarius, in beneficium, eiuſque poſſeſſionem non ingreditur, vt praxis, vſuſque communis Romanæ curiæ indicat.

Secundo, ſi qui beneficii titulum habet, ſed poſſeſſione deſtitutum ac vacuum, tenetur ad horas, idem horarum onus duobus, pro eodem beneficio, eiuſque cauſa ſubeundum erit, quod eſt abſonum.

Maior prob. Poteſt vnum, idemque beneficium à duobus collitigantibus, pari iure eoque ancipiti ac dubio quæri, faciamus ergo, ab eorum altero poſſideri, cuius tamen non eſt titulus bonitate æqualis alteri, à quo prædictum beneficium non poſſidetur, ſi iſte, vi ſolius tituli horæ ſtatis ſunt legendæ temporibus, duobus haud dubiè eſt ad eorum recitationem impoſita obligatio, poſſeſſori quidem, quia eius fructus percipit, propriaque illius munera omnia obit: cur non ergo eiuſdem ſentiet onera? cur principem Deum cum neceſſaria illuceſcent orandi tempora, ſolitis à Clero vſurpari precibus non placabit? ſi debet, cum id etiam à non poſſeſſore Nauar. exigat, pro eodem beneficio, idem erit onus à duobus ferendum, quod erat probandum.

QVÆSTIO XII.

Liceatne ſine peccato, officium vnum dicere pro alio? v. c. de Sancto, cum de eo nulla eo die fiat in Dei Eccleſia celebritas?

PRima Aſſertio, *Mutare horas ad arbitrium & prolixis breues ſubrogare, proque illis has dicere, Clerico non licet.*

Enimuero à conſuetudine cum hæc vim legis habeat, arbitratu ſuo recedere, fas non eſt Clericis promiſcuè, ac ſine crimine, cum enim in ſuos tranſgreſſores lex ſæuiat, deque iis iuſta ſupplicia exigat, violari hæc non po-

A teſt ſine culpa. Sed habet Eccleſiæ communis vſus, certæ vt horæ ſuis diſtinctæ pſalmis ac lectionibus, certis dicantur diebus, non quolibet quælibet: ergo, &c.

Secunda Aſſertio, *Dedita opera, ac ſine iuſta cauſa mutare officium, ac vice proprij alienum ſumere, vt de communi Martyrum; eius loco quod eſt affectum feriæ, eſt tantum veniale:* Ita Caiet. *verbo horæ num. 5.* Syluest. *eod. q. 12.* Sa *num. 12.* Vaſq. *cap. 4. dub. 2. parag. 1.*

Quia præceptum de horis vniuersè ſumptũ, earum duntaxat ſubſtantiam conſiderat, non qualitatem, aut modum, *puta ſoluens de*
B *Sanctis, quas deberet ſoluere de feria,* Caiet. ib. Quia tamen tale præceptum vt ſpectatur in indiuiduo, & in hunc diem, tempuſque cadit, eſt de ſeptem horis tali modo dicendis, vt conſuetudo ipſa Eccleſiæ indicat, quæ violari cum ſine culpa nequeat, eo quod omnis præcepti tranſgreſſio ſine cauſa culpam habeat, ſaltem venialem, non eſt meo iudicio vnius officii mutatio facta ſine cauſa in aliud, culpæ talis expers.

C De mortali, eam notant Archidiacon. apud Sylu. *verbo horæ q. 12.* de la Torre *de horis cãnonicis contrau. 9.* Reginal. *lib. 18. cap. 11. dub. 3. num. 172.* Armilla *verbo hora;* Caſtro Palao *de orat. ſpeciali diſp. 2. puncto 2.* pro qua ſententia hæc proferri poſſunt argumenta.

Primũ, quod id præceptum ex genere ſuo ad mortale obliget cuius tranſgreſſio intra ſuum genus ſpeciemq; ſine vllius additione circunſtantiæ quæ ſpeciẽ mutet, mortalis eſſe poteſt. Talis eſt præſens, quia qui de officio Dominicæ v. c. nouem pſalmos detractos vellet, vt
D orandi finem citius faceret, haud dubie pluſquam vulgariter peccaret, ex regula ante citata de omiſſione partis notabilis. At idem æquiualenter efficit, qui pro officio diei Sabbati, ſibi Paſchatis omnium totius anni breuiſſimum eligit, vtpote tribus tantum lectionibus pſalmis totidem, iiſque breuibus conflatum.

Secundum eſt præceptum de horis, non de quibuſcunque concipiendis precibus, ſed de his in indiuiduo, ac determinate, quæ cadunt in dies ſingulos, ergo cum ſint hæ pro dierum varietate variç, præcepto de iis exequendis ſatisfacere poſſe non videtur, qui alias à præſcriptis eo die & tempore pronunciat.

E Tertium ſi non eſt in præcepto horas diei proprias ac ab Eccleſia huic aut illi aſſignatas pangere, erit canonica oratio res conſilii tantum, non præcepti, & ſic quæ in iis mutatio accidet, ſine culpa eiuſque ſuſpicione fiet, quod nemo dicet.

Argumentis pro hac ſententia Reſpondend. eſt, priori quidem negatione Minoris, ad cuius confirmationem dici debet rationem parem vtrobique non eſſe, nam cum 7. pſalmi de officio Dominicæ detrahuntur, lædi illud non parum eſt neceſſe, detractione

partis quæ pſalmorum numero ac ſenſu contemni non debet, quod non accidit, cum officium vnum pro alio, quamuis breuius auctoritate propria ſumitur, ac maiori minus ſubrogatur. A

Ad ſecundum reſponderi debet, determinatè hoc aut illud officium in indiuiduo non præcipi, ſed eius ſubſtantiam, quæ eſt in eo vt ſeptem horæ dicantur cum nouem pſalmis, & totidem lectionibus.

Confirm. præcepto ſatisfit, cum eius impletur ſubſtantia, etſi in modo peccetur, at præcepti ſubſtantia eſt, vt horæ recitentur ſecundum formam breuiarij Romani & non alterius, modus autem accidentalis eſt vt hoc die recites de feria & alio de Sancto.

Ad vltimum, eſt negandum quod in eo quaſi certum ponitur, horas nempe dicere vt dici poſſe contendimus, rem eſſe conſilij, non præcepti, nam quam ſit hoc à ratione diſſitum fit ex dictis planum.

Vt vt ſit de re ipſa, ſane conſtat etiam in Aduerſariorum ſententia à leuitate materiæ excuſationi à mortali in hac materia locum eſſe, qualis eſt cenſenda cum inter officia, magna non intercedit inæqualitas, quia officium quod aſſumitur, par eſt in quantitate relicto, hoc eſt eius diei proprio.

Secundo, & id quoque pro certo in hac horarum materia eſt habendum, ab eodem peccati genere, aduertentiæ plenæ, ac perfectæ, defectum excuſare, quia etſi ſit hic culpabilis, repetendi tamen officij neceſſitatem non inuehit, ſed ad ſummum compenſandi quæ vni officio deſunt ad æqualitatem ſui cum alio, & in hac ſententia qui pro officio Dominicæ accepiſſet de Martyre, tot ei de derelicto officio legendi pſalmi forent, quot ſunt ad æqualitatem inter hoc & illud neceſſarij, ne *mutatio formæ redundaret in notabilem mutationem officij*, inquit Raph. Torrez ſupra, quæ eſt etiam opinio Gab. Vaſq. *de beneſ. cap. 4. parag. 1. dub. 2. num. 60.* Suar. *de religio. to. 2. lib. 4 cap. 23. nu. 11.* & aliorum apud Antonin. Diana *tract. de horis reſol. 12.* qui omnes negant mutatione vnius officij in aliud ſatisfieri præcepto de horis, & ita peccari mortaliter, quia non ſeruare præceptum de horis eſt mortale: at non ſeruat, qui mutat officium, quia hoc & non iſtud eſt præceptum, ergo ſi dicatur loco alterius, præcepto non ſatis fiet, hæc opinio eſt priori probabilior & in praxi tenenda inſtituto Eccleſiæ.

QVÆSTIO XIII.

An Canonicis horis ſit eſſentiale, ſic ore pronunciari, vt percipi queant.

Dico primò, *Non videri facere officium, qui horas earumque ſenſum mente concipit, ore autem linguaque non enunciat.*

Primo, ſunt horæ cuique ſic dicendæ, vt ex modo quo decurruntur, ei conſtare poſſit, iuſtæ ſuæ voluntati ſatisfactum eſſe, quia B id dare debet operam, vt qui legibus ſuis non obſecundant, pœnam ferant, quod non poteſt, niſi ſibi de earum tranſgreſſione conſtet, hanc autē latere Eccleſiam, nec noſci ab vllo poſſe ſi mente ſola ac cogitatione expleri horæ queunt, nemo non videt, diſtinctè ergo horas dici ac ore exprimi Eccleſia præcipit, cum primo & per ſe actus internos non iubeat: ergo cum ei obſequi oporteat, quæque imperat, ea forma modoque facere, quem vult omnes tenere ac ſequi, dicendum eſt clara à ſingulis diſtinctaque voce cum orant, ſic C loquendum eſſe, vt ab aliis, ſi præſentes eſſent, audiri poſſent.

Secundo, Qui horas recitat, eas vt miniſter Eccleſiæ, perſonaque communis omnium nomine Deo ſupplicans, recitat: ergo ſic eas ore proferet, vt audiri ab his valeant quorum intereſt eos animorum motus in illorum cieri pectoribus, quos flagitat. Id eſſe verò qui poteſt, niſi verborum quæ leguntur, ſenſus ac notio, in cor per aures influat? illa autem admittere quà ratione hæ poſſunt, ſi voD cibus in ore, inter que labia ſuppreſſis formentur? pronunciandæ ſunt ergo, vt oportet, clare, vocaliter ac diſtinctè, vt diſtingui, ac audiri à circunſtantibus valeant. Ita Medina *in tract. de orat q. 1.*

Loquuntur alij ad fidem veriſimilius, qui cum diſtinctione mentem ipſi ſuam explicant aut enim (inquiunt) Clericus publicè, ex ritu formaque Eccleſiæ facit officium, vt ab his fieri feſto die ſolet in Eccleſia, aut priuatim, ac ſolus ſine arbitris: ſi primum, vocem contendet quantum eſt neceſſe, vt percipi poſſit, ſi alterum, ſufficit ſi is ipſe qui pronunciat E illam audiat, vel intelligere ac audire valeat, quæ eſt opinio Lud. de Beia *par. 1. reſp. caſu 55.* & aliorum, quos in eandem cum illa ituros ſententiam non ambigo, ſi recolant.

Primo ſatis eſſe Clerico ad officium ſi horas modo quo præcipit Eccleſia, ſtatis ad orandum temporibus obeat, facit hoc, quiſquis voces verbaque pronūciat, diſtinctè quidem, ſed non clare, ſibi quantum eſt ſatis vt ea audiat, intelligenter, non autem aliis. Nec enim, illa vſpiam perſpicuitatem vocis iuſſit, aut ſuauitudinem, ſed integritatem, ſed animi ad

ea

ea quæ legũtur aduertentiam, corporiſque in orando decentiam, quæ omnia ab eo qui ſubmiſſe orat, afferri poſſe nemo it inficias, ergo nec prudenter negaturus eſt vllus, qui de dicendis horis ſubſtantiam, & non modum meminerit præceptum eſſe.

Confirm. quæ ſunt apud pios in communi vſu, hæc meo iudicio non fieri modo impunè poſſunt, ſed & licite, at nemo eſt, paulo cæteris è plebe religioſior, qui ſe legis de orãdo Deo violare reum exiſtimet, ſi effuſe loquax ac clamoſus inter precãdum non erit, ſi quod Clerici, quod Presbyteri, pro ſe quiſque religioſè faciunt, cũ horas in tẽplo legunt, ne ſint aliis, quos vicinos habẽt, moleſti ac graues ſubmiſſe orat, verba format, ſed quæ vbi ſunt nata pereunt, ad alios non veniunt, in eo (amabo) quid eſt quod culpam oleat, quod cenſuram mereatur ac ferat? quod ſi eſt hic innocens, ſanè rei non erunt, quibus eſt hoc ſatis, diſtinctè legere ſed non ita clare, vt poſſint audiri.

Argumentis reſpondend. Priori quidem, Eccleſiæ conſtare aliter poſſe quam ex auditu, quod beneficiatus aut quilibet alius præceptum de horis impleuerit, nempe ſi quod cæteris eſt in more, preces horarias in manus ſumpſerit, eas affuſus genibus aut ſtans legerit.

Secundum vim non habet, cum quæ in ſolis Parochis aut publico munere fungentibus ſunt vera, ea communicata velit eſſe cum ſingularibus Clericis, quòs non eſt certum agere perſonam publicam, ac Eccleſiam per eos orare, & ſi foret, negandum tamen eſſet, hoc illos facere fructuoſe non poſſe, niſi quæ orant, clarè ac perſpicuè ad intelligendum, efferant.

Dicendum tertio, quod quantumcunque recitentur horæ priuatim ac ſolitarie, habent tamen omni tempore rationem orationis publicæ, cum fiant in perſona totius Eccleſiæ.

At eſt Eccleſia ſenſibilis, eius ergo preces eiuſmodi eſſe debent, quæ in aliorum notitiam venire queant, cuiuſmodi eæ ſunt ſolæ, quæ lingua formatæ aurem pulſare poſſunt, ſecundum D. Thom. 2. 2. *q.* 83. *art.* 12. Ludouic. de Bea *tom.* 1. *reſponſ. caſu.* 55.

Omnino, ſed nego tam diſtincta, claraque eas voce dici oportere, vt ceſſante impedimento, oranti qui aſtant, eas audire valeant.

Primo, quia eſt miſſa ſecundum ſe totam oratio publica, & tamen ſunt partes eius præcipuæ ſubmiſſa dicendæ voce: ergo quod horæ ſint oratio publica, non habent ideo vt pronuntiari debeant elata voce ac clara.

Secundo, ei qui priuatum officium recitat, id eſt ſpectandum tantum, vt Deo animo & corpore inſeruiat. At hoc abunde conſequitur, qui verba format à ſe tantum audienda non ab alio, vt indicat praxis communis Sacerdotum ac Regularium fere omnium, qui ne vicinos impediant (quod eſt prudentiæ) quàm poſſunt tacitè, ſilenterque munus ſuum obeunt, orantque. Equidem ſcribit Caiet. orationem publicam, de præcepto debere eſſe vocalem, de decentia autem duntaxat, claram & altam, hancque ceſſare, cum illam ſummiſſè fieri ratio exigit, ne aſtantium lædantur aures eorumque patientiæ afferatur tædium. Equidem, vt eſt cautus, vocum prolatio ſenſibilis ac clara, eorum animis qui ſunt præſentes, ad Deũ cœleſtiaque euehendis inſtituta, ita & priuata ad eius ſolius qui orat commodum, eiuſdem eſt Eccleſiæ voluntate ordinata. ergo vt ſunt illi verbis, vocibuſque quas audiunt, incitandi ad Deum, ita & iſte, ad id autem ſufficere vocales quidem ac diſtinctas, ſed non ſonoras, ac à vicinis audiendas, aut auditas, ſed labiis compreſſas, habent Doctores, reſque ipſa comprobat.

QVÆSTIO XIX.

An præcepto de horis ſatisfaciant, qui ea ſal-ternantibus operis, voceque extra chorum decurrunt.

QVæſtionis eſt hic ſenſus, an duo aliqui, præceptum orandi Eccleſiaſticum impleant, ſi diſtributis inter ſe pſalmorum verſibus, ex æquo alternatim pſallant, orentque.

Dico implere, ita Suar. *lib.* 4. *tract.* 4 *cap* 25. *num.* 2. Azor. 1, *par. inſtitut. moral lib.* 10. *cap.* 7. *q.* 6. Regin. Laym Leſſ. & Sanch. *locu antè citat.* ſunt hæ rationes.

Prima, quod ita conſuetudo ferat Eccleſiæ.

Secunda, quod quæ per alium, hæc quoque per ſe, exiſtimetur quiſque facere, ob quam cauſam, qui pulſandis inter diuina myſteria organis, thurifiandis altaribus, tam Superioris imperio occupatur, quam religioſa quadam erga Deum cœliteſque inductione animi, officium præſtare cenſeatur, cum quod ipſe cum aliis canere, aut priuatim debebat legere, eius loco ſuppleant alij. At cum ab vno, duorum ſimul orantium, Deo preces offeruntur, earum pars altera cedit alteri, cuius & nomine, viceque, ex interpretatione tacita Eccleſiæ ſunt conceptæ, eſt id in primis ergo veriſſimum. facere quæ ſunt viri boni, in proprii functione miniſterii, qui vtuntur opera mutua, in recitandis canonicis precibus. Nam ſi in choro Clericis, penſum Horarum obire, aſcitis ſibi operæ ſuæ vicariis licet, cum quibus partem laboris ſui communicent, cur erit iiſdem, aut ſui ſimilibus extra chorum culpabile,

ad eorum ſe morem, normamque fingere? A aut cur quod illis eſt laudi, mihi ſi cum alio orauero, futurum eſt crimini? quare vt aliarum quarumlibet precum religioſum debitum à quibuſlibet, ita & canonicarum, ſine cuiuſquam culpæ metu, diſtributo cum altero onere, id eſt alternatim exolui poterit.

Eſtque hoc ad Clericorum pacem quietemque præſtabile, quod etſi ſpontaneis ſecuris, vltroque accerſitis, eorum coadiuuæ orandique comites occupent, & ita ſe culpa impient, ab ea tamen omni immunes ipſos eſſe ac liberos, ſi quaſi in perpetua conſtantique vigi- B lia poſiti, ſibi ac officio excubent, animique agitationes profanas, vt impetu irruentes aquas diuertant, aut reprimant. Nec enim Eccleſia vt quod ab vno dicitur, cedat in alterius commodum, aliud poſtulat, quam vt ad ea quæ vterque pronuntiat, aures ac animum aduertat, ſic enim eorum quilibet proferre debet, vt ea, ſocius audiat, alias præcepto non ſatisfacit, quia in tantum aliena tibi oratio vtilis ac communis eſſe poteſt, in quantum illam percipis, primo, quia illam audiendo approbas, approbando in ea communicas. C

Secundo, quia ex inſtituto conſenſuque Eccleſiæ, eſt auditus prolationis loco, ideoque tam eius conceſſione, quam communi hominum opinione recitare diceris quæ ſocius pronunciat, quia illum audis.

Quid ſi volante lingua ita verba præcipiti curſu efferas, vt ipſe vix te audias, quid loquaris autem ac dicas, ſocius non capiat.

Si eſt vocum quæ ſocii aures ſunt prætерlapſæ ingens copia, iuſta metuendi illi eſt cauſa, ne in eo peccauerit, præceptoque de horis non ſatisfecerit. Quia vt de eius tranſgreſſione non poſſit argui, debet dixiſſe, aut audiſſe D officium, vel certe hanc eius partem, quæ à ſocio, quia alternis dicebatur, eſt prolata.

Quid ſi curſim ambo recitent, quid ſi verba ambo ſimul pronuntient, aut ſi nõ ſimul ſaltẽ eo modo vt vterq; ſic ſociũ anteuertat, vt loqui priuſquã verſum ſuum hic abſoluerit, incipiat.

Si ſimul loquantur ambo, ſi quo tu tempore partes tuas agis, agat & alter, nihil efficis, quia iſtius labor & lectio, eius eſt loco, quam ſi ſolus vacares precibus, faceres, at ſolus remotiſque arbitris qui orat, eiuſdem pſalmi verſus duos ſimul dicturus non erat, ſed ſucceſſiue vnum poſt alium: ergo ei quoque eſt ſolemne tenendum, in oratione idem quæ fit al- E ternatim recitandis horæ cuiuſque precibus.

Contra pugnant aliqui, negantque ad id obligationem eſſe ſub mortali.

Primo, quia verba legis intelligenda ſunt propriè: at habet Leonis decretum, vt horæ dicantur, de auditu non fit mentio.

Secundo, non peccat, qui verba Miſſæ die ſacro quo eſt Eccleſiæ præſcripto audienda, non audit aut intelligit: ergo nec horarum.

Tertio, qui cum ſocio canonicis precibus vacat, alia legere non tenetur, quam quæ ipſe pronunciat, pro ſuâ enim erga orantes charitate facit Eccleſia, vt quæ dicuntur ab vno, dicta quoq; cenſeantur ab altero ergo vt canonicæ legi de horis ſatisfaciant, non eſt neceſſe omnia quæ viciſſim loquuntur ac proferunt aure capere.

Conſeq. prob. Qui excuſatur ab eo quod eſt maius, excuſatur & ab eo quod eſt minus, *de regul. iuris in 6. regula 35. & 53.* At maius eſt legere quam audire, ergo cum is qui orat cum ſocio, non teneatur quæ hic legit legere, nec ea quoque obligabitur audire.

Ab aduerſa tamen ſententia non abeo nec optandum modo, ſed implendo de horis præcepto canonico neceſſarium exiſtimo, vt quæ quiſque ex libro recitat, ita pronunciet ac efferat, vt ab eius comite audiri queant, talis enim eſt piorum ſenſus, talis opinio, quod ſi non fecerit, præceptum non implebit.

Argumentis quæ contra ſunt allata, fiet ſatis; priori quidem dicendo loqui Leonem ac cæteros Pontifices de iis duntaxat qui ſoli orant ac priuatim, aut certe de eo quod fit communiter.

Ad ſecundum dici debet, fidelibus quidem vt Miſſæ interſint præcipi non autem, vt verba eius omnia intelligant, cuius oppoſitum in horis accidit, reſpectu eorum qui ad illas obligantur.

Tertii eſt neganda conſequentia. Ad minorem allatam: pro confirm. Dicendum, paris eſſe obligationis audire horas, cum alternatim dicuntur, & eas legere, & ita neganda erit, ſi vox *maius* capiatur formaliter pro obligatione, non materialiter pro labore, qui in legendis eſt maior, quam in audiendo duntaxat.

Quid ſi ſocius lege horarum non tenetur? quid ſi legendo diſtrahitur?

A primo non impediri beneficiarium, quo minus præceptum impleat, conſuetudo ipſa Cathedralium toto ferè orbe recepta indicat, in quibus cum Canonicis pſallere cantores ſolent, ſæpe non Clerici, & tamen illos nemo de prætermiſſo, aut violato officio arguit, cum eiuſmodi homines in hoc erga Deum pietatis obſequio, Canonici ſocios ſibe eſſe volunt.

Deinde quid eos prohibet ſic loqui, vt audiri à beneficiario valeant, & ita illi in exequendo præcepto eſſe auxilio? Et quanquam orando diſtrahi ſit culpa, quum ab alienata, ac in re nihili occupata mente, Deo principi loqui, genus ſit irreuerẽtię illaudabilis ac vitioſæ, nõ eſt hæc tamen eiuſmodi, quæ ab eo, qui ſponte ac non coactus, ſe comitem in legendis horis beneficiario addit, in eundem redundet, cum huic ad explendum officium ſufficiat, vt attente audiat, quæ ſocius reci-

tat cætera ipſe loquendo exprimat,

QVÆSTIO XX.

An qui de beneficio litigant, eo quod illud ſibi deberi ambo aſſerant, lege dicendi officij ſint obſtricti.

EST hæc à Comitol. *lib. 1. reſponſ. q. 69.* Reginald. *lib. 30. cap. 4. ſect. 2. num. 40.* & alijs tractata quæſtio, ſenſu tamen diſpari, nam ambo hi auctores, ab officio eis canonico immunitatem tribuunt quibus antequam in rem venerint, lis ab alio intenditur, fructuſque interim dum hæc diiudicatur ſequeſtro ſeruandi dantur, victori poſtea auctoritate iudicis tribuendi.

In hac eos mente præiuere Paludan. *in 4. diſtinct. 15. qu. 5. art. 2. concluſ. 5.* Caiet. *in ſumma verbo horæ Canonicæ,* Sotus *lib. de iuſtit. & iure q. vnica art. 3.* negant enim hi omnes, eum qui nec beneficij ſui poſſeſſionem, nec fructus habere poteſt, canonicarum horarum ritui ſubiectum eſſe.

Contrariam huic ſententiam tuendam ſibi Nauar. credidit in *Enchirid cap. 25. num. 104.* poſt Maiorem *in 4. diſtinct. 12. q. 6. parag. 9.* ſunt hæc eius verba loco quem citauimus. *Cum duo de eodem inter ſe beneficio diſceptant, ideo quod ambo, iure ſibi deberi perſuaſum habeant, ſi vnus interim fructus percipit, eundem diuini officij dicendi iure aſtrictum eſſe: quod ſi ex poſtrema appellatione veriſimiliter appareat amiſſurum beneficium, qui tenet, & obtenturum eum, qui eodem interim caret, hunc canonicas preces adhibere debere, eſt certum, niſi ſi forte æqualem precationem in tempus, quo ſuum futurum eſt beneficium reiicere velit.* Idē Nauar. ante citat. ſenſus, idem iudicium, vt hæc eius indicat oratio petita ex *cap. ſi litigaret, & habita ſententia recipere deberet fructus ſequeſtratos, aut per aduerſarium receptos, obligatus foret ad horas ſecundum omnes.*

Argumenta quibus in eam venere mentem, ſunt duo: primum, quod horarum omiſſio beneficiario ſit culpabilis, cum iſtius pietatis aduerſus Deum, certa ſtataque ſtipendia habet, aut eſt habiturus propediem, cum quæ certo ſunt futura, eodem ſunt habenda loco moraliter quo præſētia, at beneficiario, operæ ſuæ ac officij merces ſtabit, cum ſacta beneficij euictione, omnium eius fructuum habiturus ſit dominium, eſt ergo ad horas eo obligandus tempore, cum fructuum perceptio anticipata eſſe non debeat.

Alterum eſt in eo, quod horæ, earumque obligatio beneficiario cohæreat, eamque ſequatur, at eſt beneficium eius proprium, cui eſt collatum, illico ac eſt collationi de eo ſibi factæ aſſenſus, ſi quidem ex ea, ius illi in

A eodem acquiritur, ergo ab ea, & non à poſſeſſione capta beneficij, officij dicendi neceſſitas in beneficiarium diffluit ac manat. Minorem reddit Pontif. Rom. auctoritas probabilem in *cap. ſi tibi abſenti 16. de preb. in 6.* in quo acceptatione collati ſibi tituli, beneficiarius fieri dicitur, beneficij poſſeſſor ac dominus, quia illud per acceptationem fecit ſuum.

Aliorum ego ſententiam vtpote iſta æquiorem, ſequendam cenſeo. Quia ius diuini officij perſoluendi orando, in iis, qui beneficia

B obtinent Eccleſiaſtica, ex pacata beneficiorum *poſſeſſione, & fructuum perceptione oritur,* Comit. ſupra. Sane cum colitigantes ius ſe ad beneficium habere credant, non vni potius quam alteri, orandi canonice, neceſſitas imponi debet: ergo cum hæc in vtrumque cadere nequeat, neutrum tanget.

Argumentis reſpondetur dicendo primo, Maiorem eſſe falſam, quando beneficiarius necdum eſt complete talis, vt non eſt, quum in beneficium pedem necdum culpa ſua nulla intulit, nec per eum ſtetit quo minus inferret. At antequam id fiat, non eſt Clericus,

C qui ſacerdotium adeptus eſt Eccleſiaſticum, complete beneficiarius.

Primo, quia ante poſſeſſionem captam, reſignatarius fructus non percipit, nec beneficium vnde hi naſci ſolent, adminiſtrat ac regit.

Secundo, eſt & aliud eius rei de qua agimus, argumentum, nempe quod decreto Leonis X. & Pij V. in Bulla cuius Nauar. in manuali meminit, prouiſus de beneficio, non tenetur ob horas omiſſas fructus perceptos reſtituere, niſi poſt ſextum menſem à capta

D eius poſſeſſione, ſignum eſt ergo ante eam plene & perfectè, beneficiarium non eſſe, nec proinde à collatione beneficij quam conuellere multa poſſunt, ſed ex illa, eiuſque poſſeſſione, orandi canonice obligationem exiſtere.

Canoni autem *ſi tibi abſenti 16. de preb. in 6.* poteſt occurri dicendo, ex collatione ante poſſeſſionem, proficiſci ius quoddam imperfectum, ac mutilum, illudque reddi per aditionem beneficij, integrum ac abſolutum, atque ex hoc genere, horarum canonicarum

E obligationē fluere, vt enim dicere paulo ante memini officij perſoluendi orando, ius ſeu obligatio, in his qui ſacerdotia conſequuntur Eccleſiaſtica, non ex ſola tituli collatione, aut poſſeſſione beneficij oritur, cum multi ſint qui vi, aut fraude, clam in illud ſe inferunt, quos intruſos dicimus, qui proptere a horarum canonicarum ritui non ſunt obnoxij, ſed ex pacifica eius rite collati poſſeſſione ac fructuum perceptione.

Deinde reſponderi poteſt vt reſpondet Caiet. ex collatione tituli ſeu beneficij, ius

beneficiario dari; ratione cuius, beneficium ipſius eſſe incipit, à poſſeſſione vero fieri vt fructus eius poſſit ſeruare & ab eo petere in cuius manu erant.

QVÆSTIO XXI.

An qui beneficium iniuſte poſſidet, ac ſine titulo, teneatur ad horas ſi eius fructus percipiat.

NOn eſt extra culpam, qui vi, aut fraude, irrumpit in Eccleſiam, eiuſque ſibi ſumit ſubſtantiam, ratio eſt, quod ſpecies ſit quædam non furti modo, ſed ſacrilegij, in res ingredi Eccleſiæ, eaſque ſibi vendicare inconſulto Pontifice.

Eſt etiam reus culpæ nō modicæ, qui beneficij poſſeſſore vacui ſacras obuentiones, authoritate propria ſibi arrogat, vt enim ſunt hæ ſucceſſori debitæ, vt ſunt ei, quem Epiſcopus mortuo ſubrogabit, iure tribuendæ Eccleſiæ, ita nō eſt innocēs, qui illas ſibi ſumit, inque rē ſuam, ſine eius facultate, cuius eſt dare, conuertit. An autem culpam ſit hāc abſterſurus, ſi quod benficiariis eſt in more, horas canonicas legerit, & an debeat, diſputant inter ſe auctores, nec ſenſu, ſententiaque concordant.

Ad has illum cogunt Azorius, Garcias, Suarez *lib.4.cap.19. num.*10 Laym. *de horis tract. 2.cap.5.q.3.num.3.* Liberat Nauar. *lib.1.conſil. 3. de ætate & qual.edit.2.* ad quem vt accedam hac inducor ratione. Quod obligatio recitandi horas canonicas manet ex ordine ſacro, titulo ab eo collato qui poteſt, mercedis perceptione, cui iuſta beneficij donatio, poſſeſſioque antecedere debet, ſecundum Sotum *lib. de iuſtit.10.qu. vnic. art. 3.* ergo cum intruſus, cum redituum ſacrorum iniuſtus occupator, non ſit beneficiarius, non eſt ad horas, lege cæterorum communi adigēdus. Nam quis hæreticos in Anglia ac Holandia religionis violatæ reos dicat, quod non officio defunguntur Eccleſiaſtico, ob beneficia, ac eorum fructus, quos ſubſtractos Eccleſiæ ſibi ſumunt, illis quidem cedere debent, & hos reſtituere, ſed horis recitandis operam dare, & ni faciant peccare, quenquam eſſe qui aſſerat, non ſcio, quod eſt argumento, his eum nexibus ſtringendum non eſſe qui beneficio fruitur Eccleſiaſtico, ſed à ſeipſo, & ſine titulo.

QVÆSTIO XXII.

An ſimiliter in eo pietatis munere verſari debeant, qui beneficio quidem ſunt donati, ſed vacuo ac ſterili, & ex quo reditus, culpa ſua nulla ad eos niſi tenues ac pauci, aut nulli perueniunt.

AFfirmantem tenet Gloſſa in *can. Clericus victum 1.diſt.91.* vbi is qui *alias non poteſt ex beneficio fructibus iubetur victum ſuo artificio quærere, abſque detrimento proprij officij*, nec tamen ei à vigiliis, orationis habendæ cauſa, abeſſe permittitur, vt eſt in *can. 1.& 3. eiuſdē diſtinct.* Idem aſſerunt Nauar. de *orat. cap.7. nu.27.* Caſtro Palao *de oratione in communi diſp.2.puncto 1. paragrapho 2.* Valent. *22. diſp.6.q.2.puncto 10.*

Pro eadem ſententia proferuntur hæc argumenta.

Primum, quod pars ſit ſemper amplectenda tutior, præque ea negligenda tuta, *cap. iuuenis 3. de ſponſalib.* At eſt ſententia, quæ beneficiarios ad horas teneri aſſerit, etſi parum, aut nihil emolumenti ex beneficio ſuo percipiant, oppoſita tutior: ergo, &c.

Secundum, Clericus videtur hac lege tenue acceptaſſe beneficium, vt quæ ſunt preces inſtituto Eccleſiæ beneficio adiunctæ, has ille, non obſtante eius leuitate, ac paucitate reddituum, ex officio & cū obligatione legeret, eſſet enim iniquum, illum non perferre eius legis iugum, quæ eſt beneficiatis ſui ſimilibus impoſita.

Tertium, abſolutè & ſine addito beneficiario datur in mandatis, in Lateran. Concil. vt horas decurrat: eſt ergo à beneficii poſſeſſi reditibus quibuſcunque, id eſt tam qui ampli ſunt, quam qui tenues, repetenda obligatio eas præſtandi.

Quartum, ſibi ſuæqué imprudentiæ imputare Clericus debet, quod beneficium, vacuum quaſi ac ſterile acceptauerit: ergo ſi quod cæteris præcipitur, officium facere cogitur, ſine cauſa queritur.

His inducti argumentis ad partes tranſiuere Gloſſæ hi auctores Maior *in 4. diſt.12. q. 6. parag. colligendo,* Anton. *3.par. tit. 13.cap. 4.* Sylu. *verb. hora q. 2. num. 1.* Tabienſis *eod.nu. 2.* Graffius *lib. 2. deciſ. cap. 49.* Victorell. *ad adſummam Toleti lib.2.cap.12.* Comitol. *lib. 1. reſponſ q.68.* Reginald. *lib. 30. tract. 3. cap 4. num.33.* Nauar. *25. Enchir.num.102 & cap 7. de orat.num.27.* Azor. *1. par. moral. lib.10.cap. 3.q.3.* Tolet. *lib.2.cap.41. num.8.*

Opinionem ſequuti ſunt oppoſitam Malderus *de orat. dub.3.* Sotus *de iuſtit. & iure lib. 10. q.5.art.3.* Sa *verbo hora*, Leſſ. *de benef.* Sanch. *in conſil. lib.2.cap. 2. dub. 66.* qui omnes beneficii

ficii poſſeſſorem horis canonicis non addicunt, ſi eſt illud ita ſterile vt ex eo nulla aut modica percipiatur merces, quam ego ſententiam tutam & in praxi tenendam cenſeo primo quia nemo ſtipendiis ſuis militat auctore Paulo: ergo nec orare gratis, lex cum canonica vlla obligat.

Secundo, vt beneficium datur ob officium *cap. extremo de reſcript. in 6.* ita & officium eſt ob reditus, qui illi ſunt affecti, præſtandum, qui enim altari miniſtrat, de eo neceſſaria vitæ ſubſidia ſi petit, facit quod poſtulat æquitas: ergo ſi Sacerdotium nullos poſſeſſori ſuo reditus ſuppeditat, vnde ad vitam ei neceſſarij commeatus ſuppetant, nulla quoque erit eidem recitandi diuini officij neceſſitas.

Tertio, exigit commutatiua iuſtitia æqualitatem rei ad rem, ſecundum proportionem arithmeticam iuxta philoſophum *lib. Ethic. 5. cap. 2. & 3.* D Thom. *22. q. 61. art. 2.* atqui ſtipendia Eccleſiaſtica, decimæ, oblationes Eccleſiaſticis perſonis dantur pro labore ſeruitutis ſuæ, ac obligatione faciendi officij ex commutatiua iuſtitia: debet ergo intercedere æqualitas inter officium & beneficium aliqua.

Vt minorem, licet perſpicuam, probem, ſepono prius in officio Clerici, id quod eſt ſpirituale, quod non eſt pretio æſtimabile, & aſſumo tantum laborem & obligationem recitandi quotidie diuini officij per duas horas aut amplius.

Probatur ergo minor, quod pro labore datur, ex iuſtitia commutatiua tribuitur, vt cum conducitur mercenarius, qui agrum colat, aut opus cuius cauſa adhibetur, faciat. At dantur Eccleſiaſtica ſtipendia Clericis, tanquam iuſta operæ ſuæ merces, nam *numeror. 18. filijs Leui*, inquit Scriptura, *dedi omnes decimas pro miniſterio quod ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis teſtimonij*, Et Lucæ 10. *Dignus eſt operarius mercede ſua*, ait Chriſtus diſcipulis ſuis.

Reſpondebunt aduerſarij, volenti iniuriam non fieri, ſibique ſingulos imputare debere, quod beneficia ieiuna acceptauerint.

Verum enim non facit eorum imprudentia, vt res in ſe, inæqualis non ſit & iniuſta. Deinde non eſt eius acceptatio, niſi cum promiſſione tacita, faciendi pro tali ſtipendio quod eſt iuſtum, & non amplius. Qui enim *altari inſeruiunt*, Paulo teſte *1. ad Corint. 9.* de altari participant, *& qui ad onus eligitur à mercede repelli non debet*, Innoc. III. iudice, *in cap. cum ſecundum Apoſtolum extra de præb.* cui ergo non ſuppeditatur quod ad victum eſt neceſſe, non tenetur ad obſequium aliud quam quod par eſt ac proportionatum operæ à ſe exhibendæ aut exhibitæ.

Verum enim (inquit Nauar. *de orat. cap. 7. num. 27.* de bonis Eccleſiæ, multis tantum tri- A buitur, quanto eſt opus ad vitam, vt Clericorum famulis, ac ſcholarum magiſtris, qui cum ſint Laïci, nec proinde addicti choro precibus non dant operam, male ergo ex inæqualitate ſtipendij cum labore quem in canendo, aut orando Clerici ſuſcipiunt, eorum ad id munus, obligatio tollenda dicitur.

Sed non aduertit Nau. ſingulos pro conditione ſui ſtatus, teneri Eccleſiæ operam collocare ſuam in eo miniſterij genere, cuius cauſa adhibentur, eo præciſe nomine, quod iuſtá eis mercedem iſta numeret, magiſtros quidém docendo, Oſtiarium claudendo & aperiendo ianuas, beneficiarios orando, vt ergo B illi nón tenentur in officij laborioſis & arduis, gratis ac ſine præmio ſeruire Eccleſiæ, ſic nec Clericus in pari munere, niſi forte filij, peioris eſſe conditionis debeant quam famuli.

Excipiendus eſt caſus in quo ſtat per ſolum beneficiarium, quo minus iuſta ex re ſua emolumenta habeat, puta quia propria beneficij onera ſubire renuit, quia officium non facit. Nam quis ferat licere vlli diuinum cultum pro arbitrio minuere, idque impune? aut æquum eſſe quis putet, vt vlli fraus ſua proſit? aut vt culpa ſua negligentiaque Eccleſiam de- C bito fraudet obſequio? vtrumque facit, qui officii diuini legibus aliquem aſtringi non iudicat, eo quod beneficium non incolat, quod in eo non reſideat.

Argumentis allatis pro prima ſententia reſpondendum eſt, Priori quidem, nulla tùm fuiſſe adhuc beneficia, aut ſi extiterint conſuli tantum, eo loco Clericis, vt operi ac agriculturæ otii vitandi cauſa vacent, non autem imperari abſolute, vt officium ſuum mercede præſtent, cum id ſit prudentiæ ac rationi aduerſum.

Secundi neganda eſt Maior, nam ad vi- D tandam culpam eſt ſatis, operari prudenter ac cum ratione, id vero efficit, qui probabili ductus cauſa in opinionem veriſimilem abit, certiorem relinquit.

Tertij neganda eſt ſequela, eiuſque eſt fides ex ſingulorum beneficiatiorum repetenda ſenſu: hos vero id velle (quod in argumento dicitur) ſibi ad horarum nocturna, diurnaque penſa, nexum aliquem ac obligationem iniectam eſſe, ſi ad vitam vtcumque tolerabilem, neceſſaria non habeant, nemo eorum opinor dixerit, qui rem ſuis, id eſt iuſtis E momentis æſtimant.

Ad quartum Dicendum eſt, non niſi de iis beneficiatiis ſermonem in Concilio Lateran. eſſe, quorum beneficia, prouentus ad vitam idoneos poſſeſſoribus ſuis proferunt.

QVÆSTIO XXIII.

An noui canonici peccare ſint cenſendi, ſi ſolitas Eccleſiæ preces non decurrant eo quod primo ac ſecundo anno, quo ſunt in ſacrum canonicorum Collegium allecti, fructus nullos habeant.

DE culpa eos damnant Leſſ. *lib.2.cap.34. num.*170. Suar. *lib. 4. de horis cap.20.nu.* 7. Azor. *to.1. lib.* 10. *cap.4.* Excuſant Garcias *tract. de benefic.par.3.cap.1.num.*70. Layman. *de horis tract.2.cap.5.q.4.num.4.parag.ſed graue dubium eſt*, quorum ego ſententiæ aſſentior, ob rationes quæ ſequuntur.

Primo, quod omnium iudicio beneficium detur ob officium, ergo cum beneficium ius ſit percipiendorum fructuum, eo iure qui caret, ab officio eſt liber.

Secundo, tria ſunt ex dictis antea neceſſaria, vt quis dicendi officij legibus ſit obnoxius, beneficij collatio, eius pacifica poſſeſſio, & fructuum perceptio. Deeſt his canonicis de quibus eſt hic ſermo, fructuum collectio: ergo & ad horas obligatio, ita Caſtro Palao *de orat. in communi diſp.2.num.20.parag.2.*

Habent tamen aduerſarij, duo quæ nobis opponant.

Primum, quod etſi hi canonici nihil biennio iſto percipiant, recepturi tamen ſint poſtea.

Secundum quod Pius V. in Bulla 106. eorum locorum conſuetudinem improbet, in quibus id ſibi hi canonici de quibus modo agimus, licere putant, quod & feciſſe Ioann. XXII. patet ex *Extrauag. ſuſcepti regiminis 2. de el. ct.* eos ergo vacare culpa non putant, ſi (quod illis conceſſum volumus) vacationem ab horis capiant.

Reſpondend. priori argumento, incertum eſſe, verum eis aliquid vnquam commodi ſit venturum, eo præciſe nomine, quod prouentibus beneficiorum ſuorum propriie careant, cum mori poſſint, aut beneficiis in fauorem tertij cedere.

Secundo Paulo iudice qui altari ſeruit, de altari viuere debet: ergo è contra, qui neceſſaria vitæ ſubſidia à beneficio ſibi commiſſo non accipit, operam ei ſuam deferre nullo naturæ aut Eccleſiæ iure cenſetur obſtrictus eſſe: ergo nec horarum, cum ſit earum lecti, o officij pars non vltima beneficiarij.

Ad ſecundum reſpondendum Ioan. pro nobis facere. Enimuero ferre ſe non poſſe ait, quod qui beneficia canonice obtinent, & ad quos alias de iure fructus ipſi ſpectare deberent, nihil inde percipiant, vnde id mali ſequitur quod cum neceſſariis vitæ propagandæ ſubſidiis careant, reſidere ipſi, proprioque id eſt ſuo defungi munere in Eccleſiis nequeant vbi beneficia poſſident, exiſtimauit ergo hic Pontifex, eiuſmodi genus hominum, ob defectum prouentuum, ad horarum quotidianum penſum ſoluendum non aſtringi, alioqui id dixiſſet, cum è contra, vt faciendi officij cauſam habeât, fructuum partem iiſdẽ diuidi velit ex qua ſe ſuoſque ſuſtentent ac alant. *Nos*, inquit, *de illo, ſuper his remedio prouidere volentes, per quod, & hi & illi, in fructuum prædictorum perceptione participent, & Eccleſia debitis ſeruitijs non fraudentur, ſtatuimus, quod illi qui fructus prædictos ſibi integros hactenus vendicabant, nihil exinde vltra ſummam, pro qua vnumquodque ipſorum beneficiorum conſueuit in ſolutione decimæ taxari, prætextu cuiuſuis ſtatuti aut conſuetudinis percipiant, reſiduo prædicta beneficia obtinentibus remanente.*

Et quanquam ſecus Pontifex quam nos ſentiret non tamen ideo cogendi hi eſſent Canonici ad horas, quod Pii IV. & Ioan. conſtitutiones non ſint in multis locis receptæ, vt Laym. *cap. ante citato q. 4. num. 4.* & Nauar. *de horis & orat. cap.7. num.30.* aſſerunt. *Quare non auderem*, inquit Laym. ibi, *damnare Canonicos talium Eccleſiarum, ſi primo, vel altero anno, quod nihil accipiant, officium non recitent, eo quod non ſit conſuetudo, & Decanus & Capitulum eos ad orandum obligare non ſoleant.*

QVÆSTIO XXIV.

Quantis eum abundare reditibus oporteat, qui neceſſaria diuini officij lege tenetur ſub culpa.

HAc de re, certi ſtatui quid poſſit non occurrit, vt enim ſunt tempora, loca, perſonæ earumque conditio diuerſa, ita & ſunt impenſæ, quas eos in ſumptus quotidianos facere eſt neceſſe, differentes ac variæ, plures vnus ad ſtatus decentiam ſeruos exigit, pauciores alter, nec vbique merces omnes pretio eodem væneunt, carius vno ſtant loco, vilius alio, facit hæc itaque tam rerum, quam perſonarum multiplex ac varia ratio, vt de prouentu definire non ſit facile, quem ſuo poſſeſſori beneficium dare ac parere quot annis debeat, vt ei penſi canonici exoluendi legem dicat, ita certi aliquid quod tam illi, quam cæteris ex æquo conueniat ſtatui nequit.

Quinque ad id ducatos ſufficere dixerunt è Thomiſtis aliqui Octo alii vel decem, vt Sotus *l.10.q.5.art.3.* Sexdecim Leſſius *lib.2.cap. 34. dub.31. num.169.* infra quos, quicquid datur aut percipitur ob ſui tenuitatem, minus eſſe ait, quam quod eſt ad omnes horas quotidie dicendas neceſſe.

Malderus *in 2.2. tract.* 10. *cap.2.dub.3.* ad hoc diuini officij perſoluendi ſubeundum onus,

eos prouentus poſtulat, qui prudentis æſtimatione, ſpectati tam loci quam perſonarum circumſtantiis, iuſtæ ſuſtentationis partem tertiam ſuo poſſeſſori tribuant. Eiuſdem ſunt opinionis Caſtro Palao *de orat. in communi disput. 2. punct. 1. paragr. 2.* Suarez & Sanch. *in conſil. lib. 2. cap. 2. dub. 67.* Palacios *in ſumma verbo hora*, octo ducatis, ad hanc precum obligationem inuehendam eſt contentus. Alij nummos 15. aureos ſufficere ad id aiunt, quod hi Clerico partem ſuſtentationis neceſſariæ ſuppeditent, exigit paulo plures id eſt 16. aut viginti Leſſius *lib. 2. de iuſtitia cap. 34.* vt paulo ante eſt dictum: vult idem Sanch. *in conſil. lib. 2. cap. 2. dub. 67. & multi*, cum illo ibid. quod hæc ſumma ſuſtentationis partem mediam Clerico, non omnino vltimarum in Eccleſia Dei partium, ſubminiſtret, ex quo concludit eius beneficii poſſeſſorem ex quo hęc prouenit ad horas teneri. Satis eſſe dicũt alij quod quis ſit beneficiatus etſi ex beneficio ſuo nihil percipiat, vt Caſtro Palao ſupra, eo quod Concil. abſolute dicat beneficiatum obligari ad horas.

Quod meum ſit ſuper hac quæſtione iudicium, ſequentibus Aſſertionibus explicabo.

Prima Aſſertio, *Ad officium horarum explendum, cogi non debet, qui è ſuo beneficio, fructus percipere nullos poteſt, aut ſi aliquos, non niſi tenues*, Sanch. ſupra *concluſ. 2.*

Ratio eſt, quod ſuam gratis operam collocare alicui nemo neceſſario debeat, cum Chriſto auctore ac iudice, *Dignus ſit operarius mercede ſua*, Lucæ *10.* ex iuſtitia vero duntaxat, quibus par labori ſuo ſtat merces, quali cum careant, qui è beneficio ſterili naſci nihil vident, quod in ſuum conuertere commodum queant, ab horarum ſunt onere ſoluti. Sunt ſecundo, ab horis immunes ac liberi, quorum beneficia aureis non niſi viginti in reditus annuos proferunt.

Ratio eſt, quod non ſit ea ſumma alendo beneficiario anno toto ſufficiens ac idonea, ergo nec apta obligationem parere quæ quot diebus ſit implenda.

Hæc eſt cauſa, cur *in Conſil. loco citato concluſ. 2. parag. Nota*, dicere Sanch. ſit auſus, eum cui ex beneficio ad depenſum quotidianum ſufficientes non ſunt redditus, cum aureos hi 16. aut 20. non excedunt ad nihil teneri, quod abſolute dictum ac ſimpliciter, veri ſpeciem non habet. Etenim gratum erga benefactorem animum beneficiatum exhibere conuenit, proque ratione ac modo prouentuũ quos ei beneficiũ ſubminiſtrat, preces pauciores aut plures pro eius ſalute Deo fundere. Quare Confeſſariis ſum auctor, vt Clericis quibus Canonicum officium ob paucitatem redituum, imperandum non putant, Horas de Beata quotidie dicendas imponant, aut vt canonicis aſſueſcant, ſemel aut bis de ſeptimana has ipſis decurrere ſuadeant.

Qua de re vt ſunt hi à Confeſſariis admonendi, ita illos quoque ab his interrogari conuenit, ecquid in eo Chriſtiani hominis, ac beneficiati partes expleuerint, quod ſi forte non fecerint, non ideo tamen ad vllam eos cogi reſtitutionem fructuum conuenit, quod non ſit ea omiſſio contra præceptum Eccleſiaſticum, ſed naturale tantum, quo cuique præcipitur orare pro fundatoribus, quam ad rem preces ſufficere poſſunt quælibet.

Aſſertio tertia, *Licet aſſignari certa fructuum beneficij quantitas præciſe nequeat, quæ ad recitandum officium obliget mihi tamen non eſt improbabile exigi, vt ſuſtentationis partem plusquam mediam beneficiario præbeat.*

Pars prima probatur, ſunt beneficiarii dignitate ſibi impares, ſunt genere, ſtirpeque diſſimiles. Eſt etiam in prouinciis magna in rerum pretiis diuerſitas, non eadem vbique pecuniarium copia, ergo cum quiſque eſt alio nobilior, hoc ampliori ad vitam commeatu egeat, ſumma non poteſt præſcribi omnibus definita ac certa, qua contenti viuant.

Deinde quo pluribus vrbes ac prouinciæ abundant opibus, hoc merces quæ ibi ſunt vænales, hoc alimenta cæteraque humanæ vitæ commoda, carius væneunt, vilius è contra, cum eſt in iis rara pecunia, ciborum ingens copia, ergo cum de vrbium ſtatu, prouinciarum inopia, aut abundantia Theologo Doctori plane non conſtet, nec de ſumma quoque conſtare certo illi poteſt, quæ beneficiarium præcepto de horis recitandis facit obnoxium.

Dici tamen vere poteſt, hanc eſſe oportere eiuſmodi, quæ ſuſtentationis bonam partem hoc eſt media maiorẽ præſtet: ita Sanch. cum aliis quos citat *in conſil. lib. 2. cap. 2. dub. 67. concluſ. 2. & concluſ. 1.*

Ratio eſt, quod ſit ea ſumma notabilis, nec ſtipendium operæ in fungendo ſuo munere exiguum ac leue.

Pars hæc ſuſtentationis media, quæ Clerico beneficiario non nobili, orandi canonicè neceſſitatem iniicit, aureos triginta quinque aut 40. circiter exigit, quos ille è beneficio ſuo annuatim colligat.

Antequam probetur notare placet, non alimenta modo, non victum ac potum tantum ſuſtentationis nomine intelligi, ſed quidlibet aliud, ſine quo humanitus viuere homini inter homines honeſte vix licet, quo de rerum genere ſunt veſtes, domus, ſerui, ac vecturæ: quo ſuppoſito.

Probatur Aſſertio, Quod communiter ſacerdoti cuilibet è turba, eleemoſynæ nomine à fidelibus ſacri faciẽdi cauſa datur, id eius vitę vtcunque ſuſtinendæ, tuendæque cõditioni ſuæ eo ipſo die quo dicit, cẽſetur idoneum: ſed aſſes decẽ gallicos ordinarie id nõ egredi-

tur qui trecenties ſexagies quinquies multiplicati quot ſunt in anno dies ſexaginta coronatos conflant, cuius ſummæ pars media ad 33. coronatos ſeu centum libras francicas aſcendit, ergo qui ex beneficij ſui reditibus, quinos in ſingulos dies, aſſes non percipit, ex quibus, ſibi panem ac tantillum edulij comparet, ab horum eſt onere liber.

Secunda Aſſertio, *neque tamen precum eum omnino expertem eſſe conuenit.*

Nam hac lege duntaxat, bonis potiuntur Eccleſiæ Clerici, vt Chriſto Seruatori fundatorum animas commendent, precibus adiuuent, à purgatorij pœnis liberent, flammarum quibus vruntur acrimoniam, lachrymis ſuis ac votis temperent: quare ſum his auctor, qui triginta aut 40. aureos in bonis Eccleſiaſticis non habent, dicendi quotidie Roſarij B. Virginis, aut officij eiuſdem, vel mortuorum, vel canonici aliquoties in hebdomada ad boni viri arbitrium.

At non ſunt operæ, quæ adhibetur in penſi Clericalis ſolutione, æquales aurei 40. cum ergo labori par ex iuſtitia commutante merces eſſe debeat, nullam eius in Clerico beneficiario obligationem parient.

Antecedenti occurri debet cum diſtinctione, aut enim de beneficiatis vulgaribus agitur, aut de his qui ex nobili magnaque ſtirpe editi principem in Repub. Eccleſiaſtica, locum tenent, ſi primum Antecedens eſt negandum, ſi alterum, concedendum, quo plus enim quiſque genere præſtat alteri, hoc impenſis maioribus, ne ſtatus ſui dignitatē parſimonia ſordida commaculet, viuere debet.

Quodnam eſt ergo illud, quo, ſi quiſpiam potiatur, ne contra leges, mores & inſtituta Pontificum aliquid faciat, horis eum quotidie recitandis intendere oportebit?

Diiudicatio Antiſtitum & Doctorum in Baſileenſi Concilio fuit, ei qui in honoris gradu eſt collocatus, ducentos nummos aureos ad vitæ commeatus neceſſarios eſſe ſatis, quos tamen Adrian. *in 4. diſput. de reſtitut. q. quia in præmiſſis*, ab homine ſimplici exigi iuſtè non poſſe tradit, quod vt Pariſini Doctores decreuiſſe dicuntur olim, eiuſmodi homini ac cæteris beneficiariis communibus ſatis eſſe ad victum putauerint beneficium 15. librarum id eſt vt interpretatur Nauar. *in tract. de orat. & horis canonic. cap. 12. num. 69.* quadraginta aureorū nummorum, quos tamen modo vnius hominis vitæ tolerandæ, ſatisfacere poſſe nemo opinor exiſtimat, quia pretia rerum creuere, maiorque eſt hoc tempore quam vnquam menſarum luxus, victuſque lautior. Itaque quia homini plebeio centum aut 80. aurei ſufficere poſſunt, vt ſe vtcumque, hoc eſt parce ac non omnino maligne ſuſtineat, quod dicere ante memini, & hic repeto vt quis ſuſtentationis ſuæ partem mediam, è bo-

A nis Eccleſiaſticis habeat, & ſic orare canonice debeat, ſatis eſſe ſi vectigal annuum è prouentibus Eccleſiæ 40. aureorum nummorum poſſideat, quæ eſt opinio Sanch. loco citato, & aliorum quos profert.

Quod ſi præter preces, Miſſæ quoque ſacrificio eſt vacandum, etiamne tùm eſt fructuum, ſeu pecuniæ, quæ Miſſæ reſpondet, habenda ratio? vt ex ea, aliaque quæ oranti ſtipēdij loco tribuitur, ſumma compleatur iſti obligationi par & æqualis?

Sententia meo ſenſu vera eſt, fructus qui B pro miſſa ſacerdoti dantur ab iis ſeiungendos videri, qui debentur orantibus, proindeque ſi ea deducta ſumma quæ litanti in capella eleemoſyæ nomine tribuitur, tantùm beneficiario non ſit reliquum, quantum eſt ad partem iuſtæ ſuſtentationis mediam neceſſe, ab horarum lectione immunem eſſe, earumque loco quæ Virginis appellantur aut mortuorum, dici poſſe, vel Roſarium aut breuiarij partem aliquam.

Quod autem in fructu ea ſint habenda tantum, quæ dempta eleemoſyna, pro miſſis ad C quas eius beneficium obligat, ſacrificanti eſt tribuenda oſtendunt hæc argumenta.

Primum, quod cum eſt ob non præſtitum officium faciēda fructuū reſtitutio, in his numerari non ſoleant, qui ſunt à ſacrificante pro labore in dicenda miſſa percepti, quod eſt eius rei argumentum, de qua agimus, fructus eos duntaxat in ordine ad horas ſpectādos, qui beneficiario poſt numeratum ſacerdoti ſtipendium ſuperſunt integri.

Secundum, quæ ſacrificanti promiſſa merces datur, eſt ab ea diuerſa quā beneficiarij vt D rem pro horarum recitatione ſibi debitā vendicant, nā qui ſacrificat, pro fundatore extra ſacrificium non orat, pro precibus ergo canonicis, quas priuatim Deo ipſe fudit, nullum è capellaniæ fructibus in qua Capellani loco ſacrum fecit, poſtulare ipſe ſtipendiū poteſt: eſt ergo merces quæ nauatæ per eum operæ reſpondet, ab ea diſtincta, quæ precum cauſa, beneficiario non eſt neganda.

QVÆSTIO XXV.

E *An is cui ſunt à Papa fructus beneficij omnes, pro penſione traditi, aut eorum pars maior, teneatur ad horas.*

AFfirmat Flam. *lib. de reſignat. 1. q. 9. num. 5.* à quo non multum abludit Nauar. nam *in cap. 7. de orat. num. 25.* cùm ait qui penſionem Clericalem habet, ad vitæ ſuſtentationem ſufficientem, ad recitationem horarum B. Virginis ſub eadem teneri pœna, qua beneficiarii ad horas Canonicas obligantur.

Cæterorum eſt opinio iſti oppoſita Suar. *lib. 4. cap. 22. num. 6.* Reginaldi *to. 2. lib. 3. tract. 3.*

cap.4.ſect.3.num.41. Graffii *lib.2.deciſion. cap. 49.num.*19. quæ ſola eſt vera & tenenda, probatur.

Sunt ad ſacram & religioſam diuini officii lectionem obeundam, tria duntaxat hominum genera Eccleſiæ voluntate, ac præcepto, obligata, initiatorum ſacro ordine, Beneficiatorum, ac Regularium, quo de numero communiter non eſſe penſionarios nemo neſcit, nec enim eos neceſſario ſacro vllo charactere inſignes eſſe oportet, regulam profiteri vllam in Cœnobio. Accenſeri autem beneficiatis non poſſe, probat hæc ratio.

B Præter ius colligendorum fructuum, titulũ quoque beneficii, ratio ac natura in beneficiato exigit, hoc eſt ius ac poteſtatem ſacræ functionis exercendæ, at talem in eo non agnoſcit Eccleſia, qui in illa gradum non habet alium, quam meri penſionarij.

Quid ſi ſit hæc penſio amplior, quam ad vitam honeſtè agẽdam poſtulatur? quid ſi præſcriptum à Pio V. horarum penſum, cum oportet, & quo modo, non ſoluitur?

Quod beneficiariis reliquis cum ſibi, officioque deſunt, præcipi debet, in penſionario obſeruare conuenit, vbi eſt prædicti Pontif. Bulla recepta, quare vt illis cum horas non impediti, dicere negligunt, eſt à Confeſſario fructuum imperanda reſtitutio pro rata (vt loquuntur) omiſſionis, ita & pẽſionario, hoc tamen diſcrimine, quod illis pars ſit tãtum ea reſtituenda fructuum, quæ horis reſpondet, non oneribus aliis, quæ eos ex propria muneris ſui ratione ſubire oportet, cum penſionarius redhibere omnes debeat, vtpote qui curæ ſuæ, aut operæ partem nullam in Eccleſiæ, aut beneficii, ſuper quo, ſua eſt impoſita penſio, bonum ac vtilitatem conferat, Graffius ſupra.

Eſt huic quæſtioni agnata altera, nempe ecquid penſionarius pauperibus diuidere debeat quod ei de penſione ſua non eſt ad vitam neceſſe? Exempli cauſa, mille aureorum ei penſio penditur, cum nõgenti illi ſint ſatis ad vitæ communia, ſolitaque onera, quæritur, an centeni qui ſuperſunt, pauperibus aut locis piis ſint debiti?

Deberi Nauar. tradit *in Apolog. de reditib. q.1.monito* 80. quia res (inquit) cum oneribus ſuis tranſit *ca. ex literis de pignoribus & ca. paſtoralis de decimis*, ſed habent bona Eccleſiaſtica hoc annexũ onus, vt ſi quid forte beneficiario de neceſſariis ad vitã ſit ſuper, illud ipſum inopibus tribuat, idem ergo facere penſionario eſt neceſſe.

Eſt hæc quidem plena æquitatis opinio, quam tamen cum eo rigore receptam non credo. Si tamen daretur hac lege penſio, vt qui eam recipit, quot diebus horas B. Virginis diceret cum obligatione eius reſtituendæ, aut

A partis fructuum, eius occaſione ac nomine debitæ, cum penſionarius officium hoc precum negligit, putarem ei obſequendum eſſe, & quidem ante ſententiam, de quo quia certi nihil habeo, nihil affirmo, eſt huic quæſtioni affinis altera.

QVÆSTIO XXVI.

An qui beneficio ſuo ceſſit alteri, reſeruatis fructibus, teneatur ad horas, an è contra penſionarius?

Reſignatario id incumbere ſoli, non reſignanti qui fructus ſibi omnes ſeruatos voluit, ſcribit Reginald. *lib.30.cap.4.num.38.* dixit idem Suar. *lib.4.cap.*20. Palao *ſupra num.* 13. ita aſſerendi vna vtrique cauſa. Quod reſignatarius ſit vere beneficiarius, quod ad eum beneficii adminiſtratio tituliſque pertineat: ergo & horarum recitatio, ſicut & aliorum munerum executio.

Confirm. ſi reſignatarius ab orando liber eſſet, fundator precum ſuffragiis, quarum cauſa, bene de Eccleſia dotatione beneficii mereri voluit, culpa ſua nulla priuaretur, ad hæc Deo Principi, cultus exhiberi conſuetus C animorum damno non leui rueret, quo quid ad exemplum peius, ad pietatis erga Diuos cœlites excidium, accidere poteſt in Dei Eccleſia funeſtius?

Ab eorum tamen ſententia non abeo, qui negant Eccleſiaſtica beneficia aſſecutos, ex quibus, quod ſuſtinendæ vitæ ſuæ ſit ſatis, non colligunt, canonicarum horarum lege aſtringi, quam doctrinam probant auctores hi omnes, quos paulo ante commemorauimus, cum eſt quæſitum, an qui beneficium perquam D exile ſunt adepti, eſſent onere ſoluti perſoluendi diuini officij & in caſu propoſito Sanch. *conſil. moral. lib. 2. dub. 77. concluſ.* 1. Soto *lib.10.de iuſtit. q.5.art.3.*

Quod autem inde de Dei Principis cultu ac veneratione decedat aliquid, quod fundatori ac Eccleſiæ minus forte fœliciter ſit ac bene, quam ſi pro amborum tranquillitate ac pace preces conciperentur quot diebus ſolitæ, reſignatario verti non debet vitio, quum id operam dare non debeat, vt quantum in hac E mortalitate licet homini, Deo venerabundi ac ſupplices mortales fiãt. Dico amplius ab eo pietatis aduerſus Deum officio, reſignatarium diſpenſatũ videri, nã hoc ipſo, quod è re duorũ priuata, aut cõmuni Eccleſiæ, eſſe Pontifex cenſuit, vni eorum fructus beneficii à ſe reſignati omnes fruendos relinquere titulo reſeruato alteri, tacite quoque eundem à recitatione officii liberat, cum non ſit æquum hunc qui operæ mercedem nullam habet, in eorum claſſem conii ci, aut oneribus ſubiici

quibus ſunt fundatorum munificentia, ingen- A tia attributa ſtipendia.

QVÆSTIO XXVII.

An diſpenſatus in ætate, ſit quoque ab horarum obligatione.

CErta eſt decreto Eccleſiæ in Trident. *ſeſſ.23.cap.6.* aſſequendo beneficio præſtituta ætas, ibi enim negant Patres, cuiquam ad illud patere debere aditum, niſi ingreſſo B annos 14 & initiato prima tõſura, aut ordinibus quos minores nominant, quæ ætas cum ſit legendis horis idonea, firmaque ſatis, quæritur, an qui ea minor Papæ benignitate aut Epiſcopi, beneficium adipiſcitur, ab officii celebrandi præcepto ſit exemptus. In hac controuerſia quid verius exiſtimem indicabo concluſione duplici.

Prima concluſio, ſi is cuius poteſtati & curæ eſt à Ro. Pontif. demandata Eccleſia, eam ætatem non attigit, quæ par ſit horarum oneri, nempe quia ſeptimum annum non eſt egreſſus, aut per morbum, cum quo continuo C luctatur, in his verſari nequit, & hoc Pontifici eſt cognitum, hoc ipſo eiuſdem eſt indulgentia, ab earum recitatione liber. Idem eſt (inquit Sanch. *in conſil. lib. 2. dub. 61.*) quando ante ætatem, eum quem Papa legere non poſſe intelligit, beneficio dignatur, quia non eſt veriſimile velle communem Patrem, ſua beneficia in noxam, exitiumque cedere recipientium: Cederent autem, ſi qui per ætatem aut morbum pſallere nequeunt, in id iuberentur incumbere ſub culpa, ne hanc ergo huiuſmodi pueri contrahant, aut eius admittendæ cauſam dare putetur Pontifex, creden- D dus eſt cum iis, in hac orandi præceptione, pro cætera ſua in eoſdem charitate, diſpenſare tacite.

Neque tamẽ cũ in ſola ætate diſpenſat, cẽſendus eſt diſpenſare quoq; in precibus. Quia ſunt hæc duo vincula ſibi inuicem diſparia, ſolutus ergo qui erit ab vno, non erit ideo ab alio: quare in Pontificio diplomate, hoc eſt literis, quibus de beneficio prouidetur puero, meminiſſe ſolet Pontifex relaxationis, eidem ab E horarum quotidiano penſo conceſſæ, aut concedendæ, ad quam indulgendam, Cardinalis aut viri alicuius Principis prece ſe inductum ait, quod non faceret, ſi ætatis veniam dare, idem foret ac ab horis, orandique nexu immunitatem præbere.

Concluſio 2. Qui ab Epiſcopo, ſimplex aliquod beneficium ea ætate aſſequitur, qua ſapere puero non conceditur, vt ſeptimo aut octauo, non eſt tamen hoc ipſo à recitando officio exemptus, Reginaldus *lib.18. num.192* & alij apud illum.

Cauſa eſt, quod Epiſcopus citra ſpecialem ac propriam, ſibi ad id à Papa facultatem conceſſam, antiquare canones, in iis diſpenſare, preceſque quæ ſunt fundatorum voluntate ac Eccleſiæ, à beneficiario recitandæ, remittere aut condonare nequit: ergo nec orandi obligationem tollere, aut in ea diſpenſare: quare cum ad obtinendum beneficium, requiratur *ætatis maturitas, grauitas morum, & literarum ſcientia ex cap. cum à cunctis de elect.* quas tam ætatis, quam virtutis, animique dotes infirmum puerorum pectus capere cum nequeat, iis Eccleſiam, aut beneficium quantumlibet exile, quandiu ſunt tales, committere Epiſcopus non poteſt, niſi id ipſum Pontifex, aut rationabilis conſuetudo præſcripta permittat.

QVÆSTIO XXVIII.

Ab horarum recitatione, cauſæ quæ excuſent.

EST hæc quæſtio ad cognoſcendum, & explicandum neceſſaria, cum enim incidere tempora poſſint, quibus ad manum Confeſſarij aut Doctoris nulla ſit copia, qui doceat hic & nunc ceſſaſſe legem, eius ſeruandæ cauſam nullam eſſe, proindeque beneficiarium facturum nihil, quo lædatur obedientia ac pietas, ſi hic & nunc, ab horis ſibi canonicis vacationem eſſe cenſeat operæ meæ pretium facturum puto, ſi quæ eum cauſæ ab illis liberent, exponam more meo breuiter ac paucis.

Tractatur autem à Nauar. hæc quæſtio in *cap. manual. 25. num. 100. & de orat. & horis* 11. Leſſ. *lib. 2. cap. 37.* Reginal. *to.2. lib.18. cap.13. num.* 181. Laym. *de horis tract.* *cap.* Sylu. *verbo hora q. 4.* & aliis quorum legere modo veſtigia placet, vt quæ in iis videbuntur ad rem pertinere, huc conferam.

Sit hæc ergo cauſa prima ab horis beneficiarium eximens. Occupatio ſcilicet grauis aliqua repente ſuperueniens, quæ prætermitti, aut in aliud reiici tempus ſine ſcandalo nequeat, pietate, vtilitate, ac commodis, quæ redundatura ſunt in multos, preces horarias ſuperans, cuiuſmodi eſt ſtudioſa ac frequens ad lectiones Academicas agitatio animi, concionum adornatio, Confeſſionum auditio, Syluest. *verbo horæ num. 18.* Nauar. *Manuali cap.25. num.*101. Itaque ſi erit neceſſe ad populum dicere, ſi in frequenti cœtu hominum de Theologia diſſerere, ex ea petitas concluſiones defendere, ſit autem ex ipſius aut Reip. dignitate, vtrumque bene, & erudite facere, omnis erit honeſta tunc ratio beneficiario, omittendi officij, ſi neceſſarium ad id ſtudium, non patiatur hunc in eo perſoluendo verſari, Regin. *ſupra num.*187.

Dare tamen operam debent tā Doctores Academici, quam Confeſſarij, vt ſi licet, tempus occupent, ac prima luce ſacram venturæ diei obligationem anteuertant ſi poſſunt, id non facere cum licet, poſt eas occupationes penſum horarum intra diem naturalem non ſoluere, malum eſt, Laym. *lib. 4. tract. de horis cap. 5.*

Secundo, excuſat defectus breuiarij, quia *impoſſibilium nulla eſt obligatio d. geſt. de regul. iuris*. At eſt officij Eccleſiaſtici præſtatio, moraliter homini impoſſibilis ſine libello precario: ergo, &c.

Tertio, non eſt horarum omiſſio vitioſa ac culpabilis, niſi voluntaria. In eo non eſt talis, quem orandi ex libello precario commoditas non iuuat, puta quia eū culpa ſua nulla perdidit, aut demum ex obliuione naturali relinquit, nam pſallere more Eccleſiæ, ſine breuiario memoriæ ſuæ ſubſidio orare, pauci aut nulli poſſunt.

Quid ſi ſunt hic defectus Breuiarij beneficiario culpabilis? quid ſi illud ſecum deferre noluit, aut delatum tædio laboris abiecit?

Toties contra præceptum de dicendis horis peccauit, quoties eius inopia illi non patuit.

Primo, quia quo quis præcepto, dare precibus operam debet, eodem quoque illi adhibenda ſunt omnia, ad eius impletionem neceſſaria. At eſt de horis canonicis lex Eccleſiaſtica, quas tamen non eſt expeditum ac facile vlli ſine Breuiario dicere, ergo qua quiſque lege tenetur officium præſtare in horarum lectione, eadem quoque cenſendus eſt, ad cuſtodiam, curamque breuiarij aſtrictus eſſe.

Secundo, ad rationem culpæ ſufficit, eam in cauſa ſua eſſe volitam: At eſt omiſſio libri ſacri, in quo pſalmi ordine ſunt digeſti cum lectionibus, earumque reſponſoriis, aut eiectio accepti quia grauabat, cauſa neglecti diuini officij. Enimuero ſunt hi effectus in ſua cauſa communiter voliti, qui eam vt plurimum conſequuntur ob connexionem ſui cum illa neceſſariam, ſaltem moraliter, nam qui per accidens, raroque ei cohærent, vt ſub apprehenſionem non cadunt, ita nec voluntatis obiectum eſſe poſſunt, ſed cum libelli precarii iactura, à beneficiario vltrò, ſponteque facta, canonicarum eſt horarum omiſſio coniuncta moraliter, cum eum latere nequiuerit, ſine illius ſubſidio, tanto oneri memoriam eſſe imparem, ſibique dum nullam eius habiturus eſt copiam, officii faciendi ſpem preciſam eſſe, fuit ergo in Breuiarii iacturâ voluntaria, implicite horarum prætermiſſio volita.

Quid ſi eum amiſſi breuiarii pœnitet? quid ſi aliquod expetat, nec habere queat?

Reſpondend. non fore tum horarum omiſſionem culpabilem ac vitioſam, quia de amiſſo breuiario conceptus dolor facit, ne ſit voluntaria, conſequenter nec mala, Ludouic. de Beia *to. 1. caſu 44.* maxime ſi dolori accedat labor ad quærendam eius copiam.

Tertio, excuſat ab horis diſpenſatio Pontificis, quia cum ſit omni iure maior, id abrogare poteſt cum expedit. Non Epiſcopi, citra poteſtatem ſibi ab eo conceſſam, aut conſuetudinem rationabilem ac præſcriptam: de oppoſito Reginal. *lib. 18. num. 156.* Poteſt tamen inferior, Epiſcopo aſſerenti ſe cum eo pro auctoritate diſpenſare, fidem dare, ac habere, dum de contrario ei non conſtat, quod ſe poſſe Galli quidam Præſules aiunt, qua de poteſtate quia certi nihil habeo, non aſſumo, ſed tantum id Abbati & Abbatiſſæ, quoad ſubditos ſibi Monachos, aut Moniales non licere, ſecundum Nauar. *de horis Canonic. cap. 10. num. 24* Graphium *ſupra num.* 8. niſi eius rei iuſta aliqua ſubeſſet cauſa, vt infirmitas, tædium, magna difficultas, Ludouic. Portelius *in dubiis Regular. verbo hora num. 11.*

Quarto, excuſat neceſſaria aliqua circa horarum recitationem & cantum occupatio, qualis eſt, quærentis pſalmos & Antiphonas, Laym. *lib. 4. tract. 1. de horis cap. 5. num. 7.* Sylu. *verbo hora q. 12.* transferentis librum, thurificantis altaria, aut pulſantis organa: Azor. *par. 1. li. 10. ca. 13. q. 20.* Regin. *lib. 18. cap. 13. q. 188.*

Ratio eſt, quod chorus, cuius hi vices agunt, parteſque in miniſtrando explent, tam ſuo, quam eorundem nomine, pro iis, quod à ſe ſic occupatis eſt omiſſū recitet, ſuppleri id ergo neceſſario non debet ſub culpa, quia cum hi partem componāt chori, ſuo ſatisfacere muneri ſunt cenſendi, quum hic tam ſuo, quam eorum nomine Deo laudes inflammato ſtudio occinat, quæ eſt ſententia Doctorum veriſſima Raph. de la Torre in 22. *to. 1. diſput. 7. num. 12.* Dianæ *de horis reſolut.* 13.

Quinto, excuſat natura beneficij, cui precandi canonicorum ritu, aut orandi de breuiario nullam eſſe neceſſitatem impoſitam fundator voluit, eius generis ſunt quidam perſonatus & præſtimonia in Gallia de quibus auctores.

Sexto, excuſat ab horis infirmitas talis, quæ beneficiarium in iis, ſine damno valetudinis verſari non ſinat, qualē multi febrim eſſe non exiſtimant, per quam prius quā corpus eius vratur ardoribus, aut rigeſcat frigoribus, ægro iocari licet, aut cum amicis ſe inuiſentibus poſtquam eius vis, acrimoniaque defecerit, colloqui, tam ſua quam illorum cauſa multa quæ contentionem mentis exigunt aggredi, quæ eſt Nauar. opinio *de orat. & horis cap. 11. & Enchirid. cap. 25. nu.* 100. Graph. *ca. 54. num. 1.* nam quid ægrum

tum impedit, quo minus, quod ſibi ac hominibus tribuit, Deo ſaluti que ſuæ non neget? quare ad vitandos ſcrupulos quos opinionum varietas ac conflictus, parere tum ægro poterit in hac materia, auctor illi eſſem conſulendi Medici, Superioris, aut Confeſſarij, eorumque omnium, aut vnius alicuius de illis acquieſcendi iudicio. Nec enim vult Eccleſia morem ſibi geri à quoquam, cum corporis aut animi ſui incommodo, ergo ſi tale aliquod Medici iudicio ægro timebitur, horæ ab eo prætermitti poterunt ſine vitio. A

Quod ſi dubia erit infirmitas, ac propterea de cauſa certi ſtatui nihil queat, an ſit talis quæ ab horarum recitatione excuſet, ſufficiet inquit Gratius *deciſion. lib. 2. cap. 54. num. 2. auctoritas Prælati, nec de hoc eſt dubitandum.* B

Septimo, non obligatur ad horas, cui non eſt propoſitum amplecti ſuo tempore ſtatum Clericorum proprium, quia ſine tali voluntate non eſt hic in beneficiatorum claſſe ponendus: ergo nec ea, quæ eſt de horis legendis ſtato tempore, aſtringendus lege: ab ea cauſa habent pueri, quos parentes inuitos atque reclamantes beneficiis onerant, quibus cum C adoleuerint, eruntque viri inter viros ſunt ceſſuri, ab hac (inquam) cauſa habent, ne ſint precibus habendis ex forma Eccleſiæ obnoxij, cum huius intentionis inopia ac defectu à beneficiariorum ſint excluſi numero. Itaque cum ſermo erit de reſtitutione pauperibus aut Eccleſiæ facienda fructuum, quos male ac iniuſte Pater, dum viueret, ipſorum nomine percepit; maior ipſi quam cæteris qui ſibi ſunt in hæreditate comites ac ſocij non imperabitur, quia ad eam, nec hic nec illi tenentur niſi vt hæredes, quo nomine, ſibi ſunt omnes in reſtitutionis faciendæ onere, ex æquo ſimiles. D

Quid ſi dum hi adoleſcentes ac pueri, literis in Academia nauant operam, cæterorum morem in horarum lectione non ſequantur, eo quod perſoluto illi ſtipendio, qui eorũ vice ac loco, quot diebus ſacris in Miſſa operatur, tantum eis non ſit reliquum, quantum tolerandæ ac tuendæ vitæ ex parte ſaltem media ſit neceſſe?

Docent aliqui non ideo à communi breuiarij recitandi præceptione ſolutos eſſe, quod enim ſuſtentationis ſuæ partem bonam E ex commiſſi ſibi beneficij reditibus non capiant, ipſorum eſt vitium, nam ſi ad illius non eſſent functionem inhabiles, & ita, ſibi ſubrogare cum mercede operæ ſuæ non impari, dignum hominem non deberent, haberent haud dubie vnde orando canonice, ſtatui ſuo conſentanee viuerent, à quo vtrum iuſtã excuſandi ſui cauſam trahant non pauci ambigunt.

Negant Suar. *lib. 4. de horis cap. 21. num. 10.* Caſtro Palao *de orat. diſp. 3. punc. 1. paragr. 2.*

Quia tamen ſubductis expenſis quas eos in ſubſtitutum facere conuenit, nihil aut exiguum de beneficij prouentibus ad quotidianum depenſum ſupereſt, multorum eſt meaque opinio, eis ab horis concedendam eſſe veniam.

Enimuero non alia communi hominum opinione ac ſenſu, habentur in fructibus beneficij, quam quæ eius poſſeſſori deductis oneribus ſunt reliqua: ergo cum pſalmodiæ non teneatur animum vocemque intendere, qui ſine culpa aliqua ſua nullos percipit, ad eam eos pueros quandiu ſunt in Academiis, non aſtringi, eſt vt dixi antea probabile, ſi poſt perſolutum Vicario operæ ſuæ ſtipendium, nihil aut parum, ſit illis ad onera vitæ reliquum.

DE TEMPORE AD HORARVM PSALMODIAM NECESSARIO.

QVÆSTIO XXIX.

Quo tempore ſint dicendæ horæ.

QVIA ſuum eſt cuique horæ certum tempus, Eccleſiæ decreto aſſignatum, prout ipſa quæ ſingulis ſunt horis impoſita nomina indicant, myſteriis accommodata Chriſti patientis vt eſt initio huius tractatus dictum, quæritur an ſeruari ſub culpa debeat. Quæſtionis intelligentiam notitiæ quæ ſequuntur, reddent facilem.

Prima, non eſt horis eſſentiale, vna potius hora diei dici, quam alia, quia tempus rebus accidit ad earum ſubſtantiam non pertinet.

Secunda, Tempus matutinæ pſalmodiæ præſtitutum, eſt diei crepuſculum, Primæ, hora poſt ortum ſolem proxima, Tertiæ, quę eſt ab eius ortu tertia, ſub meridiem legi Sexta erat olim ſolita, Nona, circa ſecundam pomeridianam, Veſperæ ad quartam, Completorium ſub noctis crepuſculum.

Tertia, dies alij ſunt ciuiles, Naturales alij naturalis tempus ab exoriente ſole completur ad eius occaſum, Ciuilis fit vno cœli circumactu, quo dies verus, noxque continetur, vt cum dicimus aliquem 30. dies vixiſſe, etiam noctes intelligi volumus.

Quarta, diei Eccleſiaſticæ quoad feſta, idem non eſt initium, quod contractuum. Illis, enim à primis veſperis fit initium, con-

tractibus à media nocte ad alteram, Comitol. *lib. reſp.* 1. *q.* 50. quanquam cuiuſque loci atque prouinciæ, ſpectandam eſſe morem in celebrandis contractibus pro certo habeo, quum Babylonij diem inter duos ſolis exortus obſeruent, Athenienſes inter duos occaſus, Vmbri à meridie in meridiem vt Romani ſcriptores notant Macrob. *lib.* 1. *cap.* 3. Gell. *lib.* 3. *cap.* 2. qui eo tempore contractus fient, rati erunt ac validi. His quam breuiſſime licuit præmiſſis.

Dico primò, *Tempus intra quod dici horæ debent, definiri integro ciuili die hoc eſt à media vna nocte ad aliam*: Nauar. *cap. Enchirid.* 25. *num.* 97. vbi ait præcepto de horis ſatisfacere, qui eas ante noctem mediam pronunciat, eiuſdem ſunt opinionis Reginald. *lib.* 18. *cap.* 12. *nu.* 180. Suar. *lib.* 4. *cap.* 27. *num.* 3. Sylu. *verbo hora* 9. *dicto* 6.

Probatur, Quæ vt fiant diem habent liberum, hoc eſt quæ intra diei limites, lex ciuilis aut Eccleſiaſtica fieri præcipit, ſtata non habent ſpatia, non horam vnam aut duas, quibus ea eſſe aut fieri oporteat, ſufficit ad præſtandum officium, ea ante diei exitum ac præcepti exiſtere, patet in Miſſa, quæ quoniam audiri iubetur ante meridiem, quauis diei hora à primo eius aditu ad punctum temporis, quo ceſſat eius audiendæ præceptum & obligatio, executioni mandari poteſt, at præceptum de horis eſt tale, vt nomen ipſum officij diurni ac nocturni quo ſolitæ ſunt vocari, indicat.

Et licet *in cap. dolentes* 9. *de celebrat. Miſſarum*, vtriuſque fiat mentio, ibi tamen non præcipitur, vt quæ pars officij Nocturnis reſpondet, noctu expleatur, interdiu autem alia, etſi optandum foret, vt cum publice oratur, id eo tempore fieret quod deſignat Eccleſia, eaque particularis maxime, cui eſt beneficiarius aſcriptus vt habetur in *Clement.* 1. *de celebrat. Miſſ.*

Quanquam raro ſecluſo ſcandalo peccatur mortaliter, cum in choro horarij officij tempus mutatur, eo quod hæc temporis circonſtantia, ad materiam rei præceptæ non pertineat, ſed ad modum tantum Caiet. teſte *verbo hora*, Laym. *ſupra num.* 7.

Dico tamen ſecundò, *Conſtituta horis ſingulis tempora ſeruanda eſſe, niſi excuſet iuſta aliqua cauſa.*

Probatur, Non eſt horarum recitatio tam ad commodum inſtituta legentium, quam ad Dei cultum, at hoc iſte eſt maior, ampliorque, quo eſt eius laus in nobis frequentior. Modica tamen in temporis mutatione varietas, culpa vacat, ſecundum Laym. *ſupra num.* 7. qualis eſt cenſenda, cum Prima in hyeme duabus aut tribus ante ſolis ortum horis, vel duabus in æſtate poſt eū dicitur, eſt item extra culpam, cum Romanæ ſedis priuilegio nititur, quale conceſſum conſtat à Pio V. Minoritis, his enim dum iter habent aut iuſto aliquo domi ſuæ impedimento diſtinentur, officium, eiuſque partes omnes vno quaſi tractu mane ſummo, aut qualibet alia diei hora, quæ erit illis ad eam rem opportunior, dicere iſtius indulgentia Pontificis eſt licitum, Rodriguez *in ſuo Bullario fol.* 981. *colum.* 2. *num.* 17. Eſt item Religioſis Societatis IESV Clericis permiſſum, cum peregrinantur, aut iuſto aliquo impedimento occupantur mane dicere officium vſque ad Completorium incluſiue, *Compend. Societ. verbo horæ canonicæ parag.* 2. Portelius *in dubijs Regul. eod. nu* 17.

Dico tertiò, *Quod Religioſis his licet, licere quoque quibuſlibet alijs ex cauſa, quæ eos non patitur commode, deſignatis horis ab Eccleſia, verſari in oratione, nam tunc ſi priuatim orant, horas omnes mane prima luce, vſque ad Completorium excluſiue ſi dicant, non peccant*, Sylu. *verbo hora q.* 9. Laym. *loco citato num.* 7. Suar. *to.* 2. *de Relig. cap.* 27. *num.* 3. Valq. *de benef. cap.* 4. *dub.* 4. Binsfeld. *de horis*, Nauar. *Enchir. cap* 25. *num.* 97.

Probatur, primò, quia præſtat conſtituta precibus tempora occupare, quam eas omittere, vel ſub Veſperum fatiſcentibus oculis ac capite, curſim ac oſcitanter dependere.

Non eo tamen inficias, quin nonnunquam reiici eædem in ea tempora queant, quæ cœnam ſubſequuntur, quod tamen non niſi raro & ex cauſa faciendum puto, quàm enim ſunt illo tempore gratulationibus ac precibus Deo exhibendis, mortales parum idonei? mentem enim ad ſuperna enitentem, ad ima, plenus epulis, vinoque venter degrauat.

Secundo, Ad peccati fugam, maxime mortalis, ſatis eſt implere præceptum, eiuſque ſubſtantiam, cum accidentia eo rigore ſeruari non ſit neceſſe, neglecta culpam non niſi leuem inferunt, nullam autem, cum eſt ea relinquendi, cauſa honeſta aliqua ac iuſta, nec enim eſt veriſimile, velle tum Eccleſiam, Clericos ſacris initiatos ordinibus, lege ſua de horis, quoad illa aſtrictos eſſe. At cauſa eſſe talis aliqua ſupponitur, tempuſque horis accidit, cum id vnum ſpectare videatur Eccleſia, vt Deo debitas laudes, cultumque Clerici exhibeant, de tempore, quo id commodius facere valeant, parum ſollicita non niſi abſolute, ac verbis generalibus de eo loquitur, ſub officij diurni ac nocturni terminis. Quare vt non peccat, qui ex cauſa, vt ob maiorem quietem, ſtudendi neceſſitatem, omnes horas mane dicit præter Completorium, ita peccatum non admittit niſi veniale, qui ſine cauſa, horarum ordinem, aut tempus immutat, priuatim autem cum dicitur officium, culpa non eſt in quadrageſima horis legendis, applicare poſt prandium animum Suar. *cap.* 27. *num.* 9. Sa *verbo hora num.* 15. veniale tantum

citra ſcandalum ; ac negligentiam valde A culpabilem, eas dicere alieno tempore, hoc eſt non præſcripto ab Eccleſia, eo quod ad præcepti obſeruationem ſit ſatis, id intra diem ciuilem facere, qui à media nocte incipit, ac in ſubſequente deſinit.

QVÆSTIO XXX.

Inchoandi matutini quodnam ſit tempus, ſeu hora legitima.

VIri non pauci pij, rerumque Eccleſiaſticarum non imperiti, initium legitimum B diuini officij ab hora Pomeridiana tertia faciunt, vt Gauantus *in comment. rubr. miſſ. to. 2. ſect. 1. cap. 5. tit. 6. num. 6.* Barboſa *in collect. to. 1. lib. 3. tit. 41. cap. 1. num 5.* Henriq. *lib. 9. cap. 24. num. 7.* Bonacina *diſput. 1. de horis q. 17. nu. 7.* quod tamen aliqui improbant, eo quod, non ſint adhuc eo tempore, dictæ in Eccleſiis veſperæ, à quarum fine ac exitu, diei ſequẽtis Eccleſiaſtici initium, Eccleſiaſtica conſuetudo inchoat: quare non niſi poſt eas abſolutas, matutino initium dari poſſe docet Diu. Thom. C *quodlibet 5. art. 8.* eo quod Eccleſiaſtici officij feſtorumque dies, à veſpertinis horis incipiat; non ante, quod tempus cum eo coït, quod matutinis in priuato officio, mos communis Clericorum præſcribit, vt hora poſt meridiem quarta ei initium facere ſit licitum, ita Filiucius *tom. 2. tract. 23. cap. 8. num 275.* Diana *tract. 12. primæ part. reſolut. 39.* Nam vt ciuilium contractuum dies à media nocte incipit, ita à veſpertinis horis officij Eccleſiaſtici, & feſtorum, vnde ſi quis à dictis veſperis & completorio, matutinis recitandis vacet, *iam hoc*, inquit D. Thom. *pertinet ad diem ſequentem.* D

Verum enim, quoniam non omnes eodem tempore, & hora veſpertinis exoluendis precibus dant operam, ſed alij aliis citius, ne ſit ſcrupulo locus vllus, cenſet Comitol. *reſponſ. moral. lib. 1. qu. 50.* diuini officij legitimum tunc tempus cenſendum eſſe, cum ſol propius abeſt ab occaſu quam meridie, quod tempus ſic definitum ac notatum, coïre ait cum eo, quo abſoluuntur veſperæ, quod eſt veriſſimum, nam cum hæc communiter non inchoentur in Cathedralibus ante tertiam, raro autem hæ cum Completorio finiantur ante E quartam, eſt hæc hora D. Thomæ viſa ad inchoandum officium Eccleſiaſticum opportuna, cuius opinionem probant Suar. *lib. 4. cap. 27. num. 14.* Azor. *nu. 1. par. moral. Inſtit. lib. 10. cap. 9. q. 5.* Reginald. *lib. 18. cap. 12. num. 180.* quamuis cum D. Thoma *in quodl. 5. q. vlt.* culpandos cenſeant, qui tum orationi canonicæ indulgent, vt quietius ſomno vacent.

Verum enim (inquies) quum à media nocte diei fiat initium, terminetur autem noctis proxime conſequentis pari hora, quaſe lege ac ratione tueri poſſunt Clerici, quum matutinas ſoluunt preces 8. horis ante quam dies in quo dici debent, incipiat?

Reſpondend. cum D. Tho. Nauar. Caiet. Comitol. & aliis, id verum eſſe quantum ad contractus, & non horas canonicas, aut ſolennitatum celebritates, quæ quum à veſperis primis incipiant, durentque vſque ad mediam noctem quæ ſequentes veſperas excipiet, mirum non eſſe ſi tùm Clerici officio Eccleſiaſtico facere poſſint exordium, per matutinas diei ſequuturæ proximè. Neque tum tamen, aut ante noctem mediam, Prima legi poteſt, nam vt habet Nauar. id conſuetudo non patitur Eccleſiæ, ſed tantum vt intra ſpatium horarum 24. quibus eſt à nocte media principium, vſque ad alteram proxime inſequentem, tam illa quàm horæ recitari cæteræ queant.

DE ORDINE.

QVÆSTIO XXXI.

An Ordo horarum ſit in Præcepto.

QVæſtionis eſt hic ſenſus vtrum grauiter peccet, qui Tertiam, Primam aut Completorium anteponit veſperis.

Certaque eſt ac communior Summiſtarum reſponſio, non peccare grauiter.

Quia non eſt hæc ordinis mutatio, horarum oppoſita ſubſtantiæ, ergo cum hæc ſola ſit in præcepto, quæ in earum executione, modoque, mutatio interuenit, lethalis non erit.

Confirm. non ſeruare rei accidentia, etſi ſit culpa, non tamen mortifera, quia etſi tollantur, ſubſtantiæ tamen quæ ſola eſt præcepta, non nocent. Ordo eſt accidens, quia vt horis aduenit, ita illis poteſt ſine earum interitu adimi, quamlibet enim primo aut ſecunno loco hora dicatur aliqua, ſemper tamen dicitur, & ſic præceptum impletur, etſi non eodem modo & ordine, quo oportebat.

Neque id tamen ſine cauſa arrogare ſibi quiſquam poteſt, cum enim quæ moribus ſunt inuecta hominum vim legis habeant, vt ab hac, ita nec ab illis recedere vlli eſt auctoritate propria licitum.

Dixi *ſine cauſa*. Nam qui alterius iuuandi cauſa ei ſe in pangẽdis veſperis ſocium tradit, antequam Sextæ & Nonæ ſibi per otium licuerit incumbere, non peccat, quia cum id

exigat humanitas, omnibus præſto vt ſimus, A
quis officium Chriſtianum lædi putet, aut Eccleſiam tam ſeuere habere quenquam velle, vt ei tantillum differre horas omiſſas ſit nefas, dum veſperas quæ ſunt his poſteriores, cum Prælato qui rogauit, aut iuſſit, abſoluat.

Ab hac vera communique ſententia abit Vaſq. *de beneficijs cap. 4. parag. 1. art. 2. dub. 4. num.* 66. ibi enim cum à culpa veniali immunem non videri ait, qui ſine cauſa pſalmorum non ſeruat ordinem accuſandum autem de mortali, ſi ſæpe horarum inter ſe ab Eccleſia conſtitutam ſeriem interuertat & violet, vt B
faciunt, qui penſi nihil habent, quid primo, quid ſecundo, in earum recitatione pronuntient. Sed vt primum ab eo veriſſime dicitur, tantum venialem eum noxam contrahere, qui tertio, aut quarto præpoſtere, id eſt ordine, ac modo vſitatis in Eccleſia, orandi munus non implet, ita falſo, quod pace ſit eius dictum, loquutus videtur, cum de mortali eos arguit, qui ſæpe, & ex conſuetudine, in Eccleſiæ legem de ordine inter orandum non mutando, committunt.

Ex dictis infertur primo, non peccare eum, C
qui priuatim cum orat, preces flexis genibus quo modo Rubricæ Romani Breuiarij eo die dici imperant, non recitat, quia etſi id fieri valde deceat, non tamen peccat, qui extra chorum has in orando cæremonias non adhibet, quia non ſunt hæ, ſicut nec modus in præcepto, extra chorum. Teſtatur id Nauar. *in cap. 4. de horis*, his verbis: *Qui orat priuatim, etiamſi horas publicas recitet, poteſt citra peccatum orare pedes, eques, procumbens, iacens, vel recumbens, ambulans vel quieſcens iuxta Innoc. in cap de celebrat. Miſſarum dum id agat* D
ſine aliorum ſcandalo.

Infertur 2. culpæ affinem non eſſe, qui iis diebus qui à Paſchate ad Pentecoſten numerantur genu flexo orat, nam etſi id Patres in Concil. Nicæno *can. 20. vetuerint, Quoniam,* inquit canon, *in die Dominica quidam ad orationem genua flectentes, & in diebus Pentecoſtes, propterea ſtatutum eſt à ſancta Synodo, (quoniam conſona & conueniens conſuetudo, per omnes Eccleſias eſt, cuſtodienda) vt ſtantes ad orationem vota reddamus.* Etſi id (inquam) Patres olim prohibitum voluerint, conſtat tamen eius moris nullum modo in Romana Eccleſia vſum eſſe.

Vt communi hic multorum conſenſione olim receptus, inter eos viguit, ita contraria conſuetudine modo lapſus eſt ac cecidit, nam quis eſt omniū qui vbique viuunt, qui Paſchali tempore religioni ducat, orare flexo poplite? & licet eſſent hæ ceremoniæ ſeruandæ in choro, non tamen extra, quod quæ de dicendo Breuiario Rubricæ auctoritate Pontificis ſunt factæ, publicum maxime ſpectent officium, non priuatum.

QVÆSTIO XXXII.

An eſſentiale ſit horis eas, dici cum intentione implendi præcepti.

EST intentio duplex, actualis & implicita ſeu virtualis, illa eſt, cum beneficiarius aut alius quiſpiam ad horas obligatus, expreſſe ſecum ipſe ſtatuit, præcepto ſatisfacere. Implicita quæ & virtualis, non ponit actum formalem, nec eum ſemper comitatur, eſt tamen efficax propter actualem aliquem, qui præceſſit, v. c. ſumit quis in manus Breuiarium, vt ex eo preces legat, de præcepto interim non cogitans, nec proinde illi obſequi tali actione expreſſe volens, eſt in eiuſmodi homine virtualis intentio faciendi præcepti.

Rurſus eſt actualis intentio pro modo quo exerceri poteſt multiplex, cum enim ſit actus potentiæ liberæ hoc eſt voluntatis quo hæc fertur in aliquid, erit hic tam varius, quam eſt eius exercendæ modus diuerſus. Ergo vt intentio fertur in horas vt in obiectum ſuum, vel vt in terminum aut finem, ita poteſt duobus his modis actualis eſſe & expreſſa.

Primo, ſi intendat actum ſuum, quem exercet, id eſt, ſi velit pronunciare verba, eorum quæ ad officij ſubſtantiam pertinent, nihil omittere: & ſic nihil eſt aliud, quam velle recitationem ipſam horarum. Altero, ſi velit Dei gloriam, ſi ei debitum cultum reddere, ſi pro Eccleſia, ac fundatoribus orare, qui finis eſt, cuius cauſa ſunt Clericis horæ canonicæ imperatæ. Quæritur hic ergo, an aliquo de his modis ſit neceſſe ad præſtationem officii, preces intendi.

Et Reſpondet Sylu. *verbo hora quæſt. vndecima,* videri neceſſe. *Ibi,* inquit, *præcipitur deuotio, quantum ad actum exteriorem, vt non dicantur horæ, operando manualiter opera impertinentia, aut confabulando. aut faciendo huiuſmodi. quæ hic reprehenduntur, & ſimiliter quantum ad actum interiorem, ſine quo iſte exterior haberi non poteſt, cuiuſmodi eſt velle ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, & pſallendo, velle abſtinere à prædictis.*

Sylueſtri ſententiam redarguunt Vaſq. *de* E
benef. cap. 4. parag. 1. dub. 7. num. 114. Filliuc. *to. 1. tract.* 23. *cap. 8. q. 1. num.* 251. Anton. Diana *par. 1. tract. 12. reſolut.* 37. Portelius *in dub. regularib. verbo hora canon. num. 6. Quia lex diuina*, inquit, *ſolum obligat pro tunc ad talem ſubſtantiam operis exhibendam, & non curat de intentione, qua talis actio debeat fieri.* Hæc iſte. Probatur.

Dico primò, *Optandum eſſe vt horis fiat initium ab intentione, implendi præcepti, aut exhibendæ Deo laudis ac gloriæ.* Probatur.

Eſt præceptum de pſallendo, orandoque,

hominí impoſitum, eſſe hoc ei ergo in primis curæ debet, vt illud impleat more quo mortales legi parent, cum prudenter, ac vt hominem decet, operantur. At in homine quis approbat cæcum ac perturbatum in agendo animi impetum? quis cõſilii ac rationis vacuum? Sane cum viuit vt debet, ſuorum habet operum certum ſcopum, certum finem quò ea referat, nec ſe vnquam ad opus accingit, niſi quia actu aut virtute officium præſtare operando deſiderat.

Dico ſecundò, *Non eſſe id tamen neceſſe, vt recitans ſit ſine crimine.*

Ratio eſt prima, quod finis præcepti, ſub præceptum non cadat, alioqui pauci aut nulli, diuina & humana, quorum magnus eſt in Dei Eccleſia numerus, implerent, quotus quiſque enim eſt mortalium, qui feriis quadrageſimalibus ieiunio ex præſcriptione Eccleſiæ dat operam, vt offenſo Deo ſatisfaciat, carnem rationi obſequentem habeat, membrorum rebelles motus atterat, appetitiones intra rationis limites coerceat? Aut quis Miſſæ intereſt, cœleſtique Menſæ accumbit in Paſchate vt Principi Deo ſummos honores reddat, cuiuſmodi ſunt Latriæ? verum eſt ergo, præcepti finem in præcepto non eſſe: ergo & offenſam vitari poſſe, quamuis cum præcepto mos geritur, de eo implendo, vt legiſlatori ſatisfiat, non cogitetur.

Secunda, vt legi quis pareat, ſufficit eum facere quæ hæc imperat, etſi de obſequendo Principi, aut ſatisfaciendo legi non cogitet, conſequenter eius ſeruandæ voluntatem, ac intentionem actualem non habeat, hæc enim liberam tantum & humanam externi operis executionem præcipit, de fine cuius hæc cauſa fieri debeat, nihil dicit, ergo cum qui horas recitet, vere id actu humano & libero faciat, etſi de obediendo ſuperiori, & exequẽdo præcepto, cogitationem non habeat, ei tamen ſatisfacit.

Dico tertiò, *Virtualem ſaltem in beneficiario ad horas obligato, intentionem exigi faciendi præcepti cum illas recitat.*

Quia debet velle orare actu aut virtute, at hoc eſt cum intendere ſaltem implicite, præceptum facere.

Maior prob. Legi de horis non ſatisfacit, qui eas diſcendi, aut captandæ voluptatis cauſa legit, at non eſt eius rei cauſa alia, quam quod beneficiarium, aut alium quemlibet ad horas obligatum, oporteat velle ſaltem cum eas pronunciat, virtute orare, Deoque gloriam reddere, eſt id ergo neceſſe.

Virtualem autem intentionem habere is eſt cenſendus, qui ad orationem ſe accingit, virtute alicuius operis præuij, quod cum illa neceſſarium habet vinculum, vt ſi Breuiarium ad manus ſumat, ſi ad templum ita affectus eat, vt ſi de eo quæreretur quid ſpectet,

A quid in vſu libelli precarij quem manuterit, intendat ac quærat, cur templum petat, reſponderet, id ſe facere, vt officium præſtet, vt horas recitet, vt Deum ſibi, ac Eccleſiæ propitiet. Retinere porro hanc intentionem eſt credendus, qui eam in progreſſu non mutat, non contrariam ſuſcipit, non facit aliquid quod eſt cum impletione præcepti incompoſſibile actu aut virtute.

QVÆSTIO XXXIII.

An attentio ſit ad horas neceſſaria & quæ?

B EST attentio, animi aduertentia ad id quod agitur. Duplex eſt, vna interior, quæ hominum obtutum fugit, Deo tantum, & ei in quo ineſt, cognita. Altera exterior, quæ incurrit in ſenſum, & de qua coniecturis quæ eorum vſurpantur oculis, iudicare prudentes ſolent.

Vtraque rurſus eſt duplex, vna formalis ſeu expreſſa, virtualis altera. Prior accidit, cum animus iis quæ aut dicit, aut facit, præſens eſt, ſeu vt Auguſt. loquitur, quæ facit, vt *quod pro-*
C *fitetur ore, verſetur in corde.* Altera eſt in propoſito attendendi, ac inſuper in non reuocatione tam eius propoſiti, quam primæ voluntatis, cum qua quis animum ſuum ad orandum appulit, quæ voluntas expreſſa fuit aut virtualis orandi, ſine qua, vt ſcripſere Portelius *in dubijs verbo hora additione 2. num. 7.* Sanch. *in ſumma to. 1. lib. 1. cap. 13.* impleri præceptum nequit, eò quod *Orare ſit de ratione intrinſeca diuini officij.*

Petitur hæc vero attentionis diuerſitas, ex modo multiplici ac diuerſo, quo mens oran-
D tis circa preces verſatur, aut enim ad omnia quæ exigit oratio, cogitationem actu defixam habet, vt quum ad ea quæ dicit, facitque, animo eſt præſens: aut virtute tantum, vt cum aliis ſe rebus diſtineri non aduertit, quas exequeretur, ſi de euagatione, vel leuis aliqua animum cogitatio perſtringeret, vel cum ab rebus iis abſtrahitur, quæ illi obuerſatæ ſunt animo, cum orationi fecit initium, abſque eo tamen, quod ab iis deduci ſe, auelli que intelligat: eſt prior illa ſupplicandi ratio, actuali attentioni coniuncta, virtuali tantum al-
E tera.

Verum cum auctore D. Thom. 2. 2. *q. 83. art. 13.* Sanch. *in conſil. lib. cap. dub.* Nauar. *cap. de orat. 13. num. 4.* Laym. *de horis trac. 1. cap. 5.* Comitol. *lib. reſponſion. 1. q. 63 ſub finem*, cum (inquam) triplex ſit attentio, prima ſuperficialis (vt loquuntur) ad verba, ne male, aut tantum ex parte proferantur, literalis altera, ad eorum ſenſum, remque per illa ſignificatam. Spiritalis vltima, ad Deum qui oratur, Angelos, & Sanctos ad quos oratio dirigitur

dirigitur ac tendit, aut ad rem pro qua conſequenda oratio funditur, vt æterna gloria, pace, & continentia v. c. dubitatur, an omnes implendo præcepto ſint neceſſariæ, an contra ſufficiat vna de tribus, & quæ.

Prima ſententia eſt D. Thomæ. 1. 2. *q. 100. art. 9. in corp.* Durand. *in 4. diſt. 15. q. 12.* D. Anton. *in 3. par. tit. 13. cap. 4. parag. 8.* Koninch. *3. par. q. 83. de venerab Sacram. art. 6. dub. vnico num.* 291. Medinæ *cod. de orat. qu. 14.* Angeli *verbo hora canon. num.* 28. Breſſeri *de conſc. ſcrupuloſa cap* 13. attentionem exteriorem ad verba, interiore deſtitutam ſufficere, nec proinde peccare, nec reſtituendi obligationem contrahere, qui animo aberrante, (& vt loquuntur) diſtracto, orat. Ita Syluest. *in verbo hora q. vndecima* de deuotione interna in diuino officio vſurpanda, ſancitum ius nullum eſſe ſcripſit, his verbis: *Dicunt alij quod ſub præcepto cadit horas dicere, cætera vero quæ in deuotione conſiſtunt, ſuadendo dici, quod innuitur cum dicitur, quantum Deus dederit*, quem ſenſum videtur habuiſſe Hoſtienſ. & ſequitur eum tanquam benigniorem, quia Eccleſia, *non inijcit*, inquit, *laqueum, nec homines alligare debet oneribus importabilibus, &c.* quæ D. Anton. *in 3. parte tit. 13 cap. 4. parag. 7* eſt mutuatus, interpretationem enim earum vocum afferens quæ ſunt in decretali, *dolentes de celebrat. miſſar.* hæc habet. *Per quæ verba appoſuit conſilium fragilitati humanæ, quaſi dicat, præcipimus vt vnuſquiſque de die ac nocte dicat horas ſuas, intentionem autem & deuotionem in præcepto non ponimus, ſed gratia Dei, ſecundum quod ipſe dare voluerit duximus relinquendum.* Cætera quæ ſunt apud Sylu. ex eodem ſunt petita Antonino, ex quo patet nec paucorum hunc eſſe ſenſum, nec eorum, quorum nullum ſit inter Theologos nomen, hunc enim ſunt ſequuti P. de Nauar. *lib. 2. cap. 2. nu. 234.* Comitol. ſupra & alij apud Antonin. Diana *par. 1. tract. 12. reſolut. 2.* qui omnes aſſerunt, beneficiatis ſatis eſſe ad officium viri boni in hoc genere, *ſi recollecti extertus attentionem habeant; ſeruentque compoſitionem & modum orantium ſaltem in ſpeciem.*

Ex quo inferunt, nec præceptum de ſacro audiendo, nec de horis, attentionem exigere aliam quam externam, quam in corporis decenti ſtatu ac reuerentia poſitam eſſe aiunt, tum Miſſa auditur, impedimentorum autem, quæ cum horis compati nequeunt, reiectione acri ac ſedula, cuiuſmodi ſunt, ſcribere, legere colloqui ac ludere.

Diſſentiunt ab his auctoribus Caiet. *in ſumma verbo hora canonicæ cap. 6. parag. quoad tertium* Leſſ. *de benefic. cap. 37. dub. 11. num. 63.* Azorius *1 parte inſtitut. lib. 10. cap. 12 q. 6.* Valent. 22. *diſp. 6. q. 2 pu.* 10 Suarez *lib 3. cap. 4. & 5. & lib. 4. cap.* 26. Nauar. *Enchirid. cap. 25. nu.* 105. Adrian. *quodl.* 8. *art. 1. & in 4. q. 62. de Confeſ-*

A *ſione parag. alij probant.* Maior. *in 4. diſt. 12. q. 7.* Sanch. *in conſil. lib. 7. cap. 2. dub.* 28. docent enim hi omnes, attentionem interiorem eſſe in præcepto, ideoque peccare mortaliter, qui quod verbis, oreque enuntiat, non tantum mente non concipit, ſed à re quam facit, ab oratione cui ſe in ſpeciem impendit, ſciens ac volens alienas cogitationes ſuſcipit, huius ego quæſtionis explicationem in aliquot aſſertiones conferam.

Prima Aſſertio, *Qui ex præcepto Eccleſiæ tenetur ad horas ex horum auctorum ſententia probabili peccat mortaliter, ſi ſe data opera diſtrahi ſinat.* B

Eſt pro hac concluſione Innoc. III. ſanctio *in cap. Dolentes de celebrat. Miſſarum*, in qua huic Pontifici eſt viſum iubere, vt omnes, quibus vacare horis canonicis Eccleſiaſtica lege eſt neceſſe, illas *ſtudioſe, attente pariter & deuote recitent.* At non eſt externa deuotio, interna ſublata, deuotio, ſed fictio, cum opera quæ patent oculis, ſeque foris produnt, laudem ſuam omnem, vimque internis acceptam debeant, hæc ergo ſi ſuſtuleris, meritum C ſuum omne externis dempſeris. Nam etſi deuotio & attentio, res duæ ſint notione & natura longe diuerſæ, & inter ſe multum diſtantes, attentio enim eſt in intellectu, in voluntate vero deuotio, non poteſt tamen eſſe ſine attentione deuotio. Eſt enim hæc D. Thoma auctore *in 2. 2. qu. 82. art. 1.* nihil aliud, quam voluntas quædam prompta, tradendi ſe ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum, at hæc aduertentiam, & attentionem exigit, cum actus bonus, nec proinde deuotionis eſſe queat, niſi deliberatus, nec talis ſine attentione ad id quod geritur, cum voluntarium D idem ſit ac quod fit à principio cognoſcente ſingula in quibus eſt actio. Quæ ergo attentione erit deſtituta deuotio, non re, ſed nomine duntaxat eſt futura talis. Eam ſane Chriſtus improbat Matthæi 15. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum, longe eſt à me*, monetque eos Hieronym. *quibus eſt in Eccleſia pſallendi officium, Deo non voce cantandum eſſe ſed corde*, vt refertur, *diſtinct. 92. can. cantantes.*

Secundo, eſt horarum recitatio ex intentione Eccleſiæ, religionis actio, cum ſit oratio, cuius ope ac beneficio Deo loquimur. At E nec loqui vt hominem decet, nec Deum colere poſſumus vt conuenit, ſi peregrinante animo verba in ventum ſpargimus, de Deo, debitaque ei veneratione nihil ſolliciti, quod tunc ſane euenire nemo non videt, cum quem exhibemus homini, honorem Deo non reddimus. Enimuero quis Principem vnquam inconſideratè ac temerè eſt alloquutus & laudem tulit? aut quis in concione dixit vnquam, ſi ab his quæ lingua efferebat, animus aberrat? Næ ergo non ſapit, qui audiri ſe à Deo

credit, ſi ad ea quæ petit, aut loquitur, mentem non adiicit.

Tertio, ſi non eſt attentio interna neceſſaria, poterit quis non niſi ſimulatè & fictè orando, præceptum de horis implere, vt ſi eas religioſè dicere, habitu ipſo corporis præ ſe ferat, quum tamen in earum lectione, à populo honorem quærat, riſum captet, voluptatem ambiat, quam ſit id autem à ratione, Eccleſiæque inſtituto alienum, cui non eſt cognitum? cum Eccleſia non voces tantum, earumque pronunciationem diſtinctam imperet, ſed concomitanter quoque animi aſcenſum ad Deum, ſine quo non eſt vera oratio, vt docte docet ac erudite, Maior *in 4. diſtinct. 12. q. 7. in reſponſ. ad argum. contra 1. concluſ.* Quare vt Eccleſia dum confeſſionem Sacramentalem præcipit, concomitanter quoque animi dolorem, ſine quo non eſt vera confeſſio, in præcepto ponit, ita & cum horas à Clericis recitari imperat, id quo maxime ſunt meritoriæ, Deoque gratæ, omitti vetat, deuotionem ſcilicet, & ad id quod agitur, animi aduertentiam: ita Caiet. *verbo hora num. 6. & 7.* cum ait non rem tantum ipſam, ſed & dicendi modum ſub præcepto cadere, quod ex verbis initio allatis *ex cap. dolentes* probat, quibus accedit & ipſa ratio. *Nam non ad iterandum præceptum de officio, quod iampridem in vſu erat, ſed ad præcipiendum modum dicendi factum eſt præceptum, vt ſcilicet ſtudioſe & deuote quantum Deus dederit exoluatur.* Hæc ille.

Deo ergo facit iniuriam, qui orando ab eo diuagatur cogitatione & animo, nam quis credat patienti eum ferre animo, honoris ſibi, cultuſque minus, quam obſcuro ac vili cuipiam mancipio deferri? & tamen cum eo de noſtris, aut alienis rebus nullum vnquã linguæ commercium intercedit, niſi quam attentio, modeſtiaque in loquendo dirigit, quam ergo imprudenter facit & abſonè, qui deprompta è ſcripturæ ſacræ penu, Deo verba obtrudit temere, & quia ſine attentione, inuerecunde ac improbe.

Equidem cum mente conſtemus & corpore, æquius eſſe nihil poteſt, quam vtraque noſtri parte Deum venerari, eumque orbi ac nobis propitium facere. Eſſe id vero, quando & quomodo ſperari poteſt, ſi ad verba non accedit mentis ad quæ dicuntur aduertentia?

Aſſertio ſecunda, *Eſt tamen oppoſita opinio ab auctorum numero, qui ſe eius defenſores ac patronos exhibent, non improbabilis.*

Antequam probetur aduertendum eſt hoc attentionem internam differre ab externa, quod illa bona ſit ac laudabilis, iſta autem, hoc eſt externa, ſpeciem pietatis ſæpe habeat, non rem ipſam, cum non paucos eſſe conſtet, qui attentionem præ ſe orando ferant, cum ad ea tamen quæ proferunt, non attendant, ita pa-A tet attentionem notione ac natura à deuotione abiunctam eſſe, eſt enim hæc virtus, attentio minime, illa ſibi in voluntate domicilium ſedemque conſtituit; iſta in intellectu, facit hæc, vt animus iis quæ dicit, aut facit, præſens ſit, deuotio nos Dei obſequio, ſeruitioque addicit.

Secundo, notare lubet, attentionem, quæ foras erumpit, eſtque exterior, in eo eſſe, quod nihil dicatur aut fiat, interim dum oratur, quod natura ſua animum ab oratione auocet, ac abſtrahat, vt legere ſcribere, &c. his ita B præſuppoſitis probari poſſe videtur Aſſertio hoc modo.

Vt præceptum Eccleſiæ, de dicendis horis quis impleat, ſatis eſt, ſi quæ hæc præcipit, expleat, eoque modo, quem illa ſpectat ac poſtulat, facit hoc, quiſquis orando ea vitat, quibus diſtractio exterior vitatur. Maiorem propoſitionem nulli puto eſſe dubiam. Minor oſtenditur.

Ea tantum fieri iubet, aut prohibet Eccleſia, quæ ſi omittantur, aut fiant contra quàm præcipit, iuſta vindicare pœna poteſt, At hæc C non ſunt alia quàm quæ ſentiuntur, ac extra ſe produnt, quæ enim latent, quæ ſunt in arcanis animi receſſibus clauſa, ſolum Deum iudicem habent, attẽtionis genus hoc ergo quæ eſt interior, & ad id quod legitur, aut auditur, mẽtem defixam tenet, non imponit Eccleſia, ſed eas dũtaxat exteriorum ſenſuum functiones, corporiſque opera prohibet, quæ orantis animum ab oratione tranſuerſum agunt, vt legere, currere, ſcribere, de negotiis reipub. colloquia miſcere, ludere & alia id genus plurima.

Huius ſententiæ patroni ſunt illi ipſi, quos D quæſtionis huius initio pro prima opinione protuli, quam auctoritate ſua ſcriptiſque firmarunt Oſtienſis & D. Antonin. *in 3. parte tit. 13. cap. 4. parag. 7.*

Quorum eſt id opinione perſpicuum primo, attentionem per decretalem *dolentes de miſſar. celebrat.* interiorem non præcipi, ſed ſuaderi.

Secundo horarum quidem ſubſtantiam imperari, non modum, hoc eſt attentionem ac implendi præcepti voluntatem.

Tertio, ſatisfacere præcepto canonico de horis, qui illas vtcunque recitat, non ea tamen E pietate, ſenſuque deuotionis, quem debitus Dei honor, cultuſque poſtulant.

Quarto, Eccleſiam ſecundum hanc opinionem quam Layman. probabilem eſſe aſſerit *tract. 1. de orat. & horis num. 10.* Eccleſiam (inquam) non præcipere attentionem internam ne quidem concomitanter, cum ei ſufficiat, (inquit Laym.) ſi præcepto ſuo *obtineat à miniſtris vt in choro vel extra, pſallant decenter & cum reuerentia.*

Quinto, beneficiariis qui horas dixerint, ſine attentione, reſtitutionem imponendam nullam

nullam eſſe quia fecere quod iis præcipiebat Eccleſia, ſicut cum Corduba *lib.4 quæſtionarij q.13.* Toleto *li.2 ca.12. annotarunt*, Laym loco citato proxime, Henriq. *lib.9.cap. 25.nu.5.* vbi hæc habet, *Raro beneficiarius cogendus eſt fructus reſtituere ex eo quod ſine attentione recitauit.*

Sexto, non præcipere Eccleſiam niſi recitationem horarum vocalem, adeoque deuotionem & attentionem tantum externam, quæ in conuenienti pronunciatione verborum, & compoſitione corporis eſt ſita.

Septimo, eſt in horum auctorum ſententia probabile, dubitanti an attentus fuerit, iterandi officij neceſſitatem nullam eſſe, quia ſuperficialis ſufficit, ſcrupuloſis autem, & quibus alijs ſuadendum eſſe ne ea quæ ſe non legiſſe exiſtimant, quia ad ea animi vim ſui non intenderunt, cum dicerent, ſuadendum (inquam) ne repetant, niſi morali certitudine ea ſe non legiſſe ſciant, vt ex Nauarro docent Bonartius de horis *lib. 3 cap.23.nu.17.* Breſſerus ſupra *lib.6. de conſcient. ſcrupuloſa cap.12. num.* 167. quia ea ſe legiſſe more & ordine ſolito, coniectura non improbabili poſſunt credere.

Tertia Aſſertio, *Etſi præceptum Eccleſiaſticum impleat qui etiam cum cuitatur diſtractio exterior, eſt nihilominus ſemper in culpa, qui cum ea orationi animum applicat*, Breſſerus *ſupra num.* 164.

Probatur, ſacrarum vocum prolatio interiore attentione deſtituta in Dei, earumque redundat iniuriam, mala eſt ergo ac vitioſa. Nam quis ferat, viro Principi, aliquem auerſo vultu loqui? aut quum ei fit ſupplex, iocari, ridere, tumultuari? at magis ſunt Deo, ſuperiſque mortales iniurij, cum labiis, errante corde & animo, vota ei ſua explicant, quare qui peccare nolet, dum orat lingua, aut ad verba aut ad Deum, vel ad rem quæ ab eo poſtulatur, animum flectet, cogitationem intendet ac diriget, nec enim (libet enim locum hunc claudere Chryſoſt. luculenta oratione ad popul. homil. 79.) non enim *excuſationi nobis locus eſt futurus, ſi cum amicis loquentes adſumus animo, mentemque adhibemus, cum Deo vero colloquentes animo in rebus indignis peregrinemur.* Peccat enim contra præceptum diuinum non orandi diſtracte, qui ad vana trahi ſe ſinit, dum orat, ſed non niſi venialiter (inquit) Breſſerus etſi intra latitudinem peccati venialis, grauiter. Hæc ille.

Aſſertio quarta, *Non eſt neceſſe attentionem hanc actualem eſſe ad verba, vel rem illis ſignificatam, aut Deum.*

Ratio eſt, quod hæc moraliter ſit impoſſibilis. Nam quid eſt homine in rebus humanis inconſtantius? vel quid ea parte noſtri, quam imaginationem nominant, leuius, & ad omnia quæ ei obtruduntur, adhærens tenacius? Deinde, ecquid non fungitur officio, qui verba quidem ore pronunciat, ſed animo totus eſt in reuoluendis Religionis noſtræ myſteriis, aut re conſequenda, cuius cauſa orat ac pſallit, ad ea animum ac cogitationem non admouet? Id ſi conceditur (vt concedi eſt neceſſe,) ſine attentione actuali ad verba, præcepto Eccleſiaſtico de horis canonicis ſatisfacere poſſe Clericum, nemo Theologicis vel mediocriter imbutus, addubitauerit.

Nec eſt ſimiliter ad rem ſignificatam per verba actualis attentio ex præcepto neceſſaria, quia illud implere Moniales poſſunt peræque ac viri, quæ tamen latinè quia non intelligunt, ſicut nec ex Clericorum gente multi, eorum ſenſum non capiunt.

Secundo, præcepto de horis ſatisfacit, qui ſupremam ad Deum attentionem, tanquam ad orandi, finem habet, cum de humanitate Chriſti, eius cruciatibus, aut SS. gloria cogitare inter orandum præſtet, quam in ſingulis hærere vocibus eorumque ſenſu, at eſt eiuſmodi meditatio, ſine vocum quæ ore efferuntur actuali intelligentia ergo & præcepti Eccleſiaſtici de horis recitandis impletio.

Eſt hæc tamen doctrina ad eum reſtringenda caſum, in quo, nullum in verbis ac cantu orandi ſubeſſet periculum, nam tunc non eſſet eiuſmodi cogitationum in Deum, cœleſtiaque tranſmiſſio, laudabilis.

Ratio eſt, quod bonum exiſtit ex integra ſua cauſa, malum autem ex quocunque defectu. At hæc animi in Deum per meditationes euaſio, verborum pronunciationem debitam impedit vt ſupponitur, quæ tamen eſt in præcepto, vt patet ex *cap Dolentes de celebr. Miſſarum*, vbi expreſſa fit mentio diuini officij, quo nomine, non niſi externa oratio præcipitur, ob quam cauſam communis eſt receptaque DD. opinio, ei non ſatisfieri, niſi voces omnes diſtincte efferantur, talis ergo eſſe hæc debet, earum in voce recitantis efformatio, quæ periculo prolapſionis vacet, cuiuſmodi eſſe vix poteſt, ſine aliqua ad eas attentione, quanquam leui.

Aſſertio quinta, *Vt attentio ad verba aut eorum ſenſum cenſeatur haberi, quanta ad implendum præceptum eſt ſatis, duo requiruntur.*

Primum, vt in principio orationis quiſque attēdat, quid aggrediatur, quid agat, quid moliatur, animoque ſuo deſtinet, alterū, vt hanc ſuam intentionem non interrumpat, aut mutet: ita Sotus *lib. de iuſtit.* 10. *q.* 5. *art.*5.*concluſ.* 7. Nauar. *cap.* 25. *num.* 105. Reginald. *lib.* 18. *cap.*12 *ſect.*2.*num.*154.

Primum, facere quantum eſt ſatis orans, creditur, ſi ante recitationem officij in opere

verſetur aliquo, de quo interrogatus ſi foret, reſponderet, id ſe velle ac facere, præcepti de horis obſeruandi gratia. Eiuſmodi ſunt ſine intentione, quæ ſit ei oppoſita quam habet Eccleſia, breuiarium ſumere, in oratorio, aut templo, ſtatas ex formula conſueta Eccleſiæ, preces Deo fundere. In altero, hoc eſt intentione, non deeſt, qui conſulto inter orandum nihil facit, per quod à priori ſe attentione diuelli ſciat.

QVÆSTIO XXXIV.

An diſtrahi in oratione ſit culpa & quæ?

EST omnis animi euagatio ſponte ſuſcepta, omnis cogitatio quæ eſt à Dei maieſtate cui fit oratio, aliena, omnis occupatio quæ loco & tempori non eſt conſentanea, Chriſtiano homine, cum Deo ac Sanctis in oratione fit ſupplex, indigna.

Primo, quia eſt otioſa, vtpote tempore non ſuo ſuſcepta.

Secundo, quia periculoſa, ob iuſtum incurrendæ iræ diuinæ periculum, ac metum. An autem per ſe, & ſpectata naturali lege de orando vt oportet, religioſe & attente, ſic ſit eiuſmodi cogitatio recitationi horarum contraria, vt per eam illi, præceptoque non ſatisfiat, iam eſt videndum.

Dico primò, *Etſi ad vitandum peccatum ea ſufficiat attentio, quæ virtualis dicitur, non tamen ſi eſt hæc alienis, Deo & tempore curis interciſa, implicata cogitationibus*: ita auctores qui pro ſecunda ſententia magno numero ſunt allati.

Et quidem pars prima, affirmatur à Caiet. Nauar. *cap. 25. num. 106. & ſeq.* Medina *Cod. de orat. q. de attent.* Gerſ. *3. parte tract. de orat. litera F.* Sanch. *in conſil. lib. 7. cap. 2. dub.* 18. vbi hæc habet. *Nota quod modo quis incipiat horam intentione attendendi, quoties dedita opera mentem ab intentione non dimouet, licet ſit per totam orationem diſtractus, ſatisfacit præcepto orandi, quia reputatur illa diſtractio innoluntaria, & manet attentio virtualis quæ ſat eſt ad implendum hoc præceptum,* cuius rei eſt hæc cauſa, quod quæ lege ſua de horis fieri imperauit Eccleſia, hæc ſit exequutus omnia, dicit enim *horas leges*, & hoc ipſum effecit, nam in primis integre, non diminutè, & ex parte verba protulit, quibus ſunt horæ ſingulæ compoſitæ, deinde ab eo factum eſt nihil, vnde hæc eius aduerſus Deum, cœliteſque religio, vitium traheret, nam non eſt hæc eius euagatio voluntaria, vtpote non deliberata: ergo nec mala.

Partem aſſertionis alteram tuentur hi omnes qui preces canonicas attentione interna animi, præſentiaque vacuas, Deo negant A acceptas eſſe ac gratas, & probatur.

Qui orationis initio, nempe cum ad genua precaturus accidit, ſecum ipſe ſtatueret Deum non orare, non obſequi Eccleſiæ, non horas legere, nō poſſet dici eius paruiſſe mādatis in hoc genere, at eſt perinde, ſponte ſe attentioni ſubtrahere, mentem à Deo ad alia diducere, ac orare nolle.

Probatur, ſunt ij effectus in cauſa voliti, qui cum ea neceſſarium habent vinculum, vt ſunt ij omnes, qui illam ſequuntur vt plurimum, at eſt mentis ad vana, ridiculaque B tranſmiſſio, orationis interitus ac peruerſio, cum eſſe oratio nulla queat, quæ non ſit religionis actio, cuiuſmodi eſſe ceſſat, cum eam euagatio voluntaria inquinat: ergo.

Dico 2. *Eſſe hanc culpam mortalem in eorum opinione hominum qui à ſecunda ſtant ſententia; ſi eſt hæc euagatio aliquanti temporis, ſi moræ, in hac orandi materia, non leuis ac modicæ*: ita Regin. *lib. 18. cap. 12 ſect. 2. num.* 155. Sanchez *in conſil. ſupra*, & alij: probatur.

Demere de horis partem notabilem, eamque, cum incommodo nullo corporis ac C animi legi poteſt, nolle dicere, aut de cæterarum numero, quæ propitiando ac colendo Deo Principi adhiberi ſolent improbe ſubtrahere, culpa eſt, eaque mortali non impar, at idem virtute facit, qui rebus ab oratione, Deique maieſtate alienis, ſciens ac volens implicari ſe ac abripi ſinit, vtrobique enim officium nō facit, parque eſt ac ſimile, ſcienter diſtrahi, ac non precari: eſt ergo talis diſtractio mortalis.

Inuoluntariè tamen, ſed cum negligentia abduci à Deo, remanente orandi propoſito, etſi ſit peccatum, non tamen aliud quam ve- D niale ſecundum Caietan. *in verbo horæ num.* 10. Quia quæ oſcitāter ac lente facimus, plenè non ſunt ratione culpæ voluntaria, at diſtractionem qui vt debet non excutit, eſt in orando præſtandoque canonico officio negligens, non eſt ergo hæc eius negligentia lethifera, ſed venialis tantum.

Qui tamen ab Eccleſia modum orandi præcipi poſſe negant, quod de humani cordis arcanis, propriiſque eius actibus quæſtionem inſtituere aut iudicare nequeat, ſatis eſſe aiunt, efferre verba labiis, etſi ani- E mus ab eorum ſenſu, Deique cogitatione aberret. Cum iis qui ſentiet, vt à peccato, ita & à reſtituendi onere beneficiarium eximet, quem interna aliqua diſtractio inter orandum occupatum tenet, non externa, quanquam quæ ſunt eiuſmodi, non ſunt omnes de earum ſerie ac numero, quæ ſunt attentioni ad horas neceſſariæ, oppoſitæ. Quia cum multis rebus huius generis ſtare poteſt ſaltem virtualis attentio ad verba & ad Deum, cum in orationis limine offerri hæc Deo poſſit, taliſque attentio illibata ſeruari, ac in-

tegra, dum perſeuerat.

Quid? quod qui S. Dominici inſtituto viuunt ac legibus, iubeantur dum ſe ad orationem præparant, horas B. Virginis ſubmiſſa voce, ſolique orare, quod nec ipſi pro ſua in Deum pietate facerent, nec S. Pater mandaſſet, ſi precari, eaque ſimul operari, quæ in ſpeciem, aliquo videntur modo attentioni officere, peccatum foret.

QVÆSTIO XXXV.

An interruptio in horis vitioſa ſit ac mala.

PEccare Clericum ad horas obligatum, cum interruptæ perſoluuntur, dixere magni hi viri Crucius in *directorio Conſ. par. 1. præc. 3. art. 3. dub. 4. concluſ. 2.* Homobon. *de de examine Eccleſ. par. 1. tract. 4. cap. 4. q. 39.* Vaſq. *de beneſic. cap. 4. parag. 1. dub. 6.* Suar. *de relig. to. 2. lib. 4. cap. 24. num.* 10. Argumenta quibus id probant ſunt iſta.

Primum à ritu, præſcriptaque per Eccleſiam orandi forma qui diſcedit, quia plus æquo ſibi, iudicioque ſuo tribuit, imprudenter facit, ideoque male, cum omnis peccans ſit errans. Sed horam qui diuidit, aut interrumpit, Eccleſiæ morem quæ continuate eas vult dici non cuſtodit: ergo, &c.

Secundo, ſunt horæ canonicæ integrè, non per partes dicendæ, at continuationem officij, quæ eſt cum illius integritate connexa, interruptio adimit, facit enim vt in vnum numero, ambæ partes in quas eſt diſtracta hora, non coeant, vnitas enim actus tam à tempore, in quo exercetur, quam eius continuatione petitur. *Sicut opus integre recitandi,* inquit Nauar. *cap. 10. de orat. num. 2.* cui opinioni Palud. eſt aſſenſus in *4. diſt. 15. q. 5. art. 2. concluſ. 3.* vbi ſic *Item debet eſſe continua, id eſt non interrupta, nec diuiſa vocaliter, quantum ad vnam horam, quæ vno contextu dicenda eſt, non alijs occupationibus intercidenda.*

Sunt in contraria ſententia Fernandez *par. 3. cap. 13. parag. 7.* Leſſius *lib. 2. cap. 37. dub. 10. num. 57.* Rodrig. *to. 1. cap. 13. parag. 7.* Caiet. *in verbo quando horæ parag. quo ad quartam.*

Dico primò, *Legi ſatisfacere celebrandi officij, qui illud abrumpit verbis non neceſſarijs, otioſis, aut re quapiam agenda, quæ ſit à ratione pſalmodiæ aliena, dummodo non ſit ea interruptio longa.*

Probatur, Interiectio rei non neceſſariæ, aut otioſæ inter horarum pſalmos, actum non perimit, nec adeo diſcontinuũ facit, vt impediat, ne prima ſecundis, antecedentia nectantur ſequentibus, & ita vnum moraliter componant, niſi forte eſſet hæc vocum rerumque interpoſitio tanta, quæ, partes officij inuicem ne coirent, quoddamque vnum morale facerent, impedimento eſſet: ergo ſi non erit eiuſmodi, præcepto de orando ſatisfiet, nec erunt ei horæ ab integro repetendæ, qui otioſa quædam vanaque illis interſerit ſine cauſa.

Dico ſecundo, *Ab interruptione qualibet, horis præiudicium non accidere eiuſmodi, vt ius eas ab initio iterare oporteat, peræque ac ſi dictæ non eſſent.*

Probatur, ſi horarum integritas, cum earundem interruptione qualibet ſtare non poteſt, fit id ideo, quod cum attentione actuali ad verba, virtuali autem ad Deum, rei cuiuſpiam cogitatio quæ ad orationem non pertinet, animum ſubit ac pulſat, cum qua tamen præcepti Eccleſiaſtici de attente orãdo, impoſſibilis ſit obſeruatio, vel quia orãdi modus iſto perfectior omittitur, quod non oportet, nec decet.

Non primum, quia prædicta attentio ad officium boni viri, vitandumque peccatum ſufficit. Non alterum, quia de tenendo orandi perfectiſſimo modo, nulla eſt humana aut diuina præceptio, non peccat ergo, qui eum omittit aut non adhibet.

Secundo, etſi canonicarum precum curſus tantillum retardetur, ac verò etiam, verbis intercidatur non neceſſarijs, tamen dicuntur integræ: ergo cum earum ſubſtãtia, ſit in præcepto ſub mortali, & non modus, earundem leuis, interruptio quæ ad modum pertinet, præcepto de horis exitioſa non erit.

Dico tertiò, *Peccatum eſſe venialis irreuerentiæ, ſine graui iuſtaque cauſa, profana colloquia ſacris miſcere, nullum autem, cum eius maculam abſtergit aliqua ſperata vtilitas, aut inopina neceſſitas.*

Eſt concluſio ipſa per ſe nota, nam quis Principem lædi non cenſeat, ſi auerſa facie ei loquare, vel ſi illo relicto ad alium ſubito tranſeas, ad eundem rediturus, vbi cum iſto tua, non tamen neceſſaria negotia tranſegeris? at idem facit, qui ſuas preces, hoc eſt ſacra cum Deo colloquia profanis fœdat, nam ſi hic in illo pietatis ac reuerentiæ in Deum ſenſus eſſet, quo Sanctorum imbuta ſunt pectora, ab eo totus pendere vellet, ad hominem nunquam niſi cum licet, verbis aut cogitatione diuerteret.

Licet autem (inquit Nauar. *de orat. cap. 10.*) *aliquando ſanctè & cum merito.* Ecquando id vero? reſpondet idem *in cap. 16. eius tract. n. 68.* licere *ob opus aliquod miſericordiæ ſpirituale vel corporale, & num. 69. propter potionem medicinæ, & num. 70. propter explanationem alicuius obſcurioris loci quem pſalmi obijciunt legenti,* de quo tamen ambigo, quia eius rei tum faciendæ nulla videtur eſſe iuſta cauſa.

Dico quartò, *Si eſt interruptio notabilis, inter pſalmos vnius horæ, quæ continuationem tollat officij, eius perſoluendi legi non ſatisfieri.*

Quia eſt hæc continuatio, cum integritate horæ connexa, ergo cum hæc dici debeat integre, debebit & continuè, quare eam ab integro repeti oportere, dixit Comitol. *reſponſ. lib.1.q 66.* pro cuius rei fide faciunt argumenta allata pro prima ſententia, quæ cum ad ſtomachum multorum nō faciat, improbetur autem maximè à P. Anton. Diana, eam iterandam negat quantacumque horas inter & pſalmos interceſſura ſit mora, *Si interruptio duret,* inquit, *per vnam aut duas horas, manet tamen ſubſtantia precum, quia ſinguli pſalmi, vt notat Leſſ. imo ſinguli penè verſiculi per ſe habent ſuum pondus, & ſignificationem completam, & ſunt per ſe, vel precatio vel laudatio, vel ſententia, non habens cum alijs neceſſariam connexionem, ſi igitur aliquis perſolueret diuinum officium cum magna interruptione, & ſine iuſta cauſa, non eum condemnarem de peccato mortali,* quæ hic verba addi placuit, vt qui in hac ſunt materia iuſto religioſiores, in iis malo ſuo medicinam inueniant.

QVÆSTIO XXXVI.

Ad quid teneatur Eccleſiaſtici beneficij poſſeſſor cùm horas negligit, aut ſine attentione, ac diſtractus legit.

PRiuſquam quid animi, iudiciique ſuper præſenti cauſa habeam, explicem.

Suppono primo, attentionem eſſe in præcepto, & non tantum horarum ſubſtantiam, quia eſt vtraque in virtute obedientiæ præcepta *in cap. dolentes de celebrat. Miſſar.*

Suppono 2. non tantum ſubſtantiam actus, ſed eius quoque modum præcipi, quando eſt hic qualitas quædam actui neceſſario coniuncta, patet in Confeſſione, quæ dolore deſtituta, mortuæ ſimilis, ſine vi ac robore effœta iacet.

Suppono 3. præcepto quo tam actus quoad ſubſtantiam, quam modus iubetur, ſatisfieri non poſſe, niſi actui adiungatur & modus, Gloſſa *in can. notificaſti 33 q.3.*

Dixi cum *iubetur modus*, nam ſi hic non eſt in præcepto, per ſolam actus ſubſtantiam implebitur, vt patet in præcepto, de ieiunando, danda eleemoſyna, &c. quod cum à fine & modo non pendeat, etiamſi Deum præ oculis pauperes iuuando aliquis non habeat, ſicut & ieiunando peccata ſua expiare non intendat, præcepto tamen ſatisfacit.

Suppono quarto, Attentioni ad horas neceſſariæ, opponi euagationem animi, quæ eſt tam actu quam virtute volita. Eſt actu volita, quum eſt ſpontanea, quum recitans ad ea ſcienter quæ legit, non animum aduertit. *Implicita ac virtute*, quum orans iis ſe vltro ac ſponte irretiri curis, ac rerum humanarum

A cogitationibus patitur, quæ eum à veneratione, cultuque Dei auocant, nec eas abigit, nec cum poteſt, ad Deum redit. Facit idem, qui ſe in res externas effundit, quæ cum attentione interna bellum indictum habent, & ita cum ea ſtare nequeunt, eo quod eſſe hæc cum earum molitione rerum nequeat quæ attentionem tollunt, quo de genere ſunt, ſcribere, legere v. c. aream domuſque ſolum verrere, non autem lauare manus.

Dico ergo primò, *Omittenti horas canonicas ſine cauſa, fructuum perceptorum reſtitutionem imperandam ad eum modum eſſe, de quo nobis poſtmodum eſt futurus ſermo*, nempe pro rata B partis omiſſæ.

Rem certam miniméque dubiam verba ipſa Concil. vel leuiter aduertenti reddunt, legi poſſunt in Concil. *ſeſſ.9. can.9.* legi item Pij V. Bulla 138. cuius meminit Nauar. *Ench. cap. 26. nu. 122.* quæ recepta fuiſſe dicitur in Hiſpania & Italia, & in Epiſcopatibus Galliæ quatuor, & totidem Conciliis Remenſi *titulo 4.* Burdegalenſi *cap.3.* Tholoſano 1. *parte cap. 4. num.2.* Rothomag. *cap. 2. num.1.* Concil. Lateranenſis ſunt hæc verba. *Decernimus & ordinamus, vt quilibet habens beneficium ſine cu-* C *ra, ſi poſt ſex menſes ab obtento beneficio, diuinum officium non dixerit, legitimo impedimento ceſſante, fructus ſuos non faciat, pro rata omiſſionis officij, & temporis, ſed tanquam iniuſte perceptos in fabricam aut eleemoſynas pauperum impendere teneatur.*

Dico ſecundò, *In quibus locis eſt receptum Lateranenſe Concil. Bullaque Pij V. eſt hæc fructuum reſtitutio ante omnem iudicis ſententiam facienda*, Theſaur. *in praxi Eccleſiaſt. par. 2. verbo horæ cap. 1.* Laym. *lib. 4. tract. de horis 1. cap.5.* Sanc. *lib.2. conſil. cap.2.*

D Probatur, Qui ſibi, officioque ſuo deeſt in hac horarum materia, iubetur à Concil. fructus perceptos pro rata omiſſionis, in fabricam Eccleſiæ, aut pauperum eleemoſynas, tanquam rem non ſuam & iniuſtè acquiſitam impendere. At quod eſt alterius, nec iuſtè poſſidetur, ei in cuius eſt iure, reſtituendum eſt ante omnem ſententiam: ergo & fructus Sacerdotij, quum non eſt beneficiarius, munere ſuo in orando functus.

Dixi vbi *eſt receptum Concil.* nam quum non niſi ab eo habito, fieri hæc reſtitutio debeat, E quandoquidem vt narrant D. Th. *quodl.3. art. 29.* Anton. *3. par. tit.13. cap 4. parag. 6.* Nau. *de horis cap.7. num.21.* Sylu. *ver. Clericus 4. q. 13.* ſatis eſſet antea, preces Confeſſarij iudicio, pro reſtitutione fructuum Deo pendere, ergo cum lex non obliget niſi recepta ac promulgata, ad hunc reſtituendorum fructuum nexum contrahendum, oportet legem de ea facienda receptam eſſe.

Probatur 2. Datum ob cauſam, ea non poſita eſt reſtituendum, ante ſententiam ſed [illegible] diurnas,

diurnas, annuaſque beneficiorum obuentiones, vult Eccleſia, iuſtam laboris mercedem eorum eſſe, qui orando, pſallendoque ſumitur, ergo ſi nullus erit, eam naturæ iure reſtitui oportebit.

Sane qui non præſtat Eccleſiaſtica munera quæ debet, fructus non facit ſuos, cum detur beneficium propter officium, quod Eccleſiæ exhiberi conuenit, *ex cap. vltimo de reſcr. in 6.* ſed qui canonicas preces omittit, officium ex parte non facit, nec iis muneribus fungitur quæ Eccleſiaſtica conſtitutio exigit, mercedes ergo, his correſpondentes muneribus, capere non poteſt.

Confirm. Qui non reſidet, fructus beneficij tanquam ſuos, ſibi iure non vendicat, ex decreto Concil. *ſeſſ. 23. cap. 1.* At qui horas canonicas ſuo tempore, Eccleſiæ inſtituto non decurrit, magnorum Doctorum teſtimonio non reſidet, cum reſidere non tam in manſione, quam officij adminiſtratione conſiſtat, non poteſt ergo, fructus è beneficio, pro horis, earumque lectione dari ſolitos, vti ſuos retinere ac petere, qui illas non implet.

Equidem ſi vltra ſex menſes ab obtento beneficio beneficiarius, officio ſuo deſit, *legitima monitione præcedente, beneficio ſuo eſt priuandus, cum propter officium detur beneficium, intelligitur autem officium omittere quoad hoc, vt priuari beneficio poſſit, qui per 15. dies illud bis ſaltem non dixerit,* Concil. Lateran. *ſeſſ. 9. can. 9.* Vera eſt ergo aſſertio.

Tertia Aſſertio, *Si præter horas, alia quoque beneficiario præſtanda ſunt munera, ſubeunda onera, non omnia ex beneficio ſuo collecta commoda reſtituet, ſed ea duntaxat quæ horis reſpondent.* Quare quæ ſuſtinẽdis aliis oneribus, quæ ab eo natura, ratioque beneficij quo fruitur poſtulat, ſunt attributa, tanquam iuſta eorum merces, ſeruare poteſt.

Sic Henriqu. *lib. 13. cap. 13. num. 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 34. num. 117.* Raph. de la Torre *in 22. to. 1. q. 83. de horis controu. 9. num. 40.* Ludo. de Beia *reſponſ. 1. par. caſu 55.* vbi ait à Canonico, qui in choro cum cæteris non pſallit, exigi iuſte non poſſe, vt quæcunque ei obuenere lucra ex præbenda, qua eum eſt dignatus Epiſcopus, Eccleſiæ reddat aut pauperibus, *ſed ſolùm eam partem quæ horis in choro cum alijs dicendis correſpondet, ita vt ſi 300. ſcuta de reditibus habeat ex canonicatu, & per vnum annum in choro cum alijs non recitauit, non obligarem ipſum niſi ad centum ſcuta reſtituenda, cum reliqua videantur dari Canonico pro honorando ſua præſentia choro, & pro Miſſis, & conuentibus & proceſſionibus.* Hæc ille, & probatur.

Onera beneficiario ſubeunda, ſunt obligatio dicendi ſuffragij in Capitulo, ſiſtendi ſe choro cum eſt neceſſe, miniſtrandi ſacramenta populo, procedendi cum cæteris in templo, & quidem eiuſmodi quibus ſua ſit merces debita: ergo cum eius cauſa, beneficiario pars detur fructuum, tanquam honeſtum laboris præmium, de eorum reſtitutione ob omiſſas horas facienda, tantum debet detrahi, quanti prædicta æſtimantur opera, quæque iis ſtipendia ſunt debita. Non ſunt ergo fructus è beneficio percepti reddendi omnes, ob non factum canonicum officium, ſed qui illi duntaxat reſpondent.

Quanti ſint illi vero non peræque diiudicatur ab omnibus, Fernandez *in ſuo examin. Theol. par. 3. cap. 13. parag. 8.* & Toletus *lib. 2. cap. 12.* aſſerunt partem eorum eſſe tertiam, cum totum officium omittitur, Henriq. *lib. 13. cap. 13. num. 2.* & Leſſ. *lib. 2. cap. 34. nu. 77.* aiunt in Parochis & Epiſcopis, quintam eſſe, in Canonicis quartam, in ſimplicibus beneficiariis tertiam, cum enim ſint eorum onera pauciora quam aliorum, plus quoque de perceptis fructibus, ab iis reddi oportere ratio ipſa ex æquitate rei, decentiaque petita, indicat.

Tempus eſt tamen, cum à Canonico (inquiunt Salas *de legib. diſp. 15. ſect. 2. num. 27.* & Diana *tract. de horis 13. reſolut. 8.*) nihil ob omiſſum officium debet Eccleſiæ reſtitui, aut pauperibus, nempe cum groſſam (vt loquuntur) prius eſt lucratus quam officium omitteret.

Ratio eſt, quod pœna beneficiario imponi ſolita, cum nõ facit officium, ſit vt fructus ſuos non faciat, nõn autem vt iam perceptos reddat, quæ mihi ſententia non probatur hoc maxime nomine, quod beneficii prouentus omnes, tam qui minuti ſunt, quam groſſi, tam qui diætim diuidi, quam qui omnes ſimul conſueti ſunt dari, ordinem dicant ad officium, cuius cauſa beneficio ſunt additi, ergo cum pars officii Clericorum proprii non vltima, ſit priuatim, aut publicè horas dicere, ſi eas omitti cum culpa contingat, fructuum partem eam quæ eis eſt aſſignata communiter, reſtitui pauperibus aut fabricæ oportebit iure Eccleſiaſtico ac naturæ.

Quid ſi non niſi raro, vt decies in anno, partes ſuas beneficiarius non impleat? eſtne tum etiam ei perceptorum fructuũ pro rata omiſſionis imperanda reſtitutio? Nõ eſſe reſpondet Ioan. de la Crux *in direct. conſ. par. 1. pracep. 3. art. 3. dub. 6.* Idem dixit Ortizius *in ſumma ca. 2. n. 22.* pro vno die, non pluribus.

Standum ego exiſtimo Eccleſiæ iudicio, quare cũ hæc abſolute, ac ſine addito, beneficiariũ ex præſcripta à ſe forma fructus ſuos facere nolit, non eſt ab hac eximendus pœna, qui vel ſemel tantum per negligentiam vere culpabilem, cultum Deo debitum precibus canonicis exhibet.

Ob eandem cauſam dicunt aliqui, nihil in hac reſtitutione facienda fructuum, de iis

remittendum videri. Nam quum imperetur A ab Eccleſia, iuriſque hæc ſit humani tantum, in ea præſtãda, voluntatis eius habẽda eſt præ cæteris ratio. At hæc definite præcipit, fructus ab eo reſtitui qui ſine impedimento officium, ſeu horarum debitum non perſoluit, vult enim talem, fructus ſuos non facere, ſed tanquam rem iniuſtè acceptam, in fabricam Eccleſiæ, aut eleemoſynas pauperum impendere, ergo tam qui beneficij oneribus reſpondent, quam qui horis, reſtitui debent.

Fauet huic opinioni Pius Pontifex, nam in Bulla 138. quæ incipit *Ex proxima* præcipit B vt qui vno, vel pluribus diebus, horas omnes omiſerit fructus amittat, qui illi, vel illis diebus correſponderent, ſi quotidie diuiderentur. Item quod ſi dimidiam officij partem reliquerit, pro dimidia eius parte prætermiſſa, dimidiam fructuum partem illi diei correſpondentem reddat. Hanc autem partem officij dimidiam, declarauit eſſe Matutinum & Laudes, alias vero ſex horas conſtituere aliam dimidiam, pro quarum ſingularum omiſſione, ſextam partem fructuum illius diei amitti declarauit. Noſtra tamen opinio eſt in praxi tuta & tenenda.

Quarta Aſſertio, *Vt preceptum de horis non implet, qui aliena à tempore, Deique maieſtate ſciens ac volẽs animo verſat ac agitat, cum orat, ita & fructus perceptos reſtituere, eoſque in res pias tenetur impendere.*

Probatur, Qui horas non legit, fructus ſuos non facit. At idem eſt errante animo, auerſaque cogitatione à Deo, orationis fine, aut verbis quibus eſt hæc concepta eas proferre, ac his recitandis operam non dare, ſicque munus ſuum non facere; ergo vt iſte beneficij ſui emolumenta, Eccleſiæ decreto ſeruare nequit, ita nec ille. D

Minor probatur, cum officium horarum Clericis Eccleſia præcipit, actum orationis præcipit, at vbi nulla eſt mentis attentio, non oratio, ſed inanis eſt, ac nuda vociferatio, par eſt ergo ac ſimile, male, hoc eſt diſtracta mente orare, ac nullo modo id facere: ergo cum par ratio par ius pariat, *cap. dudum 2. de electione*, vtriuſque, id eſt non recitantis ac male, par erit ac ſimilis ad reſtituendum obligatio. Quam enim eſt parum veriſimile, velle Eccleſiam idem eſſe peccantis præmium, ac bene operantis? aut ſtipendia piè precantibus conſtituta, cum iis communicanda eſſe, quibus nullum eſt niſi oris ac linguæ cum Deo commercium?

Peccat quidem, qui contra quàm iubet Eccleſia, ſacrum horarum officium, ſine cauſa prætereundum ſibi exiſtimat, ſed eo longe grauius qui orationis ſuæ curſum ad Deum volens abrumpit, inanibus ac vanis de ſæculo, eiuſque inanitate cogitationibus ac curis. Peccat ille quidẽ omiſſione, iſte tñ actu, quã eiuſdẽ attentionis priuatione, actu quidẽ quia male recitat, animo nẽpe peregrinante, ac auerſo à numine. Omiſſione, quia quã oportet & quo modo decet, in oratione attentionem non adhibet, ex quo accidit, vt quæ eſt de pronunciando diuino officio legem non impleat, eo quod Eccleſia attentionem vt ſubſtantialem quandam horarum qualitatem exigat. Omittentem ergo officium, ac male illud obeuntem, par vt pœna ſtringat, vinciatque eſt neceſſe, obligatio nempe reſtituendorum beneficij fructuum, in pauperum vtilitatem ac commodum, aut fabricæ Eccleſiæ, vbi eſt ſitum.

Eccleſiæ porro nomine, non ea tantum eſt intelligenda, vbi eſt beneficium, ſed domus quoque in qua beneficiarius habitat, aut alia quæpiam eius vtilitas ac progreſſus, puta ſi reſtituenda pecunia in emendis vel meliorandis agris impendatur, ſicque in perpetuum eius fructus augeantur & creſcant, Suar. *de religione to. 2. dub. 4. cap. 30. num. 19.* Diana *1. par. tract. 12. reſolut. 27.*

Pauperum autem nomine, non hi duntaxat intelliguntur, qui ſunt in loco beneficij, C ſed quilibet alij. Fauſtus *de horis canonic. lib. 2. q. 283.* Fernand. *par. 3. cap. 12 parag. 87. num. 3.* Dian *ſupra.* proindeque & ipſe beneficiarius, ſi inopia premitur, Tolet. *lib. 2. cap. 12.* Fernand. *par. 3. cap. 13. parag. 8.* Nauar. *cap. 25. Manu. num. 122.* & quia defuncti pauperum ſunt habendi loco, eſt æquitatis ac prudentiæ, quæ ſunt ob præteritum officium, à beneficiario reddenda Eccleſiæ, Miſſis ad eorum vtilitatem celebrandis impendere, Filliuc. *to. 2. trac. 23. cap. 10. num. 325.* Diana *loco citato proxime.*

QVÆSTIO XXXVII.

An liceat Sacerdoti cuilibet, extra chorum, vti Romano Breuiario.

PEccare eos Reginal. ait *lib. 18. num. 173.* qui tam intra quam extra ſepta Eccleſiæ ſine voluntate ac conſenſu Epiſcopi, ad preces canonicas Romanum Breuiarium adhibent, E cum in ſua Diœceſi habent proprium ducentis annis ante Pium V. inſtitutum, aut conſuetudine approbatum, quia omnes ſibi in orandi modo eſſe conformes debent, quibus id facere incumbit ex munere, 16. *q. 7. can. in noua Clem. 1. de elect.* Non eſſe tamen hoc peccatum mortale communiter, docet idem ex Suar. *cap 23. nu. 9.*

Dicendum tamen extra chorum, eius vſum cuique permiſſum eſſe, ſecundum Syluest. *verbo hora q. 1. & 12.* Caiet. *eod. verbo cap. 12.* Sa *verbo hora num. 6.* Leſſ. *lib. 2. cap. 37. numer. 74.*

Quia

Quia, quod alicui, breuiario vti alio quam Romano liceat, ſanctæ Sedis eſt beneficium, vt eſt ex Bulla Pij V. de dicēdis horis eſt perſpicuum, nam per eam Breuiaria alia tollit, ſic tamen vt iis poteſtatem relictam eſſe velit, illud ſeruandi, quo ſunt Diœceſani eius Eccleſiæ vbi degit, à ducentis retro annis vſi, ſed priuilegio nemo ſuo vti tenetur ſub peccato, ſed ſi ita ei viſum erit, ad ius ſe commune fingere illud in vita ac moribus ſeruare poteſt, ergo & in precibus Breuiarium Romanum adhibere.

Sane expreſſe Pius V. in ſuo Pontificio diplomate chori meminit, in quo ſine conſenſione Epiſcopi, fas eſſe vult nemini Romano vti, ergo extra illum, erit id cuique integrum.

Conſeq. probatur, Exceptio in non exceptis firmat regulam, vt eſt in *lege cum prætor dig. de iudicijs lege ex eo de teſtib.* ergo cum à choro tantum Breuiarium Romanum excluſum Pontifex velit, cum aliquod eſt Prouinciæ aut Religionis proprium, eius vſum domi ac priuatim, tacite cuique vult eſſe liberum, ita Sa *verbo horæ num.6.* Caiet. *verbo hora parag.2.* Leſſ. *lib. 2. cap. 37. num. 74.* Suar. *lib.1. cap.23.*

Ad argumentum Regin. reſponderi debet, non eſſe diſſimilitudinem inter eiuſdem profeſſionis homines culpabilem, niſi ratione ſcandali, quale eſſe non poteſt, quum hi Breuiario Romano non vtuntur niſi priuatim, non publicè.

Deinde laudabilius eſſe quid poteſt, quam Romanæ ſe conformare Eccleſiæ, Eccleſiarum omnium matri? at id facit qui ex Breuiario Pij V. horas recitat, ergo non peccat, cum in eo ceſſet peccati ratio, quam ex eo peti Doctores nobis aduerſi aiunt, quod eſſe inter Clericos vt in habitu, ita in orandi modo rituque ſimilitudo debeat, cuiuſmodi hic ſummam intercedere non eſt obſcurum, cum Romana Eccleſia omnium ſit mater.

QVÆSTIO XXXVIII.

An extra culpam eſſe Sacerdos cenſeri debeat, qui poſt miſſam, matutinas preces, ex forma praſcriptóque Eccleſiæ Deo, ac cœlitibus diuis offert.

DE hac quæſtione non idem fuit olim omnium iudicium, D. Antonin. *in 3. parte tit.13.cap. 4.parag. 4.* culpam credit eſſe mortiferam, celebrare ante matutinam pſalmodiam. Maior *in 4.diſt.12 q.3.* hanc quidem miſſæ præmitti oportere ait, de culpa tamen, eiuſque grauitate, cum ſecus fit, nihil dicit.

Verum enim quod iſti explicare non plaA cuit, fecere Zanardus *in director. Theol. par.1. de Euchar.cap.9.q.7.* & Cenedus *in ſuis quæſt. canonicis q.3.num.7.* facinus enim æterna pœna dignum ab eo admitti aiunt, qui matutinis ſacrum miſſæ ſacrificium præponit, cuius ſententententiæ approbatores ſuo tempore extitiſſe ſummarum ſcriptores, ac canonum interpretes non paucos, ſcribit Sylu. *in verbo Miſſa 1. parag.6.* quod qui aliter facit, à conſuetudine recedat Eccleſiæ, quæ in re non vulgari, qualis eſt præſens, obligare videtur ſub mortali.

B Huic rationi additur & à Cenedo alia paris momenti, nempe in rubricis Miſſalis Romani, Pontificis auctoritate editis haberi, ſacerdoti ſacram non eſſe in altari attingendam hoſtiam, matutino non abſoluto, ex quo ſequi ait, Sacerdoti præceptum eſſe à Pontifice, de horis canonicis ex parte ſaltem altera, Miſſæ præmittendis, cui eum obſequi ſub peccato ſit neceſſe.

Verum id negant è Theologis non pauci, doctrina iuxta ac pietate prioribus non impares, de la Cruz *in direct. confe. par. 1.pracep.3.* C *art.3.dub.4.concluſ 2.* Sotus *lib.10. de iuſtit.q.5. art.4.parag. de ordine,* Villal. *to.1.tract.8.difficul.30.num.1.* & alij apud Antonin. Diana *par. 1. tract.14.reſol.36.*

Quæ pro his auctoribus argumenta faciunt, duo ſunt. Primum, quod de eo ordine miſſam inter & horas ſeruando, nihil antiqua Concilia præcipiant, nihil noua, nihil Eccleſia, aut Pontificum decreta.

Secundum, quod inter ſacrificium & matutinum, ordo non ſit magis in præcepto, quam inter horam & horam, cum primum, id eſt D miſſa celebranda, non ſit neceſſario cum horis connexa. *Si ergo,* inquit Sotus loco citato, *ſoluere nocturnum officium, ſexta aut nona hora diei non eſt mortale, neſcio vnde inferatur quod celebrare prius miſſam ſit mortale, quandoquidem diſtincta ſunt officia, & vnum non habet adeſſe ad alterum.*

Argumentis reſpondend. eſt, priori quidem duobus modis, primo negando talem vllam eſſe conſuetudinem, quæ eſt Sylu. opinio loco paulo ante citato, altero negando ſimiliter, in ea vim eſſe aliquam eos noxa morE tali obſtringendi, qui illam non ſeruant: quia nec eſt inducta eo fine, nec recepta.

Secundi argumenti pondus idem, nam negari debet, à Pontifice præcipi, matutinas preces miſſæ præmitti, ſed tantum, Sacerdotibus id facere vt velint cum poſſunt, conſuli.

QVÆSTIO XXXIX.

An canonicæ pſalmodiæ cum laude ac præſtatione legis de ea ſtatis horis exoluenda, operam dare poſſit Clericus, cum Miſſæ ex obligtone intereſt.

HÆc quæſtio non ſimiliter diiudicatur ab omnibus, Sylu. *in verbo Miſſa 2. qu. 6.* Angel. *in verbo feria num. 46.* negant eum qui tenetur neceſſaria lege Eccleſiæ recitandi horas, ei ſatisfacere, cum miſſam ab Eccleſia præceptam audit, huius opinionis firmamenta ſunt duo.

Primum, quod præcepta bina, actu vnico impleri nequeunt.

Secundum, quod ad preces canonicas, & miſſam, aduertere animum, quantum eſt opus, nemini ſimul, eodemque tempore liceat.

Contraria opinio fautores hos habet ac defenſores Nauar. *in ſumma cap. 21. num. 8. & cap. 26. num. 23.* Soto *in 4. diſt. 13. q. 2. art. 1.* Tolet. *lib. 6.* Ludouic. de Beia *parte 1. caſu 21.* quę pro ea argumēta proferri poſſunt, multa ſunt, nec leuia, vt cætera ſileantur, duo aut tria, quæ magis videntur ad fidem aſſertionis idonea, paucis hic promam.

Primum, eodem opere, & actu, duobus quis ſatisfacere præceptis poteſt: ergo & eodem tempore, Eccleſiæ præcepta duo explere.

Antec. eſt certum, Nam cui non eſt cognitum, eodem ieiunio, ſatisfieri præcepto de abſtinentia feriis quadrageſimalibus obſeruanda, eaque quam Eccleſia præcipit in ſancti Mathiæ vigilia, cum in eundem diem ambæ incidunt.

Similiter qui in ægrum incidit ad extremam redactum inopiam, cui debet argenti ſummam non leuem, is ſi hominem numerata pecunia ſui Confeſſarij aut parentis imperio adiuuet, tam charitatis, quæ miſeros complectitur, quam iuſtitiæ, quæ ſuum cuique in extrema neceſſitate reſtitui imperat, ac obedientiæ, quæ maiorum exequenda præcepta admonet, legibus morem geret, ergo à pari, vnico quis actu, eodemq; tempore, præcepta ſeruare duo poterit, nempe audiendæ miſſæ, & recitandi officij.

Probatur, vt ambobus ſatis faciat, ſufficit, ſi quæ illis ſunt eſſentialia faciat, at id quiſque poteſt, nam in primis nihil eſt cauſæ, quamobrem attentionem ad horas, cum earum integritate afferre non valeat, quæ duæ res cum adſunt, præcepto de iis recitandis, vt oportet, & eſt neceſſe ſatisfieri, nemo eſt tam rerum canonicarum parum ſciens, quin intelligat. Dicendum idem de Miſſæ ſacrificio, quæro enim cur ſimiliter toti intereſſe non poſſit, &

A horas, ad Dei cultum, & honorem referre? maxime cum iſtius cultus, cultum illarum non excludat, neque neceſſaria ad preces attentio, attentionem quam Miſſa exigit, repellat.

Enimuero, vt quis officium in audiendo ſacro Miſſæ ſacrificio faciat, ac proinde cum ea, qua par eſt, attentione, ſatis eſt, ſi eidem adſit ſecundum actum humanum, hoc eſt vt loquitur de Bea *caſu 21. prima partis, cum intentione actuali vel virtuali, exoptando, vt ſacerdos qui pro omnibus orat, & ſacrificat à Deo exaudiatur,* quam ad rem ſufficit corporis præſentia cum

B religione, hoc eſt aduertentia animi ad ea, quæ in altari fiunt, ſiue hanc comitetur aliqua oratio interior, aut exterior, ſiue non, ſed ſola verborum auditio, quæ ſacerdos ſacrificando pronuntiat.

Confirm. ſi qui vacat recitandis horis canonicis, dum Miſſæ ſacro ac religioſo die, ex præcepto intereſt, ei non ſatisfacit, id oriri neceſſe eſt ex harum rerum aliqua, carentia nempe attentionis ad ea quæ legūtur à ſacerdote, aut defectu eiuſdē ad myſteria, quæ peragi Chriſti inſtituto in altari eſt certum.

C Non primum, quia ea aure excipere, ad fugam culpæ non eſt neceſſe, cum à ſurdis id exigi iuſtè non poſſit, quos tamen conſtat præcepto audiendæ Miſſæ ſatisfacere.

Non alterum, primo, quia ea pertractare animo ſecumque cogitando reuoluere, lex, nulla naturalis aut canonica præcipit.

Secundo, quia id quoque ei licet facere, qui tempore Miſſæ, horas canonicas præſtat, quid enim eſt rationis, cur qui myſteria Chriſti patientis, aut naſcentis inter orandum mente cum fructu agitat, idem de iis, quæ Miſſæ ſacrificio ſignantur, non faciat? nihil eſt ergo cauſæ, cur qui Miſſam audit, horis eodem

D tempore decurrendis operam dare non poſſit.

Confirm. cum Chriſti fideles viri iuxtà ac mulieres, ſacro interſunt, orare poſſunt: ergo & Clerici beneficiatij.

Conſeq. probatur, cum præceptum de audiendo ſacro ſit generale, ac Chriſtianis omnibus commune, idem quoque eius implendi modus eſſe debet pro omnibus. At illi, ei obſequuntur ac parent, etſi preces efformatas ore Deo nuncupent: ergo & iſti.

At enim (inquies) laïcorum ſpontaneæ

E ſunt preces, vt voluntate conceptæ, ita pari facilitate interrumpendæ cum lubebit illico ac dicti ſunt cœptæ, cum Clericorum, ſint imperatæ.

Quid tum denique? facit enim id tantum, vt earum omiſſio, ſit in iſtis arguenda & culpabilis, non in laïcis, quibus ſi crimini dari nequit, cum illas fundunt tempore Miſſæ, cur erunt rei violati præcepti Clerici beneficiarij, cum orationes ad ſacrificium ad ferent, hoc

hoc tantum à Laicorum diſtinctas precibus, quod ſint iſtæ voluntariæ, illorum præceptæ: horas ergo obire canonicas, & miſſas eodem tempore audire non eſt crimen.

QVÆSTIO XL.

An qui horas vno die non dixit, ſequenti reparare negligentiam debeat, eaſque repetere.

AD id cum non teneri, tam Clericorum praxis ipſa contraria, quos de ea rè non admodum eſſe conſtat ſollicitos, quam ex natura præcepti de horis, petita ratio indicat.

Enimuerò eſt id tempori annexum, cum diem reſpiciat, cuius horæ ipſæ ſunt onus, at tam iſtud, quam obligatio rei cuiuſpiam omittendæ, aut agendæ certò die, vna cum eo ceſſant ac deſinunt, patet in ieiunio, & Miſſa, quæ ſi omittuntur, ieiunium quidem, cum eſt ſeruandum, Miſſa quo die eſt audienda, non ſunt ſequenti neceſſario ſupplenda, eo quod obligatio ad illa, perſonæ non inhæreat, ſed diei, quæ cauſa eſt, cur quæ culpa violatione alterutrius de his duobus præceptis contrahitur, hãc non eluat eorum obſeruatio, in diem reiecta ſequentem: quæro enim ecquid ſit vlli lege canonũ licitum, ſacrũ cui die Dominico ac feſto intereſſe debet, in inſequentem reiicere, vtrum violati tum præcepti maculam, fas ei ſit auditione alterius ſacri proteſto die abſtergere? id ſi licet nemini nec ſuppleri, aut verius reparari peccata poſſunt certa admiſſa die, ſi opera quæ tùm erant præcepta, aut vetita, inſequenti fiant luce, aut alia proximè futura.

Confirm. Præcepta poſitiui iuris ad metas rationis ſubditos vinciũt, nec enim, vt inquit D. Thomas *in 4. diſt. 17. q. 3. art. 4. quæſtiuncula 1. ad 5. Præcepta humana ſe extendunt vltra intentionem præcipientis, quæ eſt finis præcepti*, ceu cauſa eius finalis, ſed cauſa finalis præcepti de ſacro die feſto audiendo, cultus eſt ſancti, cuius tùm celebritas agitur, finis ieiunij, carnis maceratio, gratiarum actio de collatis ei supernè donis cœleſtibus, ac poſtremo Dei per eius merita placatio, ergo cum hæc, quo die erat neceſſe, facta non fuerint, non valde ſollicitos nos habere debet, eorum, per ſimilia opera facienda reparatio, cum expiandæ culpæ præcepti tranſgreſſione commiſſæ, futura ſit inutilis,

Verum enim (inquies) à reſtitutionis faciendæ obligatione ac nexu eximit, quo quid eſſe poteſt homini vtilius?

Ita quidem cenſent Bonacina *de horis canonic. diſp. 1. q. 5.* Molfeſius *in ſumma tomo 1. trac. 5. cap. 5. num. 17.* quia repetendo horas, quas pridie beneficiarius culpa ſua omiſerat, tantundem Eccleſiæ, ac fundatoribus reddit, quãtum eis pridie abſtulit.

Secundo, qui certo pretio operas ſuas ad annum alicui locatas voluit, vt quot diebus totius illius ſpatij ſacrum pro eo, eiuſque familia diceret, ſatisfacit officio, ac reſtituendi debito, ſi quoties litare toto illo tempore omiſit, toties poſtea faciat, Deoq; in ſacra ara, eos quibus operam ad ſacrificium ſuam addixit, commendet: ergo à pari à reſtitutione facienda fructuum, ob omiſſionem horarum, immunis futurus eſt ac liber, qui horas relictas vna die ex negligentia, compenſabit alia.

Ne tamen illis aſſentiar impedior tam auctoritate Pontificis Pij V. quam Lateranenſ. Concil. *ſeſſione 9.* in qua eſt, non recitantem horas, fructus ſuos non facere, à qua pœna aliquem eximere ſe poſſe auctoritate propria, quam non eſt probabile? fieret id tamen, ſi contractam horarum omiſſione, reſtituendi obligationem, cuilibet diſſoluere fas foret, recitatione iterata officij, poſtridie eius diei, quo eſſet omiſſum, quod non probat Pius, cum in bulla ſua à beneficiario beneficij fructus acquiri neget, qui tempore ab Eccleſia ad orandum præſtituto, hoc eſt quo die ſuo non fungitur munere.

Quid? quod Eccleſia reſtitutionem fieri aliter vetet poſt ſex menſes, quam in fructibus vt patet ex textu Concilij non eſt ergo eius obligatio tollenda precibus.

QVÆSTIO XLI.

Quando, & quo tempore, lege de horis canonicis recitandis teneri beneficiarij ſoleant.

ONus præſtandi horas canonicas oriri ex beneficio Garſiæ fuit opinio *de benefic. tom. 1. parte 3. cap. 1. num. 92.* & ita beneficiarium, præcepti violati reum eſſe, ſi illico, ac ordinarij beneficentia, beneficio eſt donatus, ab eis legendis abſtineat.

Ab eo recedunt ſummiſtæ fere omnes, ac Theol. qui de hac materia ſcripſere commentarios, nec ſine cauſa, fac enim mihi beneficium collatum eſſe, vacuum ac ſterile, aut quaſi inane ac ieiunum, ecquis eius cauſa orandum mihi cum obligatione pari, ac ſubeundæ culpæ metu tanto exiſtimet, ac ſi abunde neceſſarios mihi vitæ commeatus ſufficeret? vt qui de altari viuit, altari miniſtrare debet, ita eũ in quem nulla eſt liberalitas Eccleſiæ, nulla bonorum cum eo communicatio: illi operam ſuam deferre non eſt neceſſe.

Dicere alij recitandi officij legem, ex fructuum perceptione naſci, verum enim, quam multi Eccleſiarum bona percipiunt, qui in eas

irrepſere clanculum ſine iure, ſine titulo, ſine A ſuperiorum conſenſu ac conſilio quos ad horas tamen nemo ſub culpa obligat.

Eſt eorum ſententia humanior ac verior, qui cenſent obligationem orandi canonicè, non ex collatione beneficij, quam multa poſſunt conuellere, ſed ex illius tranquilla poſſeſſione exiſtere. Hanc docent Comitol. *lib.1. reſp. qui 69. num.3.* Leſſ. *lib.2. cap.34. dub.30. nu.* 167. Suar. *de Relig. to.2. lib.4. cap.19. nu.*7. Pariſius *de reſign. lib.1. q 9. n.*15.

Cauſa eſt, quod horarum canonicarum obligatio, ex beneficio, ac vectigali, hoc eſt redituum iure vſuque fluat, at vtroque caret, B qui beneficio pacifice non fruitur, nam in primis, eius prouentus non recipit, nec ius habet abſolutum, & non impeditum eos exigendi, vt patet, ergo nec horarum obligationem.

Dixi abſolutum, quia ex collatione ius proficiſcitur imperfectum, ex ea vero, & poſſeſſione, integrum, & non mutilum, petendi prædictos fructus eoſque recipiendi cum dantur.

Quare peccabit beneficiarius, ſi beneficij C poſſeſſor factus ſine turbis, horas non exequatur, ſuo ac neceſſario tempore, non tamen ad redhibitionem fructuum tenebitur, niſi poſt ſemeſtre à facta ſibi eius beneficii collatione, cum poſſeſſione pacifica, Leſſ. *lib.2. cap.34. dub.32. num.170.* Malderus *in 2.2. tract. 10. cap.2. dub.*4. Layman. *lib.4. tract. 2. cap.5.* Nau. *Ench.25. n.*123.

Ratio eſt, quod reſtituendi obligatio, à lege Eccleſiaſtica proficiſcitur, aut ſi à naturali, eiuſmodi tamen, quæ ex cauſa eaque iuſta poſſit tolli ab Eccleſia, ergo cum hæc lege reſtituendorum fructuum beneficiarios qui non D orant intra ſemeſtre à collato beneficio, ſoluat ac liberet, huic illi non ſunt futuri obnoxij.

Pugnant contra Suar. *de relig. to.2. lib.4. cap.29. nu.12.* Valent. *to.4. diſp.6. q.2. puncto 10.* omneſque ac ſingulos qui deſunt officio nec illud vt debent, ac oportet, præſtant, lege reſtiuendi fructus, qui ob eam cauſam dantur, obligant ac vinciunt, eo quod tribui hi duntaxat ſoleant, ſub conditione præſtandi officii. Hinc enim ſic argumẽtantur datum ob cauſam cauſa non ſecuta repetitur, ſed fructus E (inquit Suar.) præbentur ob officium *de reſcript. in 6. cap. vlt.* ergo non dictum, ius non dat perceptorum fructuum, reddi ergo debent Eccleſiæ, pauperibus, aut fabricæ.

Eſt hæc ſententia probabilis, negandum tamen ante ſemeſtre exactum, quidquam reſtitui oportere ob neglectum officium, quia id Eccleſia poteſt non petere, illiuſque fructus temporis dare abſolute, ac ſane vlla ad horas habitudine, earumque obligatione vt facit. Quæ doctrina ſi non placet dicendum erit cum Gabr. Vaſq. *de benef. cap.*4. Concilium eos beneficiatos, quibus nullum aliud officium incumbit quam precum, à reſtitutionis obligatione liberare, applicando eis reditus ratione tituli, & officij præſtandi in futurum: ita Laym. ſupra.

QVÆSTIO XLII.

An intruſus, ac ſine titulo beneficium poſſidens horarum lege teneatur.

Affirmant Azor. *to.1. lib. 10. cap. 4. qu.9.* Garcias *cap. 1. num. 90.* itaque ſentiendi cauſam vnam habent, nempe quod non videatur æquum, vt qui commodum percipit, expers ſit onerum.

Abit in contrarium Nauar. *lib.1. conſil.3. de ætate & qualitat. edit.* 2. cuius ego opinioni ſubſcribo ob hæc argumenta.

Primum, quod ex collatione in beneficiario, horarum fluat obligatio, ideo enim eas decreto Eccleſiæ præſtare debet, quia eſt beneficiarius, cum ex hypotheſi, non ſit ſacerdos, nec religioſus, nec ſacro aliquo ordine inſtructus, at habet à titulo quilibet vt ſit beneficiarius, non ab occupata domo, aut Eccleſia in quam vi irrupit, aut fraude, de horis ergo dicendis non debet eſſe ſollicitus, perinde ac ſi earum omiſſio futura ei lethalis foret.

Secundum, quum iure ad beneficium intruſus careat, quicquid ex eo commodi percipit, id eſt ſucceſſori debitum, abſque eo quod inde detrahi fructus oporteat, qui horis correſpondent, cum eas præſtare iſte non neceſſario debeat, vtpote cuius cauſa nihil ab illo ſit factum, quod ab iſto compenſare æquitas ac ratio poſtulent.

Tertium, quod fidem omnem ſuperet, velle Eccleſiam, cum eo communicare bona ſua, qui ea per vim contra ius, ſuáque iniuſtam voluntatem occupat, vt facit, quiſquis ſine titulo, beneficium poſſidet, eiuſque reditus ſibi habet vt proprios.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XLIII.

An qui Clerici eſſe nolunt, aut ex canonicatibus ſuis emolumenta nulla, anno primo aut ſecundo colligunt, horas dicere canonicas debeant.

DIco primò, *Qui parentum imperio aut minis, beneficium ſibi collatum ſeruare iubentur, aut recipere, teneri ad horas, ſi eius fructus ipſi per ſe recipiunt aut exigunt.*

Ratio eſt, quod quæ duæ res horarum obligationem pariunt, collatio beneficij, eiuſque pacifica poſſeſſio cum vectigalibus, quæ nulla nec naturæ neceſſitate, nec vi ſint impedita, hæ in iſto adoleſcente reperiuntur ambæ: ergò & obligatio præſtandi horarum officij. Leſſius *lib. 2. cap. 34. dub. 31. num.* 174. ſi vero, quod ſæpe accidit, ipſe præter nomen nihil habeat, eo quod pater ad ſe ſacerdotij fructus deriuet omnes, ab horarum eſt onere liber, quos & pater reſtituere debet fabricæ, aut in pauperum eleemoſynas conferre, ipſo autem mortuo, eius hæredes pro rata.

Dico ſecundò, *Non peccare canonicos, cum horas non decurrunt, ſi primo & ſecundo anno, conſuetudine Eccleſiæ, vbi verſantur, id exigente, nihil illis, vnde vtcunque vitam tolerent dari ſoleat*, ita Nauar. *de oratione & horis canonicis cap.* 7. Garcias *de benefic. par. 3. cap. 1. numer.* 70.

Ratio eſt, quod horarum obligatio ex vectigalibus perceptis, aut percipiendis, tituloque per collationem habito proficiſcatur, ergo ſi nulli erunt reditus, nulla quoque erit orandi neceſſitas.

Confirm. Ideo orare beneficiario eſt neceſſe, quia ei reditus, tanquam iuſta operæ ſuæ ac laboris ſtipendia, dantur ab Eccleſia, ergo ſi nulla recipiet, non tenebitur.

Confirm. habet conſuetudo, ab eo cuius intereſt approbata, maxime ſi eſt rationabilis, & præſcripta, vim legis, at inueterauit hæc in multis Eccleſiis conſuetudo, canonicis primi & ſecundi anni reditus ſubtrahi, vt accreſcant antiquioribus, quæ conſuetudo quia maior eſt, priorque omni memoria, præſcripta eſt, ac rationabilis, & approbata, *cum fieri potuerit* (verba ſunt Layman. *tract. 2. cap. 5. de benefic. num.* 4.) *vt eiuſmodi conſuetudo legitimè, & cum ſummi Pontif. approbatione introducta fuerit, eo fine, vt canonicis alijs ſufficientes reditus maneant ad vitæ, & dignitatis ſuæ ſuſtentationem.*

Contraria ſententia eſt Leſſij *li. 2. ca. 34. n.* 170. Azor. *to.* 1. *lib.* 10. *cap. 4. q.* 4. Suar. *lib. 4. de horis cap.* 20. *num.* 7. omnium vna eſt hæc ratio.

Quod reditus, quos primo anno non recipiunt, recepturi ſint poſtea, quando ſcilicet mortuis, noui ſuccedent canonici, quorum prouentibus, ſuos augebunt.

Sed reſpondendum cum Garcia id certum non eſſe, cum fieri poſſit, vt vel interim moriantur, vel canonicatus ſuos reſignent, & ita nihil accipiant.

QVÆSTIO XLIV.

An Præſtimonia, ad horas obligent.

FVere olim præſtimonia, ſtipendia quædam, ſeu portiones, ab Eccleſiaſticis reditibus detrahi ſolitæ, quæ Clericis darentur adoleſcentulis, dum literis nauarent operam, aut militibus, aduerſus infideles pugnantibus. Staphilæus *de literis gratiæ circa 5. form. expectat. num.* 3. Quare præſtimonia dicta aiunt, quod munia, hoc eſt obſequia debita, & publice exhibenda præſtarent, Fabricius *de præſtimon. & oblatio. nu.* 3. Hoſtienſ. *in cap. poſtulaſti extra de receptis.* De his ergo quæritur, an dicendi officij obligationem pariant.

Nodus hic expedietur ſi pauca hæc fuerint conſtituta.

Primum eſt, onus præſtandi horas canonicas ex ordine ſacro, profeſſione, aut beneficio gigni.

Secundum, beneficiis ius ſpirituale, onuſque ſacri miniſterij, diuinique cultus ineſſe.

Tertium, ſolis hæc Clericis, lege Eccleſiaſtica canonum danda eſſe.

Quartum eſt, præſtimonia nonnunquam conferri in titulum Fabricius, loco proximè citato, *num.* 6. *&* 7. Rebuff. *de pacificis poſſ. ſ. ſor. num.* 105. Staphilæus *de literis expectatiuis gratiæ, titulo de qualitate beneficior. parag.* 1. *num.* 5.

Dico ergo primò, *Præſtimonijs officij dicendi onus annexum eſſe quando dantur in titulum perpetuum, & habent ſpirituale aliquod obſequium, quod facere Laicus nequeat.*

Ratio eſt, quod tunc beneficij rationem ac naturam habeant: ergo & onera, inter quæ, locum officij præſtatio non vltimum cum habeat, ad eam, iure quàm optimo teneri, qui ea poſſident, eſſe dubium nulli poteſt, & hoc modo ſpectaſſe præſtimonia, deque iis loquutos non ambigo Nauar. *de orat. cap. 21. nu.* 9. Rodrig. *cap. 141. q.* 6. Garc. *par. 1. cap. 2. num.* 117 Suar. *de horis lib. 4. cap.* 22. *num.* 8. quum illa dixere eſſe, verè ac propriè ſumpta beneficia, proindeque vt cætera, canonicæ eſſe pſalmodiæ obnoxia.

Dico ſecundò, *Cum præſtimonia dantur*

ſcholaſticis in ſubſidium, nec habent ſpiritale vllum miniſterium cui vacent, ſed temporale, vt ſtudia, aut arma contra Chriſti hoſtes, ad eius gloriam, reique Chriſtianæ commodum, tractando generoſe ac fortiter, ab horarum ſunt præſtatione libera.

Cauſa eſt, quod tùm non ſint Eccleſiaſtica beneficia, ſed ſtipendia, res ipſa loquitur. Quid eſt enim beneficium? *ius perpetuum recipiendi redit us ex bonis Eccleſiæ, ratione ſpiritualis officij, Eccleſiaſtica auctoritate conſtitutum.* Datur enim beneficium propter officium vt dicitur, *de reſcriptis cap. finali in 6.* id eſt miniſterium ſpiritale & Eccleſiaſticum, ſeu ius muneris, officiique ſpiritualis exercendi, quod ipſum eſt ſpiritale, à fine ad quem refertur, reque ipſa in qua occupatur: quare cum non ſint præſtimonia in beneficiis numeranda, nec iis quoque canonicarum ſunt horarum adiuncta onera.

QVÆSTIO XLV.

An integritatem diuini officij ſic perimat verborum conciſio, aut ſententiarum delumbatio, vt illud iterari ac repeti oporteat. C

DIco primò, *Verba dicendo cõcidere, (quod communiter ſincopare nuncupant) malum eſſe:* quia eſt hæc orandi ratio integritati horarum aduerſa, religioni parum cõſona, pietati contraria, populo autem, cum nimia celeritate cani audit, odioſa ac grauis: quare non probatur Conciliis nec Patribus, eam ſane à diuini officij celebratione remoueri hæc volunt, Romanũ *in ca. dolentes 9. de celebrat. Miſſarum,* Vienn. *in Clement. prima eod. tit.* D Baſileenſe *ſeſſione 21. parag. qualiter hora,* in quo eſt his verbis: *Omnes beneficiati, ſeu in ſacris inſtituti, ſi orationes ſuas Deo acceptas eſſe cupiunt, non in gutture, ſeu inter dentes, ſeu deglutiendo, ſeu ſyncopãdo dictiones, nec colloquia, vel riſus intermiſcendo, ſed ſiue ſoli, ſiue aſſociati, diurnum nocturnumque officium reuerenter, verbiſque diſtinctis peragant.*

Senſus idem Patrum, quos breuitatis cauſa prætereo, dicere ſufficiat hoc tantum. Horas integre & complete præſtandas eſſe, *nam ipſarum perſolutio ſeruitus dicitur. In ſeruitio autem alicuius debito debet quilibet fidelis eſſe, vt nec apicem, nec iota prætereat, ſed integrè, ſine fraude debitum perſoluat,* E D. Anton. *in 2. par. tit 9. cap. 12. parag. 12.* ſed horarum integritatem ſyllabarum abſciſſio impedit, quam ſyncopam barbari nominant, accidit hæc enim Antonino teſte, cum *verba, verſus, vel ſyllabæ dimittuntur,* qui ergo culpa ſua, puta, quia celeritatem in orando nimiam adhibet, aut diligentiam in pronunciando non affert, Eccleſiaſticarum horarum verba decurrit, aut

A infringit ſententias, earundem integritatem violat.

Dico ſecundò, *Nec peccare mortaliter, nec ad repetendum officium debere adigi, qui propter oſcitantiam in faciendo officio, aut celeritatem in loquendo, grammaticorum ſyncopa vtens, ſententias delumbat, verba abſorbet ac mutilat, niſi ſit hæc vocum infractio, ac ſyllabarum imminutio notabilis,* Filliucius *to. 2. tract. 23. cap. 7. nu. 242.* Azorius *par. 1. lib. 10. cap. 4. q. 11.*

Ratio eſt, quod à culpa mortali excuſet materiæ leuitas, at cum ſunt hæc linguæ vocumque vitia modica, cum ſyllabarum intra fauces abruptio, non notabilis ac nimia, leuis B eſt cenſenda materia, conſequenter non lethifera: quare *nec obligat ad iteratam recitationem officij niſi adſit contemptus, vel graue ſcandalum, ſeu notabilis corruptio, & deformatio verborum in toto cantu,* Diana *1. par. tract. 12. reſol. 32.* hæc enim cum verborum ſenſum, notionem ac proprietatem ſententiæ mutet, habenda eſt pro graui, *vnde tenetur redicere quia notabiliter male dixit,* Paludan. *in 4. diſtinct. 15. q. 5. art. 2. concluſ. 5.*

QVÆSTIO XLVI.

An diſpenſare Prælati regulares cum ſubditis ſuis poſſint in horis.

REligioſos, cum ſunt profeſſi, precum canonicarũ neceſſaria teneri lectione, ſicque iudicatum eſſe fermè ab omnibus, qui ea de re diſputarunt, eſt certum.

Certum item onere perſoluendi diuini officij eos ſolutos eſſe, quibus à Pontifice ex cauſa, huic religioni ne dent operam, diploD mate ſpeciali eſt conceſſum, ita è S. Franciſci diſciplina Monachis ac D. Hieronymi vnaque Clericis S. Syluest. de vrbe à Clemente VII. permiſſum aiunt, cum concionibus habendis vacant, cum lectioni Theologiæ, vel canonum, aut confeſſionibus, vt horarum loco pſalmos 7. aſſignandos à Priore cum totidem Pater, & ſymbolo bis repetito, dicere poſſint, *Compendium D. Hieronymi verbo hora canonica parag. 7.* Portelius *in dubiis regularibus verbo horæ nu. 18.*

Id de quo modo ambigitur, eſt an qui præE ſunt, Cœnobiarchæ aut Prælati, debiti horarum canonici nexibus, ſubditos ſibi populos ſoluere valeant.

Non poſſe ſcripſere viri graues, Suar. *de religione tomo 2. lib. 4. cap. 24. num. 41.* Reginald. *tomo 2. lib. 18. cap. 12. num. 141.* Tanner. *in 2. 2. diſp. 5. q. 1. dub. 5. num. 175.*

Habet hæc ſententia rationem quæ eſt in promptu. Enimuero perquam eſt iniquum, Superiorum acta decretaque ab inferiore reſcindi, moueri loco, aut refigi: facit id quiſquis

quis à recitando officio regularem eximit, A quandoquidem eſt huic erga Deum cœliteſque religioni initium, à Concilio, Pontifice Romano & Eccleſia, quibus optimum eſt viſum Clericos maiorum ordinum, ac profeſſos Deo ſacros, eiuſque cultui ex propria vitæ ſuæ ratione mācipatos, ad orandum obligare, nec quomodolibet, ſed ad formam ritumque, quem ſeptenis horis Eccleſia comprehenſum voluit, eſtque vbique in vſu.

Secus quam illi ſentiunt Leſſius *lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 11.* Villalobos *in ſumma to. 2. tract. 24. dub.* 109. *num.* 12. Portelius *in dubijs regularib. verbo hora canonica num.* 11. B

Propterea quod ius dicendi officij diuini, in regularibus, à conſuetudine oritur. At in ea, vt in ſtatutis cæteris obligatoriis diſpenſare Prælatum poſſe nemo negat, diſpenſabit ergo & in horis.

Sanè ſi Religioſum tentari morbo accidat, ſi aduri febre, ſi tædio affici, aut dolore, qui eum non patiatur in hoc pietatis genere verſari commode, cum eo diſpenſare ſuperiorem poſſe habet Minorum *Compendium in verbo diuinum officium parag.* 10. quod & Vicario licitū eſſe cum domo Guardianus abeſt, eſt C in eorum Compendio *verbo infirmi fratres, parag.* 11. *& 12. & parag. 10. verbo officium diuinum,* & licet id tunc maxime, à Prælato concedi ægrotanti æquitas poſtulet, cum hoc eius valetudo de medici conſilio exigit, eum tamen ſuper illa re ad conſiliū adhiberi neceſſe non eſſe, ſed ex ſe, ſuaque id ſponte concedere Prælatum poſſe, docent Portel. ſuper *verbo horæ canonicæ num.* 11. Rodrig. *addit. ad ſummam tomo 3. cap.* 197. *concluſ.* 1. Imo inquit Leſſius *lib. 2. cap. 37. dub. 9. ſi in aliquo Ordine vel Monaſterio eſt conſuetudo, vt profeſſi nondum ordinati in ſtudijs verſantes, vel negotijs* D *occupati propter quæ choro intereſſe nequeunt, non recitent officium, ibi non opus eſt diſpenſatione.* Hæc ille.

Quæ contra ſunt allata propriori ſententia, vim in beneficiatis, ac maiorum ordinum Clericis habent non profeſſis, quos lex Conciliorum nulla, nulla Pontificia ſanctio horarum irretitos nexibus tenet, ſed conſuetudo ſola, in qua Prælatum diſpenſare poſſe, non eſt dubiū, cū ab eius prædeceſſoribus inuecta fuerit, nec hic impediri poſſit ne faciat cum E ita fieri ſubditorum neceſſitas exigit, cum *par in parem auctoritatem non habeat.*

QVÆSTIO XLVII.

An canonico, crimen ſit lethale, ad templum non venire, ibique cum cæteris non pſallere.

DIco primò, *Canonico fas non eſſe cum eſt in vrbe, nec eſt aliquid quod eum impediat, à templo, cui eſt aſcriptus, abeſſe cum diuina fiunt officia.*

B Primo, quia iure tam naturali quam humano, Deo laudes, cultumque exhibere publicum debet, ideo enim eſt in Dei Eccleſia inſtitutus Canonicus, vt Deum non tantum Optimum maximum, ſacrificiis & precibus priuatim veneretur, ac colat, ipſumque pro ſua, cæterorumque ſalute aſſidue exoret, ſed vt eos exemplo ſuo, ſpecieque ipſa corporis ad id incitet, quod illum ſi chorum nunquam intret, ſi nunquam in paratis ſibi ſedibus conſiſtat, facere poſſe quis ſperet? videri virtus debet vt ametur, non niſi cognita heroum facinora admirationem in intuen- C tium oculis, animoque faciunt. Tum auditur canonicus, cùm ſpectatur, quare ſi latet, ſi nunquam, aut non niſi raro inter ſuos ſodales viſitur, ſi cum iis canonicæ pſalmodiæ nauans operam, non ſedet, quos animorum motus, quos pietatis ergo Deum ſenſus, in populo faciet? officio eum ergo, quam ſæpe illi per valetudinem, negotiaque fas erit, intereſſe conuenit.

Secundo, cum omni ſit beneficio etiam ſimplici adiuncta reſidentia, ſecundum Panorm. *in cap. quia nonnulli de Cleric. non reſi-* D *dentib. num. 6.* Innoc. *in cap. extremum eiuſdem tituli,* ſitque in confeſſo canonicos eſſe beneficiarios ſimplices, inquit Nauar. *de redditibus Eccleſiaſt. q. 3. monito 3. num.* 2. quin canonica, naturalis, ac diuina lex reſidentiæ eos deuinciat, ambigi non poteſt. Atqui reſidere, non tam in manſione in vrbe, aut loco beneficij, quam in ſacrarum adminiſtratione actionum conſiſtit, quæ ad eius officium munuſque pertinent, de quarum rerum numero eſt, tam ſpecie ipſa, & vultus ac corporis grauitate maieſtatem in choro tueri Eccleſiæ, E quam in functione ſui miniſterij & executione obligationis ſuæ, quæ nihil communiter præter publicam recitationē in choro, & ſui in eo aſſiſtentiā exigit, id ergo qui non facit, Eccleſiaſtica canonici munera omnia nō obit, in quo eū peccare mortaliter, opinio eſt Vaſq *de benef. cap. 4. art. 2. dub.* 1. Suar. *lib. 4. cap. 10. num.* 17. Comitoli *lib. 1. reſponſ. q. 61. num. 4.* Caſtri Palao, quam à pleriſque ſubſcriptam video.

Rem ego diſtinctione explicandam cenſeo, vel enim nunquam, aut raro tantum, vt

A bis vel ter in anno in templum canonicus conuenit, vel ab eo abeſt ſolummodo, quot ſeptimanis ſemel, ſi ſecundum, non crederem huic abſentiæ non legitimæ, maculam ineſſe pluſquam leuem, citra contemptum, quia dies vnus præ hebdomada, quidpiam eſt exile, nec obiectum mortalis culpæ.

Cuius oppoſitum de primo abſentiæ genere ſentiendum eſſe, intelligi poteſt ex *can. poſtremo diſtinct.* 92. qui eſt ex Concilio Martini Pontif. depromptus, nam qui ad Eccleſiam non accedit, quod debet vt præſtet, à Clero eſt deponendus, qua pœna non alios plecti eſt in more, quam qui noxæ rei ſunt lethiferæ. Sanè vt eſt *in cap. ex geſtis* 2. *de Cleric. non reſidentib. In Synodo Anaſtaſius Presbyter Cardinalis, ab omnibus canonice eſt depoſitus, eo quod Parœciam ſuam per annos quinque, contra canonum inſtituta deſeruit, & in alienis morabatur,* non eſt ergo in minimis ea ponenda culpa, quam contrahit canonicus cum Eccleſiam ſuam, ſæpius quam ſemel, aut bis in anno, frequentandam ſibi non exiſtimat, niſi hanc eius abſentiam, conſuetudo inolita, ac in ea recepta Eccleſia, & ab Epiſcopo tacitè approbata excuſet.

Quæſtionis pars altera, diiudicationem habet paulo magis, quam prior, implicatam, à Canonico enim culpam incurri mortiferam, ſi non canat cum cæteris in choro, dicunt hi omnes Nauar. *de orat. cap.* 13. *num.* 17. Graffius *lib.* 2. *cap.* 51. *num.* 12. de Bea *par.* 1. *caſu* 55. Zechius *in ſumma par.* 2. *cap.* 13. *num.* 12. Comitol. *lib.* 1. *reſponſ. q.* 62. quibus obſiſtunt Leſſius *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 33. *num.* 184. Garcias *de benefic. to.* 1 *par.* 3. *cap.* 2. *num.* 157. P. de Nauar. *de reſtitut. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 217. quam in partem inclinet animus, declarabunt Aſſertiones quæ ſequuntur.

Prima Aſſertio, *Quibus in Eccleſiis mos inualuit, vt per Vicarios Canonici officium horariū expleant, etſi ipſimet in choro nō pſallant, legi tamen officioque ſuo ſatisfaciunt, nec peccant.* ita Leſſius & P. de Nauar. *lib.* 2. *cap.* 2. & *alij*, locis proxime adnotatis, vt Suar. *lib.* 4. *de horis cap.* 12. Azor. 1. *p. lib.* 10. *cap.* 11. *q.* 5. & 6.

Ratio eſt, quod legi conſuetudo præualeat maxime rationabilis, qualis eſt præſens, cum Canonicos ſæpe præſtet non canere, eo quod vocis ſuauitate careant, artem modulandi neſciant, quo in caſu *ſufficit*, inquit Leſſius, *ſupra num.* 85. *vt ipſi tanquam maiores Clerici ſuâ præſentia omnia moderentur, & quæ alij canunt ipſi meditentur.*

Aſſertio ſecunda, *Vbi non eſt conſuetudo, vt Canonici ſubſtitutis operis vtantur in faciendo diuino officio, muneri ſuo non ſatisfaciunt, ſi in choro non canant, nec clara diſtinctaque voce horas dicant.*

Probatur, Fluxit ex eo canonicorum genus ac inſtitutio, vt eſſent qui Deo laudes panerent, quæque ad eius cultum pertinent hæc in templis obirent audiente plebe ac ſpectante, at quæ ſubmiſſa dicuntur voce, ac ſecreta, hæc populi præterlabuntur aures, ab eo nec intelligi poſſunt nec videri: debent hæc ergo clare dici, modoque ad intelligendum idoneo ac facili.

Secundo, eſt diuinum officium, ita ab Eccleſia inſtitutum, vt alternis, chori ipſi vocibus, ſibi cantando reſpondeant, alioqui nihil eſſet neceſſe populum in templum ſtatis horis, æris campani ſonitu vocari, cum ex B depreſſa canonicorum voce, ſpiritale commodum trahere nullum queat, aut ſi aliquod, non niſi exile: conſcientiæ ergo ſuæ canonicus, officioq; non ſatisfacit, qui dum canunt alij, ipſe ſibi ſecreto, compreſſaque loquitur voce, dixit hoc Illuſtriſſima Romanorum Præſulum Congregatio, Diana teſte *de horis reſol.* 9 dixit Baſileenſe Concil. *ſeſſione* 21. *parag.* 3. *titulo quomodo diuina officia*, ibi enim cum de modo diuini perſoluendi officij ſermo eſſet, reſponderunt Patres, æquum non eſſe, *quod cum pſallendi gratia omnes in templum conueniant, muta ac clauſa labia ſua teneant, ſed debere omnes qui maiore honore funguntur, in* C *pſalmis, hymnis & canticis alacriter modulari.*

Quid? quod in Trident. iubeantur Canonici, *diuina per ſe, & non per ſubſtitutos obire officia, atque in choro ad pſallendum inſtituto, hymnis, & canticis Dei nomen reuerenter, diſtinctè, deuoteque laudare?* quæ omnia indicant, diuini officij, & horarum canonicarum onere non leuari canonicum, qui quo die cum harmonica modulatione à cantoribus non dicuntur, D choro non intereſt, aut ſi adeſt, à pſallendo magna voce ceſſat.

Scio Leſſium *lib.* 2. *dub.* 33. *num.* 186. culpam violati præcepti de canendo in choro per Canonicos deriuare ad Epiſcopos, Decanos, aut chori præpoſitos, quibus à Concilio imperatur, id vt agant ne Canonici per alios ſed per ſe officium præſtent, vox ipſa ſanctionis indicat *compellantur obire*, verum enim ex ea colligi oppoſitum vel hinc patet, quod compelli per Epiſcopos ad canendum canonici nequeant, niſi ad id teneantur, compulſio enim obligationem in compulſo ſupponit, ad id E quod facere, aut omittere compellitur, alioqui fieret ei iniuria. At per ſe canonici pſallere non tenentur, cum fundatione, aut conſuetudine eſt introductū vt figuratè canatur.

Corollarium primum, in quibus locis, canonici per ſe ſua exequi munera cantandi, & itandi ad Eccleſiam non ſolent, reſidentiæ ibi legem non vigere.

Ratio eſt, quod reſidentia è duabus rebus conſtet, altera vt ipſe ſit in ſua præſens Eccleſia, altera vt per ſe ipſe obeat, quæ ex propria inſtituti ſui ratione, munerisque, quod in

ea Eccleſia ſuſtinet, obire debet.

Corollarium ſecundum, vbi mos inoleuit, vti Canonici aliena in pſallendo vtantur opera, diſtributiones conſequi eos poſſe, etſi canentibus aliis, ſummiſſa ipſi voce, canonicas horas præſtent, Leſſius *lib. 2. cap. 34. dub. 33. num. 185.*

Ratio eſt, quod his conſequendis, Concilium ſolam beneficiati in choro præſentiam poſtulet, aliud nihil, ſic enim *ſeſſ. 24. cap. 12. Diſtributiones qui ſtatis horis interfuerint recipiant, reliqui quauis colluſione, aut remiſſione excluſi ijs careant,* viden' vt aſſiſtentiæ ſolius Synodus meminit? vt de pſalmodia ne verbum quidem ſanctioni ſuæ interſerit? quod feciſſet haud dubie, ſi hanc aſſequendis diſtributionibus cenſuiſſet neceſſariam.

A Leſſio diſſentiunt Portelius *de dubijs regular. verbo hora num. 15.* Ludouic. de Bea *par. 1. caſu 55.*

Negant enim eiuſmodi obuentionibus diariis frui poſſe illos, qui choro quidem interſunt, ſed cum canente non canunt, quia non debentur, nec dantur niſi propter chori officium, quod natura ſua exigit eſſe commune multis, Chorus enim in Ariſtophanis comœdiis, maxime in Pluto, cœtus eſt canentium, Chriſtianis, locus in quo pſallitur in Eccleſia, aut vero, multitudo ipſa Clericorum alternis modulantium, at ſibi hi viciſſim modulando non communicant, niſi per verba, voceſque, quas alternando pronuncient, ſibique inuicem inſinuent, vt docet Bea loco proxime citato.

Quid? quod Pius V. in Bulla quæ incipit, *ex primo Lateran. Concilij*, ſtatuta irritet, ius, aut conſuetudinem quamlibet, vi cuius Canonici qui choro ſunt addicti, poſſunt ex ſola, vt loquuntur, aſſiſtentia, fructus aut diſtributiones, quaſi ſuas petere, ſibique vt iure debitas arrogare, vultque vt omnes, ſub pœna peccati mortiferi, amiſſionis fructuum & diſtributionum, horis ſtudioſe ac attente pſallendis dent operam.

Sunt tamen qui dicant aſſiſtenti Canonico etſi non canenti, mercedis nomine, fructuum qui diætim dantur ob præſentiam in choro, partē mediam eſſe debitam, vt Diana *de horis reſolut. 33.* Filliuc. *to. 2. tract. 23. cap. 6. n. 195.* Bonac. *tract. de horis diſp. 1. q. 3 puncto 11. nu. 17.* quia ex parte muneri ſuo ſatisfacit, canentes audit, Deum modeſtia ſua ſpecieque colit, quod Concil. poſtulat, choro dum diuina celebrantur, aſſiſtit, quæ mihi opinio, vt æquitatis pleniſſima, damnanda non videtur.

Corollarium vltimum, canonicum, qui horas in choro, aut modo chori non recitat, vltra eam diſtributionum partem, quę canentibus datur, fructus à canonicatu perceptos non teneri reſtituere fabricæ, aut egenis.

Ratio eſt, quod hi non modo ſint ſtipendij A loco pro cantu, ſed pro aliis quoque oneribus, quæ ſubire canonicum eſt neceſſe, ſi boni viri partes explere, ac conſcientiæ ſuæ ſatisfactum vult eſſe, nam intereſſe Capitulo debet, Eccleſiam ſuo iuuare conſilio, eius tueri bona prudentia ſua, ac cum eſt opus Oeconomos rei gerendæ idoneos, ſuo renunciare ſuffragio, aſſiſtere choro, ibiq; aut domi legendis horis, Sanctis quotidianas deferre laudes, præque illis Deo, quæ omnia, quia mercede ſunt digna, ac canonicorum curæ, munerique iuncta, obire hæc illi gratis non debent, quare B ex obuentionibus fructibuſque, quos annuatim poſſeſſori ſuo canonicatus parere ſolet, tantundem ſibi attribuent, quanti hæc æſtimari prudenti hominum ſenſu ſolent.

Hoc vero quale eſt & quantum? Exiſtimat Bea ſub finem *caſus 55.* nudæ canonici aſſiſtentiæ (vt loquuntur) in choro, id eſt ſine cantu, reſpondere fructuum partem tertiam, *reliqua autem ei dari pro honorando ſua præſentia in ipſum chorum, & pro Miſſis & pro multis conuentibus, & proceſſionibus quibus intereſt.*

C

EPITOME,

EORVM QVÆ DE HOris Diſputatione præcedenti ſunt ſcripta.

CAPVT I.

Quot ſint Horæ, quidque ſignificetur earum nomine.

D SVNT horæ canonicæ, ſtatæ preces à Clericis maiorum ordinum, certis noctis ac diei horis dicendæ quotidie, ſeptem ſunt numero, Matutinum, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſperæ & Complet. Cypr. *li. de orat. Domin.* ſitq; earū mentio in Concil. Agathenſi vt refertur *cap. 1. de celebrat. Miſſar. in Clem. vnica de reliquijs & venerat. Sanctor. parag. Illis vero final.* & in Concil. Aquiſgran. ſub Ludo. Pio ad annum 816. E *can. 131. & ſequentib.* & quanquam initio non conſtarent hæ preces pari pſalmorum, ac hymnorum numero quo hoc tempore, fuere tamen à primis naſcentis Eccleſiæ crepūdiis, pſalmi in numinis cultu adhibiti, vnáque oratio quolibet die à fidelibus ſepties iterata, vt liquet ex Athanaſ. *lib. de Virginitate*, Hieron. *ad Demetriad. epiſt. 18. ad Lætam 13. lib. 2.* vbi eſt his verbis: *Proponatur ei Virgo veterna, quæ illam doceat & aſſueſcat exemplo ad orationem*

& pſalmos nocte conſurgere, mane hymnos canere, tertia, ſexta, nona hora ſtare in acie quaſi bellatricem Chriſti, accenſaque lucerna reddere ſacrificium veſpertinum. De pſalmis item ac hymnis fit in *epiſt. ad Demetriad.* 18. mentio his verbis: *Præter pſalmorum & orationis ordinem quod tibi hora tertia, ſexta, nona, ad veſperam, media nocte, mane ſemper eſt exercendum, ſtatue quot horis ſanctam ſcripturam ediſcere debeas,* & ad Euſtochium de cuſtodia virginitat. *epiſt.* 17. *Quanquam Apoſtolus orare nos ſemper iubeat, & Sanctis etiam ipſe ſomnus ſit oratio, tamen diuiſas orandi horas debemus habere, vt ſi forte aliquo fuerimus opere detenti, ipſum nos ad officium tempus admoneat horam tertiam, ſextam, nonam, diluculum quoque, veſperam nemo eſt qui neſciat.*

Inſtituendæ autem in Eccleſia pſalmodiæ, ac orationis per temporum interualla repetendæ, cauſæ fuere primis eius fundatoribus variæ, prima, vt quod beatæ mentes in cœlo inflammatis animis faciunt, imitarentur in terris homines fructu cultuque pari, ita Chryſoſt. *hom.* 1. *de verbis Iſa.* in Eccleſiæ cantu imitationem eſſe *Angelicorum ordinum, ſtationis, & chori aſſerit,* τῆς αγγελικῆς χοροςασίας, in cuius rei admirationem defixus exclamat, *O mira Chriſti dona in ſupernis exercitus Angelorum canunt gloriam, in terris homines* ἐν ἐκκλησίαις χοροςατοῦντες, *in Eccleſiis choros agentes ad illorum exemplum, eandem canunt gloriam, ita feſtiuus cæleſtium & terreſtrium conuentus & panegyris coaleſcit,* Angelos certe quos ob eam cauſam Athanaſ. *q.* 30. *ad Antioch.* ζῶα ὑμνολογικὰ nominat, *admiſceri pſallentibus* purpurei vatis teſtimonio Bernard. aſſerit *in ſermone* 7. *in Cantica,* eoque referri has eius voces ait, *Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum.*

Cauſa altera tam variis, diſtinctiſque diei horis orandi, ab Eccleſiæ in Deum hominesque charitate ducitur: Enimuero cum in eorum perniciem, nunquam nõ incubet hoſtis, prudentiæ fuit ac amoris in Deũ paratas habere acies, qui peſtiferos eius conatus ſuis precibus retunderẽt, & vt ſemper ac vbiq; magno gentis noſtræ dedecore ac malo, ſunt qui æternum numẽ fœdiſſimis ſuis facinoribus dehoneſtant, ita eſſent qui hora qualibet votis ſuis eum colerent, lachrymiſque quantum fas eſſet, iratum placare^t.

Tertia, ne Chriſti memoria, de fidelium excideret animis, ſed horæ cuiuſque in qua ſub horrenda pœnarum acerbitate pœnè confectus gemuit, ſuauiſſima recordatione renouata creſceret, de quo eſt hæc Clementis Romani *in lib.* 8. *conſtitution. Apoſtolicar. cap.* 40. non iniucunda admonitio: *Preces,* inquit, *veſtras facite diluculo, tertia hora, ſexta, nona, veſpere, & in galli cantu, diluculo gratias agendæ ſunt, quoniam illuminauit nos Dominus pulſa nocte, & inducto die. Tertia hora, quoniam Dominus illa hora ſententiam mortis accepit, ſexta, quoniam tunc crucifixus, Nona, quoniam omnia cõmota ſunt crucifixo Domino, perhorreſcentia Iudæorum audaciam, & non ferentia ignominiam Domini. Veſpere gratiam agentes, quod dedit noctem diurnarum laborum requiem, in Galli cantu, quoniam illo tempore nunciatur aduentus diei ad exercenda opera lucis.*

CAP. II.

Ad quos pertineat præceptum de horis.

ET quanquam Chriſti Seruatoris imperio iucumbere precibus omnes debeant, Marci 6. Luc. 18. maximè tamen Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi & beneficiari, quos Eccleſiæ miniſteriis, diuinoque ex propria inſtituti ſui, vitæque ratione, cultui dèdicatos, his præ cæteris indulgere conuenit, quos Patres olim vt conſtituendæ Eccleſiæ, ita & regendę Principes, certis definitas horis, à tempore quo ſunt faciendæ, *horas* appellauere *Canonicas,* de quibus nos *cap. proximè præcedenti.* Et licet, de illis priuatim orandis, nulla videatur olim extitiſſe Eccleſiæ præceptio, ſed tantum publicè & in templo vt colligitur ex *can. ſi quis Presbyter* 9. *diſtinct.* 92. *& primo cap. de celebrat. Miſſar.* eſt tamen hoc tempore maiorum Ordinum Clericis canonialis oratio, ſeptenis horis comprehenſa, ex præcepto ſecundum Eccleſiæ formam facienda quotidie, cui præcepto, tam à cõſuetudine vniuerſali Eccleſiæ, Doctorum omnium approbata ſenſu, quam ab Innoc. III. *in cap. dolentes nono de celebrat. Miſſarum,* factum eſt initium, vt enim hic *in virtute obedientia* officium nocturnum pariter & diurnum dici *ſtudioſe pariter & deuote* imperat, ita cum ea conſuetudo legis vim habeat, hoc ipſo, quod quis aggregari ſe ſacerdotibus, aut aliis maiorum Ordinum Clericis, per Ordinem ſacrum, aut beneficium ſibi à Collatore dari patitur, vinculum, ac orandi nexum iniici ſibi ſinit, à quo vacationem habere ac veniam, ſine cauſa non poteſt, & ita *ad horas ipſo iure obligantur, quicunque vel beneficiys Eccleſiaſticis potiuntur, vel ſacris initiati ſunt,* Concil. Burdigal. *cap.* 3. *de Eccleſ. precationibus.*

CAP.

CAP. III.

An ſit aliqua, & quanta officij dicendi obligatio.

Eſt autem ad has horas obligatio ſub mor-
tali. Primo, quia earum lectio præcipitur
in virtute obedientiæ, qua oratione ſignifica-
re vult Pontifex tantum ſe Beneficiatos ac
maiorum Ordinum Clericos, obligare pro
auctoritate velle, quantum poteſt, Regin.
to.2.lib 18.*cap. 27.num.* 391. ergo cum Cleri-
cis horas præcipere ſub mortali valeat, id eum
his verbis: *in virtute obedientiæ*, facere non
eſt improbabile.

Secundo, id pœnæ multæ graueſque indi-
cant quibus Pontifici ac Conciliis in eum ani-
maduertere placuit, qui in hoc genere peccaſ-
ſe conuincitur, primo enim à corpore Eccle-
ſiæ excommunicationis gladio in Concilio
Martini abſcinditur, vt refertur à Grat. *di-
ſtin.Ct.92.can.ſi quis Presbyter extremo.* Secun-
do ſi de officio commonitus non ſapit, iube-
tur à Leone X. in Lateran. Concilio *parag.
ſtatuimus*, beneficio ſuo exui, & ſic in ordi-
nē redigi, ſemper autem pro rata omiſſarum
precum, fructus perceptos, fabricæ aut pau-
peribus reddere, quam Leonis ſanctionem,
confirmaſſe Pium V. in Bulla quæ incipit *ex
proximo* eſt certum, hoc tamen moderamine,
quod etſi qui primis ſex menſibus orationi
non vacat, niſi negligentiæ ſuæ iuſtam ali-
quam cauſam obtēdat, graue peccatum com-
mittat, fructus tamē quos interea tēporis per-
cepit, reſtituere non debeat, quia hoc ei onus
Eccleſia condonat, vt ait Sanchez *opuſcul. lib.
2.cap. 2.dub.82.n.7.& 10.* etſi enim quæ ea ac-
cepta ſunt lege, vt quid omittatur aut fiat, re-
ſtitui debeant, ſi is cui ſunt cū conditione da-
ta, officiū negligat, Eccleſia tamen, quæ hic
creditoris eſt inſtar, iuri ſuo cedit, quæque
contractus non impleti occaſione ac gratia,
ſibi erant debita, debitori remittit ac condo-
nat, nec ad horas omiſſas, niſi poſt exactos à
collatione facta beneficij primos ſex menſes,
fructus fabricæ aut pauperibus vult præberi:
Theſaur. *praxis Eccleſ parte 2.verbo hora 1. pa-
rag. item declarauit:* ergo cum pœnæ acer-
bitas, culpæ grauitatē arguat, ſintque benefi-
ciario impoſitæ eiuſmodi, quibus ratio ac na-
tura grauiores habere nullas poteſt (nam quis
æquo ferat animo ſua ſibi eripi, de clero eiici,
magiſtratu quem publicum in Eccleſia ſuſti-
net priuari? ſunt hæc tamen ei conciliorum
legibus irroganda ſupplicia, qui orare cano-
nicè, præſtituto tempore negligit) cum ſint
inquam non orantium tales pœnæ omiſſio-
ne horarum ſpontanea, nec graui aliqua eam
excuſante cauſa, peccatum mortale contrahi
nulli, qui ſuis quidque momentis librat ac pon-
A derat, puto eſſe ambiguum.

CAPVT IV.

De forma & modo dicendi preces.

NEque tunc peccatur tantum, Verum-
etiam cum qui modus eſt orandi in Ec-
cleſia præſtitutus, non ſeruatur. Eſt hic vero
duplex, internus vnus, externus alter, hic in
eo eſt maxime, vt iuxta conſuetudinem, mo-
B remque Romanæ Eccleſiæ, *can. peruenit 13.&
duobus ſequentibus de conſecrat. diſt. 3.* aut ſuæ
in eo priuilegiatæ, horas diuinumque quiſque
exequatur officium. Doctores *in Clement.1. de
celebr. Miſſar.* Fas tamen eſt cuique Pij V. Pon-
tificis conceſſione, in priuata pſalmodia Ro-
mano vti breuiario, non publica, quod ad eius
ſe chori morem fingere in quo verſatur, eiuſ-
que in pſallendo, ordinem ſequi quiſque
debeat, ne aut pluſquam cæteri ſapere, aut fa-
cto illos ſuo videatur culpare velle, quod ar-
rogantiæ ſuſpicione non vacat.

Ad externum quoque orandi modum per-
C tinet, quod preces canonicæ dici publice de-
beant *de celebrat. Miſſarum ca.1. & in Clement.
1.eod. tit. & in can.9. diſt. 92.* niſi tempore in-
terdicti generalis, quo caſu, iure antiquo Cle-
ricis fas erat in Eccleſiis Conuentualibus ſine
cantu, & ſubmiſſa voce (vt non audirentur à
non habentibus priuilegium) cum ſocio vno
vel duobus horas canonicas exequi ianuis
clauſis, excommunicatis & interdictis exclu-
ſis, *cap. quod in te de pœnit. & remiſſ.* multo ma-
gis extra Eccleſiam, Sylu. *verbo interdictum
5q. 5.* de Auila *par 5.diſp.4 ſect 2.concl.2.*

Nouo autem, cuius auctor eſt Bonifac. eius
D nominis VIII. *in cap. alma mater 24. de ſen-
tent. excommun. in 6.* permittitur, *vt ſingulis
diebus in Eccleſiis & Monaſterijs Miſſa cele-
brentur, & aliæ dicantur diuina officia ſicut
prius, ſubmiſſa tamen voce, ianuis clauſis, ex-
communicatis ac interdictis excluſis, & campa-
nis etiam non pulſatis, cap. alma citato*, quo
modo, eodemque tempore, regularibus per-
miſſum eſt ſimiliter, ex priuilegio iiſdem à
ſede Apoſtolica indulto vt Pontifex aut cele-
brare voce ſuppreſſa modo ne templi ianuæ
excommunicatis & interdictis pateant, *cap.
E quod in te de pœnit. & remiſſ.* 12. His ita breui-
ter de externo precandi modo expoſitis iam
pronum eſt de interno, (quæ fuit diuiſionis
pars altera) diuiniſſimum Patrum Senatum
audire, quos honoris cauſa rogare ſententiam
lubet, & de modo, quem in orando ſeruari
oportere exiſtiment ſenſum exquirere, hic in
primis ſeſe offert, Gentium Doctor ad Epheſ.
5. vbi Principem Deum corde magis quam
ore laudandum ait, *Cantantes & pſallen-
tes in cordibus veſtris Domino*, quod idem eſſe

A August. in Pſalm. 64. tradit, ac animo à peccatis libero. *Quid eſt,* inquit, *cantantes in cordibus veſtris? ne inde cantetis vnde eſtis in Babylonia*: hoc ergo in primis tanquam ſolum ac fundamentum bonæ precationis eſt ponendum, vt qui numini laudes pangit, & beatarum æmulatione mentium chorum inſtituit, à vitio purum eſſe debere, neque Deo ac cœlitibus maculoſi animi ſordibus odioſum ac grauem eſſe oportere, quod viderant id olim gentes, à ſacris noſtris alienę ac extorres, cùm manus ante preces iuberent ablui, ne quæ illis maculæ inerant, Diis ſuis nauſeam, ac ſto-
B machum mouerent,

Hæc ſanctè vt poſcas Tiberrino in gurgite mergis
Mane caput, bis terque & noctem flumine purgas.
Perſ. eleg. 2.

quod & Chriſtianis fuiſſe olim in more, Clem. *lib.* 8. *conſtitut. cap.* 38. ſcribit, innuitque Paul. 1. ad Timoth. 2. *volo viros,* inquiens, *òrare in omni loco, leuantes puras manus,* dixiſſet Apoſtolus, & animum niſi nóſſet ſcire omnes, eius, quam manuum, curam cuique ſuſcipiendam eſſe potiorem, nam *quæ
C ratio eſt, manibus quidem ablutis, ſpiritu vero ſordente orationem obire?* Tertull. *in tract. de orat. cap.* 11. quare etſi non ſit eſſentiale precibus, diuinoque officio, ab eo celebrari qui conſcientiam habet ab omni culpa liberam, eſt id tamen in primis laudabile, & vt ex antiqua formula dicam, *hoc agere,* omnes eſt neceſſe quantum licet, quia *caſta placent ſuperis,* vt mentem ad orationem afferant Deo plenam, peccatis vacuam.

Certius eſt quod ſequitur, orationi, quam aduertentia animi ad ea quæ petuntur, aut voces quæ pronunciantur, non animat, vim in
D multorum opinione nullam eſſe. Quid eſt enim liberas menti dum orat, habenas relinquere euagandi quo lubet, niſi ſe Dæmoni ludum dare, Angelis Diuiſque cœlitibus ridendum propinare?

Nam quid eſſe fœdius queat, quam vocantis numinis ſapientiam benigne loquentem mortalibus reſpuere, & pro luce quæ illis aperitur, proque ſplendore qui orantibus emicat, inaniſſimas ſectari vmbras, ac dum peregri-
E nantur animo, vtilium rerum ac dulciſſimarum cogitationum incredibili ſe bono fraudare? Ecquid nõ verò id faciunt, qui verba iuueniliter ac temere, curſim, ac ſine attentione proferunt, rem illis ſignificatam, quia ſuis ſe cogitationibus diduci, alioque abſtrahi ſponte ſinunt, non intelligunt? Ergo *qui ſtamus ad orationem, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus, cogitatio omnis carnalis & ſæcularis abſit, nec quidquam tunc animus, quam id ſolum quod precatur cogitet.* Cyprian. *to.* 2. *in explicat. orat. Dominica,* tunc enim,

A *Laus vera in Dominum depromitur ore precantis*
Si qua voce fluunt, intima cordis habent.
D. Proſper. Epigr. 6.

Aberrare ergo animo, dum oratur, vagari, perque incerta rerum ac temporum ſponte diffluere, nihil eſt aliud quam operam ludere, preciſque omnem fructum perdere. Quia *parum eſt,* inquit August. in explanatione harum vocum, *exaltaui eum ſub lingua mea,* Pſal. 65. *Parum eſt,* inquam, *Deum exaltare lingua, niſi & ſub lingua, vt quod certus loqueris, taci-
B tus cogites, commoda vera tunc eſt confeſſio benedicentis, cum idem ſonus eſt & cordis & oris,* Auguſt. *ſententia* 6.

Hocque ipſum eſt quod Bernard. *in ſerm.* 13. *ſuper Cantica,* fratribus ſuis ante reliqua commendatum eſſe cupit. *Immolantes,* inquit, *hoſtiam laudis, & reddentes vota noſtra, curemus omni vigilantia iungere ſenſum vſui, affectum ſenſui, exultationem affectui, grauitatem exultationi, humilitatem grauitati, libertatem humilitati.* Nam etſi cum magna in eum, eiuſque bonitatem præfidentia, orari Deus velit, nihil æque tamen diuinum eius animum
C afficit, ac orantis humilitas, *Omnes enim orare conuenit pro indulgentia peccatorum ſuorum in animo contrito, & ſpiritu humilitatis quemadmodum Publicanus ille: Deus (inquit) propitius eſto mihi peccatori, quæ enim fidelis & humilis & feruens oratio fuerit cælum ſine dubio penetrabit,* D. Bernard. *in ſerm.* 4. *de ieiunio quadrag.* Feruens autem niſi mentis ad ea quæ cócipit, præſentiam habeat, eſſe quî poteſt? eſt hæc ergo neceſſaria, hocq; ipſum eſt quod Patres aiunt canere oportere Sacerdotes, *ex corde,* qua voce ſignificant, eum qui ad cœleſte numen propitiandum adhibetur, aſ-
D ſequi id ſolo labiorum motu, ſi quæ ex ſimilitudine auium garriat, non poſſe, *Audiant,* ergo, *hi quibus pſallendi in Eccleſia officium eſt, Deo non voce ſed corde cantandum,* Hieronym. *in cap.* 5. *ad Epheſios,* nam vt taceam.

Non prodeſſe vlli ſolis bona dicere verbis,
Ni pia mens habeat, quod bene lingua ſonat.
Proſper Epigr. 6.

ſibi quoque nocet, qui iuuenili temeritate at-
E que improuida, ſed vera atque certa animi inductione, à Deo, eiuſque maieſtate auocatam mentẽ, ad vilia caducaque terrarum negotia abiicit, peccat quidem, *Quid enim eſt voce pſallere, mente autem domum aut forum circumire, niſi homines fallere, & Deum irridere?* Concil. Treuirenſe ſub Carolo V. anno 1549. *can.* 6. Eſt ergo ſpontanea, quæſitaque à Clerico orante animi diuagatio exitiabilis, eique niſi ad ſe, officiumque redeat, à quo abſtractum ſe intelligit, certa futura pernicies.

Attétioni, ſi religionis magiſtros audiendos

putamus

putamus, adiicienda eſt reuerentia. Eo Patrum qui ſextæ Synodo in Trullo interfuere decretum ſpectat *can.* 5. vt qui orant cantuntq; in id μετὰ πολλῆς προσοχῆς καὶ κατανύξεως incumbant. Eo Chryſoſtomi plena charitatis ac ſapientiæ ad ſacros Liturgos adhortatio, vt hymnos numini offerant, φόβῳ πολλῷ συνεσταλμένοι, *multo tremore contracti*, nam etſi in charitate non ſit timor, eſt hic tamen reuerentiæ conciliator ac prodromus, ac in Dei Sanctorumque cultu, Dauide teſte adhibendus Pſalm. 2. *Seruite Domino in timore & exultate ei in tremore.* Quod cũ Carol. Magnus ab Eccleſię moderatoribus accepiſſet, pro mirifico illo zelo, quo ad diuina ferebatur, inter edicta ſua, & hoc eſſe voluit, *Gloria Patri cum omni honore apud omnes cantetur*, quod vt facerẽt, non niſi ſtãdo illud proferre ac horas exequi, decreto Concil. Aquiſgr. ſub Ludou. eius filio vlli fas erat, ſic enim ſcriptum lego in *can.* 131. *Religioſiſſimè Canonicis ſtandum eſt, & pſallendum*: quare cum quidam ex ludo, aut ambulatione feſſi in chorum venirent, id verò non ferendum dixere Patres, quod contra quàm in ſacris precibus à Liturgis adhibenda veneratio exigeret, ideo ſedentes orare cogerentur.

Et quoniam non hæc ſitu tantum corporis, ſed & verbis ac loquacitate læditur, vetare iiſdem placuit, omne tunc non neceſſarium linguæ interſe aliosque commerciũ, qui ſecus faceret, *non ſolum illius horæ ſed totius diei diſtributiones ipſo facto iubebatur amittere*, in Conc. Senonenſi de anno 1527. ſub Card. de Prato, *ſtatuto* 19. curſim autem horæ ne legantur, ſyllabiſque præcipiti linguæ rotatione abſorptis, aut conciſis decurrẽtur decretum eſt à Clement. V. *in Clement. 1. de celebrat. Miſſ.* & in citato Senonenſi Concil. ſtatuto 19. his verbis: *Admonemus beneficiatos & alios in ſacris ordinibus conſtitutos, qui ad horas canonicas tenentur, vt non in gutture, vel inter dentes, ſeu deglutiendo, aut ſyncopando dictiones, vel colloquia, aut riſus intermiſcendo, pronuncient, ſiue ſoli ſiue aſſociati, diurnum nocturnumque officium reuerenter, verbiſque diſtinctis peragant.*

His ſunt quam ſimillima quæ à ſuauiſſimo Bernardo ſermone 47. in Cantica ſunt ſcripta, cum enim dixiſſet laudum ſolemnia quæ Deo in Eccleſia perſoluuntur, à D. Benedicto appellari *opus Dei*, Religioſos quibus præerat, hac eſt excellenti oratione ad preces ea qua par eſt religione Deo fundendas adhortatus.

Vnde vos moneo purè ſemper ac ſtrenue diuinis intereſſe laudibus, ſtrenue quidem, vt ſicut reuerenter, ita & alacriter domino aſſiſtatis. Non pigri, non ſomnolenti, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra tranſilientes, non fractis & remiſſis vocibus muliebre quiddam balba de nare ſonantes, ſed virili (vt dignum eſt) & ſonitu & affectu voces ſancti Spiritus depromẽtes. Purè verò, vt nihil dum pſallitis, quam quod pſallitis cogitetis, nec ſolas dico vitandas cogitationes vanas, vitandæ ſunt & illæ quas, &c. hocque ipſum eſt, quod Auguſt. in pſalm. 66. appellat cordis canticum, *Cantemus*, inquit, *deuotione non ſterili, non inani voce, ſed vero corde*, hoc enim cor verum duo complectitur, motum mentis, piumque voluntatis affectum ad Deum, quem laudare eſt animus. Alterum, intellectus ac animi cogitationem, ad id quod agit aduertentis, quæ duo cum adſunt, *non ſterili deuotione, & inani voce*, ſed fructuoſa ac vtili oratur.

Fructuoſa quidem quia eſt meritoria, quia compenſanda beneficij fructibus, quia laude digna, quod non habet eorum oratio, quæ verbis quidem & ſono eſt grauida, deuotione vero, animique pietate in Deum inanis ac vacua, eam enim improbat, ac vt vitioſam in Iudæis accuſat, cum ſe labiorum tenus ab eis coli ait, interne autem deſpici, *Populus hic* (inquiens) *labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.*

CAP. V.

An fructus ſuos faciat qui horas attentione interna deſtitutus recitat.

Nihilo eſt eorum oratio melior, qui corpore quidem chori ſubſellia occupant, meliore autem ſui parte hoc eſt mente, vrbes, agros, prouincias pſallendo pererrant, ac compita, peccant enim, quia Deo cultum ſic orando non exhibent, eum offendunt, non placant, quæ tamen emolumenta è beneficio ſuo ad eos idcirco manant, fabricæ aut pauperibus tanquam rem non ſuam reſtituere non debent. Quia quod Eccleſia exigit, vt prædicta emolumenta ſibi habeãt, ſeruentque præſtitere ex fide, vt ſupponitur, nec enim hæc ab iis, vt illa, beneficijque fructus ſui percipiant aliud poſtulat, quam vt horarũ penſum Eccleſiaſticum horis præſtitutis decurrãt, quod ipſum, etſi religioſè non ſatis ac attentè, præſtãt tamen quantum eſt ſatis, cum hæc ſubſtantiã duntaxat actus, & non eius modum imperet, fructus ergo ſuos faciũt, etſi Eccleſiaſtica munera quæ debent, quia peregrinante animo ea obeunt, religioſe non ſatis ac pie præſtent, quod eos quoque dicere eſt neceſſe, qui vt fructuoſe beneficiatus his muneribus fungatur, quæ Eccleſiaſtica neceſſitas requirit, attentionem aiunt ad verba, mẽtali excluſa, ſatis eſſe.

Neque tamen eſt omnium, qui beneficia poſſident, par & æqualis ad horas neceſſitas, earum lege ſunt ſoluti. Primo, qui ex iis,

quamuis fructiferis, capere fructus nequeunt, dummodo ſint in eo culpa vacui.

Secundo, neque canonicarum horarum obligatio, ex beneficio ſterili plane ac inani oritur, ſicut nec ex eo, ex quo tāti percipi fructus nequeunt quanti ſunt ad partem ſuſtentationis beneficiarij mediam neceſſarij. Qui ſacerdotium tamen (inquit Nauar.) dari ſibi eſt paſſus, reſeruatis alteri fructibus, legi quæ cæterorum eſt communis de horis, eſt obnoxius, *cap. 7. de orat. num. 30.* quia ſi velit beneficio (inquit) ſeruire poterit, deque eius fructibus, operæ ſuæ mercedem capere, quanta tolerandæ vitæ ſufficiat.

Sed pace eius ſit dictum, ius dicendi officij in beneficiariis, ex beneficij collatione, eius tranquilla ac pacifica poſſeſſione & fructuum perceptione proficiſcitur, at hic de quo eſt quæſtio, in claſſem coniici beneficiariorum non poteſt, cum beneficij fructibus non fruatur: ergo eius legis, quæ eſt his qui Sacerdotia Eccleſiaſtica obtinent, perferre iugum, aut diuini officij perſoluendi orando, neceſſitatem ſubire ac pati non debet.

CAP. VI.

Quinam è beneficiarijs horis vacare Canonicis debeant.

Dicendi horas in Dei Eccleſia, neceſſaria tenentur lege qui per ſe, aut alios fructus percipiunt, vel lite expedita percepturi ſunt, vel per quos ſtat, quo minus propter non reſidentiam, aut non captam poſſeſſionem, idoneos ac ſufficientes ſaltem ad partem vitæ alteram habeant, quod eſt contra communem ſententiam, Gloſſæ *in can. Clericus victum, diſt. 91.* quam ſequuntur penè omnes ſummarum ſcriptores Sylu. *in verbo hora num. 3.* Tabiena *eod. num. 2.* Armilla *eod. titulo,* non lōge ab initio Nauar. *in Enchirid. cap. 7. de orat. nu. 27.* Comitol. *lib. reſponſ. 1. q. 68.* qui omnes aiunt, quibuſlibet, in quos ſunt collata Eccleſiaſtica beneficia, horarum canonicarum ſuſtinendum onus eſſe, etſi ſint hæc perquam exilia.

Verum enim contraria opinio, quæ eſt Soti *lib. 10. de iuſtit. q. vlt. art. 3.* Leſſij *lib. 2. de iuſtit.* Toleti *lib. 2. cap. 14.* Emman Sa *in Aphoriſm.* & aliorum, beneficij poſſeſſorem horis non addicit, qui fructus ex eo nullos percipit, nec percipiendi ſpē habet, quia vt eſt *in ca. 9. epi. 1. ad Corint.* nemo ſtipendiis ſuis militat quique altari deſeruit cū altari participat, non tenetur ergo ad obſequiū, cui non ſuppeditatur ad victum, Eccleſia ſane ea vnire ſacerdotia ſolet, quę tenuitate redituū quos poſſeſſori ſuo proferunt, eum honeſte, quantū eſt ſatis pro conditione ſua, ſtatuque alere nequeunt, 10. q. 3.

A *can. vnio cap. ſicut vnire de exceſſib. prælator.* Trid. *ſeſſ. 21. cap 4. ſeſſ. 24. cap. 13.* quod eſt indicio, in hac Patres opinione nō fuiſſe vt exiſtimarent, cum qui eſt beneficiū adeptus perquam exile, Canonicarum precum ritui obnoxium eſſe. Nec refert, quod vt Nauarrus habet, beneficium quiſquis ſuperioris charitate conſequitur, ad Dei cultum, populique bonum, prece ſua votiſq. promouendum ordinetur, nam huius erga vtrumque religionis ac amoris exercendi, nulla eſt ex iuſtitia neceſſitas, niſi pro ratione ſtipendij: Deum ergo
B reddet populo propitium, recitando roſario, ſeptem pſalmis, aut legendo, vt oportet, deuote ſcilicet & attente, officio B. Virginis, Canonico autem & Eccleſiaſtico non vult Eccleſia teneri quenquam, cui ex Sacerdotio quod eſt aliena benignitate conſequutus, non ſuppetit, vnde vitam agat.

C

CAP. VII.

Ab horis quid excuſet.

Ab eo autem exoluendo excuſant quæ ſequuntur, primo naturalis obliuio, grauis infirmitas, quæ Clericum maiorum ordinum, aut beneficiarium, ſine magna difficultate aut corporis periculo in earum lectione occupari non ſinit, ſumitur, *ex can. Clericus victum 3. diſt. 91.* vbi puniri prohibetur qui propter *corpuſculi ſui inæqualitatem vigilijs deeſt*, hæc ergo ſi erit talis quæ nocitura ſit Clerico canonice oranti, eum eſt ab hoc charitatis erga Deum officio exemptura.
D

Accedit quod vt eſt Eccleſia ad lenitatem prona, ſua cum incommodo corporis graui ac non vulgari ſeruari mandata nolit: ergo nec de dicendo officio, cum infirmi periclitatur ſanitas.

In dubio autem, Superioris, aut Medici, vel Confeſſarii iudicio eſt credendum, non quod in præcepto Eccleſiæ poſtremi hi duo diſpenſare valeant, vt Superior, ſed quod ſpectatis circunſtantiis perſonæ, loci ac temporis, iudicare prudenter poſſint, hic & nunc infirmo de dicendis horis ob morbum co-
E gitandum non eſſe, eo quod iuſtam ab eo excuſationis cauſam habeat. Nauar. *cap. 25. n. 100.* Suar. *li. 4 ca. 28. n. 19.* qualis non eſt vt vterq; aſſerit, quæ à febri, tertiana quidē ſed leui & quartana diuturna petitur, quæ ægro tātum ambæ liberi temporis à morbo vacuum relinquunt, quāto eſt opus ad horas, quas tūm omitti non decet, ſi occupando venturæ febris tempus, aut iam præteritæ obſeruando, abſque dolore, aut graui quopiam incommodo dici queunt.

Cauſa tertia, ab horarum recitatione excuſans,

cuſans, eſt impotentia, puta quia non habetur breuiarij ad eas commode legendas copia.

Quarta eſt repentina occupatio, quæ non patitur beneficiarium orationi canonicæ operam dare, & tamen omitti illa aut differri ſine ſcandalo, aut proximi diuinæque gloriæ detrimento magno non poteſt, nam tunc relicto penſo horario, iuſte cuique eſt cauſa in eo ſe negotij genere occupandi, quod ſors ei ad Dei gloriam, proximique bonum inanis obtulit, quam credantur eſſe pro tali tempore horæ canonicæ.

DISPVTATIO DECIMA QVARTA. DE RESIDENTIA.

QVÆSTIO PRIMA.

Quæ ſit beneficiati ad eam obligatio, & in qua beneficia hæc cadat?

EST reſidentia effectiue, perſonalis in propria Eccleſia, officij debiti perſolutio, Godefridus apud Syluestrum *verbo reſidentia num.* 1. cauſaliter ac proprie eſt obligatio, ſeruiendi per ſeipſum illi Eccleſiæ, in qua quis beneficium habet. Nam reſidere duo dicit. Primo præſentem eſſe beneficio. Secundo, propria eius miniſteria, obſequiaque per ſe obire, hoc enim in *ca. conquerente* 6. *de Clericis non reſidentib.* Alexand. exigit, & poſt eum, Nauar *cap.* 21. *num.* 121. Azor. 2. *parte lib.* 7. *cap.* 3. abeſſe enim eum dicimus, qui procul degit, corpore à beneficio ſeiunctus, aut ſi ei intereſt, per ſe officia non præſtat beneficiarij propria, Victorellus *ad cap.* 1. *Bernardini Poſſemini de officio curati*, vbi hæc habet, valde ad rem noſtram accommodata. *Non reſidet enim qui cum debet, & poteſt, non ſeruit Eccleſiæ, ſi* ſegniter, oſcitanterque, paſſim munus obeas, nihil refert an adſis, vel abſis, Soti teſtimonio *lib.* 10. *q.* 3. *art.* 1. Rodriguez *parte* 2. *cap.* 35. Sancij ſelectis *diſp.* 47. *nu.* 4.

Eodem ſpectat, quod Innoc. aſſerit in *cap. fin. de Clericis non reſidentib.* cauſas eſſe duas ob quas Clerico ſit neceſſe reſidere in benefi-

A cio, primam, vt ei inſeruiat, hoc eſt partes omnes beneficiati expleat, obeundo per ſeſe munia omnia quæ beneficio ſuo ſunt adiuncta. Alteram, vt fructus eius, hoc eſt tam annuas, quam diurnas obuentiones conſequi valeat, traditque idem Innocent. hoc differre primam de his obligationibus ab altera, quod qui illi non ſatisfacit, beneficio priuari poſſit, non autem qui poſtremam culpa ſua non implet.

Ex quo infert cum Nauar. *conſil.* 4. *de Cleric. non reſidentib.* Du Clos *ad quæſt.* 10. *lib.* 1. *de reſignat. per Flam. num.* 2.

B beneficiatũ duplici ad reſidendum teneri nexu, vno ne peccet continue, non reſidendo, altero vt debitos ſibi prouentus iuſte petere poſſit, iiſque vti.

Iam autem an hæc Reſidentia omnium an aliquorum tantum beneficiorum ſit proprietas, affectioque, eſt videndum. Sanè cum antiqua Patrum ſæcula, cum æquiſſima Eccleſiæ priſcæ decreta, contra vagos ſolutoſque Eccleſiaſticorum diſcurſus mente recolo, dicere ſoleo, ſacris ea Liturgis nota non eſſe, aut ſi norunt, cordi ſibi magnopere non eſſe, præ

C voluptate quam ex longis nec tamen neceſſariis itineribus, non ſine Ordinis, ſtatuſque ſui infamia aucupantur, in quo, quàm ſint à verò pietatis ſenſu alieni, quam ab eorum ſeiuncti iudicio, qui myſteriorum Domini, & communis pietatis moderatores extitere, lubet exempli cauſa, ex his quæ ſequuntur planum illis facere.

Et quidem, cum eos in ſuis admittere Diœceſibus, Epiſcopis ſine commendatitiis literis, Apoſtolorum imperio in *can. Apoſtol.* 15. ſit nefas, ad eas relicta propria tranſire, iiſdẽ

D licere quis putet? Diræ his ab Apoſtolis obnunciantur, & à communione ſegregantur, qui alienæ Diœceſeos Clericum ſine ſui Epiſcopi literis Clero ſuo adnumerant, quos & Apoſtoli appellant διδασκάλους ἀταξίας *perturbationis magiſtros, can. Apoſtol.* 16. *Epiſcopus,* inquit canon, *apud quem moratos eſſe Clericos conſtiterit, ſi contra eos decretam ceſſationem pro nihilo reputans, tanquam Clericos ſuſceperit, velut magiſter inquietudinis communione priuetur.*

Ne ergo Clericis huc illucque ſine cauſa

E vagantibus, impunè eſſe non debet, cum deſerta propria Eccleſia, alienam quærunt, in qua longiſſimi temporis moram inutili in otio conſumant.

Id ſane ne fieret Oſius, & cæteri Concilij Patres vna voce definierunt in Concil Sardic. *can.* 14. & 20. nam tum Epiſcopis eſt prohibitum ne vltra tres ſeptimanas à ſua Eccleſia abeſſent, minutis autem liturgis ne Theſſalonicæ moram facerent, *eaque tempora quæ conſtituta circa Epiſcopos fuerant,* circa eoſdem obſeruarent *can.* 20.

Factum idem à Chalcedonenſis Concilij

Patribus, nam non contenti Epiſcopis ac Clericis dixiſſe legem, qua & aſſidui in pietatis operibus eſſe iubebantur, & in alieno ſolo peregrinari vetabantur, nulla cauſa, niſi ad paſcendos oculos, explendamque curioſi animi voluptatem, ſanxere, vt Conſtantinopolitanæ defenſor Eccleſiæ, primo illos admoneret vt diſcederent, & in proprias Diœceſes reuerterentur, deinde ſi renuerent, compelleret vel inuitos Concil. Nicæn. *can. 16. Theod. in Codice de Epiſcopis & Cleric. lege 33.* An hæc vero etiamnum cum antiqua canonũ ſeueritate obſeruari debeant, & an beneficia omnia perſonalem in eis beneficiarij commorationem operæ Eccleſiaſticæ perſonaliter præſtandæ cauſa exigant, iam eſt videndum. In hominum enim mores æuique noſtri conſuetudinem intuens, paucos notare mihi videor, qui beneficij ſui negotia præſentes agant, eique quotidiana vigilia coram percipiant.

Prima Aſſertio, *Beneficium quodlibet etiam ſimplex iure communi reſidentiam exigit.* Ita Azor. *2. parte lib. 7. cap. 3. verbo ſed dubitatur* de Selua *de benefic. parte 4. qu.* 10. Rebuff. *in praxi tit. de diſpenſatione ad non reſidendum num. 7.* Malderus *dub. 19.* Reginal. *lib. 30. cap. 5. num. 49.* Gaufrerius *in ſinopſi ad titul. 4. de Clericis non reſident.* huius opinionis præſidia præcipua ſunt duo, primum ratio, Concilij ac Pontificum auctoritas, alterum, ratio quidem, quia qualiacũque ſint beneficia, dari hæc propter officium eſt certum vt eſt *in ca. vlt. de reſcriptis in 6. & in ca. cõquerente 6. de Clericis non reſidentibus*: ergo cum omnia ſeruitium aliquod requirant, requirunt & reſidentiam.

Senſum hunc noſtrum confirmat ac fulcit, Pontificum ac conciliorum communis. Enimuero Epiſcopos olim ac Clericos in eo, voluere loco conſiſtere cui deputati fuerant, & vt Clericos ſine commendatitiis Epiſcopi aut Papæ literis, vetuere vſpiam admitti, iuxta Apoſtolorum canones 14. 15 & 16. & alios ſub *diſtinct.* 71. & 72. ita & prohibuere Epiſcopis ne ſedes mutarent, aut plures ambirent *7. q. 1. can. non oportet de Cleric. non reſident. cap. 1. & 2.* inſuper ne ad regiam ſeu principis comitatum venirent, ſine Metropolitæ aut proximi ſuperioris venia Chalced. Concilium *can. 5.* Nicæn. *can. 15. & 16.* Iuſtin. Nouella 6. *cap. 3. 86. cap* 8. quibus adiungendæ Pontificum decretales, *quia nonnulli 3. decretalis relatum 4. & conquerente 6 de Clericis non reſidentibus.* Enimuero negat in his Alexand. III. maxime in tertia & quarta, præſentatum inſtituendum eſſe, aut alteri cuilibet committendum eſſe beneficiũ, niſi reſidere ac per ſe officium præſtare velit, & in *cap. fin de reſcriptis in 6.* habetur, beneficium dari propter officium: ergo quodlibet beneficiati præſentiam in loco vbi illud eſt ſitum exigit, cum abſens, ſuo defungi munere propriaque beneficij o-

A nera ſubire nequeat.

Excipienda ſunt præſtimonia, certique perſonatus, quorum cum nulla ſit perſonalis functio, nulla eorum quoque videtur eſſe ad reſidendum obligatio, Azor. *to. 2. li. 7. cap. 3.* Garcia *par. 3. cap. 2.*

Dixi *iure communi*, nam ob cauſam proxime allatam, ad reſidentiam obligant ſimplicia quædam beneficia, idque ex conſuetudine Felin. *in cap. cum dilectis de reſcriptis.* Nic. Milius *in repertorio verbo beneficium q. 33.* Malderus *cit. aſſert. 2.* Rebuff. *tit. de diſpenſatione ad non reſidendum num.* 8. Fabric. *de ſimplicibus & duplicibus num.* 12. Laym. *lib. 4. tract. 1.*

B *cap. 6. quia etſi obligationem habeant officij canonici priuatim recitandi, quia tamen nullum aliud poſtulant, ideo qui ea obtinent, neque per ſe, nec per Vicarium Eccleſiæ deſeruire tenentur* Laym. *loco proxime annotato.*

Quod cum intelligerent Religionis Principes, ſummique Hierarchæ Eccleſiæ, ſacræ addictos myſtagogiæ, non modo in prouinciis, ſed ne in vrbe ipſa in qua eſſent, vagari voluere, niſi boni communis vtilitas, ratioque ipſa poſtularet. Eſt enim ſapiens eorum illa conſtitutio apud Clement. *lib. 1. cap 4. Ne ſis*

C *ipſe volitans, & ambulans ac errans in vicis,* curis enim impletus animus, rerumque quæ per ſenſus in cor irrumpunt, imagine occupatus, non niſi raro cum fructu miniſteria ſacra implet, non ſunt hi ergo tantum cenſura digni, qui in longinquas procul prouincias peregrinatum abeunt, ſed & qui per vicos, compitaque eius ciuitatis in qua degunt, temere vagantur & errant, audituri ac viſuri, quæ eos vidiſſe, & audiſſe, cum operari ſacris volent, pudebit.

Sed vt vnde eſt digreſſa oratio, redeat: Dico beneficia cuiuſquemodi, etiam ſimplicia,

D iure communi requirere reſidentiam, niſi conſuetudo oppoſita excuſet, quia officium nullum habent annexum præter recitationem horarum, quæ fieri vbique poteſt.

An autem canonici, & qui dignitates in Cathedralibus, aut Collegiatis Eccleſiis habent, reſidere ſimiliter debeant, iam eſt videndum. Ordior à Canonicis, quos à ſuo abeſſe beneficio ſine cauſa non poſſe, indicant hæ rationes.

Prima, quod Honor. III. teſtimonio in decret. *cum dilectus 14. de Cleric. non reſident.*

E beneficij ſui annuis prouentibus diariiſque, canonicus cum abeſt ſine cauſa, priuari ſoleat, deponi autem, ſi monitus ad Diœceſim propriam non redierit, ſuoque ſpoliari beneficio Gregor IX decreto *in cap. Clericos 17. eod. tit.* ergo cum pœna, effectus ſit culpæ præuia, aut certè eius comes, ab ea non videtur diſiuncta, canonici à domicilio ſuo, beneficioque abſentia.

Secunda, beneficium quodlibet ſimplex reſidentiam

reſidentiam requirit, Alexand. teſte in *cap. conquerente 6. de Cleric. non reſident.* cum ad eam quendam obligat, cuius beneficium non niſi 20. ſolidis erat æſtimatum. Eius opinionem ſequuntur Innoc. *in cap. fin. de Cleric. non reſid.* Panorm. *ib. & in cap. quia nonnulli eod. tit.* quam etiam probarunt hi omnes Gab. *in 4. diſt. 15. q. 8. art. 3.* Tabiena *in verbo beneficium 3.* Petr. Gregor. *de beneficijs cap. 7. num. 2.* Sylu. *in verbo reſidentia num. 1.* ſed eſt Canonicatus beneficium ſimplex *Canonicos*, inquit, Nauar. *de redditib. Eccleſ. q. 3. monito 3. num. 2. eſſe beneficiarios ſimplices in confeſſo eſt*, in propriis ergo canonicatibus reſidere eſt neceſſe ſi velint culpæ expertes eſſe. Quare eſt hoc Synodi Tridentinæ *ſeſſ. 23. cap. 12. de reform.* decretum *vt non liceat eis, vigore cuiuſlibet ſtatuti, aut conſuetudinis, vltra tres menſes ab Eccleſiis ſuis abeſſe, ſaluis nihilominus earum Eccleſiarum conſtitutionibus, quæ longius ſeruitij tempus requirunt.* Et infra. *Omnes vero diuina per ſe, & non per ſubſtitutos, compellantur obire officia*, & Epiſcopo, &c. quam conſtitutionem in multis Eccleſiis receptam non eſſe teſtatur, Laym. ſupra, traduntque Garcias *par. 3. cap. 2. num. 230.* P. Nauar. *lib. 2. num. 201. & 219.* ſed ad conſequendum fructus totius anni ſatis eſſe, ſi menſibus duobus, aut tribus, vel ſaltem die S. Michaelis reſideant, diuiniſque interſint officiis, quod quam prudenter iuſteque id agant, aliorum eſto iudicium, hunc ego morem probare, non poſſum, vtpote Concilij decretis oppoſitum.

Aſſertio ſecunda, *Præ cæteris tamen exigunt curata beneficia omnia, qualia ſunt Epiſcopatus & Parochiæ, vt qui ea poſſident, in illis reſideant.*

Nobis eorum proferre nomina, ac rationes, qui quod nos credimus, magna contentione defendunt, ad aſſertionis huius fidem ſatis erit: ſunt hi Alexand. III. *in cap. quia nonnulli 3. de Cleric. non reſidentib.* Caietan. poſt Diu. Tho. 2. 2. q. 185. Soto *lib. 10. de iuſtit. q. 3. art. 1.* Maior *in 4. diſt. 24. q. 1.* Petr. Gregor. *de inſtitut. benefic. cap. 7. num. 2.* Nauar. *cap. 25. num. 121.* Leſſ. *cap. 34. dub. 29.* Valq. *de benefic. cap. 4. parag. 2.* Rationes quibus in eam venere mentem ſunt duæ.

Prima Concilij præceptio. Secunda ſubditorum ſalus, eiuſque procurandæ ab Epiſcopo ac Parocho ſtrictiſſima obligatio. Sententiam ſuam expreſſit Concilium *in ſeſſ. 6. cap. 1. de reformat.* quam poſtea confirmauit & explicuit in eod. Conc. *ſeſſ. 23. cap. 1.* *cum Epiſcopos iure diuino dixit teneri Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo, commiſſum ſibi gregem paſcere, & in cætera munera paſtoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præſtari poſſunt & impleri, qui gregi ſuo non inuigilant, neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſeruiunt.*

A Nam quis Epiſcopos, aut Parochos exiſtimet, gregis ſui curæ, cuſtodiæque, poſſe fructu pari cum abſunt, ac proinde per alios incumbere, ac ſi per ſe ipſi, ac præſentes, in id operam conferrent, magna ſane Eccleſiam detrimenta Epiſcoporum ſuorum abſentia olim paſſam, patique quot diebus, cum iucundo ac ſpectabili eorũ aſpectu diu caret, ignorat nemo, qui vrbium, totiuſque adeo Galliæ, vulnera ac clades, ei per Pontificum ſuorum abſentiam, illatas meminit. Equidem, quod de Præſide prouinciæ, Romanorum monu-

B menta vetera narrant; ei egredi prouincia, niſi voti ſoluendi cauſa, minime permiſſum fuiſſe, Martiano Iuriſconſulto teſte *in leg. illud 15. de offic. præſid.* nec Tribunopl. abeſſe Roma vel die vnico, fas fuiſſe ſcribit Dio Caſſus *lib. 27.* hoc animarum paſtoribus dici ſubinde debet *vt in omnibus laborent fructuoſius, & miniſterium ſuum impleant; 2. ad Timoth. 4.* gregem ab eis cui præſunt & *in quo Spiritus ſanctus poſuit eos regere Eccleſiam Dei*, ne minimo quidẽ tẽporis interuallo, ſi licet, oportere deſeri, quod eſt Innoc. III. monitum *in cap.*

C *extirpandæ 30. de præbendis. Qui vero*, inquit, *Parœcialem Eccleſiam habet, non per Vicarium ſed per ſeipſum illi deſeruiat in ordine, quem ipſius Eccleſiæ cura requirit.* Idipſum præcipit, Gregor. X. *in cap. licet canon 13. de electi on. in 6. Is qui ad huiuſmodi regimen aſſumetur, vt gregi ſibi crediti diligentius curam gerere poſſit, in Parœciali Eccleſia cuius rector extiterit, reſidere perſonaliter teneatur.* Idem Concil. *ſeſſ. 23. cap. 1.* vbi Parochorum eadem pœna eſſe dicitur ac culpa, cum non reſident, ac Epiſcoporum, & ita peccare mortaliter & teneri pro rata abſentiæ, reſtitutionem facere

D fructuum receptorum.

Præter hæc beneficia, requirunt & dignitates reliquæ reſidentiam, quales ſunt quæ iuriſdictionem in foro externo habent vt Archidiaconatus Trident. *ſeſſ. 21. cap. 3. & 22. cap. 3.* Alexander *in cap. ad hæc 13. de præbend.*

Item *Officia*, quæ vt eſt in decretali proxime citata *in Eccleſiis aſſiduitatem exigunt perſonarum.* Item præpoſituræ, Cantoria, Decanatus, quæ ad tuendam Eccleſiæ diſciplinam, augendumque tam templi, quam capituli ornatum inſtituere placuit *cap. ex parte noſtra 8. & cap. ex parte tua 13. de Cleric. non reſident.*

E in quorum primo Cœleſtin. III præcipit, ne Eccleſia Decani officio defraudetur, proindeque ei ſcribendum, *quatenus quod ſuum officiũ, vt Decanus debeat exercere*, in altero Honor. III præpoſito cuiuſdam Eccleſiæ, ſignificat eum, *præpoſituræ ſuæ iura fideliter proſequi non ſe abſentando.*

Ad hæc teſtimonia accedit ratio Vt Epiſcopo, ſic & Parocho dictũ eſt à Paulo 2. Timot. 4. *in omnibus labora miniſterium tuum imple*, & Petro Ioan. 21. *Paſce oues meas*, ita & qui-

buſlibet, vt officium ſuum faciant, quod tamen abſentes nequeunt, oportet ergo vt beneficio ſe ſiſtant ſuo, vt præceptum impleant, at quo iure? naturali: nã tenentur munus ſuum exequi, niſi neceſſitas vel vtilitas maior excuſet.

At habere Vicarios poſſunt, quorum ad id illis futura eſt vtilis opera.

Omnino, ſed minus decore, ac fructuoſe; minus decore quidem, quam enim non eſt æquum, vt qui ſentit commodum, expers ſit quoque operis, cuius cauſa percipitur & datur.

Infructuoſe autem, quia nunquam tam bene res, per ſubſtitutos geritur, quam per paſtores proprios, aut Magiſtratus, rei faciendæ præpoſitos.

Deinde ſcire aueo, ecquid id ratio, naturaq; contractus, tacite inter Eccleſiam & beneficiarios initi nõ ferat? cum conſtet, nec illam beneficia, nec fundatores fructus illis eorundem daturos fuiſſe vnquam, ſi reſidere, ac officium per ſe præſtare, virtute, ſaltem ac tacite non eſſent polliciti.

Quid? quod ipſi ad id ſunt electi, quod ipſorum ad Eccleſiæ regimen, & non Vicarij poſtuletur induſtria? pro quo illis quoque annua, diariaque aſſignata ſunt ſtipendia, Rebuffo teſte, *1. part. praxis tit. quare inſtituta ſint beneficia.*

Equidem Vicarios Pontifici Innocentio non probari, indicat eius decretalis 30. extirpandæ *de prabend. parag. qui vero*, his verbis: *Qui vero Parœcialem habet Eccleſiam, non per Vicarium, ſed per ſeipſum illi deſeruiat in ordine, quem ipſius cura exigit*, qua de re nos pluribus *par. 1. Theolog. moral. tract. de Presbyt. & Paroch. q. 36.*

Quarta Aſſertio, *Obligatio reſidendi in Parocho cæteriſque, qui animarum curam gerunt, eſt ſub mortali, niſi cauſa eos aliqua eaque iuſta à reſidendo liberet:* ita DD. omnes, patetque ex pœnis non reſidenti impoſitis, de quibus nos poſtea, quæ cum multæ ſint, ac graues, infligi non potuere pro culpa alia quam lethali, leuis hæc non eſt, quod ſpolietur beneficio in *cap. Clericos 17. & cap. conquerente 6. de Clerico non reſidentib.* De cuius æquitate pœnæ nemo vel parum cogitans ambiget, qui meminerit Parochos, vt eſt in Concil. Prouinc. Narbon. anno 1551. habiti *niſi perpetuo locum incolant, officio fungi non poſſe cap. 27. de Clericis non reſidentib.* oues autem ſibi diuinitus creditas negligere, quid eſt aliud quam earum ſalutem prodere? quod an fieri ſine piaculo grauique crimine queat aueo de Parochis ſcire, qui nuſpiam, magna ſua, nec intermoritura vnquam infamia, minus ſunt quam domi ſuæ, ac in Parochia, quare in Sardicenſi Concilio culpantur Epiſcopi, qui ſedes alienas prouinciaſque deſpecta ſua vagorum more luſtrant, vt enim non recipi Epiſcopum (inquit Hoſius *can. 15.*) *inhumanum eſt, ſic & cum diutius reſidere in altero ſolo, tam illi eſt quam ſubditis pernicioſum:* Quare ei à Diœceſi vltra 3. hebdomadas abeſſe eius æui legibus, Patrumque ſenſu piaculare fuit.

Enimuero memoranti Hoſio, Laïcos communione moueri ſolitos, cum tribus diebus Dominicis, ad conuentum non iuiſſent eſt ei *can. 11.* ab Epiſcopis mirabili omnium voluntate applauſum, dictumque ταύτην τὴν γνώμην σφόδρα ἔοικε πρέπειν δεσπότην, id eſt *eſſe rationi conſentaneum par vt pœna Epiſcopos comprehenderet*, nam ſi hoc de Laïcis ſtatutum eſt inquit Hoſius, οὐδὲ πρέπει ἀλλ' οὐδὲ συμφέρει ἐπίσκοπον, εἰ μηδεμίαν βαρυτέραν ἀνάγκην ἔχει, ἢ πρᾶγμα δυσχερὲς ἐπιλύσεως ἀπολιμπάνεσθαι τῆς ἑαυτοῦ ἐκκλησίας, καὶ λυποῦντες ἐπιτεταγμένον αὐτῷ λαόν. *Non oportet, nec conuenit, ſed nec eſt vtile Epiſcopum ſi nullam habet grauiorem neceſſitatem vel negocium difficilius à ſua Eccleſia diutius abeſſe & ſibi commiſſum populum deſerere.* Sunt enim Epiſcopi principes Eccleſiæ, ſunt Parochi rectores Parochiæ, filiorum Dei tutores, animarum paſtores, ſunt diuini gregis protectores & Patres, hæc ergo dignitatis nomina tueri ſi volent, per vicina circum loca non diſcurrent, nec id ſine ſcelere facere ſe poſſe credent. Tutor qui ſui copiam pupillo non facit, nec ei alimenta cibumque diuidit, cum debet, de negligentia diem apud præfectum vrbi, lege Romana iubetur dicere. Et putamus illum bonum eſſe Eccleſiæ tutorem, qui ſe populo, cuius curam ſuſcepit, videndum non tribuit, nec ei cibum quo ad vitam ſempiternam alitur, prout muneris ratio admonet, ſubminiſtrat?

Quid? quod Paſtorem oporteat præire gregi? excubare dum paſcitur, ne luporum violentiæ, furorique pateat, ac ſi eſt neceſſe ne pereat, perire velle, *Bonus enim paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis*, non eſt hoc ergo paſcere, non eorum, quos regere Epiſcopi & Parochi debent, curam gerere, ab iis abeſſe velle, dum ſunt hi ieiuni, dum à cibis cœleſtibus vacui, menſarum delicias ſectari, & dum hi in caulis Eccleſiæ verſantur, domique quiete degunt, ad vſuram inanium voluptatum iuueniliter hac illacque vagari.

Sunt Epiſcopi & Parochi militiæ Chriſtianæ Duces, eorum auſpiciis, ductuque arma contra Dæmonem carnemque ſucceſſu non infœlici mouemus. Iã mihi ab iis reſpondeti, volo an hoc ſit in hoſtem ire, hoc ſigna victricia in eius exitium producere, hoc acies ducere, hoc cohortes, voce factiſque ciere ad prælia latere in otio, ſeceſſus ac amœnitatem quærere, hoſtem fugere, vt faciunt, quanquidem nobiſcum belli ſocietatem coire noluut, noſque ne de nomine quidem facieque noſſe.

Quare cum ſit omnium qui Eccleſiaſtica munera

munera obeunt indecora, & reprehendenda vagatio, Antiſtitum tamen, Parochorumque præ cæteris, nam cum ex munere, & Eccleſiæ conſuetudine animarum curam habeant, his omni diligentia, ſapientique cautione conſulent, deque neceſſariis ad ſalutem, ſi peccare nolent, ipſi per ſe, præſenteſque proſpicient, cum qui docere populum debent & tueri, eidẽ nauare operã ad beatæ vitæ fœlicitatem, hos ab eo abeſſe nõ oporteat *Paſtor enim proprias oues vocat nominatim, ante eas vadit, & oues illum ſequuntur, quia ſciunt vocem eius*, Ioan. X. id cum noſſet ſanctitate non minus quam oris ſuauitate aureus Conſtantinop. Epiſcopus, merito exclamat, *Magnum quiddam dilectiſſimi, magnum*, inquam, *prælatio, & quæ multa indiget ſapientia & fortitudine, qualem Chriſtus propoſuit vt nunquam gregem deſeramus, lupo generoſe reſiſtamus, hen quot lupi, & quantum furioſi gregem circumueniunt.* Cum ergo tot in animorum perniciem inſaturabiliter Dæmones inhient, quot ſunt in Eccleſia homines, quos vel mediocris ſui, Deique amor pungit, tot ſint eorum, ad exorbendum vitæ cruorem apertæ fauces, quot in populo vitia graſſantur impunita licentia, ſeipſos Epiſcopi, Parochique conſulant, ecquid ſibi à beneficiis ſuis quibus præſunt, abeſſe ſine crimine licere putent. Quid eſt enim Eccleſiam prodere, quid ruentes impellere, quid commiſſos ſibi populos neglectum ire, ſi relicto ſolo in quo ſacerdotium habent, fas eſt illis inſtabilitate ſua per diuerſa circumferri loca, amantibus ſemper errare, & nunquam in fundamento Apoſtolico permanere, quæ velim conſiderent ipſi, atque ante oculos obiiciant, qui fœdiſſimis ſuis moribus, vagandique importuna licentia non ignorant, ſtatum Eccleſiaſticæ Hierarchiæ conuelli, viamque ad ſcelus, ad infamiam, ad animorum diſiunctionem aperiri.

QVÆSTIO II.

An cauſæ dari aliquæ valeant quæ excuſent à reſidentia, & quæ?

CAuſas dari aliquas non reſidendi, modo oculos animumque aduertat, nemo opinor negatum ibit. Et primo quidem abeſſe poſſunt Epiſcopi & Parochi, cum ſubditis vtilius eſt regi ab alio, quam ab ipſis, ratio eſt in promptu. Cauſa reſidendi, eſt ſalus populi, ergo ſi hæc promoueatur à Vicario fructuoſius, quam a Parocho, ceſſabit in eo reſidendi obligatio quæ eſt de iure naturæ.

Probatur hæc ſententia Laymanno *in trat. 2. de Eccleſiaſt. benefic. cap. 6. num. 3.* ſunt hæc eius verba, *ſi Eccleſiæ atque ſubditis vtilius, vel æque vtile futurum eſt, vt Epiſcopatus vel Parochia ab abſente viro docto, vel qui magna auctoritatis ac poteſtatis eſt, per Vicarium adminiſtretur, quam ſi ab alio quopiam præſente, conſideratis aliis circunſtantiis loci, & temporis, hoc caſu obligatio reſidentiæ perſonalis ceſſat, ſecundum ius diuinum, & manet tantum obligatio iuris Eccleſiaſtici, in quo Papa diſpenſare poteſt & ſolet, idque vel in caſibus ſpecialibus, vel generali lege.* Hæc ille.

Secundo excuſat abſentiam à beneficio, literarum humaniorum ſtudium & philoſophiæ, *cap. relatum 4. de Clericis non reſidentib.* iuris Canonici, iuxta Nauar. *Enchir. 21. num. 121.* & Theologiæ iuxta *cap. ſuper ſpecula finale de Magiſtris parag. docentes*, quam in rem, iure communi conſenſum Epiſcopi proprij eſſe neceſſarium ait Reginald. *lib 3 cap. 5. num 54.* negant alij, quod magiſtris & ſcholaribus iure canonum à loco beneficij abſentiam conceſſam eſſe ad quinquennium aſſerant.

Id dixere Gregor. Tholoſanus *cap. 7. de beneficijs num. 7.* Malderus *dub. vlt. de benefic.* Rebuff. *de diſpenſat. in non reſidend. num. 23.* Hoſtienſ. *in cap. inter quatuor de Clericis non reſidentib.* quæ eſt Alex III. opinio, *in ca. relatum 4. de Cleric. non reſidentib.* patet ex his eius verbis: *Admiſſi poterunt remoueri, niſi forte de licentia ſuorum prælatorum, vel ſtudio literarum, vel pro honeſtis cauſis contigerit eos abeſſe*, dixit eandem ſententiam Honorius III. *in decretali ſuper ſpecula 5. de Magiſtris:* quare quin abeſſe ſtudiorum cauſa, à beneficiis ſuis beneficiatis liceat idque *integrè per annos 5.* vt eſt *in cap. ſuper ſpecula* ambigendi cauſa nulla eſt ſuper.

Parochis tamen eſt id interdictum *in cap. cum ex eo 34. de elect. in 6.* niſi cum licentia Epiſcopi ſui.

Dixi iure canonum, nam in Gallia Graduandis tempus per Concordata longius datur, puta decennij, pro Magiſtris, & Licentiatis in Theologia, ſeptennij pro Doctoribus aut Licentiatis in artibus, ac logicalibus incluſiue *parag. præterea volumus de collationibus in Concordatis*, totoque illo tempore abſentiæ, decreto Honor. III. in citata decretali *ſuper ſpecula de Magiſtris, & cap. licet 33. de præb.* fructus beneficij ſui reſeruata penſione vel ſufficientibus fructibus pro Vicario, qui eorum vices gerat, petere ſibi poſſunt, inquit Gregor. ſupra, præter diſtributiones quotidianas, quæ non niſi præſentibus in choro dari ſunt ſolitæ, *cap. licet de præbendis 33.* niſi forte extra eas, quod in Academici victum cederet, omnino nihil foret, ne conceſſum ſcholaribus priuilegium iis eſſet inutile, vt foret, ſi neceſſaria iis ad vitam ſubſidia deeſſent.

Ab hanc non reſidendi cauſam, etiam pertinet Theologicarum ſcientiarum explicatio, cuius cauſa, Doctori quamdiu eam docere erit placitũ, illi in beneficij ſui loco nõ reſidere, fas

eſſe colligitur ex Honorij ſupra citata decretali *vltima de magiſt.* Nauar. *ca.25.n.121.* *Excuſat*, inquit, *à reſidentia auditio Theologiæ, ad quinquennium, prælectio eiuſdem donec durauerit, etiam ſine licentia Prælati, quia ius concedit cap. finali de magiſtris & idem eſt de auditione, & prælectione iuris Pontificum iuxta Archidiacon. in cap. citat.* & Panormit. *in cap. de priuilegijs*. Hæc ille. A

Paria cum illo, dixit ac ſenſit Sylueſt. *verbo reſidentia q.7.num.3.*

Cauſa eſt, quod qui in literarum ſtudia, tam diſcendo, quam docendo incumbit, Eccleſiæ rem agat, ad cuius ſplendorem nimium quantum refert, habere qui tam ſpecie ac virtute B quam doctrinarum omni genere, eam defendant, *cap. cum ex eo 34. de elect. in 6.* quod quia non facile eſt aſſequi hærēdo domi ſuæ, aut in loco beneficij, ecquid Pontifici iuſta fuit cauſa, vacationis à reſidentia, tam Doctori quam diſcipulo annuendæ? quamdiu tam honeſtis ambo curis in publicum Eccleſiæ commodum diſtinentur? Hanc vero abſentiam in diſcipulo, iura ad quinquennium prorogant, in *cap. ſuper ſpecula 5. de Magiſtris* ad ſeptennium *in cap. cum ex eo 34. de electione in 6.* cum ante id tempus, prouiſi de Parochia, C quo literis maiori contentione animi dent operam, de Epiſcoporum licentia poſſint non promoueri.

An autem docenti diariæ debitæ ſint ſportulæ, hoc eſt diſtributiones, ambigi à nonnullis video. Pro his facio, qui has illi negandas aiunt cum Honorio teſte *in cap. licet 33. de præbend.* præſentibus in choro duntaxat dari debeant.

Has tamen in Gallia etiā cū abſunt, ægros conſequi, profeſſores itē & Eccleſiæ negotiis impeditos, decidit Choppin. *li.3. de ſacra polit. tit.3.num.19.* Maynard. *lib.1.cap.14.* Chenutius *lib.1.cap.9.* Charondas *lib.7.reſponſionum cap.150.* Fabricius *de præbendis earumque fructibus num.48. litera V. ad marg.* De licentia autem non petenda à beneficiatis vt abſint, id in humanioribus ſtudiis peræque ac Theologicis locum habere aiunt Malderus & Petrus Gregor. locis citatis. Negat cum Leſſio Reginal. *lib.30. tract.3. cap.5. num.54. verbo quarta cauſa.* vbi ad fugam culpæ in beneficiario qui claſſicū Doctorem in humanioribus literis agit, ordinarij licentiam exigit: quæ opinio etſi ſit ſecurior, prima mihi tamen videtur probabilis, & tuta in conſcientia, quia pridem, conſuetudine factum eſt contraria, ne petatur, ſi Rebuffo fides eſt in *tract. de diſpenſatione ad non reſidendum num. 25.* Innocentio *in cap. relatum de Cleric. non reſident.* quare manſuetiorum muſarum alumni pari cum Theologiæ diſcipulis priuilegio apud Gallos frui, & ita quādiu illas audiunt, in Academiis verſari poſſe, etiā facultate proprij ſui Antiſtitis ante nō petita, ſcribit P. Greg. *c.7. de benef. n.10.* Lubet ea de re audire Rebuff. *in trac. cit.* Excuſatur ſi *abſens eſt ob ſtudium ca. cū ex eo de elect. in 6. debet tamen abeſſe vt aſſerunt quidam cum licentia ſui prælati, cap. relatum de Cleric. non reſident. ſed de conſuetudine non petitur, nec requiritur in ſæcularibus Clericis hæc licentia, quæ conſuetudo valet, vt Innoc. tradit cum Hoſtienſi in cap. inter quatuor de Cleric. non reſidentib. & cap. relatum vbi alternatiue loquitur de licentia ſuorum prælatorum, vel ſtudio literarum*, ſæpeque accidit, vt qui incumbunt in ſtudia, quandiuid abſentes agunt, præbendæ ſuæ fructus integros colligant, præterquam præſentium proprios, quas diſtributiones nominant, habet Gregor. *de benefic. cap.7. num.10.* quod abſens ſtudiorum cauſa, abeſſe videatur Eccleſiæ gratia, & in eius commodum.

In eorum ſane cauſa dicta eſt anno 1577. à Pariſienſi Curia in Canonicos Niuernenſ. ſententia, eaque reditus quos negabant Albino cuidam Canonico ſuo, abſenti ob ſtudia, dare ſunt iuſſi, nec hoc modo, verum etiam tunc ſtatutum eſſe ac iudicatum, Loüetus narrat, facultatem iis ab Epiſcopo abſentandi ſui non neceſſario petendam videri, Loüetus *litera E. art.6. in verbo licentia.* Equidem in *cap. relatum 4. de Clericis non reſidentibus* cum eſt ſermo de cauſis abſentiæ ſit abſoluta, & ſine addito ſtudii literarum mentio, quo nomine tam humanas ac Philoſophicas, quàm Theologiæ ac diuinas intelligi literas, vt ipſe non dicam, nomen ipſum indicat, quod cum ſit commune ſtudiis pluribus, de Theologicis peræque ac humanis capi poteſt.

Tertio, beneficiati à beneficio ſuo abſentiam excuſat neceſſitas orta ex bello, peſte aëris aut loci intemperie, ſimultatibus ac odiis D in quibus deflagrat, iuſtè an iniuſtè nihil ad præſens negotium, dummodo verè, & non ficte cum vicini aut Parochiani oderint, Gloſſa *in cap final. de Clerico non reſident.* Selua *cap.19. q.6.* Reginald. *cap. citat. num.54. verbo præter propoſitas.*

Qui tamen diuertit alio, vt linguas, odiaque euitet hominum ſubſtituere ſuo loco debet qui neceſſaria beneficij ſui miniſteria obeat.

Quarto aſſiduitatis, ſeu reſidentiæ veniam, ius facit ſex Epiſcopis ad latus Pontificis morantibus, E *cap. cum dilectus 14. de Cleric. non reſident.* duobus item Canonicis, qui Epiſcopo inſeruiunt, aut in rebus Eccleſiæ neceſſariis præſentiam ſuam accommodant, *ca. ad audientiam 14. eiuſdem tituli & ca. 7. & 15. eod. tit.* quo eis tempore de præbendæ ſuæ fructibus præter diſtributiones nihil deperit *de Cleric. non reſident. cap.7. & 14.* quem Galliæ quoque morem eſſe referunt Fabric. *tit. de præbend. earumque fructibus*, Choppin. *lib.2. Monaſt. tit.13. num.15.* Chenutius *cap.9.*

Charondas

Charondas *lib.7.reſponſ.cap.235.*

Duobus dixi, nam ſi ius commune conſideres, plures ſecum quam Canonicos duos aut beneficiarios ad comitatum aut conſiliũ trahere Epiſcopis non licet, niſi eos ad id grauis impellat cauſa & Eccleſia eorum ſeruitio non egeat, cæteris Canonicis ad id ſufficientibus, qua de re conſulendus Nauar. *cap. 25. Enchir. num.121.* Regin. *tom. 2.lib.30.tract 3.num.54. verbo quarta cauſa*, Selua *4.parte de beneficijs q.6.caſu.17.& 24.* Zechius *de Republ Eccleſiaſtica cap.24.*

Quinto, excuſat à reſidentia, obtenta diſpenſatio, quam ſolum Papam concedere poſſe pro beneficiis curatis, tradit Victorell *ad cap.1.Poſſeuini de officio curati*, in quo ei ne aſſentiar, facit aliorum auctoritas, Concilij Trident. maximè, à quo ſcriptum video, iuſtam à beneficio recedendi cauſam, præter ſpiritale, aut temporale priuatæ cuiuſque Eccleſiæ commodum, eſſe Epiſcopi ex rationabili cauſa conſenſum, quod eſt Pontificum monitum *in cap. licet canon.14. de elect. in 6. & cap. relatum 4. de Cleric. non reſident.* Sic enim Gregor.X. *in cap.licet canon 14. de elect. in 6. Super reſidentia verò vt præmittitur facienda poſſit ordinarius gratiam diſpenſationis ad tempus facere, prout cauſa rationabilis id expoſcit*, His conſentanea habet Bonifac. VIII. *in cap.cum ex eo 34.de elect. item in 6.* Enimuero in Epiſcopi poteſtate eiuſque Superiorum vult eſſe vt *cuiuis qui ſubiectas ſibi Eccleſias obtinent, vel obtinuerint, in futurum diſpenſare poſſint liberè quod vſque ad ſeptennium literarum ſtudijs inſiſtentes promoueri minimè teneantur*, nec conſequenter in ſuo reſidere beneficio, cum ſæpe magnis ſit ſpatiorum interuallis ab Academiis, vbi iis verſari permittitur, diſſitum.

Quid? quod Põtifex *in ca.relatum 4. de Clericis non reſid.* beneficiatos aſſerat, de licentia ſuorum prælatorum, vel ſtudio literarum, vel pro aliis honeſtis cauſis abeſſe poſſe? ergo & Epiſcopi, cum cuiuſque Parochi Ordinarius, idem quoque ſit & Prælatus,

Sexto abeſſe poſſunt Epiſcopus & Parochus ob Eccleſiæ negotia vt eſt in *cap. ad audientiam 15.cap.ex parte 13.de Cleric. non reſidentib.* regula enim iuris eſt omnium gentium conſenſu approbata. *Abſentiã eius qui Resp. cauſa abeſt, neque ei, neque alij debere eſſe dãnoſam dig.de regul iuris*, eſtq; præclare in legibus ab Imperatore poſitum. *Qui Republicæ cauſa abſunt, à tutela vel cura excuſantur.* Itaque conſtat multos ſacros Antiſtites, moribus climatis ad ſanctimoniæ omne genus, excurriſſe ad vicinas prouincias propter Eccleſias, vrbiumque commodum, Theodoſium Antiochiæ commorantem Flauianus Epiſcopus conuenit, Gaianum ira frementum Chryſoſtomus, Leo vt primæ ſedis auctoritate, ita & A ſanctimonia Princeps, Atilam, & Angliam quoque penetraſſe Germanũ Altiſiodorenſem Epiſcop: cõprimendæ Pelagianæ hæreſis cauſa, Galli auctores memorant, feciſſet operæ pretium, ſi fibras eius omnes ſic reuulſiſſet nulla vt extaret hoc tempore. Abeſſe ergo communis boni cauſa Epiſcopi poſſunt ac Parochi, fidem facit Concil. *in ſeſſ 24. cap. 1.* illic enim abſentiæ legitimæ cauſæ numerantur quatuor, *Chriſtiana Charitas, debita Obedientia, vrgens neceſſitas, euidens Eccleſiæ, vel Reip. vtilitas*; ad quarum vltimam pertinet B negotiorum Eccleſiæ accurata ſedulaque per Epiſcopum aut Parochum procuratio.

Ratio eſt, quod communis multorum charitas, priuatæ vnius cuiuſpiam, aut paucorum anteſtet, at multis vterque conſulit cum publicis Eccleſiæ ſuæ commodis dat operam, quare nec tunc ei de beneficij ſui fructibus, quidquam præter diarios, id eſt qui quot diebus diuiduntur inter præſentes ei negari conuenit, ſicut nec quo tempore, ambo aut eorũ alter abeſt ob regia comitia, ad quæ eſt vocatus, & quibus eum intereſſe oportet.

C Septimo, à reſidendo liberat inuecta pridem in mores hominum, non reſidendi conſuetudo non improbabilis, Selua *in tract. de beneficijs 4.p.q.6.* Nauar. *lib.3.conſilior.iuxta ſecundam editionem conſil. 21. num 4.* Panormit. *in cap. extirpandæ parag. qui verò de præbendis.*

Fidem habere poſſe videtur Aſſertio ab Innoc.III. teſtimonio in *cap. cum omnes ſexto de conſtitut.* nam ibi negat quidquam de ſuis prouentibus canonicis Trecenſibus ob abſentiam oportere detrahi, *quod ſecundum Eccle-* D *ſia Trecenſis conſuetudinem omnes in hoc conſueuiſſent eſſe pares*, tam qui præſentes choro intererant, quam qui aberant, habet ergo ex cauſa rationabili, iuſtaque introducta conſuetudo, vt abeſſe à ſuis præbendis interdum canonicis liceat, eiſque adiunctos colligere reditus.

Secundo (placet hic Nauarri verbis ac argumentõ vti) *conſil. 21. de Cleric. non reſid. edit.2 Conſuetudo temporis immemorialis æquipollet priuilegio, & quidquid priuilegio induci poteſt, idem & conſuetudine priuilegio Papæ. At induci poteſt vt aliquis Rector Eccleſiæ Paro-* E *chialis non teneatur exercere curam per ſemetipſum ſed tantum per alium*: ergo nec reſidere. Hæc ille.

Quam conſuetudinem dãnandam non eſſe, ſcripſere Reginald. Malderus, Leſſius, præterquam in Curatis beneficiis, ob animarum periculum, Eccleſiæ damnum, à quo Parochorum abſentiam ſeparari nõ poſſe, ſcripſere multi contra quos pugnat, Layman. *lib. 4.tract.1.cap.6.* his verbis: *Conſuetudine ſaltem immemoriali, obtineri poteſt, vt in beneficijs etiam curatis perſonalis er non reſideatur dum-*

modo per Vicarium proſpiciatur. Hæc ille.

Certius eſt, quod ſequitur Aſſiſios, Cantores & Manſionarios ad perpetuam reſidẽtiam ratione functionis cui quocunque tempore ſunt obnoxij, ita obligatos eſſe vt docent Chenut. *tit.1.cap.15.* Papon. *lib.1.tit.3.arreſto 8.* Fabricius *tract. de reliquis ſtipendijs,* vt cum non reſidet fructus ſint groſſi, cuiuslibet cauſæ etiam iuſtæ prætextu, eorum nulli vt loquuntur, debiti aut dandi. In eam mentem præter cæteras, hæc cauſa illos impulit, quod ſtatam ſtabilemque, mutua Eccleſiæ pactione cum illis, operã choro ſpondeant, in quo Canonicorum vicem ſupplent. Quare ſapienter factum à Curia cum anno 1571. pro Capitulo Claramontano contra Franciſcũ Textoris Eccleſiæ Claramontanæ Canonicum, & Cantorem, reſidentiam à Cantoria inſeparabilem eſſe cenſuit, nec proinde hoc eius munus per alium obiri poſſe, Louet. *litera C. cap.13.*

Octauo, excuſatur beneficiari abſentia in ſimplicibus beneficiis, per eorum conniuentiam, quorum intererat eam impedire, Petr. Greg. *de inſtit. benef. cap.7.n.8.*

Ratio eſt, quod ſit hæc tolerantia diſpenſationis inſtar, ergo vt abeſſe à beneficio beneficiato non eſt in vitio, cum id ei expreſſe à prælato permittitur *cap. relatum 4. de Cleric. non reſid.* ita & cum tacite per eius tolerantiam.

Nono, qui diſpenſatione Pontif. beneficia plura poſſidet, quæ reſidentiam exigunt, in eorum altero reſidere ei eſt ſatis, *Gloſſa ad parag. ſ. d inſuper de collationibus in pragm.*

Cauſa eſt, quod quando quid permittitur, etiam ea eſſe conceſſa cenſentur, ſine quibus eſſe vtilis, aut in praxim redigi diſpenſatio non poteſt, eiuſmodi eſt non reſidentia, in eorum beneficiorum altero, pro quo poſſidendo cum alio, indulta eſt diſpenſatio.

Decimo, quando præbendæ aut dignitati Parœcialis Eccleſia eſt annexa, *qui talem habet præbendam vel dignitatem, cum oporteat eum in maiori Eccleſia deſeruire, in Eccleſia Parœciali idoneum & perpetuum habere poteſt Vicarium cap. extirpanda 30. de præbend.*

Vndecimo abſentiam beneficiarij à culpa excuſant, graues inimicitiæ, aëris intẽperies, negotia propria, *7.q.1. can. præſentiam 3. & cap. ad audientiam de Clericis non reſidentib.* quod Trident. Concil. Patres *ſeſſ.23. cap.1.* confirmant: nam ibi in cauſis quibus ab ſuis Eccleſiis Prælati abeſſe poſſunt charitati Chriſtianæ principem locum tribuunt, dummodo cauſæ abſentiæ à Romano Pontif. aut à Metropolitano, vel eo abſente ab antiquiore Epiſcopo approbentur in ſcriptis.

Duodecimo, Excuſatur Epiſcop. cum eius abſentia propter aliquod munus aut Reip. officium Epiſcopatui adiunctum accidit, Trid.
A ſupra.

Eſt etiam cum Epiſcopi proprij voluntate ac conceſſu Canonico ob legitimam cauſam per quatuor menſes abeſſe licet, quod menſium quatuor ſpatium ab illo eſt trimeſtri diſiunctum, quod vt Canonici abeſſe poſſint, concilium concedit, Comitol. *lib.1.q.59.*

QVÆSTIO III.

An pœnæ ſint aliquæ contra non reſidentes poſitæ, & quæ?

B ESſe, non eſt ſcienti canonum ambiguum, earum prima eſt, fructuum perceptorum iactura. Enimuero in iure Canonico præceptum video, vt qui non reſidet in beneficio, de iure, vel conſuetudine reſidentiam exigente, eo priuetur, ita Pontif. *in ca. de geſtis, cap. ex parte & duobus ſequentib. & cap. Clericos de Cleric. non reſidens.* decimo præcipit ſic Innoc. III. *poſtquam congruo tempore fuerint expectati,*
C *niſi redierint, ad illas* (præbendas intellige) *poſſunt eis iuſte priuari,* debent tamen prius de officio admoneri, & non niſi cauſa cognita damnari, Cœleſtin. III. *in cap. 8.* & Gregor. IX. *cap.17. de Cleric. non reſidentib.* in eo enim priuandi quidem dicuntur, *ſed ſi moniti non redierint, aut excuſationem rationabilem non oſtenderint.*

In Tridentina autem Synodo *ſeſſ.24. ca.12.* non reſidẽtes beneficiarij, ſuorum ſunt parte fructuum priuandi, Epiſcopus quidem, ſi vltra 3. menſes ſine facultate Papæ, aut Metro-
D politani abſuerit vel antiquioris ſuffraganei, (ſi adiri ille nequit) ſi (inquam) ſine licentia, eaque in ſcriptis obtenta, peregrinatum, aut ambulatum ierit, præter peccatum mortale, decreto Concilij priuatus eſt pro rata abſentiæ ſuæ, fructibus, quos etiam *nulla declaratione ſecuta detinere non poteſt,* ſed tenetur fabricæ Eccleſiæ, aut pauperibus applicare *ſeſſ 23. cap. de reformat. 1.* quam ab eo pœnam abſenti inflictam, ſuo approbauere calculo Concilia Galliæ trina, Tholoſanum anno 1590. *cap. 7. num.2.* Aquenſe anno 1585. Rothomagenſe anni 1581. *cap. de Curator. officijs nu 2.*

Excipiendus eſt caſus, in quo Epiſcopum
E charitas, aut euidens neceſſitas, vel munus aliquod eius Epiſcopatui annexũ, domo extra vrbem abeſſe cogeret, vt ſi eſſet Regi à conſiliis, ſi arcanorum eius particeps, ſi aulam auctoritate regeret Reginald. *lib.30. cap.5. n.54.* Selua *par.4.q.6.* ſi quod in Germania vſu venit, Poloniaque, cum publicis Prouinciæ comitiis aut Imperij intereſſe eſſet neceſſe, quod cum accidit id eum laborare conuenit, ne quid detrimenti per ſuam abſentiam commiſſus ſibi populus toleret.

Poteſt tamen Epiſcopus etiam abſque alia licentia

licentia, abeſſe domo ſingulis annis, duobus A aut tribus menſibus, tam continuis quam interruptis, ex cauſa rationabili & *abſque gregis detrimento*, Trident. ſupra, non tamen amplius. Quod ſi eum vrgens neceſſitas, Eccleſiæ aut Reipublicæ euidens vtilitas, vel obedientia domo ad negotia euocet, tempori parere quidem poterit, ſed nõ antequam Papæ, Metropolitæ, aut eo abſente, antiquiori, Suffraganeo futuræ ſuæ abſentiæ cauſas indicauerit, & hic approbauerit, eius tamen conſenſum expectare non eſt opus, cum propter munus aliquod Reip. ipſius Epiſcopatui adiun- B ctum, abeſſe eum contingit, Theſaur. *in praxi parte 2. verbo reſidentia cap. 1.* cuius eſt in hoc genere prudens ac fructuoſa animaduerſio, nempe non teneri tùm Epiſcopos de perceptis fructibus reſtituere Eccleſiæ aut pauperibus aliquid.

Primo, cum eſt eorum abſentia à mortali libera, eo quod abfuere bona fide.

Secundo; cum ſupra trimeſtre eis à Concil. conceſſum, tantillo abfuere tempore ſine cauſa, quia cum ſit breue vt ſupponitur, non eſt materia mortalis culpæ, nec reſtitutionis proinde faciendæ, ſub pari obligatione ac ne- C xu. Bonac. *de obligat. beneficiatorium diſp. 5. pu. 4. n. 8. & ſeq.*

Tertio, de perceptis à ſe fructibus quos pro rata abſentiæ reſtitui Concil. imperat, ab iis detrahi tantum poſſe, quanti eorum operæ, in Epiſcopatus bonum aut horarum recitatione exhibitæ, æſtimari honeſte poſſunt.

De Parochis quid dicendum? Primo eos diuino iure ad commorationem in beneficij ſui loco teneri Aquenſe Concil. *tit. de non reſid. q. 87.*

Secundo, ab eo abeſſe vltra duos menſes continuos aut interruptos abſque Epiſcopi fa- D cultate non poſſe Concil. ibid. Leſſ. *lib. 2. cap. 34. dub. 29. num.* 160. quam tamen neceſſariam non eſſe, Nauar. ait *Enchir. cap. 25. num.* 121. Emman. Sa *ver. reſidentia num. 7.* & alij relati à Garcia 3. *par. cap. 2.*

Priorem tamen opinionem magis Concilio conformem hæc eius verba indicant petita ex *ſeſſ. 23. ca. 1. Quandocũque eos cauſa prius per Epiſcopum cognita, & probata abeſſe contigerit, Vicarium idoneum ab ordinario approbandum cum debita ei mercede relinquant*, quæro enim cur cauſam abſentiæ cognoſci ab Epiſcopo o- E porteat, ſi hæc intra bimeſtre eo non conſcio, & ante non rogato eſſe poteſt?

Quid ſi ſupra bimeſtre abeſſe cum ex cauſa aliqua iuſta ſit neceſſe?

Reſpondendum cum Barboſa 3. *par. de poteſt. Epiſc. allegat. 53. nu.* 106. Poſſe Parochum ex cauſa quam iuſtam exiſtimet, abeſſe ſeptimana vna integra à Parœcia, relicto interim Vicario, qui abſentis fungatur officio. Quod ſi nullus in ea eſt æger, & biduo tantum aut

A triduo abeſſe velit, cum moraliter non ſit tunc opera Vicarij futura neceſſaria, non erit tunc aliquis ab eo neceſſario, cum poteſtate præficiendus Parochiæ.

Eſſe porro abſentiam hanc, ſine noua Epiſcopi licentia permiſſam, ſic probatur. Non alij antiquis Eccleſiæ canonibus puniuntur de abſentia, quam qui eam ad tres hebdomadas prorogaſſe, auctoritate ipſi ſua conuinci poſſunt, nec de facultate ad minorẽ poſtulanda ab Epiſcopo vlla fit in *can.* mentio, iudiciũ penes lectorem eſto. Sic enim Conc. Agath.

B *in can. 39. Similiter Diaconus vel Presbyter ſi per tres hebdomadas ab Eccleſia ſua defuerit, huic damnationi ſuccumbat*, nempe vt *triennio à communione ſuſpendatur*, qua eos pœna, Concilio quoq; afficere placuit, qui in Clero cõſtituti ab Eccleſia ſua diebus ſolennibus, id eſt Natiuitate Dñi, Epiphania, Paſcha, vel Pentecoſte defuiſſent, nam cum id Porocho amodo permiſſum ne eſſet, Concilium vetuiſſe non legatur, quod aliis ſui ſimilibus licebat olim, & ſibi hic quoque modo vſurpare poterit, vt vna ſeptimana aut duabus, impune ſine commeatu ſui Antiſtitis à Parochia ſua

C abſit.

Vltra bimeſtre id ſibi abſque eo arrogantem, par pœna afficit ac Epiſcopum, nam in Trident. *ſeſſ. 23. cap. 1.* prohibetur fructus ſuos facere, quandiu eſt abſens, quos proinde tenetur reſtituere ſi percepit, pro rata abſentiæ & *fabricæ vel pauperibus loci etiam ante ſententiam largiri, compoſitione ſuffragante*, Trident. *ſeſſ. 23. cap. 1.* Verum enim dicat aliquis, etiamne facti criminis declaratoria omitti poteſt?

Omnino, Nam hanc adhiberi cum eſt opus, retineri ea ſine culpa poſſunt, quibus

D quis ob crimen iure eſt priuatus, quandiu per iudicem, ab eo id admiſſum, palam pronuntiata ſententia non dicitur, cuius cauſa, his eum exutum eſſe Pontificum decreta iubent: ita Azorius *to. 1. lib. 5. cap. 7. q. 6.* quod probatur ex *cap. 1. de homicid. in 6.* nam ibi pœna depoſitionis homicidæ infligitur ipſo facto, auditurque nulla alia requiſita ſententia, & tamen in eodem *can.* excipitur facti criminis declaratio. *Poſtquam*, inquit canon, *iſtud probabilibus conſtiterit argumentis* nempe iudici, & ſane cum aliud ſit ſententia, & fa-

E cti declaratio, etiamſi in decreto quo quis beneficio, aut eius fructibus priuatur, dicatur ante ſententiam, non tamen declaratio facti excluditur, addo amplius, nec reo ſine ſententia iudicis præuia, beneficium, eiuſque fructus relinquendos neceſſario, etiamſi, his eum abſque declaratione alia criminis excidiſſe canon ob culpã ſuam aſſerat: Ita Vaſq. *in 1. 2. diſp 168. cap. 4. num.* 25. & 30. Henriq. *lib. 13 cap. 56 parag.* 2. & 3. Caiet. *in 2. 2. q. 62. art. 3.* Sa *verbo pœna num. 1.* Leſſius *lib. 2. de iu-*

cap 29.num.63. Reginal. *to.1. lib.13.num.287.* Sed non poteſt Parochus, qui ſupra bimeſtre à Parochia, ſine cauſa eaque iuſta, probataque ab Epiſcopo ſuo abfuit, perceptos interim beneficij ſui fructus retinere ſine ſcelere, patet ex verbis Concil. *in ſeſſ. citata cap.1.* quæ etſi de Epiſcopis ſint dicta, ad Parochos quoque pertinent, cum hos Concil. pari cum illis culpa, pœnaque *quoad amiſsionem fructuum*, teneri velit, ſic ergo Patres loco citato. Statuit ſacroſancta Synodus Epiſcopum *pro rata temporis, abſentiæ ſuæ fructus non facere, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere poſſe, ſed teneri per Superiorem Eccleſiaſticum, illos fabricæ Eccleſiarum, aut pauperibus loci erogare.* Quod enim tuta conſcientia ſeruari nequit, non expectata ſententia ei, ad quem ſpectat, reſtitui debet, at ex hypotheſi ſunt bona de quibus eſt quæſtio iſtiuſmodi: ergo, &c.

Quæ tamen induſtria ſua horarum lectione, impenſaque Eccleſiæ ſuæ opera, interim dum abeſt, meritus eſt Parochus, hæc conſcientiæ illæſo iure retinere quin poſſit, non video, Theſaur. *in praxi verbo reſidentib. cap.1.*

Dixi abſque cauſa, licentiaque Epiſcopi, nam hanc pro abſentia vltra bimeſtre exigi ſcribunt Bonac. *de obligat. beneficiator. diſp.5. pun.4.* Nauar. *Enchir. cap.25. num.121.* non intra, in quo ab eis diſſentiunt Sanch. *de matrimon. lib.3. diſp. 31.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. allegat.53.* quorum opinio vt ſecurior, ſequenda Parochis eſt in praxi.

Qui de abſentia moniti ſi demum non redeant, ſed in non præſtando officio contumaces eſſe pergant, priuari beneficio, iudicis ſententia poterunt, non ante tamen *quam per cenſuras Eccleſiaſticas, ſequeſtrationem, & & ſubſtractionem fructuum, aliaque iuris remedia* probatum erit, ecquid ſapere, ecquid officium impoſterum facere, ſubditoſque ſuos exemplo, præſentiaque ſua ad virtutem animare velint, Trid. ſupra.

De Canonicis ſanxere PP. in eodem Concil. vt qui canonicatus, dignitates aut portiones in Eccleſiis Cathedralibus obtinerent, *vigore cuiuſlibet ſtatuti, aut conſuetudinis, vltra tres menſes ab iiſdem Eccleſiis abeſſe non poſſent ſaluis earum Eccleſiarum conſtitutionibus, quæ longius ſeruitij tempus requirunt.* Trid. *ſeſſ. 24. ca.12.* pœna in abſentes ib. à Patribus ſtatuta pro primo anno eſt priuatio dimidię partis fructuum quos ratione reſidentiæ ſuos fecere, Canonicus autē, qui locum beneficij ſui non incolit, primo anno priuatur parte fructuum, ſecundo omnibus, quod etiam à Ludouico XI. anno 1475 non in hos modo, ſed beneficiatos quoſlibet ſtatutum aiunt, A ſtatibus autem Aurelianenſ, clariſſime, vbi magiſtratus, regiique iuridici, bona non reſiden-

A tium omnia quæ ſunt ſacra occupare, locoque tuto iubentur ſeponere, vt inde iis, quantum eſt opus ad neceſſarias impenſas, alendi v.c. Vicarij, reparandi Presbyterij ſuppetat, quæ ſibi poſtmodum tam decretis ipſi ſuis, quam auctoritate ad bonum Eccleſiæ, regnique firmanda credidere Henricus II. anno 1557. Carolus nonus anno 1560. Henric. III. anno. 1578. Decretum Aurel. *in art.5.* ſic habet. *Commandons tres-expreſſement à nos Iuges & Procureurs faire ſaiſir ſans diſsimulation le temporel des Archeueſchées, Abbayes en autres benefices vn mois apres qu'ils auront interpellé les titulaires à reſider en leurs benefices, &*
B *ſatisfaire au contenu de cette preſente Ordonnance.*

Quod optimi Principis iuſſum, vt in vſu nunquam fuit, ſic quod Trident. *in ſeſſ. 23. cap.1.* præcipit curatos nempe, fructus abſentiæ ſuæ culpabili reſpondentes non facere, ſed teneri eos in conſcientia, etiam nulla declaratione ſequuta iudicis, reddere, non puto cum eo rigore receptum eſſe, maxime, ſi per eorum abſentiam, Eccleſia damnum nullum eſt paſſa, quia illi Vicarius, cum auctoritate interim dum abeſſent, eſt præpoſitus, Laym.
C *lib.4. tract.2. cap.6. num.6.*

QVÆSTIO IV.

An præter pœnas de quibus quæſtione proxime penultima eſt actum, ſint & aliæ, non reſidentium propriæ, & quæ.

QVia peſſime cum his Paſtoribus actum iri, qui gregis ſui ſalutem negligunt, Deus longe grauiſſimis & atrociſſimis verbis Zachariæ ore interminatur, pœnas
D eſſe & alias Paſtorum non reſidentium, præter reſtitutionem fructuum, nemo opinor negauerit. Nam quid eſt aliud manuū, oculique iacturam facere, quam admiſſæ culpæ pœnam luere? At Paſtorem quem gregis amor ac charitas non tangit, manet hæc pœna, *O paſtor & idolum derelinquens gregem, gladius ſuper brachium eius, & ſuper oculum dextrum eius*, Zach. 11. legunt aliqui ex Hebr. *væ paſtori idolo, qui gregem* deſerit, pro idolo primigenia lingua eſt *Olil* quæ vox *idolum*, ſignificat & *Diabolum, vanitatem, mendacium,*
E *nihil*, ſeptuaginta vertunt *væ paſtoribus vanitatis*, Vatablus *O paſtorem nihili*, ſenſuſque eſt, vagantes quà & quocunque libet Antiſtites, non eſſe paſtores veros, ſed fictos, pictos & adumbratos, idoli ſpeciem quam ſimillimam, quod nihil eſt, proindeque conterēdos, vt conteri & communi idola à vindice, itaque manu ad infamiam contemptumque ſolent.

Secundo, dictam quoque in eos à Prælatis ſententiam

ſententiam video, quæ eos vt Eccleſiæ bonis indignos beneficio ſpoliat. Eſt hoc Conciliorum Remenſis quidem, præſidente Carolo Cardinali à Lotharingia, anno 1589. *cap.* 1. Cameracenſis, de anno 1556. *cap. de reſid.* decretum æterna memoria dignum, nam qui beneficij in quo nõ reſident, ſibi hortatu Epiſcopi, ſucceſſorem dicere nolunt, id inquit Concil. *Conferas Epiſcopus, aut qui ius habes conferendi, monitis tamen prius patronis, vt iure ſuo præſentandi vtantur*, hæc canon, illud tamen Epiſcopus abſenti adimere, nec Parochias bene meritis aſſignare poteſt vt vacãtes, niſi *poſt trium menſium ſpatium*, à die quo erunt ab eo de officio admoniti Concil. Remen. *cap.* 2.

Tertio, cenſuris caſtigari abſens poteſt, & ſi eſt opus, excommunicationis metu ad officium adigi, ſic enim Galli Antiſtites in conuentu Melodun. anno *1579. Norma de reſidentia à SS. Patribus præſcripta apprime ſequenda eſt, in cuius contemptores neceſſarium eſt Epiſcopos vti cenſuris debitiſque caſtigationibus.*

Quarto, lege Gallica, ſacrorum redituum apprehenſione, ac iactura, ad reſidendum cogi abſens poteſt, Gallice, *à peine de la ſaiſie du temporel, Conſtitutio Aurel. art.* 5.

Sunt & pœnæ aliæ tam nouo iure Pontificum quam antiquo Conciliorum abſenti Epiſcopo ſine cauſa impoſitæ, Antiquo quidem, excommunicari iubetur in *Concil. Sardicenſi can.* 14. caſtigari à Synodo prouinciali in Antioch. *can.* 22. *Definite*, inquit Oſius, *tempus*, quia & non recipi Epiſcopum inhumanum eſt, & ſi diutius reſideat perniciosum eſt, hoc ergo ne fiat prouidendum eſt. Memini autem ſuperiore Cõcilio fratres noſtros conſtituiſſe vt ſi quis laïcus in ea, in qua commoratur ciuitate tres dominicos dies, id eſt tres ſeptimanas non celebraſſet conuentum, communione priuaretur, ſi ergo hæc contra laïcos conſtituta ſunt, multo magis Epiſcopo nec licet nec decet. Ita Hoſius.

Nouo autem, quia recenti memoria ſanxit Vrbanus octauus an. 1634. die 12. Decembr. vt Epiſcopi, quique eos dignitate in Dei Eccleſia præeunt, Cardinales & Archiepiſcopi, tam ſe ſuo beneficio conſtanter præſentes ſiſterent, vt ab eo nunquam niſi prius obtenta inde diſcedendi licentia à Papa, per Breue, aut literas miſſiuas, ſecus ſi facerent ipſo facto abſque vlla declaratione pœnã eos incurrere voluit interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, amiſſionis fructuũ pro rata abſentiæ, & facultatis teſtandi, ſeu diſponendi de bonis ſuis ab Apoſtolica ſede conceſſæ: ſtatuit inſuper vt non reſidentes gratia alternatiua ſuper prouiſione beneficiorum priuati eſſent, cæteriſque commodis quæ ſunt à Trid. conceſſæ reſidentibus

Dubium, *An Papa diſpenſare poſsit in hac pœna.*

Pẽdet hæc quæſtio ab altera nẽpe, an beneficiarij qui nõ reſident naturæ iure fructus beneficiorum ſuorum rependere debeant necne? Nam ſi id eos naturæ lege oportet facere, à reſtitutionis eximi non poterunt onere, ſin autem decreto Eccleſiæ tantum, accepta redhibere beneficiario non reſidenti eſt neceſſe, id ei deprecanti condonare, in Pontificis futurum eſt iure.

Et quidem de præſenti quæſtione ſentit Maior *in 4. diſt.* 24. ſecutus Adrianum, beneficiarios ſine iuſta cauſa non reſidentes, teneri naturæ iure ad reſtitutionem fructuum, etſi qui partes ſuas obiret, muneraque expleret, quæ beneficij ſui ſunt propria, ſibi Vicarium, hominem apprime doctum ſubrogaſſet. Eiuſdem eſt ſententiæ Comitolus *lib.* 1. *reſponſion. q. 57. num.* 5.

Contra pugnant Syluester *verbo reſidentia parag.* 9. *& verbo Clericus 3. qu.* 23. *&* 24. Panormit. *in cap. tua nobis de decimis*, nam eos negant vlli eſſe reſtitutioni ante iudicis ſententiam obnoxios, quæ etiam eſt opinio Gabriel. Vaſq. expreſſa *in opuſc. tract. de beneficijs cap. 4 §.* 2.

Quæſtionis propoſitæ intelligentiæ, via eſt præmunienda diſtinctione expedita & facili bonorum, quæ ſunt annexa beneficiis. Enimuero quædam eorum, poſſeſſoribus tam iure diuino quam naturali quoad ſubſtantiam ſunt debita, vt eſt ſuſtentatio, Eccleſiaſtico autem quoad quotam vt decimæ, oblationes, primitiæ. Alia ſunt, quæ ex munificentia & liberalitate Principum & Chriſtianorum iiſdem ſunt collata, inter quæ bona, eſt hoc diſcrimen, quod priora, iis hac conditione ſint data vt officium cuius cauſa ſunt hæc in eorum poteſtate non omittant, cum poſteriora ſine onere, planeque abſolute, iis ſint Dei cauſa, nomineque attributa, nam etſi forte Clericorum induſtria ac in fungendo munere ſedulitas cauſa fidelibus extiterit, hac ſua illos charitate ac beneficentia proſequi, non ſunt hæc tamen iis conceſſa cum obligatione functionis obeundæ quæ ſit ſacra. Deique aut fidelium cauſa ſuſcepta. His præmiſſis ſit.

Prima Aſſertio, *Non reſidentes, qui per alium tamen præſtitere officium, quicquam natura iure de bonis ſecundi generis, non tenentur Eccleſiæ reddere.*

Cauſa eſt, quod illorum veri ſint domini, fidelium donatione liberali & gratuita, à quibus hæc ad eos peruenere abſolutè, ſine conditione ac onere, nempe per modum eleemoſinæ, quo modo conſtat multa religioſis eſſe data à Regibus liberaliter, quos tamen eorum cauſa religioſę vitæ inſtitutis aſtrictos eſſe naturæ iure quis credat?

Secunda Aſſertio, *Non eſt improbabile, eum cui nihil eſt penſi dum abeſt, vt vices ſuas è Clericorum numero aliquis obeat, beneficij ſui fructus non facere.*

Probatur, haud leui argumento. Beneficium canonice qui poſſidet, nec orat, quo modo in id eum incumbere, legibus eſt Eccleſiæ neceſſe, eius obuentionibus frui iure non poteſt, cum beneficium detur propter officium *cap. finali de reſcript.* ergo nec qui per ſe nec alium cum abeſt, præſtat officium.

Confirm. datum cum conditione reddi debet cum hæc non ponitur, at ea lege de agris quos habet, decimas Parocho pendi populus conſentit, vt habeat, qui ſibi periclitanti operam afferat, Sacramenta cum eſt opus conferat, ſacro ſe ac cœleſti pane in Paſchate à peccatis expiatum paſcat. Eius vero rei eſt hoc argumentum, quod hæ dari aliis quam quorum ſunt operæ ad hæc charitatis officia obligatæ non ſoleant, vt patet, eas ergo Parochus ſi per ſe aut alium nõ præſtat, tantundem, quanti ab eo receptæ decimæ prædictæ æſtimãtur, pauperibus reſtituet aut Eccleſiæ, vt colligo ex decretali Greg. IX. *ad hoc 15. de Cleric. non reſident,* in qua beneficiis abſentium deſeruiri præcipit, *in vtilitatem Eccleſiæ quod ex iis ſuperfuerit conuertendo*, quod non impedit, quo minus per ſe & non coactus, hoc Parochus faciat, qui officio defuiſſe ſuo conuictus erit.

Aſſertio Vltima, *Poteſt Pontifex contractam ex officio non præſtito reſtitutionis obligationem ei remittere, cui eſt neceſſaria.*

Ratio eſt, quod ea Chriſti Seruatoris nomine poſſit, quæ ad Eccleſiæ ſuaue regimen, hominum tranquillitatem, ſalutem & pacem faciunt, ad hoc autem rerum genus hæc de qua loquimur relaxandæ reſtitutionis poteſtas pertinet, hanc ergo Pontifici à Deo negari non decuit, alioqui ei ad fidelium ſalutem procurandam adiumenta deeſſent fortia & magna.

QVÆSTIO V.

An reſidentia iuris ſit diuini, aut Eccleſiaſtici tantum.

NOtandum primò, Beneficia quædam eſſe ſimplicia, ac ſine cura, hanc habent alia, & ob eam cauſam dicuntur, curata & eius generis ſunt Epiſcopatus & Parœciæ.

Notandum ſecundò, quæ ſunt iuris diuini, hæc bipertito diuidi, nam quædam ſunt talia, quia de iis præceptum eſt aliquod in ſacra ſcriptura, quale extat de communione, Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij, &c.* De culparũ Confeſſione facienda in vita, Matth. 18. & Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.*

Alia hoc nomen habent, quia etſi præceptum de iis ſit nullum, ex diuina inſtitutione habens originem, eſt tamen diuinum natura-

A le, quia ſuppoſito Dei præcepto de re quapiam vſurpanda, aut vitanda, ex natura rei ſequitur quidpiam aliud oportere fieri aut omitti, ſic ſuppoſito præcepto Dei de confeſſione frequentanda, iuris eſt diuini naturalis, vt integre obeatur, ac cum dolore, de reſidentia ergo quæritur, an alterutro horum modorum, ſit præcepta diuino iure.

Prima ſententia negat, quam defendit Catharinus *in Apologia contra Sotum,* & Mirandam apud Gabr. Vaſq. *in opuſc. tract. de benefic. cap. 4. parag. 2. n. 121.* Sotus *ex parte lib. 10.*
B *q. 3. art. 3.*

Secunda oppoſita fere omnium Cardin. Tuſci *to. 6. concluſ. 249.* Caiet. *2. 2. q. 185. art. 5.* Mirandæ Archiepiſcopi Tolet. *in tract. de reſidentia* Bellarm. *in opuſc. ad nepotem de reſidentia,* Couar. 3. *variarum cap. 13. nu. 9.* Sylueſt. *in verbo reſidentia q. 1. 2. & 6.* Nauar. *Enchirid. 25. nu. 121.* Victorelli *ad cap. 7. Bernardini Peſſeuini de officio Curati,* Valentiæ *tom. 3. diſp. 5. q. 7. parag. de plural. beneficior.* Azor. 2. *parte inſtitut. lib. 7. cap. 4.* Reginal. *to. 2. tract. 3. cap. 5. nu. 49.* Leſſ. *lib. 2. cap. 34. dub. 29.* Perſpi-
C cuitatis gratia, res ſuis ac propriis concluſionibus explicabitur.

Prima Aſſertio, *Reſidere non eſt diuino naturali iure canonicis imperatum.* Non diuino quia de eo nulla eſt in ſcriptura mentio.

Non naturali diuino, eo quod cauſæ quæ in Epiſcopo, & Parocho præſentiã ſui in beneficiis ſuis exigunt ceſſant in Canonicis, nẽpe docendi, hortandi, paſcendi verbo & Sacramentis. Nec enim vllum hi habent, quem inſtituant, quem regant, quem monitis informent ad virtutem, ſicut Epiſcopi, & Parochi: hæc eſt cauſa cur Caiet. *verbo hora parag. 5.*
D Bernardinus *de S. Dauid. tract. de horis, parte 5. cap. 4.* & alij, quorum meminit Vaſquez exiſtiment, non peccare mortaliter Canonicum, qui citra contemptum, raro aut nunquam diuino officio intereſt, quia præcepti (inquiunt) Eccleſiaſtici violatio, non eſt mortalis, niſi à contemptu ortum habeat, quem hic abeſſe tamen ſupponimus, ſed niti eos falſo fundamento eſt probatum *in tract. de legibus.*

Enimuerò citra conſuetudinem oppoſitam, obligatur Canonicus ad reſidentiam ſub mortali, quod niſi choro interſit, & pſallat, eum facere, non poſſe dixere plurimi,
E de quibus nos antea.

Et quidem quod præceptum de reſidendo in canonico obliget ſub peccato, eoque mortifero, quod ſit item peccatum eius generis, non conuenire in templum ad canendas Dei laudes, patet primo ex canone *poſtremo diſt. 91.* qui eſt ſumptus ex Concilio Martini Pontificis, nam qui ad Eccleſiam non accedit facturus quod debet, à Clero deponi iubetur, quæ pœna, non niſi ob noxam mortalem irrogatur, & *in cap. ex geſtis de Cleric.*

non reſidentib. Leonis Papæ III. factum narratur, qui Anaſtaſium Cardinal. Presbyterum in Synodo depoſuit, eo quod Eccleſiam ſuam titularem quinque annis deſeruiſſet.

Sũnt & aliæ pœnæ nec paucæ, nec leues, quas Patres huic culpæ adiunctas voluere in Trident. Concilio *ſeſſ. 24. cap. 12.*

Prima eſt, dimidiæ partis fructuum, quos ratione præbendæ & reſidentiæ Canonicus ſuos fecit, priuatio, pro primo anno abſentiæ, omnium vero pro ſecundo.

Pœna ſecunda eſt iuridica contra non reſidentem progreſſio, ſi contumax eſſe perſeuerauerit.

Quod autem reſidere Canonicus nequeat, niſi Capitulo interſit & choro, pſallat autem publice, præſtetque per ſe officium cum cæteris, quando talis eſt Eccleſiæ, in quam eſt tranſcriptus conſuetudo, moribus inducta vtentium, ſic oſtendo.

Reſidere duo dicit, corporalem beneficiarij in loco beneficij ſui præſentiam, ac ibidem officij præſtationem per ſeipſum, At ſecundũ hoc, Canonicus cum choro non intereſt, non facit aut ſi adeſt, & priuatim tantum horas legit, non reſidet, niſi vſus eũ contrarius pridẽ in Eccleſia vbi canonicum agit, præſcriptus excuſet, culpa ergo mortali non vacat, ſi ſæpe & ex cõſuetudine choro ſe ſubtrahat, & pſallere, cum eſt id in more cæteris, negligat, Vaſqu. ſupra *dub. 2. n. 183.* Syluest. *verbo hora q. 10.*

Dixi *citra conſuetudinem*: Nam cum hæc communi Canonicorum aſſenſu, vſuque inueterauit alicubi, vt canonicis abeſſe impunè à choro liceat, ſicut in multis Germaniæ Eccleſiis fieri Laymannus ſcribit *lib. 4. tract. 2. cap. 9. num. 2.* quarum quoque canonicis, fructus præbendarum ſuarum deberi ait, ſi tribus menſibus, aut etiam vnico, choro ſe præſentes exhibeant, vbi (inquam) conſuetudo de non reſidendo omni tempore prior inualuit, Canonicos qui hanc ſequuntur, peccati damnare nollem.

Iisdem Theſaurus fructus præbendæ omnes, præter diarios, qui præſentibus tantum dantur, negari non poſſe aſſerit, *ſi conſuetudo ſit vt fructus præbendæ percipiantur in abſentia lib. 2 prax. Eccleſ. verbo reſidentia cap. 3. num. 2.* à qua etiam habere illos ait, vt diſtributiones quæ quot diebus diuidi ſolis præſentibus debent, recipere valeant cùm à choro abſunt, & loco ſuæ reſidentiæ, idem ibid, *nu. 4.*

De cantu quod addidi, vniuersè, deque canonicis omnibus, omnique loco ac tempore capi non debet, nam in quibus Eccleſiis mos viget, vt diuina officia figurato cantu peragantur, à pſallendo excuſari Canonicos habent, Leſſius *lib. 2. cap. 35. num. 185.* P. de Nauarra *lib. 2. cap. 2. num. 201.* Laymannus *ſupra.*

A Equidem cum ad maieſtatem Eccleſiæ pertineat, diuinas pangi laudes eo apparatu qui poteſt eſſe maximus, ſit autem ad Dei gloriam, Eccleſiæ autem honorem ac pompam, eſſe qui in ea figurate modulentur, reprehendi canonici non debent, ſi quod fit à Symphoniacis, ipſi non faciant, contenti ad eam rem alienis, hoc eſt ſubſtitutis, vti operis ac vocibus.

Secunda Aſſertio, *Non eſt perſonalis Reſidentia de iure diuino poſitiuo, beneficiarijs omnibus imperata.*

B Ratio eſt, quod eius nulla ſit expreſſa in ſacris ſcripturis mentio, quod tamen ad præceptum diuini iuris poſitiui, eſt neceſſarium, ex prænotatis quæſtionis huius initio.

Quid? quod iuri diuino à conſuetudine vis non fiat? quod ab ea obliterari ac tolli nequeat, quod tamen reſidentiæ accidit, cuius faciendæ ceſſat tùm obligatio vt diximus, cum conſuetudo facit pro abſentibus.

Tertia Aſſertio, *Iure diuino naturali, ex probabiliore Doctorum ſententia, reſidentia Curatis beneficijs eſt adiuncta:* ita auctores quos pro ſecunda ſententia citauimus, pro quibus C faciunt, ex Tridentina Synodo *ſeſſ. 23. cap. 1.* deprompta hæc verba: *Cum præcepto diuino mandatum ſit omnibus quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere, pauperum ac miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cætera munia paſtoralia incumbere*, quæ ab iis an præſtari poſſint, qui gregi ſuo coram non inuigilant, nec ei operam ſuam præſentes nauant, ſed eum mercenariorum more deſerunt, reſponderi mihi ab his pervelim, D qui ad Parochias ipſi ſuas nunquam ſe conferunt, niſi exeunte anno, cum ſibi ſunt illis perſoluendi à publicanis reditus? Enimuero ſi quid intelligo, vult his verbis indicare Concilium, vt notarunt Bernardin. Poſſeuinus *cap. 1. de officio Curati*, Victorellus *annotat. 1. in eundem auctorem*, Regin. *lib. 30. cap. 5. num. 52.* & alii, nec ſuo ſatisfacere muneri Epiſcopum, & Parochum, nec menti Concilii, qui ad culpæ fugam, in hoc genere, ſatis eſſe ſibi exiE ſtimant, per alium ad eam rem idoneum præſtare officium.

Primo enim ſi id ſufficit, cur Patres non dixere? cur Pontifices, Epiſcopos popularibus ſuis coram aſſiſtere, id eſt præſentes eſſe, nec ab iis abiunctos loco eſſe voluere? cur ab iis eſt additum, illos non poſſe vt eſt neceſſe, ſubditam ſibi gentem, ad res magnas impellere, regereque qui eius commodis præſentes non incumbunt?

Deinde quæro ecquid non ſit dictum ab Innoc. III. *in cap. extirpandæ 30. parag. qui vero de præbendis*; per ſeipſum, & non ſubſtitutos

operas, regere oportere Parochum Parœcialem Eccleſiam cui præſidet? idque in ordine quem ipſius Eccleſiæ cura requirit?

Tertio ſcire de aduerſariis cupio, ecquid non exigat Eccleſia, ab Epiſcopo, Parochoque, cum ad eius gubernacula, tam ſuâ, quam Papæ & Antiſtitum voluntate admouentur, vt ſtatam ipſi ſtabilemque, per ſe Epiſcopatui & Parœciæ operam accommodent?

Ridiculi ſane ſunt Patres, qui tam acri, ſedulaque in id cura inuigilant, *Nihil ſe ad Dei gloriam*, verba ſunt Concil. *ſeſſ. 24. cap. 1. & populorum ſalutem vtilius poſſe facere, quam ſi bonos Paſtores & Eccleſiæ gubernandæ idoneos promouere ſtudeant, eoſque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis vtiles iudicauerint, præfici diligenter curauerint.*

Reſponderi enim mihi cupio, ecquid id ſit neceſſe, ſi non per ſe, ſed alios, Epiſcopi, Parochique munera obire ſua poſſunt? cum ſic, eorum ſcientia, induſtria, fides, eruditioque, tàm Eccleſiæ quã populo, in vlla re non ſint vtiles, commodæque. Maneat ergo quod erat mihi ex Trident. propoſitum docere, perſonam Epiſcopi, Parochiq; deligi, cum ſuis præficiuntur Eccleſiis, proindeque non Vicarii, ſed Epiſcopi ac Parochi perſonale miniſterium in adminiſtranda Diœceſi ac Parœcia ſibi cõmiſſa exigi, quod animaduerterunt ante me alij. Eſt enim hæc Cõcilij Cameracẽſ. *cap. 1. de reſidentia*, animaduerſione digna argumentatio, *cum prælucere reliquis doctrina & vita, & vigilantia tutari greges ſuos Epiſc. debeant, & pericula omnia auertere, id quomodo præſtare abſentes poſſunt? itaque prudentia ſua Epiſcopi & Parochi doceant quanta ſollicitudine gregibus ſuis proſpiciant.* Hæc Concil.

Secundo, qui ad finem iure diuino aſtringitur, & hunc quoq; eodem obligari ad media non eſt ambiguum, at diuino iurẹ ſubditos ſibi populos regere, inſtruere, paſcere, iuxta Chriſti verbum: *Paſce oues meas*, tenentur Epiſcopi ac Parochi, quod tamen facere commode iis quomodo liceat cum ſunt à paſcendis, loco & corpore ſeiuncti, non intelligo, nã docere, idem eſt ac paſcere *Paſcite*, id eſt docete, *qui in vobis eſt gregem Dei non dominantes in Cleris*, 1. Petri 5. doceri autem integram vrbem, aut Diœceſim per abſentem, quam non eſt facile?

Ad hæc eis incumbit ex officio adminiſtrare Sacramenta, *ſic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*, 1. ad Corinth. 1. quorum neutrum tamen obire perfectè abſens poteſt, ſuis ergo intereſſe debent Epiſcopi, & Parochi ad doctrinam, animæque cibum, id eſt Sacramenta verbique ſacri diſtribuẽda pabula, à quo nulla, quorundam opinione eos excuſare conſuetudo poteſt oppoſita, quæ vim contra ius diuinum, &

A naturale habere non poteſt, maxime in materia, quæ animabus & Eccleſiæ eſſet noxia vt eſt præſens.

Contraria tamen ſententia, cuius eſt Layman. propugnator *in tract. 2. de benefic. cap 6. nu. 3.* cum Nauar. *conſil. 21. de Cleric. non reſidentib. edit. 2.* eſt vt ante dixi, non improbabilis, maxime ſi conſuetudo cuius initium neſcitur pro Parocho faciat, eiuſque abſentia, aut ſi eſt eius Parœcia adiuncta dignitati in qua eum reſidere ſit neceſſe: ſic enim Innoc. III *in cap. extirpandæ 30. de præbend.* his verbis: *Qui vero Parœcialem habet Eccleſiam, non* B *per Vicarium, ſed per ſeipſum illi deſeruiat in ordine, quem ipſius Eccleſiæ cura requirit, niſi forte dignitati vel præbendæ Parœcialis Eccleſia ſit annexa, in quo caſu concedimus, vt qui talem habet præbendam vel dignitatem, cum oporteat eum in maiori Eccleſia deſeruire, in Eccleſia ipſa Parœciali idoneum & perpetuum habeat Vicarium canonicè inſtitutum.* Hæc Innoc..

Eſt tamen opinio quam in præſenti defendimus iſta longe probabilior, ac tenenda in C praxi, pro qua ſunt hæc argumenta.

Iure diuino, ceſſanti id eſt otioſo ac non laboranti, nulla ſunt debita ſtipendia iuxta verbum Pauli *qui non laborat non manducet*, at abſens a beneficio, per ſe in eius commodum nihil præſtat, ſed eius Vicarius tantum, ergo ei, non illi attribuendi ſunt eius redditus proprij, ergo ſi hos exigit, aut recipit, ad reſidendum eſt cogendus.

Secundo, tenetur quiſque naturali iure, pro virili ſua contendere, vt recte fungatur munere, maxime ſi ad id conſtituta, ab iis quo- D rum cauſa laborat, ſtipendia habeat, ſed Paſtores ſine reſidentia, ſuum munus recte facere nequeunt, nec enim primo, quod tamen ſapiens Prouerb. 27. præcipit, *agnoſcere poſſunt vultum ſui pecoris*, cum abſunt.

Deinde, quicquid ipſi peccant eorum Vicarij, cum id neſciant, non corrigunt, quo quid eſſe ad animorum perniciem aptius poteſt ac efficacius?

Quid? quod lites non componunt, quod iurgia non mitigant, quod errantes in viam non reducunt, quod lapſos conſilio, monitiſque non erigunt, ſine quo tamen, quomodo prouinciam regendarum animarum, ſibi impo- E ſitam ſuſtinere cum dignitate poſſunt?

Obiiciunt aduerſarij canonem *extirpandæ 30. de præbendis*, vbi conceſſum eſt cuilibet, duo poſſidere beneficia, reſidentiam ambo poſtulantia, dignitatem ſcilicet, & Parœciam, modo hæc, adminiſtretur per Vicarium: Præcepto ergo de reſidentia fieri ſatis poteſt, ſi munus per ſe, vel per alium præſtet Parochus, quod tamen negamus.

Obiiciunt ſecundo, quod eſt *in cap. relatum 4. de Clericis non reſidentibus*, nempe de prælatorum licentia Parochos cæteroſque item beneficiarios

beneficiarios à loco beneficij ſui abeſſe poſſe.

Tertio, ſi reſidentia eſt iuris diuini in ea diſpenſare Pontifici non eſt conceſſum at id facit ex *cap. relatum proxime citato.*

Quarto, quod quis per alium facit, per ſe facere creditur, exemplum eſt, in iniuria Clerico per ſeruum, ſciente nec impediente Domino illata, cuius cum hic credatur auctor, cenſuræ quoque in violatores Clericalis ſtatus latæ, à qua abſolui niſi à Papa nequit, nexibus aſtrictus hæret, ergo à pari, qui in præſtando ſuo munere, alterius vtetur operâ, abunde ei ac plene cenſendus erit ſatisfacere. Argumentis reſpondend. & primo quidem. quod omnium videtur efficaciſſimum, cum ſit contra ius diuinum naturale, authorum opinione, quorum ſententiam ſequimur vt vni cuipiam beneficium, cum obligatione ei miniſtrandi detur, & id tamen eum tantum, per conductum hominem facere, quod nihilominus videtur permitti per Canonem. Primo, inquam, Reſpondendum eſt, nolle Pontificem, ex qualibet cauſa, quemlibet à ſuo abeſſe poſſe beneficio, maxime curato, ſed ex graui tantum, quæque cum Eccleſiæ vtilitate cohæreat, quod Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. permittit, cum abſentiæ, cauſas eſſe ait legitimas, Chriſtianam charitatem, debitam obedientiam, vrgentem neceſſitatem, euidentem Eccleſiæ, vel Reipubl. vtilitatem, at ad Chriſtianam charitatem, Eccleſiæque ſplendorem pertinet, vt quis relicta Parœcia, in Cathedrali degat, eam ſpecie, conſilio, ac virtute recturus. Ob quam cauſam *concedimus*, inquit Innoc. *in cap. illo* 30. *de præbendis, vt qui talem habet præbendam, vel dignitatem, cum oporteat eum in maiori Eccleſia deſeruire, in ipſa Eccleſia Parœciali idoneum, & perpetuum habeat Vicarium Canonicè inſtitutum.* Ab hac opinione Comitolum cum de reſidentia diſputat minime abludere eſt ex his eius verbis cuique clarum. *Quoties Eccleſia aut vniuerſalis, aut alia particularis, vehementius quam propria laboraret, poſſet tunc ac deberet priuata Eccleſia minus indigens, aliena Eccleſia, grauiore incommodo affecta, ſuum ad tempus impertiri prælatum, cum id Chriſtianæ charitatis ac naturalis æquitatis iura expoſcant.* Quæ ſi ab eo vere ſunt dicta, vt eſſe bene informata ratio admonet, quis à Parœcia ſua abeſſe Canonicum arguat, vt Epiſcopo, ac Principi Eccleſiæ honorem ac cultum præſens exhibeat?

Pro intelligentia ſecundi & tertij argumenti Notandum eſt, diſpenſationem ſumi poſſe ſtrictè, & laxe, laxe ſumpta, idem ſonat ac diuinæ voluntatis interpretatio, ſtrictè, eſt relaxatio, quo modo ſi ſumatur, verum erit, in reſidentia Papam diſpenſare non poſſe, quia diſpenſare proprie, idē eſt, ac obligationem à lege reſidēdi diuina naturali tollere, quod Pōtifici non eſt permiſſum, cum non alteri obligationem à lege auferre liceat, quam Superiori, vel illi qui eam populo obſeruandam tradidit, quod in Papam reſpectu iuris diuini non cadit, & hoc ſenſu concedenda erit maior argumenti tertij. Si autem ſecundo modo ſumatur diſpenſatio, hoc eſt vt intelligentiam & interpretationem legis denotat, neganda erit. Quia tam Papa, quam Epiſcopus, ex officio ac auctoritate ſibi à Deo ad id data, declarare poſſunt, quod Epiſcopus aut Parochus, ob inſtantem neceſſitatem ac cauſas, propter quas æquum eſt, à Deo diuinæ legis de reſidendo obligationem nexumque ſolui, hic & nunc, ambo præcepto ea de re minime ſtringantur, ita Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *q.* 7. *parag. de pluralitate beneficiorum verbo ſed dices*, Vaſqu. *n.* 150.

QVÆSTIO VI.

Explicantur dubia a lina circa reſidentiam.

PRimum, *An quando ab Epiſcopo, Canonico aut Parocho ob iuſtam cauſam aliquam permittitur abeſſe à beneficio, per ſex menſes, v. c. aut annum, complectatur id ſpatium trimeſtre, quo Canonico, bimeſtre autem quo Parocho recedere licet à beneficio.*

Reſpondend. non complecti, ſed eſſe duo hæc tempora ab inuicem diſiuncta.

Quia trimeſtre ſpatium, legis beneficio conceditur canonico: non eget ergo Epiſcopi arbitrio, cum ſit improbabile, voluiſſe illum eius ſibi abſentiæ per Epiſcopum veniam dari, quam, quia lex annuebat, eo inconſulto capere poterat. An autem beneficij fructus abſenti pereant, ſi quæras. Reſpondebitur, diſtributionibus eum quidem priuandum eſſe, iis vero prouentibus non item, qui ſunt cuique præbendæ affecti voluntate Eccleſiæ.

Ratio eſt, quod Eccleſiaſticorum bonorum priuatio, ſit pœna culpæ alicuius ab eo admiſſæ in quem cadit, at de nulla iuſte poteſt argui, qui Epiſcopi ſui voluntate à propria diſcedit Eccleſia, vt alteri certo ſpatio temporis inſeruiat, cui ſua eſt opera, longe quam propriæ, hoc eſt ei, in quam eſt tranſcriptus vtilior, ei ergo non ſunt præbendæ ſuæ fructus, quos Groſſos barbari nominant, negādi.

Dubium ſecundum, *An beneficium ex quo ſuo poſſeſſori ſperare non licet, ne eum percipere commodi tantum, quanto opus foret: vt ſaltē ex eo, parcè & maligne neceſſaria mutuaretur vitæ ſubſidia, an (inquam) tale beneficium commorationem beneficiarij in eo perpetuam poſtulet?*

Poſtulare aiunt Reginald. *lib.* 30. *cap.* 5 *num.* 51. Azor. *in* 2. *par. Inſtit. moral. lib.* 7. *cap.* 3. *q.* 8.

Nauar. *cap. Enchirid.* 25.*num.* 121. his verbis: *Omne beneficium etiam tunc reſidentiam poſtulare videtur.*

Eorum vnicum hoc eſt præſidium, quod beneficium detur propter officium, quemadmodum eſt *in cap. extremo de reſcript. in* 6. at ea Eccleſiæ ſuæ præſtare officia Clericus nequit quæ debet, qui ab ea, ſine cauſa abeſt: ergo vt hæc obeat, reſidere cũ in ea eſt neceſſe.

Sententiæ tamen oppoſitæ ſtare qui volet.

Dicet primo, quod vt canonica recitandi officij lege non tenetur, ex cuius Canonicatu, aut beneficio ad ſe non venit, vnde ſuſtentationis partem mediam non capit, ita nec reſidentiæ.

Secundo, quod neceſſitas, veniam excuſationis legitimæ à reſidendo concedat *de Cleri. non reſident. in* 6. *cap. vnico*, at eſt paupertas, grauis quædam & acerba neceſſitas.

Tertio, dicet à Parochiali Eccleſia diſcedere eum poſſe quẽ aëris lædit intemperies, cuius vitæ ac honori ſtruuntur inſidiæ, at eſt æqua non reſidẽdi cauſa, grauis Clerici inopia nõ minus quàm periculoſa ſimultas, vt enim eſt hęc vitę beneficiarij inimica, ita & illa, quũ aliud expectari quam mors eius certa non debeat, qui in nulla, aut tenui pecunia ex beneficio viuit, nam quid verius, quam viribus exhauſtum corpus, ob cibi ac epularum inopiam, contabeſcere, reſidendi ergo in eo beneficio, quod nomine tantum eſt tale, non ſacra redituum obuentione, quos nullos habet, aut valde modicos, Clerico lex eſt nulla, naturæ iure aut Canonico impoſita.

Ad argumentum pro Nauar. propoſitum, Reſponderi debet, ex canone eiuſque verbis aliud nihil colligi, quam quod beneficiarij conſtituantur in Eccleſiis vt ſeruiant, officium in iis exercendo, quando hæ illis commeatus ad vitam aut eius partem maiorem ſuppeditant, quod non faciunt, cum ſunt de earum genere, quarum eſt in quæſtione facta mentio.

Verum enim (inquies) à beneficio iſtiuſmodi tenui valde & exiguo, licetne eius poſſeſſori ſine Epiſcopi conſenſu ac arbitrio, recedere?

Si ab omni eſt æuo in more, vt quæ ſunt propria eius onera, vt dicendi ſacri aliquoties in anno, ipſe per ſe beneficiarius ſuſtineat, erit ei vt abſit, Epiſcopi facultas neceſſaria, ſecus minimè. Pars prima ex his Trident. verbis *in ſeſſ.* 6. *cap.* 2. fidem habet, cum enim ibi de beneficiatis agit, quibus reſidendi neceſſitas iure vel conſuetudine eſt impoſita, ſic loquitur: *Indulgentijs & diſpenſationibus temporalibus, ex veris, & rationalibus tantum cauſis conceſſis, & coram Ordinario legitimè probandis, in ſuo robore permanſuris*, quibus ſignificatur, à reſidendo excuſari neminem, niſi Ordinarij voluntate ac conceſſu.

A Pars eſt altera nota per ſe, Nam ſi conſuetudo pridem inualuit, vt morari, ſedemque in iis ponere beneficiis, beneficiarij non ſoleant, ab iis ſine facultate recedere, ac alibi pro arbitrio fortunarum domicilium ſuarum conſtituere, non erit iis in crimine. Ita Capellanias eſſe quaſdam, ſeu ſimplicia beneficia Reginald. *lib.* 30. *num* 50. aſſerit, quæ per conſuetudinem receptam, *nec tanquam illicitam, nec reprobari ſolitam*, libera ſunt à reſidentia perſonali, non autem ab obligatione officij quod eis eſt annexum, præſtandi per alium.

Dubium tertium, *An diſtributiones quotidianæ, abſenti ſemper pereant.*

B Communiter cum eo diuidi non debent, ſed præſentibus tribui, quod non variè, ſed coniunctis opinionibus, à Canonum interpretibus dicitur, cum *cap. de cætero & cap. cum dilectus de Clericis non reſidentibus*, explanant, à Bonifacio autem *in cap. vnico de Cleric. non reſident.* & à Concil. *ſeſſ.* 21. *cap.* 3. *de reformat.*

Eſt tamen, cum abſentibus negari non debent, nempe, cum eos *infirmitas, ſeu iuſta & rationabilis corporalis neceſſitas, aut euidẽs Eccleſiæ vtilitas excuſat de Cleric. non reſidentib. in* 6. *cap. vnico*, quibus verbis ſignificat Pontifex, ei obuentiones diarias deberi, qui ob ſuæ

C Eccleſiæ emolumentum abeſt, aut iuſtum aliquod afflictæ valetudinis incommodum, *cap. non deceat de elect. in* 6. aſtipulantur Gloſſa & DD. *in cap. vnic. de cler. non reſid. in* 6. Laym. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 7. *num.* 3. Sanch. *in opuſc. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 92.

Secundo, his non carent qui Romano Epiſcopo operas ſuas accommodant, eique in regenda familia ſeruiunt ac miniſtrant, quia non minori hi *prærogatiua gaudere debent,*

D *quam canonici ſinguli quorum negotia per ſeipſos promouentur*, Honor. III. in decret. *cum dilectus* 14. *de Cleric. non reſid.* ſed Canonicis, qui vt bona ſeruent communia, ac Eccleſiæ propriæ rem commodaque amplificent, & ita ob eius vtilitatem abſunt, denegari diſtributiones Pontificio iure non debent cuius auctor Bonif. VIII. *in ca. vnico de Clericis non reſident. in* 6. ergo nec iis, qui Romano ſunt Epiſcopo in eius procuratione domus ac familiæ addicti.

E Idem de iis qui in comitatu ſunt Epiſcopi, dicendum eſſe nonnulli exiſtimant, quod illis *ſuarum fructus integros præbendarum*, dari Honor. III iubeat, *cum abſentes dici non debeant, ſed præſentes, qui cum Epiſcopo, pro ipſius & Eccleſiæ ſeruitio commorantur, cap. ad audientiam* 15. *de Cleric. non reſident.* quia eſſe cum ſuo Epiſcopo, eſt eſſe in ſua Eccleſia, cum Epiſcopus ſit in Eccleſia, & Eccleſia in Epiſcopo 7. *q.* 1. *can ſcire debes* 7.

Sed ne iis aſſentiar impedior auctoritate Concilij, à quo prohibitum video *ſeſſ.* 24. *cap.* 12.

12. ne qui ſtatis horis choro non intereſt, diſtributiones recipiat, *quauis colluſione aut remiſſione excluſa.*

Eſt id tamen in præſenti cauſa, animaduerſione dignum, diſtributiones iis debitas non videri, qui ex morbo quidem, lecto affixi iacent, ſed non in loco beneficij ſui proprio, niſi talis adſit illius Eccleſiæ conſuetudo, Theſaurus *parte 2. prax. verbo reſidentia cap.3. paragr. ex dictis*: quare inualetudine, aut neceſſitate quapiam alia corporis impediri, ne choro interſis, iuſta eſt de iure communi recipiendarum diſtributionum cauſa, ſi à loco in quo reſidere te eſt neceſſe, non abſis: ita ex *cap. vnico de Clericis non reſident. in 6. cap. cum non deceat 30. de elect. in 6.* tenent Theſaur. loco citato, Laym *lib. 4. tract. de benefic. cap.7. num.3.* Sanch. *in opuſcul. lib.2. cap.2. dub.92. & 93.* Gutierr. *canonicar. qu. 4. lib. 1. ca. 1. n.139.*

Et his quoque diſtributiones quotidianæ ſunt debitæ, qui iniuſte à faciendo officio prohibentur, vi minis aut cenſuris, Bleyan. in Theor. *tract. de præb fructib. n.*48.

Secundo, Theologali præbendato, & Pœnitẽtiario nō ſunt negādæ Cōc. Turo. *cap. de Canonicis & Capitulo* quia cū iſte reconciliandis Deo per pœnitentiam hominibus, alter ſermoni verbi Dei, quo ſæpe magna fit animorū commotio, inuigilet, non decuit ab his eos officiis abſtrahere, metu perdendi lucri breuis ac exigui ex diſtributione diaria, vt fieret, ſi abſentibus concionis ac confeſſionum cauſa, quibus audiendis dat hic operam alter concinnandæ concioni ſuæ, neganda foret.

Eſt hæc quoque ei danda qui cum ſit in reſidentiæ loco præſens, intereſſe tamen choro ob cauſam rationabilem non poteſt, quia cum ſit hæc eius abſentia innocens, ac ſine culpa, hanc ea plecti pœna, quæ reorum ſit propria, non conuenit, & tamen eſt diſtributionum priuatio, negligentiæ in fungendo ſuo munere, choroque frequentando, cum oporteret iuſta pœna, &c.

Tertio, cum dignitati Cathedralis aut Collegiatæ Eccleſiæ *extra ciuitatem in Diœceſi cura animarum imminet, cui is qui dignitatem obtinet, incumbere voluerit, tunc pro tempore quo in curata Eccleſia reſederit ac miniſtrauerit, tanquam præſens ſit, ac diuinis interſit, in Eccleſiis Cathedralibus ac Collegiatis habeatur,* decreto Concil. *in ſeſſ 22. cap. de reform. 3.* ei quoque (abſenti licet) annona debetur diaria, non tamen alia, quam quæ ex communi ſacrorum prouentuum maſſa eſt petita, namque ex anniuerſariis, aliiſque quæ ſunt à defuncto legata Eccleſiæ, eo nomine, vt quo die efflauit animam, certæ quotannis pro ſe Deo preces fierent, hæc eroganda ſolis præſentibus eſſe, abſentumque portiones ſolidas, præſentibus aduolui, in iuridicis Lugdunenſium dierum conuentibus eſt decretum, inter Canonicos & Capitulum Claromontanæ Eccleſiæ anno 1596. quodque accreſcit præſentibus, ſic fit eorum proprium, vt abſenti, (priuilegiato licet) reliqui canonici aut eorum pars maior, vel vnico eorum tantum reclamante, dare nihil queant valide, vt pronunciaſſe Pariſienſe prætorium in cauſa Nouion. Capituli, & Canonicor. refert ex Chenut. *tit. 1. decret. cap.9.* Fabricius *tract. de præb. earumque fructibus num. 54. litera H. ad marginem.*

Extra hos caſus, obuentionibus quas manuales nominant carere debet qui chori pſalmodiæ non intereſt. At quali? integræne an eius parti tantum? Lubet audire quæ maiores noſtri, viri religioſi ac graues, cum in Conciliis ſuæ Prouinciæ, rem communem Eccleſiæ agerent, ea de re ſanxere. *Qui in matutinis ante finem pſalmi Venite, in aliis horis ante finē primi pſalmi, in Miſſa, ante vltimum Κύριε ἐλέησον non fuerit ingreſſus, & vſque in finem diuino officio non interfuerit, (niſi neceſſitate vrgente) pro illa hora abſens cenſeatur Concil. Turon. confirmatum à Gregor. XIII. an. 1583 titulo de Capit. & Canonic.* ſtatutum idem video à Cardin de Prato Senon. Archiep. in eo opere quod eſt Conciliis Galliæ inſertum, ſic enim ille *in ſtatuto 20. Qui in matutinis & veſperis ante Gloria Patri primi Pſalmi, ſimiliter in aliis horis, in Miſſa ante finem epiſtolæ, vſque ad finem diuino in officio non interfuerit, (niſi forte neceſſitate cogente & obtenta licentia diſcedere oporteat) pro illa hora abſens cenſeatur. Qui autem tempore horarum diſcurrit per Eccleſiam, aut cum aliis colloquitur, non ſolum illius horæ, ſed totius diei diſtributiones ipſo facto amittat.* Quæ cogitare eos peruelim, qui incōſiderātiſſima leuitate, aut choro in medio horarum curſu exeunt, aut non niſi iam longè in cantu progreſſis, temere ſe ac ſine fronte obtrudunt, ignorantes his ſe moribus ſtatum Hierarchici ordinis conuellere, ſplendoremque religionis polluere, quod cum Epiſcopi Narbonenſis & Belgicæ Galliæ intelligerent hanc eorum iniuriam ſimilibus perſtrictam decretis voluere in Concil. Camer. & Burdig. *tit. de Capitulo cap.7.*

Dubium quartum, *An qui aliena opera ad faciendum officium vtitur, fructus ipſe beneficij ſibi ſui vendicare queat.*

Vt in aliis pleriſque rebus, ita ſunt in iſta ſcriptores ab inuicem diuiſi ſententiis.

Couar. *lib. variarum 3. cap.13.* Garcias *tot. par.3. cap. 2.* beneficiario cauſam ſubeſſe nullam exiſtimant, quam ob rem ad ſuos vſus commodaque, Sacerdotij fructus ſui conuertere iure nequeat, ſi alioqui præſens det operam, vt Eccleſiaſtica officia per ſubſtitutum idoneum, abſque vllo periculo offenſionis Dei, vel proximi obeantur & fiant.

Quod eſt Sancio *in ſelectis diſp. 47. num. 3.* viſum improbabile, ibi enim ſcribit his ver-

bis: *Cenſeo fructus nequaquam acquiri Parocho non miniſtranti, quantumuis materialiter reſidenti; ſi enim non reſidere pro eodem accipit Concil. quod non ſeruire, & pœna ſit impoſita non ſeruienti, planum fit ad reſtitutionem teneri fructuum Parochum ſi non miniſtret.* Hæc ille.

Quæ etſi ſpeculatiue vera eſſe exiſtimem, eſt tamen Garciæ opinio, quæ fuit etiam Vgolin. *de pœnis. Epiſc. cap. 15. parag. 3. num. 3.* & à nobis antea iudicata in praxi tuta, quam qui tuendam ſibi arbitrabitur, contra Sancium ſic argumentabitur. Sunt verba legis, quæ eſt pœnalis, interpretanda ſtricte ac proprie, nec trahenda alio, quam germana eorum patitur notio, ſed non alij à Concil. beneficij ſui fructibus priuari iubentur quam qui abſunt, (fit enim huius abſentiæ mentio *in ſeſſ. 5. cap. 2. de reform. & 23. cap. 1.*) ergo cum qui domi ſuæ, ac in Eccleſia ſibi collata verſatur, etſi eorum nihil, aut pauca tantum operetur, quæ commiſſæ ſibi Eccleſiæ vtilitas exigit, ab ea propriè non abſit, ea plecti pœna non debebit, quæ eſt à Trident. inflicta abſentibus.

Magna tamen eſt his Parochis iniicienda religio qui in Parochia otioſi degunt, contenti per alium facere officium. Nam Concilij legibus in *ſeſſ. 23. cap. 1. ſeſſ. 6. cap. 2.* tenentur reſidere, at eſt hæc reſidentia in eo, quod quis per ſe, non ſubſtitutos præſtet in Parochia, quæ ab eo præſtari debent, ſane id Parochis præcipitur in Remenſi Concilio *titulo de Capit. & canon num. 6.* Burdigal. *cap. 16.*

Secundo, Donatio ob cauſam, ea non ſequuta eſt nulla, ſed fructus Parocho dari ſoliti, dantur ob officium *cap. fin. de reſcript. in 6.* ergo ſi non fiat, ſunt reddendi.

Obiicies quod aliorū facimus opera nobis ſolet attribui, ergo & quæ per Vicariū ſuū, Parochus miniſteria implet, ipſi nō ſunt negāda.

Reſpondend. huic iuris axomati, in iis quæ ſpecialem perſonæ induſtriam exigunt, qualis eſt reſidentia, locum non eſſe, illam autem quæri, cùm multa indicant, tùm Alexand. III. auctoritas *in cap. relatum 4. de Cleric. non reſidentib.* vbi ad beneficium admitti oportere negat, *qui reſidere in loco, & curam eius per ſe exercere non valet*, quod & feciſſe Lateran. Concil. probant hæc pauca ex eo deprompta, ac in titulum *de Cleric. non reſident.* relata *cap. 1. Cum Eccleſia, vel Eccleſiaſticorum miniſterium committi debuerit, talis ad hoc perſona quæratur, quæ reſidere in loco, & curam eius per ſeipſum valeat exercere.*

Vt iuſta tamen dari cauſa poteſt, quæ à Parochi abſentia culpam adimat, ita eſſe poteſt aliqua, ob quam licet ſit præſens beneficio ſuo, ei tamen deſeruire, non debeat, quæ cum iudicio viri prudentis aderit, cur illi negari facultatem oporteat, ſubrogandi ſibi Vicarij, qui partes ſuas agat, vicemque impleat, non intelligo.

Dubium quintum, *An vt quis in proprio reſidere beneficio cenſeatur, oporteat illum in eius territorio, aut loco aliquo qui ſit pars eius, commorari, an contra ſufficiat eſſe in loco quolibet alio, non multum diſtante, ſiue ſit eiuſdem cum beneficio Diœceſis, ſiue diuerſæ.*

Dico primò, *Vt quis cenſeatur Eccleſiæ ſuæ præſens eſſe, non eſſe neceſſe, vt ſedes, quam ſibi ad incolendum delegit, in eadem ſit Diœceſi in qua beneficium ſuum eſt poſitum.*

Ratio eſt, quod hæc Diœceſis diuerſitas non impediat, quo minus ſuo quis dicatur præſens eſſe beneficio, fac enim Parochiam eſſe in finibus Diœceſis ſitam, habere autem eius Rectorem in proximo domum ſuis vſibus valde commodam, ſed tamen pertinentem ad Diœceſim alteram, quæro an ſit ei domum illam incolere prohibitum, & qua lege? cum pari à ſuis facilitate, in ædibus propriis, ſed quæ ad principium ſunt Diœceſis alterius poſitæ, conueniri queat, ac ſi in his verſaretur, quæ Parocho in ſua Parochia ſunt extructæ: reſidere ergo illum intra eius limites nihil eſt neceſſe.

Dico ſecundò, *Tunc cenſeri Parochum in propria commorari Parochia, quando his quos regit, non eſt difficile illum adire, iſti autem Sacramenta illis, cum eſt neceſſe, miniſtrare.*

Ratio eſt, quod reſidentia, vt eſt magnorum Doctorum teſtimonio probatum, è duabus rebus conſtat, prima vt per ſe exequatur quod propria muneris ſui ratio, ab eo non omitti exigit, in quarum adminiſtratione actionum, reſidentia magis quam in manſione conſiſtit, ſed ex hypotheſi facere poſtremum iſtud Parochus poteſt: ergo, &c.

Verum enim (inquies) quanta eſſe locorum intercapedo debet, inter Parochi domicilium, & Parochiæ confinia, vt iſti ille cenſeatur præſens eſſe?

Eam quidam leucæ vnius Gallicæ ſpatio definiunt, minori parte altera reliqui, quæ mihi opinio priori videtur eſſe probabilior, quod cum leucam vnam viri ætate graues, magnoque natu ſenes, corpore, ſexuque infirmæ mulieres conficere pedibus nequeant non videantur honeſte cogi poſſe, vt ſalutis ſibi æternæ auxilia tam longo à paſtore ſuo ſpatio diſſiti quærant, & proinde manifeſto ſit illos æternæ mortis periculo exponere, ſi oportet tantis eos redimere laboribus ſalutem ſuam ab abſente Parocho, quam enim in hac morum ac temporum corruptela ſunt pauci, qui vt animo proſint, corpori obeſſe velint? Deinde quam non eſt facile Parocho interituris auxilio eſſe, cum vocati, & vocatus, periclitanti ſiſtere ſe ante horam non poſſit, ſi à Parochia ei ſua, abeſſe leuca vna Gallica liceat.

Dubium ſextum, *An ſine ſuperioris licentia*

tia quot hebdomadibus Parocho à Parochia, aut à prabenda ſua Canonico biduo abeſſe liceat vt parentes inuiſat.

Dubitandi cauſæ ſunt duæ, prima, quod iteratæ eiuſmodi ſeceſſiones à beneficio, diuturnæ æquipolleant, longeque maiori, quam quæ canonicis legibus, ambobus permittitur.

Altera quod hanc abſentiam, *Chriſtiana charitas, vrgens neceſſitas, debita obedientia, euidenſque vtilitas*, non excuſet, quæ res ſunt numero quatuor, à quibus, Concilium Parochi aut Canonici abſentiam, ne ſit mala, ac fructuum reſtitutioni pro rata temporis eiuſdem abſentiæ obnoxia, cohoneſtari poſtulat.

Dicendum eſt tamen eam nec eſſe mortalem, nec reſtituendi parere neceſſitatem. Non eſt mortalis, quia cum ſit modica, non eſt culpæ talis materia. Non eſt cum reſtituendi obligatione nexa, quia Concilium, in Parochis abſentiam non damnat vt mortiferam, & à reſtitutione nõ immunẽ ac liberam, quæ bimeſtre nõ excedit, cũ enim hæc cõſiſtit intra eius ſpatia, non eſt inſigniter damnoſa, maxime quando eſt qui Parochi vices in Sacramentorum adminiſtratione ſuppleat, vt ſupponitur, fieri ab eo, qui quot hebdomadis parentes relicta Parochia inuiſit.

Ad cauſas dubitandi reſpond. eſt, in prima ſupponi falſum, cum noxæ veniales quantumuis numero infinitæ, ſemper ſint mortali impares, ac minores.

Ad alteram dici debet, eſſe non charitatis modo, ſed & iuſtitiæ (quo nomine quæ ſunt honeſtatis ac decentiæ ſolent intelligi) iuſtitiæ (inquam) parentes ſubinde ac ex interuallo inuiſere, afflictis opem ferre, ſolari mœſtos, ſibi vero in dubiis ſuis ac afflictis temporibus ex eorum ore ſana conſilia quærere, eſſe proinde eiuſmodi in eos exhibita amoris officia & pignora, Concilij cõprehenſa vocibus, cum ſint hæc teſtificandæ liberorum in parentes obſeruantiæ, moraliter neceſſaria.

Dubium ſeptimum, *An beneficiatus ante ſententiam, fructus reſtituere perceptos ex beneficio debeat in quo non moratur.*

Dico primò, *A Beneficiario abſente fructus reſtitui ante ſententiam oportere, cum dicitur in lege, quod eos ſuos non faciat.*

Ratio eſt, quod quæ non ſunt recipientis, ſed cuiuſpiam alterius, hæc reſtitui vero domino debeant, at qui fructus habet non ſuos, eos iure naturali relinquere debet, antequam id eum facere iudex cogat per ſententiam, ergo & qui indebitos, quia nempe non reſedit in loco beneficij ſui cum deberet. Sic enim Concil. *ſeſſ. 23. cap. 1. Præter alias pœnas aduerſus non reſidentem ſub Paulo III. impoſitas, ac mortalis peccati reatum quem incurrit ſtatuit Synodus eum pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facere, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi detinere poſſe, &c.*

Non eſt tamen improbabile, iſta etiam verba, ſi ſola ponãtur abſque clauſula alia, nõ obligare niſi poſt ſententiam iudicis eamque executoriam. Ita Nau. *Concil. 12. de iureiur. nu. 10. in fine* & Azor. *to. lib. 7. cap. 2. q. 2. in fine*, dicunt enim ambo his Concilij vocibus qui *intra duos menſes profeſſionem fidei non faciunt, fructus ſuos non facere, ſeſſ. 24. cap. 12.* legem contineri pœnalem, quæ in conſcientia ante ſententiam non obliget, quæ opinio eſt etiam probabilis, quia quando Eccleſia intendit obligare ante ſententiam in conſcientia, ſolet iis verbis plura addere, quaſi iſta ſola nõ ſufficerent, vt videre eſt in *Extrauag. 2. de Simon.* & decreto vltimo Concil. Later. renouata à Pio V. de *horis canonic.*

Dico ſecundò, *Pœnam priuationis quartarum, quæ à Trident. Epiſcopis & Parochis infertur ipſo iure vel facto incurrenda, non obligare ante ſententiam:* Ita Theſaurus 2. *par. prax. Eccleſ. verbo Reſidentia cap. 2.*

Ratio eſt, quod pœna Eccelſiaſtica nulla, hominem re poſſeſſa priuans iure ipſo, aut facto, locum habet in conſcientia ante ſententiam Iudicis: ita Summiſtæ Sylu. Armil. & alij *in verbo Aſſaſinus* vel *verbo pœna*, Suar. 5. *de legib. cap. 8. num. 5.* Azor. *to. 1. lib. 5. cap. 7. q. 1. & 3.*

Probatur, ſunt hæreticorum bona ipſo iure decreto Pontif. *in cap. cum ſecundum 19. de hæreticis*, fiſco acquiſita, & tamen in eodem canone dicitur, quod ea ab hæreticis non ſint relinquenda neceſſario ante ſententiam, verum eſt ergo quod in Maiori dicitur, pœnam temporariam purã aut mixtam, non neceſſario ſubeundam eſſe ante ſententiam, etſi iure ſit aut facto inflicta. Sed priuatio quartæ partis redituum, impoſita Epiſcopis & Parochis, *qui iuſtis, & rationabilibus cauſis ceſſantibus, ſex menſibus continuis extra Diœceſim ſuam morando abfuerint*, iure incurri dicitur *in ſeſſio. 6. cap. 1.* ergo non niſi poſt ſententiam: ergo, &c.

Dubium octauum, *Peccetne qui fructibus vtitur, quos percepit cum à ſuo beneficio abfuit.*

Senſus eſt, an beneficiarius in rem ſuam & commodum ea traducere bona poſſit, quæ ſuæ à beneficio abſentiæ reſpondent.

Dico in eorum ſententia qui executoriam iudicis ſententiam exigunt vt fructus perceptos reddere debeat, dico (inquam) poſſe, quia etſi ſit his indignus, non eſt tamen illis priuatus per Iudicem, ſunt ergo eius, ergo cum re ſua quilibet, hoc eſt, cuius ei dominium competit ac poteſtas, vti queat, poterit & beneficiarius fructibus, quibus iure quidem eſt pri-

uatus per Concil. ſed non per ſententiam iudicis executoriam.

Accedit, quod vt Reginald. tradit *lib. 30. tract. 3. cap. 5. num. 59.* eos Eccleſia beneficiariis pro materna ſua pietate tribuat, & ſi nō tribuit, illorum tamen reſtitutionē ab iis nō exigit, quos iiſdē ipſo iure priuat, quando hi nihil habent, niſi quod illis ſuppeditat, quare etſi tunc non reſidendo peccent mortaliter, non tamen cum fructus ſibi retinent, quibus etſi ſunt iure priuati, non tamen per ſententiam iudicis executoriam.

Dubium nonum, *An Beneficiarius, cui animarum cura nulla incumbit, vt Capellanus, teneatur ad reſidentiam.* B

Dico primò, *Iure communi teneri beneficiarios quoſlibet, etiam Capellanos, à ſuis beneficijs non recedere.* Id tradunt Nauar. *to. 1. Concil. lib. 3. de Cleric. non reſident.* Innoc. *in cap. fin. de Cleric. non reſid. Intelligo,* inquit, *omne beneficium reſidentiam requirere niſi contrarium conſtet*, quum enim cùm humani tùm diuini iuris ſit præſcriptio, vt munere quiſque ſuo fungatur, ſitque beneficiarij ſimplicis vt Capellani, officium in eo maximè, vt Eccleſiæ inſeruiat, dicendo ſacrum quādo eſt Capellania de Sacerdotalium numero, idque abſens præſtare nequeat, planum eſt eum ſtabilem in beneficii ſui loco debere præſentiam, ne cum aberit, Dei cultus, cuius procurandi cauſa eum capellæ conſtat eſſe præpoſitum, minuatur, aut intereat, quare Epiſcopo Lingon. id in ſua Diœceſi, vlli ne ſit impunè, Alexand. III. præcipit *in cap. conquerente 6. de Cleric. non reſident.* C

Dico ſecundò, *Conſuetudine tamen induci poſſe, vt Capellanis, ſimplicique beneficiario, liceat abeſſe domo, nec reſidere in beneficio, & tamen eius fructus percipere, ſit eidem licitum, dummodo hic per Vicarios fungatur officio, eaque expleat omnia quæ præceſſoribus ſuis viris integris facere erat in more.*

Prob. Eſt reſidentia in ſimplici beneficio de iure tantum humano, at contra illud conſuetudo rationabilis ac præſcripta præualet, vt conſtat, ergo & contra reſidentiam perſonalem in Capellania, quod erat probandum. Et hanc ſententiam docuere Sanch. *lib. de matrim. 3. diſp. 8.* Rodrig. *to. 1. qq. Regular. q. 6. nu. 11.* vbi docet legem à Concil. generali non receptam non obligare, quod colligi ex *cap. ſuper quibuſdam 26. tit. de verbor. ſignific.* eſt certum.

Dico tertiò, *Cum eſt præceptum reſidendi in beneficio ſimplici, aut eſt id in eius fundatione poſitum, tunc ab eo abeſſe, eſt peccatum.*

Ratio eſt, quod quæ cuiuſque beneficii fundator ac parens, in eius dotatione exigit, hęc impleri oportere bene informata ratio dictet, quare ab eo qui recedit abſque Epiſcopi licentia, aut cauſa iuſta, beneficio ſpoliari à

A Diœceſano poſſe, reſpondit Greg. IX. *in cap. Clericos finali de Cleric. non reſident.*

EPITOME,

EORVM QVÆ DE REſidentia ſuperiori ſunt tractatu dicta.

CAPVT I.

Quid ſit reſidentia, quæque eius munera.

RESIDERE magnorum virorum teſtimonio, nihil eſt aliud, quam perſonaliter proprium officium, in proprio beneficii loco ſoluere, ex quo ſequitur reſidentiam, non tam in manſione, quàm in ſacrarum actionum adminiſtratione ſitam eſſe, clarius, è duabus eam rebus conſtare, altera eſt, vt per ſe, beneficii Eccleſiaſtici poſſeſſor, ſacris in ſua Eccleſia dum fiunt, interſit, altera, vt ea per ſe exequatur, & præſtet, cum debet.

CAP. II.

Reſidendi lege qui tenentur.

REſidendum autem eſt omnibus iure cōmuni qui de ſacris Eccleſiæ reditibus viuunt, Doctorum veriſſimum eſt hoc admonitum Sylu. *verbo reſidentia q. 1.* Ioan. de Sel-
D ua *de benefic. par. 4. q. 1.* Abbat. *in cap. conquerente, de Clericis non reſidentib.* factum eſt tamen longo vſu, hominumque inueteratis orbe fere toto moribus, ne ea ſe lege teneri crederent, qui beneficia ſimplicia poſſident, Laym. *lib. 4. tract. 2. cap. 6. num. 2.* Nominatim à ſua abeſſe Eccleſia Epiſcopi nequeunt, *cap. ex geſtis 2. cap. qualiter nouo de Cleric. non reſidentib. & 7. q. 1. can. peruenit 20. can. placuit 21. can. propter 26.* niſi ex cauſa, qualis eſt vis maior, quæ eos tamen à reſidendo non excuſat, niſi cum durat *7. q. 1. can. aduerſitas,*
E Epiſcopos ſane conſtat partes explere ſuas non poſſe niſi commiſſam ſibi plebem de fide doceant, Trident *ſeſſ 23. cap. 1. & 7. q. 1. can. ſicut vir ij parag. Epiſcopum & diſtinct. 36. can. vlt. & diſtinct. 86. in princ.* eandem cum peccat corrigant, vt iubentur facere de officio ordinarii *cap. irrefragabili 13. diſtinct. 86. can. 1. can. odio. can. facientes, 23. qu. 4 can. ſub iſtis, Clem. 1. de officio ordin.* errantem in viam reducant, famelicam Sacramentis paſcant. Hæc verò tam ſalutaria obire miniſteria abſentes

ſentes Epiſcopi quî poſſunt? in aures influere A ſalutis monita nequeunt niſi præſentium, de peccatis autem admonere per literas, raro eſt admonito vtile, admonenti tutum nunquam ac laudabile, officio ergo deeſſe ſuo Epiſcopi ſi nolint, ſedes alienas non quærent, ſuam cum primum poterunt, ſi ſine neceſſitate ab ea abſint, repetent.

Canonicorum nihilo eſt cōditio, quam Antiſtitum melior: quare vt illi operam per ſe ſuam ſubditis exhibere ſuis debent, ita & iſti Eccleſiis quibus ſunt aſcripti, ſane à Trident. *in ſeſſ. 24. cap. 12. de reform.* decretum video, B *vt non liceat eis, vigore cuiuſlibet ſtatuti, aut conſuetudinis, vltra tres menſes ab Eccleſiis ſuis abeſſe, ſaluis nihilominus earum Eccleſiarum conſtitutionibus, quæ longius ſeruitij tempus requirunt.* Et infra. *Omnes vero diuina per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire officia, & Epiſcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti aſſiſtere, & inſeruire.* Idem habet Synodus Remenſis Tridentinæ confirmatrix pag. 245. *titulo de Capit. & Canonicis nu. 6.* Narbonenſis *cap. 27.*

In eo, officio ſuo ſi deſint, culpa eos mortali non carere dixit Comitol. *lib. 1. reſponſ. q. 62.* C quia decreta Concilior. ac Pontificum cum rem magni momenti præcipiunt negligi ſine ſcelere nequeunt, negligit autem, qui ſine iuſta & graui cauſa, iis non paret, non obſequitur vero qui depreſſa voce ac ſummiſſa, dum cæteri canunt, Deo laudes pangit, officio ergo ſuo non ſatisfacit, vt ſacra Cardinal. Congregatio reſpondit, Comitolo teſte *lib. qui ſupra eſt notatus q. 62.* quare *ſi officio ex ſe fungi non valent, aut non admitti debent, aut admiſſi eijci,* Concil. Narbon. *de ann. 1551. cap. 27. de Cleric. non reſidentib.* quod eſt argumento D reſidendum iis eſſe in Eccleſiis, quarum ſunt officiales ac miniſtri. *Omnes Canonicos* (inquit Rothomag. Concil. Prouinciale anni 1583. præſidente Eminent. Cardinali Borbonio habitum) *& qui dignitatem in Cathedralibus obtinent ad reſidentiam actualem obligari decernimus.* Statutum idem à Burdegalenſi eodem anno *cap. 16. pag. 295.* Rhemenſi ſub Cardin. à Guyſia *cap. de Epiſc. num. 3.* Reſidendum (inquam) ac clara diſtinctaque pſallendum voce, ad id enim tam Concilij, quam noſtris Gallorumque Antiſtitum legibus, teneri conſtat, nec enim Canonicos; E *Cum canendi gratia conſideant muta aut clauſa labia*, tenere decet, ſed *omnes in pſalmis hymnis & canticis Deo alacriter modulari.* Concil. Prouinc. Turon. *tit. de Capitulo pag. 352.* quod ni fecerint, *non putent ſe functos officio, nec ſi Vicarta tantum opera cultum diuinum celebrari curent, modo tamen pſallere queant, nec aliàs impediti iuſtis de cauſis fuerint*, Concil. Camerac. Prouinc. de anno 1565. *titulo de cultu diuino cap. 7.*

CAP. III.

Quæ ſint pœna Canonici non reſidentis.

POenæ autem abſentium ſine cauſa, ſunt hæ, in Canonicis quidem, præter reatum culpæ mortalis pro primo anno, partis dimidiæ *fructuum quos ratione prabendæ ac reſidentia ſuos fecere* priuatio, pro ſecundo, omnium quos eo anno lucrati fuerint, *creſcente vero contumacia contra eos iuxta ſacrorum canonum conſtitutiones procedi poteſt*, Trident. *ſeſſ. 24. cap. 12.* Rhemenſe Prouinc. de anno 1583. *titulo de capitulis nu. 3.* Burdeg. *cap. 16. pag. 295.* Narbon. *cap. 27. de Cleric. non reſid.* Et quanquam non ſit hæc fructuum priuatio, pœna latæ ſentētiæ, vi cuius amittantur ipſo facto, reddique in conſcientia ante illam debeant, dici tamen poteſt latæ ſententiæ in quantum, ad eam priuationis pœnam non requiritur monitio, ſed ſufficit citatio ad dicendam cauſam Theſaur. in *praxi Eccl. par. 2. ver. reſid. cap. 3. num. 4.* quam ſententia non declaratoria modo criminis, ſed executoria quoque debet ſubſequi, vt ſuum eiuſmodi pœna effectum habeat.

CAP. IV.

Quæ ſint pœnæ non reſidentis Epiſcopi ac Parochi.

QVam ſententiā in cauſa Epiſcopi ac Parochi, neceſſariā non credo, in quibus locis viget Conc. auctoritas, nā ambos ait in *ſeſſ. 23. cap. 1. pro rata temporis abſentiæ, fructus ſuos non facere, nec tuta conſcientia etiam alia declaratione non ſecuta eos retinere poſſe, ſed teneri per ſe, aut ipſo ceſſante per ſuperiorem Eccleſiaſticum, illius Eccleſiæ fabricæ, aut pauperibus loci erogare.* Hæc enim etſi de Epiſcopis ſint dicta, valent tamen eiuſdem decreto Concilij in Parochis, cæteriſque qui beneficium cum cura obtinent, Trid. *ſeſſ. 23. cap. 1.*

Concedit tamen Epiſcopis, vt ſpatio trium menſium ſingulis annis abeſſe ex cauſa rationabili, & ſine gregis detrimento valeant, non vltra, niſi cum Chriſtiana charitas, vrgens neceſſitas, *debita obedientia, ac euidens Eccleſiæ, vel Reſp. vtilitas exigit*, quas etiam cauſas approbari vult *à Papa, aut Metropolitano, vel eo abſente à Suffraganeo antiquiore reſidente*, Suffraganeus *Metropolitani abſentiam probare debebit ſcriptis*, Trid. *ſeſſ. 23. cap. 1.* niſi cum abeſſe contigerit propter munus aliquod, Epiſcopali dignitati adiunctum.

Dicendum idem de Parochis, & Canoni-

cis, quos bimeſtri quidem, ſi ſunt Parochi, trimeſtri autem ſi Canonici ex cauſa, eaque approbanda ab Epiſcopis, cum eorum venia in ſcriptis habita, abeſſe poſſe quotannis Parochos, eſt in eodem Concil. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. abeſſe diutius ſine eadem lientia, parique cauſa Parochi ſi velint, præter peccatum mortale, fructus ſuos non facient, quos etiam ſi perceperint, ante omnem ſententiam, fabricæ aut loci pauperibus, ſi ſalui eſſe appetant, integrè reſtituent.

Quod ſi omnino, aut maiori anni parte non reſederint, priuari Parochia ſua per ſententiam poterunt, *ex cap. extirpandæ 30. parag. qui vero de præbendis*, quam citatio, monitio, per cenſuras coercitio, fructuumque ſubtractio, aliaque iuris remedia, præcedere debent decreto Concil. Tridentin. teſtimonioque Garciæ *parte 3. cap. 2. num.* 135. *& ſequ.* quæ etſi in Canonicis ſeueritate pari obſeruari non debeant, pœnam tamen abſentiæ ſuæ tolerant, nam ſi ad annum eam protrahant, parte fructuum tertia quos tam ratione præbendæ, quem reſidentiæ ſuos fecere, iure Eccleſiæ excidunt, omnibus autem, ſi ſequenti meliores non fiant: ita Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. naturæ autem, pro rata ſuæ abſentiæ, ſi trimeſtre excedāt, nullaque iuſta cauſa, aut Epiſcopi licētia excuſentur, quia donatio ex cauſa, ea ceſſante ac non poſita, eſt nulla: ergo cum beneficium, proindeque & præbendæ omnes dentur ob officium *cap. fin. de reſcriptis*, quod in Canonicis, duabus maxime rebus continetur, præſentia in loco beneficij, & horarum recitatione in choro cum pſalmodia, hæc ambo, aut eorum alterum ſi non præſtent, collectos è præbendis ſuis prouentus, pro rata abſentiæ reſtituent, niſi à reſidendo, pſallendoque longo præſcripta annorū ſpatio conſuetudo, eos extra culpā poneret, qualem in beneficiis ſimplicibus recipi, & maxime canonicatibus ſcripſere Laym. *lib. 4. tract. 2. cap.* 6. Rebuffus *in 2. par. praxis rubric. de diſpenſ. de non promouen. num.* 8. Fabric. in *Theoria tract. de ſimplicib. & duplicib. benef. num.* 12. aut iuſta eos cauſa à ciuitate abſtraheret, in qua eos, vt conſcientiæ, munerique ſuo facerent ſatis, verſari eſſet neceſſe.

Neque tamen eſt exiſtimandum omnem Antiſtitum, Parochorum, aut Eccleſiaſticorum abſentiam eſſe impiam, & reprehendendam, enimuero dare ſe tempus poteſt, quo eos peregre in diſſitas à ſuis domibus prouincias proficiſci ſit neceſſe, ad commune bonum, tranquillitatem vrbium, aut Diœceſis quod ab iis fieri ratio cum poſtulauerit, haberi pro abſentibus non debebunt, quod prudenter ab iis fieri ratio cum poſtulauerit, haberi pro abſentibus non debebunt quod prudenter ab his abeſſe nemo A ſit putandus, quos protegit, ac periclitantes in tuto ponit. Deinde cum in eo deſudare Epiſcoporum ac Parochi pietas debeat, vt ſubditis ſibi gentibus bene ſit ac tranquille, quid iſtæ de Parochi ſui abſentia queri poſſunt, ei eſt hæc eorum ſuſcepta cauſa? eſt eius tùm charitas digna laude; nihil eſt ergo in eius peregrinatione quod reprehenſionem, & non potius præconium mereatur.

Quid? quod ad ſedandas populorum diſcordias, tranquillandos animos, obeundas legationes gerendaque Regum conſilia adhiberi ſæpe viros oporteat, auctoritate graues, virtute illuſtres, rerum notitia commen- B dabiles, cuiuſmodi præter Epiſcopos, hac excellenti laude præſtabiles, Reſpublica paucos aut nullos ſi alat, nimirum in iis occupari ſe ſi ſinant, cenſuram ferent? non eſt ergo omnis Eccleſiaſticorum extra beneficij ſui locum commoratio, culpabilis, cum eam à culpa multi hoc nomine excuſare valeant.

CAP. V.

C *Quæ ſint cauſæ, ob quas in beneficij ſui ſede non morari, beneficiatis liceat ſine ſcelere.*

SVnt hæ non paucæ, Prima eſt, infirmitas, ſiue morbus, *cap. vnico de Clericis non reſidentib in 6.*

Secundo, neceſſitas recedendi, vt tempore peſtis, aut hoſtilitatis Probus *in addit. ad Monach. ib. num.* 22.

Tertia, Chriſtiana charitas vrgens neceſſitas ac euidens Eccleſiæ vel Reip. vtilitas, Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. qua de re eſt his verbis D in Concil. Sardic. Patrum qui ei intererant, prudens reſponſum *honeſtum eſſe vt Epiſcopi interceſſionem, his præſtent* in Imperatoris comitatu, *qui iniqua vi opprimuntur, can. 8. in can. autem* 10. *eiuſdem Concil.* facere ſapienter Epiſcopos, *ſi propter pupillos & viduas qui cauſas non iniquas habent, ſuſceperint peregrinationis ad Imperatorem incommoda.*

Quarto, abeſſe licet, ob lites tam ſuas proſequendas quam Eccleſiæ *cap. ex parte tua* 13. *de Cleric. non reſidentib.*

Quinto, excuſat comitatus Epiſcopi, *cap. ad* E *audientiam noſtram* 15. *cap. de cætero eod. tit.* de quo eſt ſimiliter in Conc. Prouinc. Rothom. anni 1581. his verbis: *Inter iuſtas abſentiæ cauſas habeatur, ſi vnum aut duos de dignitatibus, vel Canonicis Epiſcopus mittat, aut ſecum pro conſilio deducat ad viſitandum Diœceſim, vel ad Concil. prouinciale, aut ad alium pro religione aut Diœceſi vrgens negotium Conc. Rothom. cap. de Epiſcopis pag.* 180.

Dabunt tamen huiuſmodi homines operam, non modo ne abſentiam extra viſitatio-

nis

nis tempus prorogent, ſed multo maxime, vt vitium interim dum abſunt, charitatis in Deum Cœliteſque laude excellentem, ſibi ſubrogent, qui ad omnes aditus excubet, quibus ſe in imparatos impietas inſinuat, excubat, fœdas autem de religione opiniones quæ fidei lucem obſcurant, in herba priuſquam adoleſcant opprimat. Narrat de ſe Ambroſ. cum abeſſet, ſubinde ad alumnos ſuos reflexiſſe animum, ac ne interim vitium obreperet, auxio ſemper mœſtoque fuiſſe ſimilem, Deumque precari ſolitum. *Ne quis, inquit, me abſente per negligentiam caderet, ne quis Diaboli inſidijs laberetur*, ſermone primo de Adu. Facere hoc Hierarchæ omnes debent, omnique animo ac contentione laborare, ne dum alieno, id eſt Epiſcopi imperio inconſiderantiſſima ſua leuitate abſunt, cõmiſſi populi à ſe derelicti ſalutem negligant, ſuam perdant, cui malo medicinam vt facerent, in Concilio, orbis terræ Patres, cœlitiſque inſpirati Imperatores edixere. Iuſtinianus quidem ne vlli Epiſcopi ad aulam venirent ſine ipſius facultate, *leg. 42. de Epiſc. & Cleric. in antiqua collect.* Patres autem in Antiocheno Concil. *can. 11.* vetant vllum è ſacra myſtagogia ad Imperator. comitatum ac curiam adire, ſine conſenſu & literis Epiſcoporum prouinciæ, & præcipuè Metropolitani, quo ſi præter eius voluntatem adierit, ſanxere *hunc reprobari, & abijci oportere, non ſolum à conſortio verum & ab honore cuius particeps videbatur exiſtere.*

Decretum iſti non abſimile factum video in Concil. Sardic *can. 8. 11. & 20.* magno Hoſio indignitatem rei exponente, cæteris autem qui aderant aſſentientibus, ne cui Epiſcopo fas foret in poſterum vltra tres ſeptimanas à ſua abeſſe Eccleſia, Concil. Sard. *can. 14 & 15.*

Ad has cauſas addendæ ſequentes Papæ familiaritas *cap. ad audientiam 15. & cap. cum dilectus 14. de Cleric. non reſid.* Literarum ſtudium *ca. tua fraternitatis 12. eod. tit.* & in Concil. Turon. Prouinc. *cap. de Capit. Canonic. & Dignitat.* dicuntur abeſſe poſſe canonici, *cum licentia, vt in celebri vniuerſitate, Theologiæ & canonum profeſſioni dent operam*, Humanioribus quoque ſtudiis animum Canonici vt excolant, è propriis egreſſi ſedibus, alias, vbi hæc docentur, quærere ſinuntur in Concil. Narbon. Prouinc. an. 1551. *cap. 27. de Cleric. non reſident.* nam cum eos de *præſulum licentia*, abeſſe poſſe afferat, *literarum capeſſendarum gratia, aliarumue rerum honeſtarum* cauſa, quâ voce humaniores quoque intelligi, latinæ linguæ vtcunque periti non ambigunt.

At in ſcholis verſari, procul ab vrbe vbi eos morari oporteret, quanto per canones eis tempore licet ſine culpa? Quinquennio, ita Honor. III. *in ca. ſuper ſpecula extremo de magiſtris & tunc Docentes in Theologica facultate, dum in ſcholis docuerint, & ſtudentes in ipſa, integre per annos quinque percipiant de licentia ſedis Apoſtolicæ prouentus præbendarum ſuarum*, ea tamen lege, *Vt cuiquam tale indultum vltra quinquennium non ſuffragetur, quandiu autem in vniuerſitatibus ſtudiorum cauſa incumbunt, tandiu* (*ita decernente Turon. Concil. in titulo de Capitulo & Canonicis*) *ſuorum Præceptorum teſtimonium literis authenticis confirmatum, quotannis exhibere tenentur, ſi ſerio grauiterque prædictarum facultatum ſtudijs incumbere*, idque in Academia, nam qui ad villas aut caſtella ſe transferunt, *in quibus nullum eſt, vel minus competens exercitium ſtudiorum*, ſuarum fructu præbendarum gaudere non debent *ca. tua fraternitatis 12. de Cleric. non reſident.*

Eſt & cauſa alia præſentiæ ſuæ beneficiis poſſeſſis non exhibendæ, ſeruitium nempe Regi & Reginæ Galliæ reddendum, tam in ſupremis eorum curiis, quam capella ſancta & alibi Rebuff. in *Gloſſa Concordatorum parag. 1. in verbo annis de collat. circa finem*, Bleyan. *tract. de præb. earumque fructibus num. 42 & litera ad margin.* qui ſine cauſa populum curæ ſuæ cõmiſſi m deſerit, ac diuerticula voluptatis gratia in prouincia, aut extra quærit, ad officium, ſuique præſentiam in loco beneficij commodandam reuocari ab Epiſcopis debet, & ſi intra menſem à die factæ citationis non paruerit, lege Caroli regia in comitiis Aurelian. *art. 5.* promulgata, prehenſione fructuum quos parit eius beneficium, adigi ad reſidentiam poterit.

DISPVTATIO DECIMA QVINTA.

DE ADMINISTRATIONE BONORVM ECCLESIASTICORVM PER CLERICOS.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid poſſit beneficiarius circa fundos, domos, & ſimilia Eccleſiarum bona.

ERIT hæc quæſtio in quatuor diuiſa partes. Prima explicabit quæ ſint iſta bona. Altera penes quos ſit eorum dominium. Tertia qualis eſſe eorum adminiſtratio debeat, vendendo, locando, &c. Quarta quæ ſit pœna malè adminiſtrantium.

Quod ad primum, intelliguntur hoc nomine bona Eccleſiarum immobilia, hoſpitalium, & cætera id genus, quæ piis ſunt locis affecta, cuiuſmodi ſunt prædia, domus, fundi, de quibus Gratian. *12. q. 2. can. prælia 5. can. qui Chriſti 2.3. & ſequ.* vaſa ſacra *ead. q. & cauſa can. Auguſtino 3. & can. Apoſtolicos.* Serui & mancipia *de rebus Eccleſiæ non alienand. cap. 3. & 4.* communes pecuniæ, quæque ſunt in ærario publico repoſitæ ad Eccleſiarum commodum *12. q. 2. c. 2. 6. & 23.* peregrinorum, aut pauperum, poſtremo quæcunque ſpectant ad Clericos, aut ab iis ſolis adminiſtrari debent, de quibus fuſe Nauar. *de reditib. Eccl. q. 1. monito* 18. D. Tho. *2.2. q. 43. art.* 8. Molin. *tract. 2. de iuſtit. diſp.* 142.

De dominio quod ſecundo loco quæritur, quorundam fuit opinio, bona Eccleſiarum omnia, eſſe in Pontificis Romani iure, vt veri eorum ac legitimi Domini, hanc docuit Gigas *de penſionib. q. 6. num. 7.* vt refert Sanchez, *lib. 7. oper. moral. cap. 29.* Candid. *de benefic. diſquiſit.* 18. *art. 5. num. 1.* Verum enim quam ſit hæc à Concilior. decretis, Romanorum Pontificum ſanctionibus, & à certiſſima ratione aliena, vt ipſe non dicam, ſatis intelligit, qui hæc non Pontifici olim à fidelibus data meminit, ſed Deo, non eorum eſt ergo, ſicut nec beneficiorum Dominus.

A Probatur, Eſt dominium, ius vtendi re in quoſcunque vſus placet, etiam vſque ad conſumptionem; Ius autem ſecundum Gerſonem *in tract. de vita ſpirituali animæ lectione 3. eſt poteſtas vel facultas propinqua, conueniens alicui ſecundum dictamen rectæ rationis*, at hanc nemo Pontifici iuſtè dederit, nec recta ratio dictat, vt quæ ad Dei cultum, miniſtrorum ac inopum ſubſidium, deſtinata eſſe fideles voluere, cum ea dedere Eccleſiis, hæc Pontifex in res quaſlibet arbitratu ſuo abſumat, licet inutiles.

B Deinde quis æquum eſſe exiſtimet beneficia, quæ ſunt virtutis teſtimonia, certa meritorum argumenta, ac laborum ſtipendia, dari immeritis, inſcientibus ac indignis, & tamen ſi eſt Pontifex beneficiorum ac bonorum Eccleſiæ immobilium Dominus, ea cuilibet, etiam incapaci dare ſine culpa poterit, cum id ratio naturaque dominij, domino permittat.

C Confirm. Eſt Pontifex Romanus *rerum Eccleſiaſticarum procurator*, vt eſt in Alexand III. decretali *fraternitatem 2. de donationib.* ad Epiſc. Pariſienſ. his verbis: *Fraternitatem tuam credimus non latere, quod cum Epiſcopus, & quilibet prælatus, rerum Eccleſiaſticarum ſit procurator, non Dominus*, quod etiam de Romano intelligi oportere indicant hæc Chriſti Seruatoris verba, quæ ad eum pertinere conſtans eſt ſcripturæ interpretum opinio. *Fidelis ſeruus ac prudens quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam vt det illis in tempore tritici menſuram*, ſed qui eſt Cæſaris aut alterius cuiuſpiam rebus procurandis præpoſitus, earum non eſt dominus, cum eas, quaſi proprias ſi tradat, earundem dominium non transferat, nec ſi venditionis, tranſactionis, vel donationis cauſa quid faciat, valide quid facere ſine domini conſenſu cenſeatur, non enim ei alienare rem Cæſaris, ſed diligenter agere cõmiſſum eſt, *l. 1. dig. de offic. procur.* ergo cum Papa rerum Eccleſiæ diſpenſator ſit & œconomus, contra ius, fidemque aget boni Oeconomi, ſi eas quibus volet, dignis iuxta ac indignis diuidat.

D Bonorum ergo, fructuumque qui ex beneficiis percipiuntur, verus quis eſt Dominus?

E Chriſtus, nam & bona Eccleſiaſtica in eius patrimonio cenſeri dixit Innoc. III. in *cap. cum ſecundum Apoſtolum 16. de præb.* & Bonif. VIII. *in decretali ex eo de electione in 6.* Concil. Trident. *ſeſſ. 23. cap. 1.* ſenſus idem. *Omnino*, inquit, *Epiſcopis interdicit, ne ex redditibus Eccleſiaſticis conſanguineos, familiareſue ſuos augere ſtudeant, cum Apoſtolor. canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas quæ Dei ſunt, conſanguineis donent.* Itaque *qui Chriſti pecunias, & Eccleſiæ aufert, fraudat, & rapit, vt homicida in conſpectu Dei diiudicatur 12. q. 2. can. qui* 1. vnde

1. vnde infert Nauar. *in comment. de ſpolÿs Clericor. parag. 3. num.* 8. bona Clericorum ac Eccleſiæ, iniuſtè quidem, ſed valide à Papa Eccleſiæ vni auferri, vt alteri dentur, ſine vllo reſtituendi onere, quia ſemper manent ſub Chriſti dominio, at ſi auerſa ab Eccleſia dantur Laïcis, fieri id iniuſtè non modo, ſed & inualidè cum reſtituendi neceſſitate.

Eſtque hæc Nauar. opinio *de reditib. Eccleſ. num. 3. q. 1.* Azorij *par. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 4.* & Candidi loco ſupra citato.

Dices quicquid eſt víſpiam, diuino ſubeſſe dominio tam eſt certum, quam conſtat idipſum aliunde, quàm à ſe trahere principium, & tamen non eſt hoc impedimento, quo minus in particularium ſit dominio vſuque, vt patet, ergo à pari, quod bona Eccleſiæ, bona ſint Chriſti, concludi nequit quod poſſeſſorem reſpuant de turba hominum aliquem.

Neganda eſt conſeq. nam hoc bona Eccleſiaſtica à temporalibus Laïcorum differunt, quod illa Chriſto ſeruatori ſint dicata, eaque re, cauſaque, ſint facta eius patrimonij pars aliqua, eſt enim hæc conſecratio donationis inſtar, qua rei donatæ dominium transferri in donatarium eſt certum, quod cum in ſæcularium bona temporalia non cadat, (nam non ſunt diuino cultui addicta, vt bona Eccleſiaſtica) non ſunt ideo peculiari ritu modoque ſacra, ſed prophana manent vt antea, laïcorumque propria.

Negari tamen non debet, (quæ eſt multorum ſententia) quin ea bona de quibus agimus, hoc eſt Eccleſiaſtica, ad conuentum pertineant, aut Capitulum, cui ſunt olim à fidelibus, Dei cauſa, oblata.

Prob. Habet in ea bona ius ac poteſtatē quiſquis ea vere à fidelibus ſibi ſcit eſſe tradita, ſed ſunt hæc Eccleſiis ad ſacra templorum miniſteria, v.Ꝺumque ſacrorum ſodalium benigne data. quare cum nec ſint hæ incapaces dominij, nec illud ad Pontificem, aut Epiſcopos transferre, vnquam induxerint animum, penes Preſides Monaſteriorum aut Capituli, non erit Eccleſiaſticorum prouentuum ſummum ius ac dominium, ſed conuentum aut Capitulum. Ita Filliuc. *to. 3. tract. 41. cap. 1. q. 2.* Leſſ. *lib. 2. cap. 4. dub. 7.* Sanè quæ ſunt in eorum manu, iureque, vocantur *facultates Eccleſiæ 12. quæſt. 2. can. expedit.* quæ res Deo contributæ ſunt ac dicatæ *ead. q. & cauſa can. Oblationes 22. can. quatuor 27. redditum Eccleſiæ can. de reditib. 28.* Quocirca pro ſolita ſua charitate, ſingulos Bonifacius vult eſſe admonitos quod *Nulli liceat ignorare, omne quod Domino conſecratum fuerit ſiue homo (puta mancipium) ſiue animal, ſiue ager, vel quidquid ſemel conſecratum fuerit, ſanctum domino erit, & ad ius pertinebit Sacerdotum.*

Tertia fuit quæſtio, an quæ ſunt in Eccleſiæ peculio, redituq; annuo, alienare Clericis beneficiariis conſcientia illæſa ac incolumi ſit conceſſum, cuius quia membra ſunt duo, quorum in priore, de rebus ipſis, eorumque alienatione agitur, de earundem locatione in altero, eo ſpectare modo opera noſtra debet, vt paucis & quam dilucidè pro infirmitate fas erit, quæ ſuper his rebus antecepta animo iudicia habeo, promere. Facto ergo ab alienatione initio. Dico eam eſſe legibus Eccleſiæ vetitam, niſi cum à modo & iuſta cauſa honeſtatem accipit. Antequam probetur Notare placet, Alienationem vniuerſè ſumptam eſſe duplicem, propriam & impropriam, ad hanc locatio, feudum, vſusfructus & hypotheca pertinent. Ad illam vera dominij in alium tranſlatio, quod non fit proprie niſi per venditionem, permutationem, donationem & ſimiles contractus, quibus directum rei dominium transfertur, quanquam vt notauit Rodoanus *de reb. Eccleſiæ non alienand. cap. 27.* cum de alienatione rerum Eccleſiæ agitur, comprehendere hæc quoque ſoleat Emphytheuſim, feudum & locationem in longum tempus, contractum item cenſualem, nam vt tribus illis prioribus vſusfructus, ſeu vtile dominium transfertur, ita & poſtremo, hoc eſt cenſuali, dominium directum ſeu vtile, conſtituta penſione annua de bonis Eccleſiæ ei cui prædictum dominium pretio addicitur. Cauſa eſt, quod iura, redituſque annui Eccleſiæ, inter bona immobilia, quorum alienatio prohibetur, numerari ſoleant.

Notandum ſecundo, alienationis nomine in hac materia, comprehendi etiam conſtitutionem ſpecialem pignoris aut hypothecæ, quia etſi quæ pignori obligantur, non niſi improprie alienentur, *legē in quorum dig. de pignorib.* tamen multum in illa iuris ei tribuitur, cui obligantur, quia ſi ſtato definitoque tempore æs contractum non ſoluatur, hæc in creditoris poteſtatem, iuſque venient, nec ſine violatione canonis, qui eadem vt ſacra Deoque dicata bona alienari prohibet. His ad quæſtionis intelligentiam ita ſuppoſitis quod in Aſſertione proxime eſt poſitum iterum dico.

Res Eccleſiæ ſine iuſta cauſa, ac Pontificis venia alienari non poſſe. Statuerunt id Leo I. in Concil. Rom. Gregor. I. & Gelaſ. ſanxit idem Synodus 7. *can.* 12. Cōc. Agath *can. 7 & 40.* cui initium, *Diacones & Presbyteri,* Leo IV. *can. monemus* 12. *q.* 2. Symmach. *in Synod. Rom. 3. can. 4.* his verbis: *Non liceat Papæ prædium Eccleſiæ alienare aliquo modo, nec in vſumfructum iura dare.* Habetur etiam Symmachi ſanctio inter decretales de rebus Eccleſiæ non alienandis ſicut etiam Innocent. III. Gregor. IX. Clem. V. *in Clement. eod. titulo,* Pauli II. *in Extrauag. ambitioſæ eod. tit.* Pij V. de anno 1569.

Dixi *ſine Pontif. venia*, nam bona ſacra

alienari poſſe ; eoconſentiente , Paulus II. in Bulla cui initium *ambitioſæ cupiditati* innuit: *Alienanti*, inquit, *bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, locorumque piorum quorumlibet, inconſulto Rom. Pontifice, aut contra* præſentis conſtitutionis tenorem, Eccleſiæ ingreſſus ſit penitus interdictus. Quare quod de pupillorũ terris eſt cautum, ne alienentur, niſi auctore Prætore, & cauſa legibus cognita, etiamſi fundos vænire illis eſſet vtile, *lege ſi fundus ſit ſterilis & ſaxoſus dig. de rebus eorum*, idem de ſacris Clericorum poſſeſſionibus eſt dicendum, vt eſt ex citato canone cuique notiſſimum. Diſtrahentur tamen vt licitè & ſine crimine, ita & validè ſi Romanus Pontifex approbator fiat ac auctor.

Nam non puniuntur alij excommunicatione, ac remotione ab Eccleſia, eiuſque ingreſſu, quam qui eius bona inconſulto Pontifice diſtrahunt: ergo cum id ſit eius facultate, ſit impunè & ſine ſcelere.

Secundo, in Pontificum, anteceſſorum ſuorum, aut Concilij lege, Papa diſpenſat valide, quia cum par in parem poteſtatem non habeat, *cap. innotuit 20. de electione* præceſſoris lege teneri nequit, ergo ſi approbauerit, facta de eius conſenſu bonorum Eccleſiæ alienatio, rata erit ac firma, eſt enim eiuſmodi approbatio, tacita quædam legis eam prohibentis relaxatio.

Alienantis autem ſine eius facultate res Eccleſiæ, pœnæ ſunt variæ: prima eſt, quod Epiſcopus vel Abbas (verba ſunt *can. 19. cauſa 12. q. 2.*) debet abiici. *Epiſcopus quidem ab Epiſcopio, Abbas autem à Monaſterio, tanquam qui diſpergit quæ non collegit.*

Nec eſt id modo in pœnam delicti ſui, Epiſcopo auctoritate propria, aut Clericis bona Eccleſiæ diſtrahentibus impoſitum ; ſed ſunt inſuper & ille & iſti ab ordinum ſuorum vſu deiecti, decret. Aurelian. Concilij tertij *can. 23.*

Tertio, iubentur feriri anathemate à Synodo Rom. *can. 7.*

Quarto, tantundem Eccleſiæ reſtituere, quantum illi iniuſta bonorum eius venditione erit ablatum, ſic Agathenſe Concil. præcipit *can. 49.* his verbis: *Quod ſi fecerint, conuicti in Concil. & ab honore depoſiti, de ſuo aliud tantum reſtituant, quantum viſi ſunt præſumpſiſſe.* Et *can. 22. Vendere autem aut donare*, inquit Concil. proxime citatum, *non præſumant, quod ſi fecerint, & facta venditio non valebit, & de facultatibus ſi quas habent proprias, ad eandem Eccleſiam reddant, & communione priuentur.*

Quinto, alienatio eſt nulla iure ipſo, ſine conſenſu Superioris facta, *Septima Synodus can. 12. Quod ſi calliditate vſus fuerit*, inquit citatus canon, *& à colono, vel à Clerico agrum princeps emerit, irrita ſit venditio & reſtituatur*

A *Epiſcopio vel Monaſterio.* Quæ omnia auctoritate ſua Paulus eius nominis II. confirmauit in Bulla ſeu Extrauag. *Ambitioſæ*, inter communes, his verbis : *Si quis contra huius noſtræ prohibitionis ſeriem de bonis & rebus Eccleſiæ alienare præſumpſerit, alienatio hypotheca infeudatio nullius omnino ſint roboris & momenti.* Quare vt ipſe ſub finem loquitur. *Alienata res, & bona huiuſmodi ad Eccleſias, Monaſteria & loca pia ad quæ ante alienationem pertinebant, libere reuerti debent.* Hæc Paulus, qui ad pœnas proxime expoſitas, duas addidit.

B Prima eſt, vt Archiepiſcopi, Epiſcopi, Cardinales, Abbates & Prælati à quibus aliquid de bonis Eccleſiæ, contra formam à canonibus præſcriptam alienari contigerit, ſint ab ingreſſu Eccleſiæ per ſemeſtre ſpatium interdicti, ſi animo indurato ſex menſibus inſequentibus, perſeuerauerint, *lapſis*, verba ſunt Pauli, *menſibus eiſdem, à regimine & adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, vel Monaſterij cui præſident in ſpiritalibus, ſint ipſo iure ſuſpenſi.*

Secunda eſt, quod beneficia tã Clericorum inferioris notæ, quam qui ſunt proxime præ-C cedenti numero citati, ſi de iis quidpiam alienauerint, *ipſo facto abſque alia declaratione vacent, & vt talia libere per locorum Ordinarios, vel alios ad quos eorum collatio pertinet, libere de iure conferri poſſint perſonis idoneis, non tamen illis quibus ablata fuerint.*

Verum enim (inquies) alienationis nomine hic prohibitæ, quoſnam contractus, Concilia ac Pontifices intelligi volunt?

Omnes, inquit Paul. II. *in Extrau. Ambitioſæ*, quibus rei dominium tam directum transfertur, quam indirectum & vtile, vt ſunt cenſus, *hypotheca, locatio, conductio* D *vltra triennium, infeudatio Emphytheoſis*, etſi enim alienatio proprie ſumpta venditionem, permutationem, & donationem, & ſimiles contractus quibus res alienata alienantis eſſe deſinit, vt eius eſſe incipiat cui datur, contractus tamen de quibus paulo ante, etiam complectitur, quibus rei vſusfructus, ſiue vtile dominium transfertur, quos contractus facere beneficiarij prohibentur, maxime dare in feudum & Emphyteoſim, niſi in caſibus à *iure permiſſis, ac de rebus & bonis in Emphyteoſim ab antiquo concedi ſolitis, ac cum Eccleſiarum euidenti vtilitate ac de fructibus qui ſer-* E *uando ſeruari non poſſunt*, Paul. in Extrauag. Ambitioſæ quæ enim ab antiquo in Emphyteoſim ſunt data, poſſunt & concedi modo, ſine ſolennitate alia, ſi id Eccleſiæ communis bonum exigat. Paul. ſupra, quia non eſt hæc conceſſio noua alienatio, ſed antiquæ ordinationis exequutio.

Verum enim peccatne contra Pauli bullam, qui ſe bona Eccleſiæ alienaturum recipit?

Nequaquam, quia lex pœnalis ſtricte eſt intelligenda

telligenda, nec extendenda extra ſuum caſum, Gloſſa & Doctores *in l. 1. Cod. de iure Emphyt.* Decius *conſ.* 645. at alienationis nomine propriè ſumptæ, non comprehenditur promiſſio vt patet: ergo, &c.

Peccat tamen, qui alienare prohibitus, facturum id ſe promittit ac ſpondet. Quia quæ honeſte fieri non poſſunt eadem promitti nequeunt, ſublato enim fine tolluntur & media, ei conſequendo opportuna ac neceſſaria.

De locatione vero quid cenſendum? eſtne hæc etiam Paulino diplomate prohibita?

Omnino, non omnis tamen, ſed hæc duntaxat, quæ fit ad longum tempus, quale eſt annorum nouem ſecundum Bleyan. *in tract. de patrimon. Eccleſiaſticor.* quæ triennio circunſcribitur, toleratur vt licita, *cap. 1. ne prælati vices ſuas Clem. 1. de reb. Eccleſ. non alienand.* Paul. II. *in Extrauag. Ambitioſæ*, etſi qua parte exceſſum triennij prohibet non videatur in Gallia recepta eſſe, quandoquidem quæ illo non eſt ſpatio longior, vt valida, à Senatu valere eſt iuſſa, ſi Bleyan. loco ante cit. eſt fides, vbi cum Rebuff. in *Compend. alienationis rerum Eccleſiæ num.* 9. notat primo locationem quæ fit ad vitam conductoris, ſine ſolennitatibus requiſitis à Canone, ratam non eſſe, itaque cenſuiſſe Senatum Pariſ. 16. Maij 1548. quod & Papon. teſtatur *lib. 1. tit. 13. arreſt. 4.*

Secundo, notat idem auctor quod etſi locatio præſcripta à Canone, quæ longi non eſt temporis, qualis eſt facta ad triennium, ſolennitates iuris non exigat, eam tamen quæ fit ad 10. annos, ſine illis inanem eſſe. Quia tunc cenſetur alienatio vt ſcribit Chenut. in *addition.* ob quam cauſam, Capitulis prohibitum eſſe Rebuffus ait, ne de cætero abſque dictarum ſolennitatum interuentu ad longum tempus res Eccleſiæ ſuæ locatum irent, Rebuff. in *Compend. alienationis numero 19.*

Tertio refert idem auctor non niſi poſt primæ locationis expletum tempus, res Eccleſiæ locari poſſe.

Primo, quia cum rerum pretia ſtata non ſint, ſed vt plurimum creſcāt, fiantque ob hominum copiam, maiorem quam ante, de die in diem maiora, exponerent ſe Clerici periculo eas non locandi iuſto pretio.

Secundo, quia cum Clerici beneficiarij ſint vſufructuarij, reditus beneficij ſui elocare, niſi ad tempus vitæ nequeunt, cum ea finita, finiatur & vſus fructus ergo cum ſit incertum an victuri eo ſint tempore, quo inchoanda eſt noua locatio, hæc anticipato facta tempore non valet. Similiter non valet quæ fit, ad annos plurimos, ſic enim Trident *ſeſſ.* 25. *cap.* 11, his verbis: *Locationes rerum Eccleſiaſticarum etiam auctoritate Apoſtolica confirmatas ſancta Synodus irritas decernit, quas à triginta*

A *annis citra ad longum tempus, ſiu vt in nonnullis partibus ad 29. ſeu ad bis 29. annos vocant, factas Synodus prouincialis in damnum Eccleſiæ & contra ſanctiones canonicas factas iudicabit.*

QVÆSTIO II.

Quænam res iure ſunt canonico alienari prohibitæ.

B PRimo immobiles, Synodus Rom. *can. 6. num. 4.* cuiuſmodi ſunt prædia, domus, & ſimilia quæ radicem fixam habent.

Secundo iura ad actiones, & debita, Abbas in *cap. nulli de reb. Eccl. non alienand.* Item ad reditus annuos, & ſeruitutes, & nominationem, Redoan. *de reb. Eccl. non alien. q. 2. cap. 6.* Piaſec. 2. *par. prax. cap. 5. art. 4. num. 8.* Caſtro Palao *de reuerentia Eccleſiaſticis debita diſp. vnica præc. 15.*

Tertio, inter bona immobilia eſt ponenda ſeruitus de nouo inducenda, Boer. *deciſ.* 199.
C quia vt habet Rebuff. in *compend. alienationis num.* 4 conſtitutio ſeruitutis quædam eſt iuris oppoſiti alienatio, vt habetur *l. maxim. parag. penult. dig. de legat.* 2.

Quarto, mobilia quæ ſeruando ſeruari poſſunt, & ſunt pretioſa & ad hūc effectum computantur ſunt inter immobilia, vt habet Emman. Sa *verbo alienatio*, vaſa item aurea argenteaque, veſtes quæ diu durant, & alia quæ fructificant, & triennio perſeuerant, hæc enim, quemadmodum & calices alienari prohibentur in *can. 7.* Agath. Concil. 1. quia cum non
D corrumpantur ſeruata ſtudioſè & cum cura, rem Eccleſiæ meliorem faciunt.

Quinto, nec alienari poteſt ius Eccleſiæ quodlibet. *Quidquid* (inquit Concil Epaun. *can 7.*) *Parochiarum Presbyter de Eccleſiaſtici iuris poſſeſſione diſtraxerit, inane habeatur ac vacuum, in venditorem competenti actione vertenda.* Quia tamen, iura earum rerum naturam ſortiri conſtat, ad quas tendunt, reſque mobiles alienari ac vendi poſſe, cenſeo ius quod habet Eccleſia ad pecuniam ſibi debitum, vendi poſſe, non autem ad immobilia, quia tale ius cenſetur immobile. Similiter quia
E Gemmæ pretioſæ iuxta Piaſecum paulo ante citatum *n. 9.* bona ſunt immobilia, alienari nequeunt ſine ſolennitate canonica. De quibus vero aut animalibus, ex quibus Eccleſia annuos fructus percipit quid cēſendū? Integros greges vendi ac ſine capituli voluntate alienari poſſe negat Quaranta apud Piaſecium.

Contraria mihi ſententia in praxi videtur & lenior & probabilior, quam defendit Emman. Sa *in verbo alienatio.* Sane nemo eſt eorum qui paulo ſunt religioſiores reliquis de plebe, qui id religioni ducat, aut peccare ſe

credat, ſi ſecus faciat, eadem eſt arborum ſyluarumque ratio.

Nam quis eſt omnium qui arbores cæduas habent qui Epiſcopum aut Romanum Pontific. antequam eas cædi curet, conſulendum ſibi ſuper obtinenda eius rei licentia exiſtimat facultatis ad eam rem obtinendæ gratia? Quare mihi iuſto rigidiores videntur eſſe, Nauar. in *conſ. 6. de reb. Eccl. non alienandu,* in antiq. Bald. & Iaſon *in auth. qui rem Cod. de ſacroſ. Eccl.* Piaſec. *num. 9.* cum aiunt, in alienationibus illicitis numerandam videri inciſionem arborum, & ſyluarum, quæ cum deterioratione fit bonorum Eccleſiæ. Sed noſtram ſententiam propugnant Emman. Sa in *verbo alienatio,* Quaranta *verbo alienatio num. 47.* Bonac. de *contract. lib. q. 8 p. 4. num. 18.* Rodrig. *qq. regular. q. 27.* vbi ait Prælatum non peccaturum ſi arbores cædi iubeat, eaſque vendat in bonum Eccleſiæ, dummodo Monaſterio inde damnum non accidat, vt fiet ſi præter cæſas, ſint & aliæ ſufficientes ad ædificationem.

Mobilia dixi quæ ſeruando ſeruari poſſunt & ſunt pretioſa, nam minuta, & leuia diſtrahi poſſe ab Epiſcopo, colligitur ex *can. terrulas 12. q. 2.* etiam in conſulto capitulo ſecundum Concil. Agathenſ. *1. can. 25.* nec quæ ius exigit, ſolennia ad id neceſſaria Laym. ait *lib. 3. ſect. 5. tract. 4. cap. 10. num. 2.* ſicut nec ad mobilia, quæ ſeruando ſeruari nequeunt, qualia ſunt ea quæ vſu abſumuntur, vel breui tempore veteraſcunt, vt veſtes, pecuniæ, fructus.

QVÆSTIO III.

An iuſta aliqua ſit cauſa ad alienationem neceſſaria, & quæ?

CAuſam eiuſmodi exigi aliquam reſpondit pridem Pontifex, eſtque hæc numero quadruplex Concil. Agathen. 1. *can. 7.*

Prima, vrgens neceſſitas, Concil. Agath. primum ſub Symm. 3. *can. 7. Authentica hoc ius porrectum Cod. de ſacroſ. Eccl.* Abb. in *cap. nulli liceat 9. de reb. Eccl. non alien.*

Quare ſi Eccleſia ære premeretur alieno, nec ad id ſoluendum eius redditus ſufficerent, tunc prædium illius aliquod, eam ad rem vendi poſſe tradit de Graph. *lib. 2. deciſion. cap. 99. num. 14.* habeturque in Authentica *ſancimus Cod. de ſacroſ. Eccl.*

Secunda, eſt pietas, vt ſi magna ſit annonæ charitas, magna copia egentium, quibus alendis, redditus Eccleſiæ annui non ſint ſatis, *can. ſacrorum, can. aurum 12. q. 2. lege ſancimus Cod. de ſacroſ. Eccleſiis,* nam tunc vaſa frangere, armenta integra vendere, vt inde pecunia, pauperum inopiæ depellendæ ſuppetat, pium eſt ac laudabile, vt eſt in citatis canonibus.

Tertia, ſi res alienanda ſit ſterili, ſis Eccleſiæ inutilis, ſi eiuſmodi, vt plus ex ea detrimenti, quam lucri obueniat, *can. terrulas 12. q. 2. can. 5. Synodi 3. Roman.* refertur autem 12. *quæſt. 2. can. 20.* his verbis: *Non liceat Papæ prædium Eccleſiæ alienare, aliquo modo pro aliqua neceſſitate, nec in vſum fructum dare rura, niſi tantummodo domos quæ in quibuſlibet vrbibus non modica impenſa ſuſtentantur acceptis ſub iuſta æſtimatione redditibus, & diuini iudicij inuocatione commutentur.* Itaque ſi prius deliberatione inter Clericos de alienando prædio ſterili conſtiterit, legitimè dabitur in cenſum aut Emphyteoſim, citra maioris auctoritatis interuentum, *can. terrulas 12. qu. 2. cap. ad aures de reb. Eccl. non alienand.*

Quarta cauſa eſt, Eccleſiæ maior vtilitas, vt ſi vendatur ager aliquis cœmendo alteri qui & ſit melior & fructuoſior Eccleſiæ, vt eſt in Agath, Concilio *can. 7.* his verbis: *Si neceſſitas compuleris, vt pro Eccleſiæ augmento aut neceſſitate, aut vtilitate, vel vſu fructu, &c.* Nec hic tantum ob eam cauſam vendi poteſt, ſed & permutari, *cap. vt ſuper parag. 2. de rebus Eccleſiæ non alienandis.*

Extra hos caſus, eſt omnis bonorum Eccleſiæ alienatio irrita, decreto Pij V. in conſtitutione quæ incipit *Apoſtolicæ ſeruitutis,* in ea enim ſancit, donationes, permutationes, venditiones, locationes bonorum ſeu iurium ad Roman. Eccleſiam pertinentium, ſine vrgenti neceſſitate, vel euidente vtilitate factas, nullas eſſe, nec ius vllum his qui acceperunt tribuere, ſed in vtroque foro ad reſtitutionem etiam perceptorum fructuum teneri.

Inſuper vt ſint hæ actiones ratæ, in alia conſtitutione inchoata, *exigit Extrauagantis* Pauli II. confirmatiua, vult eas cum auctoritate Romani Pontific. iuriſque ſolennibus fieri, quæ eſt etiam Concil. Generalis ſanctio, vt eſt in *cap. cum laicis 12. de rebus Eccleſiæ non alienand.*

Res tamen mobiles Eccleſiæ, quæ vſu conſumuntur, ſeruandoque ſeruari nequeunt, ab alienare ſine Pontif. non eſt illicitum, Conſtãtini Principis conſtitutione. Cõceſſum eſt item Epiſcopo prædia diſtrahere minus vtilia *vt meliora proſpiciat 12. qu. 2. can. 52. Terrulas item aut vineolas exiguas & Eccleſiæ minus vtiles, idem Epiſcopus ſine Concilio fratrum ſi neceſſitas fuerit, diſtrahendi habet poteſtatem, ead. q. & cauſa can. 53.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

Quanam ſint iuris ſolennia, ſeu forma cum qua alienari bona Eccleſiæ ſit neceſſe.

EST hæc repetenda à canonibus 52. *cauſa 12. q. 2. & 1. de reb. Eccleſ. non alienandis*, ibi enim requiritur.

Primo, eorum qui contrahunt conſenſus mutuus.

Secundo, tractatus ſuper futura alienatione prævius.

Tertio, Prælati item ac Capituli aſſenſus.

Quarto, ſuperioris approbatio ac venia *can. placuit 31. 12. q. 2.*

Quinto, eius Eccleſiæ cuius bona alienantur maior vtilitas ac commoditas 12. *q. 2. can. ſine exceptione*, his verbis: *Epiſcopus de Eccleſiæ rebus commutare aut vendere quidquam non audeat, niſi forte aliquid horum faciat, vt meliora proſpiciat, & cum totius cleri tractatu, & conſenſ. id eligat*, tractatur autem tunc maxime cum Capitulo. quando Epiſcopus & Canonici inter ſe conſilia agitant, ecquid expediat Eccleſiæ rem de qua eſt quæſtio, alienari & vendi 12. *q. 2. can. ſine exceptione 52.*

Poſtremo addi debet inſtrumento alienationis, canonicorum ſubſcriptio *can. 52. citato.*

Quid ſi conſuetudine longa ac canonibus oppoſita, inualuit ne petatur conſenſus Prælati, aut expetatur auctoritas Capituli, *ſubſcriptio & conniuentia?*

Exiſtimauit Gloſſa teſte, Sylu. *verbo alienatio num. 3.* ſatis tunc fore ſolennitatem, ad contractum afferre quæ ſecundum morem loci, aut Eccleſiæ, quæ alienat, ſeruatur ac viget.

Contrarium tenent Panormit. in *can. ſine exceptione citatum*, Rebuff. in *compend. alienationis rer. Eccleſiæ*, Bald. in *authent. hoc ius porrectum Cod. de ſacroſanctis Eccleſiis*, quæ refertur 10. *q. 2 can. hoc ius.*

Diſtinctione adhibita, quæſtioni faciendum eſt ſatis.

Dicendumque, conſuetudine contraria poſſe fieri, vt abrogētur ac pereant ea ſolennia, quæ non ſunt Eccleſiæ damnoſa, ſeu quorum omiſſio detrimentum ei nullum progenerat, vt eſt Canonicorum ſubſcriptio, Rebuff. modo citatus *num. 21.* Non autem ſi eſt eiuſmodi formæ præteritio cōmunitati, & Eccleſiæ noxia, quo de genere eſt tractatus Capituli, Epiſcopi conſenſus cum cauſæ cognitione: habetur expreſſe, *cap. cum cauſa 8. de ſentent. & re iudicata*, his verbis: *Brixienſis Epiſcopus delegatus à nobis ſententiam contra vos ſpreta forma Canonum, ſecundum eandem*

A *conſuetudinem promulgauit. Nos conſiderantes, quod licet vſus, vel conſuetudinis non minima ſit auctoritas, nunquam tamen veritati, aut legi præiudicet. præſcriptam ſententiam reuocamus*, hæc Alexand. III. cum quo facit Innoc. IV: *can. dudum 1. de reb. Eccleſiæ non alienand.* maxime quoad tractatum & conſenſum Capituli.

Ex his patet qualibet conſuetudine legem canonicam non tolli, ſed ea tantum quæ à Clericis cum conſenſu ſummi Pontific. eſt in mores inducta cōmunes. Patet primo, *ex cap. cum cauſa, de ſententia, &c.* vbi non fit alterius

B conſuetudinis mētio, quam eius quæ à ciuibus Veronenſibus inuecta fuerat, quæ proinde Clericorum cauſæ obeſſe, aut ſtatutum eorum gratia commodoque factum, antiquare nec debebat nec poterat.

Secundo, cum conſuetudo vim legis habeat, patet non alios eius auctores eſſe poſſe, quam qui eos, quibus datur, ſeu in quorum mores inducitur, obligare poſſunt. At patet à Laicis, ius legemque Clericis ferri nullam poſſe, ergo nec conſuetudinem, quæ canonis abrogandi vi polleat.

C

QVÆSTIO V.

Cuius Prælati conſenſum haberi oporteat, vt alienatio valeat?

EIus qui ex publico munere, Eccleſiæ præeſt, puta Epiſcopi, Abbatis exempti, Generalis Ordinis, iuxta *cap. 1. de hiſ quæ fiunt à Prælatis.* Quod ſi ſit Abbas Epiſcopo ſubiectus, ad ſuum conſenſum, Epiſcopi quoque ſuū adiungere debet, alioqui nihil agit, idemque

D ſentiendum de quouis alio Eccleſiæ Rectore, hic enim ſi eſt Parochus, ſine Collegio aut conuentu, alienationi vt ſit rata, quantum eſt ſatis aſſenſum præbet, ſi Epiſcopus non diſſenſerit. Et cum Parocho ſi non conueniat, eſt illa futura irrita *cap. ſi quis de rebus Eccleſiæ non alien.*

Quid ſi res alienanda ad Cathedralem ſpectet Eccleſiam?

Cum id accidit, tam Epiſcopi quam Capituli conſenſus exigitur *cap. quanto de hiſ quæ*

E *fiunt à Prælat.* Si autem minoris Eccleſiæ res alienatur, conſenſus haberi debet Collegij, vel Capituli vel Rectoris, ſi vnum habet 12. *q. 2. can placuit vt Presbyteri non vendant rem Eccleſiæ, vbi ſunt conſtituti, neſcientibus Epiſcopis ſuis, quomodo nec Epiſcopis liceat vendere prædia Eccleſiæ inconſulto Concilio, vel cuncto Presbyterio*, Carthagin. Concil. *can. vltimo.* Sunt his conformia, quæ habentur in Agath. Concil. primo *can. 7.* his verbis: *Si neceſſitas compulerit, vt pro Eccleſia augmento, aut neceſ-*

ſitate, aut vtilitate vel vſufructu, vel indirecta venditione aliquid diſtrahatur, apud 2. vel 3. comprouinciales vel vicinos Epiſcopos, cauſa qua neceſſe ſit vendi primitus comprobetur, vt habita diſcuſſione ſacerdotali, eorum praeſcriptione, quæ fuerit facta venditio roboretur. A

Hoc tamen tempore, vicinorum in ea re Epiſcoporum iudicium non exquiritur, ſed ſolius Papæ, vbi eſt Pauli Bulla recepta, & tunc eo inconſulto facta alienatio eſt irrita, & excommunicationi latæ ſententiæ, tam in venditorem Epiſcopum quam Abbatem coniuncta, vacationi autem ipſius beneficij actuali, de quo eſt quidpiam, dicto Pontifice non aſſentiente alienatum, ſi eius alienationis auctor eſt ac miniſter, quilibet alius ab Abbate aut Epiſcopo, Paul. II. in *Extrau. ambitioſæ.*

Sufficit ſi omnibus præſentibus Notarius, aut vero Capituli Secretarius eorum vice, loco que, in alienationis inſtrumento ſcribat, eam maiori Canonicorum parti placuiſſe. Eſt tamen neceſſe vt Canonicorum omnium, ac Monachorum nomina ſcripta habeat, alioqu fraus fieri, ac imponi neſcientibus poſſet, ac dici conſenſiſſe Capiulum cum duo aut tres tantum alienationi faciendæ aſſenſi eſſent, Speculator in *tract. de Syndico.*

Excipiendus eſt caſus, in quo tanta Canonicorũ multitudo foret, vt in pergameno non niſi ægrè omniũ ſcribi nomina poſſent, nam eos tunc generali omnes nomine complecti ſatisforet, dicendo, canonicos omnes his de B quibus ſunt interrogati, aſſenſum dediſſe vltro, & ita de alienatione rei Eccleſiaſticæ, eiuſque validitate dubitandum non eſſe.

QVÆSTIO VI.

Quid ſit tractatus, & an oporteat Epiſcopum ei præſentem eſſe.

AD primum reſpondetur, tractatus nomine, hic aliud à nobis non intelligi, quam C Capituli comitium ac conuentum, in quo deliberatur à Canonicis aut Regularibus, cum de eorum rebus abalienandis agitur, ecquid eas alienari ſit vtile aut neceſſe, ſit ergo tractatus ſeu communis examinatio ab iis ad quos res alienanda pertinet.

Hunc autem conuentum cogi oportet ab Epiſcopo, Abbate, aut Canonico omnium antiquiſſimo, ad campanæ ſonum, aut eum modum qui eſt in more in illa Eccleſia, aut Cœnobio, in quo de alienationis futuræ commodo aut incommodo inquiritur Gloſſa in D *cap. ſi Capitulo de conceſſio præb. in 6.* & cum omnes cõuenerint, debet Prior aut antiquior, rem de qua deliberandum eſt, proponere, & petere à quolibet, ſuum de ea non alienanda, aut contra, iudicium Rebuff. in *Compend. alienationis rerum Eccl. num. 11.* qui in 12. ac ſequentibus addit, de eo tractatu & inquiſitione, inſtrumentum conflandum eſſe, quod vbi de alienatione facta dubitabitur, conſuli poſſit, deque eo argumenta erui quæ factam probent, aut non factam.

Ad ſecundam partem dicendum, non eſſe E neceſſe vt Epiſcopus, tractatui interſit, aut Capitulo in quo ſit, nec vt teſtes audiat, canonicos interroget, aut iuridicialiter in eo negotio procedat, quia iure ad id non aſtringitur, teſte Panorm. in *conſ. 41. volum. 1.* Rebuff. loco ante citato *num. 14.* fruſtra ergo id exigeretur ac ſuperfluè. Verum enim, ecquid Canonicos omnes actis ſubſcribere eſt neceſſe? Ecquid manu ſignare ſua aut ſigillo, quæ erunt plurium ſuffragiis in capitulo concluſa?

QVÆSTIO VII.

An cum alienatur res Monaſterij, ad conſenſum Abbatis & Capituli accedere & Epiſcopi debeat.

SI eſt Monaſterium de eorum genere, quæ non ſunt exempta, eſt eius Epiſcopi cui ſubiacet, conſenſus rei abalienandæ neceſſarius Piaſec. *1. parte prax. Epiſ. par. 2. cap. 5. art. 4.* Quia vt venditio, ſicut & quælibet alia cõuentio, iure conſiſtat, eius fieri auctoritate debet, cuius in iure eſt id, ſuper quo tráſigitur. At ſunt res Monaſterij non exempti, ſic in Epiſcoporum & Abbatis manu, vt de iis ſtatui valide nihil poſſit ſi illi auctores non fuerint: quare *Abbatibus, & Presbyteris de rebus Eccleſiaſticis vel ſacro miniſterio deditis alienare & obligare abſque permiſſu & ſubſcriptione Epiſcopi nihil licet,* Concil. Aurel. 3. *can. 18.*

Quid ſi aſſentiatur quidem Capitulum, repugnent autem Epiſcopus & Abbas, vel contra, iſtis alienationem approbantibus reſiſtat Conuentus? Rata non erit, Portelius in *dubijs verbo alienatio num. 1. & 20.* quia tam fratrum, quam Superioris conſenſum, iura Pontificia poſtulant, vt patet ex *can. ſine exceptione 52. cauſa 12. q. 2.* Deinde quam non eſt ambiguum, Capitulum perfectum eſſe non poſſe ſine capite? hoc eſt Epiſcopo vel Abbate; ob eam cauſam non eſſet eorum bonorum alienatio facta per religioſos, qui Generalem habent valida, ſi de ea rogatus, aſſenſum non dediſſet. Portelius ſupra.

Eſt etiam conſenſus Patroni in alienatione bonorum Eccleſiæ, vel beneficij patronati neceſſarius, Rochus *de iure patron. verbo honorificum,* ſi tamen eum ſine cauſa negaret, cum Eccleſiæ vtilitas illum exigit, facta ſine eo alienatio eſſet valida, ſi per eam iuri patronatus præiudiciũ nõ fieret ac iniuria, Piaſ. ſupra.

Quid

Quid ſi Abbas Monachis, Epiſcopus autem Canonicis careat, eritne eus ſolius conſenſus ad alienationem ſatis?

Nequaquam, Nam tunc poſtulari aſſenſum Superioris, puta Archiepiſcopi, aut Legati eſt neceſſe, ſecundum Gloſſ. *in cap. ſi qua, de reb. Eccleſia.* Sane Rebuff. *in compendio alien. rer. Eccleſia, num.* 39. exiſtimat in hoc caſu ad conſilium adhibendos eſſe minores Clericos, ad quam opinionem trahit Archid. in *can. placuit* 12. *q.* 2. Innoc. in *can.* 1. *de his qua fiunt à Pral.* Quid ſi non conſtet iuris ſolennitates in alienatione ſeruatas eſſe?

In dubio præſumi debet, eas propter diuturnitatem temporis omiſſas non eſſe, Piaſec. loco proximo citato *num.* 17. Nauar. in *conſil.* 3. *num.* 7. *de cenſibus in antiquis*, & alij apud vtrumque. Idem Nauar. *tomo conſiliorum* 1. *lib.* 3. *de reb. Eccleſ. non alien. conſ.* 16. *nu.* 1. & 2.

Primo, quia diuturnitas temporis, cuius non habetur memoria, eſt inſtar tituli, vi cuius, etiam res Eccleſiæ præſcribi poſſunt, vt dicitur in *cap. illud autem de praſcript. cap. ſuper quibuſd. parag. praterea de verb. ſignif. lege hoc iure parag. ductus aqua digeſt. de aqua quotid.*

Secundo, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, quam non poſſidentis, maxime in materia iuſtitiæ, ergo cum rem penes ſe poſſeſſor habeat, & quidem a tempore cuius neſcitur initium, hoc ſe neceſſario priuare non debet Eccleſiæ gratia.

Ex dictis patet, ſolennitatem quæ eſt ad alienationem requiſita, in his conſiſtere, primo, vt præcedat tractatus cum Capitulo, 12. *q.* 2. *can. ſine except. & cap.* 1. *de reb. Eccleſ. non alien. in* 6. hoc eſt deliberatiõ ſuper commodo & incommodo alienationis futuræ, & an è re communi ſit, Eccleſiæ diligens ac accurata inueſtigatio.

Secundo, vt ad tractatum accedat conſenſus Capituli, iuxta *cap.* 1. & *cap. tua* 8. *de his qua fiunt à Pralato ſine conſenſu*, vbi eſt his verbis: *Epiſcopus de rebus Eccleſia, quicquam donare, vel permutare, vel vendere non audeat, niſi forte aliquid horum faciat, vt meliora proſpiciat, & totius Cleri tractatu atque conſenſu id eligat, quod non ſit dubium Eccleſiæ profuturum.*

Tertio, vt interueniat conſenſus Prælati, hoc eſt eius qui Eccleſiæ præeſt puta Epiſcopi, Abbatis, Generalis, &c.

QVÆSTIO VIII.

An omnis bonorum Eccleſia alienatio tam Pontificis Romani conſenſum exigat quam iuris ſolennia.

Dico primò, *Vbi eſt Pauli Bulla recepta, ſine Pontificis Romani poteſtate, Eccleſiarum ſacra bona alienari non poſſe*: Huic Aſſertioni robur eſt ab Extrauag. Pauli II. *Ambitioſa*, quam Pius V. confirmauit in conſtitutione *Exigit anno* 1573. quæ conſtitutio quia alienationes omnes irritas facit, quæ Romani Pontificis auctoritatem non ferunt, aut iuris carent ſolennibus, dici debet, parem illi fuiſſe de hac re cum Paulo mentem, nempe alienationi vim ſubeſſe nullam, quam Pontificis conſenſus ac auctoritas non fulcit, hæc ſane ſi valeret, eiuſdem Pauli voluntate ac decreto *alienantis bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, locorumque piorum quorumlibet, inconſulto Rom. Pontif. ingreſſus Eccleſia interdictus non eſſet*, vt interdici in prædicta Bulla eſt certum.

Accedit huic opinioni vis ac præſidium à praxi communi tam Pontificum, quam fidelium, enimuero cum inteſtinis de religione concuſſa diſcordiis Gallia, magna Patrum noſtrorum ſæculo grauiaque pietatis in Deum detrimenta quot diebus faceret, non reparanda niſi Acatholicorum ſanguine ac ruina, Chriſtianiſſimis Regibus eſt viſum à Pontifice ad ſubſidium ſacri contra eos belli poſtulare, vt ex ſacris latifundiis, haſtæ in foro publico ſubiectis, ad vſque centena aureorum millia, ſibi petere fas eſſet, quæ ne ſumma, bonorumque alienatio Eccleſiis damno foret, vt emptores annali redemptionis lege teneri voluit, ita Clero Gallico facultatem eſſe, redimendi pari ſumma intra annum, quæ de prædiis ſibi ſuis ablata erant.

Recrudeſcentibus demum bellis Pij quinti auſpiciis, ſacri fundi publico præconio diuendi ſunt cœpti vſque ad quinquagena aureorum nummorũ millia annui reditus inſumenda in bellum contra Dei Eccleſiæque in iuſtos hoſtes, fuerũtque tum huic negotio præpoſiti Eminentiſſimi Cardinales Borbonius & Lotharingus, cum Illuſtriſſimis Nuntio Apoſtolico & Senon. Archiepiſcopo, quod eſt argumento, parum eorum eſſe ſententiam Patrum noſtrorum conformem moribus, ac pietati in Deum, qui quidlibet ſibi in diſtrahendis Eccleſiarum opibus, inconſulto Pontifice licere putant.

Dico ſecundò, *Caſus eſſe aliquos in quibus ſine iuris ſolennijs, ex ſola Pralati auctoritate, alienari fortunas Eccleſia nihil vetat.*

Primus eſt, cum alienantur quæ hominum communi opinione ac ſenſu, ſui vilitate æſtimationem ac pretium vix merentur, & tamen intereſt Eccleſiæ ea non ſeruari, ſed vendi, ita poſt Pontificem in *can. terrulas 12.q.2.* Quaranta *verbo alienatio num.41.* Genuenſ. *in praxi cap.60.*

Cauta eſt, quod iuramento de non alienando, rei modicæ alienatio non includitur ſecundum P.alec. *par. 2 prax. cap. 5.num.24.* neque per Paulinam prædicto canoni derogatum eſſe Congregatio cenſuiſſe dicitur de quo Quaranta loco cit. *num.14.*

Quæ ſit autem res habenda vilis, quæ modica, æſtimare prudentis eſt viri, qui conſideratis loco, tempore, fructibus quos Domino ſuo res ea parturit, impenſis quas fieri eius cauſa conuenit, quanti ea valeat, exæquo bonoque ſtatuet, an pro vili & pretioſa magna aut parua, haberi debeat, ſubductis ſecum ipſe rationibus ſtatuet.

Secundus caſus eſt, cum eſt alienatio iure exigente neceſſaria, cuiuſmodi eſt, bonorum quæ ei religioni ſunt legata, cui retinere ea in communi, cum ſunt fructifera non licet, de hoc religionũ numero ſunt Societatis IESV Profeſſæ domus, ſodalitates fratrum de obſeruantia, cum enim ſint hi dominij, bonorumque incapaces, nec eos tamen alienæ liberalitatis fructu carere deceat, expedit vt qui bona ipſi retinere nequeunt alienandi poteſtatem habeant, Decius *in cap. in præſentia num.69. de probat.* Gloſſa *in cap. vnic. de religioſis domibus in 6.*

Tertius caſus eſt, quando ea vendi teſtator voluit, Barboſa *alleg. allegat. 59. num.61.*

Quartus eſt, cum res in feudum aut Emphyteoſin dari ſolita, feudo vel Emphyteoſi ceſſante, iterũ in Emphyteoſin aut feudum ſimile conceditur, *de feudis cap.2.* noſque in volumine de contractibus. At cui? ei ne ſoli qui fũdo Eccleſiaſtico finita Emphyteoſi deceſſit?

Mea fert ſententia Eccleſiaſtico Præſuli eius rationem non neceſſario præ aliis habendam eſſe, noſtrate enim iuriſprudentia, cum attendatur duntaxat melior Eccleſiæ conditio, cuius ad commoda, pactiones omnes velut ad ſcopum diriguntur, antiquo Emphyteotæ præterri nouus poterit, ſi in Eccleſiam alio ſit liberalior, ſi eorum quę promittit, ſolutio certior, & tunc cum Choppin. *lib.3. de ſac. polit. tit.6. num.* 20. ſcriptores fere omnes exiſtimant, Emphyteoſim iterandam eſſe ſine iuris ſolennus. Opinio tamen oppoſita Iuriſperitorum in *Authent. præterea Cod. de ſacroſ. Eccleſiis*, Guidon. Papæ *in q.* 100. Bleyan. *lib. 1. tit. de patrim. Eccl. num.46.* ea non neceſſario renouanda eſſe cum renouatur Emphyteoſeos, feudique cum eodem Emphyteota tranſactio, non eſt improbabilis.

Quintus eſt, cum de rebus mobilibus agitur,

A quæ ſeruando ſeruari nequeunt, nam has ab eo, cui eſt rerum Eccleſiæ commiſſa adminiſtratio, alienari poſſe in rem Eccleſiæ, bonumque fidelium, docent præter Gloſſam *cap. nulli liceat de reb. Eccl. non alienandis* Vaſqu. *de redditib. Eccleſiaſticis cap. 2.* Barb. *de poteſt. Epiſc. 3. par. alleg.* 95. & alij apud Caſtro Palaum *de reuerentia debita Eccleſiaſt. diſp. vnica punc.15. num.* 8. Hæc autem ſeruari poſſe non creduntur, quæ triennio incorrupta non manent, ſed ſenſim deteruntur minuuntur aut pereunt, vt veſtes, arborum fructus, iumenta & pecora ſingularia.

B Sextus eſt, cum res ſacræ imperfecte alienantur nempe in ſuo vſu per locationem, eamque ad breue tempus quale eſt triennij *ca. 1. ne Prælati vices ſuas*, & Clem. I. *de reb.* Paul. *Eccleſ. non alienand.* in *Extrau. cit.*

QVÆSTIO IX.

C *Quomodo eorum intelligi iuſiurandum debeat, qui inconſulto Pontifice nihil ſe de bonis Eccleſiæ alienaturos, interpoſita diuina fide pollicentur.*

EPiſcopos, cum magiſtratum ad quem ſunt electi, capeſſunt, iurare ſolitos conſtat, bona ſe eius Eccleſiæ, ad quam promouentur, non paſſuros diſtrahi, vt videre eſt in *cap. vt ſuper de reb. Eccleſ. non alienand. & in cap. fin. de Eccleſ. ædific.* & in Pontificali Romano, vbi eius iuramenti quo ſe tum obligant forma his expreſſa verbis legitur. *Poſſeſſiones*

D *vero ad menſam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de nouo infeudabo, nec aliquo modo alienabo, etiam cum conſenſu Capituli Eccleſiæ meæ, inconſulto Rom. Pontifice, & ſi ad aliquam alienationem deuenero, pœnas in quadam conſtitutione ſuper hoc edita contentas, eo ipſo incurrere volo.* Epiſcopos (inquam) cum iurare conſtet bona ſe Eccleſiæ ſuæ ſeruaturos illibata, ac integra quantum humanitus poterunt, nec commiſſuros vt eorum quidpiam culpa ſua pereat, aut de Eccleſiæ dominio ad ſæculare per alienationem de conſenſu ſuo factam tranſeat, quæritur, quis eius iuramenti ſit ſenſus, quoue, & quouſque ſe porrigat?

E Reſpondend. iurantem, eo iuramento velle facultatem ſibi omnem exemptam eſſe alienandi de bonis Eccleſiæ quidpiam, quod ſit prudenti hominum iudicio, leuiuſque notabile, in quo, cum peccare ſi contingat, periurij ſibi notam inuret, exomologeſi expiandã.

Volunt alij, iuramentum nonniſi de alienatione illicita capi poſſe, vt perinde ſit, ac ſi Prælatus iuraret, ſe bona Eccleſiæ non alienaturum ſine iuſta cauſa, & præter iuris formam: ita Laym. *lib.3. ſect.5. tract.4. cap.* 10. *num.9.*

A *num.9.* quare non extenditur ad caſus licitos, cuiuſmodi eſt rei alicuius inutilis ac paruæ alienatio, *12.q.2.can. terrulas.*

Quid ſi Prælatus bona non diſtrahat Eccleſiæ, non donet, non vendat, ſed tantum ad longum tempus elocet?

Decretas quidem à Paulo II. pœnas non vitabit, vtpote, qui violatæ Extrauag. per eum latæ, ſit reus, de periurio tamen eſſe non debet ſollicitus, cum enim ſit hæc lex ſtricti iuris, vt vltra ſubiectam ſibi materiam extendi non poteſt ac progredi, ita nec ea complecti, quæ proprie alienationis nomine, ſignificatu, ac notione non notantur.

Confirm. quia vt in pœnis pars eſt ſequenda mitior, ita ſunt voces, quibus eas infligere Prælato placet, intelligendæ proprie, nec ad alium deterquendæ ſenſum, quam cuius cauſa ſunt inuentæ: ergo cum non ſit eadem huius vocis *Alienatio*, ac *locationis* poteſtas ac notio, quæ de illa dici eſt certum, ad iſtam pertinere nequeunt, niſi exprimatur, Piaſecius in *praxi Epiſcop. par. 2. cap. 5. art. 4. num. 7.* & alij apud illum.

QVÆSTIO X.

An quod beneficiario eſt nefas, Pontifici Romano liceat, bona alienare Eccleſiæ, donare, aut vendere?

NEquaquam ita Caiet. *2.2. q. art. 8.* Candid. *de benef. par. 1. diſq. 18. art 5 dub. 4.*

Ratio eſt, quod eorum abſolutus non ſit Dominus, ſed adminiſtrator, & œconomus non ad ea diſſipanda ſed diſpenſanda à Chriſto Domino conſtitutus, diſſiparet tamen ſi quibus vellet & quomodo, arbitratu ſuo, ſine iuſta vlla cauſa, Dei Clericorum ac pauperum bona dare fas ei foret, eſſet enim talis alienatio illicita & inualida. Illicita quidem, quia etſi non ſit Pontifex Canonici iuris aſtrictus legibus, ſicut Prælati cæteri, iure tamen naturali ac diuino prohibetur, alienationes rerum ad ſe non pertinentium facere, cum earum ſit Oeconomus, Dei nomine diſpenſator, & non Dominus. *Poteſt tamen*, inquit Candid. loco qui ſupra, *ſi ſit neceſſarium, & valde expediens ad bonum Eccleſiæ, bona temporalia Principibus ſæcularibus concedere, quia eorum habet adminiſtrationem, & concedendo illa dictis Principibus, ſeruat leges fidelis diſpenſatoris.* Hæc ille.

QVÆSTIO XI.

Vt bonorum Eccleſiæ locatio, à beneficiario facta valeat, ſeruari in praxi quid debeat.

PRimo, ne ſit longa, ſanxit enim Concil. *ſeſſ. 25. cap. 11.* pactas ad longum tempus conductiones ſacrorum prædiorum retractari, niſi quas patria Synodus canonice celebratas, B Eccleſiæque vtiles iudicauerit *ſeſſ. 25. cap. 11.* dabunt ergo locans & locatarius operam, vt earum approbationem habeant, ad quos de alienatione eiuſque validitate iudicare pertinet.

Secundo, non tenent locationes vllæ, quæ prærogatis penſionibus à colono in diſpendium beneficiarij, quaſi antecepta nummariæ mercedis ſolutione ſunt factæ decreto Concilij loco citato, ſunt hæ ergo tam ſacra eius lege, quam noſtrate, ſugiendæ ne ſint irritæ.

Tertio, quia eſt earum maxime rerum alienatio ad longum tempus, ſolennibus non adC hibitis irrita ac inanis, non eſt Emphyteoſis, inter beneficiarium fundi Dominum, & colonum ſine vulgari ſolennitatum forma renouanda, Renatus *lib. 3. de ſacra polit. tit. 7. nu. 2.* Quia non eſt mediorum ad certum finem vſus licitus, ſi in eum incumbere iura vetant: at eſt alienatio (quo nomine etiam continetur locatio,) finis quo refertur, ſpectatque tranſactio, vti medium ad ſuum finem, ergo beneficiario Clerico, nihilo magis de renouanda Emphyteoſi ad 100. annos aut 40. tranſigere ſine ſolennitatibus eſt licitum, quam ilD lam primo contrahere, aut fundum in quo eſt poſita, diſtrahere.

Quarto, iteratò ad multos annos, domus, agri, bonaque Eccleſiæ locari ac in Emphyteoſin ac feudum, cum ceſſarunt, dari nequeunt, niſi ſint ſolita concedi, Piaſec. *par. 2. prax. ca. 5. ar. 4.* vt autem de iis dici id vere poſſit, requiruntur actus frequentati conceſſionis ad minus duo, & annorum 40. præſcriptio, præſertim ſi de eius initio non conſtat: quare non erit rata à beneficiario finitæ EmE phyteoſis prorogatrix conceſſio, niſi hic eam pariter ſolennibus lege ſtatutis muniendam curauerit, & hæc iam ſecundo inter eius præceſſores & colonos contracta fuerit, quod ſi ſciretur quo tempore primum eſt hæc facta, ſufficeret actus vnus, ſi qui agrum, aut alia Emphyteotico iure colono tribuit, valide, ſeruatiſque iuris ſolennis tradidit, eorum omiſſio, eſt locationis etſi multi actus interceſſerint, certa irritatio, iuxta Piaſec. & alios apud illum *capite citato num. 20.*

Quinto, vt ceſſante Emphyteoſi aut feudo

prædicti contractus renouari queant, reſ- A queolim à beneficiariis, alterutro de præfatis contractibus alienari ſolitæ, rurſus concedi valeant, non debent eſſe Epiſcoporum menſæ attributæ, hoc eſt ad eorum victum, veſtitum, ac ſuſtentationem congruam deſtinatæ, Redoan. de *reb. Eccleſ. non alienand. q.2. cap. 22.nu.29.*

Sexto, non debet bonorum Eccleſiæ locatio peiore conditione fieri quam eſt facta initio, nec ad longius tempus, pluresque vitalitates hominum, aut minori ſtare pretio, quam olim, cum ſunt primo Emphyteotecario in B Emphyteoſin tradita.

Primo, quia Eccleſiaſticæ rei alienatio, quæ fit ſine perſpicuo Eccleſiæ lucro, atque compendio, eſt Eccleſiaſtico iure interdicta. At cum minuitur agrorum pretium, cum Emphyteoſis tantum vtilitatis ac commodi Eccleſiæ non progenerat, quantum antea, fit hæc Emphyteotecario ingenti emolumento, iſti autem hoc eſt Eccleſiæ magno incommodo ac damno, ergo eam facere beneficiarius non debet, & cum ab eo acta erit, perinde erit, ac ſi nunquam effecta fuiſſet.

Secundo, quod tutori in re pupilli facere, C iura, naturaque vetant, hoc Prælato, hoc beneficij poſſeſſori tentare & aggredi in re Eccleſiæ, cuius tutelam gerit, eſt nefas, at non eſt tutor innocens, ſi domum quæ quadringentis ſtat aureis, aureis ducentis vendat aut non ſecus, vel de agro ex cuius locatione penſionem pupilli nomine 20. aureorum annuam percipit, parte eius ſummæ media in poſterum ſit contentus: diminui hæc ergo non debet, & ſi non meliori, antiqua ſaltem priſcaque dari forma debet.

His deſtituta conditionibus alienatio, fori Gallici iuriſprudentia non tenet, maximè D vero eſt id curandum Clericis, ne præpropera diligentia vtantur in celebrandis locationibus, ante ſemeſtria prioris locationis finiendæ, quod eas Senatus pro nullis habeat, ſecundo in id quoque illis eſt incumbendum ſedulo, ne locationes ſuas vltra nouem annos prorogent, tertio ne iuris ſolennia in alienationibus iure canonico neceſſaria negligant, Secus factæ Francico [illegible]nſi edicto anni 1579. *art. 79.* ſunt nullæ: *Ne pourront faire leſdits baux à plus long-temps que neuf années, ſur peine de nullité deſdits baux qui auroient autrement eſté faicts, & ſi aucuns biens ont eſté alienez ſans auctorité de Iuſtice & les ſolennitez requiſes en alienation des biens Eccleſiaſtiques non obſeruées & gardées ſeront telles alienations reuoquées, caſſées, & annullées.* E

Septimo, quia renouata locatio ante poſtremum ſemeſtre nouennij, quo coercetur eius duratio, iure non conſiſtit, in id eſt beneficiato incumbendum ſedulo, ne illud annteuertat, cum enim renouatas anticipato illo ſemeſtri ſenatus inanes reddat, factæ hoc modo in Gallia, non ſunt certæ, ſtabiles ac firmæ, confirmat hoc Brodæus ad Loüetum *litera B. arreſto*, quo poſſeſſione non obſtante ſexaginta annorum, contractum Emphyteoticum reſcindere Curiæ placuit, eo quod fuiſſet eius conceſſio, anticipato tempore à Cardinali Caſtilloneo facta, Bleyan. in *tract. de patrim. Eccleſiaſticor. num.38. litera A. ad margin.*

Octauo, quia locationes annos nouem in Gallia excedentes, eo quod in alienationum ſunt numero, ac pro talibus habentur, lege hę regni nullæ cenſentur, niſi ſint cum ſolennitatibus factæ communibus, Rebuff. in *compend. alienat. rer. Eccleſiaſt. num.19.* quanquam ſunt & ex alia cauſa inualidæ, nempe quod omnes iure communi triennio, noſtro autem id eſt Gallico, nouennio coerceri debeant, nec vltra porrigi.

QVÆSTIO XII.

An præter caſus in quibus Papa Paulus alienationem bonorum Eccleſiæ licere ait, dentur & alij, in quibus illo ante non conſulto, hac fieri valeat.

OMnino, primus eſt, cum quæ alienari eſt opus, plus Eccleſiæ obſunt, quam proſunt, aut ſunt eiuſmodi, ex quibus commodum ſperari nullum poteſt, aut ſi aliquod, non niſi exiguum, exigit autem præſens neceſſitas Eccleſię aut eiuſdem vtilitas non vulgaris, ea vendi, permutari aut diſtrahi 12. *q.* 2. *can. terrulas*, cui canoni derogatum non eſſe à Concil. reſpondiſſe congregationem, quæ illi exponendo præſidet, narrat Quaranta loco ante citato *num.14.*

Secundus eſt, cum nec adiri Pontifex facile nec eius reſponſum ex vrbe expectari poteſt cõmode, & tamen alienationis faciendæ prorogari tempus differri nequit, ſine populi manifeſto diſcrimine, puta quia mors timetur, quia in annonæ caritate tanta, quantam non videre priſca ſæcula, fames vbique graſſatur, quia effuſa per agros, villas, pagos tectaque ruſticorum, gens Chriſtiano inimica nomini Catholicorum prædas agit, eoſque captiuorum more in diſiunctas procul terras à propriis abductos trahit, tunc enim ſi ſe ratio alia nulla procurandæ eorum ſalutis aperit, quam ex bonorum Eccleſiæ ab alienatione, facta aliquanta ſumma pecuniæ, ad eam progredi Epiſcopo eſt permiſſum.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XIII.

An Religioſi non Mendicantes quibuſcum, Apoſtolica ſedes, priuilegia Mendicantium communicauit, inconſulto Romano Pontifice, bona immobilia magni momenti abalienare valeant.

PRo affirmante facit, quod Ordinibus non Mendicantibus, tantum in hac materia priuilegiorum communicatio tribuat, quantum per eadem, ſedes Apoſtolica eſt dilargita Mendicantibus: at hi ſine noua ſedis Apoſtolicæ venia, bona ſtabilia quæ iis obueniunt, vendere poſſunt ac diſtrahere, ergo illud ipſum facere quoque ij poterunt, qui Pontificis conceſſu, Mendicantium priuilegiis ac prærogatiuis potiuntur. Minor eſt Doctorum approbatione certiſſima, nam Fratribus Conuentus de S. Martha ordinis S. Hieronymi in Hiſpania, conceſſum eſſe aiunt Portelius in *dub. Regular. verbo alienatio num.* 2. Rodrig. *to.* 2. *q.* 27. vt conuentui cum Priore, hæreditates, reditus & ſimilia Conuentui inutilia, alienare fas eſſet, quod à Benedicto XIII. vniuerſo quoque eiuſdem ſancti Ordini, permiſſum tradunt iidem qui ſupra *num.* 5. ac per communionem eiuſdem priuilegij Religioſis aliis Rodrig. *q* 27. *cit. art.* 2.

Eſt hæc ſententia in ſpeciem probabilis, reipſa tamen falſa, nam ſi qua eſſet ſodalitas non mendicantis Ordinis, quæ ex priuilegio vendere aut alienare poſſet, bona immobilia ſibi legata, aut dono tradita, Pontifice ante non conſulto, timendum eſſet ne ſuis exhauſta diuitiis, breui ad eam redigeretur inopiam, cum qua ſuos ſodales non poſſet alere, quid enim prohibet reperiri in ea ſocietate hominum, parum frugi ſuperiores, quibus vt ſuppetat, vnde genio ſuo indulgere abunde queant, cœnobij bona tam facile dilapident, quam eſt difficile Pontificem ea diſtrahendi, cum iuſta nulla cauſa ſuppetit, facultatem dare: vt hoc ergo euitetur incommodum, non eſt cuique credendum facile, ius in perpetuum alienandi res Eccleſiaſticas, conceſſum eſſe ordini non mendicanti, per communicationem priuilegij conceſſi eius ordinis Religioſis, qui de obſeruantia nuncupantur & monialibus S. Franciſci.

Secundo, in his duntaxat priuilegiis, communicare Ordini non mendicanti, cum mendicante eſt permiſſum, quæ ſunt in vſu, & decretis Concilij Trident. non aduerſantur: ſed hæc aduerſari Concilio tam eſt certum, quam ab eo prohiberi locationes rerum Eccleſiaſticarum ad longum tempus in *ſeſſ.* 25. *cap.* 11. quas decernit eſſe irritas, & vt tales irritari à Synodo imperat, nam ſi iſtas reſpuit, ſi vt Eccleſiæ graues ac noxias deteſtatur & odit, quanto magis perpetuas earundem rerum alienationes? Eſſe autem, vt dixi, patet ex verbis quibus vſi ſunt Pontifices Xiſtus V. in conſtitutione 87. quæ incipit, *etſi mandicantium*, Clemens VIII. in ſua Bulla de anno 1601. cui initium, *Cum nobis in tanto*, nam ſic ibi Religioſorũ priuilegia confirmant, hi ambo Pontifices, quatenus *ſunt in vſu, & decretis non aduerſantur Concilij Trident.* vera eſt ergo Maior.

Tertio, ſi quæ ſodalitates ſacræ mendicantium, habent à ſancta Sede ius bona immobilia religionis alienandi, ab eadem recenti ſunt memoria prohibitæ eo vti, ſine ſua & Congregationis licentia; multo magis nõ mendicantes, & ad quas iure tantum participationis eſt hæc tranſlata facultas, ſed verum eſt prius, nam cum Religiones nõ paucæ, prætextu priuilegij alienandi ſine beneplacito Apoſtolico cum derogatione *Extrauag. Ambitioſæ*, bona Conuentus abſumerent, iuſſu Vrbani Papæ octaui vetuit Concilij Congregatio anno 1624. ne qui hoc ſibi priuilegium indultum aiebant, vti in poſterum auderent, niſi cum licentia eiuſdem ſacræ Congregationis expreſſa in ſcriptis, & gratis concedenda.

Secus facienti pœnæ ſunt ſequentes impoſitæ.

Prima, officiorum omnium priuatio.

Secunda, vocis actiuæ & paſſiuæ.

Tertia, inhabilitas ad ea in poſterum obtinenda.

quarta, poteſtatis ad abſoluendum & diſpenſandum, facta ſoli Pontifici aut Congregationi reſeruatio.

Quinta, excommunicatio ipſo facto incurrenda, à dantibus & recipientibus: ab Epiſcopis autem & Abbatibus interdictum ſeu ſuſpenſio.

quid ſi præter mutuum ſub lucro ceſſante nihil Abbates aut Epiſcopi capiant?

Fuit hoc quoque ſub iiſdem pœnis, à Congregatione anno 1622. inhibitum, tam quando mutuum eſt formale quam virtuale tantum, cuiuſmodi eſſe ſolutionem anticipatam dixit Nauar. *cap.* 17. *num.* 106.

QVÆSTIO XIV.

An bona Confraternitatum, eodem gaudere iure cenſeantur quo ſacra, ſenſus eſt, an alienari earum bona ſine Prælati facultate poſſint, an contra, ſit hæc in eum finem impetranda, non ſecus ac quando de templorum, aut Cœnobiorum prædijs diſtrahendis agitur.

QVi hæc profani iuris eſſe putant, non Eccleſiaſtici, vt Peruſin. in *cap. 1. de reb. Eccleſ. non alienand.* quæ ſunt de alienatione à nobis hactenus dicta, negant in confraternitatum fortunis neceſſario ſeruanda eſſe.

Sententia iſti contraria rectius multo collineat, neque enim permittit confratribus, vt ſpecie charitatis, bona ſtabilia quæ Phratriis ſuis fidelium pietas eſt dilargita, alienare ſine Prælati licentia poſſint, dicuntque huius ſententiæ propugnatores.

Primo, eiuſmodi Laïcorum conſortia, (quas fraternitates dicimus) pro piis cœtibus habenda eſſe.

Secundo, quæ iis legantur, cenſeri ad pias cauſas legata eſſe, Alexand. opinione in *conſil. 102. volum. 7.* inſuper quæ in pios vſus erogari debent, ſeu in pauperes Chriſti, in fraternitates conferri poſſe, *per cap. exiit qui ſeminat de verborum ſignific.* Addunt conſtitutione Clement. VIII. de anno 1604. quæ incipit, *quacunque à ſede*, eleemoſynas quæ fratribus dantur, arbitrio Ordinarij, conuertendas in pios vſus, *vt omnes intelligant cœleſtes Eccleſiæ theſauros non quæſtus aut lucri alicuius cauſa, ſed pietatis & charitatis excitandæ gratia, ex Apoſtolicæ ſedis benignitate, Chriſti fidelibus aperiri.*

Et quanquam edicto Aurelian. anni 1560. reditus qui ſacris peractis ſuperſunt, iubeantur à Rege impendi alendo Ludi magiſtro, qui ſcholæ literariæ præſit in locis vbi Phratriæ ſunt inſtitutæ, quia tamen eſt omnis puerilis inſtitutio opus pium, referri hæ quoque ad pietatem ſunt cenſendæ, ſicut & earum fortunæ, quam ſententiam fulcit hæc Concil. Nannet. ſanctio *cap. 15.* ſic ſcripta, *De Collectis vel Confratrijs tantum fiat, quantum rectum ad auctoritatem & ſalutem animæ pertinet.* quæ ſunt ergo in alienatione bonorum Eccleſiæ ſeruanda ſolennia, hæc quoque in fraternitatum fortunis non ſunt negligenda.

QVÆSTIO XV.

Explicantur dubia ad hanc materiam ſpectantia.

PRimum, *Quis ſuperioris nomine intelligi debeat, cum conſenſus eius dicitur eſſe ad validitatem alienationis neceſſarius.*

Cum de earum rerum alienatione agitur, quæ ſunt in Diœceſi Epiſcoporum ſitæ, iiſque ſubiectæ, iure tam antiquo quam nouo, in quibus locis non eſt Pauli *Extrauagans Ambitioſæ*, promulgata ac recepta, hic pro ſuperiore eſt cenſendus, qui præeſt prouinciæ, eique Eccleſiæ, cuius bona diſtrahi ob cauſam eſt neceſſe.

Quod ſi de Monaſteriis exemptis, eorúmque bonis eſt ſermo, non alius, alienationem tanquam ſuperior collaudabit, quam Abbas in Monachorum cœnobiis, Prouincialis in ordinibus Mendicantium, Generalis in Societate noſtra aut cui ille commiſerit, Vaſqu. *de redditib. cap. 2. pareg. 2. dub. 12.* Portel. *in dub. regul. ver. alienatio nu. 4.*

Quid ſi Eccleſia cuius bona alienari ex cauſa conuenit, ſit Parochialis?

Nihil Parocho inſcio ac ignorante, nedum repugnante, fieri poteſt ab Epiſcopo valide *12. q. 2. can. placuit* 51. quare 10. *q. 2. can. ſi quis Epiſcopus* 8. *res ipſas venditas, propriæ Eccleſiæ reſtaurare cogitur, & in Concil. Epiſcoporum deijcitur auditus, & conuictus, & tanquam furti aut latrocinij reus ſuo priuatur honore*, qui ſecus facit.

D. xi vbi non eſt Pauli *Extrauagans promulgata ac recepta*, nam quibus in locis vim habet, res Eccleſiæ nulla immobilis, aut mobilis, pretioſa, vendi, donari, impignorari, aut in feudum & Emphyteoſin tradi debet ſine Papæ conſenſu, præterquam in caſibus iure licitis, de quibus paulo ante, facta alienatio aliter, inanis eſt ac nulla ipſo iure, & licet à bona fide haberet initium, res tamen per eam acquiſita, Eccleſiæ eſt reſtituenda Theſaur. *2. parte praxis Eccleſ. verbo alienat. 1. num.* 2. & alii apud eum ibi.

Dub. 2. *An conſenſus tam Epiſcopi quam Capituli expreſſus eſſe debeat.*

Vtriuſque exigi, habet *decretalis* 2. Alexan. III. *in rubrica de his quæ fiunt à Prælato*, manifeſte autem prima eiuſdem tituli ſumpta ex Concilio apud Valentiam, quem & expreſſum oportere eſſe ex verbis prædicti Concilii colligitur, ibi enim eſt *quod irrita Epiſcoporum donatio, venditio, vel commutatio rei Eccleſiaſticæ haberi debet abſque collaudatione & ſubſcriptione Clericorum*, at collaudare antiquo verbo iuris, idem ſignificat quod nominatim approbare, ſecundũ Budæũ in *annot. priore & Alciat.*

Alciat. in parerg. eſtque *Laudum*, apud Iuriſperitos ſententia, quæ eſt ab arbitro dicta, quod enim quiſque etiam priuatim ſentit, latine & eleganter ſententia dicitur, nec aliter ſolent Iuriſconſul. arbitrorum definitiones, quam ſententias appellare, *lege litigatores de arbitris:* cũ ergo tam approbatio, quam ſententia expreſſe fiant, expreſſum quoque Epiſcopi & Capituli conſenſum eſſe cõuenit, cum alienatio abſque *collaudatione*, id eſt approbatione, & *ſubſcriptione* non ſit rata.

Hanc verò dari extra Capitulum, ac ſeorſim à ſingulis an ſit ſatis, non conſtat. Quidquid tamen in oppoſitum DD. ſcribant ac ſentiant, credo ſufficere ſingulariter à ſingulis etiam domi præſtitam, proindeque extra Capitulum, quia de eo canon aperte non loquitur.

Eſt quidem in *can. ſine exceptione* 52. *cauſa* 12. *q.* 2. ſacra bona Epiſcopum alienare poſſe, *cum totius cleri tractatu atque conſenſu*, ſed de loco vbi dari hunc oporteat, in Capitulo ſcilicet, aut domi, non dicitur, valebit ergo vbique expreſſus aut datus.

De ſubſcriptione quod à *can.* additur, nihil habeo quod ad ea quæ paulo ante ſunt explicata, adiiciam, niſi quod hæc in caſibus duntaxat expreſſis requiratur, qui tres ſunt numero, donatio, permutatio & venditio, Azor 2. *par. lib.* 9. *cap.* 1. *q.* 4. Molina *diſp.* 468. *ver.* 4.

Dubium tertium, *An alienatio bonorum Eccleſiaſticorum ſine cauſa facta, ſit in foro conſcientiæ valida.*

Nequaquam, cauſa ita mihi ſentiendi vnica, nempe quod Epiſcopo fas non ſit quidquam vendere, aut donare, *niſi forte aliquid horum faciat, vt meliora proſpiciat, & quod non ſit dubium Eccleſiæ profuturum,* 12. *q.* 2. *can. ſine exceptione* 52. at quod ſine cauſa, de poteſtate Eccleſiæ tranſit per alienationem in alium, eidem non prodeſt, nec ſit hæc, vt meliora Antiſtes proſpiciat ergo non eſt rata, cum eius dominium transferre Epiſcopus non potuerit, niſi ſeruata forma iuris, quam ad alienationem Concilia & Pontific. poſtulant, 12. *q.* 2. *can.* 52. quare peti eius reſtitutio poterit, vtpote rei cuius poteſtas ac dominium manet penes Eccleſiam, a qua defectu formæ quæ non eſt ſeruata, non tranſiit.

Dubium quartum, *An ſolennitatum omiſſio, alienationem reddat irritam.*

Qui ei effectum hunc tribuunt in eam mentem veniunt, à communi fori axiomatè inducti, ſic enim diſputant. Idem eſt interni fori externique iudicium, quando hoc poſtremum, præſumptione non nititur. At eſt alienatio, ſolenniis deſtitua in foro externo irrita, nec eſt iudicum eam irritantium ſententia præſumptioni innixa, erit ergo & in interno inualida.

Naganda eſt Minoris pars extrema, quod enim illam fraude, doloque factam iudices credant, eam irritant & quâquam hic & nunc fraus nulla forte intercesserit, quia tamen ex omiſſis ſolenniis contingere illa non raro poteſt, iuſta eſt magiſtratibus tales contractus ſolennitate vacuos irritandi cauſa.

Quare ſic cenſeo alienationem in qua non ſunt adhibita iuris ſolennia, irritam non eſſe, irritari tamen poſſe. Primo, quia canones de irritatione cum loquuntur, verbis vtuntur futuri temporis non præſentis: *Irrita Epiſcoporum venditio & commutatio erit abſque conniuentia & ſubſcriptione Clericorum* 12. *qu.* 2. *can. ſine exceptione* 52. *cap. tua nuper* 8. *de his quæ fiunt.*

Dubium. 5. *An cum alienari bona Eccleſiæ eſt neceſſe, Epiſcopo, ei de emptoribus, illa addicere liceat, qui pretium minus licitando pro illis offert.*

Caſus eſt talis, cum Eccleſiæ ager quidam vænalis eſſet, eiuſque pretium ad ducentos perueniret aureos, locatus autem lucrum ſeu cenſum annuum decem aureorum pareret, repertus eſt emptor, qui centum & octoginta ſponderet, quæritur an ſponſioni aſſentiri Epiſcopus, aut beneficij rector poſſit, ſi exiſtat alius, qui ſtipuletur centum octoginta quinque, aut paulo plures in pecunia non credita, ſed numerata.

Non licere probant argumenta, quæ ſequuntur.

Primum, ſunt Epiſcopi, Rectoreſque beneficij, principis Dei in Eccleſia Procuratores ac Oeconomi, ex decretali Alexand. III. in *cap. fraternitatem de donationibus*, ſed facit Epiſcopus, & quilibet alius beneficij poſſeſſor, contra ius, & boni Oeconomi fidem, qui emptoris commodum bono anteſert Domini, & qui 186. aureis agrum vendere cum valeat, quia emptor alter ſibi eſt, quam Dominus charior, centum 80. coronatis eſt contentus: ergo & Epiſcopus, qui cum ſex & octoginta aureos tunc numeratos, ab emptore pro agro Domini habere poſſet, decidit cum ſecundo 180. tantum, eique addicit.

Secundum, cum bona Eccleſiaſtica cenſeantur in Chriſti patrimonio, ſecundum Innoc. III. *in cap. cum ſecundum Apoſtolum extra de prabend.* & Bonifac. VIII. in *decretali ex eo de elect. in* 6. quæ ſunt eius propria, parentibus & aliis donari nequeunt, at eam ſummæ partem, quam emptorum alter ſupra alterum offert Domino, is qui curator beneficij eſt, eidẽ remittit ac condonat, peccat ergo contra reſponſa Pontificum, decretaque canonum.

Tertium, quod in re, cauſaque pupilli Tutorem facere leges iubent, hoc Epiſcopos omnes ac beneficiatos in re Eccleſiæ, cuius tutelam gerunt facere eſt neceſſe. At quis vnquam Tutor extitit tam parum famæ ſuæ

amans, tam pupilli ſui eiuſque commodorum incurioſus ac negligens, qui rem eius aliquam quæ ſtat ducentis, vendat centũ & viginti, aut non multo ſecus, aut quis annuam penſionem decem coronatorum, quæ ex agri locatione percipi poſſet, iuſte pecunia quę multis ſit partibus ea quæ emitur inferior, commutet? facit ergo beneficij poſſeſſor ac cultor contra officium, qui rem Eccleſiæ, aureis 186. æſtimatam, præbet alteri, detractis de ea ſumma coronatis, non minus ſenis.

Dico amplius, Emptori pretium, ab emptore verò Eccleſiæ agrum, cum percepto ex eo lucro reſtitui oportere, Conc. Aurel. 3. *can.* 17. Beneficiario vero cui per ſedem Apoſtolicam alienare licuit, quantum ex ea venditione dãni ad Eccleſiam peruenit, ſic ſcribit Gloſſa in *canonẽ quicunque* 12. *q.* 4. his verbis: *Si Prælatus aliquid negligit acquirere Eccleſiæ ſuæ, & poſſet, & mauult ſibi acquirere, imputatur ei, & ad hoc tenetur inſtar Tutoris*, & in Concil. Agath. *can.* 22. iubentur Epiſcopi male alienantes bona Eccleſiæ *de facultatibus, ſi quas habent proprias, indemnem Eccleſiam reddere.*

Dubium 6. *An contractus de quo, Superiori quæſtione eſt actum, quo nempe res Eccleſiaſtica minoris venditur, quam poſſet, ſit ratus.*

Quantum ex Conciliis exiſtimare fas mihi, ſic cenſeo, auctoritate Epiſcopi reſcindi poſſe, certum eſt patenſque huius rei argumentum, canon Concil. Aurel. 3. 18. in quo eſt, Abbatibus atque Presbyteris vel ſacro miniſterio deditis, abſque permiſſu Epiſcopi, alienare & obligare de rebus Eccleſiaſticis aliquid, fas non eſſe, *quod ſi præſumpſerint degradentur*, inquit canon, *communione conceſſa, & quod alienatum eſt, vel temere ordinatum, ordinatione Epiſcopi reuocetur.*

Non ſunt his leuiora, quæ habentur in eiuſdem Concilij canone nono, nam quæ *alienata, aut inutiliter in diſpendium Eccleſiæ, quibuſcunque inſtrumentis obligata noſcuntur, ſuffragante iuſtitia per publicum, aut Clericorum iudicium reuocari iubentur.*

Certum ſecundo, contractum hunc eſſe quoque in quorundam ſententia ipſo facto in conſcientiæ foro irritum, quod hoc argumento probant. Lex iuſta vim habet in foro conſcientiæ, ergo ſi lex contractum alienationis facit irritum, faciet etiam in foro conſcientiæ, ſed primum efficit, quæ enim rei Eccleſiaſticæ alienatio eſt, ſine perſpicuo Eccleſiæ lucro atque compendio, eſt iure Eccleſiaſtico irrita ac nulla, decreto Concil. Agath. *can.* 53. qui eſt à Grat. tranſlatus in *cauſam* 12. *q.* 2. *can.* 36. his verbis: *quidquid Parochiarum Presbyter, de Eccleſiaſtici iuris poſſeſſione diſtraxerit inane habeatur & vacuum*, hoc eſt vt loquitur Paul. II. *in Extrauag. ambitioſæ de reb. Eccleſiæ non alien. nullius omnino ſit roboris vel momenti*, ſed agri (de quo ſit in

A quæſt. mentio, eſtque poſitus pro exemplo) alienatio fuit emptori ingenti commodo & emolumento, Eccleſiæ autem magno dãno, cum tanti venditus non fuerit, quanti valebat, eam ergo facere beneficij poſſeſſor non debebat, cum hoc tantum ei ſit permiſſum, vt Eccleſiæ conditionem meliorem faciat 12. *q.* 2 *can. ſine exceptione* 52. qualem cum ipſe non fecerit, perinde eſt, ac ſi agri prædicti venditio facta non eſſet.

Certũ eſt tertio, eſſe perquam probabile talem contractum ratum eſſe, irritandum tamen à iudice Eccleſiaſtico. Primo, quia Con-
B cilia abſolute non dicunt alienationem bonorum Eccleſiæ eſſe nullam, ſed quod *non valebit*, vt in Concil. Agath. *can.* 22. quod reuocari debeat in Concil. Aurel. *can.* 18. & 19. Secundo, quia vt habent Nauar. & Sylu. in *verbo alienatio q.* 14. Bulla Pauli non eſt moribus vtentium recepta, maxime quoad pœnas quas continet, ſic Nau. *cap.* 27. *num.* 150. à quo non videtur diſſentire Caiet. in *verbo excommunicatio cap.* 75. mihi tamen conſideranti tam Pauli quam Pij Bullas, affirmandum videtur, contractus contra illas initos, eſſe ſine dubitatione nullos.

C

QVÆSTIO XVI.

Quomodo à Clerico Beneficiario adminiſtrari bona Eccleſiæ debeant & primo quantum poſſit tuta conſcientia ex fructibus ſui beneficij inſumere, ſiue quod eodem ſpectat, quanta ei pecuniæ quantitas iure ſit canonum ac naturæ in eum finem conceſſa.

D EA de re certi quidpiam conſtituere mihi nõ eſt facile, quod non intelligam, ecqua tãdem fieri ratione queat, vt omnibus, aut ſi non omnibus maiori certe parti hominum, lex præfigatur eadem, quam in viuendo teneant, magna enim ſunt momenta temporum, magna rerum, magna perſonarum, ad mutandum de quæſtione qualibet iudiciũ.

Circumſpectis tamen perpenſiſque tam perſonarum, quam rerum circunſtantiis, in eorum inclino ſententiam, qui rem vniuerſam non lege vlla aut regula, ſed prudentia,
E metiendam aiunt. Erit ergo hominis ea prædıti ſtatuere, quanti Clerico beneficiario, ſpectata perſonæ ſuæ conditione, ad vitam ſuppetere in annos ſingulos prouentus Eccleſiaſtici debeant, quæ enim à iure indeciſa relinquuntur, prudentis eſt explicare, quamque in partem ea trahi oporteat, aut quo ſenſu accipi, docere, vt colligitur ex *ca. cauſis* 4. *de officio iudicis deleg.* vt id vero cum laude hic ſtatuat, ad has eum circunſtantias flectere animum, indeque iudicii ſui cauſam, modumque petere conuenit:

Prima eſt, an locus in quo beneficiarius vitam agit, procul ſit à coitione frequentiaque hominum.

Secunda, an ibidem, magna ſit annonæ, ac aliarum id genus rerum, quales vita exigit, vilitas, aut charitas.

Tertia, an Clericus molli teneraque ſit valetudine, an contra, firma & integra, beneque compacto ac valente corpore, vt ſunt communiter qui à parentibus obſcuris, nulliuſque in populo nominis lucem trahunt.

Exigit enim ratio, vt pro harum diuerſitate rerum, redituum quoque ad honeſtam beneficiarii ſuſtentationem mutetur quantitas, Reginal. *lib. 3. tract. 30. cap. 19. ſect. 3. numero* 286.

Quarta, quæ ſit hominum illius regionis in qua Beneficiarius degit, viuendi forma, quæ in menſæ apparatu faciendo ſedulitas, quæ cuiuſque beneficiarii tractandi ſui ratio, quæ in impenſis, vitæque modo, conſuetudo non omnino illaudabilis.

Quinta, & præcipua, quæ ſit beneficiarii conditio & dignitas, quod enim Clerico vulgari, ac de fæce populi eſt ſatis, eo ſi vir aliquis magno natu, vtpote à Magiſtratu originem trahens, non ſit contentus, quis eum arguendum exiſtimet? aut ſi quod ſufficit, nobili quidem, ſed gradus inferioris filio Baronis, Comitis, aut Ducis non ſit ſatis?

Ex quo patet quam aliquorum ſit incerta, dubiaque diiudicatio, cum quæ Clericorum ordini vniuerſo præſcribi nequeunt, vitæ tamen ſuſtentationiſque honeſtæ impendia, ſe iuſta definire poſſe putant.

Eſt inter hos Nauar. *tract. de horis cap. 22. num. 69.* qui gradatim loquens de omnibus, ſingulis annuum diariumque depenſum ſic attribuit, vt Clerico communi, quem nulla gentis, animique decora commendant, concedat de beneficio ſuo, quantum eſt opus, ad locationem ædis, ſuſtentationem ſuam, & & ſerui vnius, qui ſe honoris cauſa ſequatur, inſuper & coqui qui rem domeſticam adminiſtret, in quo longe eſt quam Doctores Pariſienſes liberalior, quibus anno 1208. vt Nau. *de oratione Miſcellan. 62.* ſuſtentionem beneficiarii cuiuſlibet ad 15. libras Gallicas hoc eſt aureos 5. reuocare placuit, qua ſumma eſſe contentus hoc tempore quis poteſt?

Itaque præ illis, audiendi ſunt cum Nauarro, qui hanc ſummam auctam volunt ea pecuniæ quantitate, quæ beneficiario & ſeruo alendis, par ſit & æqualis. Cuius ſi conditio erit quam vulgaris beneficiaris illuſtrior, vt ſi eſt nobilis, aut Doctor, in Canonico iure, vel Theologia, id ambire beneficiũ poterit (inquit Nau,) vnde ſibi & duobus miniſtris ſuppeditetur ad vitam, & conducti domicilii penſionem ſoluendam, ſic Nauarrici iudicio ſenſuque Theologi Doctoris comitatus, ſeruorum

A parte altera, maior eſſe debet, quam Clerici ſimplicis. Itaque ei miniſter ſubſequa vnus, duoque alij qui domi reſideant cum equo ad corporis ſolatium, viæque facilitatem, indulgeri poterunt. Baronum autem & Vice-comitum filiis equi 2. ſerui quatuor, præter operæ domeſticæ adminiſtros duos, qui equos & culinam curent. Comitum liberis & Marchionum octo, Regum ac Principum paulo plures. Ex quo infert, peccare eos, ſi beneficium adepti, quo tam ſuam, quam miniſtrorum vitam colere, ac mercedem locatæ domus ſoluere poſſint, aliud ambiant.

B Quare iuſto mihi videtur eſſe ſeuerior Reginald. cum *lib. 30. tract. 3. cap. 19. ſect. 3. num.* 285. cum Epiſcopo mille ducatos ad vitæ communis onera, honeſtaque ſuſtentationis præſidia tribuit, Parocho autem centenos, quod Trident. in *ſeſſ. 14. cap. 13.* nolit Epiſcopatus & Parochias, quæ ſummam illam non excedunt, penſionibus aut fructuũ reſeruationibus grauari, hoc enim indicat (inquit hic auctor) exiſtimaſſe Patres mille ducatos C Epiſcopo, centum autem ad victum honeſtum ſufficere Parocho.

Nobis in quæſtione lubrica, ſilere præſtat, quam ſentẽtiam dicere, contentis, quod alias feciſſe meminimus, rei ambiguæ & periculoſæ in corruptela tanta animorum ac temporum, iudicium cuiuſque conſcientiæ committere.

Neque tamen blandiri ſibi beneficiarios communes plus equo decet, quos meminiſſe oportet ſtirpis ſuæ, ac gradus quem inter populares ſuos tenerent, Laici ſi eſſent: hac enim D memoria, refrigeſceret in illis conſequendarum opum ardor, honorumque Eccleſiæ, quibus nunquam non mortales inhiant. Vulgares ſane Clerici, ſi habebunt in annuis reditibus, 100. aureos, honoratiores 200. non video cur beneficia ſitire tam auide, ac progredi porro in eorum ambitu, audeant velintque.

Primo, quia videtur Parochis, ea ſumma ad victum à Trident. attribui, *ſeſſ. 24. cap. 15.* negat enim grauandum vlla penſione beneficium curatum, quod 100. ducatis æſtimatur, non pluribus, eam ob rem opinor, quod infra eam ſummam, non niſi ægre Parochi E habeant, vnde ſe familiamque ſuam tolerent. Nam quæ ſumma 50. librarum in Gallia, olim eſt à Clericis per Epiſcopos pro titulo requiſita, cum ſe ſacris initiandos ordinibus offerrent, etſi ſit tam ab iis, quam Eccleſia & Epiſcopis, exiſtimata tum ſufficere ad vitam, tamen minor eſt hoc tempore, quam vt iis commeatus vitæ idoneos ſuppeditet.

Et quanquam fuiſſet hæc olim ad id forte ſufficiens, quod Trident. *ſeſſ. 21. cap. 2. de reformatione*, ſacros inter Eccleſiæ miniſtros cuiquam locum eſſe nolit, niſi beneficium ha-

benti aut patrimonium, quod ad victum ſit ſatis, quod eſt indicio, ſummam quæ priſco maiorum æuo credebatur ad hoc idonea, vt quis per ordinem, Sacerdotum numerum augeret, hanc quoque exiſtimandam eſſe eiuſmodi, quæ homini ſubminiſtret quæ ſint ſatis, vt ſi minus commode, at ſaltem ſine ſordibus ac penuria poſſit viuere: nego tamen libras 50. hoc eſt aureos ſedecim, cum medio, iuſtæ ac honeſtæ cuiuſquam etiam de plebe, fæceque populi, ſuſtentationi Clerici pares eſſe. Pariſiis ſane hoc tempore, nemo accenſetur Clericis maiorum ordinum, niſi 50. aureos nummos quotannis in reditibus habeat, minor ſumma reprobatur. Itaque in eorum opinione vt exiſtimem non peccare Clericos, cum ex his anguſtiis ad amplitudinem aliquam ſtatui ſuo conſentaneam, ſeque dignam, comparato ſibi beneficio vno quoquam, aut pluribus emergere ſatagunt, vnde ſumma à me paulò ante deſignata poſſit confici, aut maior etiam, ſi eam merita, virtus, graduſque beneficiarij poſtulent, vt enim Maior *in 4. diſt. 15. q. 13.* Theologo beneficiario 200. aureos in ſumptus annuos vitæ, victuſque tribuit: ita Gabr. *in 4. diſt. 15. q. 8. art. 2. concluſ. 4.* tantum quibuſlibet aliis beneficiariis quantum eſt eorum virtuti, doctrinæ, nobilitati ac literaturæ prudentis arbitrio debitum, penſata qualitate perſonæ, annonæ charitate, alimentorum penuria, complexione eius delicata ac tenui, hoſpitalitate fieri ſolita, eiuſdem erga ſanctam ſedem, aut Eccleſiam, meritis, imo & eius regionis hominum conſuetudine in qua degit, quoad eſum, potum, veſtitum, habitationem & medicinam, ita ut non ſolum poſſit honeſte viuere, ſed etiam decenter de Beia *par. 2. caſuum caſu 25.* Nauar. *miſcell. 6. de orat.*

Cum Nauarro *tract. de orat. miſcellan. 2.* cenſet Millardus *de Sacram. pœnit. cap. 44.* poſſe quotannis Parochos inſumere, ad honeſtam ſui decentemque ſuſtentationem 150. aureos, Priores Comientuales & Canonicos 300. Priores Commendatarios & Abbates 800. Epiſcopos ſex mille, Archiepiſc. decem, Patriarchas 20. Quod ſi ad beneficium accedat ſtirpis nobilitas, quæ ex Marchionatu, Ducatu, ac Comitatu petitur, tum ſane eiuſmodi homini fas eſſe ait duplo pluſquam cæteris, ea dignitate carentibus, in vſus quotidianos inſumere.

QVÆSTIO XVII.

An Beneficiarij ſint Domini, an vſufructuarij tantum redituum, quos ex beneficio percipiunt.

PRima ſententia præter vſumfructum in iis nihil illis attribuit, quam tuetur Flaminius *lib. 3. de reſignat. q. 15. n. 2.*

Secunda, illis vſum concedit, proprietatem adimit, diſpenſationem relinquit, quam defendit Molina *tom. 1. tract. 2. diſput. 142.* Rebuff. *in praxi beneficiaria* loco infra citato, Comitolus *reſponſionum moralium lib. 1. q. 70. & 71. num. 2. 3. & 4.* Nauar. *de redditibus Eccleſiæ*, in quo Richardum *in 4. diſt. 45. art. 3. q. 1.* Palud. *in 4. diſt. 24. qu. 3. art. 4. parag. ſed dubium*, tanquam viæ Comites ac Duces ſunt ſecuti.

Tertia, cum vſu omnium, quorundam etiã dominium iis præbet, eorũ nempe qui neceſſarij ſunt ad vitam, non ſuperfluorum, ac qui de honeſta ſuſtentatione ſua ac ſuorum, ſunt reliqui, cuius propugnatores ſunt ex parte D. Thom 2. 2. *q. 185. art. 7.* Couar. *in cap. cum in officijs de teſtam.* Molina *diſp. 143.* Garcias *de benef. q. 2. cap. 1.* Valen. *to. 3. q. 3.* Nauar. *tract. de Eccl. reditib. cap. 7. num. 77.* ſic enim Diu. Thom. *Peccant Epiſcopi ſi Eccleſiaſtica bona ab ipſis obtenta, & procurata, ac pauperibus, ſeu Clericis deputata, illis ſubtraxerint, & in proprium, & ſuorum conuerterint vſum.*

quarta, dominium iis omnium largitur, cuius auctores referentur poſtea cum diſputabitur, an illis neceſſario ſit bonorum male impenſorum facienda reſtitutio, ad cuius intelligentiam,

Notandum primo, Vſumfructum vt eſt in *inſtitut. de vſufructu lib. 2. titulo 4. ius eſſe, rebus alienis vtendi, fruendique ſalua earum ſubſtantia.*

Fruitionis nomen in habitu, idem eſt ac ius percipiendi fructus rei, cuius dicitur vſus fructus haberi, & quidem, cum pleno dominio, quare poteſt alteri ab vſufructuario elocari aut gratis concedi *inſtitut. de vſu parag. 1.* neque tamen eſt res ideo, in qua eſt vſusfructus poſitus, vſufructuarij propria, ius tantum ei quoddam ad percipiendos fructus à iure fructuarij dependens competit, Leſſio teſte *lib. 2. cap. 3. dub. 6. n. 25.*

Cum pleno dixi dominio, enimuero non modo conceſſæ ſibi rei fructus, vſufructuarius ſeruare poteſt; ſed dare, ſed abſumere, ſed locare, qua in poteſtate vim dominij omnem eſſe poſitam ſcripſere DD. Diu. Thom. de *potentia q. 7. art. 10.* Regin. *tom. 2. lib. 30. tract. 3. cap. 7. num. 77.* Leſſ. *lib. 2. cap. 2. dub. 1. & 2.* ita autem eſſe Iuriſc. verba hæc indicant in

Inſtitut.

Inſtitut. lib. 2. titulo 5. parag. 4. vbi cum de vſuario loquitur: hæc habet. *Nulli alij ius quod habet, aut locare, aut vendere, aut gratis concedere poteſt, quum is qui vſumfructum habet, poſſit hæc omnia facere.*

Notandum 2. Bonorum quæ poſſidentur à Clerico beneficiario, quædam eſſe hæreditaria, cuiuſmodi ſunt omnia, quæ ad eum tranſmiſſa ſunt hæreditatis nomine, donatione amicorum, aut aliorum erga ſe benefica voluntate, literis conteſtata authenticis, quas teſtamentarias vocant. Alia quæ induſtria ipſe ſua, ſibi propriis Clericorum miniſteriis comparat, abſque beneficio, vt docendo, ſacrificando, cantando, concionando, & hæc bona dicuntur quaſi patrimonialia.

Præter quæ ſunt & alia, ipſi vt Clerico debita, & appellantur Eccleſiaſtica, qualia ſunt quæ recipiuntur à Clericis, titulo beneficij quod poſſident, & inter ea eſt hoc diſcrimen, quod eorum aliqua, iis ſint ad ſplendorem data, vt caſtra, villæ, vrbes, & feuda.

Sunt alia ad victum & ſuſtentationem neceſſaria, vt prouentus tam annui, quam diarij beneficij Eccleſiaſtici, quas diſtributiones nominant. Quibus præmiſſis ſit.

Prima Aſſertio, *Clericus beneficiarius bonorum ſuorum patrimonialium eſt Dominus, quemadmodum & eorum, quæ quaſi patrimonalia appellantur.*

Quia de patrimonialibus diſponere in quoſcunque vſus lege permiſſos poteſt, quare hæc auctoritate propria, vt gratis dare, ita & eidem abalienare licet cum onere, eorum eſt ergo verus ac legitimus Dominus, Fabricius de Bicyns *tit. de patrimonio Eccleſiæ & Eccleſiaſticorum n. 20.* in his, & acquiſitis de nouo, D ſucceſſores habet, vel quos ipſe hæredes inſtituerit, vel proximiores agnatos, & non Eccleſiam ſuam, vt ex *cap. quia nos 10. & cap. relatum 12. de teſtamentis proxime citatus auctor aſſerit num. 3. litera G.* in priori enim eſt his verbis: *Licet Clerici de his quæ paternæ ſucceſſionis vel cognationis intuitu, aut de artificio ſunt adepti, ſeu dono conſanguineorum aut amicorum, non habito reſpectu ad Eccleſiam peruenerunt ad ipſos, liberè diſponere valeant.* Poſterioris idem eſt ſenſus, vis eadem ac poteſtas, vt legenti ex verbis, & contextu ſerieque canonis conſtabit. E

Secundo, non eſt Clericus per ordinem aut tonſuram dominij incapax: ergo nec iuris ad bona quæ ſibi obuenere ex paterna hæreditate, ſeruanda, aut tranſmittenda ad alios. Id ei ſane ab Alexand. III. permiſſum video in *cap. relatum 12. de teſtament.* Sic enim ibi ille. *Quæ ex hæreditate, vel artificio, aut doctrina proueniunt, diſtribuentur pro arbitrio decedentis.* Idipſum ſi volet, faciet Epiſcopus dum viuit vt eſt in *can. Apoſtol. 40.* his verbis: *Epiſcopus ſi habet res proprias, & ſunt manifeſtæ Do-*

A *minicæ, poteſtatem habet de propriis moriens; ſicut voluerit & quibus voluerit, derelinquere; nec occaſione Eccleſiaſticarum rerum, quæ Epiſcopi eſſe probantur, intercidant, fortaſſis enim habet filios, propinquos, aut ſeruos, & iuſtum eſt, vt eius propinqui ſub obtentu Eccleſiæ non proſcribantur, can. Apoſt. 40.*

Secunda Aſſertio, *Non eſt Clericus beneficiarius, bonorum Eccleſiæ immobilium, quæ ſibi ſunt ad ſplendorem Eccleſiæque apparatum tradita, Dominus.*

Ratio eſt, quod iis arbitrio vti ſuo in res B quaſlibet nequeat, eſt enim eorum alienatio ei prohibita in *cap. nulli 5. de rebus Eccleſiæ non alienandis*, in Agathenſi Concilio *can.* 49. & 53. in hæc verba. *Quidquid Parochiarum Presbyter de Eccleſiaſtici iuris poſſeſſione diſtraxerit, inane habeatur & vacuum, vindicatione comparantis & actione vendentis,* præterquam in certis caſibus.

At eſt de ratione dominij, ius re ſua vtendi quomodolibet, & independenter à quolibet: ergo in hæc bona, Clerico beneficiario dominium eſt nullum.

C Tertia Aſſertio, *Eſt Beneficiarius, eorum quæ ſua ſibi beneficia pariunt pluſquam vſuarius:* ita Sarmentus 4. *parte de redditibus cap. 1.* Vaſqu. *eodem tit. cap. 1. dub. 1. parag. 3. num. 27.* de Graphiis *deciſionum lib. 2. cap. 99. n. 10.*

Ratio eſt, quod vſuarij in re cuius vſus eſt eis traditus, quicquam ſibi præter eum arrogare, aut hunc alteri tradere nequeant, vt dicitur in *Inſtitut. rubrica de vſu*: quare etſi ſalua eius ſubſtantia, ad ſua illam commoda, quoties, & quando lubet, gentium ac naturæ iure traducere valeant, non tamen alterius, *nam is qui ædium vſum habet, hactenus ius habere intelligitur, vt ipſe tantum inhabitet, nec hoc ius in alium transferre poteſt, Inſtit. ſupra.* At beneficiariis, beneficiorum ſuorum reditibus vti eſt permiſſum, tam in ſuos quam familiæ, pioſque vſus, vt eſt in *can. quia Ioannes 3. cauſæ 12. q. 5.* imò cum res, temporaque exigunt, ex iis, parentum ac amicorum inopiam ſubleuare, illis eſt in laude: non ſunt ergo merè fructuum ſui beneficij vſuarij.

Nec ſimiliter vſufructuarij. Quia eſt in iure vſufructuarij quandiu viuit fructus ſuos, donatione tam inter viuos, quam ad pias cauſas, E præbere, quod de beneficiario dici nequit, eo quod teſtari nequeat 12. *qu. 5. can. quia Ioannes 3. cap. quia ingredientibus 3. de teſtamentis & cap. relatum 12. eod. tit.*

Quarta Aſſertio, *Sunt beneficiarij fructuum beneficij quod poſſident, Domini, cum obligatione tamen erogandi in pauperes, quod eis de iuſta ſua ſuſtentatione ſupereſt.*

Prima pars probatur, ex Trident. *ſeſſ. 22. cap. 3.* Illic enim dicuntur beneficiarij, *dominium diſtributionum ſuarum acquirere, ſeſſione autem 24. cap. 12.* Canonicus qui vltra 3.

menſes abeſt à loco ſui beneficij, iubetur priuari, *primo anno dimidia parte fructuum, quos ratione prabenda & reſidentia fecit ſuos, in cap. autem vnico de non reſidentib. Cleric. in 6.* Clerici qui diuinis officiis non interſunt dicuntur, *non facere fructus ſuos ſed ad eorum reſtitutionem teneri.* Cum ergo facere fructus ſuos ſit eorum dominium acquirere, Concilij eo loco mens fuit indicare, Clericos eius incapaces non eſſe. At quæ eſt diſtributionum, eadem eſt quoque annuarum obuentionum, fructuumque omnium beneficij ratio, ergo vt illarum, ita & iſtorum Clerici proprie ſunt Domini: quia aliquid facere ſuum, & eius acquirere, ſeu habere dominium, ſunt idem.

Confirm. Quicunque aliquid facit ſuum, eius quoque acquirit dominium, at beneficiarij fructus ſuos faciunt, ſiue quos quotidie, ſiue quos quotannis recipiunt, quia Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. ſtatuit vt prouiſi de beneficiis, Curatis, Canonicatibus, &c. faciant intra duos menſes profeſſionem fidei, alioqui *fructus non faciant ſuos*, ergo id faciendo, fructus ſuos faciunt.

Tertio, Ius naturæ immutabile exigit, vt ſtipendium, ſuſtentatio, præmiumque laboranti ex iuſtitia debeatur, ergo & miniſtris Eccleſiæ ei ſeruientibus: ergo cum illis datur, datur vt aliquid debitum, quodque vere illorum eſt, cumque illud poſſident, poſſident ſuum, quod autem detur annis ſingulis, aut diebus, id eſt accidentarium. Sunt ergo Clerici fructuum beneficij ſui Domini.

Secunda pars probatur, ſi nunquam non Eccleſia voluit, vt beneficiorum reditus, Clericorum eſſent hac lege, vt quod de iuſta ſua ſuſtentatione reliquum foret, id totum in egenos conferrent, iſtiuſmodi partis reſiduæ non ſunt proprie Domini, niſi cū hoc onere, ſed verum id eſſe colligere cuique eſt facile, ex *can. quia tua fraternitas 8. cauſa 12. q. 1. & can. res Eccleſia 26. eiuſdem quaſt. & cauſa & can. 8. 4. Synodi Romana* ſub Symmacho, in his enim Canonibus præcipitur, priori quidem, vt quod neceſſitatibus *ſupereſt, in cauſis religioſis & pijs integrum erogetur, Domino & magiſtro omnibus dicente. Quod ſupereſt date eleemoſynam*, altero autem vt *res Eccleſia non quaſi propria ſed communes & Domino oblata diſpenſentur* à beneficiario. At quibus? Pauperibus & non àliis, ad quos pertinere dicuntur, 16. *q.* 1. *can. fin. quidquid enim Clerici habent, pauperum eſt, & ſi quod eſt eorum, accipiunt, ſacrilegium committunt.* Quo quid ad præſentis rei fidem dici poterat efficacius?

Initio ſane, quæ poſſidebātur ab Eccleſia, hæc in partes quatuor vniuerſe iubebantur diſtribui, 12. *q.* 2. *can. quatuor 27.* prima pauperibus, reficiendæ Eccleſiæ altera, tertia Epiſcopo, quarta aſſignabatur alendis Clericis, ex

A quo ſic argumentari licet.

Quæ tum erat, eadem eſt & hoc tēpore, de talium bonorum vſu Eccleſiæ volūtas ac intentio. At tum, vt conſtat, quæ de iuſta ſua ſuſtentatione beneficiario erant reliqua, hæc Eccleſiæ voluntate, pauperibus erant danda, alioqui cur ad eorum communionem aſciti eſſent? cur Clerici non omnia bona beneficij ſui ſeruaſſent? ſed illa tantum, quæ propagandæ vitæ, ſtatuique ſuo conſeruando videbantur neceſſaria? cur non alia ſimiliter quæ faciendæ Eccleſiæ, reparandæ fabricæ,

B nutriendiſque pauperibus erant ſe poſita?

Non eſt hæc tamen beneficiariorum obligatio iuſtitiæ, ſed obedientiæ, cui eſt à præcepto Eccleſiæ initium volentis, vt ſi Eccleſiaſticis quidpiam de ſuſtentatione ſua ſuperſit, id totum effundant in pauperes. Itaque nec cum hoc onere proprie, aut ſub hac conditione bona hæc eis ſua tribuit, ſed in eum finem, & cum hoc modo, vt habeant vnde pauperum inopiæ, ex ſuperfluis & ad onera vitæ non neceſſariis conſulant.

Ex iuſtitia autem eos ad id non aſtringi, argumento eſt. Primo, quod decimæ ex qui-

C bus magna ex parte fundata ſunt beneficia, gratis, liberaque fidelium voluntate Clericis non dentur, ſed ex iuſtitia, nempe quia naturæ iure eos tenentur alere, qui iiſdem in procuratione mentiū, ac ſpiritualiū miniſtratio, dant operam. At qui debitum creditori exhibet, ſoluitque, ei conditionem imponere non poteſt, quam hic teneatur ex iuſtitia facere, ergo nec fideles à beneficiariis exigere, vt ſuperflua ſua pauperibus ex iuſtitia erogent.

Danda tamen ſunt ex præcepto Eccleſiæ conſtituentis beneficia, eaque conferentis

D cum hac obligatione, quæ eſt perſonalis, id eſt Clericorum perſonis impoſita, inquit Laym. *tract. 2. de benef. cap.* & non beneficiorum bonis & fructibus.

Aſſertio quinta, *Sunt beneficiarij Domini non redituum modo, qui ad ipſorum ſunt ſuſtentationem honeſtam ac decentem neceſſarij, ſed etiam aliorum, qui ſunt ſuperflui*: Ita Garcias *tract. de benefic. 2. cap. 3. nu. 3.*

Probatur, ſunt Eccleſiæ bona omnia eiuſdem conditionis & generis, ſunt omnium eadem priuilegia & onera: ergo vt neceſſa-

E ria ad vitam Clerici, in eius ſunt poteſtate ac iure, ita & ſuperflua.

Confirm. ab eorum maxime mente, qui ſuis opibus erexerunt altaria, Eccleſias magnis auctas prouentibus fundarunt, argumentum de dominio, iuſque peti debet, quod in earū reditus competere ſibi Clerici aiunt, ſed hos conſtat voluiſſe, vt ſic omnes in eorum venirent manus, illorum vt eſſent Domini, cum obligatione tamen erogandi ſuperfluos in vſus pios, iſtorum ergo non

ſecus

ſecus ac aliorum negandum nõ eſt iis dominium, non magis quam illi, cui centum aurei nummi dati ea lege eſſent, vt ex his neceſſarium ſibi ad menſem vitæ commeatum peteret, quodque de eo foret reliquum, pauperi daret.

Obiicies 1. *Res Eccleſiæ*, vt eſt in epiſtola *Vrbani vnica cap.* 2. relata à Grat. *12. q. 1. can. res Eccleſiæ 26. non quaſi propria, ſed vt communes & Domino oblata, cum ſummo timore non in alios quam in præfatos vſus ſunt finaliter diſpenſandæ*, ergo vt hæc olim, in antiqua templorum ædificia, eorũ ornatũ, vſumque pauperũ conferebantur omnĩa, ita & modo conferri debent, eorum ergo omnium non ſunt beneficiarij domini, ſed partis tantum ſibi ad viuendum neceſſariæ ac ſtatui ſuo conſentaneæ.

Neganda eſt conſequentia ob cauſam in argumento primo allatam. De pauperibus & templorum reparationibus quod additur, eſt dicendum, hac lege Eccleſiam beneficiarios Clericos immenſis dignari prouentibus, vt eorum partem aliquam in pauperum commodum, ædium ſacrarum refectionem deriuent, quod ſi non fecerint, à culpa immunes non fore.

Obiicies 2. Non eſt Papa bonorum Eccleſiæ Dominus, ergo nec quilibet alius. Antecedens confirmat *canon Symmachi 4. in Synodo tertia*, vbi illi de iis arbitrio diſponendi ſuo libere, facultas negatur.

Reſpondend. quæ Papatui bona mobilia ſunt adiuncta, ad Pontificis, familiæque ſuæ ſuſtentationem congruam, hæc in eius eſſe poteſtate plenoque iure, non immobilia, deque iis duntaxat, loqui in *can. citato*, Symmach. *Non liceat Papæ*, inquit, *prædium Eccleſiæ alienare, aliquo modo pro aliqua neceſſitate, nec in vſumfructum rura dare, niſi tantummodo domos, quæ in quibuſlibet vrbibus, non modica impenſa ſuſtentantur.*

Obiicies 3. ea eſt alteri præferenda ſententia, ac vero etiã amplectenda à quolibet, quæ auctorum numero, ac rationum pondere contraria eſt ſecurior. Huiuſmodi eſt, quam ipſi non ſequimur, ea igitur ſola eſt tenenda tanquam vera, non noſtra. Maior eſt falſa, vt enim id ſit laudabile, non tamen eſt neceſſe, eo quod probabilia ſectari ad culpæ fugam ſit ſatis, ex dictis antea.

Obiicies dici ab Alexand. III. in *decret. fraternitatem 2. de donation.* Epiſcopum rerum Eccleſiaſticarum procuratorem eſſe, non Dominum, quo quid de iis qui Eccleſiaſticis præpoſiti ſunt ſacerdotiis, ſciſci poterat certius?

Reſpondend. ibi loqui Pontificem de bonis ſtatis ac immobilibus, ſeu ſoli, quorum *cum conditionem Eccleſiæ, meliorare poſſit Epiſcopus, non vero deteriorem facere*, dici eorun-

A dem procurator debet, non Dominus, vt pote quæ vt talis, alienare nequeat, alienata autem ab eiuſdem ſucceſſore reuocari oporteat.

QVÆSTIO XVIII.

An Beneficiarij fructus beneficij ſui male collocatos reſtituere teneantur, & quales?

LOquimur de Clericis habentibus, (vt ſunt hodie tempora) certos ſuos ac ab B Epiſcopo, egenis, & fabricæ diſtinctos prouentus: hi enim promiſcui olim cum eſſent, omniumque communes, vt eſt in *can. 17. Aurelian. Concil. primi*, Clericis dati, cum pauperum & fabricæ iniuria, ad acceptantium dominium, non tranſibant iuxta *can. 12. 7. Synodi generalis*, relatum à Grat. *12. qu. 2. can. quiſquis 19.* eſt ergo reuocanda quæſtio ad beneficiarios ſæculi, in quo viuimus, & de his ſcire conuenit, an tam ipſi quam qui ab iis aliquid de ipſorũ ſacris reditibus dono capiunt, Eccleſiæ illud ipſum, maxime in res vanas, ſæpeque malas impenſum, Iuſtitiæ lege re- C dhibere debeant.

Affirmant Caiet. 2. 2. *q.* 185. *art.* 7. Alenſ. 3. *parte qu 36. num. 5. art.* 2. Nauar. *in tract. de redit. q. 2. & lib. 3. conſilior. conſilio 1. iuxta ſecundam editionem nu. 3.* Syluest. *in verbo Clericus ſectione 4. num. 3. & 11.* & in *verbo alienatio q. 19.* Comitolus *reſponſ. moral. lib. 1. qu. 70. num. 2.* Maior. *in 4. diſt. 24. q. 17.* Antonin. *in 3. par. titulo 15 cap. 1. parag. 19.* Laym. *tract. 4. de benefic. cap. 3.* Rebuff. *in praxi tit. de diſpenſat. ratione ætatis num. 7. & 8.* vbi Clericos non ſatisfacientes muneri ſuo in hac parte, D nominat, *ſacrilegos, prædones, diſſipatores ac fures*, quod ante ipſum fecerat, Anton. *3. parte tit. 15. cap. 1. parag. 9.*

Negant id tamen Sotus de Graphiis *lib. 2. cap. 99. num. 17.* Vaſq. *de redit. cap. 1. dub. 1. num. 25.* Couar. *in cap. cum in officijs num. 3. de teſtam.* quod etiam probabiliter defendi poſſe tradit, Regin. *lib 30. cap. 7. num. 8. & ſequentibus*, Graphij ſunt hæc verba. *Beneficiarius etſi male, vanè, atque profanè notabilem redituum quantitatem impendit, non tamen tenetur ad reſtitutionem*, quod ipſum *eod. cap. & numero* poſtea repetit.

E Prima Aſſertio, *Peccant beneficiarij mortaliter, prouentus ſuos ad opera vtendo alia, quam quæ pia ſunt aut neceſſaria.*

Primo, quia Oeconomum, rem negotiaque ſui domini gerere fideliter conuenit, ſecus ſi facit, peccat, multo magis, cum contra eiuſdem voluntatem ac conſenſum, quæ ſunt ſuæ fidei, curæque commiſſa, diſpenſat, ſed eſt beneficiarius quilibet rerum Eccleſiaſticarum diſpenſator ac Oeconomus: ergo, &c.

Eſt huius ſyllogiſmi maior propoſitio à na-

tura petita. Nam quid eſt furem eſſe, niſi alie- A nas opes contra rationabilem Domini voluntatem tractare? aut in ſuum, aut cuiuſpiam vſum conuertere? quod cum facit, valde nihil efficit, inquit Iuriſconſ. *in lege* 1. *dig. de offic. procur. Si rem Cæſaris procurator eius, quaſi rem propriam tradat, non puto eum dominium transferre, tunc enim transfert, cum negotium gerens Cæſaris conſenſu ipſius tradit.*

Minor eiuſdem ſyllogiſmi propoſitio, eſt item auctoritate Alexand. III. *in cap. fraternitatem de donationibus*, certiſſima, ibi enim eſt his verbis: B *Fraternitatem tuam latere non credimus, quod cum Epiſcopus, & quilibet Prælatus rerum Eccleſiaſticarum ſit Procurator non Dominus.* Bona enim Eccleſiaſtica in Chriſti patrimonio cenſeri dixit Innoc. III. *in cap. cum ſecundum Apoſtolum extra de præb.* hunc autem ea in profanos inſumi vſus, velle quis putet? maxime *cum* 12. *qu.* 2. *can.* 1. Stephanus pronunciauerit pro homicida habendum videri, *qui Chriſti pecunias, & Eccleſiæ aufert, fraudat, & rapit.* Quare beneficiarios, qui reditus ſuperfluos in quantitate notabili, in prophanos vſus expendunt, peccare mortaliter, C dixerę Nauar. Vaſq. Laym. Valentia locis citatis, Comitolus *qu.* 71. *num.* 1. *propoſitione* 1. nam faciunt in re graui contra præceptum Eccleſiæ 12. *qu.* 1. *can. res Eccleſiæ* 26. *can.* 23. *eiuſdem cauſæ & quæſtionis*, vbi expreſſe præcipitur Epiſcopo, vt res Eccleſiæ diſpenſet in ſubſidium indigentium, alioqui Synodi arbitrio plectendum eſſe, *in Concil. autem Aurelian.* 1. iuſtum id eſſe Patres definiunt, *vt in reparationibus captiuorum, alimoniis Sacerdotum, ac pauperum*, quidquid Deus *in fructibus dare dignatus fuerit, expendatur, & Clerici ad adiutorium Eccleſiaſtici operis conſtringantur.* D

Sane omniũ eſt opinio, tam Epiſcopum quã beneficiarios quibus eſt Eccleſiaſticarum opũ ingens domi copia, præcepto miſericordiæ & charitatis, obligante ad mortale teneri, dare non neceſſarias pauperibus, quia ſunt hæ, & qui illis attributi ſunt reditus, tam ingentes ac magni, quantis illos frui ſcimus: ideo dati vt eorum parte aliqua inopes in neceſſario ſuo tempore adiuuent. Itaque vt eſt in Synodo Romana 4. ſub Symmacho *can.* 8. *non aliquo ante tribunal Chriſti obſtaculo ſe muniet, qui à religioſis animabus ad ſubſtantiam pauperum relicta, contra fas, ſine aliqua pietatis conſideratione diſperget*, Epiſcopo quidem in id incumbat præcipiunt Patres in Concil. Aurelian. 1. *can.* 18. *vt pauperibus vel infirmis, qui debilitate faciente, non poſſunt manibus laborare victum & veſtitum in quantum poſſibilitas habuerit, largiatur*, id ergo facere ſi negligat, non eſt futurus à culpa liber, quod cum Cyprianus intelligeret.

Enchratium admonet, vt Clerico cuidam auctor eſſet vitandi quæſtus ex magiſterio infami ac ſordido, ac ſi Eccleſia vbi tum agebat minimè ſufficeret, vt ei, ſuique ſimilibus paupertate laborantibus alimenta præſtaret, inuẽturũ ſe, ſi domo ſua egreſſus ad ſe veniret, quiſibi *ad victum atque veſtitum neceſſarium*, abunde præberet Cypr. *lib. epiſt.* 1. *ep.* 10. Epiſcopos ſane id laboraſſe pro ſua in Deum fideleſque charitate ſcimus, ne quid eis deeſſet ad vitam, eiuſque traducendæ hilariter ac iucundè facultatem ac modum, ſit pro exemplo, quod ab eodem Cypriano factum pro redimendis captiuis Numidis, auctores, ipſeque adeo de ſe narrat *lib.* 5. *epiſt.* 8. *Miſimus*, inquit, *ſeſtertia centum millia nummum*, (hoc eſt Pammelio teſte in eum locum, duo millia & ſemis aureorum ſolarium monetæ Gallicæ) *miſimus (inquam) duo millia nummum, quæ iſthic in Eccleſia, cui de Domini indulgentia præſumus, Cleri, & plebis apud nos conſiſtentis collatione collecta ſunt.*

Secunda Aſſertio, *Peccant item Epiſcopi, ac beneficiarij reliqui, propinquos locupletando de bonis Eccleſiæ:* ita Trid. expreſſe *ſeſſ.* 23. *ca.* 1. his verbis: *Omnino eis Synodus interdicit, ne ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſque ſuos augere ſtudeant, cum & canones Apoſtolorum prohibeant, ne res Eccleſiaſticas quæ Dei ſunt, conſanguineis donent, ſed ſi pauperes ſunt, iis vt pauperibus diſtribuant*, quod eſt ſeptimæ Synodi monitum, *in can.* 12. *Non liceat*, inquit, *cognatis propriis donare quæ Dei ſunt, quod ſi pauperes fuerint, vt pauperibus largiatur. Quæ vero de Epiſcopis* (addunt Patres in Concil. Trident. dicta ſunt) *eadem in quibuſcunque beneficia tam ſæcularia, quam regularia obtinentibus pertinent, ſeſſione* 25. *cap.* 1. *ergo vt Epiſcopo non licet ex bonis Eccleſiæ aliquid omnino contingere, aut parentibus propriis condonare*, ita nec beneficiariis. *Quod ſi pauperes ſunt, tanquam pauperibus ſubminiſtrent, ne eorum occaſione Eccleſiæ negotia deprædentur can. Apoſt.* 39.

Tertia Aſſertio, *Qui Clericos beneficiarios ſuorum non eſſe fructuum Dominos aſſerunt, eſſe quoque probabile tradunt, eorum dominium, validè per eos in acceptantem non transferri*, proindeque ab iſto lege iuſtitiæ reſtituendos eſſe Eccleſiæ, vel pauperibus, ac in eius defectu à beneficiario qui tradidit.

E Nituntur ſententiæ huius auctores teſtimoniis: nam primo in Agathenſi *can.* 6. prohibentur Epiſcopi dare ſeruis Eccleſiæ, cum in libertatem aſſeruntur, amplius quam ducentos ſolidos, quod non feciſſent, ſi eorum dona ſupra hanc ſummam, putaſſent rata, aut Clericos, bonorum quæ ex Eccleſiæ ſacris obuentionibus annuatim colligebant, dominos eſſe, cum quæ iſtiuſmodi homines poſſident, dare ex parte, aut integrè valeant, quibus volunt.

Secundo docet Lateran. Concil ſub Alexand.

xand. III. *can. 9* Eccleſiarum bona egentium vſibus attributa eſſe, alio ergo, ſi contra fundatorum voluntatem conuerſa erunt, iiſdem debebunt reddi, quia quod à veris legitimiſque Dominis ſubleuandæ eorum inopiæ datum erat, eſt à beneficiariis ſubtractum, aliiſque contra fas conceſſum. Huncque Patrum fuiſſe ſenſum, indicant ex eorum libris petitæ hæ voces, quod ſint ſacræ Eccleſiarum opes *vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum lib. 1. capitularium Caroli*, & Ludou. *cap. 8.* Item quod qui de ſua ſuſtentatione honeſta ac decenti eſt reliquum, pauperibus non erogant, ſint alieni *prædones ac fures, ſacrilegi, &c.* At quis neſcit ſalutis ſpem reliquam nullam eſſe latroni, niſi auerſa vero ſuo legitimoque Domino reſtituat? Data ergo alteri quam inopi, Chriſti, Eccleſiæque bona, ab eodem reddi debent, qui accipit, aut in eius defectu ab eo qui tribuit.

Eodem ſpectat, quod beneficiarios Patres appellant communiter Oeconomos, ac diſpenſatores, non Dominos: Bona enim Eccleſiæ vt dicebamus paulo ante *patrimonia ſunt pauperum*: quare *ſi quod eorum eſt, ſibi beneficiarij accipiunt*, aut in res vanas, inaneſque inſumunt, *ſacrilegium committunt, & per abuſionem talium, iudicium ſibi manducant ac bibunt*, Hieronym. *in epiſt. ad Damaſ.* relata à Gratiano *16. q. 1. can. quoniam extremo*, rem enim ſibi ſacram auctoritate propria vendicant eo quod ſit hæc in Chriſti patrimonio, Innoc. III. teſtimonio *in cap. ſecundum Apoſtolum 16. de præbend. quod exhaurit ac vacuat, qui eius opes ac ſubſtantiam pauperi non erogat.* Sane qui illas eiuſdem deſtinatas vſibus ſibi reſeruat *homicidam* eſſe ſcripſere Stephanus Papa vt refertur *12. q. 2. cap. 1.* Auguſt. *ſermone 219. de tempore.*

Ex quo ſequitur, eas à Clerico beneficiario alienari non poſſe valide, nam procuratoris acta infirma ſunt omnia, ſi ex voluntate, ſententiaque domini non ſint geſta, at quis exiſtimet (inquiunt) grata Deo eſſe, quæ à beneficiariis, manant in notos, iuxta ac ignotos, ſæpe etiam vita turpes, profuſa dona? & ex cauſa nonnunquam illaudabili?

Secundo, prohibentur beneficiarij teſtari ex bonis Eccleſiæ, cuius rei, vna hæc eſt haud dubie cauſa, quod quæ ſunt ab iis per teſtamentum danda, eorum non ſint, ſed Eccleſiæ, eſt ergo minimum probabilis hæc opinio. Equidem bona beneficij immobilia, à Clerico in aliũ tranſire non poſſe, indicant hæc ex Canone 8. Synodi 4. Romanæ ſub Symmacho petita verba: *Liceat quibuſcunque Eccleſiaſticis perſonis vocem contradictionis afferre & Eccleſiaſtica auctoritate fulciri, itaut cum fructibus poſſit alienata repoſcere.*

Tertio, ex noſtra & aduerſariorum ſententia, tenentur beneficiarij ſub mortali eleemo-

A ſynas facere de ſuperfluo, at hæc obligatio naſci ex virtute miſericordiæ non poteſt, cum ei ſub mortali, parere nemo, extra neceſſitatem extremam indigentis debeat, qualis non eſt, communium pauperum, erit ergo iuſtitiæ. Sed res alteri datæ, quam cui ſunt ex iuſtitia debitæ, dantur inualide, & cum reſtituendi obligatione: ergo de honeſta ſuſtentatione quod eſt beneficiario reliquum, ſi detur alteri quam pauperi, eſt reſtituendum.

Confirm. data ob cauſam, ea non ſequuta, dantur inualide, ſed bona Eccleſiaſtica, ea ſunt lege, beneficiariis conceſſa ab Eccleſia, vt quæ
B erunt ex iuſta eorum ſuſtentatione reliqua, hæc pauperibus erogent, ergo data aliis, dantur ſine fructu & inualide.

Quarta Aſſertio, *Etſi peccent beneficiarij pluſquam vulgariter, cum ſuperflua ſua inſumunt in vſus profanos, aut ea hiſtrionibus, aſſentatoribus, & id genus hominũ monſtris ac quiſquilijs tribuunt, ea tamen iuſtitiæ lege, reſtituere Eccleſiæ, pauperibus, aut fabricæ, ſi ſalui eſſe velint, non tenentur.*

Probatur, ſunt beneficiarii vt eſt in *cap. vlt. de Cleric. non reſidentib. in 6.* qui à diuinis
C non abſunt officiis, diſtributionum Domini, cum earum dominium acquirant, vt ibi dicitur, quod item à Patribus in Trident. *ſeſſ. 22. cap. 3.* confirmatum video, cum enim Epiſcopos in id incumbere velint, ne abſentes à diuino officio, diſtributionum, hoc eſt pecuniæ dari præſentibus ſolitæ, dominium comparent, ſupponunt haud dubie, hos earum eſſe Dominos. At quæ diſtributionum, eadem quoque eſt ratio bonorum, quæ ſunt ſacra, beneficiique proles germana ac propria, ſunt ergo beneficiarii eorum veri domini, quæ ergo
D ab his data erunt alicui ſine cauſa, pauperibus aut fabricæ, non ſunt vllo reddenda iure.

Confirm. Eſt id tantum reſtitutioni obnoxium, quod eſt alienum, certæque perſonæ lege iuſtitiæ debitum, at id de beneficij Eccleſiaſtici prouentibus in res non modo malas, ſed inutiles quoque impenſis, reſpectu pauperum & Eccleſiæ dici poſſe, quis putet?

Confirm. qui rei cuiuſpiam abſolutus, & ſine onere illi annexo eſt Dominus, de ea ſtatuere poteſt pro arbitrio, nec eſt qui prudenter eum peccati arguat, ſi vendat, donet aut
E perdat, ſed beneficiarius fructuum eſt omnium, quos beneficium parit, verus ac abſolutus Dominus, cui nec adiunctum eſſe onus vllum conſtat, ad quod eius reſtricta ſit poteſtas, in eorum fructuum vſu, quos beneficium profert, quo onere, ſeu conditione non poſita, teneatur eos reddere, male ergo collocati, aut in res non neceſſarias, ſed inutiles impenſi, non ſunt reddendi.

Confirm. non eſt Eccleſia, in ſuos miniſtros ſeuerior, quam Principes in ſuos magiſtratus, pater enim eſt, & quidem ſuauis ac

pia. At iſti cum ſtipendia magiſtratibus debita numerant, ea ſic tribuunt, vt abſolutè illorum eſſe velint propria, non ex parte, certiſque aſtricta conditionibus, quarum abſentia, eſſe deſinant ſua, vt incipiant eſſe reſtitutioni obnoxia: ergo nec Eccleſia.

Confirmatur, ſi eſt à Clericis beneficiariis eorum quæ in res prophanas inſumunt faciẽda reſtitutio, quæro, quibus. Egenis ac Pauperibus? at non ſunt hæc illis ex iuſtitia debita. poſſideant, illa ſibi ſi ſeruent, non reſtituere debebunt.

Primo, quia non conſtat, iis à fidelibus eſſe data, ſed Eccleſiis, ad Clericorum qui illarum curam gererent, ac diuino cultui operam darent, ſubſidium ac commodum.

Secundo, cum ſit vnicuique naturæ lege integrum, ſua ſibi tollere, deque eius, aut eorum vindicare poteſtate, qui ea vſurpauere improbe, ita pauperi illæſa conſcientia fas foret, fructus ſibi beneficiorum, quos à beneficiario non habuit, repetere, eoſque, ſi forte cuipiã dono eſſent dati, aut eidem pro pretio rei emptæ, in ſolutum dati, clam auertere, ſibique vt rem ſuam arrogare ac ſumere. Id autem quis ferat? aut ſine culpæ ſuſpicione ac metu, ab inope tentari poſſe quis dicat?

Tertio, ſequeretur quod qui decimas Parocho, aut Clerico beneficiario negaret, tueri ſe vano iſto iure poſſet, diceretque, earum ſe partem, aut integras non dare, quia ab eo, qui ſuis ſubleuare eleemoſynis inopiam ſuam debuerant, non ſunt tempore & loco vti oportebat, adiuti, hoc autem aſſerere, quid eſt amabo aliud, quam ad iniuriam inſonti impunè inferendam, audaciæ munire viam?

Quarto probatur Aſſertio. In dubio ad quem res pertineat, quam quis penes ſe habet, quia de idomino, eiuſque legitimo poſſeſſore poſt adhibitam diligentiam, vt de eo conſtaret, nec tamen ſcitur, ei eſt relinquenda qui illam poſſidet, quia Papæ ac Doctorum opinione probabili, melior eſt cõditio poſſidentis *de regulis iuris in 6. reg. 63.* Sed eſt dubium, an hæc bona quæ nos ſuperflua ſuſtentationi beneficiarii eſſe dicimus, ad pauperes pertineant, cũ de fundatorũ voluntate certi nobis nihil ſuppetat, nec an intentionẽ habuerint vt ea in vſum cederẽt pauperũ nõ cõſtet, ex iſto canone aut diſpoſitione Eccleſię, eſt ergo pauperũ cauſa, æque in hac re, ac Clericorũ beneficiariorum dubia: ergo cum hi ea bona

Quinto, non reſcindit Eccleſia donationes aut pacta quibus beneficii ſui fructus vanè, ac in res non bonas expẽdere beneficiarii ſunt ſoliti, quod eã tamen oporteret facere, ſi hi eſſent ex iuſtitia pauperibus debiti, cum ad magiſtratũ pertineat, tamen charitate quã iuſtitia, populum ſibi commiſſum à vi defendere, quod ad id numerata ſtipendia habeat, à Principe multa & grandia, quare ſi pauperes iure niterentur aliquo ad Eccleſiaſticorum ſuperflua conſequenda, peccaret magiſtratus, ſi hæc eis dari non præciperet, compellendo etiam debitores ſi opus foret, vt facit in teſtamentis & legatis.

Argumentis pro contraria ſententia in aſſertione allatis, Reſpondendum eſt, priori quidem. Non eundem ſuper re de qua agimus Pontificum fuiſſe omnium ſenſum, nã vt fuere inter eos qui beneficiarios fructuum beneficii ſui negarent eſſe dominos, ita fuit qui ſecus ſentiret & diceret, Bonifac. eius nominis VIII. in *decret. conſuetudinem, vnica de Cleric. non reſidentib. in 6.* nam quid ab eo dici expreſſius poterat, quam diſtributionum *dominium non acquirere, nec facere eas ſuas*, qui officio non intereſt, non eſt ergo petitum à Patribus & Pontificum literis decretalibus præſidium, quod cauſæ ſuæ Aduerſarij obtendunt eiuſmodi, vt certam illam faciat, noſtram improbabilem ac falſam.

Dicendũ eſt 2. loqui eos oratorie & ad terrorẽ, ſit pro indicio, quod Laïcos, egenis, quibus de ſuo eleemoſynam negãt cum petitur, vitã eripere aſſerãt: ſic enim S. Aug. *l. 50. homiliarum homil. 8. ſi communicare cœperis, non eris ille prædo & ille raptor qui neceſſarij s pauperum tanquam rebus alienis incubat*, & in *ſerm. 219. de tempore: Qui decimas dare noluerit, res alienas inuaſit & quanti pauperes in locis vbi ipſe habitat, illo decimas non dante, fame mortui fuerunt, tantorum homicidiorum reus ante tribunal æterni iudicis apparebit, quia rem à Deo pauperibus delegatam, ſuis vſibus reſeruauit.*

Vel certe eſt aſſerendum Patres locis citatis de immobilibus agere, quorum ſunt beneficiarij Clerici diſpenſatores & Oeconomi: quod non negamus, cum vt probatum eſt, ea alienare nequeant ſine culpa, & ita Patres de reditibus præbendarum, & prouentibus ſibi obuenientibus ex beneficio non loqui, cum iſtorum ſint Domini, & non diſpenſatores tantum. Vel certe ſignificant eos non ſic eſſe Dominos, vt liberi ſint ab obligatione miſericordiæ & præcepto obedientiæ, erogandi ſuperflua congruæ eorum ſuſtentationi, in vſus pauperum.

Ad ſecundum negari debet, teſtandi facultatem beneficiariis eſſe prohibitam, cum ad pias eos cauſas id poſſe, & ad ſeruorum ac conſanguineorum muneranda erga ſe charitatis officia, Alex. III. in *cap. 12. de teſtamentis*, aſſerat, & quanquam hæc illis à canonibus præciſa facultas foret, non eſſet id tamen certum defectus pleni in bona ſua dominij indicium, cum hoc impediri, reſtringique poſſit per leges, vt in pupillo eſt notum, qui cum vniuerſorum ſit dominus, nihil tamen Paulo teſte à ſeruo differt.

Tertij neganda eſt conſequentia, quod enim à Clericis beneficiariis alendi ſint pauperes

peres de ſuperfluo, quòd cum iis, quæ ſuperſunt ſibi de ſuſtentatione honeſta ſua & decenti, communicare debeant, ortum id habet ab Eccleſiæ imperio, cui parendum eſt, quia eſt de re graui, ac ad bonum animæ neceſſaria, etſi non ſit improbabile quod Reginald. *lib.30.cap.7. num.* 85.*&* 86. ſcriptum reliquit, obligationem hanc in beneficiario, diſtribuendi ſuperflua pauperibus, charitatis eſſe, miſericordiæ, & obedientiæ, qua intra limites harum virtutum magis aſtringitur quam Laïcus, non autem iuſtitiæ.

Nec enim eſt certum, id fideles cum ſua bona dederunt Eccleſiis ſpectaſſe, vt Clerici ſibi ex iis neceſſaria ſumerent, & quæ ſupereſſent tenerentur ex iuſtitia, largiri pauperibus, & quamuis [illegible] virtute ſaltem & tacitè prædicti fideles intendiſſent, quod tamen eſt falſum, noluere tamen hanc eiſdem legem dicere, vt ſi ſecus facerent, peccarent contra iuſtitiam cum obligatione reparandæ ex bonis ſuis patrimonialibus iniuriæ, pauperibus factæ, quia non cadit hæc conditio ſupra rem donatam, ſed perſonas recipientes.

Quinta Aſſertio, *Cum Beneficiarius officium ſuum non deſerit, eaque tantum bona profundit, quæ ei, tanquam legitimum ſtipendium ſunt decreta, peccat quidem, reſtitutionis tamen lege non tenetur.*

Partis primæ eſt hæc cauſa, quod ſit contra rationem, opes ſuas non curare, hoc eſt temerè, ac ſine modo, quem præſcribit prudentia, ganeonibus ac aſſentatoribus largiri: ergo cum à ratione diſcedere, non vacet crimine, peccabit, qui bona Eccleſiaſtica quæ operæ ſuæ, laborique ſunt paria, ſibique ſtipendij nomine ſunt data, profuſe cuipiam tribuet.

Neceſſariam tamen reſtituendi obligationem non contrahet, quia quæ noſtra ſunt, vt dare ſine ſcelere poſſumus, ita nec data reſtituere cogimur: quæro enim cui? Eccleſiæ? at non eſt hæc ea donatione quid paſſa, quod eius iura peruerteret. Pauperibus? At non ſunt Clericorum ſtipendia, de earum rerum genere ac natura, quæ ad illos pertineant. Danti? at nulla ei eſt facta iniuria, cum nemo ius ſuum violet, lædatque.

Aſſertio ſexta, *Cum ſunt bona Eccleſiaſtica inter Epiſcopum & beneficiorum poſſeſſores diuiſa, vt eſſe hoc tempore eſt certum, etſi hi peccent ſuperflua ſua dilargiendo aſſentatoribus & meretricibus, non ſunt tamē reſtitutionis faciendæ neceſſaria vlla aſtricti lege, id quod Theologorum ſententijs, firmiſque rationibus*, quia paulo ante eſt à nobis probatum, nihil addimus, niſi quod talis ſit fere ſenſus Doctorum omnium huius temporis, & *admittendus*, inquit Graſſius *lib.2.deciſion. cap. 99. nu.17. ex totius Reipub. Chriſtianæ conſuetudine*, quem fuiſſe quoque D. Thomæ 2. 2. *q.85 art.7.* Sylu. *in Verbo Clericus 4. q.* 20. ibid. aſſerit: quare ab eo non recedo, etſi his illum argumentis euertere nitantur non pauci.

Nempe aiunt eſſe minus dare vſumfructum quam rem ipſam, at priorem concedere Clerico non licet, *Extrauag. 4. Synodi quartæ Romanæ* ſub Symmacho, ergo nec beneficij fructus ac commoda quæ ſunt rei inſtar.

Quid? quod eiuſdem Synodi *can.*8. aſſeritur, non habere populum Roman. quo ſe ante Chriſti tribunal obſtaculo muniat, qui à religioſis animabus ad ſubſtantiam pauperum derelicta, (verba ſunt canonis) *contra fas, ſine aliqua pietatis conſideratione diſpergit.* Enimuero eſt donatio ex cauſa, ea non ſubſiſtente nulla, ſed ſunt à fidelibus, bona Eccleſiaſtica Epiſcopis & beneficiariis conceſſa, vt per hos, ad pium aliquem vſum, puta ad Dei honorem, eleemoſynas pauperum, fideliter diſpenſentur, eaque lege, annexoque hoc pacto ac onere tacito, ab iis acceptantur: ergo, &c.

Reſpondend. in priori illo canone mobilium diſtributionem non vetari ſed immobilium tantum.

Patet id primo, ex verbis præcedentibus eiuſdem Canonis vbi ſic PP. *Sancimus vt nulli Apoſtolicæ ſedis præſuli, à præſenti die liceat prædium ruſticum, quantacunque fuerit vel magnitudinis vel exiguitatis, ſub perpetua alienatione vel commutatione, ad cuiuſlibet iura transferre. ſed nec in vſufructuario.*

Secundo patet ex eo, quod vſusfructus, poteſtas ſit tam in commodum ſuum quam aliarum vtendi rei fructibus, ſalua eius ſubſtantia: quare cum de mobilibus Clerico non neceſſariis, nobis hic ſit ſermo, ab hoc *can.* aſſertioni præiudicium nullum eſſe quis non videt?

Ad alterum dicendum eſt, loqui Patres de oblationibus Eccleſiæ pro eo tempore, quo nondum erant diuiſæ, nec illarum proinde dominium ab Eccleſia beneficiatis Clericis datum, nunc vero alia cum ſint tempora ſecus nobis de eius bonis ſentiēdum ac loquendum eſſe. Equidem vt ex Trid. & *cap. fin. citato de Clericis non reſident. in 6.* conſtat, Canonici qui horis pſallendis ſuam præſentiam in choro ſtatis diei temporibus accommodant, eius partis fructuum, hoc eſt oblationum, quæ ob eam cauſam datur præſentibus, dominium acquirunt: ergo & aliorum redituum quos beneficium parit.

Ad vltimum dici debet, bona Eccleſiaſtica Clericis data non eſſe à fidelibus cum conditione, pacto tacito, ac onere, vt quæ de illis forent reliqua, poſt ſuſtentationem eorum honeſtam, hæc ex obligatione iuſtitiæ tribuerentur pauperibus, nec contrarium poſſe ex dictis Apoſtolorū, aut ex inſtitutione naſcētis Eccleſiæ probari, quæ enim dantur ſub conditione, donationem reddunt nullam, ſi hæc

non impletur, & is qui accipit, tenetur reſtituere, quando vero dantur ad aliquẽm finem, vt in materia præſenti accidit, etſi hic nõ præſtetur, donatio tamen eſt valida, nec obligatio eſt reſtituendi, vt patet in eo qui quidpiam dat fœminæ, vt eam inducat ad culpam, eſt enim eius donatio rata, etſi ſpe ſua, fineque excidat.

QVÆSTIO XIX.

An beneficiarius poſsit parcere ſuis bonis patrimonialibus, & ſuſtentari reditibus beneficij ſui.

Prima ſententia negat quæ eſt D. Proſperi *lib. 2. de vita contempl. cap. 9.* & refertur, *1. q. 2. can. 7. 8. can. paſtor Eccleſiæ.* citatur etiam in eandẽ ſententiam D. Hieronym. *1. q. 1. can. Clericos, & 16. q. 1. can. fin.* Pro eodem facit canon Apoſtolicus 41. & Concilij Antiocheni *canon* 25 in quo Epiſcopo permittitur Eccleſiaſticarum rerum habere poteſtatem ad diſpenſandum, erga omnes qui indigent, *participet autem*, inquit canon, *& ipſe quibus indiget, ſi tamen indiget, tam in ſuis quam in fratrum vſibus*, quod ipſum repetitur, *12. q. 1. can. 22. & ſeq.* cum ergo bonis Eccleſiæ ſine magno vllo ſuo incommodo carere queat, cui domi abunde ex paternis facultatibus, quod in res ſibi neceſſarias expendat, iſtis contentus erit, Eccleſiaſticis, vt decretum Concil. explicat, abſtinebit.

Eandem ſententiam ſequuntur Dionyſ. Carthuſ. *lib. de vita Sacerdot. cap. 24.* Achill. Statius *in epiſt. ad Nauar.* quæ habetur in fine *tract. de reditib. Eccleſ* quam Bellarm. *lib. 1. de Cleric. cap. 27. ſub finem.* ait eſſe tutiorem.

Contraria ſententia quæ mitior eſt, & ſequenda, explicabitur ſequentibus aſſertionibus.

Prima Aſſertio, *Beneficij poſſeſſor non peccat ſi patrimonio ſuo parcẽs de beneficij ſui fructibus viuat*: ita Couarruu. *de teſtamentis cap. 1. nu. 2.* de Graphiis *lib. 2. de deciſion. cap. 97. nu. 23.* Vaſq. *de reditibus cap. 1. dub. 2. parag. 2. num. 35.* Sylueſt. *verbo Clericus 4. qu. 16.* Nauar. *lib. 3. conſilior. conſil. 1. iuxta 2. editionem num. 1. & 3. & in Apologia de reditibus qu. 1. monitione 30.* ſcribit his verbis: *Etſi beneficiarius ſit diues & habeat ex patrimonio, vel aliunde, quo ſe decenter ſuſtentet, poteſt tamen licitè, ſi vult, ſuſtentare ſe de ſui beneficij reditibus*, mens eadem fuit Antonino *in 3. par. titulo 15. parag. 18.* Maiori *in 4. diſt. 24. q. 21.* Millardo *de pœn. ca. 45. inſtruct. 1.* Quod ſi beneficiarius ex paterna hæreditate non habeat, vnde ſplendidè inter populares ſuos viuere queat, non debet eius conditio peior eſſe quam pauperum, ſed his de fructibus beneficij quod curant, ac poſſi-

A dent, mutuari quo ſe alant, omni eſt iure licitum, ergo & diuiti.

Confirm. Nemo gratis operam nauare ſuam Eccleſiæ aut priuato cuilibet, naturæ, Deique lege obſtringitur, iuxta verbum Pauli *1. ad Corinth. 9. nemo ſtipendijs ſuis militat vnquam*, ergo vt egeni Clerici, ita & diuites, operæ ſuæ debita ſtipendia recipere poterunt, indeque quod in neceſſarios vitæ vſus impendant, capere, etſi patrimonio locuplete gaudeant, de cuius bonis domi ſuæ honeſte vitam colere valeant.

B Tertio, eſt mercenarius omnis mercede dignus, iuxta Luc. *ca. 10. dignus eſt operarius mercede ſua, &c.* At eſt Clericus beneficiarius, de mercenariorum numero: merces eſt ergo ei debita, cum ſit ergo parum, ei debitam eſſe, niſi illam quoque poſſit in vſus vitæ, eiuſque commoda conuertere, poterit beneficiarius locuples, conſeruato patrimonio, tantum è beneficij fructibus capere, quantum ad tuendam vitam eſt neceſſe.

Secunda Aſſertio, *Bona quaſi patrimonialia, cuiuſmodi ſunt à beneficiario intuitu dignitatis quam ſuſtinet, officij quod obit, magiſtratus quem gerit, laboris quem in docendo, ſacroque faciendo ſuſcipit, aut occaſione ſcientiæ, quam* C *magna omnium approbatione*, in Academia profitetur publicè, bona hæc (inquam) ſic ſunt in eius poteſtate, vt de iis, tam in vita, quàm in morte diſponere poſſit libere, Abbas *in cap. cum eſſes num. 26. de teſtament.* Sylu. *in verb. Clericus 4. paragr. 8.* Graſſius *lib. 2. cap. 99. numero 28.*

Tertia Aſſertio, *De quotidianis victualibus id eſt annonis in diem diſtributis ſolitis Eccleſiaſtici beneficij poſſeſſori diſponere*, quoque eſt permiſſum ſine crimine. Roſella *verbo Clericus 4. num. 2.* Angelus *verbo Clericus 13. num. 3.*
D quia cum ſint ob perſonale miniſterium debitæ, eodem priuilegio gaudent, quo acquiſita docẽdo, quo legẽdo, quo laborando, at hæc beneficiarius in quoſlibet adhibere vſus poteſt, ergo & diſtributiones quotidie dari conſuetas his qui officio ſunt præſentes.

Quarta Aſſertio, *Quod de penſo diurno ſibi ſuiſque beneficiarius parce viuendo ſubſtrahit, eidem id totum in parentes conſanguineos ac alios conferre licet*: ita Diu. Thom. *q. 185. art. 7. ad 2.* Candid. *de benef. diſqu. ſ. 8. art. 6. dub. 3.*
E de Graſſiis *lib. 2. cap. 99 num. 22.* Sotus *lib. 10. de iuſtitia qu. 4. art. 3.* Regin. *lib. 30. tract. 3. cap 7. num. 89.* Millardus ſupra.

Probatur, Quod eſt beneficiario ad ſuſtentationem debitum, id totum eſt eius dominio ſubiectum, habet enim omnium opinione ac ſenſu, eius portionis dominium, quæ ſibi eſt, ad commodam ſuſtẽtationem neceſſaria, at bonaque ille parcimonia ſua ſeruat, hanc qualitatem eo præciſe nomine quod ſeruentur, non amittunt, nẽpe quod ei ſint ad vitam

debita

debita & ſub hoc reſpectu ſunt ei donata ab Eccleſia, ergo cum ſit de ratione dominij ei cui competit, ius præbere vtendi re ſua quomodolibet, quin dicta bona de ſuſtentatione beneficiarij reſidua, ab eo vt expedire iudicauerit, inſumi queant, dubitare prudenter non licet.

Confir. quod re ſibi donata ad vitam, integre quiſpiā n[on] vtatur, eius poſſeſſione propterea, dominioque non excidit, vt patet in ſeruo & liberis, quos conſtat, rei ſibi ad alimenta traditæ à Patre, aut domino, vſus ac dominium non perdere, etiamſi eam ex parte tantum abſumant, ſed beneficiario ab Eccleſia datur ſuſtentatio neceſſaria, ergo cum pleno eius ac integro dominio: ergo de ea, quidquid ſubtractum volet ſuo genio, hanc more quo domini ſolent, ei cui erit placitum, tradere poſſidendam poterit, quo de numero conſanguineos ac parentes non excludi, ſcripſit cum Candido ſupra, Molina *de iuſtitia tract.* 2. *diſp.* 146. quia ſepoſita ex dependio diurno, naturæque ſubtracta, in his non ſunt bonis, de quibus locupletari prohibentur à Tridentina Synodo *ſeſſ. 23. cap. 1.* ſed tantum abſolute ſuperflua, & non reſpectiue per ordinem ad induſtriam, labores beneficiarij, eiuſque parcimoniam, illa ipſa ſibi ob laudabilem finem ſubtrahentis, vt tradit Regin. proxime citatus.

Verum enim, (inquies) ij non probantur Hieronymo qui cum commodo potiantur patrimonio, de eius bonis vitam non ſuſtentant ſuam, ſed beneficij, *Qui enim bonis parentum,* inquit, *& opibus ſuis ſuſtentari poſſunt, ſi, quod pauperum eſt, accipiunt, ſacrilegium committunt:* ergo qui nulla patrimonii parte conſumpta, fructibus Eccleſiæ, ac beneficii vitam agitat, peccat.

Reſpondet Gloſſa in ea D. Hieronym. oratione, adhortationem eſſe non præceptum. Tradunt alii loqui Hieronym. de caſu, in quo pauperum portio ſurripitur, quod eſſe non poteſt ſine crimine, cuiuſmodi tamen nihil hic accidit cum quæ pauperi non dantur, eidem proprie non ſumantur, eo quod ad illa, ius ei nullum iuſtitiæ competat, quod tamen acceptio, proprie, ac non large ſumpta ſignificat.

Dices, ſaltem ex parte, quæ congruæ beneficiarii ſuſtentationi ſupereſt; ditare conſanguineos non poterit, ſi Trident. Concilii legi velit obſequi id vetantis *in ſeſſ. 23 cap. 1.*

Neganda eſt conſequ. nec enim ibi Concilio eſt ſermo, de his, quæ modo quo dicimus, ſibi ſubtracta eſſe beneficiarius voluit, vel quæ iuſto labore promeritus acquiſiuit, hæc enim non cenſentur fructus beneficii, ſed induſtriæ, ſed operæ, ac parcimoniæ.

De quibus ergo fructibus Patres, eo Concil. loco præcipiunt?

De his quæ tantum ratione beneficii obueniunt, & quia ſunt ſuperflua, congruamque beneficiarii ſuſtentationem excedunt, ei ad vitam, eiuſque decentiam non ſunt neceſſaria, quibus etſi rem amicorum familiarem augere, conſanguineis opes quærere, ad ſtatum eos ampliorem euehere, etſi non ſit illi lege Concil. licitum, non eſt tamen prohibitum, alia quæ ſuæ ſunt operæ, laboris, induſtriæ, aut parcimoniæ fructus ac effecta, illis tribuere.

Ratio eſt, quod beneficiarius eius partis fructuum beneficii Eccleſiaſtici, quæ congruæ eius ſuſtentationi eſt neceſſaria, ita fiat dominus, vt non magis ex ea erogare ad opera pietatis teneatur, quā ex bonis patrimonialibus, qu a mercedis ſuæ partē, nemo niſi in eā mentē vltro veniat, tenetur transferre in pauperes aut eis dono dare, ſed quod ad honeſtam beneficiarii ſuſtentationem eſt opus, id ei tanquam merces, eaque operæ ſuæ par ac æqualis obuenit, hanc ergo cum paupere diuidere, eique partem dare, beneficiario non eſt neceſſe, *ſed poteſt in ſuos vſus conuertere, ergo, ſi ſeipſum quaſi defraudat, & parcius viuat, quam decet, poterit quod ſibi detrahit ex parte congruæ ſuſtentationi neceſſaria, donare, & impendere in vſus prophanos, licitos tamen, ditando, & magnificando propinquos*, Candid. loco citato, *dub.* 3. Couar. *in cap. cum in officijs de teſtam.* Nauar. *de redit. q. 1. n. 59.* de aliis bonis quæ ſunt extra ſuſtentationem beneficiarii, ac proinde ſuperflua ac redundantia, dicetur poſtea.

QVÆSTIO XX.

An Beneficiario ex fructibus beneficij ſui tantum conferre in aliquem liceat, quantum officiorum remuneratio exigit.

RĔſpondeo cum Nauar. *in Apolog. de redditibus Eccleſiaſticis q. 1. monito 32, nu. 6.* Clerico fas eſſe, de beneficii ſui prouentibus annuis, eorum compenſare induſtriam, qui operam ſibi ſuam in quotidianis vitæ vſibus non negarunt.

Cauſa eſt, quod ad neceſſarios communis vitæ ſumptus, obuentionum Eccleſiaſticarum vſus, omni ſit ei iure conceſſus. Sed ſeruorum labor, opera, ac in procuratione familiæ, aut rei cuiuſpiam alterius, induſtria, ad beneficiarii bonum pertinent, ergo quod iſtis pro mercede dabitur, dabitur vt quidpiam, quod ad ſuſtentationem vitæ pertinere creditur.

Secundo, Per concilium & canones tantum eſt interdicta Clerico beneficiario redituum ſui beneficii donatio, non iuſta laborum compenſatio, ex Decio *conſil.* 174. Rebuffo *tract. de alienatione rerum Eccleſiæ n.* 62. at hic non eſt donatio, nam id tantum donari

dicitur, quod nullo cogente iure conceditur, *l. donari ff. de regulis iuris,* quod hic non accidit, cum æquitas exigat, vt tam ſeruis ſua non negetur merces, quam vt bene de ſe meritis, in accepti ab iis beneficii memoriam, reponatur aliquid, quod tamen non poteſt eſſe de immobilibus Eccleſiæ, *cap. fin. de peculio Clericorum,* ſed vel pecuniæ, vel rei ſolo fixæ, ac ſtabilis vſus fructus ad breue tempus: Beneficiario dari ergo vitio non poterit, ſi quod officium poſtulat, in familiam ſuam gratus exiſtat, Rebuff. *de alienatione rerum Eccleſiæ n.* 62. & apud eum alii vt Iaſon *conſil.* 116. & Decius *conſil.* 174.

Quæ ſeruorum, eadem eſt quoque amicorum ratio, nam hi ſi erunt vnquam ad eas anguſtias rei familiaris redacti, vt domi ſuæ neceſſaria ad vitam, aut decentem ſtatum non habeant, bonis Eccleſiæ ejuſque reditibus iuuari poterunt, ſic (enim) canon 8. Concil. Aruernici 1. *tom. Conc. Licitum ſit Epiſcopis præſentibus, Presbyteris ac Diaconis de theſauro Eccleſiæ, familiæ & pauperibus eiuſdem Eccleſiæ, ſecundum Canonicam inſtitutionem iuxta quod indiguerint, erogare.*

QVÆSTIO XXI.

Poſſintne beneficiarij de ſacris reditibus dotare filias, ac propinquos, ad gradum altiorem euehere, emptione alicuius officij, aut Magiſtratus publici.

TAbiena *verbo Reſtitutio q.* 19. de Graphiis *lib. 2. cap. 99. n. 27.* Maior *in 4. diſt. 24. q. 19. cap. 9.* Nauar. *in tract. de ſpolijs Cleric. paragr.* 19. Reginald. *lib. 30. cap. 7. num.* 102. Layman. *tract. de benefic. cap. 4. num. 4.* pro beneficiariis faciunt, nec ſine ratione, vt patebit ex aſſertione proxime afferenda, maxime ſi bonis aliis careant, quæ in earum dotem conferant. An autem in ea conficienda ſororibus ſuis aut ſpuriis, Beneficiarios rationem habere oporteat gradus, quem ſunt per beneficium ſuum conſecuti in Eccleſia, an illius quem habebant antea, & eſt illarum ſororibus aut ſpuriis, ratione ſtirpis debitus, apud ſummarum Principes controuerſum video.

Ad eorum partes tranſeunt, Roſſella *verbo Clericus 4. nu. 11. & verbo reſtitutio 14. nu. 7.* Regin. *lib. 30. cap. 7. n.* 103. qui beneficiario integrum in conſcientia eſſe negant, plus propinquis dare, quam quantum eſt neceſſe vt dignitatem tueantur & locum, quem tenent & tenebant in Rep. antequam eſſet iſte, in Dei Eccleſia eo beneficii honore donatus per Pontificem quo fruitur, & ita alimenta, dotemque dare eum conſanguineis oportere aiunt, ſolum ſecundum ſtatum, & conditionem in qua erant, priuſquam hic magiſtratum

A in Eccleſia adeptus eſſet.

Contra ſentiunt Tabiena *in verbo reſtitutio q.* 19. & Graphius *lib. 2. cap. 99. num. 27.* dotemque aſſignandam eſſe ſorori beneficiarij, aut ſpuriæ memorant, non ſuo parem ſtatui, non proportionatam dignitati, ſed fratris aut patris, ſic vt quæ eſt inter eum, & alios ſæculares, ac beneficiarios in opibus ac dignitate diſparitas, eadem quoque ſit inter dotem ab eo ſorori tribuendam, eamque, quæ aliis genere ei non inæqualibus præbetur, quia in tali re non eſt ſæcularium, ſed perſonæ beneficiarij gradus attendendus, hæc illi.

B Prima Aſſertio, *Non peccat beneficiarius de reditibus ſui beneficij alendo ſpurios, ac ſi ſunt filiæ, eas dotando, ſi aliter iis indigentibus prouidere nequeat.*

Primo, quia liberos à parentibus deſeri natura vetat: quare adultero (cuius tamen & beneficiarij eadem quo ad hoc eſt ratio) adultero (inquam) præcipit, Clem. III. Pontifex *in cap. 5. cum haberet de eo qui duxit, vt liberis ſuis ſecundum quod ei facultates ſuppetunt neceſſaria ſubminiſtret,* quam obligationem ei cum beneficiario communem eſſe docet Nauar. in *tract. de ſpolijs Clericor. num. 19. & tom. 1. conſilior. lib. 3. conſil. de teſtamentis 4. & 5. n. 4. & 5.* Abbas *in can. coniugatus num. 6. de conuerſione coniug.* & de dote tam ſpuriæ quam ſorori danda, *in can. peruenit 3. de arbitris.* C

Ratio eſt, quod parentes liberos ſuos quibus ſecundum Deum vitam dedere, alere debeant: at eſt dos aſſignanda filiæ alimentorum loco: &c.

Deinde quod cuiq; in alienigenæ commodū, bonumque licet, id non eſt in conſanguineorum cauſa facere prohibitum, at beneficiario culpæ non datur, ſi alienas, hoc eſt non ſuas, D cum earum periclitatur caſtitas, de beneficij ſui fructibus nutriat, ſi aliter non poteſt, ac vero etiam vt honeſte collocari valeant, tantum de ſuo præbeat, quantum eſt neceſſe, vt nubant, ergo nec argui iuſte hic poterit, ſi ſpurias pari charitate proſequatur, qua illas.

Quid? quod filiarum quæ grandi natu innuptæ manent, caſtitas titubet, ſuique incerta caſum metuat, quæ tamen per dotem, in tuto ac veluti matrimonij certo portu conſtituitur? habet ergo, earum dotatio, rationem legati pij, quod eſſe poſſe de bonis Eccleſiaſticis & E ad res pias, nemo ambigit.

Dixi *ſi cis aliter quam de bonis Eccleſiaſticis prouideri nequeat,* Nam ſi beneficiario aliunde ſuppeteret, vnde filio ſuo aut filiæ ſpuriis, eorūque inopiæ cōſuleret, vt ſi præter beneficiū, reditus patrimoniales haberet, ſtandum eſſet definitioni Concilij, propinquos ex bonis Eccleſiæ locupletare prohibentis, ac proinde dotem illis de ſuperfluo beneficii dare tum non poſſet, quia tunc verè pauperes non eſſent.

Confirm. In eam eſſe liberalis de bonis

ſuæ

ſuæ Eccleſiæ beneficiarius non poteſt, vt nubat, quæ parentes habet à quibus dotari poteſt, ergo nec in ſpuriam ſimiliter, ſi præter beneficium, & alios poſſidet reditus, vnde ei prouideat.

Obijcies: at enim Pius eius nominis quintus in quodam ſuo Pontificio diplomate de anno 1566. Beneficiario pro auctoritate prohibet, ne amodo ei ſit integrum, liberis quos ex concubitu legibus prohibito, de concubina ſuſtulit, quidpiam in vita, aut morte, id eſt tam per teſtamentum, quam donationem inter viuos, de bonis vllis intuitu Eccleſiæ quæſitis, largiatur ac tribuat, datumque irritat Nauar. teſte *in tract. de ſpolijs parag. 19.* falſa eſt ergo Aſſertio, vnâque, à Patre beneficiario extare poſſe aliqua, ſuæ apud ſpuriam filiam charitatis argumenta.

Neganda eſt conſequentia, quia hoc vnum duntaxat ſpectauit Pius Pontifex, vt quæ à ſe cæteriſque, quicum ætate in regimine Eccleſiæ præceſſerant, indulta magna ac varia, plenaque humanitatis ac miſericordiæ priuilegia, ſpuriis, aut verius parentibus, in eorum cauſa conceſſa erant, hac ſua bulla reuocaret vt Eccleſiæ noxia, non autem quæ ad naturam, eiuſque iura pertinent: ergo cum ſit hoc natura inſitum cuique, ſuis vt liberis bene cōſultum velit, ſitque pietatis, vt Pater bonorum ſuorum partem cum illis communicet, non eſt hoc beneficiario Clerico denegandum, maximè cum in *cap. cum haberet 5. de eo qui duxit*, iubeatur eis præbere vnde ſe nutriant.

Secunda Aſſertio, *Beneficiario non licet de bonis Eccleſiæ, propinquis ſuis magiſtratum emere in Republ., aut eos ad fortunam maiorem euehere quam quæ eis ante ſui ad beneficium promotionem erat debita.*

Probatur: eſt hæc propinquorum à gradu in quo ſtabant, ad altiorem euocatio, eorundem locupletatio, cum ex magiſtratu, ſibi per fratrem beneficiarium, de bonis Eccleſiæ cōparato, magna ad eorū opes fiat acceſſio vt ſupponitur: at eſt contra Concilium *ſeſſ. 23. cap. 1.* bona Eccleſiæ in eorum traducere commodum, opumque incrementum, niſi cum id neceſſitas exigit: quæ ratio etiam indicat, dotem ſorori aut filiæ ſpuriæ largiendam, reditibus ac gradu, quos, & quem inter populares ſuos beneficiarius ante collatum ſibi beneficium obtinebat, metiendam eſſe. Nam beneficij facta beneficiario collatio, parentes eius ac propinquos in ſtatum à priori differentem non transfert: ergo nec ab ea habent filiæ ſpuriæ aut ſorores, earum dos maior & auctior eſſe vt debeat, quam ſi earum pater aut frater, in beneficiarius Eccleſiæ locum non haberet.

Similiter ſi Molinæ eſt fides, *de iuſtit. &* A *iure tract. 1. diſp. 146.* ſpuriæ dos eſſe tanta non debet, quantam hæc à parente abſtuliſſet, ſi coniugatus foret, quia legitimæ par & æqualis in dote eſſe ea non debet, cuius ortus maculam habet. Si tamen eſſet is à quo trahit hæc originem nobilis, ſi primarum inter ſuos partium, de beneficij ſui reditibus filiæ ſuæ dotem dare poſſet paulo ampliorem, quam quæ ſpuriæ ſacerdotis vltimæ notæ, ſolet tribui, quia ex ſtatu parentis, in eam dignitas redundat aliqua, ratione cuius, dotem eius augeri ac creſcere deceat, Molina ſupra, Regin. *lib. 30. tract. 3. cap. 7. num. 102.*

B Tertia Aſſertio, *Si tamen beneficio temporalis aliqua dignitas addita eſſet, vt Principis, Ducis, Comitis, beneficiario permiſſum eſſet, de reditibus beneficij ſui, propinquis honores, aut magiſtratum aliquem in Rep. emere.*

Cauſa eſt, quod è beneficij ſui prouentibus dare beneficiario propinquis liceat, quæ ſunt ad decentiam ſtatus ſui neceſſaria. Seu beneficiarij qui temporale dominium cū ſpirituali iuriſdictione habent, conſanguineorum ſtatum mutant, nam morali dignitatis ſuæ C communicatione cum illis, eoſdē è tenebris in lucem vocant, de obſcuris nobiles, claroſque faciunt. Hæcque eſt cauſa ſi non vnica, at præcipua excuſandi Epiſcopos, qui de fæce ſæpe populi abſtractos, ad honores regni præcipuos, ſtirpem ſuam transferunt.

Dixi *ſi eorum beneficijs temporalis aliqua dignitas coniuncta foret*, nam hoc ipſo inquit Reginal. *lib. 30. tract. 3. cap. 7. num. 103.* quod beneficiarius temporale habet dominium, *conſanguinei eius ad nouum ſtatum aſcendunt*, quia in eo eſſe hi peioris conditionis non debent, D quam qui ſæcularium ſunt conſanguinei, quos tamen certum eſt, ſtatum ſuum mutare ad mutationem propinqui ſui, aut conſanguinei. Quare Regin. ſupra *num. 101.* non facere eum aſſerit contra officium, Conciliique decretum, ſi eos de reditibus ſui beneficij ſuſtentet ac alat, dum literis vacant, quia etſi patre locuplete ſint nati, tamen quia bona ſibi ſua ſeruat, nec partem eorum aliquam, ad eorum ſtudia in Academiis abſoluenda, iiſdem communicat, pauperum ſunt habendi loco, cum nihil poſſideant.

E Dixi cum nihil poſſideant, quia ſi in ære haberent, vnde ſe in ſtudiis alerent, pauperes non eſſent, & ita contra eos Concilij prohibitio faceret, de non ditandis cognatis ex beneficiorum fructibus. Sunt autem pauperes cenſendi in hac materia, non hi duntaxat qui victu & veſtitu indigent, quæ dicuntur naturæ neceſſaria, ſed etiam qui rebus ad ſtatus ſui conuenientiam opportunis carent.

Extra hos caſus, qui in conſanguineos aut amicos non omnino pauperes effusè eſt, liberalis, rerum quas beneficium ſuum parit,

donatione non neceſſaria, peccat, quia Eccleſiæ in re non modica leuique, præceptum violat, ſic enim in *ſeſſ.* 23 *cap.* 1. Concil. Trident. Patres: *Omnino interdicit Epiſcopis ſancta Synodus ne ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos familiareſue ſuos augere ſtudeant, ne cres Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent, ſed ſi pauperes ſint, eis vt pauperibus diſtribuant.* Itaque ſi quid propinquis beneficiarij tribuere induxerint animum, id debet eſſe de eo, quod illorum vſui deputatum cum eſſet, voluerunt ſibi parcè viuendo detractum eſſe, quod ipſum quoque moderatum eſſe oportet, datumque conſanguineis, vt non egeant, non autem vt ditiores fiant. Candid. ſupra *art.* 6. *dub.* 5.

His ſunt perquam ſimilia quæ Sanch. *tomo conſil.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 38. ſcribit, & primo quidem conſanguineo inopi aut amico, plus dari poſſe, quam extraneo, quia cum maiori ſe quiſque charitate proſequi debeat quam quempiam alium, ſintque conſanguinei, eiuſdem inter ſe communione ſanguinis, indiſtincti moraliter ab inuincem, quod ſibi beneficiarius ſi egeret, ex beneficii ſui prouentibus ſumere poſſet, poteſt & leuandæ propinquorum inopiæ.

Secundo tradit, quod etſi ille dare in dotem ſpuriæ tantùm nequeat, quantum legitima ſi foret, poſſe tamen ſine metu culpæ, ei quidpiam amplius, maiuſque tribuere, quàm ei ſecundum ſtatum ſuum erat debitum.

Tertio, fas ei quoque eſſe, dare cōſanguineis, habentibus vnde ſtatui ſuo conſentaneè vitã tranſigant, ac perſonam quam agunt in Rep. ſuſtineant, poſſe (inquam) iis ſubminiſtrare vnde ad altiorem gradum aſcendant. *Item poteſt Clericus* (inquit Sanch. ibid.) *& Epiſcopus ex infima ſorte aſſumptus ad Epiſcopatum, aliamue dignitatem, ampliorem dotem filiæ ſuæ conſtituere, quam frater talis Epiſcopi manens in ſua ſorte infima, aſſignaret filiæ ſuæ legitimæ.* Hæc ille.

QVÆSTIO XXII.

Defuncti beneficiarij bona ad quem ſpectent.

DIco primò, *Tam bona vacantis Eccleſiæ, quam eius fructus, iure communi pertinere ad ſucceſſorem Clericum cui hæc conferetur vt vacans*: ita Suar. *de cenſur. diſp.* 21. *ſect.* 2. *num.* 97. Graffius *lib.* 2. *cap.* 99. Theſaur. *par.* 2. *praxis Eccleſiaſt. ver. vacantia* 1. quorum ego ſenſum quia à Conciliorum decretis, Romanorum Pontificum ſanctionibus, ſanctorum Patrum ſententiis, ac Canonum grauiſſimis explanatoribus non abhorret, ſequendam cenſeo. Ex illa ergo immenſa rationum ac rerum turba, quæ quod de bonis vacantis Eccleſiæ diximus, probabile, propeque certum faciunt, paucas placet de multis in concluſionis huius anguſtias contrahere.

Concilium Carthaginenſe tertium his verbis edixit: Placuit vt Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi vel quicunque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Epiſcopatus, vel Clericatus ſui agros & prædia nomine ſuo comparant, tanquam rerum dominicarum inuaſionis crimine teneantur, niſi admoniti eadem Eccleſiæ contulerint.

Docet idem Agathenſe Concil. *can.* 48. ſed verbis magis in rem noſtram quam Carthaginenſe perſpicuis. *Quidquid*, inquit, *de prouiſione ſua Eccleſiæ fuerit, ſiue de agris, ſiue de fructibus, ſiue de oblationibus, omnia in iure Eccleſiæ ſeruari cenſuimus*; quæ ſententia relata eſt à Gratiano 12. *qu.* 1. *can. Epiſcopi de rebus* 19.

Ad Romanorum Pontificum reſponſa venio, quæ hanc ſententiam plene confirmant, certoque concludunt. Eſt decretalis Alexandri III. *quarta de offic. iudicis ordin.* in qua vacantibus Eccleſiis Oeconomos præfici imperat, *qui fructus percipiant & eos aut in Eccleſiarum vtilitatem expendãt, aut futuris perſonis fideliter reſeruent.* Sunt his cōformia quæ à Bonifac. VIII. ſunt ſcripta *in cap. præſenti 9 eiuſd. tituli in 6.* ibi enim ait *beneficiorum bona neſcientibus eorum rectoribus vel miniſtris, in ipſis inuenta, ſiue vacationis ipſorum tempore obuenientia (ait) in eorum vtilitatem expendi, vel futuris debere ſucceſſoribus reſeruari*, in quam ſententiam Epheſino Concilio qui aſtitere Epiſcopi, mandant Euchario, ac conſtitutis ab Imperatore Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Oeconomis, vt ea ſolerter ac prouide cuſtodiant quæ in eius iure, Epiſcopi morte eſſe in cœperãt vtpote rationem illi reddituri, *qui Dei voluntate, & Imperatoris nutu ordinandus erat Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, ὡς μέλλοντες λόγον ἀποδοῦναι τῷ κατὰ βούλησιν θεοῦ, καὶ νεύματι τῶν φιλοχρίστων βασιλέων χειροτονηθησομένῳ τῇ Κωνσταντινουπόλεως ἐκκλησίᾳ.*

Et quanquam de ſucceſſore non loquantur Patres, meminere tamen Eccleſiæ, elegans eſt D. Hieronymi in eam rem ſententia *epiſt. lib.* 2. *epiſtola ad Nepotian.* 12. *ſit hæres*, inquit, *ſed mater filiarum, id eſt gregis ſui Eccleſia quæ illos genuit, nutriuit, & pauit, quid nos inſerimus inter matrem & liberos, gloria Epiſcopi eſt pauperum inopiæ prouidere. Hæc ille*: cuius laudatiſſimam ſententiam confirmat hæc *ex æquitate petita ratio.* Eodem refluere flumina, vnde primo traxere originem, tam verum eſt ſapientis verbum, quam antiquum, at quæ bona ac prouentus, beneficia Eccleſiaſtica pariunt, Eccleſiam, à qua ſunt initio ad Dei gloriam, bonumque Clericorũ inſtituta, agnoſcunt vt parentem, ergo cum deeſt qui

ea

ea ſibi vt ſua vendicet, Eccleſiæ ſunt danda, Caroli enim magni ſtatutum eſt, non omnino incertum ac fallax, vt vnuſquiſque Presbyter res, quas *poſt diem conſecrationis acquiſierat, propria Eccleſia relinqueret Capitul. lib. 1. cap.* 156. fuitque antiqua diſciplinæ Eccleſiaſticæ regula, ne Epiſcopi, ad propinquos alia bona tranſmitterent, quam quæ antequam perſonæ huius maieſtatem capeſſerent, habuiſſe conſtabat, & ita *quæ ex hæreditate, vel artificio, aut doctrina acquiſiuit, diſtribui conuenit pro arbitrio decedentis cap. relatum* 12. *de teſtamentis, vbi autem in loco defuncti tantum eſt vnus ordinandus, is ea bona, (ſicut & alia ipſius Eccleſiæ) in Dei timore diſpenſare debet,* Alex. III. ibid.

Secunda Aſſertio, *Eſt tamen tam bonorum extantium quam futurorum diſtributio pro ratione temporis quo beneficiarius cum viueret officio eſt functus, facienda in Gallia, inter eius hæredes, illumque, qui ei ſuccedit in beneficio.*

Docet id Bleyanus *in Theoria tract. de patrimon. Eccleſiaſt. num. 49. & ſequentib.* Dixere idem Annæus Robert. *rer. iudicatarum lib. 4. cap. 2.* Choppin. *de ſacra polit.* Cartelerius *lib. de memorabilib.* vt refert Charondas *lib. reſponſion. 1. cap.* 52. quod & in Germaniæ pleriſque Diœceſibus factitari ſolitum, ſcribit Layman. *de benef. tract. 2. cap. 4. q. 3. num. 9.* probant id argumenta quæ ſequuntur.

Pro rata anni parte, qua quis in exercitu Principis ſtipẽdia meretur, id ei vel hęredibus eius debetur, cũ quid illi interim dũ in caſtris armatus agit, humanitus acciderit. Similiter quę ſeruo, qui operas ſuas ad annum ciui ad culturam agri locauerat, ſtipendia ſi viueret danda erant, hæc eius hæredibus, ſecundum proportionem temporis anni, quo agrum coluit, aut in quapiam alia re ſimili ſuam ei nauauit operam, negari ſine culpa nequeunt. At eſt beneficiarius, ſtipendiario ſimilis, cum quæ ei bona, fructuſque ex beneficio obueniunt, ſint tanquam operæ in eius curatione præſtitæ, aut præſtandæ merces ac ſtipendiũ, ergo ei, vel ſi moritur, eius hæredibus, ad modum temporis, quo officium ſpiritale præſtitit negari non debet.

Confirm. Eſt beneficiarius, vt minimum vſufructuarius ex dictis antea. At iſti, fructus qui ſunt ex ſolo percepti, aut percipiendi ad modũ operæ, quam in re colenda, ex qua ſunt nati, adhibuiſſe illum conſtat, ſunt debiti, ergo ſi priuſquam ſint collecti diem ſuum obeat, ab hæredibus, vtpote veris eius in tali iure ſucceſſoribus, peti poterunt. Sane in Hiſpania, vt auctor eſt Sanch. *tomo Concil. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 54. generali conſuetudine iam recepta, etiam in beneficiorum reditibus, Clericis ex inteſtato cognati, qui de iure ſuccedunt laicis alijs ab inteſtato,* iis ſuccedunt: eiuſdem eſt opinionis Co-

A uar. in *cap. cum in officijs de teſtam.* Gutierez *par. 2. de benef. cap. 1. num.* 69.

Tertia Aſſertio, *Non ſunt tamen fructus omnes, eo anno colligendi, quo beneficiarius moritur, aut reſignans beneficio ſuo renunciat illis, aut eorum hæredibus debiti, ſed ex parte tantùm; putà pro rata parte anni, qua vterque fecit officium, reliqui ſucceſſori ſunt dandi.*

Hanc ſententiam confirmat ex æquitate petita ratio. Enimuero quam non eſt æquum, hæredibus dare præmia beneficiario mortuo indebita, aut officij quod iſte non impleuit,
B honorarium ac mercedem nullo hæredum ac defuncti merito tribuere? quod tamen accideret, ſi anni, in quo diem ſuum hic obit, fructus omnes beneficio annexi, in ius hæredum eius, ac poteſtatem venturi forent.

Secundo eſt à ratione alienum, vt ſuo legitimo paſtore deſtituti fideles parte anni reliqua viuant, aut ſi quem habent, illum eo redigere vt ſine fructuum emolumento vllo altari deſeruiat. Nam quis à Parocho iuſtè exigat, vt quæ obſequia à ſui ſimilibus exhiberi ſunt ſolita fidelibus, hæc gratis ac mercede nulla præſtet? hæc autem etſi ei iuſte negari non de-
C beant, non ſequitur tamen quod omnes anni fructus pendentes adhuc & percipiendi, eius hæredibus ſint debiti, ſed qui duntaxat operæ eius in animarum procuratione præſtitæ, dum viueret, aliquo modo ſunt pares: eius autem in beneficio ſucceſſori ſunt relinquendi cæteri.

Eſt tamen huic praxi, quarundam Galliæ Diœceſeon conſuetudo oppoſita, in quibus ſacrificaſſe ſacro die Paſchæ ſufficit, vt ius ſibi tam fructuum qui extant, quam qui ſperantur, ideoque pendentes nominantur, adhoc
D vt Parochus, aut eo fatis functo eius hæredes, ius ſibi fructuum omnium, quos Parochia parturit, arrogent: hanc enim vt probare non poſſumus, ita nec reprehendere, propriis locorum Epiſcopis illam tolerantibus, non audemus.

Quanquam ne quid inde incommodi patiatur Eccleſia, magnopere metuendum eſt Epiſcopis, nam quid facilius in ſæculi corruptela tanta, quantam ſcimus, quam vt eo tempore, Parochiarum, quæ ſucceſſori Parochi mortui, parum aut nihil ad v-
E ſum vitæ ſuppeditant, ſolum incultum vitiorum omnium ſpinis ac ſentibus ſcateat? ipſe autem populus, qui infinitæ ſacerdotum inſcitiæ regendus tum datur, in ſumma rerum omnium ignorantia vitam viuat, non Chriſtiano modo, ſed homine quoque parum dignam? cum eos ad id miniſtrium non pietas, aut aduerſum Deum charitas, ſed lucra eaque ſæpe tam modica illiciant, vt ab iis præter Miſſam cuius cauſa operas ſuas locant, ſperari nihil debeat: quare cum nihil ſit in hoc genere turpius, nihil ad animarum perniciem effi-

cacius, quam eiuſmodi ſacerdotibus, bonis quidem ſed ignorantibus, Parochias adminiſtrandas tradi, iis, quorum id dare operam intereſt, ne hæ prima ſuæ pietatis ornamenta perdant, auctor eſſem, ne peſſimum hunc morem, in ſuis Diœceſib. vigere longius ſinerent, à quo virtutum interitus, animorumque certa lues incredibili bonorum omnium doloris ſenſu oritur. Nam quid iniquius, quam qui feſto Paſchæ die. populo æternum numen ſacro litatorio propitiauerit, excluſo ſucceſſore Parochiæ, prouentus eius anni omnes ſibi acquirere?

Non omnia tamen beneficij emolumenta, commodaque illi ſeruanda eſſe, ſcribit Piaſec. *2. par. praxis cap. 5. art. 4. num. 23.* nam ibi ait gentis conſuetudine fieri poſſe, vt fructus aliqui beneficij, Clerico de anno proximè poſt mortem ſequenti ſint debiti, talemque morem valere. Addit inſuper viſum à ſe priuilegium à Leone 10. regno Poloniæ conceſſum anno 1515. quo permiſſum ait vt morientes Clerici in primis tribus menſibus medietatem, in tribus aliis tres partes, in reliquis eius anni prouentus omnes beneficij, ſibi vendicent.

Magis ad Galliæ morem accedit quod de Hiſpania Couar. narrat *lib. 1. variar. cap. 15. num. 12.* vt nimirum beneficij fructus qui non colliguntur niſi ſemel in anno *diuidantur pro mortuo Clerico, pro rata temporis deſeruiti, ſed in talibus, tutius eſt inhærere conſuetudini, qua dempta regulariter fructus à ſolo ſeparati debentur defunctis, pendentes autem Eccleſiæ, ſeu ſucceſſori in beneficio*, Piaſec. *ſupra.*

Secus facere crimen eſt graue, & quidem qui vacantis Eccleſiæ, ſeu beneficij bona vel fructus occupat, id eſt tanquam ex iure ſibi non competenti vſurpat, excommunicationem Papæ reſeruatam incurrit, à qua non eſt abſoluēdus niſi ſatisfactione illi exhibita qui mortuo in beneficio ſuccedit, quam Fabric. in Theor. *tract. de patrimonio Eccleſiaſticorum*, tuendam ſibi credidit *num. 49. & ſequentibus*, docuere idem Couar. *1. reſolut. cap. 15. num. 11.* Gutier. *lib. 1. canonic. q. 4. cap. 33.* Garcias *par. 2. de benefic. ca. 1. nu. 69.* Layman. *tract. 2. de benefic. cap. 4. num. 9.*

Prima Aſſertio, *Per regni leges ac Prouinciarum fere omnium conſuetudinem, beneficiarijs licet ad hæredes tam ex inteſtato, quam liberali ſua voluntate ſibi ſuccedentes, beneficij ſui fructus tranſmittere, tam perceptos, quam pendentes, pro rata temporis, quo eo ſunt potiti*: hæc opinio præter citatos eſt Roberti in *li. 3. rerū iudicatorum cap. 4.* Fabric. *in tract. de patrimon. Eccleſiaſticor. num. 48.* Cartelerij *lib. de memorabil. vt refert Charondas lib. 1. reſponſion. cap. 52.*

Quia fructus ratione oneris, laboranti vſufructuario ſunt debiti, at eſt Clericus beneficiatus, vt minimum vſufructuarius, & ex hypotheſi, partes ſuas expleuit, in ſacro miniſterio, nec ſine labore: ſua ergo ei debita eſt merces, at hæc fructibus continetur non perceptis tantum, ſed percipiendis, pro modulo, rataque officij exhibiti, pars ergo ei aliqua, fructuum pendentium, eſt debita, nec proinde neganda. Sane in Hiſpania vt auctor eſt Sanch *tomo Concil. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 54. generali conſuetudine iam recepta etiam in beneficiorum redditibus Clericis ex inteſtato cognatis qui de iure ſuccedunt, laicis alijs ab inteſtato.* Eiuſdem eſt opinionis Couar. *in cap. cum in officijs de teſtamentis.*

Secunda Aſſertio, *Non ſunt fructus omnes colligendi eo anno quo beneficiarius moritur, ei aut hæredibus eius debiti*, quia iure canonum priſcoque Patrum Epheſini Concilij imperio ſucceſſori ſunt ſeruandi ſaltem ex parte, ſic enim hi in Epiſtola ad Eucharium & Oeconomos Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ φυλάξατε τοίνυν τὰ ἐκκλησιαστικὰ ἅπαντα ὡς μέλλοντες καὶ λόγον ἀποδοῦναι τῷ Χριστῷ βασιλεῖ θεῷ, καὶ νεύματι τοῦ εὐσεβεστάτου καὶ φιλοχρίστου ἡμῶν βασιλέως χειροτονηθησομένῳ τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησίας, hoc eſt *Cuſtodite omnia quæ ad Dei Eccleſiam pertinent vt & rationem illi redditurí, qui Dei voluntate, & Imperatoris nutu ordinandus eſt Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus.* Hæc PP. quorum laudatiſſimam ſententiam confirmat hæc ex æquitate facti petita ratio, nempe quod abſolui reus nequeat niſi ſatisfactione præcedente, eorumque omnium quæ vſurpata fuerint, reſtitutione plena & integra Trident. *ſeſſ. 22. ca. 11.* quæ ſucceſſoribus, hoc eſt quibus eadem beneficia conferentur, ſeruari conuenit, vt iiſdem debita, iuxta Suar. *de cenſur. diſp. 21. ſect. 2. num. 57.* Sayr. *de cenſur. lib. 3. cap. 21. num. 4.* Theſaur. *in praxi Eccleſ. par. 2. verbo vacantium cap. 1.*

Eſt & priuatus iure recipiendorum beneficij ſui fructuum, quiſquis vacantis bona occupat, cum iure guardiæ aut patronatus per *cap. in generali 13. de elect. in 6* hæc enim duo ad ſubeundam hanc pœnam exigi, nempe vſurpationem iuris patronatus, & bonorum earundem Eccleſiarum vacantium dixere Nauar. Enchir. 27. *num. 123.* Suar. *de cenſur. diſp. 23 ſect. 4. num. 6.* & Tolet. *lib. 1. cap. 39. circa quartam excommunicationem*, pœnam hanc tamen per ſe non teneri Clericos exequi, ſed requiri declaratoriam ſeu executoriam iudicis ſententiam habet, Suar. *loco proxime citato num. 7.* quod etſi Theſaurus non probet *verbo vacantia cap. 2. ver. nota ſecundo*, tenendum eſt tamen, vt maiorem veriſimilitudinem habens.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXIII.

Dubia quædam explicantur, ad eorum intelligentiam quæ proxime ſunt dicta.

DVbium primum, *An in Beneficiariorum ſit iure, patrimonio ſuo parcere, vt illud propinquis aut alijs cum decedent, integrum donent.*

Cauſæ dubitandi ſunt duæ. Prima, quod bona Eccleſiaſtica, hoc eſt Sacerdotiis annexa, pauperum ſint bona, ſunt ergo diuitibus indebita: ergo ab eo non conſumenda in communi vita, cui aliunde ſuppetit, quod tuendæ ſaluti propriæ tribuere valeat.

Secunda, quod quæ beneficiario de iuſta ſua, ac ſuorum ſuſtentatione ſunt reliqua, hæc ſint eroganda inopibus: ergo & patrimonium, quo non eſt vſus, vt ex bonis Eccleſiæ viueret.

Dicendum tamen cum Nauar. *in tract. de reditib. Eccleſiaſt. q. 1. admonit. 32.* Molina *diſp. 145.* Sylu. *in ver. Clericus 4. q. 16.* Reginal. *to. 2. lib. 30. tract. 3. cap. 7. num. 90.* Sanch. *in conſil. lib. 2. cap. 2. ſect. 48.* beneficiariis id omni iure permiſſum eſſe. Naturali quidem, quia cum vni cuipiam bona genere diuerſa ſuppetunt, quorum eſt æqualiter Dominus, his vti arbitratu ſuo poteſt, quæ magis ad ſtomachum faciunt, cum cauſa ſit nulla cur hæc illis præferri oporteat, aut vice verſa illa iſtis. At ſunt bona ad beneficiarios hæreditario tranſmiſſa iure, ſicut & ſacra Eccleſiaſtica, quæ beneficiis ſunt coniuncta, etſi non æquali modo iure, tamen pari ac ſimili, beneficiariorum propria, cum ſint verè eorum Domini: ergo ſi hæc illis, aut illa iſtis in communi ſibi vita præferenda cenſuerint, non peccant.

Facit quoque pro iis ius diuinum, nam auctore Paulo 1. ad Cor. 9. qui operam ſuam alicui collocat parem ab eo labori, induſtriæque ſuæ cōſequi mercedē debet, eam ergo ad vitæ cōparanda ſibi ſubſidia neceſſaria ſi Clericus conuertat, iuſte quis arguat? Id ſi poteſt, ei dari vitio honeſte nequit, quod patrimonium intactum ſeruet, beneficij ſui prouentibus familiam, ſeque ſuſtentet. Nec item quod moriens, illud amicis teſtamentariis ſuis tabulis leget. Enimuero bene de alio mereri ſub vitæ finem poteſt Clericus quilibet, eorum largitione bonorum quæ fecit ſui iuris, ratione, fortuna, aut ſucceſſione, cum natura, conditioque ſtatus Clericorum quem Chriſti cauſa eſt amplexus, illi quæ ſunt cuique à natura conceſſa non adimant, nempe de rebus ſuis arbitrari ad placitum.

Ad cauſas dubitandi reſpondend. Priori quidem, falſum eſſe quæ beneficia proferunt bona diurna ac annua, pauperum eſſe pro- A pria, niſi quoad eam partem quæ de iuſta eorum eſt ſuſtentatione reliqua, idque ex deputatione Eccleſiæ. Conſequentiæ ſimiliter ſunt falſæ, prior quidem, quod peræque ac pauper, adminiſtrando beneficio operam nauare ſuam diues queat: ergo quam iuſtè ille, tam iſte eius præſtitæ mercedem recipere poteſt ac petere: ergo & ex ea viuere.

Ad ſecundum reſpondend. etſi ſit patrimonium, quod ſepoſitum eſſe ad vſus non præuiſos, aut donationes mortis cauſa, beneficiarius voluit, eiuſdē ſuſtentationi ſit ſuperabundans, B proinde numerandum in non neceſſariis, quia tamen ex beneficij fructibus non prouenit, ſed ex eiuſdem poſſeſſoris induſtria, ac labore, ipſum ſibi ſubtrahentis, non eſt Eccleſiæ præceptio, de ſuperfluis in pauperes erogandis, ad iſtiuſmodi bona extendenda.

Scio Gratian. ex Hieronymo ad Damaſum referre 1. *q. 2. can. Clericos 6.* illis duntaxat Clericis conuenire, *Eccleſiæ ſtipendijs ſuſtentari, quibus parentum & propinquorum nulla ſuffragentur bona, qui autem bonis parentum, C & opibus ſuſtentari poſſunt ſi quod pauperum eſt, accipiunt, ſacrilegium committere.* Sed tam hic canon quam *ſeptimus eiuſdem qu. & cauſæ,* intelligi debet de caſu ſeu articulo neceſſitatis, in quo D. Thoma teſte *etiam pro redemptione captiuorum, & alijs neceſſitatibus pauperum vaſa etiam cultui diuino dicata ſunt diſtrahenda: & in eo peccaret Clericus, ſi vellet de rebus Eccleſiæ viuere, dummodo haberet patrimonialia, de quibus viuere poſſet, 2. 2. quæſt. 183. art. 7. ad 3.*

Dubium ſecundum, *An quod beneficiario D poſt ſuſtentationem, de bonis quaſi patrimonialibus, aut diſtributionibus quotidianis ſupereſt, vt ſuperfluum pauperibus ſit debitum.*

Dico primò, *Quod de bonis quaſi patrimonialibus, beneficiario poſt honeſtam ſuam, & ſuorum ſuſtentationem eſt reliquum, non neceſſario inopibus dandum eſſe.* Quia non ſunt ea bona, de eorum genere, quæ à beneficio vti cauſa ſua, originem ducunt.

Secundo, quæ quis vi ingenij, ſedulitate operæ, manuum labore conſequitur, hæc Eccleſiæ voluntati, arbitrioque non ſunt obnoxia, ſed eius ſolius, qui illa eſt induſtria lucra- E tus ſua, ſed bona quaſi patrimonialia ſunt talia. Dicere enim ad populum, in Eccleſiis modulata voce inter Simphoniacos canere, miſſam facere qua dici hora viſū erit poſtulāti eam fieri, humana ſunt opera, quibus ſua, propriaque merces eſt debita, quæ & ipſa in bonis eſt cenſenda quaſi patrimonialibus, ergo cum eius partem aliquā, ſibi vendicare Eccleſia iure nequeat, nec ſi de ea mercede quidquam erit reliquum, quod ad vſus vitæ non ſit beneficiario neceſſarium, id ab eo pauperibus vt detur, imperare cum ratione non poteſt.

Dico 2. *Nec de annonis diarijs quas diſtributiones nomināt quidpiā eſſe pauperi dandū neceſſario, quod negatum, in negantis cedat exitium.*

Ratio eſt, quod ſint hæ beneficiarij ſolius poteſtati obnoxiæ, vtpote in eius iure, dominioque poſitæ, non ſunt ergo eiuſmodi, quas minui auctoritate Eccleſiæ, ac cum pauperibus quoad eam partem, quæ eſt ſuperflua, communicari ſit neceſſe.

Confirm. quæ ad ius alicuius dominiumque plenè pertinent, hæc ab Eccleſia onere grauari aliquo nequeunt, quod ſit veri, legitimique poſſeſſoris iuri oppoſitum, ſed diſtributiones ſic ſunt beneficiarij propriæ, vt de iis diſponere poſſit liberè, ſicut de bonis patrimonialibus, Couar. teſte *in cap. cum in officijs de teſtamentis num.* 4. quam eius ſententiam ſequuntur Sylu. *ver. Clericus 4. q.* 4. Roſella *cod. 4. num. 2.* Reginald. *lib. 30. trac. 3. cap. 7. num. 92.* probatque hæc ratio, ſunt bona, quæ Clerici acquirunt ob ſuum perſonale miniſterium, operam, officium, & laborem in concionando, audiendo cōfeſſiones, & opera id genus alia. (Enimuero *in cap. de Cleric. non reſidentib. in 6.* qui officiis diuinis interſunt, *rerum ſic receptarum dominium dicuntur acquirere, eaſque ſuas facere.*) Sed de his, quæ ſunt ob perſonale miniſterium, certi alicuius hominis propria, detrahere nihil poteſt Eccleſia, quod detur alteri, ſine eius ad quem ſpectant iniuria, ergo nec de diſtributionibus, quæ erit de iuſta beneficiarij ſuſtentatione pars earum reliqua, non eſt Eccleſiæ inſtituto ac voluntate debita pauperibus.

Dubium tertium, *An Commendatarius, bonorum quæ beneficium eius parturit, ſit Dominus, & quatenus.*

Dico primo, *Quæ beneficia ad tempus commendantur à Papa aut Epiſcopo, hæc in Commendatarij iure dominioque non eſſe.*

Ratio eſt, quod Commenda quæ tempore definitur, adminiſtrationem nudam habeat ac cuſtodiam, ex *cap. cum in nobis extra de electio.* vnde fit vt cui Commenda eſt eiuſmodi ab Epiſcopo tradita, non plus habeat iuris in beneficio commendato, quam depoſitarius in depoſito Fabric. *in Theor. rubr. de benefic. in commend. & in titul. num. 4.* quare non facit fructus ſuos, non magis quam de re fidei ſuæ concredita depoſitarius, non eſt ergo beneficii ſibi commendati poſſeſſor, ergo nec fructuum quos progenerat, dominus.

Eſt conſequent. vltima prope certa, nam ad eum duntaxat fructus pertinent, qui eſt rei, ex qua colliguntur poſſeſſor ac Dominus, ergo ſi Commendatarius rei ſibi ad cuſtodiam datæ, non erit poſſeſſor ac Dominus, nec erit fructuum quos parit.

Non eſſe vero Cōmendatarium ad tempus, rei commendatæ, id eſt beneficij poſſeſſorem, patet ex notis ſubſequentibus.

Prima, quod illud permutare, aut de eo aliter diſponere nequeat, Gloſſa *in cap. ſi conſtiterit in ver. commendata ext. de accuſat. & 10. q. 3. can. qui plures verbo ratio.*

Secunda, quod de perceptis rationem exhibere, ac reddere Epiſcopo debeat.

Tertia, quod de rei ſibi commendatæ prouentibus, ea duntaxat ſibi ſumere commodè queat, quæ ad vitam ſint ſatis, reſeruatis legitimo ſucceſſori reliquis.

Quarta, quod ad concedentis arbitrium, hæc ei commenda poſſit eripi *cap. 1. de Capell. Monachor.* quod in beneficio locum non habet, eo quod ſit perpetuum.

Dico ſecundò, *Commendatarios ad vitam, fructuum demandatæ ſibi commendæ eſſe dominos, ſed cum onere ex inſtitutione Eccleſiæ, vt ſuperfluos, hoc eſt, ad iuſtam ſuam ſuſtentationem non neceſſarios pauperibus tribuat.*

Ratio eſt, quod Commendatarii perpetui eadem ſint onera, quæ eius, cui beneficium datum eſt in titulum, vt tradunt Choppin. in *lib. 3. de Doman. tit. 28. num. 6.* & Bleyanus *de beneficijs in titul. & commend. n. 19.* ergo vt eſt huic ex præcepto Eccleſiæ neceſſe, quod ſupereſt ex beneficii fructibus, erogare in vſus communes, & ordinarios pauperum, ita & commendatario perpetuo.

Dico tertiò, *Nec Equites commendatarios, nec alios, qui tria ſunt in religione vota profeſſi, de commendæ ſuæ fructibus poſſe ad voluntatem diſponere.*

Ratio eſt, quod ſint per vota incapaces dominii, ergo & vſus rerum temporalium, quarum cuſtodiam habent, vt enim per paupertatis votum, abdicarunt ſe bonis, eorumque proprietate, ita & iure iis vtendi, aut diſponendi independenter à ſuperioris ſui voluntate, quæ eſt cauſa, cur iis Commendatariis, ſi peccare nolint, à Generali ordinis ſui Magiſtro facultas ſit petenda, Commendarum quas habent, fructus traducendi in ſuos vſus, de quibus, ſi ſub finem anni quidpiam ſibi ad vitam non neceſſarium habent, de eo pauperes, eorumque leuare miſerias nequeunt, quod ſint eiuſmodi fructuū reliquiæ, ordini auctoritate Papæ reſeruatæ, vt enim eſt hic ad bonū Chriſtianæ Reip. Deique gloriam inſtitutus, vigere autem ac florere ad Turcarum perniciem ſine armatorum claſſe non poſſit, nec iſta adornari, ſine magna rerum omnium, annonæque copia, nec vtraque ſine pecunia, quæ prædictis Commendatariis de depenſo annuo ſupereſt, hanc in ſumptus belli, ac Ordinis vtilitatem, tanquam in pios vſus, Papæ applicari placuit, in alios proinde ab illis non conuertendam facile.

Dubium quartum, *An beneficiarius tantum in vſus ſuos de bonis Eccleſiaſticis traducere queat ſine crimine, quantum de patrimonialibus inſumpſit in bonum beneficij aut Eccleſiæ.*

Dico

Dico primò, *Si qua ſunt à beneficiario reparandæ Eccleſiæ, aut reficiendis impenſa ædibus, hæc eidem ſunt donata, iſta illum ab ea repetere non poſſe.*

Ratio eſt, quod donatio facta Eccleſiæ, aut Monaſterio, dominium transferat, etiam ſine vlla traditione vt eſt in *lege 2. Cod. ſi quis alteri vel ſibi lege ſine mancipati Cod. de donatio.* at quæ noſtra non ſunt, æſtimare non poſſumus, aut pro iis, eorumque loco aliquid recipere, aut petere: ergo, &c.

Secundo, ſi quantum donaſti Eccleſiæ de patrimonij tui fructibus, tantundem de ſacris eius reditibus tibi potes vendicare ſine ſcelere, potes & donationem acceptatam legitimè rumpere. Id autem vere dici qui poſſit, non video, cum acceptatio ius inchoatum ac in rem, donatario tribuat, quo priuari contra voluntatem non debet.

Quid ſi de intentione ſua beneficiarius ambigat? & an gratis de Eccleſia, aut beneficio ſuo mereri voluerit, patrimonij ſui partem in eorum expendendo commodum, neſciat?

Reginald eſt opinio, in eam dare ſe partem beneficiario licitum, quam volet, & donec expreſſe donationem fecerit, (verba ſunt eius) eius quod ſic expendit, liberè poſſe intentionem habere non expendendi gratis, & conſequenter poſſe memorata compenſatione vti.

Dico ſecundò, *Beneficiario fas eſſe, tantundem ab Eccleſia, eiuſque bonis repetere, quantum de ſuis in eius expẽdit commodum,* ita Nau. *in tract. de reditib. Eccleſ. qu. 3. admonitione 4. num. 3.* Angelus *ver. Clericus 13. num. 9.* Panormitan. *in cap. de his extra de Eccleſiis ædificandis.*

Ratio eſt, quod etſi ruinã Eccleſiæ patrimonij ſui bonis prohibere, aut collapſam reparare, beneficiario ſit laudabile, non eſt tamen neceſſe id illum de bonis aliis facere quã Eccleſiaſticis: quare ſi ex beneficio nihil ſit ei reliqui, quod vitæ ſuæ neceſſitati ſuperſit, nihil tunc de ſuo victu, & neceſſario cultu cogitur Eccleſiæ tribuere (inquit) Comitol. *lib. 1. reſponſ. q. 82. num. 3.* quidquid ergo de patrimonij ſui delibatum reditibus erit in Eccleſiæ commodum, à beneficiario collatum, id per ſe ſibi de bonis beneficii ſuperfluis ſi rependat, non peccat. *Si aliquid* (inquit Panorm.) *expendit de patrimonio ſuo ad vtilitatem Eccleſiæ, poteſt illud repetere, niſi fecerit animo donandi quod bene mente ſcit ille.*

Sunt his quam ſimillima quæ in Concil. Brachar ſunt præſcripta his verbis *in can. 8.* *Quod ſi aliquid pro vtilitatibus Eccleſiæ, aut ſubſtantiæ expendit, aut diſpendij, aut perditionis quidpiam pertulerit, ſi hoc comprobari potuerit, totum illi à rebus Eccleſiæ eiuſdem, reformabitur, pro cuius vtilitate id expendiſſe probatur.*

A Eſt hæc ergo Aſſertio vtpote auctoritate firmata Concilij non improbabilis.

Dubium quintum, *An quæ beneficij curator ac poſſeſſor bona ſuſtinendæ vitæ non neceſſaria, amicis aut propinquis largitur, ab his reſtitui Eccleſiæ aut pauperibus debeant.*

Debere aiunt hi Doctores qui putant, reditus Eccleſiaſticos qui ſunt ſuperflui, ex naturali iuſtitiæ lege, in pium aliquem vſum erogandos eſſe, quia cum tali onere (inquiunt) ac pacto tacito, dati ſunt à fidelibus Eccleſiæ, & ab hac beneficiariis, nam hinc ſequitur, nec ab iſtis titulo donationis gratuitæ, aut legati tribui, nec ab aliis poſſe eo nomine accipi. B Quia non ſua, dare nemo poteſt alteri valide, nec hic accepta retinere, at ea quæ beneficiario, de ſua ſunt ſuſtentatione reliqua, ſunt hæc inſtituto ac voluntate Eccleſiæ, piæ cauſæ aut pauperi debita, conceſſa ergo aliis non ſunt iis acquiſita legitime, his ergo, quorum ſunt in iure, dominioque, reddi debent.

In ea tamen ſententia quam defendi, ſecus eſt dicendum. Enimuero cum bonorum Eccleſiæ dominium, iuſque eorundem abſolutum, C ſine vllo iiſdem annexo iuſtitiæ onere, ad beneficiatos pertineat, contra eam non committunt, quando ea quibus eſt placitum, diſtribuunt: ergo cum reſtitutio, læſæ ſit iuſtitiæ reparatio, nulla eſt in præſenti materia neceſſaria.

Peccat quidem contra charitatem beneficij poſſeſſor, ea largiendo conſanguineis, quæ fructu maiori ac laude, pauperibus præbuiſſet ac Eccleſiæ, his ea tamen non tenetur reddere, quia quæ ſua abſolute ſunt iure, dominioque poteſt quiſque valide, ac ſine reſtituendi onere dare, at eſt bonorum Eccleſiæ beneficiarius dominus, non peccat ergo cõtra D iuſtitiam, qui cum pauper aliquis graui oppreſſus miſeria, eleemoſyna donandus foret, eo tamen præterito, beneficentiæ vim ſuæ, effectumque, in alium ſimiliter non egentem confert.

Dubium ſextum, *Quinam pauperum nomine in quos debent beneficiarij ſuperflua ſua expendere, Doctores intelligant.*

Quicquid cauſæ piæ rationem habet; eiuſmodi ſunt bona opera, Eccleſiarum reparatio, Monaſteriorum conſtructio, Xenodochiorum inſtauratio, Nauar. in *tract. de reditibus Eccleſ. q. 1. admonit. 26.* E

Eſt enim eadem, parque in hac cauſa pauperum notio, ac cum de fructuum reſtitutione, ob omiſſum horarum penſum agitur. At tum nomen pauperum, ad quamcunque cauſam piam extenditur, ergo & hic, vult enim Eccleſia bona ſua non fidelibus prodeſſe modo, vt honeſte vitam colant, ſed & prouehendæ inter eos pietati, quod fit cum ea ad Dei cultum, ædificandis ſacris ædibus, aut ſi

collapſæ ſunt reparandis, alendiſque pauperibus impenduntur, quibuſnam verò? iiſne duntaxat, qui locum, vbi ſitum eſt beneficium incolunt, an promiſcuè omnibus? A

Quos lubet, & ex quacunque ſelectos vrbe, prouinciaque, ſuperfluis ſuis dignari beneficiario eſt licitum.

Primo, quia de voluntate Papæ oppoſita literis ſcriptis non conſtat aut canonibus, quæro enim vbi ſunt hi editi, quando & à quo Beneficiariis promulgati?

Secũdo, cũ Eccleſiæ par & æqualis in omnes ſit ardor, ęqualis optimæ matris in filios charitas, abunde eius voluntati fit ſatis, cũ qui verè ſunt pauperes, reſiduis de decenti ſuâ honeſtaque ſuſtentatione, beneficiarius in quacunque mundi plaga poſitos adiuuat, fouetque. B

Quid? quod ſit hic omnium non male de pietate iudicantium ſenſus? quod recepta vbique conſuetudo, quam erroris arguere non paruæ foret in politicis imprudentiæ. In quoſuis ergo inopes, quod ex beneficij ſui fructictus ſupereſt, beneficiarius cum expendit, niſi de voluntate fundatorum contraria certum quid habetur, officium facit.

Dubium ſeptimum, *An de ſacris beneficiorum prouentibus diſſoluere, æs contractum, beneficiario ſit permiſſum.* C

Quæſtioni pridem à Lucio Papa III. *in decret. peruenit 2. de fideiuſſoribus*, eſt factum ſatis. Enimuero cum de pecunia à Clericis, Bononienſi cuidam ciui, qui pro eis fideiuſſerat ſoluenda eſſet, coram Pontif. mota quæſtio foret Elienſi Epiſcopo pro auctoritate præcipit, debitores ſerio vt admoneat, pecunias vt ſuo reditori reſtituant, eumque ſeruent indẽnem, qui pro eis ſolueret, *alioqui redditibus eorum præſcripta debita ſolui, & damna etiam quæ propter hoc pertulit, reſarciri curet, aut prædictos redditus ei aſſignet, tandiu ſine moleſtia detinendos, donec ipſa damna reſarcita fuerint, & debita ſine diminutione ſoluta.* D

Sane etſi ſit hoc Eccleſiæ reditibus annexum onus, vt id, quod poſt honeſtam Clerici ſuſtentationem ei eſt reliquum, pauperibus erogetur, aut locis piis 12. *q.* 1. *can. Epiſcopus* 23. *& can. res Eccleſiæ* 26. *eiuſd. q. & cauſa*, ex eo tamen, quando aliunde nihil vnde contracta nomina expleat, ei in fortunis ſuppetit, ſuo ſatisfacere creditori poteſt: Nam quæ dare pauperi ei non eſt prohibitum, cur indigenti ſibi applicare ſit nefas? non eſſe, Nauar. aſſerit in *tract. de reditib. Eccleſiaſtic. q.* 2. *monito* 26. Ludouic. de Bea *par.* 2. *caſuum caſu* 25. *&* 12. vbi eſt his verbis: *Beneficiarius tanquam Eccleſiaſticorum ſuorum redituum diſtributor, poteſt ex ijs, quæ de decenti ſuſtentatione ſuperfluunt, ſuſcipere ſibi tanquam pauperi vnde debita ſua, tanquam debita pauperis ſoluat, etiamſi debita illa iniuſte ſint contracta.* E

QVÆSTIO XXIII.

Explicantur dubia quædam ad præſens inſtitutum pertinentia.

DVbium primum, *Ad quos deuoluantur bona beneficiarij de quibus teſtari non poteſt.*

Hoc eſt quærere, quæ ſint Clericorum ſpolia, & ad quos pertineant, in cuius quæſtionis explicatione infinitus eſt Nauar. *in comment. de ſpolijs Clericor. ſuper can. non liceat Papæ* 12. *q.* 2. breuior ere.

Dico ergo primò, *Spoliorum nomine, non comprehendi bona Clericorum patrimonalia, aut quæ prolibito quibus placet, dare poſſunt*, Nauar. *parag.* 1. *de ſpolijs num.* 4. Nec quæ ab iiſdem dum adhuc viuerent, applicata ſunt in vſus pios, cuiuſmodi ſunt quæ Eccleſiis, pauperibus, piiſque locis ſunt ſine eorum fraude data, quibus debebantur, qualia iure præſumi poſſunt, quæ imminente in diſceſſum anima dari ſolent. Illa ergo quia legitimè ſunt donata non ſunt amplius in Clericorum poteſtate, ac iure, nec his illos aliquis non ſpoliat, ſed ſpoliatos inuenit, vt Nauar. ait *n.* 3. *&* 4.

Tertio, nec ad ea quæ iniuſtè ſunt donata, vt ad vſus profanos & malos, ſpolij ſe Clericalis nomen extendit. Quia eſt eorum dominium à donãte Clerico, in recipientem tranſlatum, cui vt adimi iuſte ac auferri nequeunt, ſic nec ad ea reſtituenda cogi, etſi cum peccato hic ea cœperit, vt meretrix, ſicarius, hiſtrio.

Quarto, nec in Clericorum ſpoliis continetur ſacra, aut libraria ſuppellex, quæ in libris, vaſis, ornamentis Eccleſiaſticis conſiſtit, cuiuſmodi ſunt calix, frontale altarium, veſtes Sacerdotum ad Sacrificium, neque tamẽ de iis teſtari beneficiarij poſſunt, in Italia. vel ab inteſtato ea cuipiã relinquere, ſed hæc omnia in ius, dominiumq; Eccleſiæ tranſeunt, in quã cum viuerent, beneficiarij erant, ſtatuit id Pius V. *in Extrauag. de ſpolijs ann.* 1567. de qua Nauar. *parag.* 8. *de ſpolijs.*

Quinto à ſpoliis remouenda ſunt omnia, quæ in peculio Clerici reperiuntur, qui cum viueret, de reditibus Eccleſiæ non poſſedit in aunos ſingulos, vltra 30. ducatos auri de camera, Pius V. ibid.

Remouenda ſimiliter à ſpoliis ſuppellex domeſtica Clerici, in qua ſunt libri, Cathedræ menſæ, arcæ, linteamina, & ſimilia, ſpolii ergo rationem ac nomen quænam Clericorum bona ſibi vendicant?

Dico ſecundò, *In Clericorum ſpolijs contineri reditus beneficij adhuc extantes, ſiue in toto, ſiue in parte, ſiue tam ſint apud Clericum, ſiue apud Collectores, aut diſpenſatores, ſiue ſint in pecunia,*

pecunia, ſiue in nominibus, quia præſumitur hæc nata ex bonis Eccleſiæ, iſtique beneficiario ius eſſe poſtulandi vt à debitore expunganur, quia illa ex pecunia mutuo ab eo accepta, eaque coniȩctura non improbabili, ex rebus Eccleſiæ collecta, contraxit.

Eodem domus ac prædia pertinent, hæreditas ac penſiones, quas non eſt improbabile, pari rerum genere, hoc eſt fructibus beneficii, coemptas eſſe, Nauar. *parag.1. num.2.* Pertinent item ad prædicta ſpolia, quæcũque negotiatione illicita, aut quouis alio modo prohibito, venerunt in ius ac poteſtatem Clerici, vt patet ex fine Bullæ Pii V. & Pii IV. de anno 1560. quæ habetur apud Nauar. *parag.7. num.3.* non ſunt hæc bona tamen cameræ Apoſtolicæ inferenda ante ſententiam, ſed ad defuncti hæredes ex teſtamento, aut ex inteſtato pertinent.

quinto, ſpoliorum nomine, vt colligitur ex bullis Pii quinti & Gregor. XIII. intelliguntur reditus beneficiorum omnium, à die vacationis eorum, vſque ad nouam eorundem promotionem, quos cameræ Apoſtolicæ applicandos prædicti ſtatuere Pontifices. Eorũ voluntati affinis ac ſimilis extitit Ioa. XXII. charitas cũ eum Romanæ Eccleſiæ, in dubiis ſuis afflictiſque temporibus adiuuandæ gratia, beneficiorum vacantium primi anni fructus omnes dictæ cameræ Apoſtolicæ aſſignaſſe, ſit hiſtoricorum fide certiſſimum.

Dico tertiò, *iure antiquo canonum, decedentium Clericorum ſpolia, ſucceſſori eſſe debita, aut in Eccleſiarum conuertenda commodum*: Ita Alexand. III. de fructibus vacantis Eccleſiæ ſtatuit *ca. cum vos de officio ordin.* Conc. Ilernenſe autem *can* 16. de ſuppellectili domeſtica mortui, mobilibus inſuper, ac immobilibus ſucceſſori

D ſeruandis, vt refertur 12. *q.2. can. hac huius placiti 38.* ſecus qui facit, bonaque vacantis Eccleſiæ, ſeu beneficii fructus occupat, ex iure ſibi non competenti, excommunicationem Papæ reſeruatam incurrit, nec remittendam, niſi ſatisfactione præcedente, Theſaur. *par 2. prax. Eccl. de excom. loquitur Vrban. 12. q.2. can. de Laicis* 46. Innoc. Papa 2. in *Concil. Later.* Symmach. *in Synodo 3. can.4.* De reſtitutione eſt his verbis 12. *q. 2. can. non liceat* 20. *Qui ſubſcripſerit*, inquit ibi Pontifex, *anathema ſit, cum eo qui dedit, vel recepit, niſi reſtituatur.*

Excipiendus eſt caſus, in quo defunctus bona ſua pauperibus diſtribuenda curaſſet, ſic enim Vrbanus ſupra. *Epiſcoporum deficientium res per Archipresbyterorum manus, aut ſecundum morsuorum iudicium pro ipſorum ſalute diſpenſentur, aut ſucceſſori quifuturus eſt reſeruentur*: ſanxit idem Bonifac. Papa VIII. in *cap. quia ſæpe, de elect. in 6. & cap. præſenti de offic. iudicis ordinar.*

Dico quartò, *Prædicta Clericorum ſpolia*

A *pertinere ad ſummum Pontif. humano iure*, cuius auctor Paulus Papa tertius extitiſſe primus dicitur, eſt in omnium oculis ac manu eius conſtitutio Romæ edita anno 1541. vbi poſtquam ſuæ & prædeceſſorum ſuorum voluntatis fuiſſe dixit, vt huiuſmodi ſpolia ad cameram deuoluerentur Apoſtolicã, ſtatuit, vt id ſeruari poſſit in poſterum non otioſe ac ſegniter, ea per deputatos colligi, his duntaxat exceptis, de quibus decedens teſtandi facultatem habuiſſet. Bullam hanc conſecuta eſt alia Iulij III. de anno 1553. in eam-

B dem ſententiam, quæ approbatorem habuit Paulum IV. à quo de ea re anno 1556. noua conſtitutio prodiit, ſicut & à Pio IV. an. 1560. à Pio V. an. 1567 à Greg. XIII. an. 1577. tres aliæ in eandem ſententiam, quas vbique receptas non eſſe, vſu experiẽtiaque ſcimus.

Dubium ſecundum, *Quid ſibi de proprij beneficij reditibus ſeruare beneficiarij valeant ſuſtentationis congruæ titulo?*

Dico primò, *In ſuſtentatione honeſta ac decenti beneficiarij, includi ſeruorum numerum neceſſariũ ad obeunda familiæ munera*: quis autẽ, qualis, & quantus eſſe hic debeat, prudentis

C eſt arbitrari, non meum, cui ſingulorum opes, dignitas, ac merita non ſunt nota, eum ſane ad Romanum vſum delineauit Nauar. *miſcell. 62. ac orat. num* 7 non placere tamen hunc plurimis, infinita prope eorum familia, ſeruorumque turma non neceſſaria niſi ad pompam faſtumque, indicat.

Dico ſecundò, *Suſtentationis congruæ nomine comprehendi omnia*, quibus ad beneficiatum, eiuſque familiam alendam eſt opus.

Secundo, quæ ad ornamentum corporis pertinent.

Tertio, quæ ad relaxationem animi.

Quarto, quæ ad perſonam eiuſque honoris gradum ſuſtinendum, quem eſt inter ſuos populares conſecutus,

Quinto, quæ ad expenſas in ludo moderatas faciunt.

Sexto, quæ ad conuiuia pro qualitate beneficij, conſanguineis & amicis Chriſtianè ac modeſtè exhibenda, humanitas vrbanitati coniuncta impendi poſtulat, Molina *diſput. 141. parag. tertium eſt*, nec diſſentit Nauar. vt videre eſt in *q.1 monito. 27 & 28.*

Septimo, extendit ſe honeſta ſuſtentatio

E ad ea, quæ ad hoſpitalitatem erga peregrinos exercendam charitas decentiaque poſtulant.

Octauo, ad ea quæ ſunt ad donationes præſtandas pro ratione ſui gradus & ſtatus requiſita: item ad remunerationes, tam quæ gratitudinis titulo, quam quæ ſolo liberalitatis intuitu. nomineque fiunt. Decet enim ſingulos, eſſe erga ſuos benefactores non ingratos, quæque in eos collata ſunt beneficia, ſimilibus, ac vero etiamſi fieri honeſte poteſt, compenſari maioribus D. Thom. 2.2.

q. 106. *art.* 6. modo ne rationem excedant modumque, qui inter accepta, eorumque intuitu ac occaſione, reddenda beneficia, intercedere debet, alioqui læderetur æquitas, ad quam tantum rependere attinet, quantum eſt acceptum, nam qui pro 12. 40. ex officio reſtitui oportere crederet, peccaret, vtpote qui acceptis reſtituenda non æquaret, eaque beneficentia, ad pia ſe redderet opera impotentem.

Dico tertiò, *Eorum omnium quæ ad ſuſtentationem congruā neceſſaria eſſe diximus, æſtimāda eſt quantitas, cum ex perſona & officy dignitate, tum ex redituum amplitudine ac copia.* Plura enim Decano licent, quam ſimplici Canonico, plura Epiſcopo, quam cuilibet de turba Presbytero, vt enim ille meritis ac dignitate iſti præſtat, ita non eſt iniquum ab eo plura in pauperes, plura in amicos & conſanguineos prodire merita, beneficentiæque teſtimonia, quam à Canonico, (cuius tanta non eſt, quanta Epiſc dignitas) proficiſci ergaſuos ſolent liberalitatis argumenta. Sane à iure tam diuino, quam naturali ac humano non eſt alienum, vt qui plus meretur, plus acquirat, & vt Presbyteri qui bene præſunt, digni habeantur honore duplici, maximè qui laborant in verbo & doctrina, 1. ad Timoth. 5. hæc igitur ad vſus retinere ſuos, vt beneficiariis non eſt vllo iure vetitum, ita ſunt ab iis reliqua piis expendenda operibus, & quidem, cum eſt ſumma grandis, ſub pœna peccati mortalis,

Dubium tertium, *Quæ ſint pia opera, in quæ expendi oporteat, quæ beneficiario de congrua ſua ſuſtentatione ſunt reliqua.*

Cum pietas propriè Dei cultus intelligi ſoleat, inquit Auguſt. *lib. 10. de Ciuit. Dei cap.* 1. quæ eum opera reſpiciunt ac promouent, hæc pia vocari ſolent: quare cum Clericis ac Regularibus idem ſit in communi vita propoſitum, vt precibus ac ſacrificiis Deum placent, quæ in eum finem de ſuperfluo ſuo erogaturi ſunt Epiſcopi ac beneficiarij, hæc dicentur in pia erogaſſe opera. Addo amplius, quia dupliciter pietas vſurpatur, vno modo, more vulgi, Theologorum altero: more vulgi, cum in miſericordiæ operibus frequentatur, opinor ideo, quod hæc Deus fieri mandet, eaque ſibi præ ſacrificiis placere ſignificet Math. 9. *miſericordiā volo & non ſacrificium*, qua ex conſuetudine factum puto, vt Deus ipſe, pius dicatur. Et quia nihil illi accidere gratius, homini autem vtilius poteſt, quàm ſi ſua ſalus ei ſit curæ, quæ neglecta eundem facit miſerum, illum adhortatur ſapiens, ne ſe contemptum eat, ſed ſui cultura perquam diligenti ac ſtrenua, quod res eſt, indicet nempe, omnium ſe, ſed præcipue ſui, miſericordia capi *miſerere animæ tuæ placens Deo.* Ita legata, quæ ſalutis ac animæ cauſa fiunt, vel egentium ſubſidium, vel mortui in flammis purgantibus ſolatium pro fine habent, pia appellantur, quæ pietatis notio, eleemoſynis quoque competit, tam quæ ſunt corporeæ ſeu materiales, quam quæ ſpiritales, ſic dictæ, quod referantur ad animam, eamque ſalutarib. monitis impleant, ſed de his Nauar. *in tract. 1. de redit. Eccl. q. 1. monit. 26.*

Dubium quartum, *An eleemoſyna pauperibus loci ſint de ſuperſluo facienda, an vero alys quoque eas largiri ſit permiſſum?*

Reſpondet Nauar. *q. 1. monito 27.* cæteris paribus, alienigenis præferendos eſſe incolas loci vbi eſt beneficium, quæ eſt etiam Molinæ opinio *diſp.* 145.

Dicendum tamen quod abſolutè, beneficiato, (vt antea eſt oſtenſum,) quibus lubet dare licet, quia ex nullo nobis canone conſtare certo poteſt, vnis in ſuperfluorum diſtributione, anteponi debere alios, ſed oēs pari illi oportere loco eſſe, ac ſine delectu in eorum bonorum ſocietatē vocari poſſe habet: Chryſ. *in ep. ad Hebr. hom.* 11. *cap.* 6. & refertur, *diſtinct.* 42. *can. quieſcamus* 2. cauſam reddit, *quod non ex vita eorum, quos quis recipit, mercedem retributurus ei ſit Deus, ſed ex voluntate, ex honorificētia, ex miſericordia, ex bonitate*, & licet meliores præterri aliis, tam natura quam auctoritas ſuadeat. Auctoritas quidem, nam vt ſcribit Ambroſ. *lib. 1. offic. cap.* 30. *etſi omnibus debetur miſericordia, iuſto tamen amplius.* Natura autem, quod hæc virtutem colere ac amare doceat, ac vt eſt maior in aliquo, aut minor, ita quoque honore illum ac cultu maiore, aut minore proſequēdū eſſe, tamen quia naturam ac rationem audire decentiæ eſt, nō in neceſſariis, malis bonos, meliores ſibi virtute imparibus præferre, nihil eſt ad fugam culpæ neceſſe.

Dubium quintum, *An propinquis eorumque ſucceſſoribus relinquere beneficiati aliquid poſſint de ſuperfluis beneficy ſui reditibus, quod in eorum vtilitatem ac commodum tranſeat.*

Dico primò, *De reditibus Eccleſiæ*, dare primogenito tantum, quantum eſt ad præbendæ, aut capellæ fundationem neceſſe, ad quam nominet, beneficiario cuilibet licet ſine crimine.

Ratio eſt, quod per ſe cuique licet, idipſum per alium præſtare ſi volet poteſt, at augere bonis, amplificare fructibus ædes ſacras, in iiſque noua Oratoria ſuis exædificare ſumptibus, non eſt Eccleſiæ modo vtile, ſed & fundatori gloriabile, in eo ergo occupari opere, beneficiato permiſſum eſt omni iure, ergo & per alium id tentare.

Dico ſecundò; *De ſacris beneficy ſui reditibus, prædium aut ſimile quid emere, ex quo propinquis tantum in annos ſingulos reditus annui profluat*

profluat, quantum eorum conditio poſtulat, vt inde moderatè viuant, non luxurioſè ac ſuperfluè, beneficiato non datur vitio.

Ratio eſt, quod ſtudere conſanguineis eorum inopiam ſuis ſubleuare eleemoſynis, charitatis ſit, in illos argumentum, proindeque non culpandum. At id facit, quiſquis emptione prædij, futuræ propinquorum indigentiæ proſpicit, cauetque, ergo ſine crimine, cum id in pietatis operibus locum habeat.

Dixi *vt inde moderatè viuant*, nam ſi eſſet in præbendæ fundatione id beneficiario propoſitum, vt ſui, ſuæque gentis extaret memoria, in emptione autem caſtri vel prædij, dare conſanguineis vnde eorum familia ſplendorem traheret, non eſſet hæc eius in illos beneficentia, laudabilis ac ferenda, nec pietatis in eoſdem opus, ſed arrogantiæ, Sanch. in *conſil. lib. 2. cap. 11. dub. 38. num. 12 concluſ. 4.* Molina *lib. 2. de primog. cap. 10. num. 48.*

Excipiendus eſt caſus, in quo beneficiatus magni vir eſſet nominis, magnæ in Eccleſia auctoritatis, ob collatam ſibi à Pontif. Cardinalis aut Epiſc. dignitatem. tunc enim quia in eo gentiles ſui ſtatum mutant, non video cur iis, quod ad decentiam faciat, ac ſi eſt opus caſtrum etiam, vnde ſibi nomen ac lucem trahant, tribuere nequeat.

Dubium ſextum, *An ſi diſtributiones diariæ, ſint hæ quæ ad victum, ſuique ſuſtentationem honeſtam ac decentem, beneficiatus exigit, ampliores, teneatur quod de ijs reliquum erit, in res pias, inopumque commodum impendere.*

Omnino, nam omnia bona Eccleſiæ, ſunt eiuſdem generis & conditionis, eadem cunctorum ſunt priuilegia: ergo & eadem omnium onera, ergo vt quæ de annuis non ſunt beneficiario neceſſaria, in pios ſunt vſus pauperumque ſubſidium conferenda, ita & quæ de diarijs. *Incongruum enim eſt*, inquit Greg. *lib. 3. epiſt. 11. ad Maximianum Epiſcop. Syracuſanum, vnam eandemque Eccleſiæ ſubſtantiam duplici quodammodo iure cenſeri.*

Secundo, quæ ſunt de reditibus Eccleſiæ beneficiario ſuperflua, hæc ſunt ex inſtitutione ſua, iure communi tacitoque pacto fidelium conuertenda in vſus pios, at ſunt ea, quæ quot hebdomadis aut diebus, Clerico beneficiato diuiduntur, tanquam iuſtum operæ ſuæ in cultum Dei ſtipendium, reditus Eccleſiæ, parſque ex vniuerſis vna quæpiam detracta, quæ Clericis ad pietatem, ac præſtandum horis ſingulis officium, animos adderet, ergo vt quæ de annuis Clericorum prouentibus iiſdem non ſunt ad vſum vitæ neceſſaria, per eos tribuenda ſunt pauperibus, ita & quæ de diurnis.

At enim (inquies) ſunt quotidianæ diſtributiones, laboris in pſallendis horis in choro iuſta merces.

Quid tum denique? ecquid non hoc illis eſt cum reditibus beneficii annuis commune? Deinde quæro, ecquid hi prouentus à diuerſitate modi quo debentur, aut eos Clerici conſequuntur, ſint diuerſi? ſi ſunt iidem ſpecie, ac tantum tempore quo dantur, aut modò quo illos Clerici lucrantur ſunt diſtincti, cur non erunt eorum onera eadem? Si annales ea dantur lege ab Eccleſia, vt qui de decenti beneficiariorum ſuſtentatione erunt reliqui, in pauperum commodum, Deique cultum cedant, cur non & diarij? cum eorum ab inuicem diſiunctio, legem hanc & obligationem auferre nequeat.

B Dubium ſeptimum, *An penſionibus eadem ſit ex voluntate Eccleſiæ adiuncta obligatio.*

Affirmatiuè reſpondet Nauar. *de reditib. Eccl. q. 1. num. 79.* & Sarmiento *de redit. par. 3. cap. 1. nu. 7.*

Negant Gigas *tract. de perſ. q. 52.* Couar. *in cap. cum in officijs de teſtam. num. 6.* ex quo inferunt penſionarium de reditibus penſionis ſuæ teſtari poſſe libere, eoſque, ſi inteſtatus

C decedat, ipſius hæredibus eſſe debitos.

Sententia Nauar. mihi probatur præ altera: Nam quidlibet ab vnius poteſtate tranſit ad alium cum ſuo onere, *cap. paſtoralis de decimis.* Sed penſio Eccleſiaſtica, pars eſt redituum Eccleſiæ aliqua, ergo cum hi ex tacito eiuſdem pacto cum fidelibus, obligationem hanc habeant, vt in poteſtatem, iuſque pauperum veniant, ſi poſt decentem beneficiarij ſuſtentationem aliqui erunt reſidui, eandem habebit & penſio.

Secundo, non facit perſonæ conditio, vt

D bona, quæ certis erant obligata legibus, deſinant eſſe talia, vt incipiant eſſe ab his libera, ſed reditus Eccleſiæ, eiuſdem ſunt voluntate pauperibus affecti, quando non ſunt Clerico ad vitam, ſtatuſque decentiam neceſſarij: ergo, &c.

Si tamen eſſet penſio de earum genere naturaque, quæ dantur Laicis tanquam iuſtum operæ ſuæ ſtipendium, cuiuſmodi eſſe ſolet, quæ Aduocatis datur, Capitulique Oeconomis, aut ſi Clericis, non tamen vt Clericis, ratione tituli alicuius ſacri, ſed ſecularis tantum, non eſſet hæc, quoad partem eius, de iuſta Clerici ſuſtentatione reſiduam in paupe-

E res impendenda, aut pios vſus, quia cum ſit pro eiuſmodi officiis debita, cum onere iuuandorum inopum ex ſuperabundanti, non datur: ergo.

Dubium octauum, *An beneficiarius peccet & quo peccati genere, ſuperflua ſua pauperibus negando?*

Peccare, nemo qui Patrum ſuper ea re iudicia, ſenſaque contulet, ambiget, audiamus Hieronym. in *epiſt. ad Damaſum. Qui bonis parentum, inquit, & opibus ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt, accipiunt, ſacrilegium profe-*

ſto admittunt, & per abuſionem talium iudicium ſibi manducant & bibunt. Sunt huius veritatis, Auguſt. & alii de Patribus, patroni non pauci, & quidem iſte in *ſerm. 219. de temp.* decimas ait, *tributa eſſe egentium animarum*, at iis negari poſſe tributa ſine culpa quis putet, quibus ſunt ſoluenda? ea ergo indigenti pauperi ſubtrahere, cũ ea dare oportet, nõ vacat crimine.

At enim quo, & quali? Qui Clericos cum res Eccleſiæ malè inſumunt, neceſſaria reſtituendi lege teneri aſſerunt, contra iuſtitiam peccare eos aiunt, pro qua ſententia pugnant è Theol. Halenſ. *in 3. par. q. 36. mẽmb. 5. art. 2. & 3.* Henric. Gandau. *quodl. 8. q. 27. liter. X.* Gerſon *tract. 42. litera & conſideras: 1. & prouiſione* 8. ibi enim ſic loquitur. *Bona pauperum ſunt, quæ Eccleſiaſticis ſuperſunt, vltra ſimplicem victum & veſtitum, iuxta decẽtiam ſui ſtatus in Eccleſia*, quæ fuit Auguſt. opinio, in *epiſt.* enim 50. ad Bonifac. comitem loquens de ſeipſo, reliquiſque Sacerdotib. hæc habet. *Si quæ nobis*, inquit, *ſufficiunt, poſſidemus, non ſunt illa noſtra ſed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis vſurpatione damnabili vendicamus.*

Furti ſunt ergo rei, Auguſt. ſenſu auctorumque quos citauimus, qui ea quibus ad ſtatus decentiam non egent, ſibi reſeruant, negataque pauperibus, propinquis communicant.

Quia tamen quod illi, non credimus, ſed beneficiarios, fructuum quos ſua ſibi ſacerdotia pariunt, vere eſſe dominos, eos ideo ab iniuſtitiæ exemptos crimine cenſemus, cum ſibi ſuperflua de ſuſtentatione congrua decentique retinent, cauſa eſt ex dictis antea perſpicua. Peccabunt ergo, primo contra obedientiam, ſecundo contra fidelitatem, tertio contra pietatem ac miſericordiam. Obedientiam, quia præceptum Eccleſiæ, de ſuperfluis in vſus pios conuertendis, non faciunt. Fidelitatem, quia quod ipſi tacite ſunt polliciti, cum ſunt per Epiſcopum beneficio præpoſiti, non implent. Miſericordiam, quia pauperum miſeriis, inopiaque non ſunt moti.

Dubium nonum, *An bene merendo de quocunque inope, beneficiarius præcepto Eccleſiaſtico ſatisfaciat, de diuidendis cum illo aut eius ſimilibus, ſacris redditibus, & quot modis peccare in ea materia beneficiarium accidat?*

Ordior à poſtrema parte, quodque eſt in ore, ſcriptiſque omnium, hoc aio, peccare primò beneficiarios, cum prodigorum more, ſua effundunt temerè,

Secundo, cum ea in res vanas, ſibique ac ſuis non neceſſarias expendunt.

Tertio cum ea auare ſeruant, ac nouis ſubinde recentibuſque pecuniis ad antiquas additis, propinquis ſuis ac amicis mali ſemina congregant. quia pauperum inopiæ conſulere, tam quæ eſt præſens, quam quæ imminet,

A ac breui futura metuitur, beneficiato incumbit ex munere, contra quod facit, qui cumulandis opibus dat operam, nec ſine culpa. *Rapina enim* (inquit Hieronym. *in illud Iſaiæ rapina pauperis in domo veſtra eſt*) *pauperum in domibus eorum eſt, quando replent theſauros ſuos, & Eccleſiæ opibus abutuntur in delicias publicaſque ſtipes, quæ ad ſuſtentationem pauperum ſunt data, vel ſibi reſeruant, vel propinquis diſtribuunt, & alienam inopiam, ſuas, ſuorumque faciunt eſſe diuitias.*

Quod pauperem ſpectat, (quæ primo loco

B facta eſt quæſtio,) dici debet, in beneficiati iure eſſe, arbitrioque, quem pauperum volet, ſua dignari beneficentia, in eius ergo ſinum, quem ſors primum obiecerit, ſuperflua ſua, aut eorum partem coniicere, beneficiario eſt licitum, imo quia in eo *non tam paupertatem, quàm religionem debet attendere*; ſecundum Hieronym. *in epiſt. ad Damaſ. de decimis, oblationibus, Cœnobiis, & Xenodochiis, qualem volueris, ſuſtentationem impendere poteſt* 16. q. [illegible]

Dubium decimum, *Clericis ab inteſtato morientibus, quis ſuccedat.*

C Aſſertio prima, *In patrimonialibus bonis, qualia ſunt quæ à patre, aut propinquis deriuantur ad liberos aut agnatos, ſuccedunt hi ſoli, qui ſtirpe ſunt ac gente defunctis viciniores quam cæteri.*

Ratio eſt, quod hæc ad eos deuolui iure gentium ſoleant, in quibus viuere, adhuc & ſpirare fato functus creditur, cuiuſmodi eos eſſe non tantum, qui ab eo hauſere vitam ac ſpiritũ, vt liberi, ſed & alij quos ex origine, ac ſanguine conſtat cõiunctos eſſe: ita Patres in Concil. Tibur. vt refertur *can. 2. de ſucceſſion.*

D *ab inteſtato*, ibi enim dicitur, quod qui è ſeruo Presbyter eſt factus, hic ſi inteſtatus decedat, eius peculium, bonaque in quatuor diuidenda partes eſſe, quarum *vna Epiſcopo, altera Eccleſiæ, tertia pauperibus, quarta parentibus aſſignetur*, non ſunt ergo Clerici ab inteſtato morientis bona patrimonialia, eius parentibus ac propinquis deneganda.

Sane quæ *per hæreditatem, vel alio modo intuitu perſonæ Clerici acquiſierunt, donare eis licet, cui voluerint, dum viuunt cap ſed hæc* 1. *de ſucceſſionib.* illud ipſum ergo recipere ſuis quoque hæredibus fas erit, cum decedet inteſta-

E tus.

Aſſertio ſecunda, *Iure antiquo bona Clerici qui inteſtatus diem obierat, omnia acquirebantur Eccleſiæ*: ita *in cap. 1. de ſucceſſion. ab inteſtato*, his verbis: *Si obierint antequam hoc fecerint, altari cui ſeruiunt, omnia perpetuo ſanctificentur, & in ius eius tradantur.* Enimuero nolebat olim Eccleſia, vt Clerici, cæterique quos virtutis amor, in Clericorum tranſcripſerat ordinem, alios affines, propinquoſque agnoſcerent, quam pauperes, quare de eorum claſſe

[illegible]

vnum aliquem, ad cuius bona Eccleſiaſticoſ- A
que reditus propinqui, hæredis titulo iureque
proximitatis inhiabant, admonet Ambroſ. ne
eos audiat. *Non te propterea Deo dedicaſti*, in-
quit, *vt tuos diuites facias, ſed vt vitam tibi
perpetuam fructu boni operis acquiras, & pretio
miſerationis peccata tua redimas. Putant ſe pa-
rum poſcere, præmium quærunt tuum, vitæ tuæ
contendunt adimere fructum, & accuſant quod
eos diuites non feceris, cum te illi velint, æternæ
vitæ fraudare mercede diſt. 86. can. eſt probanda*
16. Ita primo Eccleſiæ naſcentis æuo, cum
priſca illa Chriſtianæ diſciplinæ ſeueritas in- B
tegra vigebat adhuc, tam Epiſcoporum quam
Clericorum bonis ſuccedebat ex aſſe Eccleſia,
de quo eſt in eandem ſententiam, diuina S.
Hieron. oratio *lib. 2. epiſt. 12. ad Nepotianum.
Sit hæres, ſed mater filiorum, id eſt gregis ſui,
Eccleſia, quæ illos genuit, nutriuit, & pauit.
Quid nos inſerimus inter matrem, & liberos,
Gloria Epiſcopi eſt pauperum inopiæ prouidere,
Ignominia ſacerdotis eſt proprijs ſtudere diuitijs*,
tenuitque hæc olim conſuetudo in Gallia, Pa-
ponio teſte *lib. 21. tit. 8. arreſto 6.* vt Epiſcopi,
Parochorum, Priorum, eorumque qui ad gu- C
bernacula ſedebant Eccleſiæ cuiuſlibet, ſuc-
ceſſores ſe ab inteſtato dicerent, Canonicorũ
autem, & Sacerdotum ſimplicium, & alio-
rum id genus hominum, quibus commiſſa
vlla non erat aliqua bonorum ſacrorum ad-
miniſtratio, agnati, quæ eſt etiam Bleyani
opinio *lib. 1. Theoriæ titulo de patrimon. Eccle-
ſiaſt. num. 22. litera q. ad margin.* ſecus tamen
apud nos accidere hoc tempore vt ipſe non
dicam, praxis ipſa communis regni loqui-
tur.

Dico ergo tertiò, *Ius ſuccedendi Clericis ab* D
*inteſtato in Gallia, non in patrimonialibus tan-
tum, ſed acquiſitis ex beneficiorum fructibus, pro-
pinquis competere*: Ita Gloſſa, *Pragm. in parag.
item quod ſi Eccleſia in verbo acquiſitas, de An-
natis*, Fabricius *proxime citat.* Imbert. Ru-
pellan. *in Enchir. prax. ciuil.* & alij.

Ratio eſt, quod conſuetudo quæ à ratione
non abhorret, eſtque omni memoria anti-
quior, vim legis habet, at quod ſibi de iuſta ſua
ſuſtentatione eſt reliquum, egenis dari à be-
neficiario debeat, iuris eſt humani præceptio,
non naturalis aut diuini, ei ergo à conſuetu-
dine immemoriali & præſcripta, ſi qua erit in E
oppoſitum, derogari poterit, ita Sanch. *to.
conſil. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 54. concl. 3.* Hiſpanos à
culpa excuſat, cum bonũ, ac Eccleſiaſticos
fratrum aut cognatorum ſuorum reditus ab
inteſtato occupant, *eſt enim*, inquit, *quoad hoc
conſuetudo non irrationabilis & ita potuit iuri
humano, aliud circa hanc ab inteſtato ſucceſſio-
nem diſponentis derogari*. Hæc ille.

DE
BENEFICIARIORVM, PAROCHORVM MAXIME AC CANONICORVM OFFICIIS ſecundum Tridentinum.

EORVM ad quæ obligantur Parochi, bipertita eſt diuiſio, quædam regimine curæ ſibi commiſſæ priora ſunt tempore, ſunt eo poſteriora alia, antequam autem ad eum honoris gradum euehantur in Eccleſia, quatuor eis ſunt vitanda, ne peccent.

Primo, ne inordinate eũ appetant, ne eundẽ ſupra quã decet, ambiant, habet enim hæc honorum appetentia iuſto acrior, nimiam ſui præſidentiam, quæ ab arrogantia raro, aut nunquam eſt ſeiuncta, *quæri enim quiſque ad beneficia & non ea quærere debet*, inquit Bern. *declamat. 1.* ac ſi Clericis iungi placet id vnum ſpectare illum decet in hoc gradu, vt ſine *curis ſæculi, in ſanctimonia cordis & corporis illuminandus ad dominum, & ſuam pariter ac proximorum operetur ſalutem, orationis ſtudio deditus, & verbo prædicationis, nam qui hæc eo quærit & tenet animo, eoque intuitu, vt huius vitæ habeat neceſſaria, euangelizat vt manducet, vt peruerſo nimis ordine, cæleſtibus terrena mereatur.* Bern. in ſermone ſuper his verbis: *Dixit Simon Petrus*: quare eum Gloſſa *capitis ſolet de ſentent. excommunic. in 6.* de peccato arguit, à quo non abhorret ſanctus Thomas quanquam eius opinione ac ſenſu 22. *qu.* 185. *art. 1.* non ſit mortale, de veniali tamen excuſari nequit, qui Epiſcopatum quo ſe dignum eſſe putat, appetit, etſi huius ſuæ voluntatis finem hunc duntaxat habeat, totum ſe Deo, proximoque in animorum procuratione dedere.

Mihi Nauarri opinio vt priore mitior, ita videtur probabilior, in Parochia duo eſſe, ſpiritale miniſterium, & quod ex eius prouentibus multis ac ingentibus ſperatur, temporale commodum, velle primum, bonum eſt ac laudabile, ſi te eo fungi cum fructu, populique vtilitate poſſe exiſtimes, habet enim ea voluntas æterni numinis cultum pro obiecto, proximique ſpiritale bonum, quo quid melius? eoque ab Epiſcopatu differt Parochia, nã qui illum, ceſſante neceſſitate, æternique eum ad id impellente numinis afflatu deſiderat, ac quærit, vt plurimũ peccat peccato præſumptionis, ob Epiſcopalis gradus celſitudinẽ, prouin-

ciæq; quã ſibi depoſcit, cui tamẽ pauci ſunt pares adminiſtrandæ difficultatẽ, quod ſimiliter locum non habet in Parochia, cum & ipſa ſit Epiſcopatui dignitate, ac munerum functione impar, nec Parochi, præſidentia tanta ſit animi, quanta eſt eorum, qui Epiſcopatum ambiunt, & in eo Eccleſiæ honores primos.

Nec negari tamen poteſt, quin petere ſibi Parochiam ob bona temporalia, res ſit eiuſmodi, quam probare nemo debeat, nam ſi Soto creditur *lib. de iuſtit.* 10. *q.* 2. *art.* 1. eſt eiuſmodi appetitio de genere mortalium, in quo ei eſt aſtipulatus Caiet. in citatum D. Thomæ articulum, vbi ait, peccatum eſſe, & quidem veniali maius, Clericum eſſe velle, vt ad beneficia, indeque ad prouentus his adnexos aditum habeat, quod ex eo probat, quoniam eſt rei ſpiritalis relatio ad temporariam, vt ſunt lucrum, humana commoda, honores & imperia, haud dubie mala, nec ferenda, quia ſic contra quàm recta ratio poſtulat, bonum maius, quale eſt ſpiritale, temporali poſtponitur, in quo eſt deordinatio non modica, poſtponi autem vel hinc patet, quod id cuius cauſa fit aliquid, hoc ipſo quod ſit finis, mediis quæ ad eũ tendũt dignitate præſtet, quod de his quæ ſenſu à nobis vſurpãtur aliquo dicere, eſt rebus ſpiritalibus ac diuinis iniuriã facere, nec proinde ſine crimine. Faceret ergo Clericus & *dignius, & magis rationi conuenientius,* inquit Bernard. *ſi pro carnali victu carnalia opera exerceret, & negotia, nec fieret inuerſor rerum, aut inhonoraret miniſterium ſpiritale. Alij honorati incedere volunt, placere ſtudent hominibus, delectari & ſuperbire, & huic ſæculo per omnia conformari. Audi querelas domini, ipſi regnauerunt, & non ex me, principes extiterunt, & ego non vocaui eos.* Bernard. *in ſerm. de verbis Domini dixit Simon Petrus ad Ieſum.* Neque tamen eſt magiſtratuum Eccleſiæ appetitio ex qualibet cauſa lethifera: quare Nauarri ſententia de veniali tantum ſupra *num.* 68. *&* 69. vt mitior, ita mihi veritati eſſe videtur propinquior, tenendaque in praxi extra duos caſus.

Primus eſt, cum qui beneficiarius eſſe quærit, ſcit ſe beneficio cuius amore tenetur indignum eſſe, proque eo tempore illud conſequi deſiderat, quo eſt eius adminiſtrandi incapax.

Secundus, quando ita principaliter propter bona temporalia beneficium appetit, vt ob illa paratus ſit officium non facere, nec animarum bono ſalutique conſulere.

Extra hos caſus veniale tantum eſt beneficium petere, aut ſibi per amicos, Parochiæ emendicare titulos, nec enim intelligo, quare peruertere ordinem, quo ſpiritualia ordinantur ad temporalia, ſit mortale, maxime cum aliquorum ſit opinio, vt Sylu. *verbo vana gloria,* non eſſe niſi noxam leuem, litare Deo, ac ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, laudis aucupandæ gratia dare operam, dummodo eam actu vel virtute, tanquam ſuorum operum finem vltimum, ſacrificans non præſtituat.

Secundo, obligatur Parochus ad non procurandam ſibi Parochiam per fraudes, ſimoniam ac mendacia, quia mentiri, quia imponere, quia fidem fallere, aut pretio ad eam ſibi munire viam, malum eſt ac turpe, ergo & eam malis his artibus acquirere.

Ad eam aſpirare, ac contendere modo licito, vt per concurſum, de quo eſt in Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. non eſt malum, nam cum eum Patres in Parochiis conferendis exigant, ac ſeruari ab Epiſcopis iubeant, vt hi non peccant inuitando qui diſputent, ſeque eo magiſtratu tam ſuá eruditione, quam virtute dignos probent, ita nec qui parent, beneficiique aſſequendi cupidi, Epiſcopo ſe ac Cenſoribus examinandos offerunt.

Tertio eſt hæc Parocho, qui propria ſua colere munera non poteſt, naturæ iure impoſita neceſſitas, vt beneficium ſibi oblatum, quo eſt indignus, acceptare nequeat.

Quarto delatum recuſare nequit in duobus caſibus.

Primus eſt, quando id ei Superior prohibet ſub mortali, nec quidquam eorum illi deeſt, quæ Parochialis officij ratio poſtulat.

Secundus eſt, cum id ab eo aperta Eccleſiæ, cum vtilitate neceſſitas requirit, nempe quia nullos prouincia habet aut paucos, ad regimen animarum idoneos, D. Tho. ſupra *art.* 2. Sylu. *verb. Epiſcopus q.* 3.

Poſt obtentum beneficium, obligatur Parochus, primo ad publicè profitendam fidem intra duos menſes à die adeptæ poſſeſſionis, in manibus Epiſcopi, vel eo impedito, coram Generali eius Vicario ſeu Officiali.

Secundo, iurare debet in Eccleſiæ ſe obedientia permanſurum, Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de reformat.* Metropolitani autem qui vltra trimeſtre ad ſedem Apoſtolicam pro fidei profeſſione facienda & accipiendo pallio ire diſtulerint, commiſſa ſibi dignitate carent, & de alio Metropolitano ab iis prouideri poteſt, quorum intereſt *diſtinct.* 100. *cap. quoniam* 1. quæ pœna eſt latæ ſententiæ, vt ait Theſaur. *par.* 2. *prax. ver. fides profeſſio cap.* 1. eo quod vox *careant* reperiatur in *can.* cui vim denotandæ latæ ſententiæ ineſſe, cum Tiraq. aſſerit in *leg. ſi vnquam num.* 161. *&* 166. ſed ego non improbabiliter meo ſenſu iudico, eſſe tantum ferendæ, nam Metropolitanum admoneri officij canon ipſe imperat, quod non eſſet neceſſe, ſi ipſo facto, & non iure tantum, dignitate ſuâ priuatus foret, verba canonis ſic habent, *Commiſſi ſibi careat dignitate, ſitque Metropolitanis alijs licentia, poſt ſecundam & tertiam commonitionem, viduatis Eccleſiis cum*

Concilio Romani Pontif. ordinando Epiſcopos ſubuenire.

Secundo, ſi Parochus fidem ſtato tempore non profiteatur, vt fructus non facit ſuos, in ſententia Theſauri, ita nec eos ſine culpa retinet. Trident. ſupra, nec in eo, iuuari regula de triennali poſſeſſore pacifico, quamuis inuincibili laborarit ignorantia, dicit Nauar. *lib.1.conſilior. conſil 2.* quod non puto ob rationem afferendam poſtea.

Tertio, tenetur intra annum initiari ſacro Presbyterij ordine, aliter beneficio poſſeſſo ipſo facto excidit *cap. licet canon, 14 de elect. in 6.* modo per eum ſteterit, ſitque ipſe cauſa, cur ſacer ordo ei non ſit collatus, nam ſi eum Epiſcopus reiecerit, aut ex cauſa Parochus ſe non obtulit, vt culpa tum vacat, ita & pœna carere debet, non initiato impoſita.

Tenetur item dicere ad populum *ſeſſione 23. cap. 1.* de myſterijs fidei eum docere, explicando *quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annunciandoque ei cum breuitate vitia, quæ eũ declinare, & virtutes quas ſectari oportet. ſeſſ. 5. cap. 2. pueris autẽ ante omnia fidei rudimenta & obedientiã erga Deũ, & parentes*, per ſe vel alium, feſtis diebus & dominicis exponet *ſeſſ. 24. ca. 4.* & quia *pauperum & miſerabilium perſonarum curam paternam gerere debet*, Trident. *ſeſſ 24 cap. 1* diuitijs ſuis vtetur ad res ſalutares, ad bonas artes, ad illa quæ Deus præcipit, quæ Dominus oſtendit.

Quarto, tenetur Parochus reſidere, Trid. *ſeſſ 23 cap 1.*

Quinto ſacrum Miſſæ officium offerre pro ſuis ouibus.

Et quidem cenſet Sotus *9. de iuſtit. q. 2. art. 2.* teneri Parochum ſingulis diebus celebrare, ſi ex beneficio ſufficientes ad vitam reditus habeat, ſin minus, pro rata fructuum, ter aut quater quot hebdomadis. Sed melius Sylu. *ver. Miſſa 1. q. 7.* Nauar. *Enchir. cap. 25. nu. 34.* cum ſcribunt, ſatis eſſe ad officium viri boni, ſi diebus dominicis ac feſtis litet, aut quo tempore faciendum eſt pro defuncto, aut nouis maritis, quibus eſt impertienda priſco Eccleſiæ ritu benedictio.

Sexto, vt ad virtutem debet impellere, ita & à vitiis commendatam ſibi plebem per ſe aut alios deducere, vt enim intenta in id cura
E eum incumbere decet, ne mali ſimus, ita & facere omnia, quibus in bene præparatum pectus, virtus influat, & quidem, quia paſtoris eſt, morbidam ouem ſeparare, ne dum parcit ouiculæ, perdat gregem, videbit, ne quem in ouile ſinat irrepere fidei dubiæ, aut vitæ non probatæ, vt enim in mala contage, ſanis ab ægro lues halitu ſolo transfunditur, ita animis moribuſque, labes vel ab vno quopiam imprimitur, veriſſime Romanus ſapiens *lib. 3. de ira cap. 8. Sumuntur*, inquit, *à conuerſantibus mores, & vt quædam in contactos corporis vitia*
A *tranſiliunt, ita animus mala ſua proximis tradit.* Alienis enim perimus exemplis, nec quiſquam ſibi ſoli peccat, ſed aliis, peccati quoque cauſa eſt & origo: *vigilare*, ergo paſtor debet, hoc eſt Parochus, ſuper *gregem propter tria neceſſaria, videlicet ad diſciplinã, ad cuſtodiam, & ad preces. Ad diſciplinam propter morum correctionem, ne grex commiſſus propria moleſtia deficiat; ad cuſtodiam propter diabolicam ſuggeſtionem, ne hoſtis ſeducatur ſedulitate; ad preces, propter tentationum inſtantiam, ne vincatur puſillanimitate.* Bernard. *in ſentent.* ſcripſit
B idem in *ſerm. 76.* in cantica ſponſæ explanans hæc verba, *inuenerunt me vigiles ... is*, nam hos eſſe Parochos ait, quibus ex inſtituto vitæ ſuæ, ſaluandis ouibus operam dare conuenit, dumque hæ quietem captant, ſoporique ex labore tantiſper indulgent, *multum ſolliciti pro ſibi commiſſis ouibus Dominicis, cor ſuum tradunt ad vigilãdum diluculo ad dominum qui fecit illos, & vigilant & precantur. Quam boni cuſtodes, qui vigilantes animo, atque in orationibus pernoctantes, hoſtium inſidias ſagaciter explorant, anticipant conſilia malignan-*
C *tium, deprehendunt laqueos, eludunt tendiculas, retiacula diſſipant, machinamenta fruſtrantur.*

Septimo, vt eius ſunt partes adminiſtrare Sacramenta, Trid. *ſeſſ. 23. cap. 1.* ita & noſſe eum oportet, quæ ſunt ad eam rem neceſſaria.

Octauo debet Parochus hoſpitalitatem colere Trident. *ſeſſ. vltima cap. 8.* intereſſe Synodis quibus, præſunt Epiſcopi, niſi eſſet Papæ beneficentia ab eorum exemptus iure, nam tunc iis eum intereſſe non eſt neceſſe,
D Nauar. *lib. 1 conſil. de offic. iudicis ordinarij*, ſicut cæteros, quibus id Concilium imperat in *ſeſſ 24 cap. 2. & ſeſſ 25 cap. 2.* viſitari tamen exemptus à ſuo Epiſcopo poterit ac corrigi, Nauar. ſupra.

Nono, præcipit ei Concil. *ſeſſione 24. cap 1.* vt binos penes ſe libros habeat, in quorum alterum coniugum nomina, diem contracti matrimonij. teſtes, eorumque cognomina referat, in alterum baptizatorum, eorundem patrem ac matrem ac patrinos.

Sunt & alia Parochorum munera, de quibus nos pluribus in volumine de *Sacram. diſp. de Parochis.*

QVÆSTIO XXIV.

An ſint Canonicorum obligationes aliquæ, & quales?

EAs tantum hic inſequi mihi animus, quæ à Concil. ſunt notatæ, aut ad antiquas quæque priſci iuris erant, ſunt additæ.

Prima eſt, vt profeſſionem fidei, Cathedralis Eccleſiæ Canonici, in Epiſcopi manibus, aut Officialis, & coram Capitulo faciant, ſanctéque ſpondeant, ſe in S. Romanæ Eccleſiæ fide, obedientiaque manſuros dum viuent, alioqui, beneficij ſui fructus ſuos non facient, Trident. *ſeſſ* 24. *cap*. 12. non eſt hæc tamen ſubeunda pœna neceſſario in conſcientiæ foro, ante ſententiam declaratoriam, Nauar. *conſil*. 12. *de iureiur*. Sanch. *lib*. 2. *in Decal. cap*. 5. *nu*. 10. quia eſt lex pœnalis iure quæſito priuans, quam pati, ac ferre ante ſententiam, ratio nulla perſuadet.

Contra quàm nos opinantur alij, hoc argumento vno freti. Quod fructuum per Eccleſiam Canonico facta donatio, ſit conditionalis ac hypothetica, nempe ſi fidem profiteatur, ſi Eccleſiæ fore ſe obſequentem ac morigerum recipiat: id ergo ille ſi non fecerit, fructus vt ſuos petere iure non poterit, ita nec retinere perceptos, & ita illorum priuatio cenſeri pure pœnalis non debet, ſed conuentionalis ac ſub modo, & ita ſentiunt Garcias *parte de benef. cap* 3 *num* 35. Theſaur. *ſupra, verbo limitant etiam*. Eſt hæc ſententia priore ſeuerior, nec tenenda ob rationes allatas, cum de vacatione beneficiorum eſt actum.

Quid ſi canonicum iſta obligatio lateat? quid ſi ei paruit, ſed ex occaſione, cauſaque, aliunde nata quam beneficio?

Reſpondendum, vt à culpa eum liberat ignorantia, ita & à priuatione prædictorum fructuum, quæ eſt omiſſæ profeſſionis fidei iuſta pœna.

Ad quæſtionem ſecundo loco factam reſpondere placet, ſufficere vnicam in Epiſcopi, aut eius Vicarij manibus, ex quacunque cauſa conceptam, vt Doctoratus, aut gradus alicuius literarij in Academia conſequendi, quia ſic ſatis fit legi, ſic Concilio, quod profeſſionem ſaltem poſtulat, de eius autem cauſa, loco, aut tempore nihil memorat.

Secundo tenentur ſacri ſodales, hoc eſt Canonici, ordinem præbendæ ſuæ annexum, ſub eadem pœna qua Parochi, ſuſcipere, Trident. *ſeſſ* 24. *cap*. 12. id eſt vt explicatur in Trident. *ſeſſ* 7. *cap. de reform*. 12. & *ſeſſione* 22. *cap*. 4. intra annum à collata ſibi præbenda.

Quarto, Canonici cuiuſcunque dignitatis ſine ac nominis, per ſe & non ſubſtitutos, ceſſante impedimento legitimo, tenentur ordinũ A ſuorũ officia facere, ſecundũ ordinẽ vicis ſuæ ad quod eos cogi quoque poſſe habes in Cócil. *ſeſſ*. 24. *cap*. 12. & *ſeſſ*. 22. *cap*. 4.

Quinto, tam antiquo iure quam nouo Trident. *ſeſſ*. 22. *cap*. 4. & *de Cleric. non reſidentib. in* 6. *cap. vnico*. choro, horiſque dum pſalluntur intereſſe debent, alioqui diſtributionum, quæ debentur præſentibus iure cadunt, quas etiam ſponte oblatas ab aliis retinere in conſcientia nequeunt, eo quod earum dominium, niſi horis adfuerint, non acquirunt, vt eſt in *cap. vnico de Cleric. non reſidentibus in* 6.

Qua autem obligatione & quanta, officio, B dum celebratur, in choro ſe præſentes Canonici ſiſtere debeant, eadem omnium non eſt opinio.

Non niſi leuem agnoſcunt in iis aliqui, maximè ſi ſcandali nullus eſt metus, nullus ex eorum abſentia imminuendi diuini officij, nec ab Epiſcopo, Decano, aut chori præſide, vllum ad eos manauit imperium de pſallẽdo, ſuaque in poſterum exhibenda pſallentibus præſentia.

Contra pugnant Nauar. *lib. conſilior*. 3. *de celebr. Miſſar. conſil*. 13. Comitol. *lib. reſponſ*. 1. C *qu*. 61. ſequuntur & alij, eſſeque peccatum mortiferum in Canonicis, non conuenire in templa, ad canendas Dei laudes, ex eo probant, quod cuique beneficio etiam ſimplici de iure adiuncta ſit perſonalis reſidentia, vt eſt in *cap. cum ad hoc de Clericis non reſidentib*. at eſt Canonicatus beneficium Eccleſiaſticum, illudque ſimplex, inquit Nauar. *de redditib. Eccleſ. q* 3. *monito* 3. *num*. 2. ergo cum reſidere, ſit intereſſe in ſua Eccleſia, ac per ſe exequi, quod exequi beneficiatus debet, eſtque ſui officij pars aliqua, patet (inquiunt) abeſſe à D choro Canonicos non poſſe ſine mortali crimine. Quod ex *can. poſtremo diſtinct* 92. qui eſt ex Concil. Martini Rom. Pontificis depromptus, ambo hi auctores confirmant, nam qui ad Eccleſiam non accedit vt quod debet præſtet, à choro eſt deponendus, quæ pœna vt eſt grauis non niſi ob noxam irrogatur lethiferam. Hæc illi.

Quæ etſi dicta veriſſime de iis exiſtimem, qui nunquam aut raro in templum veniunt, ita falſa puto, ſi de iis eſt ſermo, qui ædem ſacram ſic oraturi frequentant, vt non ſint in eo E pietatis genere perpetui, quod abſentia ſua aliquoties interrumpunt in hebdomada. quod enim de præceptis cæteris, quæ humani ſunt iuris dicere Theologi Summarum ſcriptores ſolent, in his peccati grauitatem impediri, à leuitate materiæ, hoc in præſenti, pari aſſerere iure licet, itaque vt à graui culpa excuſandi non videntur, qui citra conſuetudinem, morbum, aut impedimentum rationabile, à templo perpetuo abſunt, ita & peccatum dicendi ſunt non niſi veniale contrahere, qui abſunt

quidem

quidem, ſed non frequenter, bis ſcilicet aut ter in hebdomada.

Sexto, tenentur Canonici obedire Epiſcopo à quo etiam viſitari poſſunt, ſicut & Cathedralis Eccleſia *cap. de Romana de cenſib. in 6.* nec aliqua ſe exemptione tueri poteſt quo minus viſitetur. Concil. Trident. *ſeſſ. 6. cap. 4. de reform.* quo decreto exemptioni immemorabili derogatum eſſe ſcribit Piaſec. *par. 2. prax. cap. 2. art. 2. num. 1.* cum Rota *deciſione 744. par. 1. diuerſar.* Eccleſias autem quæ nullius ſunt Diœceſis, vicinior Epiſcopus, vel quem ipſi elegerint, viſitat, Trident. *ſeſſ. 24. cap. 9.* B perſonas ipſas ſimiliter exemptas, in cauſa delictorum, correctionis morum, Diœceſanus, in viſitatione, aut extra eam punire poteſt, quia *ordinarij iuriſdictioni ſubiectæ permanent, nonobſtantibus quibuſcunque inhibitionibus*, Trident. *ſeſſ. 24 cap. 11.* & clariſſime *in ſeſſ 14. cap. 4.* vbi cuiuſuis priuilegij prætextu per ſtatuta Concil. nullus cenſetur tutus eſſe, *quo minus iuxta canonicas ſanctiones viſitari, puniri, & corrigi poſſit.*

Nec canonicos modo Epiſcopi ſi in Eccleſiis ſuis reſederint, ſed etiam ſæculares quoſcunque Clericos, qualitercunque exemptos; C qui alias ſuæ iuriſdictioni ſubeſſent, de ſuis criminibus, exceſſibus quando & quoties eſt opus, tanquam ſedis Apoſtolicæ delegati iuſta punire pœna poſſunt, Trid. *ſeſſ. 14. cap. 4. & ſeſſ. 25 cap. 6.*

Extra viſitationem, Epiſcopus ſi contra Canonicum quæſtionem exerceat, pœnæ ei irrogandæ cauſa, id non aget ſine Capituli conſilio, eoque modo quem ſancta præſcribit Synodus *ſeſſ. 25. cap. 6.* quod tamen de eo duntaxat par eſt intelligere, qui eſt de Cathedrali Eccleſia & exemptus, non de Collegia- D tis quæ ordinario ſubſunt pleniſſime.

Septimo, decreto Concilij, Canonico non eſt ſatis, cum cæteris in choro eſſe, dum Deo laus ab his pangitur, niſi ſacræ ipſe pſalmodiæ pro viribus vacet, Trident. *ſeſſ. 22. cap. 4. & ſeſſ. 25. cap. 12.* quam autem id ſeuere, & ſub qua obligatione Synodus vetet, controuerſantur auctores, mea eſt opinio quod quibus in locis conſuetudo inualuit, faciendi officij per cantores aut Vicarios, non peccare Canonicos, ſi eorum contenti opera, priuatim orent, Leſſ. *lib. 2. cap. 35. dub. 33. num. 186.* noſque *tract. 11.* E *de Sacram. q. 6. lit. E.*

Octauo, modeſtiam tenere debent in veſtitu, parcimoniam in victu, ſi audire Bernard. nolunt gementem, quod *æque vt prius pelliccula diſcolor ſacrum ordinem decolorat, quod æque vt prius fiſſura enormis penè inguina nudat, ſolent dicere num de veſtibus cura eſt Deo? & non magis de moribus? At forma hæc veſtium, deformitatis mentiũ, & morum indicium eſt*, Bern. *lib. 3. de conſider. cap. vlti.* Neque color modo ater eſt quærendus in veſte, ſed & materiæ, A qua conſtat, vilitas, quid enim ad Clericorum infamiam atrocius, quam audire eos in veſtibus quærere delicies, non *quod vtilius, ſed quod ſubtilius, non quod repellat frigus, ſed quod ſuperbire compellat, non quod vilius comparari poteſt, ſed quod venuſtius, imo verius, oſtentari poteſt vanius.* Neque de hoc tibi fruſtra blandiaris, *quod tuis contentus aliena non capias, verumtamen quæ ſunt illa tua? Beneficia Eccleſiæ. Recte, dignũ enim eſt vt qui altari deſeruit, de altari viuat, conceditur ergo tibi, vt ſi bene deſeruis de altari viuas, non autem de altari luxurieris, vt de altari* B *ſuperbias, vt inde compares tibi fræna aurea, ſellas depictas, calcaria deargentata, varia, griſeaque pellicia à collo & manibus ornatu purpureo diuerſificata. Denique quicquid præter neceſſarium victum, ac ſimplicem veſtitum de altari retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt*, Bernard. ad Fulcon. Lingonenſ. Archidiac. *epiſt. 2.*

Nono cumulandis incubare diuitiis Canonici non debent vt enim *Ignominia ſacerdotis eſt proprijs ſtudere diuitijs* Hierony. *epiſt. 12. lib. 2.* ad Nepotian. *ita gloria Epiſcopi eſt addo & Canonici, pauperum inopiæ prouidere.* C id ibid. Sanè refert Nicephor. grauis auctor Neonem Seleuciæ Pontificem Synodi iudicio damnatum, ſuaque deiectum ſede, quod Epiſcopos quoſdam conſecraſſet qui in multorum oculis imprudenter ac temere confeſſi eſſent, malle ſe cum opibus viuere, & Epiſcopos in Dei Eccleſia non agere, quam ſine his præeſſe, reque ac fructu vacuum Epiſcoporum nomen ferre, quo quid fœdius?

Quam vellem id cum animo ſuo reuoluerent, quorum effrænatæ cupiditati nihil eſt ſatis, verumenim quam auaritiæ ſuæ modo D pœnam non ſentiunt, experientur ni reſipiſcant aliquando acerrimam, *venient enim, venient, ante tribunal Chriſti, audietur populorum querela grauis, accuſatio dura, quorum vixere ſtipendijs. Quid tibi inſipiens deliciæ ſapiunt, quid diuitiæ illæ cæcos oculos oblectãs quibus merearis tibi graue iudicium? væ vœ tibi Clerice mors in olla*, Bern. in *ſermone de verb. Euang. dixit Simon Petrus ad Ieſum.* Quæ non ideo dico, vt aliquorum culpa, vniuerſi ſit ordinis Canonicorum infamia, nam in omni gradu, & propoſito boni & mali reperiuntur, malo- E rumque condemnatio laus eſt bonorum, ſed vt intelligant, turpe ſibi eſſe in Chriſti militia lucra quærere, pluſque habere, quam quando cœperunt eſſe Clerici, ſibique dici, *Cleri corum non proderunt eis, Hieron. 12. Nonnulli enim ſunt ditiores, quam fuerunt ſæculares, & Clerici, qui poſſident opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete & fallace diabolo non habuerunt, vt ſuſpiret eos Eccleſia diuites, quos mundus tenuit ante mendicos*, Hieronym. *lib. 2. ep. ad Nepotian.*

DISPVTATIO DECIMA SEXTA.

DE SIMONIA.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit Simonia.

DE Simonia ſcripſere Gratianus *cauſa* 1. *qu.* 1. *& ſequentibus*, Pontifices in decretalibus *titulo de Simonia*, E Scholaſticis. D. Thomas *ſecunda ſecundæ qu.* 100. Caietanus *ibidem, & ſecundo tomo opuſculorum tract.* 9. Sotus *de iuſtitia lib.* 9. *de iuſtitia q.* 5. Nauar. 23. *manualis num.* 99. *& ſeq. &* 5. *conſiliorum.* Victoria *in prælectione de Simonia vndecima*, & alij.

Eſt autem Simonia, *rem ſacram re profana, ſeu quæ ſimilem habet æſtimationem emere, ſeu vendere*, clarius eſt peccatum ſacrilegij, quod in emptione & venditione, vel ſimili quopiam alio contractu admittitur, quo res ſpiritualis vt talis, mutatur cum temporali.

Communiter definitur Simonia *ſtudioſa voluntas emendi aut vendendi pretio temporali ſpirituale, vel quidpiam quod ei eſt annexum*, Nauar. *conſiliorum lib.* 5. *conſilio de Simonia* 41. *num.* 3. Gloſſa *in canonem qui ſtudet cauſa* 1. *q.* 1. S. Thom. 22. *q.* 100. cui definitioni particulam hanc addendam eſſe exiſtimant aliqui *opere ſubſecuto*, ſed ſine cauſa. Enimuero eſſe perfectæ Simoniæ ratio poteſt ſine externo vllo actu; ſit pro argumento, quod alioqui Simon, à quo tanquam ab auctore, huic peccato nomen eſt factum, Simoniacus non eſſet, vt qui pretium, à quo Petrus puras ſemper ac intactas manus habuit, Apoſtolo nullum dederit, & tamen de Simonia male audiit.

Quid? quod in contractu veræ venditionis, pretium conuentum ſit ſatis, ſic enim *lex* 1. *dig. de contrah. empt.* & in *inſtitut. de obligationib. ex conſenſu parag. ex conſenſu, & digeſt. de contrah. empt. lege* 1. in quibus eſt, ſolo conſenſu partium, emptionis & venditionis contractum, ante omnem rerum permutationem peragi, nihil eſt ergo neceſſe ad rationem Simoniæ, traditionem rerum contractarum, vtrinque, aut ex parte tantum alterutrius fieri: A conſequenter de ea mentio fieri nulla in definitione allata debuit, nec ei proinde addi hæc particula debuit, *opere ſubſequuto*.

Facit hæc ratio vt exiſtimem Simoniam tribus rebus confici, ſtudioſa nempe emendi aut vendendi voluntate, emptione deinde & venditione, poſtremo commutatione rei ſpiritalis in temporalem, tanquam iuſtum ſui valorem.

Et quidem Simonia voluntas eſſe dicitur, primo, quia ſola mente poteſt concipi. Secundo, quia Simonia intentionem veram in eo B qui eius eſt admiſſæ conſcius, emendi aut vendendi exigit, quæ eſt cauſa, cur is eſſe Simoniacus nequeat, qui ore tenus, verbiſque, pretium promittit quidem, ſed ſine voluntate faciendi pollicita *pactiſque conuentis ſtandi*, Soto *quæſt.* 8. *art.* 1. Caietanus 2. *tomo opuſc. q.* 2. nam eſſe Simonia non poteſt ſine voluntate præſtandi quidpiam, quod recipienti gratum ſit & vtile: at cui eſt conſtitutum alterum decipere, hoc tantum, & nihil aliud, ab eo nil proficiſcitur in promiſſarium quod ei quæſtuoſum eſſe poſſit & vtile, in C eum ergo Simoniæ labes ac macula non cadit.

QVÆSTIO II.

Quid intelligatur nomine emptionis & pretij.

ESt emptio in hac materia idem quod pactio, aut contractus quilibet non gratuitus accipiendi, aut dandi rem ſpiritualem pro pretio, ex D. Thoma ſupra *art.* 1. *ad* 5 Pretij D autē nomen, non tantū pecuniā denotat, ſed quidquid eſt ea æſtimabile, & recipienti vtile, quod viciſſim pro ſpiritali datur ac capitur, Sylu. *ver. permutatio parag.* 4. Nau. *conſilio de Simonia* 41. *num.* 3. in hoc enim, eſt contractus non gratuiti ratio poſita, quod pro re ſuper qua tractatur detur pecunia, aut aliquid illi æquiualens tanquam pretium, quia gratitudo beneficium reſpicit, & morale rependit debitum, non autem iuſtitiæ, eſt itaque quodlibet commodum temporale, adeptum vel ſperatum, pro pretio in contractu Simoniaco, ex Doctorum & Theologorum diſcipli- E na, Gerſonis maxime qui *in tract.* 36. *de Simon. conſiderat.* 4. promiſſionem obligatoriam ait eſſe pro numiſmate in Simonia. Hæc eſt cauſa cur communiter vt Simoniaca infecti lue, male in Eccleſia audiant, qui ſuper re ſacra mutuo paciſcuntur ac tranſigunt, vt faciunt, qui vænale in foro frumentum habent: ſimiliter qui ſibi aut liberis ſuis viam ad beneficia muniunt, vtilitatis futuræ pollicitis, aut ſpe obſequij Collatori aut Epiſcopo exhibendi. Item ſi vt fit in communi ſermone, eorum alterutri

alterutri iocando edicant, pecuniæ certam ſe ſummam deponere, quod non ſit auſurus ſibi aut propinquo beneficium dare, Nauar. *Enchirid.cap.23.num.105.*

Eſt item Simonia dare Collatori aliquid, vt ſibi ſuum beneficium non adimat, non ſe de gradu deiiciat, non officio eiuſque vſu ac ſacrorum ordinum priuet, Victoria *parte 2. prælectionis de Simonia nu.16.*

Ad contractum porrò non gratuitum duo mihi videntur in primis neceſſaria, primum eſt ciuilis obligatio, alterum vt vi eius aliquid detur tanquam pretium. Vt autem aliquid eo nomine, cauſaque, id eſt, tanquam iuſtus rei valor, pretiumque dari cenſeatur, requiritur in primis, vt bonum quod eam rationem, hominum opinione ſenſuque induit, bonum ſit, non honeſtum illud quidem aut delectabile, ſed vtile, quia etſi ſit Simonia, Religioni ex obiecto ſuo naturaque aduerſa, eſt tamen auaritiæ affinis ac agnata, in quantum vehementiorem æquo lucri appetitum habet: at lucrari nemo creditur, niſi qui rem ſuam auctiorem reddit, quam foret antea: ergo, &c.

Dari vero quidpiam poteſt & accipi quatuor modis, primo tanquam iuſtum & adæquatum valori rei ſpiritalis pretium, in eaque eſſe opinione, vt exiſtimetur in rebus humanis aliquid eſſe poſſe tale, ſcelus eſt grande, infidelitati proximum, religioni aduerſum, pietati ac bonis moribus oppoſitum.

Secundo pretium, dari poteſt & accipi, vt finis cuius cauſa ſpiritale capitur, & id facere crimen eſt Simoniæ.

Tertio, datur aut accipitur pretium, hoc eſt temporale tanquam finis minus principalis, ſeu cauſa impulſiua, & ſi quidem immoderate ac præter rationem intenditur, peccatum eſt auaritiæ, ſi moderate nullum, ex D. Tho. *quodlibeto 8.* vbi aſſerit eum qui matutinis precibus in choro, ſpe diſtributionum cum canonicis intereſt, aliter non iturus, reum eſſe Simoniæ, ſi illarum adeptio, ſuæ aduerſus Deum diuoſque cœlites pietatis in pangendis horis finis ſit vnicus & præcipuus, ſecus ſi ſecundarius cum cauſa impellente coincidens, nempe quia ad æris campani ſonum domo vocatus ad templum antelucanis horis non veniſſet, ſi conſuetum dari canonicis tum in choro præſentibus, ſtipendium non ſperaſſet.

Quarto, quod datur, poteſt intendi vt debitum, iure vel conſuetudine, qualia ſunt quæ ad ſuſtentationem miniſtro præbentur, & hoc modo dare ſpirituale pro temporali peccatum eſt nullum, vt dicetur poſtea.

Secundo, ad rationem pretij eſt neceſſe, vt quod pro re ſpirituali tribuitur, bonum ſit, & illud non tantum vtile, quia Simonia eſt ſpecies auaritiæ, cuius obiectum eſt bonum tale, non honeſtum, & delectabile, ſed inſuper eſt

A opus, vt ſit futurum Nam ſi ſit præteritum aut præſens, quod iam habetur, pretij nomen ac rationem non feret. Quare non eſt Simonia dare beneficium propter obſequia præterita, eaque gratis præſtita, vel ob metum timoremque eius amittendi, quod habetur. Debet ergo bonum vtile, quod pretij vices tenet in beneficio comparando eſſe futurum, quam in rem, ſola voluntas verbis expreſſa ſufficit, & quia venditio in iure, contractus innominatos omnes continet, *Do vt des, facio vt facias, lege ſi.ut parag. venditioni ff. quibus*

B *modis pign.* hos in præſenti, intelligi nomine contractus non gratuiti volumus, quemadmodum & tranſactionem, permutationem, renunciationem An autem pactio quælibet ſit religioni contraria, ſimoniæque affinis ac amica, dicetur poſtea.

Tertio, non habet bonum quodlibet, vtile licet & futurum, rationem pretij, niſi ſit indebitum: quæ enim quis alteri largitur vt debita, pretij nomen ac naturam non induunt, ſecundum Nauarrum *cap.23 num.100. & conſilio 7. de Simonia.* Suar. *lib. 4. cap.37. nu.18.*

C Quarto, debet, hoc bonum vtile, futurum & indebitum, dari tanquam compenſatio rei ſpiritalis, habitæ aut habendæ, & quidem ſic vt res illa, quam dicimus bonum eſſe vtile, vinculum ac nexum in recipiente pariat dandæ eius loco, ac occaſione rei ſpiritalis ac ſacræ, Suarez *lib. citato cap.44. nu 7.* Nam in eo eſt malitia Simoniæ poſita, vt temporalibus æquentur ſupernaturalia, hoc enim dicit ratio pretij, cuius natura eſt in eo, vt eiuſdem ope beneficioque, ſoluatur obligatio, quæ eſt ex re accepta orta, & quidem ad æqualitatem,

D cum ſolutio iuſtitiæ ſit commutatiuæ actio, quæ æqualitatem datum inter, & acceptum pro obiecto habet.

Exigit igitur Simonia, ſaltem in eius à quo admittitur intentione ac animo, vt inter ſpiritualia, & temporalia, ſit proportio ex habitudine rei, verbi cauſa beneficij, aut operis ſufficienter æſtimati, & compenſati per pretium, quod eius cauſa penditur, quæ cum eſſe nulla poſſit, negari non poteſt, quin per Simoniam, in his rebus quæ minoris iuſto æſtimantur quam oporteat, Deo, Principi iniuria irrogetur opinione omni noſtra maior. *In contractu enim Simoniaco,* inquit Caiet. *in tract.9.*

E *qui eſt de Simon.qu.2.to.2. opuſ ul. locum principalem tenet res ſpiritalis & non temporalis, & rei ſolius ſpiritalis natura repugnat venalitati, cum inter eam, & quidquid eſt in natura rerum, nulla intercedat communio*; ſimilitudo dignitatis nulla quandoquidem vt Innoc. III. verbis loquar in *decret. ſolitæ de maiorit. & obed ſpiritualia tanto ſunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur corpori.*

QVÆSTIO III.

In materia Simoniæ quid ſit ſpirituale, quid ſpirituali annexum.

QVod eſt effectus ſolius Dei, tanquam cauſæ principalis ac primæ, & ad animæ ſalutem pertinet vt cauſa, vel effectus, à Deo aut ab Eccleſia diuinitus, ad eius bonum inſtitutum, id ſpirituale recte vocaueris cum Ludouico de Bea *tom. 1. caſu* 37. quod quia humanarum non eſt virium opus, nominatur à Victoria *nu 6. Donum Dei.*

Eſt id inſuper ſpirituale in materia Simoniæ, quod eſt ſupernaturale, vel eſſentialiter ac in ſe, vt gratia, ſeptem dona Spiritus ſancti, & virtutes infuſæ; vel cauſaliter, vt ſunt Sacramenta, quæ ſunt gratiæ in hominum mentibus producendæ certiſſima organa, æternitatis obtinendæ inſtrumenta non fallacia.

Eſt præterea ſpiritale in hac materia, quod eſt effectus poteſtatis ſupernaturalis, vt prophetare, aut Eccleſiaſticæ, vt diſpenſare in votis, ius habere decimarum, & oblationum, quod Parocho aut beneficiario conuenit occaſione beneficij, Rebuffo teſte de *noualibus tractatu de decimis quæſt.* 13. ius exercendæ iuriſdictionis, quæ beneficij poſſeſſi eſt propria; hæc enim cum ſit ſupernaturaliter primum à Chriſto hominibus communicata, iuxta *can. ita Dominus 7. diſt.* 19. Reginald. *libro antea citato cap. 13. num.* 189 & alios, pro ea communicanda dare quidpiam Epiſcopo quod pecuniam oleat, aut vices eius obeat, vitium eſt, Simoniæ charactere notatum *lib. 2. can. quampie 2.*

Eſſe autem annexum ſpirituali in negotio præſenti, idem eſt, ac cum eo cohærere, quod tribus fit modis, antecedenter, quia viam ad ſpirituale præparat, aut ad illud præſupponitur, vt eſt conſecratio in calice reſpectu Miſſæ in eo faciendæ, vaſa, & veſtes, ius item patronatus, cum de nominatione ad beneficium agitur, ſine qua, cum eſt hic iuris laïcorum, obtineri nequit in Gallia.

Concomitanter eſt id rei annexum ſpiritali, cui ſic cohæret, vt ab illa ſeiungi nequeat; talis eſt labor, qui in Sacramentorum adminiſtratione ac Miſſæ, ſacrificio ſuſcipitur.

Eſt id eidem rei annexum conſequenter, quod eſt veluti effectus eius quidam, hæcque eſt cauſa cur beneficium non niſi conſequenter ſpiritale dici queat, quia ius percipiendi temporalia, in quo eius eſt ratio, naturaque poſita, effectus eſt officij ſupernaturalis, propter quod datur. Ita patet adiuncta ſpiritalibus in materia ſimoniæ communiter eſſe materialia, quæ reſpiciunt ſpiritualia, vel tanquam materia, formam ſuam, vt calix aureus conſecrationem, quæ illi in modum formæ aduenit, vel vt primum ſuum terminum, quod iuri patronatus conuenit reſpectu beneficij, & tam hæc quæ ſunt ex temporario & ſpiritali mixta, quam quæ ab ea concretione ſunt libera, cum emuntur Simoniam faciunt, propter eorum qualemcunque cum re ſpiritali iunctionem mixturam.

QVÆSTIO IV.

Quotuplex ſit Simonia.

CVm Simonia ſit emptio rei ſpiritalis, aut venditio, ab vtraque, eius ſunt petendæ diuiſiones.

Primo ergo diſtribuitur in mentalem, conuentionalem, & realem. Mentalis eſt duplex, vna quæ in animo eſt contrahentium penitus incluſa, nec foras prodit. Altera quæ ſignum habet rei datæ & acceptæ, acciditque, cum id quod datur exterius, ſpecie tenus gratis ac liberaliter datur, cum voluntate conformandi ſe alteri, qui creditur exigere ac capere temporale pro ſpiritali, tanquam ſibi debitum ex iuſtitia, Suar. *cap. 44.* Reginaldus *to. 2 lib. 23. q 4. nu.* 153.

Vnde patet, Mentalē Simoniā tunc admitti, cum qui beneficium ſine pacto cuipiam tribuit, intentionem habet recipiendi ab eo aliquid temporale, aut temporali æſtimabile, tanquam debitum ex iuſtitia, & qui recipit de alterius praua voluntate minimè dubitans, temporale tribuit, idcirco quia ab eo ſpiritali eſt donatus, vel è contra, collatorem anteuertens & occupans, temporale largitur, non neſcius, fore vt ob eam largitionem ſibi hic beneficium conferat.

Conuentionalis pactum habet expreſſum, aut tacitum, eſtque duplex: pura & mixta, mixta pollicitis rem addit, nonomnem quidem quæ talis pacti obiectum fuit, ſed partem eius, puta quia ſpiritale duntaxat eſt datum, pretio nondum ſoluto, aut contra, numerata eſt pecunia, beneficio aut re ſpirituali necdum tradita.

Simonia conuentionalis pura eſt, quæ præter conuenta & promiſſa nihil continet.

Realis eſt quæ vtrinque commutationem habet, rei ſacræ ſcilicet & pecuniæ, beneficij & pretij. Cum ergo ad pactum vtrinque accedit traditio tùm pretij tum rei ſpiritualis, Simonia realis eſt, nec eſt neceſſe quod tota pecunia ſit tradita, ſufficit ſi pars eius aliqua ſit oblata in compenſationem acceptæ rei ſacræ, & ſit ea ſumma aut pars eius recepta.

Secundo diuiditur Simonia in eam quæ fit circa rem ſpiritalem pure, & eàm quæ talis eſt tantū concomitāter, ſeu quia eſt annexa ſpiri-

tali vno de tribus modis quorum eſt antè facta mentio.

Tertio, diuiditur Simonia in eas quibus datur pro compenſatione verum aliquod pretium, & alias, in quibus quod offertur, non eſt propriè pretium, ſed aliquid quod æſtimatione tantum eſt tale: de hoc genere ſunt munera quæ appellantur à manu, lingua, aut obſequio *can. ordinationes, & can. totum* 1. *q.* 3.

Quarto diuiditur ſimonia in eam quæ eſt prohibita, quia mala; & eam quæ eſt mala, quia prohibita. Prior mala eſt intrinſece, iure tam Dei quam naturæ, alia iure tantum Eccleſiæ.

Poſtremo diuiditur in confidentialem purè, & mixtè talem. Confidentialis purè contingit in beneficio reſignando, conferendo, eligendo, vel præſentando ad illud, idque cum pacto tacito vel expreſſo, quod is cui beneficium confertur, ſibi aut alteri quem deſignat, penſionem dabit, aut poſt certum tempus ſibi vel alteri, prædictum beneficium relinquet.

Quare quatuor ſunt modi admittendæ confidentialis Simoniæ.

Primo nomen eſt *acceſſus*, habetque locum in eo, qui ad prouiſionem beneficij concurrit, eligendo, præſentando, confirmando, ſi id agat cum confidentia, id eſt pacto, quod prouiſus illud ſibi beneficium, aut alteri cui volet reſignabit.

Secundus dicitur *regreſſus* & hic modus eorum eſt proprius, qui renunciant beneficio in fauorem alicuius, ſed cum confidentia, hoc eſt pactione, quod idem beneficium, quaſi poſtliminio ad ſe aut propinquum, poſt exactum certum tempus, remigrabit.

Tertius modus dicitur *ingreſſus*, fitque cum aliquis renunciat beneficio, cuius poſſeſſionem necdum eſt ingreſſus, cum confidentia, id eſt pacto, quod ſi accidat eum cui reſignatur, ſibi præmori, aut Epiſcopum fieri, illud ipſum tanquam ſuum vindicet.

Quartus modus Confidentiæ hoc eſt Simoniæ confidentialis locũ habet, cũ Epiſcopus, collator, aut patronus, præſentant aut conferunt cum confidentia, hoc eſt pacto quod ſibi ſacrorum redituum partem aliquam præſentatus aut collatarius offerent.

QVÆSTIO V.

An Simonia ſit mortalis, & contra quam virtutem, & an materiæ leuitas à culpa grani excuſet.

EXcuſare Reginald. aſſerit *lib.* 23. *cap.* II. *q.* 5. *num.* 166. probatque *ex cap. & ſi quæſtiones de Simonia*, canoni rationem adiicit. Nempe quod quæ modica ſunt, leuiaque habeantur vulgo pro nihilo, nec ipſa dari ſoleant in pretium, ſed tantum in pignus beneuolentiæ, & teſtimonium honeſtatis.

A

Secundo. Quod non ſit probabile quempiam, cui vel tantillum ſit prudentiæ aut charitatis in ſuperos, à re nihili, ſuaque reputatione contemnenda, ad turpe facinus illectum iri, ad explicationem quæſtionis.

Dico primò, *Simoniam ex genere ſuo mortalem eſſe.*

Ad Aſſertionis fidem, faciunt quæ ſequuntur petita ex canonum auctoritate argumenta & primo quidem *in cap. ſicut de Simon.* Lucius Papa ait, eam morbos omnes animi ſuperare turpitudine. Taraſius autem 1. *qu.* 1. *can. Omnes qui* tolerabiliorem ea eſſe, hæreſim Macedonij qui Spiritum ſanctum negabat Deum eſſe, quod etſi oratorie dictum videatur, eius tamen rei quam agimus, certum eſt indicium, ſimoniam mortalem eſſe.

B

Secundo, per ſimoniam, nimium quantum res ſacra, diuinaque contemnitur, ſit pro argumento, quod exiſtimetur pretio æſtimabilis, pluſque in ea dignitatis, meritique non eſſe, quam in vili fruſto terræ, quod è tenebris erutum, ſplendore ſuo, animis per oculos fucum facit, eoſque oblectando decipit. Ita vero ſentire quenquam ſine Dei ſacrorumque irreuerentia quis poteſt? hanc autem de ſe eſſe mortalem, negare quis auſit? ergo nec Simoniam.

C

Non eſt tamen hæreſis, quia eſt hæc in intellectu, illa autem in voluntate ſedem habet, nam per eam deſtruitur religio quæ cum pro ſubiecto voluntatem habeat, eandem quoque pro ſuo habitura eſt ſimonia, quæ propriè religioni opponitur, cum ſit ſacrilegium, hæreſis autem ſoli fidei.

Obiicies, contrarium expreſſe haberi 1. *qu.* 1. *can. Presbyter, & can. eos qui* 2. *eadem quæſtione & cauſa.*

D

Reſpondendum iis locis, Simoniam vocari hæreſim, non quod ſit in ſe, & natura ſua talis, ſed per denominationem extrinſecam à primo ſuo auctore Simone Mago, cuius opinio erat, Spiritum ſanctum vendi & emi poſſe, vt colligitur ex his verbis. *Quia exiſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri poſſe.*

Secunda Aſſertio, *Si de foro externo agitur, paruitas rei temporalis, quæ pro ſpiritali tribuitur, excuſat à Simonia*: ita Nauarrus *conciliorum conſil.* 52. *nu.* 2. & probatur.

E

Enimuero nunquam tenuis & exigua viro prudenti ſumma eſſe ea videtur quæ rei tantæ ſit pretium, quantæ eſſe ſpiritales ſolent, vt Epiſcopatus, aut pinguis canonicatus, ergo quod earum cauſa dabitur, in foro externo dari gratis exiſtimabitur. quæ ſi ſunt vera, nullæ quoque ei in eodem tolerandæ erunt pœnæ, qui pretio vili, rem ſpiritalem addixerit.

Ab his quoque leuitatem materiæ excuſare

præter allatam rationem, iudicant canones varij, in primis canon iudices vigeſimus tertius, *prima cauſæ qu. 2.* vbi permittitur Epiſcopis ac ſacerdotibus, qui ſunt ordinati diuinitus, ſiclos quinque pro prædictionibus exigere non plures. *Et noſtri*, inquit canon, *ſacerdotes ſi volunt vendere prophetiam, & columbas in cathedra ſua proponere, quas Dominus flagello ſubuertit, quinque tantum obolorum ſint mercede contenti. Canone autem* 18. *de Simonia*, habet Pontifex pro Simoniaco, non habendum eſſe, qui Cardinali iter habenti per Hungariam equum obtulerat, vt illectus hoc munere fratrem ſuum in obtinendo Epiſcopatu Strigonienſi, adiuuaret apud Pontificem, cum Romam rediſſet.

Tertia Aſſertio, *In foro interno, id eſt coram Deo, qualibet parua pecuniæ ſumma data vel danda pro re ſpirituali Simoniam efficit*, quia habet hæc actio maculam non leuem in Principis Dei redundantem iniuriam, cuius donatam vili æſtimantur, vt credantur pecunia emi poſſe.

Secundo, quo res ſpiritalis eſt *minor* quæ venditur, hoc eſt illuſtrior vendentis auaritia.

Tertio, eſt contra naturam, vt quod eſt æſtimatione omni maius, ſupraque valorem omnem, redigatur in earum ordinem rerum quæ humano commercio ſubiacent.

Equidem cum res ſpiritales quidquid eſt in natura rerum dignitate ſuperent, ac ab immenſa Dei in homines beneficentia dimanent, grauis tam illi, quam rebus ipſis infertur iniuria, quod comparentur pretio, in quo ab ea dignitate eas diſtrahi eſt certum, quam Dei voluntate naturaque habent, & in earum rerum ordinem cogi quas natura ad vſum vitæ ſubiectas nobis eſſe voluit, Reginald. *lib.* 23. *tract. de Simon. num.* 166. quid eſt enim eas in commutationem cum pecunia adduci, quod facit Simonia, quam eas credere eiuſdem cum ea eſſe ordinis, quo quid iniuſtius?

Quarta Aſſertio, *Etſi pretij dati pro re ſpiritali tenuitas, veniam à mortali non tribuat, ab excommunicatione tamen qua eſt contra ſuſpectos de Simonia lata, excuſat.* Nauarrus 5. *conſiliorum conſilio* 52. *num.* 2. quia vt excommunicatio quempiam notet, non eſt ſatis, actionem quæ ſenſibus vſurpatur, & cuius cauſa fertur, ratione internæ ac latentis à qua informatur, mortalem eſſe, ſed præterea eſt neceſſe, exteriorem eſſe talem, & in materia quæ indicet internam lethalem eſſe, ſecundum Nauar. *tomo* 2. *Conſiliorum d-datis & promiſſis num.* 20. Vaſq. *in* 1. 2. *diſp.* 160. *cap.* 5. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 14. *parag.* 6. ſed quando materia eſt leuis, non poteſt actio exterior oſtendere quantum eſt ſatis, interiorem mortalem eſſe: ergo, &c.

Aſſertio quinta, *Vt Religioni oppoſita eſt Simonia, ita habet ipſa labem ac maculam vitij, cui nomen eſt Irreligio.*

Ratio eſt, quod hæc cum honore, Deo, rebuſque ſacris debito, bellum indictum habeat, quem & euertit ac peſſundat tractatione parum æqua, dignaque, cum earum more quæ ſunt profanæ illas vænales proponat, ac cum caduca vilique materia commutat.

Dico Sexto, *Eſſe quoque in Simonia, iniuſtitiæ maculam ex parte vendentis, cum in compenſationem rei, quatenus præciſe eſt ſpiritalis, temporale aliquid accipi nequeat*: ita Leſſ. *cap.* 35. *dub.* 28. *nu.* 162.

Primo, quia eſt contra iuſtitiam pretium poſtulare pro re quæ nullum admittit, quia omne ſuperat, & ad quam is à quo petitur, ius habet.

Secundo, qui petit, & temporale recipit pro ſpiritali, petit & recipit ſine vllo iure, ergo iniuſte.

Antec. prob. Res non recipitur gratioſo titulo, cum eam dare aut recipere hoc nomine neuter habeat in mente.

Nec oneroſo, quia cum iure Eccleſiaſtico talis donatio ſit irrita, non transfertur rei temporalis dominium in recipientem, conſequenter eſt reſtituenda.

QVÆSTIO VI.

An pactio & promiſſio de re temporali danda pro ſpiritali gratitudinis nomine, Simoniam inducat.

NEgant hi auctores Valentia *tomo* 3. *diſp.* 6. *q.* 16 *punc.* 3. Tanner. *in* 22. *diſp.* 5. *q.* 8. *diſp.* 3. *nu* 78. Diana *to.* 1. *tract.* 16. *miſcell.* 2. *reſolut.* 39. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vltim. parag.* 2. *aſſert.* 2. aiunt enim, pro re ſpiritali pactum poſſe fieri, de dāda temporali eius cauſa, non tanquam ſit futura eius pretium, ſed velut ſtipendium, aut remuneratio grata ac liberalis operis, vel officij, quod ſecundum communem rationem officij ſpiritalis, meretur remunerationem gratuitam, pro reſolutione ſit.

Prima Aſſertio, *Ex rei natura non eſt Simonia rem temporalem ei gratis dare, qui ſibi actum ſpiritalem aut officium talis naturæ exhibet.*

Præit mihi in hac mente Gregor. *Regeſti lib.* 4. *epiſt.* 44. ſiue *cap.* 8. Synodi Romanæ, vbi poſt reprehenſum Epiſcopum & Notarium qui in ordinatione vocem ſuā ac manū venundare non eſſent veriti, hæc addit, quæ cauſæ ſunt noſtræ firmamētum. *Is autem qui ordinatus fuerit, ſi non ex placito, neque exactus nec petitus, poſt acceptas chartas & paliū aliquid*

cuilibet

cuilibet ex clero, gratiæ tantummodo cauſa dare voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus. Ad canonem accedit ratio, eaque multiplex.

Prima, quod poteſt dari ſine culpa, idem quoque poteſt recipi, ſed in memoriam accepti beneficij, ei aliquid qui contulit, gratus offerre ac liberaliter, nemo de peccato arguit, in eum nemo ergo Simoniæ culpam conferet, qui in collatorem ſuum aut curatorem ſacerdotii, quod eius beneficentia poſſidet, quidpiam vt pignus grati ſui erga eum animi tribuet.

Secundo, non eſt Simonia ſine pretio, aut re quapiam, quæ communi opinione hominum ei æquiualet in valore, eſt enim emptio ac venditio, hos autem contractus ſtare ſine pretio poſſe, quis Iuriſconſultorum dixit vnquam?

At datum ex gratitudine non eſt pretium, vtpote ex iuſtitia non debitum, ſed ex decentia, honeſtate, aut gratitudine, quod autem emptionis æquitas pretium aut quidpiam ei æquipollens exigat, fit ex eo perſpicuum. Primo, quod ſit contractus, in quo res datur pro pecunia. Secundo, quod ſit pactum bonæ fidei, ad iuſtitiam commutantem pertinens, in quo tantum reddi debet, quantum eſt acceptum, hanc autem in rebus æqualitatem ponere, cuius eſt virtutis opus, quam æquitatis ac iuſtitiæ, quæ cum in remuneratione collatæ gratiæ locum non habeat, ſed honeſtas decentiaque, data eius occaſione ac cauſa, nihil habent commune cum Simonia.

Aſſertio ſecunda, *Etſi ſit perinde ad fugam Simoniæ, quod donum temporale offeratur poſt ſpirituale officium præſtitum, aut ante, nempe vt ad illud exhibendum moueatur, qui poteſt, aut ſimul vtrumque fiat, expedit tamen dona antidoralia, rem ſpiritalem, eiuſque conceſſionem præcedere.*

Partis primæ ratio eſt ad manum, nempe, quod circunſtantiæ loci, temporis, & modi, rei eſſentiam non mutent, ergo data ex gratitudine, tam ante ſpiritale receptum quam poſt, aut ſimul, ſimoniæ maculam non habent. Pars altera explicabitur poſtea cum de chriſmate, ac petitione pecuniæ pro eo diſputabitur.

Aſſertio tertia. *Paciſci de gratitudine facienda ob ſpiritale datum, aut dandum, eſt Simonia, iure non tantum humano prohibita, ſed & diuino*, humano quidem quia tranſigi ſuper re ſacra non poteſt, *etenim res ſacra vt poſſideantur aliquo dato, vel retento, ſeu promiſſo, ſpeciem habet ſimoniæ de tranſact. cap. ſuper eo 7. & cap. præterea 10. eod. titulo*, habetur quod tranſactio ſuper re ſpiritali *iniquitatem ſimoniæ continet*, & in *cap. extremo de pactis*, ſcribit Gregor IX. *quod pactiones factæ de ſpiritalibus obtinendis, cum in huiuſmodi omnis pactio omniſque conuentio debeat ceſſare, nullius ſint*

A *momenti.*

Diuino autem, quia conuentio, donationis aut remunerationis concepta nomine, eſt permutatio rei ſpiritalis cum temporali: ergo Simoniaca.

Secundo, non eſt tunc rei ſacræ donatio gratuita, quando dans non confert alteri ius accipiendi, niſi alter viciſſim ei aliquid præſtet, ad quod ſecluſa hac ſpeciali promiſſione non eſt obligatus: at hoc accidit in conuentione de qua eſt hic ſermo, non eſt hæc ergo gratuita ſed oneroſa, ergo Simoniaca.

Aſſertio quarta, *Etſi ad eum culpa Simoniæ* B *non pertineat, qui de ſpiritali gratis dando paciſcitur, ſed ore tenus, fallendique voluntate, non eſt tamen omnis peccati expers.*

Non eſt Simoniacus, quia ſtandi promiſſis non eſt ei animus, quod ad Simoniam tamen eſt neceſſe, cum ſit *voluntas ſtudioſa, &c.*

Deinde ad rationem Simoniæ dari debet aliquid ei, cum quo admittitur, quod illi futurum ſit vtile, quale nihil hic offert, qui negatione rei ſpiritalis, fallere vult eius emptorem, C ſcio Suarium *lib. 4. cap. 42. num. 2.* contrarium docere, Noſtra tamen ſententia & tuta eſt & vera.

Peccat tamen mortaliter, qui ita fraudulenter cum alio tranſigit, quia cum eo concurrit efficaciter ad Simoniam, cuius eſt tali tranſactione reus.

Secundo, mentiendo eſt cauſa, cur alteri beneficium ſuum pereat, quod cum in re graui ſit, & pernicioſum contrahenti, qui aliter illud non relinqueret vix à mortali ſeiungi poteſt.

D

QVÆSTIO VII.

An ſit Simonia dare ſpiritale pro ſpiritali.

PRima Aſſertio, *Rei ſpiritalis in aliam ſimiliter ſpiritalem commutatio, non eſt ſimonia prohibita iure naturæ diuino & Eccleſiæ:* Non diuino & naturali quia de ratione ſimoniæ eſt commutatio pretii cum re ſpiritali, Petro Apoſtolo teſte Act. 8. *pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniã donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.* At in commutatione ſpiri- E tualium inter ſe, deeſt temporale pretium, vt patet, cum ſpirituale, quatenus tale, à temporali differat.

Secundo, cauſa quamobrem eſt Simonia prohibita, eſt hæc maxime, quod cedat in Dei iniuriam, dona eius potiſſima, qualia ſunt ſpiritualia, priora infinitis interuallis pecunia, cæteriſque id genus vilibus, & abiectis fortunæ membris, eo vſque deprimi, vt rebus contemnendis, Angelorum, prudentiumque iudicio vere nullis æquentur; at huic cauſæ, in præſenti negotio locus eſt nullus. Nam quid

tis vaſis, vel miniſteriis à quolibet Clericorum vſurpatum, vel diſtractum fuiſſe compereris, ſine cuiuſquam mora interuentu, exigere non dimittas, & Eccleſiaſticis vſibus reformare.

Eius iudicium ſequuta eſt Pariſienſis Curia anno 1548. cum enim Abbas quidam, peculij defuncti Monachi ſui ſucceſſor, queſtus eſſet de re ſacra pignori ab eo data pro mutuo, à ſorore cum valeret, accepto: ſtatuit illa Calicem aureum quem viuens in cauſam pignoris dederat, poſtquam ſua ſorori ſoluta eſſet pecunia, Abbati reddendum eſſe Papon. *lib. 1. titulo 1. arreſto 8.*

Contra D. Ludouici Francorum Regis factum opponi ſolet, à quo Sacramentum Euchariſtiæ Saracenis oppigneratum narrat, cuius ad exemplum alii, poſtmodum ſacra Chriſti in Cruce paſſi monumenta, pignoris loco dedere pro debitis.

Reſpondendum, à Sanctis fieri multa miranda magis quam imitanda, vtpote communi legi repugnantia, nam & ſibi multi vim intulere, vt Sanſon Iudicum 16. Pelauſia lectiſſima fœmina, Apollonia item apud Nicephorum, quos nemo tamen opinor in præſenti honeſte ſibi ſequendos eſſe crederet.

Reſpondeo 2. à Diuo Rege Chriſtum in Euchariſtia non oppigneratum, ſed gentibus relictum ad teſtimonium futuræ ſuæ in implendis promiſſis fidei.

QVÆSTIO IX.

An dare ſpiritale alicui v. c. beneficium quia conſanguineus eſt aut amicus, vel negare, quia eſt extraneus, aut exoſus, ſit Simonia.

PRima aſſertio, *Etſi hoc ſit illicitum cum conſanguineus non eſt beneficio dignus, non eſt id tamen proprie Simoniacum.*

Prioris partis eſt hæc ratio, quod amicitia, quod ſtirpis ac ſanguinis communio, cauſa non ſit ſufficiens ac idonea, à qua cum ratione ad diſtribuenda Clericis beneficia induci collator poſſit ac debeat: Nec enim ſunt hæc hæreditatis inſtar, propriique & priuati boni, quod dari aut negari ad conferentis arbitrium debeat.

Secundo dare beneficia indignis, eſt Eccleſiam perdere, ſe ſuoſque eius honori, commodiſque anteponere, vno verbo facere contra boni viri officium, cui antiquius eſſe nihil debet, quã ne fidei ſuæ deſit, eius tamẽ eſt culpæ reus Epiſcopus, cum penſi nihil habet, an qui ei conſanguinitate ſunt iuncti, alios qui beneficia ambiunt, meritis ac dignitate ſuperent.

Tertio, perſonas ſpectare, earum genus, ſtirpem ac conditionem habere in Eccleſiæ regimine, præ cæteris ante oculos, fœdum eſt ac turpe, & ex genere ſuo mortale, facit hoc qui conſanguineos dignatur ſacerdotiis Eccleſiæ præ cæteris ſe dignioribus.

Pars ſecunda probatur, Non fit Simonia niſi commutatione rei ſpiritalis in temporariam quæ pro illa, id eſt ſpiritali, detur vti pretium, hoc eſt in compenſationem velut ex obligatione iuſtitiæ. At hic ne vmbra quidem eius compenſationis eſt aliqua: ergo, &c.

Secundo, Simonia pactum exigit, cum ſit emptio, id eſt contractus non gratuitus, cuiuſmodi ſine conuentione nullus eſſe poteſt. At hic tale pactum non interuenit, nec pretium, ſeu reciproca datio, aut obligatio.

Tertio, cum à motiuis ſpecificentur vitia, hoc eſt naturam ac ſpeciem ſuam mutuentur ac habeant, ſi conſanguinitas aut amicitia motiua non ſint ſimoniæ, nec erit rei ſpiritalis datio, puta beneficii, ob eam cauſam facta, ſimoniaca, verum eſt prius; nam formale motiuum ſimoniæ, eſt acquiſitio boni vtilis, quod eſt obiectum auaritiæ, at conſanguinitas, & amicitia, bona non ſunt talia per ſe primo & directe, vt patet: ergo ob conſanguinitatem vel amicitiam conferre alteri aliquid ſpiritale, proprie non eſt Simonia, vt expreſſe tradunt nobiſcum Altiſiodoricenſis 3. *Summæ cap. 5.* Suarez *tom. 1. de relig. cap. 57. nu* 60.

Secunda Aſſertio, *Dare ſpiritale ex motiuo conſanguinitatis vel amicitiæ, eſt Simonia improprie & æquiuoce.*

Probatur primo, ex *cap. nemo Presbyterorum 14. titulo de Simonia,* vbi is eſſe Simoniacus dicitur, qui crimen à conſanguineo admiſſum, dignumque morte, iudici inquirenti non retegit: ergo & qui ex eodem motiuo, parum regendi capacem ad Sacerdotia admouet.

Secundo eſt omnis indigna prouiſio, ac perſonarum in ſpiritualibus acceptio, ſignificatione ſaltem generis & æquiuoca, Simoniaca, at hic talis reperitur, eſt ergo Simoniaca.

QVÆSTIO X.

An Sacramentum pretio emi poſſit.

DE quolibet hic mihi Sacramento non eſt mentio, ſed de baptiſmo tantum, qui cum ad ſalutem paruulo ſit neceſſarius de eo dubitãdi iuſtior eſt cauſa, quam de reliquis: de hoc ergo quæritur, an patri illum pecunia procurare puero recens nato ſit tutum, quando aliter à miniſtro, pecuniarum plus iuſto auido, obtineri non poteſt.

Prima ſententia, negat quam tuentur Diu. Tho. *2. 2. q. 110. art. 2. & q. 2. art* 2. Antoninus *2. parte tit. 1. cap. 5. parag.* 14. Sanch. *to. 1. conſil. lib. 2. cap. 3. dub.* 8. Halenſis *in 2. par. q. 167. memb. 3. art. 9.* Comitol. *lib. 1. q* 14.

Secunda affirmat eſtque gloſſæ in *can. bap-*

tiſandis 1. qu. 1. Akiſiodorenſis *lib. 3. ſumma* A *tract. 27. cap. 2. qu. 3.* & aliorum quos referunt Leſſius *dub. 7. cap. 35.* Suarez *lib. 4. de Simonia cap. 12.*

Prima Aſſertio, ***Præciſe pro Sacramento, eiuſque effectu, Parocho dari nihil poteſt vt iuſtum eius pretium.***

Probatur primo, quia eſt id intrinſece malum, vtpote Dei, rerumque ſpiritalium virtualem contemptum habens, nam rebus nihili, vereque optimorum opinione hominum contemnendis, æquari hæ vt poſſint, ſine implicito earundem neglectu, B intelligere non eſt facile, æquantur autem, cum ſit numiſma, vel quod eius loco viceque datur, menſura mercis, qualem tamen eſſe rerum ſpiritualium aliquam, qui diceret hactenus inuentus eſt nullus, *cum Apoſtolica ſententia donum Dei eſſe præcipiat, pecuniæ trutina minime compenſandum,* Concil. Aurelian. 2. *can. 4.*

Dari tamen Parocho aliquid poſſe, quod ſit grati aduerſus eum animi ſymbolum, indicat canon ſeptimus Concil. Braccar. 2. perſcriptus, his verbis: *Placuit vt vnuſquiſque Epiſcopus per Eccleſias ſuas hoc præcipiat, vt hi qui* C *infantes ſuos ad Baptiſmum offerunt, ſi quid voluntariè pro ſuo voto offerunt, ſuſcipiatur ab eis.*

Secunda Aſſertio, ***Cum præter Sacerdotem ſint alij, à quibus baptizari puer poſſit, eum ad officium pretio illicere eſt malum.***

Quia eſt omnis pro Sacramento, pecuniæ extra neceſſitatem extremam collatio, turpis ac fœda, cum enim habeat hæc à fine, culpæ vt ſit expers, neceſſitatem ſi dempſeris, tollis & finem, à quo honeſtatis ſpecies decorque in eam actionem manat, qua pater baptiſmum à Sacerdote eum impiè infanti negante pre- D tio impetrat: cum ergo nulla ſit Sacerdotis ad hoc tam ſalutare miniſterium adhibendi neceſſitas, cum præter eum, aliorum quoque eſt baptiſandi capacium copia, dici veriſſime poteſt, pro Sacramentis extra neceſſitatem extremam, dare quidpiam quod pretij rationem habeat ac modum, eſſe Simoniacum.

Tertia Aſſertio, ***Ei tamen, qui in extrema neceſſitate conſtitutum, ſacris lauare Baptiſmi vndis, niſi pacto pretio renuit, annuere quod petit, vexationis tollendæ cauſa quæ ſit inſonti, hoc eſt impedimenti, quod eius ſalutis contra fas*** E ***æquumque obijcitur, amouendi gratia, non eſt malum, nedum Simoniacum.*** Ita Vgolinus *tabula 1. cap. 6. num. 7.* Suar. *lib. 4. cap. 12.* Gerſon *tractatu 17. de Simon.*

Quia ad rationem Simoniæ, in vtroque, aut ſaltem contrahentium altero, requiritur voluntas ſtudioſa, hoc eſt deliberata ac certa, rei ſpiritalis pro temporaria coemendæ, aut contra. At eius hic voluntatis veſtigium nullum, ne leue quidem, ac per ſpeciem videre licet. Enimuero qui auari impiique Sacerdotis animum, pecunia, ſine qua baptizare puerum reſpuit, mulcere parat, hanc ei, non vt Sacramenti pretium, ſed vt prauæ ſuæ voluntatis ſublatiuum tribuit, in quo, quid ſit quod Simoniam oleat, eiuſque fœditatem, non video.

Confirm. eſſe Simonia non poteſt ſine pretio. At hic nullum interuenit, quod enim datur pro re ſibi debita, aut ea quæ poſſidetur, pretij rationem non habet. At eſt ius recipiendi baptiſmi à Seruatore Chriſto conceſſum omnibus, ergo non emitur, ſed eſt malæ voluntatis in miniſtro, ad meliorem indubitata mutatio.

Tertio, in cuiuſque eſt poteſtate, modis omnibus, quos Deus, naturaque approbant, ſalutem ſuam in tuto ponere, maximè ſi inique inſidiis, malaque arte appetitur. At non eſt pecuniæ poſtulatio, datioque, ſeparata à voluntate ſtudioſa emendi ſacramenti mala, ſed indifferens, relata autem ad tollendam vexationem, quam puer in re ſalutis patitur, bona eſt ac laudabilis, inique enim infans patitur cum ius ad baptiſmum habeat, vt enim Apoſtolis *Math. 24.* eſt à Chriſto eius præcepta collatio, his verbis: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. ita & cunctis eius recipiendi facultas eſt tradita, quam conuellit, qui infantem de ſalute periclitantem, Chriſtiano ritu, moreque, lauare renuit, nec ſine iniuria, cum tantæ ac tam ſalutaris rei negatio, ſit iuris, quod Chriſti Seruatoris voluntate ei competit, certa violatio.

Secundo, impedire ne quis peccet, bonum eſt ac laudabile, ſed impedit, qui pecunia ſacerdotis in exitium ſuum obſtinati, animum emollit, vexationem inſonti puero illatam adimit, ſalute eum per Sacramenti Baptiſmum impertit.

Dices, peccat Sacerdos cum pretium pro Baptiſmo conferendo auſu, ſacrilego exigit: ergo & qui eius obtinendi cauſa tribuit.

Neganda eſt conſeq. exemplum eſt in vſuris, quæ etſi in neceſſitate etiam extrema poſtulantis recipi ſine recipientis ſcelere nequeant, eo tamen vacat earum ſolutio.

Deinde qui pecuniam offert, eſſe in culpa cenſeri nequit, niſi quia eius receptionem quæ eſt vitioſa, poteſt & debet impedire, at neutrum eſt verum: ergo, &c.

Quid ſi baptiſandus adultus erit? quid ſi per amoris actum conſulere ſibi poterit, etiamne illi quod puero licebit in hoc negotio?

Negat Malderus, eo quod contritio, in eo ſupplere baptiſmum queat.

Affirmat è contra Suarius *lib. 4. cap. 12. nu. 14.* eſt vtraque ſententia probabilis, poſterior tamen præ alia, cur enim quod in pueri cauſa permiſſum eſt patri, adulto in ſua ſit prohibitum?

bitum? cum & charitate aduerſum ſe maiore A eſſe debeat, quam erga quemlibet alium, & intentione emendi Sacramenti carere queat, & aliunde voluntatem conſulendi ſibi remedio neceſſario concipere valeat, quæ duæ res in Patre reſpectu pueri baptiſandi, pretij dationem à culpa liberant.

Nihilominus perquam mihi eſt probabile mille mortes potius ſubeundas eſſe cuilibet, quam ſacrilego pretio, baptiſmi Sacramentum redimere.

Primo, quia eſt hæc actio, quam redemptionem auctores nominant, vera Simonia, B cum hæc nihil ſit aliud quam rem ſacram, profana, ſeu quæ ciuilem habet æſtimationem, emere aut vendere.

Secundo, quia eſt hæc redemptionis vexatio, cum Dei coniuncta dedecore ac contemptu, nam quid poteſt eſſe, aut cogitari fœdius, quam vt vile membrum terræ, qualis eſt pecunia, cum Sacramentis, quæ ſalutis ſunt noſtræ inſtrumenta cœleſtia, collatum habere pondus, quo illa emi poſſint, & tamen id videtur credere, qui ad redimendam vexationem, dat flagitanti pecuniam, aliter negaturo C Sacramentum infanti, ſine quo eum ſcit ſaluandum non eſſe, quid eſt enim, eam ob rem pecuniam petere, quam vim Sacramenti vendere? fieri id vero an iure poſſit ac legitimè, nihil attinet dicere, cum ad peccatum inducere, aut ad illud operam ſuam commodare, ſit peccatum omnium conſenſione mortale.

Deinde vt ſe à vexatione redimere liceat, ſine labe Simoniæ, duo ſunt neceſſaria.

Primum, vt id iam poſſideatur pro quo ad tollēdam vexationem datur pecunia hoc eſt, vt hæc non pro adipiſcendo iure, ſed adepto D detur. Alterum eſt, vt per hanc vexantis culpa impediatur. At neutrum hic accidit, nam & pecunia penditur pro re quæ non habetur, & ei præbetur qui à voluntate peccandi non abſcedit, cum eius actio maculam lethalem habeat. Eſt hæc ſententia probabilis, prior tamen eſt in puerorum cauſa ſequenda, ne demnentur. Verùm enim (inquies) pecunia vexationem, in Sacramentorum materia tollere, eſt ea emere, ſaltem indirectè, cum hæc eſſe non ceſſet, niſi vi pretij, at qui hoc licere credat, puto eſſe neminem, cum Sa- E cramenta ſacram & ſupernaturalem vim ſanctitatis, & gratiæ efficiendæ habeant.

Sequela eſt neganda, cum id nec actu nec virtute, pueri pater, cui negatur Baptiſmus propoſitum animo habeat, non primum, quia id vnum duntaxat ſpectat, vt ſacerdotis animum pecunia demulceat, ac puero benignum reddat. Non ſecundum, quia voluntas Simoniaca non continetur in redemptione vexationis, tanquam effectus in ſua cauſa, quod tamen eſt neceſſe, vt quid dicatur virtute volitum eſſe in alio.

QVÆSTIO XI.

An loca in Collegijs quæ à Gallis Burſæ appellantur, vendi poſſint ſine Simonia.

PRima Aſſertio, *Non eſt vere & ex natura rei Simonia, loca eiuſmodi in collegijs emere aut vendere.* Probatur.

Locus collegij inſtitutus ad ſtudendum iuri, medicinæ, Theologiæ aut Grammaticæ non eſt quippiam ſpiritale ex Bleyano *de confratrijs in Theoria num.* 28. quemadmodum nec collegia vbi Burſarij verſantur, Eccleſiaſtica ſunt (vt loquuntur) corpora, ſicut declaraſſe curiam, triplici ea de re Senatuſconſulto memorant. Enimuero non ſunt Burſæ beneficia, cum non ſint perpetuæ, vtpote certo circunſcriptæ tempore, (nempe triennio) quo exacto, egredi collegio Burſarij iubentur, ſeque transferre alio.

Nec ſunt eiuſmodi loca Collegialia ex fine quem ſpectant, aut principio à quo manant, res ſacra. Quorſum enim ſunt hæc in Academiis inſtituta, quorſum à fundatoribus magnis ſunt dotata prouentibus? Nempe vt haberent Academici quo ſe ſtudiorum cauſa reciperent, ibique dum viri inter viros fiunt, placide in muſarum ſinu, tanquam in tranquilliſſimo portu, conquieſcerent: In eo autem quid eſt cœleſte? quid ſacrum? vel quid dare literis operam, aut dediſſe, multis ad ſalutem profuit? & tamen pro ſacris in præſenti materia, ſunt hæc duntaxat opinione hominum cenſenda, quæ Deum auctorem ſolum habent aut Eccleſiam, ſuntque ab iis vt certa ſalutis noſtræ pignora, eiuſque promouendæ diuina præſidia, diuinitus inſtituta?

Quod ſi eorum locorum in Collegiis, pro Burſariis, originem ſimiliter ſpectare placet, huic cum re ſacra commune nullum eſſe vinculum, patebit tam clare, quam ſolem lucere in meridie. Enimuero, eorum auctores primi, fuere viri noſtri quam ſimillimi, mortales, à virtutibus ſæpe inopes, vitiis abundantes, terram ſpirantes, ſacrum nihil niſi in ſpe, Deique benignitate poſſidentes: ergo cum Simonia ſit rei ſpiritalis ac ſacræ emptio aut venditio, quæ in Collegiis loca ſunt ad ſtudendum Academicis liberalitate fundatorum addicta, vendi poſſunt ſine Simonia.

Secunda Aſſertio, *Si tamen eiuſmodi locorum in collegijs erit natura talis vt iis quoddam ſpiritale habeant, vt dicendi ſacri in perpetuum, vi cuius fiant qui ea poſſident beneficiarij, erit eorum venditio ſimoniaca,* Nauar. 5. *conſil. titulo* 3. *conſil.* 49. Fabricius *in Theoria, tract. de locis collegialibus & confratrijs nu.* 6.

Ratio eſt, quod vt beneficia vtpote ſacra

in ſuo principio, iure ſcilicet faciendæ ſacræ functionis, humano commercio non pateant. At loca in Collegiis quæ Presbyteralia eam ob cauſam nominantur, quod ea qui poſſident, Presbyteri eſſe debeant, diuinaque obire munia, tanquam proprij Collegiorum Sacerdotes, loca hæc (inquam) ſunt multorum opinione beneficia, quia ſunt perpetua, quia cum iure officij ſacri coniuncta, eiuſmodi eſſe non pauca Auenione, maximeque in Collegio S. Nicol. de Auiciaco Bertrand. ait *in conſil. 360. volum. 2. par. 1.* & Maguelonæ in Eccleſia S. Trinitatis, & in ſuburbio Montiſpeſſulani ſcribit Rebuff. *in tract. nominat. q. 15. num.* 23 Pariſiis autem in Collegio Burgundico, cuius capellam, id eſt locum, ſacroſancto Miſſæ ſacrificio deſtinatum, dari in titulum, non alteri tamen quam qui eſt è Burgundiæ Comitatu oriundus, tam eſt certum, quam quod maxime, eiuſmodi ergo loca Collegiorum Presbyteralia, quia ſunt in miniſteriis quæ obeunt, diuina ac ſacra, vendi nequeunt aut emi ſine Simonia.

Tertia Aſſertio, *Si loca Collegialia non Presbyteralia vendi, fundator prohibuit, cum clauſula, vt qui ea emerit, fructus ſuos non faciat, ab eius imperio diſcedere eſt malum, ac cum reſtituendi obligatione nexuque coniunctum,* quia vt eſt Domino iure omni licitum rei ſuæ onus imponere quod lubet, ita & eſt neceſſe eam poſſidere paranti ei obſequi: ergo tunc in ea Collegia per munera, aut pecuniam viam ſibi inſtruere eſt iniuſtum, quod ſi de fundatoris intentione dubitabitur, erit Papæ aut Epiſcopi eam explicare, ad ſecuritatem conſcientiæ.

QVÆSTIO XII.

An vexatio redimi à vexato poſſit ſine Simoniæ vitio.

Est vexatio quidpiam per modum actionis in vexante, quo ne beneficio ſuo fruatur eius poſſeſſor liberè, aut eiuſdem ſibi iam collati poſſeſſionem pacificè ac ſine turbis ineat, impeditur iniuſte ac impie, à quo eum opere, diducere munere, ac pretio, vtrum ſine Simonia liceat, inquiritur in hac quæſtione.

Dico primò, *Ei omni iure fas eſſe, qui quam optimo canonum iure, Eccleſiaque more, eſt ab eo qui poteſt, beneficio donatus Eccleſiaſtico, vexantem ab inferanda ſibi iniuria, pretio, ac munere auertere.*

Ita mihi ſentiendi auctores multi, magis noti ſunt ſequentes, Rebuff. *de Simon. in reſignat. num. 18. & ſequent.* Nauar. *Enchir.* 23. *num.* 208. Suar. *lib. 4. cap. 51. de Simon.* Sanch. *in conſil. lib. 2. cap. 3.* Archidiac. *in can. decima*

A *16. q. 3.* Leſſ. *2. ca. 35.*

Aſſertionis ſunt hæc firmamenta, primum, vbi nihil eſt, quod à materiæ communione ſit ſeiunctum, ac in ſe, aut circunſtantiis ſuis ſpiritale, inde ſimoniam abeſſe eſt neceſſe. Sed in huius facti ſpecie, de quo eſt ſermo, quod in rerum ſpiritalium claſſem referri oporteat, occurrit nihil. Enimuero quid eſt vexatio? iniuſtitiæ, actio, quid inſontis falſa apud Superiorem, mendaxque accuſatio? digna nunquam intermorituris ignibus, æqui rectique oppugnatio, ei autem par & æquale eſſe quid poteſt, præter ignes, æternoſque in B inferno cruciatus? non eſt hæc ergo vexationis redemptio, Simonia, nam quid homini accidere poteſt in terris glorioſius, quam errantem in viam reducere, peccantem corrigere, aut ne peccare perſeueret, ſtudio, curaque facere? at eo ſpectat charitas, eo induſtria eius, qui ne vexetur, hoc eſt iniuſtè vexantis improbitate lædatur, pecunia, aut re quapiam alia ſimili quam ambire auari ſolent, eius animum lucri auidum implet, in eo ergo non peccat.

C Facit huic argumento fidem Cœleſtini Papæ tertij ſilentium, in *cap. dilectus* 28. *de Simon.* nec enim præpoſiti cuiuſdam in Anglicana Eccleſia factum arguit, qui cum *eum multis grauaminibus Archidiacon. Eborac. afficere non ceſſaret, promiſit ei certam pecuniæ quantitatem ſe daturum, vt ab eius deſiſteret læſione,* quod tamen Pontifex non reprehendit, vt tamen eum oportebat facere, ſi vim, iniuriamque pretio redimere, res fuiſſet cenſura digna.

D Confirm. Eſt de ratione Simoniæ, vt quidpiam eius ope acquiratur, quo careret antea, qui illam commiſiſſe arguitur. Eſt enim emptio, qua id acquiritur, quod pro pretio venditur. At per ceſſationem ab iniuria nihil ei accedit, qui ne hæc fieri perſeueret, facienti pretium offert: ergo, &c.

Dico ſecundò, *Cum non eſt vexatio pura, ſed ordinata vlterius, nempe ad acquirendum ſpirituale, inclinando ſcilicet voluntatem collatoris ad illud conferendum, quidquid eius rei cauſa datur, datur iniquè, ac non ſine culpa Simoniæ.*

Quia non eſt tunc redemptio, impedi- E menti remotio, ſed & pretij exhibitio pro ſpiritali obtinendo.

Quod ſi pro poſſeſſione ſola ineunda, detur pecunia? quid ſi is ad quem ſpectat eam concedere, ac beneficiatum in eam inducere, in eam mentem veniat, temporali illectus munere?

Reginaldus *lib. 23. cap. 11. q. 3. nu.* 124. Guido Papa *deciſ. 1.* & Ranchinus in eum locum dantem arguerent Simoniæ haud dubie, quia poſſeſſio beneficij eſt ſpiritalis, per ordinem quem ad illud habet.

Res

Res eſt cum diſtinctione explicanda, quam Aſſertiones duæ comprehendent.

Dico ergo tertiò, *Peccatum eſſe beneficium non ingredi, hoc eſt, in eius poſſeſſionem nonvenire niſi pretio.*

Quia cum hæc ſit ſpiritalis, per ordinem ad beneficii titulum, cauſamque eius requirendæ, illam pacta pecunia, aut re quapiam ſimili, ab Archidiacono, aut Superiore aſſequi, quid eſt aliud, quam turpi Simoniæ labe velle infici? Scio Archidiaconos marcham auri & argenti, Archipresbyteros autem vaccam albam, vel aliquam pecuniæ quantitatem, in quibuſdam locis ex conſuetudine recipere ſolitos eſſe, pro inthronizationibus, vt refert Bleyan. *in tract. de reliquis exactionib. Clericor. vel laicor. num. 32.* ſed nego eas pro iis exigi, aut dari, ſed in compenſationem laboris, ac operæ ab iis ad id exhibitæ, & quamuis id ita foret, *dicere adhuc poſſumus*, inquit Bleyan. ſupra, *immiſſionem & inthronizationem plus habere temporalitatis quam ſpiritualitatu, ac proinde non omnino pecuniæ vel alterius rei reſpuere dationem ex ſententia,* Chenut. *in addition. ad Papon. lib. 1. tit. 1. arreſt. 3.* ſec male, vt ratio allata probat.

Dico tertiò, *E ſi poſſeſſio ſecundum ſe ſpectata, non ſit ius ſpiritale, ſed tantum factum quoddam corporale, quod cenſetur eſſe conſecutiue rei ſpiritali annexum, quatenus pendet à titulo ſpiritali prauio, quando tamen titulus eſt plene acquiſitus, non eſt poſſeſſio ipſa acquirenda aut iam acquiſita, ſpiritale aliquid, ſed per ſe quid temporale immediate debitum,* Suar. *de Simon. cap. 10. nu. 30.*

Facit pro hac ſententia fori praxis, nam ſi prædicta poſſeſſio impeditur ſine cauſa, impetrantur à Cancellaria regia literæ Seneſcallis & præſidialibus curiis directæ, quas vulgo nominant *literas querimoniales, lettres de complainte*, earumque tria ſunt capita, primum vt primo quoque tempore beneficium de quo litigatur ſequeſtretur, habetque hæc ſequeſtratio locum, vbi beneficium neuter de litigantibus per annum & diem ſuper quo litigatur, poſſedit, Imbert. in ſua practica *ca. quand on peut demander ſequeſtre*, ſecundum eſt, recredentia: Tertium plenum poſſeſſorium, Ranchinus in *annotation. ad Guidon. Papæ deciſione prima.*

Dico quintò, *Si Beneficiario ius ad beneficium aliud non competit quam decentiæ*, quia nempe eo eſt dignus, aut *ad rem*, quia eſt ad illud ſuffragatorum vocibus electus, aut à Patrono, ei cuius intereſt Eccleſiam regere, præſentatus, vt ad illam eiuſdem admoueatur auſpiciis, ſed nec illa adhuc eſt donatus, nec in electione de ſe canonicè facta approbatus, illi (inquam) eius confirmationem impetrare pecunia, eſt nefas.

Quia eſt eiuſmodi largitio, iuris ad bene- A ficium completi aliqualis emptio, *non eſt ergo à labe Simoniæ immunis, donec voluerit in adminiſtratione manere, quam proinde debet dimittere de Simon. cap. Mathæus 23.* Sane cum electus, Superioris approbatione necdum firmatus, beneficij plene & complete non ſit poſſeſſor ac Dominus, hanc quiſquis pretio obtinere ſatagit, viam ſibi largitione pecuniæ ad beneficium aperit. At ad honores Eccleſiæ, magiſteriaque, his irrepere artibus, ecquid eſt ſimonis ingredi paſſibus, parque ac ſimile cum illo in Deum, reſque ſacras B concipere facinus? eſt id ergo vti præſentiſſimum virtutis ac animæ exitium, optimo cuique vitandum.

Quid ſi Clerico, cui inferri iniuria in beneficio dicitur, facta eſt eiuſdem collatio? quid ſi cauſa iureque nullo fretus aduerſarius, eum vexet?

Eam ego vexationem ſine culpa vlla à vexato, largitione pecuniæ tolli poſſe ideo cenſeo, quod ab eo emi tum beneficium, aut eius pars aliqua dici nequeat, nam ſi ius ſibi vexans nullum in eo vendicat, vêdere de eo tanquam quid ſuum quid poteſt? quæ ergo ei C pecunia à vexato dabitur, pro auertenda iniuria, ſeu vexatione cuius eſt cauſa, dabitur.

Dico ſexto, *vt vexationis illata aut inferenda redemptio ſit permiſſa, quatuor eſſe neceſſaria.*

Primum, vt ius vexati ſit certum, non vacillans, non dubium, Rebuff. *de Simon. in reſignat. num. 18.* erit tale, ſi redimens tam ſuo, quam Doctorum iudicio compertum habet, ius pro ſe facere, proindeque non leuem æquitati ſibique iniuriam vexantem facere, cum ſua ſe in otio, paceque aſſequi non ſinit, Syluest. *ver. Simonia q. 3. regula 1.*

D Dixi *non dubium*, quia cum in dubio melior ſit poſſidentis conditio, quam non poſſidentis, eſt haud dubie beneficium debitum ei à quo poſſidetur, ſi de iure litigantium ambigitur, Suar. *lib. 4. q. 50. num. 12.* eſtque illud anceps ac ambiguum.

Secundo debet ius vexati plenum eſſe ac completum, dare vexanti quidpiam, vt illud compleri ſinat, Simoniæ culpam in vexato connotat.

Tertio, debet vexatio iniuſta eſſe, aliter non poteſt ſine Simoniæ certa labe, tolli lar- E gitione pecuniæ, fac enim vexantem iure niti ad beneficium, quod eſt inter eum & vexatum controuerſum, ecquid pacta pecunia facere, vt ab eo vexans vexati cauſa decedat, eſt ſibi viam ad ſpiritale ſternere? quod eſt malum. Nec enim vexari quis in beneficio aut re quapiam ſimili iuſte poteſt, niſi quia eſt ius eius infirmum ac debile, alioqui vexatio iniuſta foret: hanc ergo tum qui redimit, firmitatem iuri ſuo adiicit, ac ſpiritale ex parte emit.

Ob eam cauſam qui concurrenti ſecum in eiuſdem beneficij petitione & ambitu, dat aliquid, aut redituum partem aliquam, eidem ne ſe opponat daturum ſpondet, aut cum ſit irregularis, ne pro tali denuncietur Epiſcopo aut Collatori, pecunia efficit, pro Simoniaco haberi debet, maxime vero, ſi cum iuſtam iuris ſui perſequendi cauſam habeat, eo cedit in vexati gratiam.

Ratio eſt, quod æqua eſſe vexatio nequeat, niſi ratione iuris, quod ad eam inferendam vexans habet, ergo cum eius iuris ſiue intermiſſio, ſiue ceſſio, ſit tacita quædam beneficij conceſſio, à vexante vexato facta, eſt eius redemptio, beneficij oblatione pecuniæ certa comparatio.

Quarta conditio eſt, vt quod ad redemptionem datur ſit, temporale aut ei æquiualens, quod obiectum contractus ac commutationis eſſe valeat. Probatur

Vexationis omiſſio non eſt quid ſpiritale nec in ſe nec in adiuncto, ſed quidpiam mere temporarium: ergo quod ad eam tollendam vexanti datur à vexato, non debet eſſe ſpiritale, alioquin eſſet Simonia.

Dico vltimò, *Qui habet ius in beneficio per confirmationem, inſtitutionem, aut liberam collationem, poteſt vexationem redimere, ſi quis eum à capienda beneficij poſſeſſione impediat.*

Cauſa eſt, quod non ſit hæc de rerum ſpiritualium genere, ac numero, nihil eſt ergo in hoc contractu tale, quod ſuſpicionem afferat admiſſæ per redimentem Simoniæ, impedimentum exequutionis tollit hoc tãtum, quod per ſe, non eſt quid diſtinctum à re ſpiritali iam acquiſita. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. Lopez *part.* 1. *inſtruct. cap.* 302. Leſſius *lib.* 2. *de iuſtit. cap.* 35. *dub.* 18. poſſeſſio enim beneficij ſecundum ſe, non eſt aliquid ſpiritale, ſed id habet ex titulo, cuius vi capitur, *quem titulum cum iniuſte vexatus habeat, accedente poſſeſſione non accedit noua ratio ſpiritalis, ſed poſſeſſio ipſa per ſe adiaphora, fit ſpiritualis ex coniunctione cum titulo*, hæc Candid. *diſquiſ.* 18. *artic.* 37. *dub.* 5.

QVÆSTIO XIII.

An liceat ſine Simonia emere beneficium ab Hæretico.

PRima Aſſertio, *In foro conſcientiæ & proinde ſine culpa ſimoniæ, beneficiũ emi poteſt, non ad commodum ementis ſed Eccleſiæ & ad tollendam vexationem eius iniuſtam*, Candidus *trac. de benef. art.* 38. *dub.* 9. Azor. *parte* 3. *lib.* 12. *cap.* 8. *dub.* 8.

quia hoc non eſt illud emere, nec vllum eius ius ab hæretico capere, cum eo omni careat, ſed procurare rem Eccleſiæ bonum-

A que, quo quid eſſe poteſt ad laudem ac meritum fructuoſius?

Debebit ergo beneficium ſic emptum, ſuperiori relinqui, dandũ cui volet modo digno.

Secundo, id non magis videtur eſſe illicitum, quam emere oſſa Martyrum & reliquias Sanctorum, ſed hoc fuit olim vſitatum, vt patet ex facto ſancti Adriani de quo Baronius ad annum circiter 305. & ita poſt Caietanum & Sotum docuit Azorius *tomo* 3. *lib.* 12. *cap.* 19. *q.* 3. bona Eccleſiæ, ab hæreticorum manibus oblato pro eis pretio, eripi poſſe.

B Secunda Aſſertio, *In foro etiam exteriori licet poſt impetratum à Papa ius ſpiritale beneficij poſſeſſi ab hæretico, in illud ingredi, & poſt captam poſſeſſionem, pecunia vexationem redimere ſi qua ab hæretico accidat:* quia in temporalibus id licet, ergo & in ſpiritalibus, cum hęc non habeant, peculiarem cũ ratione repugnantiam.

QVÆSTIO XIV.

An ſine Simonia liceat vexato recipere pecuniam pro beneficio, quod retinere contra vim vexantis non poteſt.

C PRima Aſſertio, *Non eſt Simonia, cum res eo eſt redacta, vt beneficium ſuum retinere verus eius poſſeſſor nequeat.*

Quia lis eſt ei ſine cauſa ab iniuſto indicta vexatore, quam propter eius valde gratioſi apud iudicem, opes ac potentiam euincere moraliter eſt impoſſibile, non eſt inquam ſimonia, ſi iniuſte vexatus, à vexante quidpiam ſibi temporale exigat, & capiat. Ita Rebuff. de *ſimonia in reſignatio. nu.* 20.

D Cauſa eſt Primo, quod quiſque æſtimare damna ſua ſine culpa, eorumque rationem aliquam ducere præ cuiuſpiam alterius commodis valeat. At hæc æſtimat, qui iniuſte appetitus, ab appetente tantum recipit, quanti æſtimatur obligatio carendi re ſua, beneficioque, quam hic ſolam vendit.

Maior eſt certa, quia nemo cedere re ſua tenetur alteri, eiuſque cauſa magna famæ aut familiæ ſubire detrimenta gratis.

Secundo, aliquid pro damno ſumere, quod ex actione iniuſta alterius reſultat, non eſt ſimonia, at id accidit in præſenti & nihil aliud.

E Quare quando is, verba ſunt Rebuffi loco proxime citato, cum quo litigatur perſona eſt valde potens, contra quam vix aut nunquam poſſit victoria obtineri, & ideo cedendum, bonum eſt vt quidquam vexationis redimendæ cauſa recipiatur. Idem dicerem (inquit) ſi non eſſet potens in diuitiis, ſed fauore aut calumniatum plenus eſſet, tunc etiam eſſet licitum redimere vexationem, etiam pecuniam recipiendo. Hæc ille.

Secunda Aſſertio, *Qui vexare ceſſat ob precium*

tium, non eſt Simoniacus.

Cauſa eſt, quod nec ab eo ad vexatum, nec ab iſto ad illum ſacra res vlla perueniat, nec enim vexationis omiſſio, ſpiritalis eſt ac ſacra: nihil ergo ſpiritale ac diuinum à vexante proficiſcitur in vexatum, nec viceuerſa ab hoc in illum, cum vexans à vexato, pecuniam recipiat, vt ceſſet vexare hoc tantum, & nihil amplius.

Tertia Aſſertio, *Peccat tamen mortaliter, qui vt à vexatione iniuſta abſiſtere, inducat animum, pecuniam recipit.*

Probatur, vt pecuniæ exactio, ſic & eius receptio eſt illicita & iniuſta, ſi titulo nullo iuſto nitatur, at talis eſt præſens. Nec enim eſt donatio, quamobrem vero? quia liberalis eſſe hæc debet, qualis non eſt iſta, vtpote ſecundum quid inuoluntaria, (nollet enim dare qui largitur niſi cogeretur) cui diſpoſitioni libertas perfecta eſt contraria. Præterea habet iſta pecuniæ oblatio non à venditione, aut emptione originem, quod enim emitur, precio æſtimabile debet eſſe, & indebitũ ementi, ab eoque recipi, vt quid adæquatum valori pecuniæ datæ. At eſt vexationis omiſſio, vexato redimenti debita, nec commenſurata eſt pecuniæ, quam hic pro eius interruptione, vexanti numerat, cum hæc pluris valeat quam ceſſatio ab iniuria: vnde concluditur, quod ſi titulo nullo vero nititur dictæ pecuniæ tam petitio, quam exactio pro ceſſatione ab iniuria & vexatione, illã haud dubie iniuſtam eſſe, ergo cum obligationem reſtituendi iniuſtitia omnis habeat, vere dictum eſt à nobis, eum qui vexationi ſuæ modum ponit, ob precium peccare mortaliter idq; ab eo reſtituendũ eſſe.

QVÆSTIO XV.

An reſignatarius reſignanti ſine Simonia promittere valeat, accepti ſe ab eo beneficij memorem fore.

Poteſt: ita Nauar. *in comment. de datis & promiſſis num.* 22. Quia memoriam collatæ ſibi gratiæ colere, eamque ex motiuo gratitudinis compenſare velle, res eſt plena laudis. Eſt enim virtutis actus, cui nomen eſt gratitudo.

Vt autem id fiat licitè, neceſſe eſt primo, vt promittens non plus obligetur ac ſtrictius, quam ceſſante pacto quilibet alius.

Secundo opus eſt, vt hæc obligatio quæ meræ eſt gratitudinis, non commutetur in ciuilem & legalem, vt vſu venire eſt probabile, quando ſe reſignatarius magis ex iuſtitia ad aliquid dandum aſtrictum, hoc præciſe nomine exiſtimat, quod ſe gratum fore eſt pollicitus, quam ſi de eo, fidem non dediſſet ſuam, Couar. 1. *variar. cap.* 4.

A Tertio, ſi pro locuplete beneficio, ſibi Collatarius, ei qui contulit, plus reddendum putet, quam ſi dediſſet ieiunum ac tenue, quia cum ad iuſtitiam pertineat, inter datum & acceptum æqualitatem ponere, ſi quis dona ſua, ac remunerationem quantitate acceptorum metiatur, tacitè id non ſe gratis ac liberaliter facere ſignificat, ſed coacte, proinde Simoniace.

B Quarto, Cum promiſſarius, hoc eſt is, cui facta eſt promiſſio, eum qui eſt pollicitus de ſtando pollicitis admonet, illumque de inconſtantia, fideque violata, cum ea non facit, arguit, argumentum eſt non leue intentionis in eo Simoniacæ, à qua eſt beneficij progreſſa donatio, tanquam à cauſa.

Quinto, & hoc quoque non eſt Simoniæ ſignum improbabile, quod reſignans rem certam vt pecuniam, Equum aut galerum exigat, nam quæ gratis dantur, à recipiente modum non recipiunt, non definiuntur, non notantur, eſt hæc ergo rei dandæ ex gratitudine deſignatio, determinatioque, indicium non omnino obſcurum & fallax, pacti quod interceſſit inter vtrumque.

C

QVÆSTIO XVI.

An concurrens cum alio ad beneficium, ſine Simonia, ei cum quo concurrit, tenue aliquod beneficium aut penſionem dare poſſit aut promittere, vt ceſſet ab eius beneficij petitione quod vacat, aut ne ſe ab eo conſequendo impediat.

Aſſertio Prima, *Dare concurrenti pecuniam in eum finem, qui in Aſſert. ponitur, aperte eſt malum & Simoniacum*, quia finis cuius cauſa hæc datur, eſt beneficij comparatio, aut D eiuſdem iam habiti conſeruatio, quæ duo emi poſſe qui diceret ſine Simonia, vidiſſe non memini.

Secundo, eſt ius in re, aut ad rem, eiuſdem generis ac naturæ, cum ſuo obiecto ac termino, ſed eſt beneficium acquirendum, aut ſeruandum, ſi iam habetur, ſpirituale conſequenter, & eo tamẽ tendit pecuniæ largitio, vt habeatur, aut poſſeſſum conſeruetur: eſt ergo de earum rerum genere quæ ſunt malæ, & ex termino ſuo Simoniacæ.

E Secunda Aſſertio, *Poteſt is tamen, cuius eſt ius certum in concurſu, dare competitori ſuo, qui iure nullo certo, veroque fretus, per amicos eum impedit, pecuniæ dare ſummam aliquam, vt ab iniuria ſibi inferenda temperet.*

Ratio eſt, quod vexãtem demulcere munere aliquo, ne nocere pergat nõ ſit crimen, habet enim hoc quiſque à natura vt vim à ſe, quacunque ratione poteſt, propulſet, ſed vim patitur, qui ab adipiſcendo beneficio impeditur,

non facit ergo contra quàm ratio præcipit, qui ne ſibi noceatur, à vexante pecunia impetrat.

Tertia Aſſertio, *E concurrentibus alter, iure cedere ſuo ex pacto non poteſt, vt aduerſarius illud euincat.*

Ratio eſt, quod omiſſio actus qui proximè dat ius vel acceſſum ad beneficium, facta cum pacto rei cuiuſpiam temporariæ, reddendæ eius loco, ſit Simoniaca, eſt ergo eius culpæ conſcius, qui in concurſu, ex pacto contendentibus non ſe opponit, vt eorum aliquis beneficium conſequatur. Ita litis omiſſio, quæ iuſtè eſt in eum intẽtata, qui incertum ius habet ad beneficium de quo litigat, eſt indirecta eius conceſſio, cum in eum finem eamque ob rem, à iudicio liteque perſequenda is qui iure ſuo cedit, abſtineat, vt ſic, ille alter victor euadat, beneficiique poſſeſſor fiat.

QVÆSTIO XVII.

An paciſci Collator poßit ſine Simonia cum recipiente beneficium quod illud non reſignabit vlli, ſed pure in manibus ſuis, quoties voluerit, relinquet.

PRima Aſſertio, *Eſt collatio beneficij facta modo poſito ſimoniaca.*

Primo, quia dare pro beneficio precium aut aliquid ei æquiualens eſt ſimonia: at quod beneficium reſignari non poſſit niſi pure ac ſimpliciter ſine penſione, quoties & cui collatori placuerit, onus eſt, idque precio æſtimabile ergo, &c.

Secundo, ordinarius cum eo cui beneficium eſt collaturus, paciſci non poteſt ſine Simonia, quia eſt omnis tranſactio quæ collationi à iure non ineſt, Simoniacã *can. quam Pie 1. q. 2. & can. finali de pactis*, at canonica nulla ſanctio eſt, qua iubeatur beneficiarius, rem ſuam committere alienæ voluntati, vetetur autem eam dare alteri quam deſignato per ordinarium: ergo, &c.

Secunda Aſſertio, *Reſignare beneficium cum modo qui in aſſert. ponitur non eſt Simonia confidentialis*: ita Flammin. *de confident. q. 22. nu. 7.* Maiolus *de irregularitate lib. 5. cap. 45.* quia confidentia pactum habet expreſſum aut tacitum de reſignando beneficio cui Patronus, Ordinarius aut Reſignãs voluerint aut de pẽſione ſibi vel alteri ex eo recipienda: at hic nulla talis interuenit cõditio, ſed oppoſita potius de non reſignando: ergo cum pœnalis conſtitutio extra terminos ſuos extendi non debeat, hæc pactio de non reſignãdo beneficio, facta à reſignatario reſignanti vel ordinario lege Pij V. de vitanda confidentia non comprehenditur.

A

QVÆSTIO VII.

An pro doctrina Theologica aliquid capere ſit Simonia

DIco primò, *Doctrinam Theologicam Simoniæ obiectum non eſſe, proindeq; vendi, aut pretio locari poſſe citra periculum*, D. Thom. *in 2. 2. q. 7. art. 4. ad 2 & q. 100. art. 3. ad 3.*

Quia Simonia, eſt rei ſacræ ſeu ſupernaturalis, & ad ſalutem animæ ſpecialiter deſtinatæ, irreligioſa tractatio, in eo præcipue poſita, quod quæ non ſunt naturalis ordinis, proindeque humanas excedunt vires, ſubſint pactis hominum à quibus non niſi præpoſtere & impiè pretio æſtimantur, & iudicio ſubiacent hominũ, ſicut & cætera, quæ in commerciũ commune veniunt. At doctrina Theologica, non eſt ſic ſacra, ac cœleſtis, vt ad ſalutẽ animæ immediate faciat, & à Deo expectari debeat, nullo modo ab humana induſtriâ, ergo eam vendere aut locare, non eſt Simonia.

Confirm. eſt rerum Theologicarum explicatio facta de ſuperiore loco in ſcholis, hominum generi vtilis plenaque laudis, imo eruditorum opinione pretio, eoq; maiore, quo hæc cæteris ſciẽtiis pluribus anteſtat interuallis, & vt appareat, ſua docentẽ ſtipendia laboris, aut operæ tantum in eo miniſterio ponendæ, aut poſitæ gratia, non capere, meminiſſe præſtat, quod quo quis eſt rerum Theologicarum peritior, hoc ſit eius labor pœnaque in docendo minor, & tamen conſtat, maius ab Academiis ſtare doctrinæ eius honorarium ampliuſque præmium, quod iſtæ haud dubie, vt ſunt bene moratæ, vt innocentiæ famæque ſuæ conſeruandæ auidæ, non facerent, ſi pro doctrina Theologica tradenda aut tradita, pretium accipere eſſet Simonia.

Verum enim (inquies) eſt doctrina Theologica ſupernaturalis in principio. Etenimuero pendet hæc ex fide ſupernaturali, & infuſa, cum diſcurſus Theologicus perfectus eſſe nequeat, niſi de duabus propoſitionibus quibus eum conſtare eſt certum: earum altera ſit per fidem cognita, ex qua, & alia, quæ non eſt de fide, elicitur per diſcurſum ea concluſio, quæ appellatur Theologica: verum eſt ergo doctrinam quæ in harum inueſtigatione rerum verſatur, eſſe in ſuo principio ſupernaturalẽ, ac ſacram, in aſſenſu ſupernaturali, ſcilicet, qui alteri de propoſitionibus à quibus pendet talis diſcurſus, ab intellectu agente datur.

Negandũ eſt Anteced. eius negandi hæc eſt cauſa: quod doctrina Theologica nõ neceſſario, ac per ſe à ſupernaturali fide pendeat, ac proinde vt diſcipulis traditur naturalis ſit, & acquiſita, cuius rei eſt hoc indiciũ, quod qui in fide

fide dubitat antea caret, poſſit nihilominus ex præſuppoſitis propoſitionibus reuelatis & communiter creditis, naturali induſtria concluſionem elicere, eamque alios docere, teſte Leſſ. *cap.35.dub.13.num. 81.* Laym. *lib.4.trac.* 10. *cap.vlt parag.4.num.*31.

Dico ſecundo, *Cum aliquid pro doctrina Theologica petitur non actus fidei, aut habitus, qui ad concluſionem eliciendam, tradendamque diſcipulis concurrunt*, rationem haberi vllam, ſed laboris qui docendo ſuſcipitur, voluptatis quam Theologica cognitio in audientium animis impreſſa parit, quod confirmari eorum exemplo poteſt, quibus pro Miſſæ Sacrificio merces dari ſolet, vt enim hanc ſacerdotes non exigunt pro motu ſacro ac cœleſti, quem ſacrificium in bene præparatis pectoribus parturit, ita nec fidelibus illam ideo, eiuſque cauſa dare eſt animus, ſed tantum pro labore, quem illi ſuâ cauſâ ſuſcipiunt: quare vt quod eſt in Sacrificio ſupernaturale, ſeparari poteſt à labore, quem exhaurire ſacerdotem eſt neceſſe, dum ei dat operam: ita & in inſtitutione Theologica, fides, eiuſque habitus, qui ad eam concurrere videntur, à labore ſeiungi poſſunt, ſumptibus, ac voluptate, quæ illam concomitantur, aut præeunt, & quorum intuitu eſt pretio æſtimabilis.

QVÆSTIO XXI.

An pro Concionibus ſumere pretium ſit Simonia.

DIco primò, *Pro munere cohortandi fideles ad fugam peccati, præſtationem officij incumbendi in ſtudium pietatis ac virtutum, capere, aut exigere quidpi, Simoniacũ eſſe*, docent S. Tho. *2.2. q. 100. ar.3. ad 2.* Vict. & cæteri.

Ratio eſt, quod dicere de ſacra exedra ad populum, tardos ac hærentes in Dei via vrgere, incitatos reprimere, quod Eccleſiaſtæ ſacri faciunt, res ſint eiuſmodi, quibus paucæ reperiantur, in dignitate pares, in natura ac ſupernaturali eſſentia æquales, ecquid enim non habet pia concio ſalutem animæ pro fine, vel in commotione mentium ad magna fortiaque pro Deo, non continetur Dei gloria, hominis ſalus?

Deinde eſt verbum Dei, quod eius auctoritate, ſacri Eccleſiaſtæ de ſuperiori loco explicant populo, donum ſpirituale, procurandæ eius ſaluti mirè vtile, ad ciendos in eius animo cœleſtes motus inſtitutum diuinitus, eius enim ope, quaſi diuina face intellectus illuſtratur, & voluntas ad Dei amorem ac venerationem Sanctorum inflammatur.

Quod ſit Dei donum, oſtendit Paulus, 1. *ad Corint.3.* cum de miniſtris verbi diſputans, hunc eos ait in Eccleſia tenere locum, quem A Dominus dedit. *Miniſtri*, inquit, *eius cui credidiſtis, & vnicuique ſicut Dominus dedit, itaq; neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Et Math. 10. præcipit Chriſtus Apoſtolis, gratis dare, quæ gratis acceperunt. *Euntes autem prædicate, dicẽtes, quia appropinquauit regnum cælorum, infirmos curate, mortuos ſuſcitate, gratis accepiſtis gratis date*, & ad Epheſ. 4. *Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem, alij quidem ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, alteri fides, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum.* Dare er- B go, pro tanto tamque cœleſti munere pecuniam, aut quidpiam tale quod ei æquipolleat, eſt Simonia.

Non item, pro Eccleſiaſtæ ſuſtentatione, labore, ſtudio, pœniſque eidem exantlandis in dicẽdo, vt enim perorare, legere, in exedris dicere, magna animi & vocis contentione, opus eſt nauſeæ faſtidiique non modo pleniſſimum ſed moleſtum ac difficile, ſic pro eo, præuiiſque ad illud laboribus, ſuſtentationis C pretium poſtulare ſacer Orator quin poſſit, nemo ambigit. Ob eandem cauſam licere pædagogis, ac Ludimagiſtris, Doctores aſſerunt, ab his quibus doctrinam Chriſtianam explicant in ſchola, mercedem petere.

Quid? quod totus hic eorum labor, excolendæ puerorum memoriæ, nec non inflammandæ ad Dei amorem animæ, aut formandæ ad res magnas, ac cœleſtes inſumitur? non eſt ergo eorum inſtitutio, ex parte finis ad quem dirigitur à docente, ſupernaturalis, nec ex parte principij, quia cum ad hoc opus ſpe- D cialem habere gratiam, aut illi præmittere actum fidei, non eſt neceſſe.

Dico ſecundò, *Reſponſa moralia, conſiliaque ſuper officijs Chriſtiani hominis, aut ambiguo iure conſcientiæ, Simoniæ materiam non eſſe, & proinde Religionis violatæ reos non fore qui pro eiuſmodi rebus, pretium ſibi dari volunt, aut oblata recipiunt*, Layman. *lib.4. tract.* 10. *cap. 2 litm. num.32.*

Cauſa eſt, quod eiuſmodi reſponſa, vires naturales ingenij non ſuperant, nec per ſe ac directe finem ſupernaturalem, aliquem reſpiciunt, ſed per accidens tantum.

Enimuero ſunt principia, communiaque E iuris axiomata quibus conſcientia regitur, lumine fere naturæ nota, nec eſt quiſquam tam parum ſciens, quin intelligat, reſponſa quæ ad mores pertinent, contineri magna ex parte naturæ terminis, eſſeque proinde eiuſmodi, quæ humana capi intelligentia valeant. Non ſunt hæc ergo, natura ſuâ ſupernaturalia, & ad ſalutem animæ ſpectantia: ergo nec Simoniæ materia. Quod ſi non raro tranquillant animos, mitigant ſcrupulos, ſedant inquietos, eſt id per accidens, cum ei dari hæc reſponſa poſſint, qui nullis angatur mo-

leſtiis, ſanctè viuat & religioſe, ac proinde quietè ac placide.

QVÆSTIO XIX.

In qua agitur de materia Simoniæ, & in quo ſit ſita.

QVicquid eſt effectus ſolius Dei tanquam cauſæ principalis, vt gratia virtutes infuſæ, & ſupernaturales, vniuersè quid quid ad animæ ſalutem pertinet, & à Deo aut Eccleſia, eius eſt cauſa comparatum, vt Sacramenta, conſecrationes, benedictiones, aut eſt ſupernaturalis poteſtatis effectus humano maior, vt eſt occulta pandere, futura antequam fiant perſpicaci videre oculo, vim legis tollere, aut rei ſpirituali, antecedenter, concomitanter aut conſequenter eſt annexum, id totum eſt materia Simoniæ: Ita DD. Ludou. de Bea *prima parte caſū* 37. Victoria *relect. de Sim. n.* 3. *&* 6. Suar Nauar. & alij.

Ratio eſt, quod hæc omnia, ſingulaque, vt naturæ viribus acquiri nequeunt, ita ſunt in paucis admiranda, maximeque homini, ad ſalutem æternam ſalutaria, ob quam cauſam appellantur Dei dona, cuiuſmodi quicquid eſt in Eccleſia, eſt Simoniæ materia, vt colligitur ex Concil. Foroiulienſi ſub Carolo iuniore *can.* 1.

Quare dare aut accipere aliquid pro abſolutione ab excommunicatione malum eſt, & Simoniacum *cap. ad aures* 24. *de Simon.*

Malum item & Simonia cum *interdictum Sacerdotale officium pretio interueniente reſtituere* 1. *q.* 1. *cap. per principalem, parag. fin.* Nec eſt innocens vt habetur *can. iubemus* 126. *eiuſd. q. & cauſæ qui ſcit de iure venalem fuiſſe ſententiam, ſi quis pœna vel pretio remiſſam vel vitio cupiditatis ingeſtam.*

Similiter, non vacat Simonia, qui precio vel fauore peccata celat, qui non pœnitentem reconciliat, qui bene diſpoſito, ex odio reditum ad Deum & gratiam, per pœnitentiam denegat, *cap. nemo* 14. *de Simon.*

Qui diſſentienti electioni factæ de aliquo, quidpiam donat, vt contradicere deſiſtat *cap. Matthæus* 23. *de Sim.* dummodo id ſciente ac annuente electo fiat.

Similiter qui pro electione, vel ordinatione aliquid largitur vel accipit, *cap. in fine, cap. ad noſtram* 21. *cap. dilectus* 30. *cap. conſulere* 38. *ca ſicut pro certo* 39. *& cap. audiuimus* 41. *de Simonia.* quia ſunt iſta antecedenter aut conſequenter ſupernaturalia, vel iuriſdictionis ſpiritalis effecta quædam: ita pro conſecratione, aut benedictione conſequenda, dare aut capere quidpiam non licet, *cap. cum in Eccleſiæ* 9. *cap. cum ſit Romana* 10. *cap. ſuam nobis* 29. *cap. ſicut pro certo* 39. *& cap. ad Apoſtolicam* 42. *de Simon. &* 1. *q.* 3. *can. vltimo.* Nec pro ſuffragio electionis ad Epiſcopatum obtinendo, beneficium offerre, *cap. ſuper hoc de Simon.* nam cum ſpiritale pro eo quod eſt annexum ſpiritali tribuitur, iſtud emitur, per id quod in illo eſt temporariū, quod eſt malum & Simoniacum, ſicut cum de re danda aut retinenda tranſigitur, quæ conſequenter eſt ſpiritalis, vt beneficiū, pro alia quæ antecedēter tantū eſt talis, vt calix. Quia eſt omnis tranſactio, de eo quod dari nequit, mala. At citra Simoniam dari vnum eorum, pro alio non poteſt, cum omnium iudicio ſit malum, pro beneficio obtinendo, quod eſt conſequenter ſpiritale, dare calicem aureum, in quem ſpiritualitas antecedenter cadit.

QVÆSTIO XX.

An actus qui ex ordinis poteſtate procedunt ſint materia Simoniæ.

PRima Aſſertio, *Simoniæ culpa non vacat qui pro actibus quos Ordinato exercere vi ordinis licet, ſibi pecuniā præberi poſtulat* ita Sot. *lib.* 9. *de iuſtit. q.* 6. *art.* 1. Nau. *cap.* 23. *n.* 99.

Ratio eſt, quod ſint eiuſmodi actus ſpiritales, tam ex parte principij (poteſtatis ſcilicet ſupernaturalis, quæ eſt in Chriſto Eccleſia, & miniſtro, ratione characteris ſui,) quam finis, vitæ nempe beatæ Chriſtiano largiendæ, ad quam actus iſtiuſmodi per ſe ac directe ordinantur: ita pro abſolutione à cenſuris, diſpenſatione à votis, relaxatione à iuramentis, pretium capere aut petere, eſt Simonia.

Similiter pro functionibus quæ etſi ſint operoſæ ac difficiles, ſunt tamen ſpiritales, quo de genere ſunt quæ ſequuntur, facultatis ad audiendas confeſſiones conceſſio, Suar. *de Simon. cap.* 19. *num.* 5. indulgentiarum largitio, à peccatis abſolutio *cap. nemo cap. Presbyterorum de Simon.* Ordinum, ac Clericalis tonſuræ collatio, Concil. Bracar. 2. *canone* 3. Chalced. *can.* 2. Greg. 1. *lib.* 4. *epiſt.* 44. Hormiſda *in epiſt. ad Epiſcop. Hiſpan.* c. 2. expreſſe meminere Ordinum pro quibus vetuere pretium ab Epiſcopis accipi, *ne ſpiritualia vileſcant, dum pretio emuntur, & à Domino corripiantur, ſicut Simon Magus Spiritum ſanctum mercari volentes, nam quis non vile putat quod venditur? Si quis Epiſcopus* (inquit *can.* 2. Conc. Chalc.) *per pecuniā ordinationē fecerit, & pretio redegerit, Spiritus ſancti gratiam quæ vendi nō poteſt, ordinaueritque per pecuniā Presbyterum aut Diaconum, vel quemlibet de his qui cognominantur in Clero, promoueri, pro ſui lucri commodo, is qui hoc attentare probatus fuerit, proprij gradus periculo ſubiacebit, & qui ordinatus eſt, nihil ex hac ordinatione vel promotione quæ eſt pro negotiatione facta, proficiat.*

De collatione beneficij, prouiſione, & eiuſdem confirmatione, idem par eſt ſentire, & dicere

dicere. Enimuero Simoniæ in ſe labem recipit, qui temporale pro eo quod eſt ſpiritale, aut rei eiuſcemodi annexum accipit ſecundũ Gloſſ. relatam a Nau. *conſil. li. 5. conſ. 1. de Sim.* Leſſ. *dub. 1. de Simon.* ſed ſunt Pontificiæ literæ, quibus probatur facta beneficij collatio quidpiam ei cohærens, ac coniunctum, cum de iis earumque valore ac iuſtitia, çognoſcere ſæcularis iudex nequeat, ſecundum Nau. *lib. conſil. 5. conſ. 1. nu. 3.* ergo mater a Simoniæ, ſi iis aſſequendis interueniat ſpecies aliqua pecuniæ.

Confir. Comparare ſibi beneficium in Eccleſia, ex communi doctrina eſt Simonia, quæ per *Extrauag.* Pauli II. *Cum deteſtabile,* impedit, ne facta de eo collatio ſit valida, at qui oblato pretio, literas à Collatore obtinet, quibus ſibi beneficium tribuitur, ius ad illud ſibi comparat. *Quiſquis ergo res Eccleſiaſticas, non ad quod inſtituta ſunt, ſed ad propria lucra, munere linguæ aut pecuniæ adipiſcitur aut largitur, Simoniacus eſt,* Vrban II. 1. *q. 3. can. Saluator. Ab eo ergo cui regimen commiſſum eſt Eccleſiarum, pro earum commiſſione, nullum debet exigi pretium, cap. non ſatis 8. de Simonia.*

Licere tamen Vicariis Epiſcoporum in Gallia, pro expeditione iſtiuſmodi literarum, ac beneficij collatione, accipere nummum aureum non amplius, docet Rebuff. *in praxi tit. de acquirend. benefic. nu. 13.* & in Concord. *parag. quia verò, tit. de publicis concubinarijs,* quem morem, Senatum quoque calculo ſuo, cum res temporaque exigebant, approbaſſe eodẽ Rebuffo teſte aiũt, primo, quia Concil. Bituricenſe in quo vt ſcribunt Nauar. *tom. 2. conſ. lib. 5. conſ. 1. de Simon.* Coſmas *in commentarijs ſuis tit. de Annat.* prohibere Epiſcopis placuit, ne amodò pro literis collatitiis beneficij, quid capere ſine Simoniæ macula fas eſſet, aut receptum nunquam fuit, aut ſi aliquando vim habuit, in vſu eſſe deſiit, quemadmodum & canones, quibus vetabantur ordinarij, quicquam pro dictis literis beneficiorum collatiuis ſibi ſumere, etiam conuertendum in vſus pios, vt ſunt *can. ex multis 1. q. 3. cap. inſtituatur, cap. cum in Eccleſia, cap. Iacobus de Simon.* aduerſus quos præualuit vſus oppoſitus, annorum 40. ſpatio præſcriptus.

Secunda Aſſertio, *Peccant item peccato Simoniæ, qui ante electionem, id eſt iure nondũ ad beneficium acquiſito, munere aliquo, aut pecunia eius voluntatem demulcent, qui ad illud ius habet ſuffragij, ſibi vt illud impertiat:* quia ab eo exſculpere pretio aut promiſſis, qui ſuffragando iuuare poteſt, ne noceat, eſt indirectè viam ſibi ad beneficium facere, quod eſt malum, eſt enim tacita quædam ac virtualis eius emptio, quæ eſt haud dubie Simonia: ergo & ſuffragij, quod ad complementum requiritur numeri, ad perfectam electionem neceſſarij.

Ob eam cauſam Simonia eſt, dare aliquid Indultario, ne indultum ſuum ſuper beneficio vacante, ac ſibi iure prælationis debito applicet, vt ſic ab eo, qui ius ad illud necdum habet obtineri poſſit, aut Graduato tribui.

Similiter offerre Patrono quidpiam, quod eſt pretio æſtimabile, vt te præ cæteris collatori inſtituendum offerat, vel confirmatori, vt te legitimè electum admittat, Simoniæ labem habet.

Ratio eſt, quod habet eiuſmodi munerum largitio, vt non tantum beneficij aſſequendi impedimentum remoueat, ſed ad illud præparet, manuque ducat, Collatorem nempe aut Patronum inducendo tali pretio, aut dono, ne ſpem ſuam interturbet, eaque votis ſuis opponat, cum quibus beneficium conſequi nequeat, Laym. *lib. 4. tract. 10. cap. vlt. de Simon. parag. 2.* Leſſ. *num. 106. de Simon. cap. 35.*

Tertia Aſſertio, *Dare aut promittere aliquid ſimile, ei qui Patrono eſt acceptus, cuiuſmodi ſunt communiter, qui ſunt ei à ſecretis, aut conſiliis vt eum ad ſe Ordinario præſentandum impellant, aut collationem beneficij certæ cuidam ac determinatæ perſonæ impetrent, eſt Simonia,* quia hoc eſt rem ſpiritalem pretio conſequi.

Dixi, *iure nondum acquiſito ad beneficium,* Quia ſi plenum adeptus eſſes ac integrum per collationem in vim nominationis Patrono factæ, aut electionem canonicam, ſubſecuta confirmatione, aut reſignationem antiqui & legitimi poſſeſſoris, ab Ordinario aut Papa admiſſæ, pro capienda poſſeſſione dare quid poſſes, ex quorũdam ſententia vt dicetur poſtea.

QVÆSTIO XIV.

An res ſacræ quæ temporale aliquid habent emi poſſint aut vendi ſine Simonia.

PRima Aſſertio, *Quando in re ſacra eſt aliquid temporale, quod à ſpiritali ſeiungi poteſt, pro eo pretium capere, non eſt Simonia,* Sa *verbo Simonia*; quia tunc temporale, pro re ſpiritali non præbetur, quod eſt tamen ad rationem Simoniæ neceſſe, ſed pro eo, quod in illa eſt temporale, pretioque æſtimabile: Ita calices, vaſa ſacra, roſaria benedicta, grana piacularia, vendi poſſe, tradit D. Tho. *in 4. diſt. 25. q. 3. art. 2. quæſtiuncula 3.* Portel. *reſpon. parte 2. caſu 20.* Suar. *de Relig. tom. 1. lib. 4. cap. 14* quia quod in iis eſt loco materiæ, pretio eſt æſtimabile.

Secunda pars oſtenditur, primo, in rebus diſtinctis à beneficio, hæ enim vt calices, vaſa, ſuppellex ſacra, & cætera quæ ad templorum ornatum affabre facta adhibentur, vſum

bent temporalem, qui concedi gratis ac liberaliter nec debet nec ſolet: ergo pro eo aliquid accipere, aut dare, non eſt Simonia.

Quid? quod veſtes ſacræ deterantur vſu? calices autem non raro frangantur lapſu, aræ autem frontalia, caſulæque cera ſæpe inquinentur ac puluere? pro his ergo incommodis, quibus res ſacræ patent, aut eorum periculo, ſi quid petitur aut datur, quis iuſte Simoniæ arguat?

QVÆSTIO XXII.

An pro Sacramentis eorumque actiuo vſu, hoc eſt collatione, dari quid poſsit aut exigi ſine Simonia.

PRima Aſſertio, *Cum in Sacramentis duplex ſit materia, propinqua vna, remota altera, vt panis v.c & vinum reſpectu Euchariſtiæ, vt priorem comparare ſibi pretio, eſt Simonia, contra ius naturale, & diuinum*: ita iſtam acquirere pecunia, aut eam pro eius vſu exigere, non eſt malum ſi abſit ſcandalum, & iuſtitia ad iſtiuſmodi expenſas gratis faciendas obliget.

Pars prior apertam habet rationem. Nam Sacramentorum propinqua materia, ferme in actione tranſeunte conſiſtit, ablutione v.c. in Baptiſmo, dolore peccatorũ in Pœnitentiæ Sacramento, vnctione & impoſitione manuum in Confirmatione, quæ actiones præterquam quod ſunt ſpirituales, & proinde propter ſanctitatem eis inſitam omni pretio maiores, etiam ad ſalutem, gratiæ progreſſionem, meritorum acceſſionem & augmẽtum, ex Chriſti inſtitutione conferunt, quas ſanè res à Sacramentis ſi abſtuleris, nulla eis remanebit vtilitas, dignitas nulla, aut æſtimationis apud homines veritas.

Secunda Aſſertio, *Pro iiſdem tamen, vt adiunctum laborem continent ac operam, vel obligationem iis vacandi pro alio, pretium capi aut dari poteſt.*

Docent Adrian. *quodl.9.art.1.litera D.* Hoſtienſ. *in ſumma tit. de Simon. parag. qualiter committatur*, Bon. *in 4.diſt.25.art.1.q.4.* & probatur primo ſcripturæ teſtimonio *Num.18.* illic enim Moyſes de decimis verba faciens hæc ſcripſit: *Comedetis eas vos & familia veſtra, quia pretium eſt, pro miniſterio, quo ſeruitis in tabernaculo teſtimonij*, in quem ſenſum, capienda quoque videntur quæ ſcripta ſunt *Luc.10. 1. ad Timoth 5.* dignum eſſe operarium mercede ſua, neminem ſuis impenſis ſtipendia facere *1. ad Corinth.9.* quibus locis ſermo eſt de miniſtrantibus ſpiritalia.

Quid? quod in Concil. Agathenſi *can.26.* præcipitur, vt *Clerici omnes qui Eccleſiæ fideliter vigilanterque deſeruiunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita, ſecundum ſeruitij ſui meritum, per ordinationem canonum à Sacerdotibus conſequantur?*

A Deinde alterius cauſa, in eo rerum genere verſari, quod impedit ne ſibi quis vacet rebuſque ſuis, eſt res eiuſmodi, cui ſua merces eſt debita, cum nemo gratis cum non leui rerum ſuarũ incommodo teneatur eſſe alteri vtilis, at id in præſenti accidit, cum quo tẽpore Sacerdos ſacrificat, Confeſſionibus audiendis operam dat, alia facere, tam ſuâ quam amicorum cauſâ poſſet, ex quibus magna forte rebus ſuis fieret acceſſio.

B Tertio, Eſt labor ſacro miniſterio non intrinſecus, ſed per accidens tantum adiunctus, vt eſt cantus lectioni horarum, ſymphonia Miſſæ ſacrificio, profectio ad locum procul poſitum eius dicendæ cauſa, alterius cuiuſpiam nomine, eſt inquam hic labor ſuo dignus præmio, ſicut & ſedere, ſicut & aurem præbere confitentibus, pro his ergo miniſteriis honorarium exigere, res eſt à Simoniæ labe libera.

Dixi, ſi labor non eſt ſacro miniſterio eſſentialis ac intrinſecus, nã cum in eo, tota actionis ſubſtantia ſit poſita, vendi nequit, eſt

C enim venditio, iuſtitiæ commutatiuæ actio, quæ æqualitatem inter rem vendendam, & eius pretium exigit, qualis haud dubie nulla inter actionem ſupernaturalem, & quidlibet temporale intercedit, cum illa ſuperioris ſit ordinis, cui commenſurari nequit, quod eſt in ordine diſpari, ac inferiori naturâ ſuâ & meritis, vt ſunt omnia quæ in humanum commercium cadunt.

Pars altera Aſſertionis, quæ fuit de eo, quod eſt materiale in Sacramentis, probatur. Nam quid impedit quo minus pro vino

D Euchariſtico, chriſmate vnctionis, ſi ſcandalum abſit, & iniuſtitia, cogi communicantes & confirmati poſſint rependere, quæ ad coemptionem olei & vini, ſunt ab Epiſcopo, & Sacerdote tradita? Et huius opinionis propugnatores ſunt ac Patroni, Layman. *tract.10. lib.4.cap vlt.parag.4. n.33.* cum Emman. Sa *verbo Simon.*

QVÆSTIO XXIII.

E *An ſit Simonia dare aliquid pro ſepultura.*

DIco primò, *Terram in ſepulturam vendere, Simoniam non eſſe.* Eſt D. Thom. *2.2.q.100 art.3.* Altiſiod. *tract. 27. cap. 3.q.3.* Portelli *parte 2. reſponſ. caſu 20. num.2.* Suar. *to.1.de Relig. lib.4. de Sim. cap.14. num.17.* & probatur.

Pro calice, vt eſt huius aut illius materiæ, pecunia dari poteſt & recipi ſine Simonia ergo

ergo & pro eo quod eſt ſepulturæ materia, locus hic nempe aut ille, altare hoc, aut illud.

Ad ius autem eius abſolute obtinendæ in loco ſacro, quod attinet, dici debet etiam illud non poſſe.

Primo, quia eſt ſpirituale effectiue, oritur enim à Chriſtianiſmo, vi cuius, quilibet poteſt ac debet, niſi culpâ aliquâ ſuâ eo iure excidat, ſepeliri in cœmeteriis.

Secundo, Eſt benedictio Eccleſiæ, ſic conſtitutiua rei ſacræ, vt per eam quoque, locus in rerum ſacrarum numero ſit habendus, ergo cum pro re ſacrâ, vt ſic, exigi nihil debeat, quod ſit pretium, aut eius locum ſubeat, ſepultura, uſque ad eam, emptionis obiectum, ac materia eſſe non poterunt, ſine Simonia.

In Gallia tamen (inquies) magno conſtat ſepeliri in templo, aut religioſo aliquo loco.

Reſpondendi quod à defuncti hæredibus Parochi exigunt, totum exigi ac dari in eleemoſynam, aut diſiecti pauimenti refecturam, & ſi ab illis alio nomine aliquid ſumitur, accipi cum peccato.

Quid ſi locus honoratior appetitur, quid ſi cappella quæritur ad ſepulturæ vſum? etiamne cenſenda erit eius emptio, cum Simonia coniuncta eſſe?

De capellis negant Suar. *tom. 1. de Relig. lib. 4.* Portel. *in dubijs regularibus verbo ſepultura num. 8.* Villab. *in ſumma par. 2. tract. 37. diffic. 12. n. 3.* Roderic. *reſolut. 128. nu. 2.* cauſam negandi hanc habent, quod quicquid earum cauſâ accipi aut dari ſolet, pretij rationem non habeat, ſed eleemoſynæ, ad reparationem Eccleſiæ, aut miniſtrorum commodum.

De loco qui à propinquitate Altaris ſummi, dignitatem habet maiorem quam cætera, Doctores ambigunt. Suarez loco ante citato, & Malderus *de Simon. dub. 9.* negant eum æſtimari poſſe pecunia, ſine Simonia, eo quod loci iſtiuſmodi dignitas, tota quanta eſt, ſpiritalis eſt ſacraque, per ordinem ad Chriſti corpus, Sanctorumque reliquias, quæ in altari principe ſeruantur.

Affirmant alij vt Sotus 9. *de iuſt. q. 7. art. 1.* Aragon. in *2. 2. q. 100. art. 4.* Caiet. *verbo ſimonia*, Laym. *lib. 4. tract. 10. cap. vlt. parag. 4. nu. 36.* Barboſa *iuris Eccleſiaſt. lib. 2. cap. 10. nu. 16. & 17.*

Primo, quod locum honoratiorem emere in quo ſedeat, nulli crimini detur, iuxta Gabr. in *4. diſt 25. q 2 dub* 10. Laym loco proximè citato, Barboſa *nu.* 18. ergo nec ſi eum ad ſepulturam deputet, religionis læſæ per Simoniam, accuſabitur,

Secundo, cum locus emitur ad ſepulturam, cæteris dignior, ob propinquitatem ſui cum altari maiorem, quam reliqua habeant, res ſa-

A cra non emitur, ſed honor quidam, qui in hominum opinione & approbatione (vt ſic loquar) eſt poſitus, hunc vero Simoniæ materiam eſſe, eiuſque appetentem & auidum, eiuſdem contrahere maculam quis dicet?

QVÆSTIO XXIV.

An ornamenta Eccleſiæ vendi poſſint ſine Simonia.

B DIco primò, *Ornamenta Eccleſiæ, in neceſſitate vendi poſſe.* D. Thom. *2. 2 q. 100. art. 2.* Paludan. *in 4. diſt. 25. q. 5. art. 2. p 3. concl. 3.* Sylu. *ver. Simon. q. 12.* D. Thom. *q. citat. art. 4.* Layman. *ſupra nu. 30.* his verbis: *Iam in caſu neceſſitatis fundum, in quo Eccleſia, vel cæmiterium ſitum eſt, vendere non eſt illicitum, ſicut & ipſam Eccleſiam, æſtimando ſaltem expenſas, quæ in ea factæ ſunt, vel neceſſario fieri deberent, nam huiuſcemodi materialia, quibus conſecratio, ſeu ſpiritualitas, quaſi accidentaliter annectitur, ſecundum ſe æſtimabilia, & vendibilia manent.*
C Hæc ille.

Quæ in ornamentis Eccleſiæ, locum habere docet Ambroſ. relatus 12. *q. 2. can. aurum* 70. & conuincit hæc ratio.

Quod materia quâ conſtant, hominum ſit opinione digna pretio, ea tamen charius vendere, eo præciſe nomine, quod ſint ſacra, ac Epiſcoporum precibus, à communi, profanoque vſu ſeiuncta, malum eſt ac Simoniacum, ſic enim ſpiritale, pro temporario commutatur, quod eſt omni iure prohibitum.

Præſtat tamen hic notaſſe, quod ſcriptores
D præcipiunt, quod ſi hæc Clericis vendantur, integra vendi poſſe ad vſum Eccleſiæ, ſi Laïcis, non niſi deformata, maxime cum non emuntur ad vſus ſpiritales.

Dico ſecundò, *Beneficium, ſumptum pro redditibus ei annexis, à Papa vendi poſſe in neceſſitate ſine ſimonia, & ex rationabili cauſa ſine peccato.* Docent Victoria *relect. 1. de ſimon. nu. 42.* Nauar. *Enchir. 23. num. 108.* Leſſ. *cap. 35. dub. 5* Reginald. *de Simon. nu. 270.* Cardin. & Anton. de Butrio *in can. 1. de Sim.*

Ratio eſt, quod ſint hi redditus temporarij, nec ſpiritales niſi admixtione ſui, cum iu-
E re ſacro diuini miniſterij exequendi, ergo ſi ab eo ſeparentur, vendi poterunt.

Confirm. Calici tam adhæret ſacra benedictio, quam ius ſpiritale, beneficij obuentionibus, ergo vt abalienari ille poteſt iuſto pretio, ita & iſtæ, ſi ab eo quod eſt ſp[illegible]le in beneficio, ſeiunctæ fuerint, vt ſeorſim conſiderari ſolent ac ſumi, cum ex iuſta cauſa dari ſolent Regibus, ad onera belli ad[illegible] hæreticos, & infideles, aut Xenodochijs ad ſuſtentationem pauperum.

Tertio, ius ſpiritale Patronatus adnexum

rei temporali vt caſtro, aut poſſeſſioni ciuili. habet alteri, non impedit, quo minus & caſtrum & ager cui tale ius inſidet, à legitimis ſuis Dominis, cum ſe eius rei dat opportunitas diſtrahi poſſint ac vendi, quanto æquitas poſtulat, ergo nec commoda, quæ beneficio ſunt adiuncta, moram Papæ Romano iniicere iuſtam vllam poterunt, quominus, cum res feret, ex cauſa honeſta ac rationabili, iuſtum eorum pretium ac valorem offerenti, vendi queant.

Quarto, poſſunt beneficia, quorum fructus ſunt inæquales, auctoritate Papæ compenſari pecuniâ: ergo & vendi quoad hanc partem.

Antec. habetur his verbis: *in cap. 6. de rerum permutat. Reſpondemus quod cum de dictis Parœcialibus Eccleſiis per ſe queat commutatio celebrari, & in permutatione poſſeſſionum per ſe non ſit inhibitum, ſi altera ratione poſſeſſionum alteri præponderet, pecuniam poſſe refundi de ipſarum poſſeſſionibus ad inuicem, prout fuerit expeditum, refuſa certa pecuniæ quantitate, poterit contractus permutationis iniri, ſic tamen quod illi contractus nequaquam ſibi inuicem miſceantur.* Hæc Clem. III.

Dico ſecundò, *Commendas, quas militares præbendas nominant alij, poſſe auctoritate Papæ vendi*, Victoria *relect. 1. de Simonia nu. 44. 45 & 46.*

Ratio eſt, quod ſacrum nihil habeant, ſpirituale nihil ad quod ordinentur ac tendant, & quanquam ſint hæ Religioni, ac Religioſis debitæ, non tamen vt beneficia ratione ſpiritalis officij, ſed militiæ, ac operæ olim præſtitæ ac præſtandæ in defendenda Eccleſia, à Turcarum violentia, ac furore.

QVÆSTIO XXV.

An dentur aliqui caſus in quibus temporale detur pro ſpiritali, & qui?

Aſſertio prima, *Pro ſpiritali, temporale dari poteſt ſine Simonia, quando non habet rationem pretij, ſed eleemoſynæ, gratitudinis, aut mercedis, pro labore qui eſt ſacris Parochorum miniſterijs adiunctus, aut obligatione ea obeundi ſtato die, locoque in alterius gratiam, vel cum offertur ex conſuetudine, aut ad redimendam vexationem.*

Probatur, Eſt de ratione Simoniæ, vt ſit emptio, eſſe hæc autem nequit ſine pretio, ergo ſi res danda aut data, loco ſpiritalis, ſit eiuſmodi, in quam cadere non poſſit pretij ratio, eius cum iſta commutatio, erit à Simoniæ vitio libera.

Secundo, quæ dantur eleemoſynæ, aut gratitudinis nomine, dantur ſine vlla obligatione iuſtitiæ, quam tamen, Simonia neceſſario

A inuehit: non eſt ergo eorum oblatio aut receptio, coniuncta cum Simoniæ maculâ ac vitio.

Secundo, quod in materia Simoniæ rationem habet pretij, debet eſſe præciſe vi Simoniaci contractus debitum, quod remunerationi non conuenit; quæ eſt liberalis quædam donatio, non vero ſolutio: ita Reginald. *lib. 23. cap. 11 qu. 3. dub. 2.* Leſſius *lib. 2. cap. 35. dub. 20.*

Quod autem labores æſtimare ſuos, proque iis, moleſtiâque, ac defatigatione ſubeunda

B in ſpiritualibus miniſteriis mercedem accipere cuique naturæ iure liceat, tenent Caiet. *in ſumma ver. Simon. reg. 5* Nauar. *cap. 23. nu. 102. notab. 10.* Ioan. Cappeauilla *de mone miniſtrandi Sacr. tempore peſtis cap. 1. q. 18.* Leſſ. *dub 8. de Sim.* Emman. Sa *verbo Simonia.*

Ratio eſt primo, quod talis labor ſit pretio æſtimabilis.

Secundo, quod miniſtro merces ſit debita ex iuſtitia, cum inter laborem & mercedem eius causâ debitam, aliqua æqualitatis proportio conſtitui valeat: quare *pro labore*, in-

C quit Bon. *in 4. diſt. 25. q. vltima de Simon. qui eſt in celebratione Miſſarum, & ſimilibus, pretium exigi poteſt*, quæ ſententia eſt etiam Adrian. *quodl. 9. art. 1. litera D.* Altiſiodor. 3. *par. q. penult. de Simon.* Rich. *diſt. 25. art. 3. q. 2.* Armac. *lib. 10. quæſtionum cap. 10.* Gloſſ *in cap. ſignificatum de præbend.* & confirmatur ex Concilio Agathenſi *can. 26.* vbi hæc habentur. *Clerici omnes qui Eccleſiæ fideliter vigilanterque deſeruiunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita, ſecundum ſeruitij ſui meritum à Sacerdotibus conſequantur.*

D Contraria opinio eſt D. Thom. *in 4. diſt. 25. q. 3. art. 2.* Palud. ibid. *q. 3. art. 3.* Sylu. *verbo Simon. q. 9.* Leſſ. *dub. 8. cap. 35. nu. 52.* Layman. *lib. 4. tract. 10. cap. vlt.* & nititur his argumentis.

Primo, quod labor qui eſt in adminiſtratione Sacramentorum ſit ſpiritalis, eſt enim ipſa actio ſacra, vt promanat ab intellectu, & voluntate, quo modo eſt ſpiritalis, ex motiuo ſacro elicita, nempe exhibendi cultum Deo, & ad ſalutem animæ ordinata: vendi ergo non poteſt ſine Simonia.

Secundo, cum hic labor ita actioni ſacræ

E cohæreat, vt hæc eſſe ſine eo nequeat. *Quiſquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum derelinquit 1. q. 3. can. ſi quis obiecerit 7.*

Reſpondendum eſt, primo negando Anteced. quia id tantum in hac materia ſpiritale dicitur, quod humana non poteſt vi fieri, quo de genere non eſſe opus Sacramentale, & qui in eo ſacroque miniſterio exercendo labor ſumitur, vel hinc patet, quod in baptiſmo pueri lotio, cum pronuntiatione vocum, in celebratione Miſſæ, locutio cum cæremoniis,

quas inſtituto Eccleſiæ miniſtri adhibent, obiri ab iis cum concurſu generali Dei valeant.

Reſpondendum 2. in qualibet ſacra actione tria eſſe.

Primum, eſt actio ipſa materialis.

Secundum, eſt eiuſdem formalitas, nempe quod fiat ex motiuo honeſto, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, aut producendæ in eo, Sacramentum ſuſcipit qui charitatis ac gratiæ.

Tertium eſt, quod fiat alterius cauſa, cum aliquo incommodo, puta quod ei, qui Sacramentum adminiſtrat, aut miniſterio ſacro dat operam, vacandi rebus aliis quæ ei futuræ eſſent vtiles, facultatem adimat.

Iam ergo dico, etſi pro actione, ſecundo modo conſideratâ, capi nihil poſſit, aut exigi, cum ſic ſpectata, actus ſit virtutis, nec proinde pretio æſtimabilis, nihil tamen occurrere, quamobrem primum & vltimum gratis dari debeant, cum nemo gratis ac ſine pretio, alienis inuigilare cõmodis teneatur, aut cuiuſquam cauſa laborem ſuſcipere, vel opportunitatibus lucri faciendi, ſe priuare: quare communis eſt Doctorum opinio, Parochis, cæteriſque, qui fidelibus ſuam in procuratione Eccleſiæ nauant operam, deberi ex iuſtitiâ temporalia, non vt pretium ſupernaturalis actus, ſed vt habeant, vnde ſibi neceſſaria ad vitam ſuppetant.

At enim (inquies) laboris nulla eſt æſtimatio, niſi prout ad ſalutem eſt vtilis, quo modo ſpectatus, non eſt vendibilis: ergo, &c.

Maior eſt falſa, ſi intelligitur de labore, prout ad operantem refertur, & conſideratur ſecundum genericam rationem operis, in gratiam alterius præſtiti.

Vera, ſi conſideratur ſecundum ſpecificam ſuam, & indiuiduam rationem, hoc eſt, vt eſt hæc, indiuidua numero ſacra actio. Quanquam de ea, etiam hoc modo ſpectata dici poſſit, quod ſit æſtimabilis pecuniâ, non quatenus eſt ſacra, ſed laborioſa, ſanè in conſtituendo præmio, non tantùm quod ſit, eſt ſpectandum, ſed cum quanto labore, vt ſi alicui ſit contra hoſtem pugnandum, ſi contrariis ventis remigandum, non modo pugnæ ac remigationis ratio habebitur, ſed difficultatis ac laboris, qui in iſtis miniſteriis interuenit.

Ad argumentum ſecundo loco allatum pro opinione contraria.

Reſpondendum eſt, in canone allato, ſermonem tantum eſſe de beneficiis, vt titulus ipſe indicat, & verò ſi intelligeretur vniuerſim de omnibus, quæ quocunque modo ſpiritalia ſunt, inſtrumenta, & vaſa ſacra, quoad temporale vendi non poſſent, neque ſimiliter caſtra aut oppida, quibus ius ſpirituale eſt an- A nexum, neque calices, cum eorum ſacra benedictio, materiam præſupponat in quam cadit.

Supereſt pars vltima Aſſertionis probanda, in qua dicitur, temporale ſumi & exigi poſſe pro ſpiritali, vt ex conſuetudine debitum.

Probatur primo, auctoritate Cœleſtini tertij *in cap. ad Apoſtolicam 42. de Simon.* vbi his dãnatis, qui de Sacerdotum numero, *impedimenta fictitia fraudulenter opponunt, ſi forte eorum cupiditati non fuerit ſatisfactum,* ſubiun- B git, tolerandos non eſſe Laïcos, qui laudabilem conſuetudinem erga ſanctam Eccleſiam, pia deuotione fidelium introductam, ex *fermento hæreticæ prauitatis nituntur infringere, ſub prætextu pietatis, quapropter ſuper his prauas exactiones fieri prohibet, & pias conſuetudines præcipit obſeruari.*

Secundo, quod datur, vt ex conſuetudine debitum, non datur vt pretium, ſed vt aliquid quod eſt ad commodam ſuſtentationem miniſtrorum, vtile ac neceſſarium: ergo citra peccatum, maxime ſi poſt acceptam rem ſpi- C ritalem & ſacram, datur & exigitur.

Et quidem, vt hæc exactio pretij ex conſuetudine, culpâ omni vacet, debet.

Primo, ſuperior eam velle, aut ſaltem in eam conſenſum dare.

Secundo, non oportet eam fieri, modo ſpecialiter prohibito per canones, vt ſi poſtuletur pretium, ante ſpiritale miniſterium, aut de eo detur cautio, quod Cœleſtin. III. prohibet, *cap. in tantum 36. de Simon.* eo quod *expreſſime exprimat venditionis ſpeciem, qui prius recipit pretium quam rem conferat precioſam, & gratis ſit gratia conferenda.*

D Tertio, debet hæc conſuetudo, exigendi pretij pro re ſpiritali, ortũ ſuum trahere à voluntate honeſta ſuſtentandi Clerici, eique aſſignandi iuſtum ſuorum laborum ſtipendium: Ita Suar *lib. 4. cap. 48. nu. 9.* 10. *&* 11. Regin. *lib. 23. cap. 11. n. 137.*

Ex dictis ſequitur primo, pro Simoniacis habendos non videri, qui pro chriſmate ordinis, aut vnctionis, aliquid capiunt, aut exigunt.

Primo, quia conſuetudo Galliæ longo annorũ corroborata fluxu, hanc Epiſcopis maximè Nortmannis facultatem tribuit, vt pro E materia chriſmatis, tantum à Parochis ſibi dari patiantur, quantum eſt neceſſe: ne per emptionem prædicti chriſmatis, eorum cauſa detrimenttum in fortunis ſuis tolerent.

Secundo, quia id eis eſt licitum per Concilia, ſic enim vt omittam cætera *can. 4. Concil. 2. Bracar. Placuit vt modicum Balſami, quod benedictum pro Baptiſmi Sacramento per Eccleſias datur, quia à ſingulis tremiſſes, pro ipſo exigi ſolent, nihil vlterius exigatur.*

At enim (inquies) Alexandri III, mens

fuit alia, in *cap. ea quæ de auaritia 16. tit. de Simon.* vbi conſuetudinem poſtulandæ pecuniæ pro chriſmate, damnat vt illicitam. *Quia,* inquit, *hoc Simoniacum eſſe cognoſcitur, mandamus quatenus prætextu alicuius conſuetudinis, vel prælationis, præſcriptos denarios nullatenus exigatis.*

Reſpondendum, bene quidem hinc conſici, venditionem chriſmatis, fuiſſe Alexandri temporibus, materiam Simoniæ iure poſitiuo prohibitæ, deſiiſſe id autem, aut verius abrogatum eſſe, contrario more, vt perhibent Vgolinus *tab.1.cap.37.parag.3.nu.3.* Sotus *lib.9. q.6.art.1.verſu per hæc de vaſorum,* Laym. *li.4. tract.*10.*cap.vlt.nu.33.*

Sequitur 2. Simoniam non eſſe à Canonico iam admiſſo, exigere ornamenta, ex conſuetudine dari Eccleſiæ ſolita, aliaque quibus non præſtitis, nec etiam præſtentur à Capitulo, quæ annonæ nomine, aut obuentionis annuæ titulo ei ſunt debita. Ita Gloſſa *Pragmat. Sanction. tit. de Annat.* Bleyan. *in Theoria titulo de reliquis exactionib. n. 39.* & probatur.

Quæ ex conſuetudine ſunt debita, hæc poſt rem ſpiritalem datam & acceptam, præberi poſſunt & peti ſine Simonia, vt colligitur ex *cap. ad Apoſtolicam 42. de Simon.* ergo ſi antiqua ſæculorum omnium conſuetudine, ornamenta aliqua ſacra, à Canonicis ſunt debita Eccleſiis, ad quas cooptantur, vt ab iis exhiberi poterunt ſine culpa, ita à Capitulo poſtulari ſine Simonia.

Sane refert Maynardus *lib.1.cap.4.* à Senatu Tholoſano, publicâ coactum ſententiâ fuiſſe Comitem de Charmam, Tholoſani Archiepiſcopi defuncti hæredem, Eccleſiæ Cathedrali, cui hic multos annos præfuerat, exhibere capellam vt loquuntur inſtructã, æſtimatione aureorum bis mille, quam dictus Archiepiſcop. dum viueret, ex conſuetudine debitam, dare diſtulerat, ſtatuiſſe quoque qui tùm Pariſiis iuri dicundo præerant, an. 1547. Paponius eſt auctor *lib.1. tit.3. arreſto* 8. vt qui in Canonicorum numerum adlegerentur amodo, his nefas eſſet, ſingulis de Capitulo, aut maiori eius parti quidquam offerre, quod in priuatum eorum commodum cederet, ſi quid autem ex conſuetudine exhiberi ab allectis in Cathedralem, aut Collegialem Eccleſiam eſſet neceſſe, id totum in Altaris, aut litaturi Presbyteri apparatum verteretur, liceret tamen Suffraganeis Archiepiſ. Senonenſis Epiſcopis, 100. aſſes Eccleſiæ ſuæ Canonicis dare, quos æqualiter inter ſe diuiderent, ſcripſere Bleyan. in Theoria *tit. de reliq. exaction. nu. 40. litera Z.* Rochetus *in deciſionib. tit. de præbend.* ſed ego hunc morem, propter ſpeciem Simoniæ vitandum omni modo exiſtimo.

Fuere ſane exactiones eiuſmodi prohibitæ A omnes anno 1542. & tanquam Simoniacæ à Senatu Tholoſano reprobatæ, à Carolo autem nono anno 1560. damnatæ in ordinatiotione Aurelian. *art.15. Nous defendons a tous Prelats, gens d'Egliſe & Curez permettre eſtre exigé aucune choſe pour l'adminiſtration des Sacremens, ſepultures, & toutes autres choſes ſpirituelles, nonobſtant les pretendues leuables couſtumes, & commune vſance.*

Factum eſt tamen conſecutis temporibus, annis ſcilicet poſt ordinationem Aurelian. viginti, ita decernente Henrico III. in ordi- B natione Bleſenſi *art.51.* ius vt antiquum reuiuiſceret, quo & hoc tempore vtimur in Gallia. Nam Abeuillanæ vrbis ciues conſtat, vt Chopp. eſt auctor, *li.2. de ſacra polit. tit.7. n.21.* cũ ad Senatũ abuſus nomine prouocaſſent, de eo quod ex laudabili cõſuetudine, ſibi Parochi ab iis pro ſolennibus nuptiarum auſpiciis, debitum aiebant, reiectos eſſe, iuſſoſque pro more Diœceſis ſuæ, pro chartula nuptialium præconiorum, *Banna* Barbari nominant, aſſem iis pendere, pro libello matrimonij aſſertorio duos, vnum item pro facultate nubendi in aliena Parœcia, pro ſacra genialis thori lu- C ſtratione tantũdem, tredecim teruncios pro nuptiarum ſolennibus, pro re diuina ſacroque tunc peragendo duos, Bergeron, *in addition. ad Papon. lib.1. titulo 1. arreſt.3.*

Similiter cum lis orta eſſet inter Canonicos ſodales S. Maximi Chinonenſis, eiuſque oppidi ciues, ſuper ſumma pro defuncti exequiis, ex conſuetudine ab iis pendi ſolita, ſanxit Curia, ne iis poſtmodum exigere, funeraria actione fas eſſet amplius, quam vicenos aſſes æris, à locupletiſſimo quoque oppidi ciue, à mediocriter opulento, duodenos, à tenuioribus ſex.

D Vt autem ſit hæc conſuetudo laudabilis, ac ferẽda, debet primo duraſſe decẽnio. Secũdo quoque à populo libere, ac ſine coactione introduci oportuit. Tertio cum Prælatorum tacito conſenſu, ſic enim Trident. *ſeſſ. 24. cap. 14.* nam cum de beneficiis, ac modis agit quibus acquiri hæc ſolent, mandat Epiſcopis *vt de conſuetudinibus ſuper prædictis cognoſcant, & illis tantum, quas vt laudabiles probauerint, exceptis, reliquas, vt prauas ac ſcandaloſas reijciant, & aboleant.*

Poſtremo ne quid in hoc genere peccetur E à Parochis, fideles repugnantes ac inuitos ad earum conſuetudinũ obſeruationem ipſi per ſe nõ adigent, *ſed hi per Epiſcopũ loci, veritate cognita compeſcentur, qui malitioſe laudabilem conſuetudinem immutare volent. cap. ad Apoſtolicam de Simon.* non eſt tamen eius de honorario cognoſcere, quod ſibi ob ſolennes inferias funeri factas, addici ſibi oportere Parochus ait, ſed regij iudicis quod in Laicos profanoſque homines ius dicere pro tribunali, eoſque ad officium, ſolutione debiti ac

contracti

contracti æris cogere non ſit Epiſcopi munus, ſed regij magiſtratus, vide Forget. *tract. de perſonis Eccleſiaſt. cap. 33.*

Sequitur 3. Simoniæ periculum nullum eſſe, fructus primi anni, quo beneficia Curata vacant, Epiſcopis, vt in Normannia, eorum partē aliquā Archidiaconis vt Pariſiis deportus nomine non negare, Pontifici autem Romano Annata[illegible]eraque quæ pro Bullis dare beneficia[illegible] maioribus eſt in more, Ita Doctores in Gloſſ. *pragmat. Sanct. in verbo Annatarum*, Bleyan, *in Theoria tract. de Annatis, de portib. & iure regalia.*

Primo, quia Annatæ vt pretium, ac compenſatio accepti beneficij ſolui, aut poſtulari non ſolent, ſed vt eleemoſyna in bonum Eccleſiæ, ac ſuſtentationem Romanæ Curiæ inſumenda.

Secundo, exiguntur vt onus, cum quo beneficium, beneficiarij eſſe Papæ volūtate incipit. Enimuero, vt eſt in Romani Pontificis poteſtate, beneficij fructus omnes beneficiario fruendos concedere, ita delibatos, & ex parte tantùm, cum ad eum pertineat Eccleſiæ curam gerere, eiuſque bona dignis dare, aut omnia, aut ex parte: ergo & in eius eſt poteſtate, poſtulanti beneficium cum onere penſionis ſibi ſoluēdæ tribuere, ad ſubſidia Eccleſiæ, quam Annatam dicimus, quæ prima, eius exigendæ cauſa fuit, Choppi. teſte *lib. 2. monaſtic. tit. 1. nu. 14.* narrat enim Platina à Bonifacio IX. Pontifice quibuſque beneficiis Eccleſiæ, annalia indicta eſſe Apoſtolico fiſco perſoluenda, quibus Chriſtiana acies, profligato communi hoſte, orthodoxam fidem toto orbe propagaret, eadem à Benedicto XI. conceſſa Philippo IV. memorant, vnaque fructus beneficiorum omnium quæ vacarent intra annum, per modum charitatiui ſubſidij, ad leuamentum Galliæ, oneraque belli, qui autem attributi ſunt Canonicis in Britannia, colligendi è Parœciis vacantibus, pro primo anno, hi in commodum fabricæ, non Canonicorum cedere debent.

QVÆSTIO XXVI.

Dubia aliqua explicantur circa ea quæ ſunt dicta.

PRimum, *An Prolaboribus extrinſecus, ac per accidens rei ſacræ adiunctis, tam qui eam præcedunt, quam qui comitantur, ſumi aliquid poſſit ſine Simonia.*

Poteſt, quia ſunt hi labores, quidpiam temporale, per ſe pretio æſtimabile, neque ſunt rei ſpirituali neceſſario annexi Leſſ. & Laym. ſupra, de qua re nos poſtea fuſe.

Secundum, *An Notarij, in quibus locis, eſt conſuetudo aliquid capiendi, nullumque ijs eſt ab Epiſcopo pro functione ſui muneris conſtitutum ſtipendium, poſſint pro litteris dimiſſorijs, & teſtimonialibus, ſine ſimonia quid capere.*

Poſſunt, non amplius tamen quam partem aurei nummi decimam, id eſt 6. aſſes niſi fortè contraria ſe tueri conſuetudine valeant, (inquit) Leſſ. *lib. 2. cap. 35. dub. 10. num. 62.* quæ conſuetudo, etſi corruptela videatur ob ſpeciem mali, tamen per ſe non eſt talis, nec proinde intrinſece mala, cum poſſit vſu contrario bona fieri. Quia contra canones Pontificios, quibus id vetatur, *1. qu. 3. can. ſicut Epiſcopum cap. inſtituatur cap. Iacobus de Simonia*, vſus oppoſitus annorum quadraginta ſpatio præſcriptus præualet, cuiuſmodi in præſenti materia non deeſt, vt patet.

Quid? quod ipſum, quodcumque eſt, quod Notario tribuitur, tribuatur vt iuſta laboris ſui in ſcribendo merces, ac vt inde quo vitam toleret, parce licet, & illiberaliter habeat.

Dixi vbi eſt *conſuetudo recipiendi*, nam ſi non eſt hæc illi futura propitia, peccabit peccato Simoniæ, iure Eccleſiæ prohibitæ, cum *1. qu. 3. can. ſicut Epiſcopum & de Simon. cap. 1.* Quod ſi pro Notario hæc fecerit, dare debebit ille operam, ne amplius, quam quod illi per eam permittitur, ab ordinatis exigat, vt enim quod eſt iuſtum rerum vænalium pretium, ab emptore peti poteſt, ita æqui bonique terminos ei egredi eſt nefas: at excedit, qui ſupra quàm conſuetudo patitur, dari labori ſuo præmium poſtulat, nam hoc ipſo, quod Eccleſia tantum dari, & non amplius voluit, tanti eum valere, & non pluris cenſuit.

Addidi in petitione talis præmij, Simoniæ Eccleſiaſticæ labem eſſe, non diuinæ. Enimuero non ſunt literæ teſtimoniales ac dimiſſoriæ beneficium, aut res propriè ſacra ac ſupernaturalis, ſed relatiue tantum, & per ordinem ad beneficium, aut characterem, ab Epiſcopo maiorum ordinum Clerico conferendum: ergo, &c.

Dubium tertium, *Sintne ferendi in Dei Eccleſia, qui cum nexu aliquo obligatis diſpenſant quidem, ſed non ſine præmio, ſuaque aduerſus eos charitatis exhibitæ pretio.*

Non credet, qui eos de Simonia, tali eorum actione turpi ac fœda, peragi in vtroque foro poſſe, non ignorat.

Enimuero cum ratio ſtipendij, pro ſpiritali miniſterio exigendi ſit labor ei annexus extrinſecus, à quo impediri miniſter ſolet, ne ea quæ ei quæſtuoſa forent faciat, ecquid ſequitur, Epiſcopos, Deique in regimine Eccleſiæ Coadiuuas ac ſocios, pro diſpenſatione à votis, iuramento, & cæteris quæ ſunt in eorum iuriſdictionis ſacræ vſu, ab eoque pendent, capere ſine Simonia nihil poſſe, quia diſpenſatio eſt actio quæ conſequenter ac effectiuè eſt

ſacra, nec tamen laborioſa, aut impeditiua lucri, quod coniectura haud improbabile poſſet conſequi, ſi rogatus voti nexum non rumperet, cum enim id verbo fiat, tempus effluere ac elabi nullum eſt neceſſe, quo interim alia fierent opera ei fructuoſa, titulum ergo iuſtum hic nullum habet, qui eum pretio ad ſuſtentationem neceſſario, dignum reddat, aut ei ad illud ius tribuat. quare ſi quando *Vrgens neceſſitas, aut ratio poſtulauerint cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id causâ cognitâ, ac ſummâ maturitate, atque gratis, à quibuſcunque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit praſtandum, aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur.* Trident *ſſſ* 24.*c*.3. A B

Dubium quartum, *An Epiſcopi, Archiepiſcopi, Archidiaconi de Simonia ſint damnandi cum procurationes, ſeu expenſas exigunt, pro viſitatione Parœciarum, aut earum conſecratione.*

Nequaquam, primo, quia eas non niſi in ſtipendium ſuſtentionis poſtulant, nullo modo tanquam rei ſacræ pretium.

Secundo, quia conſuetudo vbique recepta, morem hunc tolerat, quem & Alexand. III. approbat in *cap. Romana* 10. *de Simon.* C

Procurationis autem nomine, eius diei alimenta intellige, quo viſitatio peragitur, quæ à viſitatis ſuppeditari debent Epiſcopo, eius aſſeclis, ac in Parochia luſtranda ſociis, Trident. *ſeſſ*. 24. *cap*. 3. non ſumptuoſa illa quidem, ſed frugalia, ac tempori accommodata, *Nullam tamen pecuniam viſitator ipſe, aut aliquis de ſua familia, occaſione alicuius officij, aut conſuetudinis, ſeu quolibet alio modo, earum nomine, ſed in victualibus expenſas taxtum moderatas, recipere debet*, Innocent. III. *cap*. 1. *de cenſib. in* 6. *parag. procurationes*, viſitatis tamen ſi volent, procurationem pecunia redimere eſt integrum, quam in ea quoque ſpecie, quæ danda videbitur, viſitator recipere tenebitur, vi reſcripti Bonifac. VIII. perſcripti, his verbis: *Volentibus Eccleſiarum, & locorum viſitatorum rectoribus ſeu perſonis pro ſumptibus moderatis faciendis in victualibus, diebus quibus viſitationis officium perſonaliter exercebit*, Bonifac. VIII. *in cap. fœlicis* 3. *de cenſib. in* 6. munera autem quælibet, quocunque modo oblata, etiam à ſponte offerentibus, reſpuet decreto, Concil. Trident. *ſeſſ* 24. *cap*. 3. Gregor. X. *in cap. exigit de cenſib. in* 6. etiam comeſtibilia ſi alio ſunt ferenda, Anchar. in *n*. 2. *de cenſib. in* 6. Piaſecius *part*. 2. *prax. ca. art*. 8. *n*. 14. ſecus facere, eſt ſibi legem dupli reſtituendi dicere, *faciendi intra menſem ei Eccleſia, à qua id receptum fuerit, alioquin ex tunc Patriarchæ, Archiep. Epiſcop. duplum ipſum intra prædictum tempus reſtituere differentes, ingreſſum ſibi Eccleſia ſentiant interdictum Inferiores vero ab officio & beneficio nouerint ſe ſuſpenſos*, Gregor. X. *cap. exigit* 2. *de cenſibus in* 6. D E

Dubium quintum, *An ſint extra culpam Simoniæ, qui pauperibus ad templi fores, aut cœmeterij ſedentibus, pecunias tribuunt, vt preces ſuâ causâ Deo offerant, ad quas ſe quoque illi paratos eſſe indicant.*

Omnino quia non dantur vt iuſtum earum pretium, ſed vt eleemoſyna, ac liberale donatiuum.

Dubium ſextum, *An temporale quod datur in materia Simoniæ dari debeat tanquam compenſatio pro re ſpirituali, ſeu eius valor, itaut ſit in eo, qui tale bonum vtile recipit, danda rei ſpiritualis obligatio.*

Debet, ita Suar. *lib*. 4. *cap*. 44. *num*. 7. nam in hoc propriè poſita videtur eſſe Simoniæ, macula, quod quiſquiliæ (ſic enim opes honores caducaque fortunæ membra omnia nomino) cum diuinis, nec deſituris vnquam Dei bonis componantur, perinde ac ſi inter hæc & illas, aliqua intercederet æqualitas: eorum ergo alterum, datur cum obligatione recipiendi alterius, cuius cauſa traditur.

Conſequentia probatur, eſt hoc eſſentiale pecuniæ, vt contracta ex re accepta obligatio per eam ſoluatur, & quidem ad æqualitatem, cum ſolutio, iuſtitiæ commutatiuæ ſit actio, quæ pro obiecto æqualitatem, datum inter & acceptum habet. Exigit ergo ſimonia, ſaltem in eorum à quibus admittitur, voluntate ac intentione, vt inter temporalia & ſpiritualia ſit proportio, ex habitudine rei, aut operis ſufficienter æſtimati, & compenſati per pretium, quod pro illo datur, quæ proportio cum inter ea nulla eſſe poſſit, hinc eſt, quod Deo per Simoniam, in hoc ſpiritalium rerum genere, quæ minoris æſtimantur quàm oporteat, non parua irrogetur iniuria.

Dubium ſeptimum, *An ſit Simonia dare domeſtico beneficium, propter obſequia prateritæ, aut gratis præſtita.*

Ne credam hoc argumento ſuadeor, primo, quod talis collatio, non ſit emptio, ſed remuneratio.

Secundo, quod ſit de ratione pretij, ad Simoniam neceſſarij, vt ſit bonum vtile, futurum, & indebitum, at obſequia, quorum intuitu datur beneficium, aut præbenda, iam ſunt exhibita; nullo modo exhibenda: ergo, &c.

Dubium octauum, *An polliceri ei beneficium qui non eſt ſoluendo vt ex eo habeat, vnde contracta à ſe nomina expungat ſit Simonia.*

Non eſſe reſpondent Nauar. *cap*. 23. Enchirid. *num*. 100. *& Conſil. 7. de Simon.* Angel. *ver. Sim*. 3. *nu*. 38 Suar. *de religione to*. 1. *lib*. 4. *cap*. 37. *nu*. 18. quia quod pretij vicem tenet in contractu emptionis, non debet eſſe venditori debitum, alioqui nulla eſſet, inter rem & id quod eius cauſa tribuitur, arithmetica æqualitas. At ſunt commoda, bonaque ex beneficio colligenda, danti debita, vt per ea ſibi ſatisfiat,

fiat, ab eo cui idcirco beneficium contulit vt haberet vnde ſe alieno ære liberaret, iis ergo ratio pretij non connenit, vtpote in quæ indebiti ratio non cadit.

Dubium nonum, *An admouere aliquem ad Eccleſia gubernacula, mortis ſubeundæ metu, niſi pareatur Principi id iubenti, ſit culpa de earum genere, quæ mortales ſunt & Simoniaca.*

Negat Victoria *parte prima relect. de Simon. num* 23.

Ratio eſt prima, quod Beneficij loco, tibi nihil aduenit, quod inſtar pretij habeat.

Secunda, quod ad ſacram menſam accedere, peccata apud ſacerdotem deponere, tam ſit ſpiritale, quam cuipiam Eccleſiam tradere aut præbendam, at obire Sacramenta, Deo preces fundere, ad genua Sacerdoti cõfeſſionis cauſa accidere, vt mortem euadas, cuius tibi metus incutitur, ſimonia non eſt, ergo nec conferre beneficium, vt ab eo te metu liberes.

Dico amplius, nec in eo quidem peccatum vllum eſſe, ſi is, cui auctoritate Principis, beneficium confertur aut præbenda, dotibus illis ſit inſtructus, quibus eum præditum eſſe oportet, qui in Eccleſia Dei magiſtratum obtinet.

Ratio eſt, quod à timore cui paretur, non habet actio quod ſit mala, niſi ex obiecto aut circunſtantiis ſit talis, quis enim eum de culpa arguat, qui metu gehennæ Deum colit, peccata odit, ſaluti ſuæ proſpicit? non eſt ergo Epiſcopo tribuendum vitio, ſi magiſtratum Eccleſiaſticum digno deferat, vt mortem euadat, quam ei Tyrannus interminatur, niſi certum hominem, ad præbendam vacantem promoueat.

Dubium decimum, *Conferre beneficium, aut rem quampiam aliam ſpiritualem, vt amicitiam tibi hominis concilies, eiuſque ope, viam tibi munias ad honores, Simoniaca ſit labes.*

Minime: primo, Quia amicitia bonum non eſt vtile, ſed honeſtum.

Secundo, cum amicitia coaleſcat ex mutua duorum inter ſe beneuolentia, hæcque ab amante in amatum non tranſeat, dici verè non poteſt, aliquid ab eo recipere Ordinarium, quem cæteris in beneficij collatione prætulit, nequit is ergo Simoniæ argui: quem ad bene merendum de altero, pellexit amicitia, aut gratia. Ob cauſam fere ſimilem, non eſt, vt probauimus antea, Simonia, rem ſpiritualem v. c. beneficium, propinquitatis cauſa, dare magnæ ſpei Clerico, ad Eccleſiæ negotia non parum idoneo, Victor. 1. *parte relect. de Simon. num.* 26. S. Thom. *q.* 100. *art.* 5. *ad* 2. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vltim. nu.* 207.

Primo, quia illic non eſt emptio, non venditio, ſine qua tamen eſſe Simonia qui poteſt?

Secundo, quia eſt conſanguinitas motiuum tantum, quo Ordinarius ad conferendum inducitur, aliud nihil, ſed de hac re fuſius antea.

Dubium vndecimum, *An Simoniacus haberi debeat qui citra pactum, precibus aut blanditijs efficit, vt ſibi vel alteri ad beneficium aditus pateat, vel ijſdem inductus rebus, hunc ipſe pulſanti aperiat.*

Diſſuadent hæ cauſæ, prima, quod nulla ſit hic emptio, venditio nulla.

Secunda, quod ad Simoniam non ſit ſatis rem ſpiritalem largiri, ex motiuo rei temporariæ, vt ob preces, aut obſequia, ſed inſuper ſit neceſſe, eam pro re temporali, dari tanquã pro pretio, hoc eſt æquali in valore quo ſic tollatur obligatio, eaque iuſtitiæ ex re ſpiritali nata, ſed preces, laus, & obſequia, pretij rationem non habent, cum inter bona honeſta, ac iucunda, annumerari debeant non vtilia.

Tertio, qui aliena flexus prece Sacramenta confert, aut ſpe laudis aſſequendæ, Deo ſacrificat, Simoniæ vitio non laborat: ergo nec qui ſe precibus ad collationem beneficij flecti ſinit, cũ Sacramenta, non minus, immo longe ſint amplius ſpiritalia, quàm beneficia Eccleſiaſtica, quibus, cum iure functionis ſpiritalis exercendæ, admixta eſt obuentio temporaria fructuum, ac diurna, eſſet tamen rei ſpiritualis largitio Simoniaca, ſi preces, laus, fauor, adulatio, reſoluerentur in temporale commodum, Victor. ſupra, S. Thom. *in* 4. *diſt.* 25. *q.* 3. *art.* 3. & 22. *q.* 100. *art.* 5. *ad* 3.

Ratio eſt, quod tunc ſpiritale mediate ſaltem præberetur pro pretio, quod ad Simoniam ſufficere docet Victor. 1. *parte relect. de Simon. nu.* 35. De ea ergo eſt culpandus, quiſquis ſpiritale alteri annuit, ea mente & lege, vt apud Principem commendetur eius virtus, quo facta ei notior, ad honores aulæ, & ad opes & magiſtratus acceſſum inueniat, vel debita ſibi, aut promiſſa ſtipendia pro annuis obſequiis in aula, nanciſci minori labore queat.

Ratio eſt primo, *quod omnis pactio, circa ſpiritualia, aut ſpiritualibus annexa labem contineat Simoniæ*, Vrban. III. *de rerum permut. cap. quaſitum* 5.

Secundo, quod obligare ſe ad aliquid, quod naturâ ſuâ rei ſacræ non adhæret, aut eius neceſſitatem alteri imponere, pretio ſit æſtimabile: ergo Simoniacum, ea lege ſpiritale dare, aut recipere.

Tertio, qui prouinciam ſuſciperet, inducendi Principis, ad ſoluenda tibi ſtipendia annua, committenda conſanguineis aut tibi vrbis alicuius gubernacula, munus obiret vt tibi gratiſſimum, ita compenſatione dignum: ergo Simoniacæ labis pleniſſimum, cum ad eamrem promittitur beneficium, tanquam

Pœnæ ſuſcipiendæ, aut ſuſceptæ ſalarium, in commendanda virtute tua apud Principem, aut alium.

Dubium 12. *An Rem ſacram tanquam iuſtam mercedem ei promittere, qui miniſterium exhibet temporale, Collatori commodum ac vtile, malum ſit ac Simoniacum.*

Omnino, primo, quia hæc à promittente ſubrogatur loco pecuniæ, alioqui cur de ea præſtanda fidem ſuam aſtrictam vellet? id vero facere ecquid eſt Deo rebuſque ſacris iniuriam inferre?

Secundo, *qui res Eccleſiaſticas non ad hoc, ad quod inſtituta ſunt, ſed ad propria lucra, munere linguæ, vel indebiti obſequij, vel pecuniæ largitur, aut adipiſcitur, Simoniacus eſt*, inquit Vrbanus II. *cauſa prima qu. 3.* ergo & qui promittit.

Sane re ſpiritali ad remunerationes priuatim faciendas vti, eſt illicitum, cum eam ob rem in eumque finem non ſit inſtituta, ſitque malum res alio trahere, quam cuius cauſa, Dei voluntate ſunt factæ, hominumque genti cœlitus datæ?

Quid? quod Epiſcopis non ſunt commiſſa ſpiritalia tanquam Dominis, & vt illa ad proprios traducant vſus, ſed tanquam Dei miniſtris ac diſpenſatoribus, vt iiſdem ad eius gloriam, honoremque vti animum inducant? Traducit autem, qui priuatim compenſat, ac remuneratur earum ope peculiaria nomina, quibus quis alteri obſtrictus hæret.

Dixi tanquam iuſtam mercedem laboris ſuſcipiendi, aut ſuſcepti, quia ſi ſuperior Eccleſiaſticus, beneficium aut ſpiritale aliud ſimile conferret, non ex obligatione legali ac iuſtitiæ, ſed antidorali, Simonia non eſſet.

Primo, quia quæ gratitudinis nomine dantur, pretij vim ac nomen non obtinent, ſine quo tamen nulla eſt Simonia, ex dictis antea.

Secundo, in materia Simoniæ id quod habet rationem pretij, præciſe vi Simoniaci contractus, eſt debitum, at remuneratio non eſt huiuſmodi, cum de ſe rationem donationis liberalis habeat, non ſolutionis pretij.

Tertio, cum ſit Simonia contractus quidã inter dantem ſpirituale, & illud recipientem pro pretio, obligationem ex iuſtitia, ac legalem parit in vtroque, dandi quod mutuo paciſcuntur, ob quam cauſam definitur contractus. *lege Labeo dig. de verb. ſignif* vltro citroque obligatio. At ex hypotheſi nulla hic iuſtitiæ ac legalis interuenit, ſed tantùm gratitudinis, ergo nec Simonia: & huius opinionis ſunt Reginald. *lib. 23. to. 2. cap. 11. q. 3. dub. 2.* Leſſ. *de Simon. dub. 20. cap. 35.*

quare Non ſunt accuſandi Simoniæ, qui memores accepti beneficij per ordines ſacros ſibi collatos, quidpiam Epiſcopo, aut eius miniſtris gratitudinis nomine offerunt, non ante tamen quam ſint collati, ſed poſtea, & ſine

A pacto, Primo, quia quæ ſponte dantur ac liberaliter, ea rationem pretij ſibi non vendicant, ergo nec cauſæ à qua detur initium Simoniæ.

Conſequentia eſt certa. Antec. probatur, De ratione pretij, eſt eſſe debitum, & acceptæ rei commenſuratum, quæ de hoc rerum genere, quæ gratitudinis ergo accipiuntur & dantur, nemo aſſeret: ergo. &c.

Ad rationem, accedit duplex teſtimonium, primum eſt Innoc. III *in cap. dilectus 30. de Simonia*, vbi poſt damnatam Simoniam, quæ admittitur receptione pretij pro religionis

B ingreſſu, hæc addit. *Illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit ſine taxatione gratis oblatum.* Alterum eſt Gregor. primi *epiſt. 44. lib. 4.* & refertur *1. q. 2. can. ſicut Epiſcopum 4.* his verbis. Sicut Epiſcopum non decet manum quam imponit, vendere, ita miniſter vel Notarius non debet in ordinatione eius, vocem ſuam vel calamum vænundare. *Is autem qui ordinatus fuerit, ſi non ex placito, neque exactus, neque petitus, poſt acceptas chartas, & pallium, aliquid cuilibet ex clero, gratiæ tantum-*

C *modo cauſâ dare voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus, quia eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione proceſſit.*

Dixi poſt collatos ordines, quia gratia non refertur niſi de accepto beneficio, & quæ illud antecedunt oblata munera, non gratia reputantur, ſed precia, quare Epiſcopis Hiſpanis olim *Placuit vt de ordinatione Clericorũ, Epiſcopi munera nulla recipiant, ſed ſicut ſcriptum eſt, quod gratis accipiunt gratis dent non aliquo pretio, gratia Dei, & manuum impoſitio*

D *vænundetur*, Concil. Braccar. 2. *can.* 3 Laym. tamen *parag. 2. nu.* 8. nôn referre ait vtrum ante, an poſt præſtitum officium donum temporale offeratur, etiam cum intẽtione, vt donatarius ex virtute gratitudinis moueatur ad dandum ſpiritale, quæ ſententia eſt probabilis ac tuta in conſcientia, quia non alia obligatio Simoniam efficit, quam quæ eſt iuſtitiæ.

QVÆSTIO XXVII.

E *An omnis rei ſpiritalis traditio facta mediante conditione aut pacto ſit Simonia.*

PRima Aſſertio, *Omnis rei ſpiritalis traditio, pacti aut conditionis quæ iure non ineſt, interuentu facta, eſt Simoniaca, dummodo hac, onus, ſiue obligationem iuſtitiæ, viciſſim per modum commutationis afferat.* Eſt Nauar. *in Concil. 4. iuxta 2. edit. nu. 1.* & probatur.

Primo, auctoritate Vrbani III. *cap. quæſitum 5. de rerum permutat.* Alexand. III. *cap. ſuper eo de tranſactionib.* Bonifac. Papæ *1. q. 2. can.*

can quam pio 2. qui iis locis aſſerunt, omnem quæ in rerum ſpiritalium miniſterio, pactio aut conuentio interuenit, Simoniacam eſſe, ac malam.

Secundo, quando datur ſpiritale, cum onere alicuius temporalis, omitendi aut præſtandi, per iſtius præſtationem, cenſetur illud compenſari, & vtrumque inter ſe exæquari, quod eſt contra honorem Dei. Sane non vult Bonifac. eius nominis ſecundus, quenquam ad religioſam vitam recipi muneris alicuius interuentu, ſed *ſi eſt*, inquit, *Eccleſia opportunus, dum tamen omnis abſit pactio, ceſſet conuentio* B *prima q. 2. can. 2.*

Infertur hinc malum eſſe tranſigere, vt ſpiritale pro temporali remittatur aut ſeruetur, patet ex *cap. cum pridem 4. de pactis*, vbi Alexand. rogatus à Monachis, & quibuſdam aliis Clericis ſæcularibus, vt ea calculo ſuo firmare dignaretur, de quibus inter ſe vltro conuenerant, nempe vt Clerico *pro expenſis quas fecerat, tres marchæ argenti ſoluerentur, & idem liti cederet, & à Monachorum infeſtatione ceſſaret*, reſpondit ſibi non videri, *compoſitionem iſtam auctoritate Apoſtolica confir-* C *mandam, pro eo quod videbatur prauam illicitæ pactionis ſpeciem continere.*

Secundo probatur, Emere aut vendere ſpiritale pro pretio, eſt Simonia ſed cum pro temporali, ſpiritale ſeruatur, emitur, cum remittitur, venditur: ergo, &c.

Infertur 2. ſine Simonia dari non poſſe, id quod eſt pure ſpiritale, cum pacto, vt eius loco id reddatur, quod eſt ſpiritali annexum, quia cum ſit hæc commutatio, id quod eſt temporale, in re quæ annexa eſt ſacræ, dari videtur pro ſpiritali, quod eſt Simonia.

QVÆSTIO XXVIII.

Proponuntur exempli cauſa pactiones aliquæ quæ ſunt Simoniacæ proindeque fugiendæ.

Dico ergo primò, *Simoniam eſſe, ſi quis ita paciſcatur.* Do tibi domum meã, aut rem hanc pretio æſtimabilem, tali conditione, ſeu lege, vt tu viciſſim ex gratitudine, præſtare mihi debeas rem hanc aut illam ſpiritua- E lem, Felinus *in cap. ad audientiam num. 2. de reſcript.* Couar. 1. *reſolution. cap. 20. nu. 4* Suar. *to. 1. de relig. lib. 4. cap. 45. n. 9.* Laym. *cap. vltim. parag. 2. n. 9.* & probatur.

Primo, quia talis contractus in re eſt oneroſus, & verbo tantum gratuitus. Cum enim gratis aliquid alteri tribuitur, id fit ſine obligatione reciproca reddendi ei qui dat quidpiam eius loco, quod ſit pretio æſtimabile, eſt ergo talis conuentio donationis, aut remunerationis nomine concepta, reipſa permutatio Simoniaca.

Secundo, Pactiones oneroſæ ſunt Simoniacæ, ſed hæc de qua fit hic mentio eſt talis.

Maior prob. Simonia eſt dare rem ſpiritalem pro temporali, aut aliquo ſimili, quod ſit pretio æſtimabile, cum nemo ſit qui eam libenter non vellet aliquanta ſummâ pecuniæ redimere, & ab eius præſtatione liber eſſe.

Minor patet: nam ratio pactionis oneroſæ, eſſentialiter in hoc conſiſtit, quod accipienti B aliquid, onus imponatur viciſſim dandi certum quidpiam hoc determinato tempore, & in hoc certo rerum genere, aut ſpecie. Quæ enim gratis dantur ac liberaliter, ea relinquuntur arbitrio dantis, nec cogitur hoc potius, quam illud dare.

Dico ſecundo, *Tranſigi non poſſe de re danda, aut retinenda, quæ conſequenter eſt ſpiritalis, pro alia, quæ antecedenter tantum eſt talis.*

Ratio eſt, quod de eo tranſigi nequeat, quod eſt prohibitum dare, at vnum iſtorum, citra Simoniam, dari nequit pro alio, nam om- C nium iudicio eſt malum, pro beneficio obtinendo, quod eſt conſequenter ſpirituale, dare calicem aureum, in quem ſpiritualitas antecedenter cadit: ergo, &c.

Dico tertiò, *Peccari peccato Simoniæ, quando quis beneficio ſuo cedit in alterius gratiam, ea tamen lege, vt pro reditibus ei annexis, qui ſunt temporales, aliquid recipiat.* Ita docent Nauar. *Enchirid. 23. num. 107.* Regin. *lib. 23. cap. 18. nu. 269.*

Ratio eſt primo, quod fructus beneficio adhærentes ac coniuncti, vendi nequeant, niſi D vna quoque, cenſeatur eius titulus diſtrahi, at conuenire ſuper titulo, proque eo precium recipere, malum eſt ac Simoniacum: ergo & ſuper reditibus ei annexis,

Minor eſt clara, Nam titulus, res eſt ſpiritalis ac ſacra, omnis ergo conuentio, quæ in titulum incidet dandum pro pretio, mortalis erit ac Simoniaca.

Maior probatur, *ex can. ſi quis obiecerit 1. q. 3.* vbi hæc leguntur. *Quiſquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum prouenit, nullum inuenditum derelinquit.* At fructus temporales beneficij à iure ſpiritali prouenìunt, cum eius occaſione beneficiario ſint debiti, eſtque hoc ius, ſpiritali conſequenter annexum, ac proinde ſpiritale: ergo ſi fructus vendantur, & ipſum quoque ius non remanebit inuenditum.

Dico quartò, *Simoniacum eſſe, qui beneficium alteri confert, cum pacto, vel conditione, vt partem ſibi fructuum, aut alteri cuipiam attribuat.*

Eſt Nauar. *to 2. conſil. de Simon. conſ 4.* Ratio eſt primò, quod omne pactum, & omnis modus, & conditio, quæ iure non ineſt,

collationi beneficij adiecta, eam efficiat Simoniacam, vt habetur 1. *q. 1. can. quam pio &* *can. fin. de pactis*.

Secundo, quod non ſit in poteſtate Collatoris Ordinarii, titulum à beneficii reditibus ſeiungere, per *cap. vt beneficia ſine diminut. dentur*, niſi ex cauſa penſionis, quam etſi Epiſcopo concedere de iure communi ſit licitum, non tamen ex conſuetudine, per quam iſt. iuri eſt derogatum. Eſt ergo hæc collatio Simoniaca, proindeque vitanda.

Dico quintò, *De Simonia damnandos eſſe Canonicos, qui mutuo paciſcuntur, ſe non electuros ad Parochias vacaturas, alios, quam qui in præſenti Capitulum componunt, donec omnes ſint Parochi*, Nauar. *conc. 8 nu. 4. de Simon.* quia omne pactum adiectum beneficio, facit eius collationem, aut acquiſitionem Simoniacam, per *can.* proxime citatos: at cadit hæc conuentio, proxime & immediate in electionem, quæ eſt via ad beneficium acquirendum: ergo cum Simonia.

Dico ſextò, *In hoc quoque peccare genere, qui bona Eccleſiæ attribuit ea lege, vt ex ijs Canonicatus inſtituatur, aut beneficium ſibi dandum*, ita *ca. tua nos de Simon.* & ratio eſt ad manũ, hæc enim obligatio eſt pretio æſtimabilis. Ob rationem oppoſitã, præfici canonicatui aut beneficio poterit, cui erigendo, redditus ſufficientes ac idoneos tribuit, modo rem vniuerſam Epiſcopi, ac Canonicorum arbitrio relictam velit, ab iiſque ad illum, aut iſtud, iam fundata, liberaliter ac ſine pacto vocetur.

Dico ſeptimò, *Non vacare eum labe Simoniæ, qui cum pacto inducendi Patronum ad aliquẽ nominandũ ad beneficium proximè vacaturum, pecuniâ, operam ſuam in eo illi collocat.*

Primo, quia omne pactum in ſpiritalibus, de re quæ iure non ineſt, eſt Simoniacum, at inductio Patroni ad præſentandum, & obligatio in aliquo eius amico, aut miniſtro id agendi, eſt pretio æſtimabilis, & iure non cohæret collationi beneficii, aut præſentati ad illud, cum hæc ſine illa eſſe poſſit, ergo de ea paciſci, eſt Simonia.

Min. omnium conſenſu eſt vera.

Maior prob. *ex cap. fin. de pact.* vbi omne pactum & conuentio, circa ſpiritalia, dicitur debere omnino ceſſare. Et *cap. quæſitum 5. de rerum permutat.* vbi habetur pactionem circa ſpiritalia, aut his annexa, ſemper continere deformitatem Simoniæ, eſt ergo talis tranſactio vetita, & ſemper Simoniaca, in eo qui cum notitia prohibitionis illa efficit, ſaltem Simonia quæ ſit iuris humani.

Quod autem ſit etiam Simonia, iure naturali prohibita ſic indicatur. Emere directè aut indirectè beneficium, cum ſit ius colligendi redditus propter officium ſpiritale, ſemper eſt Simoniacum: at qui pecuniam numerat amico patroni, aut alicui eius officiali, vt eum in-

A ducat ad ſe nominandum ad beneficium, illud emit ſaltem indirectè: nam quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati, ſed præſentatio, eſt cauſa collationis, ſeu inſtitutionis ad beneficium, cum Epiſcopo non ſit integrum repudiare ſibi oblatum à Patrono, ſi ſit dignus, vel præueniendo præſentationem Patroni illud conferrè, ſi tamen id fieret, collatio non eſſet quidem irrita, ſed ſecutâ præſentatione patroni, intra tempus iure præſcriptum, inanis foret, quia reſolueretur & euaneſceret, vt patet *ex can. decernimus 32. cauſa 16. q. 7.* ergo cum beneficii collatio emi ſine Simonia nequeat,

B quæ ſit iuris naturalis, ac diuini, nec de præſentatione ad illud tranſigere fas erit, ſine culpa, cum hæc ſit ad illam præuia.

Dico octauo, *Eſſe Simoniam, dare ei cum quo litigatur, beneficium aliquod tenue, aut penſionem, ea lege, vt dantem non impediat à conſequendo beneficio de quo lis eſt mota, aut aliò ſimili*: quia datio rei temporalis pretio æſtimabilis, aut ſpiritalis pro alia talis naturæ, maximè cum pacto & obligatione iuſtitiæ ac legali, eſt Simoniaca, ſaltem iure Eccleſiaſtico, niſi conſenſus Papæ acceſſerit: ſed de hac re poſtea pluribus.

Dico nonò, *Peccare peccato Simoniæ, qui*

C *pro pretio lite cedit, vt eius aduerſarius cauſam euincat, ad quam ius non habet.*

Primo, quia tranſactiones quæ in res cadunt quæ iure non inſunt, ſpeciem habent Simoniæ, ſecundum Alexand. III. *can. 4. de tranſact.* & Cœleſt. III. *cap. præterea 10. eiuſd. tit.*

Secundo, omiſſio actus, qui proximè dat ius, vel acceſſum ad beneficium eſt Simoniaca, ſi fiat ob precium, ob quam cauſam cenſetur is vulgo Simoniacus, qui ex pacto, eiuſdem beneficii candidatis nõ ſe opponit, vt ſic

D illorũ quiſpiã eo fruatur, at litis iuſtè intentatæ omiſſio, in eius gratiam facta, qui ius habet, ſed dubium & incertum ad beneficium, ſuper quo mota fuit, eſt indirecta eiuſdem conceſſio, colliti ganti facta, cum eius cauſa à lite inſequenda abſtineat, ex quo accidet vt illud conſequatur ac habeat.

QVÆSTIO XXIX.

E *An ſit Simonia dare temporale pro ſpiritali, quod danti non eſt futurum vtile ſed alteri.*

ASſertio prima, *Non eſt rei temporalis donatio pro ſpiritali Simoniaca, quando illa recipienti obligationem non affert ſimpliciter, ſed ſolum cum conditione, ſi hic rem promiſſam accipere velit, vel donatam retinere, ea lege, quod aliquid ab ipſo fiet non in commodum quidem dantis, aut promittentis, vel alterius perſonæ, cuius ille quaſi vicem ſubeat, ſed ſuum tantum.*

Probatur

Probatur, Non committitur Simonia, vbi non eſt contractus onerosus, & reciprocus, ſed donatio liberalis ac gratuita. At cum pollicitis aut largitioni, modus adiicitur aut conditio, qualem in aſſertione poſuimus, non tranſit eiuſmodi donatio in contractum onerosum ac reciprocum, ſed manet liberalis datio, ſeu pactio ſub tali conditione, ergo nón eſt Simoniaca. Maior eſt certa.

Min. prob. de ratione contractus oneroſi eſt, vt obliget contrahentes ad ſeſe inuicem, at is, cui res promittitur, aut donatur ſub certa conditione & modo, ad eam recipiendam non obligatur niſi velit, vt enim eam admittere, ita & repudiare poteſt, cum ad neutrum teneatur, ſed ad alterutrum quod eliget, inclinare ei per voluntatem ſit integrum.

Addidi, modo per rem ſpiritalem, quæ pro temporali datur, aut contra, recipiens ſimpliciter non obligetur ad aliquid, quod in vtilitatem dantis aut alterius perſonæ vergat, cuius ille quaſi vicem ſubeat.

Quia cum obligatio, ſimpliciter imponitur à promittente, aut dante recipienti, ac promiſſario, contractus eſt onerosus: ergo ſi ſit de opere ſpiritali, pro re temporali, erit Simoniacus.

Confirm. eſt hæc pactio Simoniaca, *Do tibi centum, ea conditione, vt Ioan.. abſoluas.* At non eſt eius rei alia ratio, quam quod pro ſumma aureorum centum, Sacerdos ſupernaturalis actus exercendi obligationem ſuſcipit: Verum eſt ergo, contractum eum eſſe Simoniacum, quo à dante, aut promittente, obligatio ſimpliciter imponitur donatario, aut promiſſario, dandi aut agendi aliquid ſpiritale pro temporali, vel contra.

Corollarium primum, Ex natura rei non eſt Simonia, promittere aliquid alteri, ſi Sacramenta frequentauerit, ſi Baptiſmi vndis lotus erit. Ita Adrian. *quodl. 9. art. 3. reſponſ. ad 3. principale*, Nauar. *in can. inter verba cauſa 11. q. 3. concl. 5. nu. 17.* Sanch. *primo de mat. diſp. 39 concluſ 3. n. 4.*

Probatur primo, Non eſt Simonia, vt dicetur poſtea, rem ſpiritalem alicui ſub conditione & modo dare, aut promittere vt ſpiritale opus præſtet, non tamen per modum commutationis, & pretij, quia Simonia omnis eſt emptio, qualis non eſt, cum pretium deficit.

Secundo, cum res temporalis datur aut promittitur, ſub conditione faciendi operis quod eſt ſpiritale, eſt eiuſmodi donatio, abſolutè liberalis ac benefica, ad conditionem tamen reſtricta ac cohibita, ſine qua ad donatarium non tranſit eius dominium. Non eſt ergo Simoniaca.

Antec. probat. donans, nihil à donatario exigit, quod in proprium ſuum commodum vergat, aut alterius à donatario diſtincti.

Deinde cum ſit ei liberum donum acceptare aut repudiare, ea affectum conditione quę ab eo poſtulatur, vt plene ſit eius compos, nulla illi imponitur obligatio, ſine qua tamen non eſt Simonia.

Tertio, quia res temporaria quæ offertur ſub conditione operis exequendi quod eſt ſpiritale, eſt inſtar motiui tantum, voluntatem ad illud opus bonum inducentis, & nullo modo pretij, cum non ſit debitum.

Quarto probatur, Licitum eſt damnatis ad mortem parcere, ea conditione vt ſacris baptiſmi vndis expientur, vitia oderint, virtutem ament, hanc aut illam aſciſcant ſibi fœminam: ergo & dare aut promittere temporale aliquid, cum conditione præſtandi cuiuſpiam operis quod ſit ex obiecto bonum.

Conſequ. oſtenditur, eſt relaxatio iniuriæ, vel pœnæ cōdonatiō quam quis eſt culpis ſuis meritus, pretio æſtimabilis, at ex hypotheſi indulgeri poteſt deprecanti, ſub conditione, aut modo rei ſpiritalis faciendæ, vt contrahendi matrimonij, vitandi adulterij, ergo, &c.

Corollarium 2. Licet item parentibus & dominis, liberos ſuos ac ſeruos ad cultum Dei, mandatorum cuſtodiam, præſtationem officij ſpe mercedis, ac temporalis præmij allicere. Ita docent Anglez *in florib. 2. parte q. quis teneatūr reſtituere art. 2. diff. 15. concluſ. 6.* Molina *to. 1. de iuſtit. tract. 2. diſp. 93. conc. 4.* Sanchez *ante citatus nu. 4.* vbi id etiam de ingreſſu Religionis perhibet, ad quam donis & muneribus induci aliquem nihil vetat.

Ratio eſt, quod non habeant eæ illecebræ ſuſpicionem culpæ, vtpote à charitate erga Deum ac proximum profectæ.

Deinde ecquid eſt Simonia ſtudioſa voluntas emendæ, vel vendendæ rei ſpiritalis, ſecundum D. Tho. *2. 2. q. 100. art. 1.* ſed qui religionem ingreditur ſub conditione aut modo, vel qui diuina mandata exequitur ſpe beatæ æternitatis conſequendæ, aut mercedis à parēte, quid peccat? vel quid habet operari ex motiuo, quod natura ſuâ, bonum eſt ac laudabile, quod centuram mereatur ac ferat? nec enim hæc opera, aut religionem, pretio æſtimat, nec qui illud eorum causâ offert, ea emit. Rem ergo ſpiritalem dare vel promittere ſub conditione, vel modo, vt tunc duntaxat donatarius eius compos fiat, cum opus bonū fecerit, non eſt Simonia.

Ita non peccant, qui adoleſcentes in ſeminariis alunt, ea conditione tamen, vt abſolutis ſtudiis ſtatum amplectantur Eccleſiaſticum, & ni faciant, quicquid in eam rem inſumptum fuerit reſtituant, quod & facere coguntur in multis locis.

QVÆSTIO XXX.

Circa quid verſetur Simonia iuris Eccleſiaſtici.

ASſertio prima, *Simoniam iuris Eccleſiaſtici primò induci pacto in ſpiritalibus de re quæ iure ijs non ineſt.*

Habetur 1. *q. 2. can. quam pio* 2. confirmántque Gregor. IX. *cap. pactiones* 8. *de pact.* Alexand. III. *cap. conſtitutus* 4. *de tranſactionib.* Cœleſt. III. *cap. præterea finali eiuſd. tit.* Nau. *to. 2. Conſil. conſ. 4. iuxta 2. edition. nu. 1.* Leſſ. *de Simon.* Layman. *parag. 5 nu. 56. & ſequentt.* Debet tamen hæc pactio legalis eſſe, hoc eſt tantæ efficaciæ, vt debitum eiuſdem generis, hoc eſt legale faciat, quale eſt quod coram iudice poteſt ab inuito exigi, & in ea cadit quæ iure non inſunt, ob quam cauſam non eſt Simonia dare præbendam cum onere faciendi ſacri, aut præſtandi quæ ei ſunt adiuncta.

Cauſa eſt, quod res in recipientem, cum ſuis commodis & incommodis tranſeat, quæ tamen pretii inſtar eſſe nequeunt, cum in eius vtilitatem non cedunt, qui beneficium dilargitur, quod tamen eſt ad rationem contractus Simoniaci neceſſe: non habebit ergo beneficii collatio vt ſit Simoniaca à tali pacto.

Confirm. cum ea per pactum poſtulantur, quæ rebus ſpiritalibus inſunt ex natura ſua, ei noua nulla obligatio imponitur, à quo exiguntur, fit hoc ergo ſine Simonia. Quemadmodum cum datur alicui beneficium, cum onere legendi horas, ſacrificii offerendi in loco ſatis ab vrbe diſſito, dandi ſtipem pauperibus, &c. quia hoc non eſt beneficiario nouum inferre onus, aut cum eo de re paciſci ad quam cogi nequeat, po ſito quod beneficium ſibi conferri ſinat, collatumque admittat ac ſeruet, ſed illius onera, obligationes ac nexus eidem exponere, ne poſtea earum ſe deceptum ignorantia cauſari queat.

Secunda Aſſertio, *Simonia iuris humani locum habet in ſeparatione fructuum à beneficio, facta auctoritate propria, cap. vt noſtrum 1. titulo vt beneficia ſine diminut.* dentur.

Item, in permutatione beneficiorum inter ſe, ſine Superioris licentia, *cap. 5. de rerum permutat.*

In *venditione beneficiorum, ſecundum partem temporalem, cap. vt noſtrum vnico vt beneficia ſine diminut. conferantur.*

Tertio, *in venditione officiorum, Oeconomi, Procuratoris Eccleſiæ, Aduocati eiuſdem, Sacriſtæ, Caſtaldi,* habetur, 1. *q. 3. can. Saluator 8. ca. vt noſtram 21. de Simon. & can. ſi quis obiecerit 7. cauſ. prima q. 3.*

Quarto, admittitur Simonia iuris Eccleſiaſtici, in Simonia confidentiali.

A Quinto, in petitione pretii pro nuptiarum benedictionibus, mortuorum exequiis funeribus, *cap. audiuimus 41. cap. ad Apoſtolicam 42. cap. non ſatis 7. cap. cum in Eccleſia de Simon.* niſi contraria conſuetudo excuſet, vt in Gallia.

Sexto, temporale quod ratione conſuetudinis exigitur vt debitum, petitur ante ſpiritale præſtitum, nam tunc cenſetur eius exhibitio Simonia in exteriori foro, vt habetur *de Simon. cap. 29. 41. & 42.* cuius admiſſæ ſuſpicionem vitare qui volet, id laborabit, vt pe-
B tenti rem ſpiritualem, hanc illico ac ſine mora præbeat, ac ſi poſtea accidat temporale quod dari ſolet, ab eo negari, erit à poſtulante Epiſcopi imploranda auctoritas, vt eius fiat imperio; quod non extorſit ratio *cap. de Simon. 42.*

Septimo, contingit Simonia iuris Eccleſiæ in reſeruatione penſionis ſine auctoritate Pontificis, promiſſione beneficii pro ſuffragio in electione ad Epiſcopatum, promiſſione, ſeu donatione pecuniæ mediatori pro interceſſione beneficii, Diana *to. 4. tract. 4. miſ-*
C *cellan. reſolut.* 105. Verum antequam hinc alio tranſeam, notare placet, quod quæ de Simonia confidentiali ſunt dicta, non ſic capi debere, perinde ac ſi aliis pœnis non ſubeſſent, quam quæ ſolo ſunt iure Eccleſiæ Simoniacis impoſitæ, nam vt dicetur poſtea, eius admiſſæ quiſquis eſt reus, excommunicatus eſt, & multorum opinione ſuſpenſus.

Octauo, ſunt Notarii, ac Epiſcoporum Officiales ſeu miniſtri Simoniaci Simonia iuris Eccleſiaſtici, ſi quibus in locis ſtata habent operæ ſuæ ſtipēdia, quidpiā pro literis dimiſſoriis, ac acceptorum ordinum teſtimonialibus,
D aut amplius, quam quod Concilium peti & accipi patitur, exigant, Trident. *ſeſſ. 21. cap. 1. de reformat. Secus qui faciunt, tam dantes quam accipientes, vltra diuinam vltionem, pœnas à iure inflictas ipſo facto incurrunt.*

Nono, accidit quoque Simonia iuris Eccleſiaſtici in promiſſione beneficii, pro ſuffragio in electione ad Epiſcopatum, *promiſſione ſeu donatione pecuniæ mediatori pro interceſſione beneficij.* Tannerus *in* 2. 2. D. Th. *diſp. 5. q. 8. dub. 4. num. 95.* Diana *parte 4. tract. 4. miſcell. reſol.* 155. Conuentione ſuffragatorum mutua vt eorum alter in hac electione iſti faueat, receptu-
E rus huius ſuffragium in altera. Villalob. *in ſumma to. 2. tract. 27. difficult. 24. num. 1.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXXI.

An permutatio in his facta, quæ antecedenter ſunt ſpiritalia Simonia ſit Eccleſiaſtica.

PRima Aſſertio, *Cum ſola permutatio in beneficijs Simoniam habeat iuris Eccleſiaſtici, ab ea ſunt immunes, qui antecedenter ſpiritualia inuicem commutant,* Sotus *de iuſtit lib. 9. q. 5. art. 2.* Suar. *lib. 4. cap. 14.* Regin. *lib. 23. cap. 16. nu. 122.*

B Primo, quia cum ratione ſuæ ſubſtantiæ, ac conditionis ſibi à natura inſitæ, pretio ſint digna, nihil eſt quamobrem, commutationem recipere inuicem nequeant.

Secundo, quæ ſunt natura ſua temporalia, permutari inter ſe ſine Simonia nihil vetat. At quę antecedenter ſunt ſpiritualia, ſunt in entitate ſubſtantiaque tēporalia, quem ipſa ſtatū non perdunt, ex eo quod præcedant ſpiritualitatem, à qua præceſſione habent eadem, quod ſint antecedenter ſpiritualia, nec enim C calix v. c. deſinit eſſe aureus, quia eſt conſecratus, nec ager, aut caſtrum, eiuſdem eſſe naturæ cū aliis, ex eo, quod annexum ius Patronatus habeant, permutari ergo quoad partem quæ eſt in illis materialis, quin poſſint inuicem, cauſa mihi non occurrit vlla.

Tertio, quia nulla rerum ſacrarum permutatio eſt vetita per canones, quam beneficiorum inter ſe.

Quarto eſt, hæc rerum permutatio, quæ ſunt antecedenter ſpiritales ab omni in D Deum Diuoſque cœlites irreuerentia libera. Enimuero quid contra Deum peccatur, ſi roſaria benedicta roſariis, aut calices calicibus permutentur? at eadem eſt ratio aliarum rerum quæ ſunt antecedenter ſpiritales, quæ iſtarum, cum in earum permutatione non ſpiritualia temporalibus, quod eſt Simoniacum, ſed temporalia temporalibus, ſpiritalia ſpiritalibus componantur, in quo quid eſt culpabile? quid damnandum?

Quinto, Cum vnumquodque conſiderari debeat, ſecundum id quod eſt in eo præcipuum, vt non repugnat mixtum ex temporali, & ſpirituali vendi, ſi corporale pars ſit eius E præcipua, ſpirituale acceſſoria, ita nec permutari, cum acceſſorium ſequatur naturam principalis, cui eſt adiunctum per *regul. 42. de regulis iuris in 6.* At in calice v. c. & caſtro, cui ius Patronatus adhæret, & aliis id genus, antecedenter tantum ſpiritualibus, corporale eſt principale, ſpiritale autem quod ei aduenit, eſt acceſſorium: ergo vt poſſunt vendi, ita & permutari ſine Simonia quæ ſunt hoc modo, id eſt antecedenter ſpiritualia. Et ſi erunt valore ac precio inæqualia, ob diuerſitatem materiæ ex qua ſunt conflata, aut redituum

A qui ſunt caſtris adiuncti, in quibus eſt ius Patronatus, poterit hæc inæqualitas, auctoritate non propria permutantium, ſed Papæ, tolli, refundendo cum eius facultate ac licentia, ei cuius maiores ſunt redditus, tantum pecuniæ, quantum eſt neceſſe ad conſtituendam æqualitatem inter permutata.

QVÆSTIO XXXII.

An duobus inter ſe de beneficio collitigantibus, vni eorum dare pecuniam liceat, pro impenſis, quas à ſe in proſequutione litis factas cauſatur.

AFfirmant Emman. Sa *verbo Simonia nu. 2.* Nauar. *conſil. 14. de Simon. & 44. nu. 2.* his verbis: *Probabiliter dici poteſt, quod ſi verè coram Deo N. non habuit voluntatem vendendi ius quod prætendebat habere, ſed ſolum recuperandi impenſas, quas fecit, nec vere beneficium coram Deo erat ſuum, non incurrit coram Deo pœnas prædictas in foro conſcientiæ, neque indiget abſolutione ab vlla cenſura, nec obligatur ad reſtituendam pecuniam acceptam, niſi quatenus ſuperat impenſas factas.* Idem habet Millardus *de pœnitent. cap. 65.* ibi enim tria aſſerit quæ in rem præſentem faciunt, primum, poſſe litigantes auctoritate ſuâ, litem inter ſe de beneficio ortam componere.

Secundum poſſe vnum, alteri beneficio cedere, ad quod ius habet æquale iuri alterius.

Tertium, poſſe hanc ceſſionem ea lege fieri, vt cedenti detur ab eo cuius cauſa beneficium ceditur, ſumma aliquanta pecuniæ, aut quidpiam aliud temporale, per modum gratificationis, cum refuſione expenſarum, quas in acquirendo beneficio, aut inſequenda lite, eum facere fuit neceſſe. De factis nihil habent cæteri ſed faciendis tantum, & quidem Laym. *lib. 4. tract. 10. parag. 5.* tria de hac materia retulit in commentarios *num. 56. 57. & 58.*

Primum, quod orta lite de Eccleſiaſtico beneficio, vel alia re ſpiritali, poſſint qui litigant gratis & amicabiliter inter ſe componere *cap. ſuper eo 7. de tranſact.*

Secundum, poſſe id eos facere abſque Superioris conſenſu, præterquam ſi oporteat poſſeſſorem beneficij illud dimittere, quod ſine ſuperioris auctoritate non poteſt *cap. admonet. cap. quod in dubijs de renunciat.*

Tertium, Simoniam fore, ſi partes permutaturæ aut reſignaturæ beneficium, inter ſe paciſcantur de expenſis ab vno eorum faciendis, niſi forte eæ de iure faciendæ eſſent, iuxta regulam receptam. *Quod de iure, ſine ex iuſtitia fieri oportet, idipſum in pactum deduci poteſt, abſque vllo vitio Simoniæ.*

Quid ſi ſunt factæ, eaſque ſibi reddi collitigantium alter poſtulet, vt à lite mouenda, aut proſequenda quæ eſt mota ceſſet?

Dico primò, *Simoniam non eſſe eius tum obſ. quæ poſtulatis.*

Primo, cum qui eas repetit, ius ad beneficium nullum habet, quia ſic nullum eſt periculum ſcandali, nulla ratio, aut ſpecies pretij, ſed pura vexationis redemptio. Reddere ergo concertatori ſuo ius nullum habenti ad beneficium is poterit, qui certo ad illud vtitur, reddere (inquam) poterit ſecundum Rebuffum, quicquid pro bullis impendit, etſi in poſſeſſionem beneficij venerit, quidquid ad eam rem, literaſque collationis habendas, dare ei fuit neceſſe; Rebuff. *de Simon. in reſignat. nu.* 12. & DD. apud Leſſ. *cap.* 35. *dub.* 15. *nu* 94.

Primo, quia id totum cedit in vtilitatem refundentis, qui hac refuſione pecuniæ, ab iniuſta ſe vexatione liberat.

Secundo, quia vt loquitur Nauar. *in conſil.* 14. *nu.* 7. *non dantur illa temporalia, pro pretio rerum ſpiritualium, neque pro cauſà principali immediatà earum, ſed pro intereſſe, & damno partis iniuſte accepto.* Verum quoniam hæc in beneficio quolibet litigioſo diſtingui poſſunt, primo ius ſpiritalis functionis obeundæ, quod ipſum quoque eſt ſpiritale à termino ad quem tendit, ſecundo expenſæ, quas in lite inſtruenda, ac proſequenda feciſſe partes dicuntur, tertio bonum pacis, quod conſequitur qui beneficium pacificum acquirit, perſpicuitatis gratia.

Dico ſecundo, *Pro primo,* id eſt ſpiritali iure quod illi competit, qui liti renunciat, capi nihil poſſe ſine Simonia, quod ſit pecunia, aut aliquid ea æſtimabile, quia res eſt probata antea, ad alia tranſeo.

Dico itaque tertiò *Pro expenſis in acquirendo beneficio, aut lite, eius conſeruandi cauſa factis, paciſci inuicem colligitigantes non poſſe, eas tamen auctoritate iudicis, in quem vtrinque ab ijs compromiſſum fuerit, recipi poſſe.*

Pars prima eſt DD. opinione certa, quia eſt omnis pactio in ſpiritualibus, de re temporali danda, quæ iure non ineſt, Simoniaca, *cap. cum pridem 4. de pact. cap.* 8. *eod. titul. cap. ſuper eo* 7. *de tranſact. cap. præterea* 9. *eiuſd. tit.* ergo & præſens. Pars altera probabitur aſſert. ſequenti.

Dico ergo quartò, *Si gratis, ac ſponte, iure ſuo litigantium alter cedat, litemque deſerat, Superioris conſenſum implorare, vt renuntiationi ſuæ robur accedat,* neceſſe non eſſe auctor Gregor. *cap. ſuper eo* 7. *de tranſactionibus,* his verbis: *Super eo quod quæſiuiſti, vtrum de beneficio Eccleſiaſtico, in litigium deducto poſſit fieri tranſactio, tale reſponſum damus, quod tranſigi ſuper re ſacra, & litigioſa non poteſt, etenim res ſacra, vt poſſideantur aliquo dato, vel retento*

A *ſeu promiſſo, ſpeciem credimus habere Simoniæ, alias ſi gratis & amicabiliter, inter ſe litigantes componant, ſacris canonibus nequaquam dicimus obuiare.* Sin autem eorum alteri aſſignandum erit aliquid temporale, vt à lite beneficiaria recedat, ac præbendam de qua eſt controuerſia, concertatori ſuo deſerat, id non fiet niſi cum auctoritate Papæ, Prælati, aut Iudicis Eccleſiaſtici, vel boni alicuius viri ad hoc delegati, conſtat ex *can.* proxime citato, vbi omnis tranſactio ſuper re ſacra ac litigioſa reprobatur tanquam Simoniaca, *aliquo*
B *dato, vel retento, ſeu promiſſo, vt poſſideatur & cap. Niſi eſſent* 21. *de præb.* negat Innoc. III. ordinationi ſuper negotio Prioratus factæ, vim futuram vnquam, niſi eius auctores extitiſſent, viri prouidi ac honeſti, in quos quia ad eandem dignitatem electi fuerant, vltro ac volentes compromiſerant. *Quod,* inquit, *poſt concertationem diutinam ordinatum eſt, circa vnum de duobus electis, vt ipſe habeat Prioratum, hoc ex iuriſdictione delegata, ſecundum iuſtitiam videtur eſſe ſtatutum, quod autem ordinatum eſt circa reliquum, vt ipſe viginti libras de redditibus capituli, & quadraginta de prouen-*
C *tibus Prioratus percipiat annuatim, hoc ſecundum prouidentiam intelligitur eſſe præceptum ex arbitraria poteſtate, cum in delegatos fuerit compromiſſum, qui auctoritatem retinendo ſibi commiſſam, ſe pro bono pacis, & vtilitatis ordinaſſe fatentur.*

Nec in Epiſcopum modo aut Iudicem, qui iuriſdictionem habeat à Papa, ſed in alios quoque Clericos, viroſque bonos compromiſſum fieri poſſe, vt litem inter litigantes componant: auctor eſt Paul. Laym. *parag.* 5. *num.* 58. Candid. *de benef. diſquiſit.* 18. *art.* 38.
D *dub.* 2. qui vbi electioni de ſe ab illis factæ conſenſerint, poterunt ei qui potiore iure nititur adiudicare beneficium, & alteri, qui eius cauſa illud derelinquit pro bono pacis deſignare certam pecuniæ quantitatem, ei ſemel in vita, aut quotannis ſoluendam, patet ex *cap.* 21. *citato de præbendis,* vbi Innoc. III. iudicium eorum approbat qui electi erant, vt arbitrio ipſi ſuo, calculoque controuerſiam inter duos ortam dirimerent, ſuper dignitate ad quam erat vterque ſuffragatorum votis, vocatus.

Dixi *delegatos à Papa,* nam id Innoc. III. *in cap. niſi eſſent* 21. *de præbend.* exigit cum Iu-
E dices ad quos pertinet de expenſis litis ſtatuere, id *ex iuriſdictione delegata,* facere aſſerit. Eſt enim poteſtatis delegatio, eius duntaxat actio qui eſt ſuperior. At reſpectu beneficij, quod eſt inter duos controuerſum, dici Epiſcopi ſuperior nemo poteſt quam Pontifex, ergo ab eo petenda eſt hæc iuriſdictio.

Deinde cum ad eum ſolum ſpectet, reditus, aut eorum partem à titulo ſeiungere, quæ colligitanti detur vt penſio, non poſſunt Epiſcopus & Iudices arbitri id alterius auctoritate facere

facere quam Papæ, cum eius ſolius ſit diſpenſare in canone, quo talis ſeparatio vetatur, *vt tit. vt beneficia ſine diminutione*, ergo cum Epiſcopi & iudices arbitri id faciant, cum litem inter duos ſedant, de quo eſt exemplum in *cap. niſi cum pridem 21. de præb. & cap. 2. de arbitris*, ad id eos poteſtatem à Papa conſequi oportet per delegationem ſui expreſſam. Ita mandat Eborac Archiepiſcop. Alexander III. vt vbi compererit, *duorum Clericorum arbitrium, æquitate ſubnixum, quo cuidam Presbytero præceperant, vt quinque marchas pro beneficio ſuſciperet, & toti cederet quæſtioni, ad obſeruantiam ipſius vtramque partem appellatione ceſſante, compellat.* His ego rebus inducor vt credam, conſultum eſſe, cum de expenſis compenſandis agitur, vt litigantes, alieno potius iudicio, quam ſuo ſtare velint, maximè quod in *cap. cum pridem 4 de pactis*, reprobetur inter Monachos, & Presbyterum facta conuentio, quod iſti *pro expenſis quas ille fecerat tres marchæ argenti ſoluerentur, & idem Presbyter liti cederet, & à Monachorum infeſtatione ceſſaret.*

Dico quartò, *Non poſſe collitigantes ſine Simonia ſaltem Eccleſiaſtica, de expenſis inter ſe tranſigere ea lege, vt eorum alter beneficio, eiuſque iure cedat*, quia eſt omnis in materia beneficiali tranſactio, niſi Prælati intercedat auctoritas, Simoniaca, vt habent citati *canones quartus & extremus de pactis, ſeptimus & nonus de tranſact.*

Secundo, quod eſt argumentum Candid. *diſquiſ. 18. art. 3. dub. 5.* non patitur æquitas ab eo temporale quid petere qui damni auctor non fuit, at concertatorum alter, ei qui expenſas factas in lite reddi ſibi poſtulat, non nocuit, nec earum cauſa extitit, ſed ipſe illas ſua cauſa, & in propriam ſuam vtilitatem commodumque fecit, iniuſte ergo eas æſtimari, ſibique vult reddi. Quare non eſt ſecus exiſtimantium opinio probabilis, eam tamen probare conantur aliqui his argumentis.

Primo, quod communis ſit Summiſtarum ſenſus, licere Epiſcopo, Iudici delegato, aut alteri Clerico arbitro, deſignare parti litiganti præſtationem mere temporalem, vt a lite beneficiaria decedat, ſibique temperet, licet ergo & litigantibus æſtimare ſua incommoda, & expenſas factas in inſtruenda lite, proque iis componere.

Conſeq prob. Ideo id Epiſcopo & arbitris licet, quod nec naturâ ſuâ ſit malum, nec canonicâ lege prohibitum, at id peræque locum habet in litigantibus, ac aliis, quærunt enim vbi id illis ſit vetitum? & quando?

Scire ſe quidem aiunt, cum rogaretur Alexand. III. confirmare pacta conuenta inter Monachos & Presbyterum, de quibus agitur in *cap. cum pridem 4. de pactis*, id eum negaſſe, *pro eo quod viderentur illicitæ pactionis ſpeciem continere.*

Sed negant, inde effici, illos ideo peccaſſe aut de eo cogitare, fuiſſe illis, ea lege, aut alia prohibitum, & quidem non peccaſſe aiūt, quia res de ſe, ac natura ſuâ non eſt mala, alioquin Epiſcopis eſſet, ac arbitris, peræque ac litigantibus interdicta. Nec iure fuit aliquo canonico vetita, quia nullum tale proferri poteſt. Et quanquam dicantur ea pacta, videri habere ſpeciem Simoniæ, inde tamen non efficitur, eſſe verè, ac coram Deo vitioſa, ſed tantum vitanda ob ſcandalum, quod ſemper non eſt metuendum, cum expenſæ, ab vno litigantium factæ, eidem refunduntur ab altero, & licet timeretur, inde tamen non ſequeretur aliud, quam quod ea impenſarum præſtatio, mala eſſet per accidens, quod non facit ad rem præſentem ſed his argumentis.

Reſponderi debet, primò negando, quod eſt Epiſcopis in hoc genere licitum, eſſe quoque priuatis permiſſum. Quia quod primis licere Pontifex voluit, interdixit aliis, cuius rei cauſa quærenda non eſt alia, quam æquiſſimum eius cum voluntate iudicium.

Ad id quod additur, Simoniam hic nullam eſſe iure diuino vetitam, dici nihil poteſt verius, quod autem ſimiliter de Eccleſiaſtico perhibetur, eſt eorum bona venia falſum, vt indicāt allati canones paulo ante, ſcilicet *4. & extremus de pactis, ſeptimus & nonus de trāſact.*

Verum enim (inquies) quid eſt in beneficio inter duos controuerſo, cuius occaſione, cauſaque, eorum alteri litis relinquendæ gratia, aut impenſarum, quas feciſſe ſe narrat, dari pecunia aut aſſignari ab Epiſcopis, ac arbitris penſio valeat? Ad explicationem.

Dico 5. *Quod Epiſcopi aut arbitri iudicio, ab vno è collitigantibus, alteri impenſarum nomine offertur, non dari tanquam in compenſationem dubij iuris, quod hic habet*: (Nā cū ſit ſpiritale, redimi nequit vllo temporali pretio abſque Simoniæ vitio) ſed aliis de cauſis, ſeu titulis, vt in compenſationem laborum & expenſarum, quas in litigando illum facere oportuit, danique ipſe faceret, ſi pax inter eos non coaleſceret, ac denique ad bonum pacis & concordiæ, quæ ipſi etiam tranſigenti eſt vtilis, ideoque pretio æſtimabilis: ita Suar. *cap. 51. nu. 32.* Laym. *lib. 4. tract. 10. cap. vlt. parag. 5. num 59.* quia ſunt hæc temporalia eiuſmodi, vt pretio æſtimari valeant.

Dico ſextò *Eſſe & alios duos caſus, in quibus repeti impēſæ poſſunt ſine labe & ſuſpicione Simoniæ.*

Primus eſt cum pro augendo beneficio, æs alienum eſt contractum, aut proprias ea cauſa, gratiaque pecunias beneficiarius impendit, quas tamen non debebat, vt ſi domum Presbyterij dilatandam curauit, ſi conſtruendum hortum, ſi antiquo nouum ſuis ſumptibus addendum, &c. nam cum rerum ſuarum diſcrimine, damnoque, nemo alienas tenetur pro-

uehere, nemo proximi commodis ſtudere A cum ſuorum interitu, vt faceret, ſi hæc æſtimare non poſſet, quæ vere ſunt temporalia, nec pro iis, pecuniæ tantum à reſignatario, quanti hæc valent, petere.

Alter eſt cum nomine Eccleſiæ, ſunt ex impenſæ factæ, & in eius vtilitatem conuerſæ, Azor. *cap. 30. de Simon. qu. 31.* Candid. *de benef. diſqu. 18. art. 38. dub. 9.* ſecus, ſi proprio, ac priuato, & ad commodum facientis ſunt traductæ.

QVÆSTIO XXXIII. B

An Reſignans poſſit ſine Simonia velle vt reſignatarius factas in acquirendo litigioſo beneficio impenſas ſibi integras reddat.

RESpondendum, quod quando vltro ac ſponte beneficio quis ſuo cedit alteri, quod aliquanto tempore poſſedit pacifice, ac quiete, de expenſis in eo acquirendo factis, aut Bullis obtinendis ex vrbe, tranſigere cum reſignatario fas ei non eſſe: Ita Flamin. *de reſign lib. 14.*

Ratio eſt, primo, eſt pactio omnis in beneficiis, quæ pro obiecto, temporale præſtandum habet, aut onus ſubeundum, quod iure iis non eſt annexum, mala ac Simoniaca, *ex can. finali de pact.* ſed de hac re poſtea fuſius.

Secundo, ſuppoſito quod reſignans beneficium poſſederit, eiuſque fructus perceperit, cenſetur expenſas illas feciſſe ſuo nomine ac pro ſe, quam non eſt ergo credibile has illum ſine Simonia repetere ab eo poſſe, cui beneficium ſuum reſignandum tribuit?

QVÆSTIO XXXIV.

De pactionibus quæ ſunt reciprocæ circa ſpiritalia, quid cenſendum?

RESpondend. conuentiones circa ſpiritalia, quæ ſunt reciprocæ, ſimoniacas eſſe, non tamen ſi adimpleantur, ſuppoſitas eſſe cenſuris, & pœnis, Nau. *conſil. de Sim.* 18.

Ratio primæ partis eſt, quod omnis pactio, E in ſpiritalibus, quæ obligationem infert dandi & recipiendi, ſit Simoniaca, cum res illæ ſpiritales, aliquid habent temporale adiunctum, vt probatum eſt antea.

Quare habendi ſunt pro Simoniacis, qui inter ſe paciſcendo & promittendo tractant, quod viciſſim beneficia diſtinctis reſignaturi ſunt perſonis, cum obligatione penſionis annuæ ex iiſdem beneficiis ſoluendæ, ſibi aut aliis quos deſignauerint.

QVÆSTIO XXXV.

An ſit Simonia dare Parocho aliquid temporale pro functionibus eius ſpiritalibus.

DAndi Parocho, ac verò etiam cuilibet alteri Presbytero quidpiam, tres admodum eſſe cauſæ poſſunt, prima eſt eius ſuſtentatio, ſecunda, priſca ſæculorum conſuetudo, tertia laboris in executione ſui miniſterij, ac rei per illud habitæ compenſatio, de quibus quid iudicij habeam exponam ſequentibus aſſertionibus.

Prima Aſſertio, *Non eſt Simonia, dare Parocho, aut cuipiam alteri Presbytero, per modum ſtipendij, aut iuſta ſuſtentationis, quantum eſt ad eam neceſſe*, D. Tho. *2. 2. q. 100. art. 2.* & alij.

Ratio eſt, quod qui nauat operam ſuam alteri, eius ſic collocatæ mercedem exigere, exactamque recipere poteſt, at eſt Parochus, totus in fidelium, quos curæ ſuæ commiſſos habet, regimine ſpiritali occupatus, ergo ſi C eius haberi rationem poſtulat, ab eo non abit quod tam ratio, quam naturalis æquitas fieri petit, vt ei, qui in alterius gratiam atque commodum, cogitationes ſuas intentas habet, victus præbeatur conditioni perſonæ par & æqualis. *Dignus enim eſt operarius, Chriſto iudice, mercede ſua, Luc.* 10. Si eſt dignus, eam ergo illi ſuppeditari ex iuſtitia conuenit, cum ſit hæc operarum, quæ à Parocho exhibētur, dignitas in eo, quod ſit inter eas & ſuſtentationem ei dandam, æqualitas quædam ac proportio, qualis cum interuenit, dictæ ſuſtentationis cum labore commenſuratio, iu- D ſtitiæ eſt actio.

Caue tamen exiſtimes, id quod ſtipendij vicem hic obit ac mercedis, dari vt functionis ſpiritalis pretium, quia cum infinito ab inuicem interuallo, ſpiritale & temporaria, Dei, fortunæque dona diſtent, hæc illi nunquam eſſe dignitate ac merito æqualia poterunt, quod tamen eſt ad rationem pretij neceſſe: quare non eſt eiuſmodi Parochi ſtipendium operi quod exercetur, eius dignitati, ac commodis, quę inde in hominum genus vbere fœtu copiaque manant, æquandum, cum id natura non ferat, habenda eſt hic duntaxat ratio conditionis perſonæ operantis, ſeu quæ in alterius eſt gratiam occupata, vt notauit Suar. *cap. 46. num. 1.* Laym. *lib. 4. tract. 10. cap. vltim. parag. 2.*

Ex quo patet, quantum & quam amplum hoc Parochi ſtipendium eſſe oporteat, definire certo non poſſe, vt enim eadem non eſt Parochorum omnium dignitas, non meritum idem, ita nec omnibus eadem ad victum, ac depenſum annuum, diurnumque ſtatui

tui ſumma poteſt, ſi non eſt conſuetudine, vſuque longo definita ac certa, res erit prudentis arbitrio committenda.

An autem Parocho, ſicut & alteri cuilibet Presbytero, liceat ſine Simoniæ ſuſpicione ac nota, cum fidelibus quibus inſeruit, de ſtipendio ſibi ad victum, annonaque quot menſibus aut ſeptimanis largienda, paciſci, res eſt in opinione Doctorum ambigua.

Pro affirmante qui faciunt. Dicunt de eo tranſigi poſſe, quod licet capere. At non eſt Parochus de culpa vlla arguendus, cum ab his, quibus operas ſuas accommodat, iuſtam earum mercedem recipit: ergo nec cum poſtulat.

Secundo, quod eſt naturali iure debitum ex iuſtitia, illud ipſum in pactum deducere non eſt malum, ſed Clerico miniſtranti, ſtipendium iure naturæ eſt debitum: ergo, &c.

Hanc ſententiam tuentur Leſſ. *lib.* 2. *de iuſtit. cap.* 35 *num.* 49. Caiet. 22. *q.* 100. *art.* 5. Sotus *lib.* 9. *de iuſtit. q.* 6. *art.* 1. Suar. *cap.* 46. & alij, quid autem ea de re iudicij habeam dicetur Aſſertione ſequenti.

Secunda Aſſertio, *Etſi ſine culpa Simoniæ, accipi quid poſſit à Parocho pro labore, qui non eſt cum re ſpiritali, neceſſario coniunctus, non tamen pro illo, qui eſt ei intrinſecus, nec ab executione ſacri miniſterij ſeparabilis.*

Pars prima probatur, eſt labor actioni ſpiritali extrinſecus adiacens, pretio æſtimabilis, nam quis eum mercede dignum non putet, qui alicuius gratia biduiiter, v. c. dicendi ſacri cauſa facit? aut in loco, milliaribus duobus ab vrbe in qua domicilij ſui ſedem habet, diſſito? hanc ergo dari ſibi ſi poſtulat de iniuſtitia eum quis cum prudentia arguat?

Partis alterius eſt hoc firmamentum. Quod labor qui eſt actioni intrinſecus, eſt quoad ſubſtantiam ſuam ſpiritalis, nec ab illa ipſa actione ſeiunctus, ergo vt eſt hæc pretio omni maior, ita & labor: quare quod tum ſacerdoti datur, eidem vt pretium operæ, & non operis tribuitur. Bergeron. *ad Papon. lib.* 1. *tit.* 1. *arr.* 1. Laym. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap. vlt. parag.* 2.

Confirm. pro Sacramento vt dari pecunia non poteſt, ita nec exigi. At non eſt ſacri miniſterij executio totaliter, & ſecundum ſuum eſſe principale aliud, quàm ipſamet Sacramenti collatio, aut labor ei eſſentialiter adhærens, ac cum eo identificatus, vt ergo Sacramenti, vtpote rei ſacræ, nulla eſt æſtimatio, ita nec eius operis, quod eſt ſacerdotalis miniſterij executio.

Quid ſi ex Decimis, aliiſque Parochiæ prouentibus, emolumenti tantum aſſequatur Parochus, quantum ei futurum eſt ſatis, ad tuendam vitam, dignitatemque, quam in Dei Eccleſia ſuſtinet? Cum pro eo quod ex iuſtitia eſt debitum, capi nihil queat ſine culpa, pec-

A cant Parochi qui tum pro miniſtratione Sacramenti aliquid exigunt, niſi conſuetudo legitime præſcripta, hanc eis poteſtatē tribuat, quod cum hæc eſt moribus inductavtentium, poſſunt, etſi aliunde ſufficientes reditus habeant, Laym. *tract.* 10. *cap. vlt. parag.* 2. *nu.* 16.

QVÆSTIO XXXVI.

An reſignanti petere à Reſignatario liceat, expenſas à ſe factas, in vtilitatem beneficij.

B RES eſt talis, cum eſſet in poteſtate hæretici, nobile quoddam Ordinis S. Benedicti Cœnobium, nec eſſet facile impetrare ab homine, Caluini erroribus implicito, vt illud ad Catholicos remigrare, quaſi ex alieno ſolo in antiquum ſineret, ſummam ei argenti non leuem, vir quidam non minus integritate vitæ, quam eruditione inter ſuos conſpicuus, daturum ſpondet, ſi ſe ſuum eſſe ſucceſſorem velit; acquieſcit, beneficium eius eſſe deſinit, in Catholici manus tranſit.

C Quæritur an hic homo, qui beneficium è turpiſſimo ſeruitutis iugo quo premebatur, in libertatem aſſeruit, pecuniam qua id obtinuit, à ſuo reſignatario, hoc eſt illo cui cedit, reddi ſibi exigere valeat, & ſi poteſt an Simoniace, vel contra bene ac legitimè.

Reſpondeo Candidi verbis non meis, in *diſquiſit.* 18. *art.* 39. *dub.* 6. *nu.* 9. *de benefic.* quod qui in bonum Eccleſiæ expenſas fecit, puta quia à Paganis aut hæreticis eam redemit, poſſe eandem reſignando in fauorem perſonæ tertiæ, non ob renunciationem, ſed in re-
D compenſationem ſumptuum, quos fecit eiuſdem Eccleſiæ nomine, *aliquid temporale recipere, vt ſe indemnem ſeruet.*

Ratio aſſertionis eſt, quod ea pecunia detur non tanquam beneficij pretium, ſed impeditiuum damni, quod aliter eum pati oporteret qui redemit.

Hæc ſententia etſi forte ſpeculatiue ſit vera non eſt tamen meo iudicio in praxi tuta. Quia vt idem auctor ait, eſtque in *cap. ſuper eo* 7. *de tranſact.* non licet cum eo paciſci de temporali conſequendo commodo, damno-
E que euertendo, qui eius cauſa non extitit aliter eidem iniuria fieret, exigendo, vt quæ vulnera ipſe non fecit, ſanet, detrimenta autem quæ non intulit, reparet, at in eum, cui beneficium ceditur, culpa vlla non cadit, nec de damno ſibi aliquo ab eodem irrogato queri reſignans poteſt. iniuſtè ergo expenſas petet, quas cauſatur à ſe factas, nō reſignatarij cauſa, ſed ſua, vtpote qui beneficium obtinet: ergo cum omne pactū in materia beneficiali, de onere temporali, quod iure non eſt annexum, vitari debeat, vt Simoniacum, *cap. ſuper eo* 7. *de tranſact. & finali de pact.* auctor nulli

eſſem tranſigendi de beneficio, quod magna vi auri ab hæretico eſt redemptum, abſque auctoritate Romani Pontificis.

Multo minus ei permiſſum credo paciſci cum collitigante de refundendis expenſis factis in lite, ſi illi cedat, vt ante eſt probatum etſi ſecus opinetur cum Nauarro in *conſil. 1. de Simon.* Millardus *de pœnit. cap. 65.* Flaminius *de confidentijs q. 14. num. 28. & 29.* his verbis: *Conſuluit Nauar. non eſſe confidentiam ſolutionem quandam factam principaliter non pro beneficio, ſed pro certis expenſis: hoc etiam ſcripſerat conſ. 71. & conſil. 69. eod. titulo ſcribit dationem pecuniæ pro ceſſione iuris ſuper beneficio litigioſo, non eſſe Simoniam in foro interiori, quia non habuit intentionem emendi ius ſpiritale, ſed recuperandi expenſas quas fecit, vel redimendi vexationem, & nulla indigere abſolutione.* Hæc ille, quem audiendum non credo ob rationes ante allatas.

Quid ſi expenſæ factæ eſſent, ad recuperanda bona quæ olim ad regni ſubſidium abalienata Papæ conceſſione fuere? quid ſi pecuniæ vis non modica, eſt ad ſimilia à reſignante inſumpta?

Reſpondend. hanc à Reſignatario repeti poſſe, non ob renunciationem, ſed in recompenſationem ſumptuum, quos reſignans, Eccleſiæ nomine feciſſe dicitur, *quia expenſæ tunc erogatæ fuere, non in commodum & vtilitatem reſignantis, ſed in vtilitatem Eccleſiæ, cuius eſt beneficium,* Cãdid. *to. 1. diſp. 18. ar. 38. dub. 9.*

Quid ſi pro reparatione domus, pro inſtauratione horti, pro ædificatione areæ in quam frumenta parochique decimæ inuehantur conſeruandæ ad id tempus, quo ex ea importentur in horreum?

Reſpondendum, ea eiuſmodi eſſe omnia, pro quibus nec peti nec dari pecunia poſſit ex pacto, ſine Simonia.

Ratio eſt, quia fiunt hæc non Eccleſiæ nomine, ſed extruentis cauſa, commodoque, non eſt ergo pretij pro iis dati repetitio ex pacto, licita.

Poſſet tamen, inquit Candid. *ſupra dub. 6.) Papa reſignationẽ beneficij admittere cum eo pacto ſoluendi ſcilicet expenſas,* non quia beneficium in fauorem alterius dimittitur, *ſed quia cum reſignans ſit pauper in eius ſuſtẽtationem dari quid poteſt, vel quia reſignando damnum patitur, priuando ſe fructibus beneficij, hoc incommodum poteſt auctoritate Papæ recompenſari.* Hæc ille, qui etiam citat Sylu. *in verbo permutatio 2. q. 6.* Filliucium *to. 3. de benef. tract. 45. cap. 8. q. 15. nu. 35.*

quid ſi prædeceſſorum incuria, bona dilapſa ac perdita, aut ab iis iniuſte vendita, vel conſanguineis dono data, magna eſſent vi argenti & pecuniæ à reſignante redempta? aut hæc in foro, litem proſequendo, iis recuperandis eſſet inſumpta?

A Crederem locum eius repetitioni ſine Simonia tum eſſe, quia non eſt hæc in vtilitatem, & commodum inſumentis conuerſa, ſed Eccleſiæ, nec venditur ſpiritale, aut eius cauſa temporale petitur, ſed quod eſt datum Eccleſiæ nomine, repetitur.

Quid? quod pactio de temporali præſtando quod iure eſt annexum beneficio, non ſit Eccleſiæ iure Simoniaca, nec diuino, ſed præſens eſt talis, nam beneficiario incumbit ex officio, pro virili ſua dare operam, ne quid de beneficio ſuo pereat, & ſi quid caſu aut præde-
B ceſſoris malitia, ſit diſtractũ, vt in poteſtatem, iuſque Eccleſiæ redeat, eſt ergo pactio de reſtituendo beneficiario, quod in commodum beneficij eſt ab eo inſumptum, eidẽ cohærens ac iuncta, non eſt ergo iure poſitiuo Simoniaca, nec diuino, cum inſumpta redimendis beneficij poſſeſſionibus male alienatis, aut perditis à beneficiario non repetantur pro iure ſpiritali, ſed vt hic ſe indemnem ſeruet.

QVÆSTIO XXXVII.

C *An hoc pactum ſit Simoniacum, Do tibi beneficium ſed ea lege & conditione vt tu viciſſim ex gratitudine, temporale mihi præſtes.*

Dico eſſe, primò, quia omnis pactio in ſpirtalibus, quæ iure non ineſt, eſt Simoniaca *cap. finali de pactis, & cap. ſuper eo 7. de tranſactionib.*

Secundo, etſi ſit grati animi teſtificatio ſeu remuneratio, quæ ex pura fit gratitudine, in
D laude, ſinguliſque quos virtutis amor aliquis pungit, ſectanda maxime in communi vita, non eſt ea tamen donatio, quæ cum modo & conditione appoſita ſic concipitur, vt qui dat ſpiritale, illud ipſum in alterius tranſire dominium nolit, niſi hic viciſſim temporale redhibeat, non eſt (inquam) eiuſmodi donatio, vera donatio, ſed permutatio, eaque Simoniaca, cum obligationem habeat rei cuiuſpiam temporariæ exhibendæ pro ſpiritali, vel vice verſa.

Probatur primo exemplo, qui pro libello quoad preces quotidianas vtitur, ſibi gratitu-
E dinis nomine reddi poſtularet è priſcis ſcriptoribus aliquem, hunc ſane vltro ac gratis dediſſe redhibenti ex pacto mutuo alterum Romæ excuſum, dici verè iuſteque non poſſet, ergo à pari, nec qui ſpiritale, tali conditione, ſeu modo largitur alteri, vt ex gratitudine rem pretio æſtimabilem ei viciſſim præſtare debeat.

Confirm. non habet liberalis ac gratuita donatio, obligationem reddendi tantundem,
F quantum eſt datum: hoc enim eſt oneroſæ proprium, at fit ea donatio de qua eſt hic ſermo,

mo, hoc modo vt patet: Nam qui ſpirituale tribuit vt beneficium v. c., ius ad illud recipienti nullum vult eſſe, niſi viciſſim iſte, rē illi temporalem reddat, ad quam ſecluſa hac ſpeciali & poſitiua conuentione, obligatus non eſſet, quod à donatione gratuita, eiuſque natura ſtare non poſſe, omnium eſt Theologorum opinio: eſt ergo ea reprobanda pactio, de qua eſt ſermo in præſenti negotio.

Confirmatur, ad debitum gratitudinis reddendum ſufficit, (inquit) D. Thom. *in 2. 2. q. 107. art. 1. ad 2.* ſola voluntas, tres enim eius ſunt gradus, primus eſt in agnoſcendo beneficio, ſecundus in laudando eò qui beneficium dedit, eidemque gratiis agendis, tertius in re ferenda gratia, qui ergo quidpiam ab iis diuerſum poſtulat, non vt ſignum animi grati, ſed poſtulat vt pretium.

Confirm. etſi dimetiri, ac remunerare beneficia honeſtum ſit ac laudabile, ei tamen à quo illis affecti ſumus, turpe eſt ac fœdum exigere, vt pecunia frumento, oleo, vino, aliiſque rebus huiuſmodi ſibi ſatisfiat, cum id precibus, ſacrificiis, & id genus rebus facere fructuoſius liceat, quam externarum largitione rerum, quæ ergo ſibi pro beneficij reſignatione, aut nominatione ad illud patronus aut eiurans poſtulant, ſi ſunt vſibus humanis accommoda, non poſtulant ſine Simonia.

QVÆSTIO XXXVIII.

Quando ſit tranſactio rei ſpiritalis pro temporali Simoniaca.

DIco primò, *Eſſe tranſactionem illam Simoniacam vt cuius ſpiritale pro temporali retinetur, aut remittitur.*

Ratio eſt, quod habeat ea tranſactio, fœdum ac turpe rei ſpiritalis ac ſacræ, cum humana ac temporali commercium, quo quid contra diuinum cultum eſſe poteſt iniquius? Ita eſſe vero, colligere, eſt ex hoc argumento facile. Remittere ſpiritale pro tēporali eſt illud vendere: Retinere autē eſt emere: quid enim eſt emptio? rei pro pretio acquiſitio, at hoc ipſum eſt, ſpiritalis retentio, temporalis vice ac loco, quæ enim certo antea habentis non erat, fit traditione ſpiritalis rei, vel contra, poſſidentis, eſt ergo remiſſio rei ſpiritalis pro E temporaria venditio, retentio emptio.

Et quanquam non eſſet hæc, ex natura contractuum, emptionis & venditionis petita argumentatio ad concluſionis fidem faciendam ſatis idonea, faceret tamen Lucij Papæ tertij decretalis *de tranſactionibus nona*, nam ibi negat ſic tranſigere valide Laicos potuiſſe cum regularibus, de præſentatione Eccleſiæ, *vt illi præſentationem, hi vero nouam vel maiorem perciperent in Eccleſia, in qua prius nul-* A *lam, vel minorē habere portionem conſueuerant.*

Quid? quod Cœleſt. III *cap. 2. de tranſact.* lite in quā ſuper ſubiectione vnius Eccleſiæ alteri, tranſactione facta ſopita fuerat eatenus, vt quendam annuum cenſum Eccleſiæ matrici reddendo, eſſet altera à ſubiectione principalis domus exempta, neget componi ſine Simonia potuiſſe. & proinde ex eiuſmodi tranſactione, religioſos vllum commodum non obtinere.

Dico ſecundò, *Super re pure ſpiritali danda aut retinenda pro eo, quod eſt annexum ſpiritali tranſigere, ſcelus eſſe Simoniæ.*

Quia dare beneficium pro ſuffragio, in ele- B ctione ad Epiſcopatum conſequendo, crimen eſt Simoniæ. Quia cum id quod eſt ſpirituale purè, pro eo datur, quod eſt ſpirituali annexum, emi illud cenſetur haud dubie per id, quod in iſto eſt temporarium.

Similiter eſt malum tranſigere de re danda quæ tantum eſt ſpiritalis conſequenter, pro ea quæ eſt antecedenter talis. Nam quis eum innocentem, quis Simoniacæ labis expertem dixerit, qui calicem dat aureum, in quem ſpiritualitas antecedenter tantum cadit, pro beneficio, quod eſt ſpirituale conſequenter? ve- C ra eſt ergo Aſſertio.

Dico tertiò, *Etſi non ſit Simonia tranſigere vt cum ſit permutatio rerum ſpiritalium, eiuſdem ordinis inter ſe, defectus vnius in materia pondere, & qualitatibus alijs, compenſetur pecunia, ſi hæc ſint ſpiritalibus antecedenter annexa, eſt tamen culpa non leuis exigere vt hæc compenſatio fiat in pecunia, ſi exceſſus qui inter vtrumque intercedit ſit ſpiritalis.*

Pars prima Probatur. Dare temporale pro re eiuſdem generis, non eſt malum. At hoc in præſenti negotio accidit, Nam in re quę eſt D mixta ex temporali & ſpiritali, maximè eſt ratio habenda principalis, qualis eſt in calice aureo v. c. materia ex qua conflatur.

Pars altera probatione non indiget, nam cum exceſſus dicatur eſſe ſpiritalis, ſi quid pro eo compenſando dabitur, datum eſſe pro ſpiritali cenſebitur.

QVÆSTIO XXXIX.

An officia ſacra Officialis, Aduocati, & Oeconomi materia ſint Simoniæ.

CVm reſpondere omnibus, cum de conſcientiæ ambiguo iure ſciſcitantibus ſatiſfacere, cum quæ ſuper matrimoniis, naſci quot diebus controuerſiæ inter coniugatos ſolent, expedire, cum vbique ius per ſe afflictis atque merentibus reddere Epiſcopi nequeant, Vicarios habere eos eſt neceſſe, in quos prouinciæ partem ſuæ deriuent, & quidem pari illos numero eſſe in Gallia oportet, q[illegible]

territoria quibus præſunt Papon. *in lib.1.tit.5. arreſto* 53. Choppin. *lib.1.de ſacra polit. titulo 6.num. 10.* vt qui ab ordinario, à quo ſe læſos aiunt, ad ſuperioris Prælati tribunal prouocant, non in aliena prouincia, miſeriæ ſuæ ſubſidium cogantur implorare ac quærere magnis ſumptibus, quod in propria ſuaque experiri poſſunt, fuit hæc cauſa cur in comitiis regni publicis Franciſco Regi primo decernere de Principum procerumque concilio placuit, in ordinatione Molin. *art. 76.* ſuos vt Epiſcopi Officiales ac Vicarios haberent, pro prouinciarum, ſeu reſſortuum varietate varios.

quod cum ſapientiſſimi Principis ſapientiæ, æquitatiſque pleniſſimum imperium, non neſciret, Prætorianus vrbis Lutetianæ Senatus, ſanxit anno 1601. vt ciuitatibus Francicis, quæ Epiſcopi Atrebatenſis ſunt ſpiritali poteſtati obnoxiæ, Officialis vnus aliquis, eiuſdem auctoritate conſtitutus, ius eius vice locoque diceret, quod annis quadraginta antea aut non multo ſecus Senatus idem à Burdigal. Archiepiſcopo fieri perlata ſententia imperauerat, iuſſiſque eſt tùm dare vrbi Pictauienſi Vicarium foraneum ſpecialem, ne litigantes, diſtraherentur à finibus Senatoriæ Pariſiorum prouinciæ, quod edictum Curiæ, ad tres alias Pictonum Diœceſes pertinere, Franciſcus primus anno 1542. voluit, Lucionenſem videlicet, Maleacenſem & Engoliſmenſem hoc inſuper addito, fas vt cuique foret, in eo ſi Prælati officium non facerent, è Metropolitanis quem vellent, intra fines reſſortus Lutetiani Senatus conſiſtentem appellare, quod eſt deinde ad reliquas regni Diœceſes eadem ordinatione Molinenſi *art. 76.* protractum, vt habet Choppin. *in lib. 1. Monaſt tit.3.num.27. & in lib.2.de ſacra polit.tit. 4.num.26.*

Hos ergo fori Eccleſiaſtici magiſtratus, ab Epiſcopo vendi num poſſint diſputant auctores, in eamque partem inclinant plerique fere omnes vt aſſerant, id fieri ſine Simonia non poſſe: ita Laym. *lib.4.tract.10.cap.vltim. parag.4.num.40.* cuius ego exemplo.

Dico primò, *Vicedomini, Officialis, ſeu Aduocati Eccleſiæ, officia pretio diſtrahi non poſſe, ſine Simonia iure ſaltem Eccleſiæ prohibita.*

Eſt aſſertionis probatio facilis, aduertenti animum ad ea quæ ſunt à Pontificibus ſcripta, eſt enim his verbis perſcripta Innoc. III. decretalis *rubrica de Simon. 38. Quicunque Vicedominatum, vel aliam rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem per pecuniam obtinere voluerint, tam ementes quam vendentes cum Simone percelluntur, & ab illa Eccleſia in cuius contumeliam dare pecuniam, & accipere voluerunt, iuſtè excluduntur.*

Quæro enim, quid ſit rei Eccleſiaſticæ miniſterium gerere, niſi quod ex officio, pro-

A priaque muneris ſui ratione facere in animarum procuratione Epiſcopos eſt neceſſe, illud ipſum eorundem voluntate obire? At id ipſum Officiales præſtant, in id incũbunt Epiſcoporum Vicarij, tam qui generales vocantur ac magni, quam qui Foranei: ergo cum culpa eaque Simoniæ, ſi id ſunt conſequuti ab Antiſtite largitione pecuniæ.

Confirm. *Pro miniſterio Eccleſiaſtico exercendo, ſiue pro Vicarijs aſſignandis, pecuniam nullatenus exigi*, Alexand. Papa tertius pro-

B hibet, *in cap. ad noſtram 21. de Simon.* ſed Officiales Epiſcoporum ſunt Vicarij, Piaſec. 2. *par. prax. tit. de perſona iudicis cap.4.art.1.num. 16.* & ſunt in miniſteriis Eccleſiaſticis occupati, nam in multis locis, literas vt appellant monitorias tribuunt, de matrimonio quæſtionem inſtituunt, ſitne ratum an irritum inquirunt, pœnitentias pro culpis imponunt, Sacerdotes cum peccant, carcere, ieiuniis, ac eleemoſynis puniunt, in legibus canonicis cum eſt vtile aut neceſſe, in multis locis Epiſcopi conceſſione diſpenſant, vt in eſu carnium in quadrageſima quæ omnia, tam ratione finis quo

C ſpectant, qui eſt animæ ſalus, quam principij à quo manant, Epiſcopi ſcilicet charactere, ac eiuſdem iuriſdictione ſpiritali, quæ omnia (inquam) ſunt ſpiritalia, eſt ergo *Simoniacum quamcunque dignitatem, curam aut iuriſdictionem Eccleſiaſticam pro temporali pretio alicui conferre*, Laym. loco citato.

Confirm. cum ſit Epiſcoporum iuriſdictio ſpiritalis ac diuina, vendi nequit ſine ſimonia, at hanc pretio commutat Epiſcopus, cum officia de quibus proxime eſt dictum, pecunia æſtimat, nam cum hæc obiri ſine iuriſdictione nequeant, hanc in illis quoque vendi eſt

D neceſſe.

Confirm. Laïcus eſſe Epiſcopi Officialis non poteſt *cap. decernimus de iudicijs*, neque cauſa ei vlla ſpiritalis committi poteſt, neque in ipſum compromitti *cap. contingit iuncta gloſſa de arbitr.* cuius rei cauſa eſſe non poteſt alia, quam quia ſunt hæc officia tam in fine ſuo, quam principio ſpiritalia, ab humanis ergo commerciis eſſe debent omnino libera, ne admittatur Simonia.

Ita ſane ſtatuere olim Papæ Vrbano II. viſum, Gregorioque item Pontifici, iſtius eſt

E hæc ſanctio, vt refertur 1. *q.3. can. ſi quis Epiſcopus 3. Si quis*, inquit, *Epiſcopus præbendas, Archidiaconatus, præpoſituras, vel aliqua Eccleſiaſtica officia vendiderit, vel aliter quam ſtatuta Sanctorum Patrum præcipiunt, ordinauerit, ab Eccleſiæ officio ſuſpendatur*, ſunt his quam ſimillima quæ in eandem ſunt ſententiam ab Vrbano ſcripta ad propoſitum Eccleſiæ S. Iument. *Cur ſancta*, inquit, *Synodus Chalcedonenſ. 630 Epiſcoporum procuratorem, vel defenſorem Eccleſiæ, vel quemquam regulæ ſubiectum adeo per pecuniam ordinari prohibet? vt iis seruientores*

ſentores quoque tanti ſceleris anathematizet, niſi quod eoſdem Simoniacos iudicet? prima q.3. can.Saluator 8. viden? vt Eccleſia ſub pœna Simoniæ incurrendæ prædicta officia vendi vetet? Cum enim Officiales remote ſaltem, ordinationem ad finem ſpiritalem ac ſupernaturalem habeant, ac à poteſtate Prælatorum inſtituantur, ecquid Eccleſiæ ad ea vitanda incommoda, quæ haud dubiè ſequerentur, ſi eſſent ea officia vænalia, iuſta fuit cauſa id vetandi ſub Simonia?

QVÆSTIO XL.

An ſit Simonia dare alicui rem temporalem ſub conditione aut modo, vt opus ſpiritale faciat, non tamen per modum commutationis.

NE credam, mouent argumenta quæ ſequuntur.

Primum, eſt Simonia voluntas ſtudioſa emendi, aut vendendi ſpiritale pro pretio. At qui dat alteri centum aureos vt Deum colat, Miſſæ interſit, vim inſonti non inferat, à probris abſtineat, nihil ab eo recipit, nec eidem quidquam vendit. Exigit enim venditio vt res detur, deque venditoris poteſtate ac manu, in dominium ementis tranſeat, cuiuſmodi nihil hic video: etſi enim qui pecunia iratum lenit, qui languidum in Dei ac mandatorum eius via longe ſuauiſſima impellit, quod eſt ſuum largiatur, nihil tamen viciſſim recipit, quod ab eo emi dici queat, & vendi ab altero, qui ſub hoc modo, & conditione operis boni præſtandi, pecuniam dat aut dedit.

Secundo, cum Simonia contractus ſit onerosus & reciprocus, vtrumque contrahentem ad aliquid obligat, quod in vtriuſque vtilitatem cedit: at neutrum hic reperitur, nam primo, qui operis boni præſtandi cauſa, verbi gratia, numinis colendi, ſacri audiendi, vitandi furti, dat aliquid, abſolute & ſimpliciter ad illud non aſtringitur, ſed tantum ex hypotheſi, quod rem promiſſam accipere velit aut retinere, nec in eius vtilitatem ac commodum cedit, qui pecuniam tribuit, nec alterius qui eius vicem ſuppleat. Non eſt ergo res temporaria data cuipiam, ſub conditione ac modo, vt quidpiam faciat, Simoniæ materia.

QVÆSTIO XLI.

Vtrum ſit Simonia inæqualitatem fructuum pecunia ex pinguiore beneficio detracta, compenſare.

DOctorum veriſſimum eſt reſponſum priuata id conuentione partium ſine labe Simoniæ non licere.

Sed an Epiſcopi auctoritas eam abſtergat ac tollat, dicere non eſt facile, in partem aientem tranſeunt, Sylu *verb.permutatio q.6.* Angel.*eod.parag.6.* Leſſ. *dub.17. nu.* 104.

In alteram Theologi ferè cæteri Adrian. *in quodl. 9. art.3. ad 5.* Nauar. *cap. 23. nu.* 100. Vaſq.*de benef.cap.2.nu.178.*

Dico primò, *Simoniæ contrahere maculam, qui fructuum inæqualitatem, quæ eſt in beneficijs permutatis, pecunia compenſat.*

Quia eſt iſtorum fructuum compenſatio facta pretio, eorundem emptio, at hi quandiu titulo ſunt coniuncti, emi aut vendi ſine Simonia nequeunt.

Probatur, Quod ad rem ſpiritalem ordinem habet, tanquam ad ſui cauſam & originem, eſt obiectiuè ſpiritale, at beneficiorum fructus omnes ſunt tales, dantur enim ratione ſpiritalis officij, in quo etiam ſic ſunt fundati, vt cum eſſe hi deſinunt, & illius obeundi ceſſet obligatio: ergo cum quæ ſunt à concretione terrena ſemota, cuiuſmodi ſunt ſpiritalia, emi aut vendi nequeant abſque Simonia, inæqualitas; quæ eſt inter fructus ſacerdotiorum quæ permutantur, pecunia compenſari ac tolli non poteſt.

Dico ſecundò, *Epiſcopum iure id ordinario compermutantibus concedere non poſſe.*

Quia vt habet Clemens III. *in cap. ad quæſtiones 6. de rer. permut.* id vt fiat licitè ac ſine crimine, tituli ſunt prius à beneficii fructibus ſeparandi, quam veniatur ad commutationem eorum cum pecunia. At eſt fructuum à titulis diuiſio, non Epiſcopi, ſed Pontificis Romani actio, cum quas ille leges ſanxit, antiquare quilibet eo inferior Prælatus, in Dei Eccleſia nequeat, at eſt vna quæpiam inter illas, quæ fructus diſtrahi à beneficiis prohibet, cui nomen eſt *vt beneficia ſine diminut. dentur*: ergo, &c.

At id Clemens (inquies) Epiſcopo permittit *in cap. ad quæſtiones citato*, cum eius auctoritate, Parochiales Eccleſias reditibus inæquales permutari poſſe aſſerit, eorum exceſſu compenſato pecunia.

Reſpondend. ibi ſermonem eſſe de duabus Parochiis quæ non in titulum beneficij, ſed in proprietatem ad fratrum ſuſtentationem, Monaſteriis erant vnitæ, quare cum veluti poſſeſſiones quædam temporales cenſeren

tur, ſeparatæ à iure ſpirituali Eccleſiarum, mirum eſſe non debet, ſi in permutatione earundem ad inuicem, exceſſus vnius ſupra aliā pecunia eſt compenſatus, ſine ordine tamen ad iura earundem ſpiritalia.

QVÆSTIO XLII.

An ſit Simonia ſpirituale ob ſolas preces aut fauores conferre.

AFfirmant Sylu. *verbo Simonia qu.16.dicto 3.* Adrian. *quodl.6.art.2.dub.1.*

Negant alij vt Suar. *de Simon. cap.40. nu.2.* Nauar. *Enchirid. cap.23.nu.*101. Caiet. *ver. Simon. verſu quinto nota,* Regin. *lib.23.cap.11.q.3. nu.41.* ad ſolutionem.

Dico primò, *Si precibus ac fauori admiſceatur aliqua pactio verbis expreſſa, aut ſcripto, de promouendis eius negotijs aut rebus, qui ſpirituale aliena inductus prece tribuit, erit eiuſmodi rei ſpiritualis ob preces collatio, Simoniaca.*

Probatur, Obligatio procurandi aliena negotia, vtpote laborioſa, difficilis, plenaque faſtidij, eſt pretio æſtimabilis, ergo ſi ex pacto, compenſabitur re ſpirituali, erit eius collatio Simoniæ infecta labe.

Secundo, in tali caſu motiuum dandi beneficij, ſeu ſpiritalis rei non ſunt preces, ſed temporale commodum, quod ex pacto quæritur, in eiuſmodi rei ſpiritalis collatione.

Secunda Aſſertio, *Si tamen nihil eſſet præter preces, nec pactum vllum de re temporali, rei ſacræ ac ſpiritualis cauſa tribuendæ, intercederet, eius conceſſio eſſet à Simoniæ vitio libera.*

Ratio eſt, quod in eam, emptionis natura non cadat, ſine qua tamen non eſt Simonia, ſicut nec emptio ſine pretio, cuius vices tamen, ecquid ſit quod hic obeat, non occurrit, præter preces, quæ tamen pretij non ſunt cenſendæ nomine, cum non ſint bonum vtile, nec obiectum auaritiæ, nec natura ſua tales, vt commodum parere vllum temporale queant, quo res eius euadat auctior, amplior quequam ante, non eſt ergo rei diuinæ ac ſpiritalis conceſſio, extorta precibus, Simoniaca.

Sanè in *cap. tua nos 34. de Simonia,* liberatur à Simonia qui precibus citra pactum conſequutus erat, vt in Canonicum admitteretur. *Si pure,* inquit, *ac ſine pacto, vel conditione offerat, rogans humiliter vt in canonicum admittatur, & Clerici eiuſdem Eccleſiæ purè conſentiant, huiuſmodi receptio fieri potuit abſque ſcrupulo Simoniacæ prauitatis:* ergo preces, modo ne cum pacto & conuentione ſint coniunctæ, Simoniam non faciunt.

Huic quæſtioni affinis eſt altera, nempe an de Simonia accuſari is debeat, qui Capellano ſuo operæ ſuæ mercedem annuam pollicetur, donec ei beneficium dederit.

A Reſpondend. id vt proponitur malum non eſſe. Quia de eo fieri poteſt pactio, quod nec natura ſua, nec canonica vlla lege eſt malum. At ſolui ab Epiſcopo, iuſtum ſtipendium operæ, quam ei miniſtri ſui & Officiales exhibent, non eſt malum, & vno eodemque tempore dari beneficium, ita Nauar. *cap. 25. num.* 113. Regin. *de Simon. nu.139.*

Reſpondend. 2. Peccari contra Religionem ab Epiſcopo, cum vult ex pacto inter ſe & Officialem ſuum mutuo, vt hic accepto beneficio gratis ſibi operam deferat. quia cum
B miniſterium eiuſmodi dignum ſit pretio, magnoque vulgo conſtet, illud exigere pro beneficio eſt ſpiritale addiecre pretio, quod eſt Simoniacum.

QVÆSTIO XLIII.

An qui collatori pecuniam promittit animo non ſoluendi ſit Simoniacus.

EſSe putat Nauar. *in manuali cap.23. num.* 106. cauſam hanc dicti ſui profert. Quod ad eſſentiam Simoniæ non ſit neceſſaria vera volūtas emendi, ſed tantum faciendi aliquid,
C aut, dandi quod formaliter aut virtualiter eſt temporale pro ſpiritali conſequendo, de quo, priuſquam quid iudicii habeam, explicem.

Dico primò, *Simonia noxa non teneri, qui quæ pollicetur, cum animo ſuo ſtatuit non dare, vno verbo, qui alia facere vult omnia, quàm quæ promittit.*

Ratio eſt, quod eſſe Simonia nequeat ſine intentione, hoc eſt voluntate dandæ rei ſpiritalis pro temporali, vel contra: hac ergo voluntate qui carebit, Simoniacus non erit.

D Dico ſecundò, *Peccare eum tamen, qui illum cum quo ore tenus tranſigit, decipit,* quia mentitur, quia alterius Simoniæ aſſentitur.

Ad argumentum Nauarri reſpondendum, eſt negatione maioris, quia hoc ipſum, quod eſt facere, vel dicere aliquid, quod ſit alteri fructuoſum & vtile, rationem habet pretii in contractu Simoniaco: non poteſt ergo contrahentium alter, promittere cum pacto, ſe facturum aliquid temporale in eius gratiam, qui redditurus eſt ſpiritale, ſine volun-
E tate ſaltem implicita emendi, nam vt ait Gerſon. *in tract.36. de Simon. conſider.* 4. obligatio promiſſoria eſt pro numiſmate in Simonia.

Quæſtioni enodatæ agglutinari poteſt hæc altera. An is qui propinquo collatoris aut amico dat pecuniam, vt ſe illi commendet, ingenii vim ſui laudet, merita commemoret, in Simoniam incidat? Si ei collator beneficium præbeat, ob ſola merita, putà quia eſt eruditione pluſquam communi præditus, quia eſt

ad

ad res magnas natus, quia illud, cæteris prudentius recturus creditur, non peccat, ſi commodum temporale ſpectat, ſi vtilitatem ſpectat, ex Theologorum, & Doctorum diſciplina à recto deuiat, Simoniæ ſe labe commaculat.

QVÆSTIO XLIV.

An ſumere aliquid pro ingreſſu Religionis ſit Simonia.

B Dico primò, *Pro ſtatu Religioſo quidpiam ſumere, eſt Simoniam omnium opinione committere.*

Quia eſt hic ſacer, ſpiritalis, ac ſupra naturam: Eſt ſpiritalis, tam ex parte principij, quod eſt Spiritus ſanctus, à quo eſt hic inſtitutus, quam finis, qui eſt Dei gloria, animarumque ſalus.

Deinde cum non niſi afflante numine, ineundæ vitæ religioſæ conſilia capi ſoleant, pro ea profitenda quidpiam ab eo, qui eius amore flagrat, exigere: ecquid non eſt Dei C donum, afflatumque vendere? quo quid eſſe poteſt ſceleratius.

Eſt etiam hic ſtatus ſupernaturalis ac ſacer ex parte operum, quæ ei ſunt ad perfectionem ſui aſſequendam neceſſaria, vt patet.

Dico ſecundò, *Pro ingreſſu in Monaſterium aliquid ab eius candidatis petere & accipere, fuiſſe olim Simoniam, iure Eccleſiæ prohibitam*: Ita Laym. *tract.10.cap.vlt.parag.4.num.*39. huius opinionis præſidium non leue eſt Alexand. III. *canon. non ſatis* 8. *de Simonia*, vbi eſt his verbis: *Prohibemus ne ab ijs qui ad religionem tranſire volunt aliqua pecunia requiratur, quiſ-* D *quis contra hoc decretum, id tentare præſumpſerit, tam ille, qui dederit, quam ille qui receperit, vel conſenſum dederit, partem ſecum Simone non dubitet habiturum, cap. autem veniens* 19. *eiuſd. tit.* Abbatem & Monachos maiores de conuentu, pecuniam pro receptione Nouitij ex pacto aſſumentes, ab officio & beneficio ſuſpendit, iſti autem pecuniam quam tradidit, reddi præcipit.

Equidem cum ius obuentionis diurnæ & annuæ conſequendæ in religione, effectiue ſeu conſequenter ſit ſpiritale, pro eo quidpiam petere aut accipere, crimen eſt lethale, vt E enim ratione officij, præbenda eſt beneficiario debita, ita & religioſo ratione ſtatus ſui alimonia, vtpote qui eius eſt communitatis membrum, cui bonorum diſtribuendorum in alumnos ſuos dominium, vel certe liber vſus competit: ergo cum præter ſtatum, qui eſt ſacer, & ius iſtud, nihil ſit cuius cauſa, à Nouitio, aut eius propinquis aliquid poſſit exigi, nec vtrumque tamen coniunctim, aut eorum alterum ſeparatim, vendi, aut æſtimari poſſit pretio, iuſta fuit Eccleſiæ cauſa vetandi, ne pro ſuſcipiendo Nouitio ad habitum religioſum, quidpiam Abbas ac Monachi ſibi petant.

Sanè cum ſunt Monaſteria ſufficienter dotata, Eccleſiæque auctoritate inſtituta, vt Religioſi gratis ad ea admittantur, aliquid pro eorum receptione poſtulare, eſt in ſpeciem pro ſtatu, ſeu ſuſceptione ad illum, aut iure annonæ quotidianæ exigendæ, ſeu victualium petere, quod eſt ſatis, vt prohiberi ab Eccleſia potuerit ſub peccato Simoniæ.

Dico tertiò, *Non licuiſſe iure antiquo Religioſis, in receptione ad profeſſionem, ante, vel poſt illam, paſtus, pecunias, iocalia, reſue alias etiam ad vſum pium deputandas, directè vel indirectè petere, petitaſque ſumere*: Ita Vrban. IV. *in Extrauag.* 1. *de Simon. Qui ſecus egerint, tam dantes quam recipientes excommunicationis, ſi Capitulum, vel Conuentus fuerit, ſuſpenſionis ſententijs eo ipſo decernuntur ſubiacere*, & abſolutio Papæ reſeruatur.

Dico quartò, *Eſſe hoc Vrbani decretum quoad mulieres & viros reuocatum, quoad illas quidem à Mart. V. Innoc. VIII. & Clem. VII.* vt teſtatur Nauar. *cap. vlt. Enchirid. num.* 106. Toler. *lib.* 1. *cap.* 36. *num.* 7. poſt S. Antonin. Sylu. & alios quos citant, quoad iſtos autem à non vſu, nam ſi fides eſt Leſſio *cap.* 35. *num.* 131. nunquam fuit hæc Vrbani Extrauagans recepta, vt hinc patet, quod communis Doctorum modò ſit ſenſus, excommunicationem cuius Simonia eſt cauſa, non incurri, niſi cum eſt in beneficio aut ordine admiſſa. Ita Angel *ver. Simon.* 6. *num.* 4. *in fine*, Sylu. *eod. q.*19. Nauar. ſupra *num.* 111. Sa *correctus ver. Simon. nu.*6. Toler. *lib.*5.*cap.*93. Azor. *to.*3.*lib.* 12.*nu.*21 *q.*6. Valent. *q.*16 *citata pun.*6.

Quid? quod in conſtitutionibus Pauli II. & Pij V. Simoniaci ſoli in ordine & beneficio excommunicentur? quod inter caſus reſeruatos Paulus II. & Sixtus quartus in *Extrauag. de pœnitent. & remiſſionib. can.* 2. & 5. cum de Simonia agunt, non numerent niſi Simoniam in ordine & beneficio? quod eſt argumentum, prædictam Vrbani IV. conſtitutionem, iam tum fuiſſe vſu contrario abrogatam, vel certe nunquam receptam eſſe.

Sane docet Nauar. *cap.* 27.*num.*106. ob receptionem in cœnobium, capi quid poſſe ob conſuetudinem, ſecundo cum non fit ex pacto, tertio cum quæ dantur, dantur bona fide, & vt ipſe loquitur bono animo, quia in Extrauag. Vrbani ſit *præſumptionis* mentio, quæ malam fidem in præſumente connotat.

His caſibus quartus eſt addendus, nempe cum quod capitur & tribuitur, ſuſtentationis cauſa datur, quod locum habet etiam in Monaſterijs virorum, ſecundum Suar. *cap.*59. *num.* 7. *de Simon.* Sanch. *lib* 2. *Opuſcul. cap.* 3. *dub.*104. Theſaur. 2.*par.prax Eccl.ve.*

*nia cap.*10 Em. Sa eodem *num.* 2. dummodo ſit Monaſterium inops, regulaque ordinis id permittat Laym. *lib.4. tract.10.cap.vlt.num.* 30 vtrumque ſi deerit, tam pecuniæ datio, quam eiuſdem receptio, culpa non vacabit.

Dixit enim veriſſime D. Thom. *in 4. diſt.* 25.*q.*3.*ar.*2.*q.*2 *ad 7. ſi ſine grauamine poſſit recipi Nouitius Simoniacum eſſe aliquid exigere,* quem in eo ſequuntur alij, vt Caiet. 2. 2. *qu.* 100 *art.*3. Tolet.*lib.5.cap.89.num.*9. Suar.*cap.* 17.*de Simon.num.*10. Simoniacum (inquam) Simonia ſaltem Eccleſiaſtica, cum id Pontificum decretum vetent *in cap. aſſectus* 30. *de Simonia cap. quoniam* 40.*eod. tit.* à quo præter conſuetudinem longæui temporis, excuſare nihil poteſt. Quare operæ pretiũ ſuæ Superiores facerent, ſi eam vt ſcandali cauſam, pro charitate, ſuaque in animarum regimine prudentia, à ſuis procul domibus eliminatam, & excluſam vellent. Nam quid de his Abbatibus ſentire viri boni poſſunt, qui cum cœnobiis præſint, omni rerum copia abundantibus, ideoque inſtitutis initio, vt religioſæ vitæ cupidos, gratis admitterent, admiſſoſque alerent, ad ea tamen his patere duntaxat aditum volunt, qui illum ſibi pecunia aperiunt, niſi ab iis hanc pro ſuſceptione ad ſtatum, iuſque Religionis peti? quo quid turpius? cum ſit hoc ſpiritale ac diuinum.

Dico quartò, *Exigendæ dotis pecuniariæ à Moniali, cauſam iuſtam eſſe, nempe ne eius aduentu grauentur cæteræ, habeatque ipſa vnde honeſtè ſine earum ali incommodo queat.*

Quia cum de depenſo quotidiano illis aliquid, vt bene ſit receptæ Nouitiæ, detrahi non expediat, ſit autem ad Dei laudem, nouæque religioſæ ſpiritale bonum, à curis mundi ſeductam, in Religione, cœlo viuere ac ſibi, eſt è re tam communi Monaſterij, quam eiuſdem Monialis priuata, habere dotem quæ ei neceſſarios vitæ commeatus ſuppeditet.

At enim (inquies) id prohibent Trident. *ſeſſ.*25.*cap.*3. & Pontifex *in cap. vnico parag.*1. *de ſtatu Regularium in* 6. Moniales plures recipi, quam ali ex reditibus ordinariis valeant.

Reſpondend. abſolute id non vetare, ſed ne gratis, & ſine dote, itaut ſuſtentari, reditibus conuentus debeant. Ita Portelius *in dubijs ver. Monialis nu.*18

Dico ergo quintò, *Cum Regularium completus eſt numerus, ab eo qui in illorum admitti cœtum cupit, poſtulare pecuniæ tantum, quantum eſt ad illius ſuſtentationem neceſſe, Simoniæ vitium non eſſe.*

Ratio eſt, quod tunc Nouitij Religionem ingreſſuri, bonum temporale quæratur, & nihil amplius, nempe ſuſtentatio, cui cum re ſacra ac ſpiritali, commune nullum vinculum intercedit, vt patet.

Secundo, Poſtulare aliquid per modum conditionis neceſſariæ ne lædantur alii, non eſt Simonia, ſit id vero, cum is qui repudiatis mundi curis, totum ſe Deo, ac Religioni mancipare deſtinat, dare præcipitur, quod ne alii eius in illam ingreſſu quidpiam patiantur incommodi, eſt neceſſe, nec enim hi, inferre gratis debent, cum nulli detur crimini ſi ſe indemnem ſeruet, acceptione tanti pretii, quanti damnum æſtimatur. excommunicatione rei ſuæ cum alio, ſed admiſſione Nouitii in religionem, eſt aliorum haud dubiè minuenda pactio, ſi non habent niſi proportionatos ſuo numero reditus.

Dico ſextò, *Poſſe ſine culpa ſingulos, eius prouinciæ in qua verſatur, & vbi ſæculo, per ingreſſum religionis, nuntium remittere cogitat,* eius (inquam) prouinciæ vbi viuit, mores ſequi, & ſi id ei facere, niſi data prius pecunia, ex qua viuat, non licet, petentibus obſequi.

Ratio eſt, quod hæc non petatur, niſi ad ſuſtentationem Nouitii, quæ petitio, vt eſt honeſta, iuſtaque, ita & ei parere, non poteſt non eſſe laudabile.

Dico ſextò, *Si mos inualuit, vt Religioſis dentur in ingreſſu Nouitij munera aliqua, aut habeantur in menſa, paulo quam pro domus conſuetudine lautius, id de Simonia, reprehendi cum ratione non poteſt:* quia Vrbani quarti ſanctio, quæ id vetabat, contrario abrogata vſu vim habere in populo deſiit, ſaltem quoad mulieres, à quibus, Religioni in quam tranſcribuntur, dotem dari, cum penſitatione annua, tam conſtat, quam antiquæ cœnobia, reditus non habere in ea copia, quæ alẽdis centum octoginta aut 60. virginibus ſint ſatis; gratiam hanc ergo Nouitiis ſuis, aut earum parentibus acceptam debent, qui cum Monaſteria grauari nolint, honeſtis ea dotibus, ac ſæpe maioribus quàm ſit opus, locupletant.

QVÆSTIO XLV.

Quæ ſint in eos ſtatutæ pœnæ, qui ad cœnobia viam ſibi pecunia faciunt.

PRimo, tam qui religionis profitendæ gratia pecuniam offerunt, quam qui illam idcirco capiunt, excommunicatione fulminatos ab Vrbano quarto video, in *Extrauag. communibus de Simon. cap. vn.*

Secundo, ſunt ab eodem Abbas & Monachi qui conuentum conſtant ſuſpenſi.

Ab Alexand. autem tertio in *cap. veniens* 19. *de Simon. ſunt Abbas & maiores perſonæ Monaſterij pro tantæ prauitatis exceſſu, ab officij executione ſimiliter ſuſpenſi.*

Non fuere tamen vnquam hæ pœnæ in vſu, non magis quam Vrbani Bulla, ſi Leſſ. credimus *cap.*35.*num.*131.

Et quidem

Et quidem tam eius quàm Nauar *in conſilio de Simon. 85. & 87.* conſtans eſt opinio, excommunicationem ob aliam Simoniam non incurri, quam quæ in Ordine & Beneficiis admittitur, quæ eſt Laymanni opinio *lib. 4. tract. 10. cap. vlt. parag. 7. nu. 69.* & aliorum quos in *q.* proximè præcedenti citauimus.

QVÆSTIO XLVI.

An renunciare beneficio cum pacto, Simoniæ labem habeat.

PRima Aſſertio, ***Renunciare beneficio cum pacto de re aliqua facienda aut omittenda, quæ iure non ineſt, eſt Simonia.***

Probatur: ſunt omnes pactiones & conuentiones ſuper beneficiis & eorum renunciationibus mutuæ, Simoniacæ & prohibitæ, ſi vtrinque obligationem afferant, *can. quam pio 1. qu. 2. cap. fin. de pactis, cap. cum pridem 4. eiuſd. tituli cap. 9. & 10. de tranſact.* niſi ſint de rebus quæ inſunt, ob quam cauſam, negat Paſchalis, à ſe quidquam admiſſum eſſe, quod iuſte Principes reprehenderent, cum Panormitano Archiepiſ. pallium per Apocriſarios ſuos, ea lege obtulit, ſi *ſedi Apoſtolicæ ſubiectionis debita ſigna ſolueret,* eique morigerum ac obedientem ſe fore, ſecundum formam Sacramenti quam ad eum Roma detulerant, iuraret, *cap. ſignificaſti 4. de elect.* cum enim Epiſcopos, oporteat eſſe Romano Pontifici obſequentes, Eccleſiæ autem exhibere ſedulam operam. Id ſanè ab iis exigi, quod eorum eſt magiſtratui tacite adiunctum, reprehendi non poteſt vt malum.

Equidem cum Chriſtus *ouium ſuarum curam Petro committeret, conditionē poſuit dicens, ſi diligis me paſce oues meas, qua nos ergo, inquit Paſchalis, loco proximè citato, ſollicitudine, oportet tantam Eccleſiæ prælationem imponere fratribus, quorum conſcientias non videmus?* Quæ ergo tacite rebus ſacris inſunt, obligationes ac onera, hæc in pactum deduci poſſunt, ſine Simonia. At quæ pacta ſunt in caſu præſenti poſita, non ſunt talia vt patet. ergo facta de iis conuentio, eſt Simoniaca.

Aſſertio ſecunda, *Eſt tamen eiuſmodi pactio quamuis Simoniaca, à pœnis Simoniacorum libera,* eſt contra Nauar. loco citato, ſed probatur.

Nam vt tam ipſe *cap. 2. nu. 11.* quam Sylu. *verbo Simonia qu. 19.* nulla Simonia pœnas iuris ipſo facto inducit, niſi in Ordine, & beneficiis. Quia Eccleſia prædictis pœnis non punit alios, quam qui propriè ſunt Simoniaci, traditione pretij pro re ſpirituali. At hoc non accidit, cum Simonia eſt talis tantum, iure Eccleſiaſtico vera eſt ergo, pars hæc aſſertionis in qua dicitur, conuentiones reciprocas circa ſpiritalia, Simoniacas quidem eſſe, à pœnis tamen quæ Simoniam concomitantur, liberas.

QVÆSTIO XLVII.

An ſit Simonia petere à Reſignatario vt penſionem ſuper beneficio impoſitam aſſecuret.

DIco primò, ***Simoniam non eſſe poſt reſignatum beneficium, obligationem à Reſignatario petere aſſecurandæ penſionis ſuper beneficio de voluntate Superioris, ideſt Papæ conſtitutæ, idque tam fideiuſſoris, quam prædij alicuius aſſignatione, quod partem redituum beneficij, aut patrimonij reſignatarij, aut eius propinquorum faciat:*** Ita Flamin. *de confid. q. 4.*

Probatur, Non eſt ea pactio Simoniaca aut confidentialis, quæ eſt de re quam prudentia conſulit, praxis autem communis approbat, iuxta Gloſſ. *in cap. ſignificaſti 4. de elect.* Nauar. *conſil. de Simon. 17. nu. 1.* Flamin. *de confid. q. 45. nu. 2.* ſed nemo eſt paulo cæteris rerum ſuarum ſtudioſior, qui eas ſecuras, ac in tuto poſitas nolit, quia ergo de iure communi ac Gentium eſt, vt creditor à debitore ſuo, prædè exigat fidei ſuæ obligatæ ad ſolutionem debiti, ergo qui ſimiliter pēſionis ſibi ſuæ dari aliquem ad ſecuritatem volet, non peccabit. Quare cum reſignatarius ſit debitor, reſignans autem creditor, hunc ab illo ſine ſcelere poſtulare poſſe, quod cuilibet alteri eſt conceſſum, quis arguet? Secūdo cum multorum dubia ſit fides, ſit autem prudentiæ, rebus ſuis cōſulere, ac eas extra aleā ponere iuſte nemo reſignātē culpauerit, ſi id ſibi quoq; faciendum credat, efficit autem, cum penſionis ſibi à reſignatario promiſſæ, ſub beneplacito Papæ, fideiuſſorem poſtulat, eſt ergo talis poſtulatio licita, ac à culpa Simoniæ libera.

Dico Secundò, ***Idem dicendum eſſe cum loco fideiuſſoris, exiguntur à reſignatario certa prædia, ex quibus ſuam ſibi penſionem reſignans cum volet, exigat:*** ita Flamin. *de confid. qu. 44. nu. 5.* vbi ita quoque ait reſponſum eſſe à Doctoribus rotæ anno 1591. præſidente Cardinali Orano, & probatur.

Cum non eſt debitor ſoluendo, & tamen importune vrgetur à creditore, vt ſe alieno ære liberet, interim dum rebus ſuis fortuna faueat, prædium ei aliquod ſuum, aut eius partem dare poteſt, ex cuius fructibus, quos propterea deducere in ſolutum debet, paulatim ſibi ſatisfaciat, ſed penſio eſt debita reſignanti, & ex fructibus beneficij ſoluenda, ad eam rem ergo à reſignatario, reſignanti prædium, aut eius pars aliqua, ſi detur, dabitur ſine peccato, maxime extra Franciam, in qua penſiones non admittuntur aliæ, quam pe

ſuntque conſtitutæ in fructibus, vſu regni Simoniacæ. A

Qua de re quoque ſine culpa Simoniæ, pactum poſſe intercedere non ambigo, cum nemini non ſit notum, id poſſe in pactum deduci ſine Simonia, quod eſſe cuique, tam natura quam iura ipſa permiſſum volunt, vt aiunt Leſſ. *de Simonia*, & Abbas *in cap. 1. de eo qui mittit in poſſ.* Pariſius *de conſid. q. 44. nu. 12* ſed cuique pro ſoluenda penſione beneficij, prædium aliquod ſuum, tam naturæ, quam canonum iure, aſſignare licet, cum enim bona omnia reſignatarij, inſtar ſint hypothecæ, B ad ſecuritatē promiſſæ penſionis, aliquam eorū partem deſtinare, quam & reſignans poſt factam reſignationem acceptare, eaque penſionem ſuam ſecuram reddere quin poſſit, non video,

QVÆSTIO XLVIII.

An ſit Simonia paciſci de iuribus ſpiritualibus.

NOn eſt Simonia, de iuribus ſpiritualibus C paciſci, ſic vt vnum alteri permutetur, auctoritate ſola permutantium.

Ratio eſt, quod non alia conuentio, pactio, aut permutatio, in ſpiritualibus, ſine conſenſu Superioris facta, cenſeatur Simoniaca, quam in Eccleſiaſticis beneficiis, horum enim duntaxat fit mentio in canonibus, non aliorum iurium. Quare ſi lis oriatur inter Prælatos, de iuriſdictione ſpiritali, vt ſunt hominum ingenia tam rerum ſuarum tenacia, quam nouarum auida, ei modum imponere poterunt, ſi quid ad quemque in poſterum D pertinere oporteat, placide inter ſe, volenteſque ſtatuant.

Item ſi de reliquiis nata erit inter eos controuerſia, inuicem tranſigere poterunt, vt hæ iſti cedant, illæ illi, aut aliæ quas dare hic teneatur in compenſationem alteri, Lay. *§. 5. n. 57.* qui addit, ornamenta ſerica quibus teguntur, thecas tam argenteas quam aureas, quibus includuntur, ſeparandas eſſe, ac ſeorſim ſine ordine ad reliquias ſecundum ſe ſumptas, æſtimandas eſſe.

QVÆSTIO XLIX.

An ſit Simonia beneficium beneficio commutare.

PRima Aſſertio, *Cum hæ tantum permutationes in beneficijs ex diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici ſint irritæ, & Simoniacæ, quæ fiunt priuata auctoritate, & non legitima Papæ, & Præſulum*, vt colligitur ex *cap. quæſitum 5. & cap. cum olim 7. de rerum permut.* licet cuilibet implorato Papæ, aut Ordinarij conſenſu, beneficium ſuum permutare cum alio, iuxta *can. ad quæſtiones 6. can. quæſitum de rer. permutat. Clem. vnic. eod. tit.*

Quia eiuſdem eſt renunciationes beneficiorum acceptare, cuius eſt ea conferre, cum in permutatione, eorundem collatio interueniat, ſed præter Ordinarios, ac Roman. Pontificem, ad beneficia promouere valide nemo poteſt, ergo nec eorundem permutationes admittere.

Aſſertio ſecunda, *Ordinarij nomine, Capitulum quoque intelligendum credimus, cum ſedes vacat*, Rebuffus *de deuolutionib. nu. 95.* Zerola *ver. Capitulum 2. parte.*

Ratio eſt, quod in his, quæ ſunt iuriſdictionis contentioſæ ac neceſſariæ, Capitulum ſuccedat Epiſcopo, ſede vacante vt tradunt DD. *in cap. 1. de inſtitutionib. in 6.* Pannius *de poteſt. cap ſede vacante par. 1. qu. 2.* Pialecius *prax. Epiſ pa. 2. cap. 5. art. 3. nu. 61.* ſed Beneficiorum permutatio eſt eiuſmodi, cum hæc ſæpe reiici aut differri nequeat, ſine Eccleſiarum, & compermutantium incommodo, nempe ſi iubeantur expectare dum mortuo nouus ſubrogetur Epiſcopus: ergo quod iſti, quoque Capitulo eſt in permutationibus vacante ſede licitum.

Aſſertio tertia, *Neutri tamen permittitur iure ordinario approbare permutationem beneficij cum penſione, quæ non eſt beneficium*, Suar. *cap. 33. aſſert. 1.* nec eam illi imponere, niſi in caſibus iure expreſſis.

Et primo quidem tradunt Petr. Ancharan. *conſil. 279.* Rebuff. *tract. de pacif. poſſeſſ. nu. 103.* Epiſcopum, ſeni & debili Clerico penſionem, ex qua viuat largiri poſſe. E

Ratio eſt, quod quando eſt quidpiam à iure licitum, hoc Epiſcopo ſi Roman. Pontifex ſibi peculiariter non reſeruat, facere ſit cōceſſum, iuxta Gloſſ. *can. poſtulaſtis de Cleric. excom. miniſtr.* Paul. Rom. *in tract. de penſion. cap. 4.* Innocent. III. *in can. Nuper 29. de ſentent. excom.* ſed vetuiſſe Epiſcopis, Pontificem non conſtat, ne penſionis nomine, ſeni Parocho partem fructuum de beneficio detractam darent.

Quod & in aliis valere prædicti auctores aſſerunt, cum conſenſu & voluntate compermutantium

mutantium, aut collatarij, quod probari nequeat, voluiſſe Papam vt ſuſpenſionis conſtituendæ, ſic ſibi proprium foret ac peculiare, nulli vt alteri competeret. Prohibet quidem Innoc. III. *cap. extirpanda 30. de præbend. ne quis in fraudem de prouentibus Eccleſiæ, quæ curam habere debet proprij Sacerdotis, penſionem alij pro beneficio conferre præſumat*, quod eſt argumento, omnia in hoc genere licere Epiſcopis ceſſante fraude Hieronym. Gigas *tract. de penſ. q. 6.* Rebuff *ſupra n. 103.* exceptio enim firmat regulam in cõtrariũ vt habetur, B *lege nam cum ſiquis de dig. de pecunia legata, & lege quæſitum 12. parag. ſi quis fundum dig. de fundo inſtructo* Hæc ille, quos tamen hoc tempore ſequendos non puto, hoc præciſe nomine, quod ſit Epiſcopis inhibitũ, per eum *can. quo Decretalium lib. 3. tit. 12.* ſtatuitur, ne beneficia, imminuta parte aliqua ſuorum redditùum conferantur.

QVÆSTIO L.

An beneficia Simoniace acquiſita ſint acquirentis, & ſi non ſunt, an derelinqui debeant ante ſententiam.

DIco primò, *Reſignationem beneficij Simoniacam, tam ex parte reſignantis quam reſignatarij nullam eſſe.*

Primo, quia in Extrauag. citata habetur, *prouiſiones omnes beneficiorum per Simoniam factas, eſſe irritas & nullas.*

Secundo, Reſignans cum Simonia, iure omni excidit, quod ei competebat in beneficium, vacat enim per acceptationem ſuperioris iure & facto, cum reſignans illud non poſ- D ſideat amplius.

Confirm. habet reſignatio vim pacti taciti, ſecundum Tiraquell. *in tract. de retractu municip. parag. 26. gloſ. 2. nu. 10.* Rebuff *in praxi tract. de Sim. in reſignat. nu. 4. & 5.* pacti, (inquam) quod qui beneficio ſuo renunciat alterius gratia, ad illud non ſit iterum applicaturus animum, cum vt eſt *in can. quam ſit periculoſum 8. cauſa 7. q. 1. repeti non poſſit quod ſemel quis ceſſit.*

Dico ſecundò, *Prouiſum de beneficio Simoniace, illud ipſum retinere non poſſe*, Gloſſa in E *cap. conſtitutus de tranſactionib.* ſed relinqui debere etiam ante ſententiam, Rebuff. ſupra *nu. 7.* quia non eſt eius verus poſſeſſor ac dominus. *Cum prouiſio ſeu quæcunque alia diſpoſitio quam Simoniaca contingit labe fieri, viribus omnino careat: in Eccleſiis & quibuſcunque beneficijs, aut aliquo eorum, cuiquam ius nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus ſuos, ſed ad illorum omnium quæ percepit reſtitutionem, ſub animæ ſuæ periculo ſit aſtrictus*, Paulus II. *in Extrauag. cum deteſtabile de Simon.*

A nec eſt qui de hac re dubitet præter Viuald. in *ſupplement. ſui candelabri, cap. 1. nu. 21.*

QVÆSTIO LI.

An beneficij collatio facta ignoranti ſit in foro conſcientiæ valida.

SEnſus quæſtionis eſt an cũ admiſſa eſt Simonia, beneficiario ipſo ſcilicet neſciente, ſua cauſa aliquid pro beneficio quod ſibi eſt collatum, à propinquis aut amicis datum eſſe, eius ſit poſſeſſor verus ac legitimus?

Dico primò, *Si eſt numerata pecunia in odiũ eius, cui beneficium Epiſcopi benignitate eſt collatum, collatio in vtroque foro tenet*, quia aliena culpa ei obeſſe non debet, vt eſt in *cap. 27. & cap. ſicut tuis 33. de Simon.* vbi conſultus de hac re Innoc III. reſpondit in hæc verba. *Si aliquis te penitus ignorante promiſit pecuniam, & exoluit, nihil tibi debet ad culpam vel pœnam ſicut credimus imputari, alioqui contingeret, quod alicuius factum, inſidias inimico* C *parantis, ei damnoſum exiſteret, cui penitus diſpliceret, & ſic aliquis de fraude ſua commodum reportaret.*

Dico tamen ſecundò, *Vbi beneficiarius cauſa ſua admiſſam Simoniam nouit, ſi eam approbat præter peccatum mortale Simoniæ, cuius ea approbatione ſit reus, periculo ſe quoque certo obijcit, perdendi beneficij in foro externo.*

Eius rei argumentum eſt, quod ſcripſit Innoc. III. in *cap. ſicut tuis 33.* ibi enim ab eorum culpa, qui neſcienti beneficiario, pretio nundinati ſunt beneficium, quidquam timendum negat. *Niſi poſtea conſenſerit, pecuniam ſoluendo promiſſam, aut reddendo ſolutam.*

Quod autem hic de conſenſu dicitur, factæque Simoniæ approbatione ab eo, qui eius non fuit conſcius, de formali capi debet ac propria, quæ in eo eſt poſita, vt hic illam probet, ratamque habeat, ſub ratione ſua formali, & vt eſt Simoniaca: nam ſi obiectum conſenſus beneficiarii, quo neſciente eſt admiſſa, feratur alio, vt in argumenta amicitiæ, teſtimonia bonæ voluntatis erga ſe, quæ eius amicus patere voluit iniquo modo, nempe emendo ei beneficium, credo approbantem hęc teſtimonia amoris extra culpam eſſe, quia actus voluntatis ſpecificantur à motiuo ſuo, at amari ab alio, deque eo teſtimonia habere non obſcura, motiuum eſt, natura ſua non malum: quare ei, qui cauſâ ſua expenſas fecit ad comparandum ſibi beneficium, reddere illas eſt permiſſum, non quidem approbando factum eius, & Simoniam, ſed ne ille cauſa ſua damnum patiatur, Nauar. *conſil. 10. de Simon. nu. 5.* Suar. *lib 4. cap. 57. nu. 31. & 32.* Leſſ. *cap. 35. num. 144* quia ſoluere ex amicitia, ne amicus grauetur, malum non eſt, neque

approbare factum eius, quæ eſt Leſſ. opinio
loco cit. Nauar. paulo ante cit. Suar. *lib. 4. ca.*
57. nu. 31. & 32. Quid ſi Simoniam eius ratam
habet?

Exiſtimant Diu. Thom. *art. 6. ad 3.* Nauar.
conſi. 95. & 97. de Simon. Leſſius loco cit. eum
incurrere hoc ipſo Simoniam ac obligatio-
nem relinquendi beneficij male acquiſiti, ac
ſimul reſtituendi fructus, eius occaſione per-
ceptos, quæ eſt etiam Suar. *cap. 57. num.* 35. opi-
nio: Contraria ſententia eſt Adriani in *quodl.*
9. art. 3. litera C. Millard. *in tract. de pœnit. cap.*
65. inſtruct. 9 quam etiam probabilem eſſe
fatetur I cit. proxime citatus, eaque duo com-
plectitur.

Primum, talem collationem in foro con-
ſcientiæ validam eſſe, nec ita prouiſum teneri
ad reſtitutionem fructuum, quos percepit an-
te Simoniam cognitam. Alterum, vbi ea no-
ta fuerit, non obligari illum illico in conſcien-
tia renunciare beneficio, nec ſi illud retinue-
rit poſt eam notitiam, teneri ad reſtitutionem
fructuum, ante ſententiam iudicis, eiuſdem-
que exequutionem.

Ratio eſt, quod collatio facta ignoranti Si-
moniam, cauſa ſua admiſſam eſſe, ſit valida,
nec enim eſt iure naturali irrita, aut diuino,
vt probat Suar. *cap. 57. num.* 15. nec Eccleſia-
ſtico, cum nullus canon proferri queat, quo
expreſſe irritetur: ergo cum collatio be-
neficij quæ eſt rata, det ius ad illud, & ad eius
fructus, eo ſpoliari beneficiarius non poterit
niſi ſit expreſſus canon, in quo dicatur, eum,
cui ignoranti Simoniam cauſa ſuâ commiſ-
ſam beneficium eſt collatum, illud ante om-
nem ſententiam, ipſo facto amittere, vbi
primum de tali vitio docebitur, ſed nullus
eſt talis: retinere ergo illud poterit eiuſque
fructus omnes, donec per ſententiam iis pri-
uetur.

Confirm. Hoc ipſo quod collatio eſt valida
verum ius beneficiario in beneficium acquiri-
tur, & in fructus eius omnes, quo ſpoliari iu-
ſtitia illæſa non poteſt, niſi per canonem quo
hæc ei pœna, ipſo facto dicatur impoſita, &
ante omnem ſententiam. At non eſt in iure
canon vllus, quo ſuam ſuper hac re ſacri Pon-
tifices mentem expreſſam voluerint, ſicque
beneficio à ſe aut aliis donatum, ipſo facto
priuauerint: ergo, &c.

Scio à Patre Suarez, nonnullos tam ex
decreto, quam decretalibus depromptos pro-
ferri, quibus oſtenditur, hunc de quo agi-
mus, cum Simonia ad ſacerdotium ab Epiſ-
copo admotum, id amicis ac propinquis mala
arte pretioque, eo ignorante molientibus
poſt habitam eius rei notitiam, illud, ſerua-
re non poſſe, vt ſunt *canon primus cauſa 1. qu. 5.*
& 33. de Simon. ex quibus concludit hic auctor
collationem talem fuiſſe inualidam, cum ſa-
cerdotia dimitti neceſſario non debeant,

A quæ ſunt acquiſita, collataque legitimè.

Sed dicendum eſt in primo illo canone, agi
duntaxat de foro exteriori, & de diſpenſatio-
ne in illo obtinenda, cum enim hæc haberi
nequeat, niſi beneficium dimittatur, & fiat no-
ua collatio, mirum eſſe nulli debet, ſi id Pon-
tifex fieri imperet.

Ex Secundo, argumentum peti nullum ef-
ficax poteſt, ad eius rei fidem quam auctor
propoſitam habet. quia etſi in odium Simo-
niæ, Papa beneficium illico dimitti velit, ac
hanc in eo admiſſam eſſe conſtat, contendo
tamen nullam in eo *can.* pœnam addi, quæ
B voluntatem in Pontifice indicet obligandi
ſub mortali, ad petendam nouam collatio-
nem beneficij, Simoniace collati ignoranti,
vbi id factum eſſe cauſa ſua per amicos intel-
liget: quare peccabit, ſi Pontifici morem non
geſſerit, imperanti beneficium ita acquiſitum
relinqui, non tamen mortaliter, niſi forte ra-
tione ſcandali, quando eius Simonia eſt om-
nibus nota, aut ex contemptu, Eccleſiæ pare-
re renuit, neutrum ſi erit, eaque dimiſſio ob
C cauſam legitimam omittatur, nullum erit
peccatum, talis eſt futura, ſi Simonia erit oc-
culta, & non expediat eam ſciri, ne ipſe ſibi
aliiſque creet infamiam.

At enim (inquies) qui eſt Simoniace,
ignoranter tamen, de beneficio prouiſus, fru-
ctus ſuos non facit, quos proinde reſtitui om-
nes eſt neceſſe, quod non accideret, ſi fuiſſet
eius collatio valida.

Maior eſt falſa, cum talis pœna non lega-
tur in vllo canone tam ante, quam poſt Si-
moniæ admiſſæ notitiam, inflicta.

D Verum negari nequit (inquies) quin ei diſ-
penſatio ſit neceſſaria.

Omnino, ſed in foro duntaxat exteriori, ne
puniatur, & beneficio priuetur.

Dices tertio, Collationes beneficiorum
omnes, in quibus interuenit Simonia, ita de-
cernente Paulo II. nullas eſſe.

Reſpondend. loqui in ſua Extrauag. Pon-
tificem, de his duntaxat qui ſcienter & ex in-
duſtria Simoniã contrahunt, de ignorantibus
ſermonem ei nullum eſſe, ſit pro argumento,
quod Pontifex Simoniacos ipſo facto excom-
municatione perculſos eſſe velit, qualis in
ignorantes, vtpote innocentes non cadit.

E Dices quarto, omnem collationem Simo-
niacam eſſe iure diuino nullam, ergo & iſtam
de qua agimus.

Anteced. eſt falſum. vt notat Suar. *lib. 4. cap.*
57.

Et quanquam ſit timenda ſententia in foro
externo, ſi probari poſſit quod Simoniam ipſe
cauſa ſua factam approbauerit, collatio tamen
ei facta beneficii, vt diximus, eſt valida, quia
hæc non pendet ab euentu futuro incerto, cu-
iuſmodi eſt futura per eum rati habitio & ap-
probatio Simoniæ per propinquos factæ.

Secus

Secus tamen ſentiendum videtur, de eo, qui ſciens & volens, Simoniam admittit in beneficio, fructus enim eius omnes reſtituere debet *ſub animæ periculo*, vt loquitur citata Extrauag. etiam non expectata Iudicis ſententia, Nauar. *in ſum. cap.* 23. Suar. *in cap.* 57. *nu.* 33. Reginald. *lib.* 23. *cap.* 12. *nu* 176.

Ratio eſt, quod aliena relinqui ante omnem ſententiã oporteat, at beneficium acquiſitum Simoniace à ſciente, non eſt acquirentis, cum per Extrauag. collationes eius generis, *ſint irritæ, nullumque ius tribuant nec proviſi fructus faciant ſuos.*

Dico tertiò. *Pretium quod eſt per Simoniam acceptum, ante ſententiam reddendum eſſe.*

Quia per contractum Simoniacum non acquiritur dominium pretij, pro re ſpirituali exhibiti, vt dicetur poſtea, & habetur in *cap. de eo de Simo.* retineri ergo non poteſt. Obiicies, ſi eſt id verũ, verum eſt quoque ſpiritualia ſimiliter oportere reddi, ſi ſunt de earum rerũ genere, quæ poſſint reſtitui, vt beneficium, cũ, vt eſt in *Extra. Pauli II. de Sim.* electiones poſtulationes, & quælibet aliæ diſpoſitiones, per Simoniam factæ ſint nullæ, quod ſi ſunt nullæ: ergo non tranſlatiuæ dominij, pecuniæ, aut beneficij: debet ergo relinqui.

Reſpondend. Paulum in Extrauaganti ſua loqui de his qui ſcienter Simoniam contrahunt, non ignoranter, quod non negamus quo ſenſu diximus antea cum Nauar. eum qui Simoniace reſignauit beneficium, eſſe eo, ipſo iure Eccleſiæ priuatum, ac priuandum in foro fori in pœnam peccati. Item renunciantem beneficio, ob vim pacti taciti ad illud non poſſe regredi, nam præterquam quod irreuocabiliter quantum eſt ex ſe, illud abdicat, & cum voluntate tacita illud nunquam repetendi, illo adhuc eſt priuandus in pœnam admiſſi criminis.

QVÆSTIO LII.

Simoniæ realis in beneficijs & Ordine quæ ſint pœnæ.

REalis Simoniæ in ingreſſu Religionis, ordine, ac beneficio Eccleſiaſtico admiſſæ ſunt hæ pœnæ, Ordinati quidem vi pretij, ac proinde Simoniacè.

Prima eſt, *excommunicatio Papæ reſeruata,* quæ ordinantem etiam afficit vt habetur in *Extrauag. 2. de Simon.* Xiſti IV. quæ incipit, *etſi Dominici*, Eugenij IV. *cum deteſtabile* De ea tamen abſoluere poterit Ordinarius ſi ſit occulta per Trid. *ſeſſ. 24. cap. 6.*

Secunda eſt ſuſpenſio tam ab ordine Simoniace ſuſcepto, quam quibuſlibet aliis: ita Pontifex in *Extrauag. 2. de Simon.* ibi enim *omnes qui ſimoniace ordinati fuerint à ſuorum executione ordinum ſuſpenſi,* dicuntur, & non vno tantum quæ ſententia eſt. Nauar. *in ſumma cap* 23. *nu* 113 *parag. ad decimum quartum*, elicitque hanc cenſuram ex ſecund. extrauag de Simonia. *& ex cap. tanta eod tit.* eam autem Sotus *lib. 9. de iuſtit. q.* 8. haberi ait in Extrauagantib. Eugen. IV. & Martini V. quam à Xiſto V. & Clemente VIII. confirmatam ac ſummo Pontifici reſeruatã à priore maximè in ſua conſtitutione *contra Clericos malè promotos*, incipiente, *Sanctum & ſalutare,* quam pœnam incurrit etiam ordinans, cum ex parte eius interuenit Simonia, nam à collatione ordinum, ſuſpenſus eſt per triennium ſpectato iure antiquo *cap. penult de Simon.* per Bullam autem Sixti V. proxime citatam etiam à *collatione tonſuræ, & executione omnium munerum Pontificalium,* ac denique interdicitur illi ingreſſus Eccleſiæ, cum reſeruatione prædictarum cenſurarum ſummo Pontif. etiamſi eius Simonia ſit occulta.

Notat tamen Comitolus *li. 6. reſponſionum moral qu. 41.* Epiſcopum iure ſuo diſpenſare poſſe cum promoto Simoniacè in minoribus ordinibus, & prima tonſura, item vt in maiori ritè ſuſcepto miniſtret, non autem in eo quem per Simoniam recepit, neque vt ad alios ordines poſſit aſcendere.

Quod de eo tantum debet intelligi, qui ſciens & volens viam ſibi ad ordines fecit per Simoniam, ab eo enim qui ignorauit, datum fuiſſe pro ſe ordinatori pretium, ſuſpenſio nulla incurritur, Nauar. *cap. 15. nu.* 68. Henriq. *lib. 3. cap. 37 nu. 4.*

Ratio eſt, quod culpa caruit in ſuſceptione ordinis hoc modo, poteſt ergo, quia ſimoniacus non eſt, remanere in ſuo ordine, *cap. de ſimoniacis iii. de Simon.*

Eius autem qui per ſimoniacam largitionem beneficium eſt mercatus, pœna.

Prima, eſt excommunicatio quam incurrit ipſo facto, per extrauag. 2. *de Simon.*

Secunda eſt ſuſpenſio, ſecundum Comitol. *reſponſion. lib. 6. q. 41.* qui pro ſe hos auctores profert Paludan. *in 4. diſt. 25. q. 5. art. 1. condit.* 2. Maior *in eand. diſt. q. 7.* Turrecrematam in *can. ſtatuimus 1. q. 1. nu. 4.*

Contra nititur Nauar. *in ſumma cap. 23. nu.* 111. quem ſequimur, eo quod id nec iure antiquo Extrauagantis, nec nouo alio caueatur.

Tertia eſt, quod collatio & prouiſio facta ſimoniacè ſit nulla, nullũque ius tribuat, nullitatis cauſa eſt petenda ab *Extra. cum deteſtabile 2. de Sim.* in qua decernitur, *vt electiones, præſentationes, collationes, & aliæ prouiſiones beneficiorum, per Simoniam realem facta, ſint irritæ, & nullum ius tribuant, & vt prouiſi fructus non faciant ſuos, ſed ſub periculo animæ ſuæ ad eorum reſtitutionem teneantur.*

Quarto, qui beneficium nundinatur, eſt a-

illud inhabilis, in quo per eum Simoniaca labes eſt admiſſa, ita Pontifex in *cap. nobis fuit de Simonia, & prima q. 5. can. quicunque*, & *cap. penult. de elect.* quare ei reddi ſine diſpenſatione non poteſt, vt habetur *in cap. illo de elect.* quam concedere poteſt Epiſcopus, ſi beneficium quod fuit ſimoniaco collatum, ſimplex erat, datumque ab Epiſcopo ei, qui factæ ſua cauſa Simoniæ non erat conſcius, non autem ſi beneficium circa quod eſt commiſſa ſit prælatura, aut culpa publica; & in forum contentioſum deducta, ac beneficiario ſciente ac conſcio contracta.

Publicam dixi, nam ſi eſt occulta, probabilis eſt multorum opinio inhabilitatem hanc per Epiſcopum tolli poſſe.

Primo, quia nuſquam eſt reſeruata ſummo Pontifici.

Secundo, quia eius diſpenſatio videtur conceſſa Epiſcopis per Tridentin *ſeſſ. 24. cap. 6.* ſub nomine ſuſpenſionis vel irregularitatis, aut caſus occulti: ita Henriq. *cap. 56. de excommunic.* cuius ſententiam probabilem eſſe dicit Leſſ *lib. 2. de iuſt. cap. 35. dubit. 25. nu. 140.* cui ſe comitem præbuit Comitolus *lib. 6. reſp. q. 41.* huius auctoris ſunt hæc verba. *Quod ſi crimen manifeſtum ſit, tum quoad ſe, tum quoad alios ſuſpenſus erit, verum cum eo diſpenſare poterit Epiſcopus, dummodo eiuſdem ſceleris contagio, ad eum non pertineat.*

Quinto, ſunt etiam in multorum ſententia, flagitij huius conſcij in beneficiis irregulares, Altiſiodorenſis *in 3. lib. ſummæ tractatu 21. in calce.* Sic enim ille. *Circa tertium Capitulum, nihil aliud dicimus, niſi quod Simoniacus ſit irregularis ſecundum inſtitutionem Eccleſiæ.* Cum eo ſentiunt Halenſis *in 2. parte qu. 167. memb. 2.* Scotus *in 4. diſt. 25. q. 1. art. 1.* Richar. *in eand. diſt. art. 2. qu. 3.* his verbis: *Reſpondeo quod Simoniacus, ſiue ſit dolis propter ordinis ſuſceptionem ſimoniace ſuſcepti, ſiue propter beneficij Eccleſiaſtici conſecutionem, irregularis eſt.*

Non probatur hæc ſententia Nauar. talem enim irregularitatem eſt inficiatus *in 5. lib. conſilior. conſil. 35. de Simon. nu. 6.* quam & ego negandam exiſtimo.

Primo, quia non inuenitur in ſacrorum canonum voluminibus certis verbis præſcripta.

Secundo, quia in Xiſti V. conſtitutione contra Clericos male promotos, non habetur niſi pœna ſuſpenſionis hac monitione adiecta, fore huiuſmodi homines, ſi cum ſuſpenſione celebrare præſumpſerint irregulares, non ſunt ergo eius iudicio ſententiaque tales.

quid? quod Simoniaci, vbi ſemel fuere de culpa ſua abſoluti, non petant à Pontifice facultatem recipiendi ordinis ſacri, vt tamen oporteret, ſi forent, vt Comitolus aſſerit *lib. 6. q. 64.* irregulares non ſunt ergo cenſendi tales ſed de hac re poſtea.

QVÆSTIO LIII.

An ſint aliqui Simoniaci ad quos pœnæ non pertineant.

Dico primò, *Ad eos qui officia Eccleſiaſtica pretio ſibi comparant, non pertinere has pœnas*, quia non ſunt beneficia, & in pœnalibus verba ſumenda ſunt in notione ſua propria.

Dico ſecundò, *Ab his quoque pœnis eſſe liberos, qui beneficia ſua, auctoritate propria permutant.*

Ratio eſt, quod hic non interueniat propriè dicta Simonia, cum non detur temporale pro ſpirituali: ergo cum pœnæ reſtringi debeant, excommunicatio quæ eſt vna de pœnis, quibus iure Eccleſiæ plectuntur propriè dicti Simoniaci, ad compermutantes beneficia ſua auctoritate propria, non ſe extendet, cum non ſunt hi niſi iure Eccleſiæ tales, proindeque impropriè, decreto tamen Innocent. III. beneficiis ſunt priuandi, in quibus facta eſt permutatio, ſic enim ille *cap. cum olim 7. de rerum permut.* conſequenter poſt ſententiam quæ non eſt neceſſaria, vbi reperitur propria Simonia, vt patet ex Extrauag, citata.

Dico 3. *Simoniam Eccleſiaſticam cenſurã aut quamuis aliam pœnam iuris nõ inducere in Ordine, beneficio, & religionis ingreſſu:* ita Leſſ. *lib. 2. cap. 35. dub. 23 nu. 30.* Card. *to. 21. lib. 8. q. 9. cap. 3. parag. 1. num.* 8. ratio eadem quæ Superioris aſſertionis, nempe quod pœnæ iuris, eos duntaxat afficiant, qui propriè ſunt tales, quales punire Principi placet, at ſimoniaci ſimonia iuris poſitiui, & Eccleſiaſtici, non ſunt niſi impropriè tales, cum ſpirituale nec vendant nec emant, vnde ſi quis in conferendis aliis Sacramentis, conſecrationibus, diſpenſationibus, penſione vendenda aut redimenda, conferenda Vicaria temporali peccauerit, non contrahet pœnam excommunicationis, ſuſpenſionis aut inhabilitatis, Tanner. in *2. 2. diſp. 5. q. 8. dub. 4. num. 95.* ſicut nec qui ius patronatus pretio diſtrahit, Sanchez *tom. 1. opuſc. lib. 2. cap. 3. dub. 107. nu. 3.* Quia non eſt beneficium.

QVÆSTIO

QVÆSTIO LIV.

An qui Simoniace beneficium eſt adeptus, teneatur ad reſtitutionem fructuum.

DIco primò, *eum qui ſcienter beneficium ſibi eſt mercatus, cogendum eſſe ad reſtitutionem omnium fructuum, quos ex eo percepit*, quia in Extrauag. Pauli II. *de Simon* habetur, quod *illos non faciat ſuos, ſed ſub periculo animæ ſuæ ad eorum reſtitutionem teneatur*. At enim quando? Expectata ſententia, an ante datam?

Quorundam eſt opinio improbabilis, ad id obligandum Simoniacum non videri ante ſententiam, quæ eſt Flamin. *q.14. de confid.*

Ad quæſtionis intelligentiã notare cõuenit, inquiunt, quod Pauli Extrauag. in conſcientia non obliget niſi poſt ſententiam declaratoriam, quod probant, quia pœna quæ per canonem dicitur incurri ipſo iure, vel facto, non debeatur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam criminis, niſi in eo habeantur hæc verba. *Abſque vlla declaratione*, Sylu. *verbo Aſſaſinus qu. vlt.* Atqui his caret citata Extraua ergo probabilitate (inquiunt) non vacat, reſtituendos fructus non eſſe ex beneficio Simoniace acquiſito collectos, ante ſententiam, præſertim quod in pœnis mitior interpretatio ſit ſequenda, *de pænit. diſt. 1. can. pœna 18. & de elect. in 6. cap. ſtatutum 22. & de regul. iuris in 6. reg. 15.*

Ad id quod dicitur, retineri eos non poſſe *ſine periculo animæ*. Reſpondent id verum eſſe, poſtquam de iis reſtituendis ſententia à Iudice prodiit, non ante, argumento eſt, (inquiunt) quod naturali iure, Simoniaco, fructus ad ſuſtentationem ſui neceſſarij ſint debiti ſi interea præſtitit officium, quod beneficium requirebat, *1. ad Corinth. 9.* ergo ad omnes reſtituendos cogi honeſte non poteſt.

Sententia tamen oppoſita eſt ſequenda, quæ Patronos ſui ac defenſores habet Nauar. *Enchirid. cap. 25. num. 111.* Suar. *in cap. 57. num. 33. cap. num. 176.* præſidium eius præcipuum eſt, quod aliena, quæque iuris non ſunt noſtri, veris ſuis ac legitimis ſint reſtituenda dominis, ante imperium, iuſſaque iudicis. At non ſunt ex beneficio Simoniace comparato, collecti fructus, Simoniaci, non magis quam beneficium, cum eius collatio facta hoc turpi fœdoque modo, cuius origo eſt, cauſaque, à Simoniæ vitio, Pauli II. & Pij V. Pontificum decreto ſit irrita, & nulla, ad Simoniacũ ergo nec beneficiũ, nec eius fructus pertinẽt; ergo vt illud reddi reſignanti debet, ſi adhuc eſt ſuperſtes, ordinario relinqui, ſi eſt mortuus, ita & fructus ſucceſſori, id eſt ei cui conferetur ſunt dandi, præter eos, qui operæ quam in faciendo officio poſuit, ſunt debiti.

QVÆSTIO LV.

Quæ ſint pœnæ Confidentiarijs iure impoſitæ.

PRima eſt, excommunicatio reſeruata Papæ.

Secunda, inhabilitas ad beneficium in quo eſt commiſſa Simonia.

Tertia, eius priuatio, à die commiſſæ confidentiæ.

Quarta, omnium etiam beneficiorum, penſionum & aliarum rerum Eccleſiaſticarum priuatio, quas confidentiarius iuſte antea poſſidebat.

Quinta: inhabilitas ad illas, ita Pius V. Bulla cui initium: *Intolerabilis*, quam Nauar. explicat *in manual. cap. 23. num. 110.*

Sexta, quod beneficium quod eſt receptum cum confidentia, ſit deuolutum ad Papam, eique reſeruatum.

Vltima, quod præſumentes beneficia recipere cum confidentia, Cardinales & Epiſcopi ſint ab Eccleſiæ ingreſſu interdicti, qui autem ſunt his inferiores minores Clerici, excommunicati, vt eſt dictum antea.

Circa quæ notandum primo, Cardinales & Epiſcopos ſecundum Theſaur. *2. par. prax. verbo Simon. cap. 3.* non incurrere excommunicationem ex confidentia, quia in Bulla Pij IV. quã Pius confirmat, eius nulla fit mentio.

Notandum 2. Nullam de pœnis allatis præter excõmunicationem, incurri ante ſententiam, quæ eſt opinio Leſſij *lib. 2. de iuſtit. cap. 35 dub. 26.* Reginald. *lib. 23. num. 183.* Azorij *to. 3 lib. 12. cap. 10. q. 4. & cap. 21 q. 12.* Suar. *lib. 4. de legib. cap. 43.* Laym. *tract. 10. cap. vltimo parag. 7.* maximeq; id locum habere in priuatione beneficiorum, quæ poſſidebantur ante Simoniam confidentialem admiſſam.

Cauſa eſt, quod Pius vocem in ſua conſtitutione nullam adhibeat, vnde conſtare queat, pœnam hanc locum habere in foro conſcientiæ ante ſententiam, ſaltem declaratoriam criminis, fructibus quidem, penſionibus & beneficiis Simoniacos priuat, ſed an iis hoc ipſo, & ſine ſententia excidant, non indicat. *Fructibus*, inquit, *penſionibus, & alijs rebus Eccleſiaſticis, ac etiam Romana Curia, & alijs officijs temporalibus præſentium auctoritate priuamus, & ad futura inhabiles decernimus.* His autem id eſt penſionibus, & beneficiis ante confidentiam obtentis, illos vltro ac ſponte abire oportere, ac non coactos à iudice quam eſt improbabile? Sanè Tannerus in *2. 2. diſp. 5. q. 8. dub. 4.* Simoniam confidentialem pœnam aliam negat inducere ipſo facto, quam ex[communicationem], inhabil[...]

autem ad alia beneficia, & priuationem acquiſiti per Simoniam in foro conſcientiæ nequaquam, ſed exteriori tantum.

A

Contraria tamen opinio defenditur à Nauarro in *Manu. cap.* 23. Rodrig. *in ſumma cap.* 58. *concluſ.* 6. *parte* 2. *notab.* 8. Flaminio *in tract. de Simon. confid. q.* 58. *nu.* 15. Flauio Cherubino *tom.* 2. *compendij* in explanatione *conſtitutionis* 85. *Pij V. ſcholio* 20.

His aſſentiendum credo, quoad beneficij priuationem acquiſiti per confidentiam. Nam retinere nemo poteſt quod non eſt ſuum: at beneficia per confidentiam acquiſita non ſunt acquirentis, cum collationes de iis factas Pius V. velit eſſe *nullius momenti, ipſaque vacare* ac diſpoſitioni S. Sedis *reſeruata eſſe*. Idem dici de fructibus debet quos cameræ Apoſtolicæ male perceptos applicat.

B

Non fuit hæc Bulla tamen recepta in Gallia quod haberet reſeruationes beneficiorum & fructuum, faciendas Pontifici, quæ quoniam ſunt ſublatæ Leonis X. & Franciſci primi voluntate in Concord. *titulo de Reſeruationib. tam generalib. quam ſpecialib.* conſtitutionem hanc vt aduerſam Gallorum priuilegiis recipere Gallis Epiſcopis non placuit.

C

Quare anno 1587. aliam in qua eorum haberetur ratio, edere Sixto V. eſt viſum, his igitur indulſit, primo, vt beneficia vacantia per confidentiam Papæ reſeruata non eſſent, ſed collatoribus ordinariis, qui ſi eius culpæ forte forent conſcij, aut intra ſex menſes ea per incuriam non conferrent, hæc non ad Papam, ſed ſuperiorem proximum deuoluerentur, ſine patronorum præiudicio.

Secundo conceſſum eſt Gallis in ea Bulla, ne beneficij poſſeſſi per confidentiam, obuentiones diurnæ ac annuæ, Cameræ Apoſtolicæ tribuendæ forent, ſed in poteſtatem venirent Ordinarij, applicandæ pauperum vſibus, ac templorum, circa quæ admiſſa eſſet Simonia, reparationi ac commodis.

D

Tertio voluit Sixtus, liberum vt omnibus, culpæ huius conſciis eſſet, abſolutionis obtinendæ cauſa, tam à cenſura excommunicationis, quæ confidentiæ ipſo facto eſt adnexa, & extra regnum ſoli Papæ reſeruata, quam irregularitate & aliis pœnis: Omnibus, (inquam) vult permiſſum eſſe, ſuper ea conſequenda adire Legatum à latere Auenione commorantem, aut Nuntium Apoſtolicum Lutetiæ.

E

Circa quæ notandum eſt primo, nos pœnæ nomine, à qua Pontifex poteſtatem abſoluendi Legato ac Nuntio in Gallia tribuit, inhabilitatem etiam ad idem beneficium, aut alia vacantia per confidentiam intelligi, qui enim pœnas quomodolibet incurſas dicit, nullam excipit.

Notandum ſecundo, abſolutionem quæ à Legato aut Nuntio dabitur, valituram pro vtroque foro, nam nulla reſtrictione ad forum conſcientiæ addita, hanc illis Pontifex auctoritatem concedit.

Notandum tertio, Bullam hanc Pij ac aliorum Pontificum, in Gallia receptam, non eſſe quoad reſignationes cauſa mortis factas, has enim ratas tum fuiſſe cum obligatione reddendi beneficij reſignanti, ſi ſuperuixiſſet opinio eſt Iuridicorum Galliæ, vt probat Millard. *in tract. de pœnis cap.* 67. *inſtitutione* 5. ex variis Parlamentorum eiuſdem regni decretis, cuius rei cauſæ eſſe multæ poſſunt.

Prima, quod reſignatio ſit hypothetica, ceſſio autem ſit nulla, hypotheſi non poſita cum qua fit.

Secunda, quod reſignatio beneficij ad cuius titulum promotus eſt beneficiarius, reſignari non poſſit, *niſi conſtito quod aliunde viuere poſſit & aliter facta reſignatio eſt nulla*, Trident. *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. ergo cum ſit incertum, ecquid moribundus abunde habeat, vnde viuat, iuſta iuridicis Francis cauſa ſuppetit, irritandæ reſignationis, quæ mortis cauſa eſt facta, ſi reſignans ſuperuiuat, morem hunc tamen abrogatum eſſe Ludouici XIII. decreto dictum eſt antea cum de reſignatione ſermo eſſet.

Notandum 4. pœnas prædictas in permutatione confidentiaria locum non habere, quia in bulla ſua Pius V. mentionem duntaxat facit reſignationum, quæ ſunt ſimoniacæ, At hoc nomine non venit intelligenda permutatio, præſertim in materia odioſa ac pœnali: quare ſi quis in hoc regno reſignet beneficium, ea conditione ac lege, vt tertius diſtinctus à reſignatario, ſuum illi reſignet, valebit hæc in externo foro pactio, & pro tali iudicabitur, quæ opinio eſt Nauar. *conſ.* 77. *de Simon.* Suar. *cap.* 43. *nu.* 11.

Notandum 5. incurri pœnas de quibus nos proxime, etiamſi confidentialis Simonia, non ſit realis, & completa ex vtraque parte, ſed ſolius rei ſpiritualis, ac proinde hoc ipſo, quo datur beneficium aut recipitur, etſi non detur temporale, pœnis tamen vtrumque; id eſt tam accipientem, quam dantem, prædictis teneri, ita expreſſe Bullæ Pii IV. Pii V. & Sixti itidem 5. Nauar. *Enchir.* 23. *num.* 110. & Suar. *lib.* 4. *cap.* 43. *n.* 4. Bulla item Sixti quinti reuocatoria bullarum Pii IV. & V. quoad pœnas quæ Simoniacis ſunt inflictæ in vtraque, quæ reperitur traducta in linguam Gallicam in 2. tomo edictorum & contractuum ad Clerum Gallicum ſpectantium pag. 82. eſtque ab eo Pontifice pro ſola Gallia contra confidentiarios edita, anno 1587. habeturque *to.* 3. Nauar. iuxta editionem Lugduneni. anni 1597. poſt bullam Pii V. *cap.* 23. *Enchirid. nu.* 110.

Quæ ſunt ergo Simoniaci confidentialis pœnæ in Gallia, quandoquidem per conceſſa Gallis à Sixto V. priuilegia communes non incurrunt.

Prima eſt, nullitas collationis beneficij in quo intercedit Simonia confidentiæ, Nauar. *Enchirid.* 23. *nu.* 110. Flamin *de confident. q.* 7. *nu.* 89. & *q.* 57. *nu.* 3. Quia beneficium Simoniace poſſeſſum vacat, & vt tale eſt impetrabile, decreto Pij IV. in *Extrauag.* 105 *parag. Quare & parag. fructuum*, quod & à Pio eius nominis V. renouatum ſcimus in *Extrauag. intolerabilis*: ergo eius collatio, reſignatioque nulla fuit.

B Prob. Beneficium non vacat iure, cum per veram ac legitimam traditionem Epiſcopi, venit in manus capacis, at vacat auctoritate horum Pontificum, cum in eius collatione interuenit Simonia, ergo eius collatio nulla fuit.

Quare impetrari Romæ poterit, vt vacans, obtentoque à Romano Pontifice pleno in illud iure, eius Candidato, hoc eſt Deuolutario, incumbit ante omnia habere à Regio iudice literas ſuper poſſeſſorio quas ſaiſinæ & nouitatis nominant, Rebuff. *in conſtitutionibus regijs tit. de cauſa poſſeſſoris beneficiorum, & in praxi tit. de Simon. in reſignatione.* Quibus C ſi ſe opponat Simoniacus qui eius eſt poſſeſſor, ei lis intentabitur à deuolutario in camera magni conſiſtorij, ſi beneficium erit de eorum genere, ad quæ nominare regi conueniat.

Pœna altera confidentiæ, recepta in Gallia, eſt quod eum in quem cadit, inhabilem ad beneficium ſic poſſeſſum reddat, & ad alia omnia non tamen ad iſta, ante ſententiam, Nauar. *conc.* 42. Sa *ver. Simonia nu.* 9.

Quod ſimiliter dicendum de penſionibus, aliiſque rebus Eccleſiaſticis, quas confiden- D tiarius iuſte ante admiſſam à ſe culpam Simoniæ poſſidebat. Ad quæ tamen pariter eſt legibus Pij IV. V. & Sixti V. inhabilis: ita Azor *tom.* 3. *lib.* 12. *cap.* 10. *q.* 4. & *cap.* 21. *q.* 12. Reginald. *lib* 23 *nu.* 18. & 188. *in fine*, Leſſius *cap.* 35. *nu.* 147. Suar. *lib.* 4 *diſp.* 43. *nu.* 13 & *de legib. lib.* 5. *cap.* 8. cum aliis duobus numero præced. citatis qui cum de ſententia loquuntur, tradunt ante eam in conſcientia nullam eſſe neceſſitatem priuandi ſe beneficiis, aut penſionibus ante poſſeſſis.

E Quod prob. Ex verbis legis deſumenda eſt eius interpretatio, ex Sarnio *de trienn. poſſ. qu.* 12. Decio *in can.* 2. *de reſcript.* ſed ex Bulla Pij V. non colligitur alia inhabilitas, quam futura poſt ſententiam, nec enim in ea vox vlla eſt alia, quam hæc (priuamus) at hac voce non excluditur declaratoria criminis admiſſi ſententia, eiuſdemque executoria, vt diximus *diſp.* 7. maxime cum ad illam non ſint

A hæ adiunctæ voces *ipſo facto abſque vlla alia declaratione*, aut vlla talis.

Obiicies, Collatio beneficij per Simoniam confidentiæ eſt nulla ante ſententiam: ergo & inhabilitas ad alia.

Neganda eſt conſequentia, quia prioris fit in bulla mentio, non poſterioris, abeundum ergo ei erit beneficio Simoniace habito, quod tamen liberalitate Pontificis ei reddi poterit, per diſpenſationem ſecundum Flamin. *de confid. q.* 59. *nu.* 52. quia mediante diſpenſatione eſt id licitum, quod ante erat impermiſſum tamen id non fit, cum in literis ſuper abſolutione conceſſa in Dataria poni ſoleat, B *quod ad beneficium ſuper quo fuit commiſſa Simonia perpetuo inhabilis exiſtat.*

QVÆSTIO LVII.

Simonia confidentiæ quomodo admittatur, & an ad eam exigatur pactio.

Eſt *confidentia* proprie, *ſpes de re aliqua, quod ita fuit, & erit*, Nauar. *cap.* 23. *manual. nu.* 103. duplex eſt licita & illicita, prior eſt, cum ſperatur aliquid quod eſt licitum, & honeſtum ſecundum ius & conſuetudinem, vt quod is cui confertur beneficium, aliquando illud ipſum ſine pacto, modo, & conditione, ſit reſignaturus amico conferentis, aut alteri.

Illicita & Simoniaca beneficialis, eſt ſpes quod Collator conferet, patronus præſentabit, aut reſignans reſignabit beneficium cum pacto modo aut conditione expreſſa vel tacita ſibi aut alteri.

Confidentiam nominant alii tale pactum vt vi huius propoſitionis *conferre aut habere cum confidentia*, ſit hic ſenſus conferre cum pacto expreſſo aut tacito, quod is cui procuratur beneficium, elapſo aliquo tempore, illi ipſi qui procurauit aut alteri, cui erit placitum, reſignabit, aut penſionis loco fructuum partem dabit.

Prima Aſſertio, *Eſt confidentia illicita quidem ſed non ſimoniaca, cum reſignans, aut qui ei reſignandi eſt cauſa, confidit ac ſperat eum cui confert aut conferri vel reſignari facit beneficium, ſibi illud idem reſignaturum, aut cui voluerit, ſine pacto tamē, aut cum confidit partem fructuum ſibi aut alteri datum iri*: Ita Flaminius *de confidentijs qu.* 1. Leſſius *cap.* 36. *nu.* 95.

Pars prima probatur, quia à cupiditate inde ſpes talis oritur, eſt ergo in ſua cauſa principioque illicita, non eſt tamen Simoniæ vitio infecta, quia ibi nulla interuenit pactio, nulla eſt venditio, quæ res tamen ſunt ad Simoniam neceſſariæ.

Secunda Aſſertio, *Si pactum de re ſupradictarum aliqua, intercedit reſignantē inter & reſignatarium, conferentem & collatarium, aut eum cuius opera beneficium poſsideri incipit, erit confidentialis Simonia:* quia pactio omnis legalis adiuncta ſpiritualibus, quibus natura aut conſuetudine non cohæret, labem habet Simoniæ *cap. quaſitum 5. de rerum permutatione cap. de pactis finali:* ergo & confidentialis, ſi talis tranſactio fluat aut oriatur à confidentia recipiendi alicuius commodi ex reſignatione, collatione, aut procuratione facta aut facienda alicui de beneficio.

B Dixi *legalem*, quia pactio quæ tantum debitum honeſtatis, fidelitatis, & gratitudinis efficit, quo nempe vnum beneficium alio compenſatur, non eſt iure naturali abſque vlla obligatione ciuili, ſimoniaca, ſed ſola legalis quæ tantæ eſt efficaciæ, vt debitum vi eius coram iudice repeti poſſit. Nauarrus *cap. 23. expreſſe nu. 17. & 110. in fine.*

Tertia Aſſertio, *Fit confidentia modis quatuor.*

C Primo cum alteri procuratur beneficium ea lege, ſeu pacto, vt penſio ſuper eo procuranti, renuncianti, conferenti aut perſonæ alteri pendatur, Nauar. *conſil. de Simon. 76. nu. 6.*

Eſt tamen Sancheſii *opuſcul. lib. 2. cap. 3. dub. 34. nu. 14.* Pariſii *de confid. q. 1. nu. 93.* opinio non improbabilis, culpam hanc non admitti cum pars fructuum reſignanti promittitur, aut procuranti, ſed tantum cum alteri perſonæ, aut collatori ipſi.

D Secundo, admittitur Simonia confidentiæ per acceſſum, tertio per ingreſſum, quarto per regreſſum. Eſt acceſſus, quando datur beneficium per electionem, præſentationem aut aliter cum obligatione, vt per acceptantem danti poſtea relinquatur, aut alteri quem ipſe ei deſignauerit. Ingreſſus eſt cum quis ante captam poſſeſſionem alteri reſignat beneficium, ſeruato ſibi iure ingrediendi eius poſſeſſionem, ſi reſignatarius præmoriatur aut fiat Epiſcopus. Regreſſus eſt cum quis beneficio renunciat cum confidentia id eſt pacto, quod idem beneficium, certo tempore ad renunciantem regredietur, aut conſanguineum, vbi primò incipiet eſſe eius capax per ætatem, aut cum renuntians beneficio ius ſibi ſeruat regrediendi ad illud, ſi penſio non ſoluatur. E Horum omnium vnica eſt probatio ſcilicet Pii V. conſtitutio à quo id ita conſtitutum eſſe ad bonum animarum Eccleſiæque commodum conſtat, ſic enim eo loco: *Quare nos volentes periculoſam talium audaciam noui iuris ſubſidio cohibere, præſentium auctoritate ſtatuimus vt ſi quis quacunque auctoritate Eccleſiæ, vel Monaſterium aut aliud beneficium qualecunque pro reſignatione vel ceſſione cuiuſcunque perſona ſemper aut cum circuitu r[illegible]oceſſionis [illegible] eſſu vel acceſſu etiam ſola dim[illegible]entis intentione receperit, aut illa vel illud etiam in euentum regreſſus vel acceſſus eidem dimittenti vel alteri poſtea conferatur, aut illius fructus vel eorum pars alij vel alijs concedatur, vel penſiones ſoluantur ex iiſdem, hæc confidentia cenſeatur:* ita Pontifex.

Quarta Aſſertio, *Eſſe tamen confidentia ſimoniæ, ſine pactione non poteſt.*

Probatur, eſt ſimonia ſtudioſa voluntas emendi aut vendendi ſpirituale pro tēporali: at habent emptio & venditio pactū expreſſum vel tacitum dandi precii pro re vel contra.

Secundo, eſt confidentialis ſimonia ſpecies conuentionalis ex Flamminio: at hæc pactum exigit, ergo & illa.

Tertio, facit ad fidem aſſertionis Pii V. auctoritas exigentis in bulla ſua de confidentia, conditionem expreſſam aut tacitam, at hæc non eſt implenda, niſi vi pacti mutui inter dantem & recipientem.

Obiicies, at intentione ſola contentus eſt Pontifex vt indicant hæc eius verba *paragr. Quare. Etiamſi ſola dimittentis intentione receperit.*

Reſp. ea verba intelligenda eſſe de intentione nota ei qui beneficium recipit, à qua habet vt ei quoque aſſenſum tribuat aut tribuere videatur, cum ſi repugnaret Simonia non eſſet, Flam. *q. 26. nu. 15. de confid.*

QVÆSTIO LVIII.

Quibus indicijs præſumi ſoleat in foro externo, admiſſa eſſe Simonia confidentialis.

VAlet huius quæſtionis intelligentia ad impetrationem beneficii male acquiſiti, poſtulato à ſummo Pontifice iure deuoluto, repetenda autem ſunt hæc indicia à Bulla Pii V. & praxi fori. Primo quidem, *Si qua* (verba ſunt Pontificis) *poſt ceſſam à ſe Eccleſiam, vel Monaſterium vel beneficium, & publicam reſignationem aut ceſſionem, captamque à ſucceſſore poſſeſſionem, ſeſe in illa, vel illo, vel rebus illius, per ſe, vel alium de facto immiſcuerit, aut fructus perceperit, aut redditus locauerit, aut partem eius illi vel eius propinquis remiſerit,* quia cum ius reſignantis poſt eius admiſſam ab Ordinario voluntatem ceſſet, illi non poteſt amplius licita eſſe beneficij adminiſtratio, maxime poſt captam eius poſſeſſionem à reſignatario: ergo ſecus facere eſt iuſtam cauſam dare credendi ſimoniam eſſe inter vtrumque admiſſam, Flammin. *de confidentijs q. 31. n. 4.*

Secundum indicium quo probabiliter præſumitur, facta confidentia eſt, cum recipiens beneficium, conſtituit dimittentem, vel eius parentes, aut propinquos, Procuratores ad recipiendum, vel locandum fructus beneficii dimiſſi,

dimiſſi, & illo vel illis, de perceptis aut percipiendis donationem fecit: ita Pius V. quia eiuſmodi actus ſubſequens, prauum ipſorum animum indicat, quodque inter eos pactum interceſſerit, probabiliter demonſtrat.

Tertium eſt cum reſignans pro expeditis Romæ à Papa reſignatarij literis precium numerat: ita Pius V. in *Extrauagante intolerabilis verbo multi*.

Cauſa eſt, quod cum reſignatio ſit in commodum reſignatarij, eum quoque deceat pretium iuſtum perſoluere pro expeditis literis ſuis, cuius oppoſitum cum facit, confidentiæ ſuſpicandæ cauſam dat. Id autem feciſſe conuincitur. Primo, Procuratoris teſtimonio. Secundo, menſariorum quos appellant bancarios libris rationalibus. Pius V. in Bulla & Nauar. late *cap. 23. nu.* 110.

QVÆSTIO LIX.

Quomodo conuentionalis & realis Simonia à confidentiali differant.

VT in multis conuenire, ita & à ſeſe diſtingui, negare nemini opinor eſt integrum.

Et primo quidem, omnium communis eſt hic effectus, reddere collationem beneficij cui accidunt, inanem ac nullam. De confidentiali teſtis eſt Pij Papæ V. *Extrauagans intolerabilis*, De reali Pauli II *Extrauagans cum deteſtabile*, de Conuentionali Mart. V. Bulla cui initium *multa*, Rebuffo auctore *in praxi tit. de Simon. reſign. nu.* 9 & 10. Flam. *de Confid. q. 1. n.* 157.

Secundus eſt, quod beneficij eius, in quo earum alteram contingit fieri incapacem eum reddant qui iis laborat, Flammin. *qu. 1. num.* 147.

Differunt autem primo, quod Conuentionalis reali & Confidentiali latius pateat, cum enim Simonia ſtare nulla ſine pacto queat, nam eſt *ſtudioſa voluntas emendi, &c.* Emptio autem venditioque, *fidem* habent ac pactum pretii dandi pro re, tanquam quid ei commenſuratum, omnis Simonia præter mentalem eſt conuentionalis, cum ſit genus ad alias, ex Flam. *qu. 1. num.* 165. vbi eam animali comparat reſpectu belluæ & hominis.

Differunt 2. quod non eædem ſint pœnæ conuentionali propoſitæ, quæ confidentiali & reali, nam has ambas ſequitur excommunicatio ipſo iure ſubeunda, nec niſi à ſolo Papa ſoluenda, aut ſi ab alio, eius duntaxat indulgentia, Paul. II. *in Extrauag. cum deteſtabile de Simon.* Pius V. *in Extrauag. intolerabilis*, cum in Conuentionali tam mixta quam pura, niſi ex vtraque parte completa, nulla ſit timenda, Nauar. *conſil. 40. de Simon. nu.* 2.

QVÆSTIO LX.

An Conuentionali Simoniæ pœnæ ſint aliquæ iure Canonico illatæ & quæ?

EX Simonia conuentionali, tam pura ac ſimplici quàm mixta, pœnæ incurruntur nullæ. Eſt pura ſeu ſimplex, quæ in conuentione, meroque pacto conſiſtit. Mixta, quæ ad pacta rem adiicit, ſaltem ex vna parte, vt beneficium v. c. ante numeratum eius cauſa pretium.

Partis primæ eſt hæc cauſa, quod Eccleſia non alia opera ſuis legibus puniat, quam quæ ſunt in ſuo genere completa ac perfecta. At Simonia in conuentione mera poſita, excepta ea quæ confidentia dicitur, non eſt in ſuo genere completa ex Nauar. *cap.* 23. *num.* 104. Leſſ. *lib. 2. cap. 35. dub. 26. num.* 149. ergo non punienda pœnis Simoniæ.

Confirm. in *Extrau. cum deteſtabile*, pœnæ non ſtatuuntur niſi in eos, qui conuentione facta, quomodolibet dando vel accipiendo, Simoniam commiſerunt: ergo cum neutrum pura conuentionalis Simonia habeat, pœnis non tenetur Simoniacorum propriis.

Pars altera oſtenditur primo, Pœnæ ſupradictæ non infliguntur niſi ob eam Simoniam quæ fit dando & accipiendo. nam de reali ſola loquitur Pauli *Extrauagans 2. de Simon.* quæ accipientem habet & dantem. At conuentionali mixtæ id deeſt vt patet.

Secundo, pœnæ reſtringi debent de regul. *iuris in 6. & de pœnit. diſt 1. can. 1.* ergo inflictæ ementibus ac vendentibus ſpiritualia, ad emptionem completam ſunt coercendæ, at hæc talis non eſt niſi traditione rei pro pretio, quia vt perfecta cenſeatur emptio, habeat id oportet, ad quod peruenire contrahentes intendunt, at iſtorum intentio eſt, per emptionem acquirere, ementis quidem, rei dominium, quæ eſt Simoniæ obiectum, venditoris autem pretium, vt valorem iuſtum rei ſuæ, ſic Couar. *lib. 2. variar. cap.* 19. & colligitur, *ex lege traditionibus* 20. *cod. de pact.* in hæc verba traditionibus, *dominia rerum, non nudis pactis transferuntur*: quare ei qui numerauit pecuniam, hæc ab eo qui illã recepit ſpiritualis rei gratia, quæ tamen non eſt data, eſt reſtituenda integrè.

Ratio eſt, quod donatio hypothetica non teneat, conditione non poſita, at præſens eſt eiuſmodi, nec enim ex pacto datur pecunia, ab altero contrahentium ſimoniace, niſi vt eius loco ſpirituale retrodatur ab alio.

Corollarium primum, Collatio facta beneficii cum pacto, quod non eſt mand[illegible] effectui, vt accidit in Simonia conue[illegible] pura ;a[illegible] [illegible]um eſt impletum ex vn[illegible]

vt in mixta, collatio (inquam) beneficii eſt aliquo modo valida, quia non eſt irrita niſi per Simoniam realem, qualis non eſt pura, aut mixta conuentionalis.

Corollarium ſecundum, non ſunt reſtituendi fructus, qui interim percipiuntur, dum non eſt Simonia completa ex vtraque parte, cauſa eadem quæ præcedentis corollarii.

Tertium, cum in totum, aut ex parte compleatur Simonia, quę mixta dicitur, illico incurruntur pœnæ, & retrotrahuntur ad tempus pactionis, quia Simonia fit tunc ex conuentionali realis, & proinde pœnas inferens, quæ ei ſunt adiunctæ ex voluntate Pontificis.

Corollarium quartum, Cum eſt dictum in Corollar. primo collationem beneficii factam cum pacto conuentionali aliquo modo eſſe validam, ſenſus eſt, valituram ſi negetur pecunia, aut res quælibet alia temporaria, quæ beneficii cauſa eſt promiſſa, quia quandiu negabitur, Simonia non implebitur, nec fiet è conuentionali realis. Ex quo proinde ſequitur, eam neque abſolute validam eſſe, neque inualidam, ſed medio quodam modo, & indifferentiſe habere. Erit inualida & reſoluta, ſi pecunia promiſſa ſoluetur, iudicabitur ab initio valida ſi negabitur Leſſ. *lib. 2. cap. 35. dub. 27. nu. 152.*

Secus quàm nos docent magni Theologi Caiet. *in ſumma ver. Simonia, & in 2. 2. q. 100. art. 6. & tract. de Simon. qui eſt 9. in 2. tomo opuſc. q. 2.* Maior *in 4. diſt. 25. qu. 7.* Comitol. *reſponſ. lib. 4. q. 6.* qui omnes aiunt, conuentionalem Simoniam, maxime mixtam, pœnas iuris inducere, perinde ac ſi realis foret.

Ratio eorum eſt, quod in contractu venditionis ſit res tradita, aut pretium conuentum etiamſi non ſit hoc perſolutum: ergo & in contractu Simoniacæ emptionis.

Sed reſpondendum eſt, quod etſi ad ſubſtantiam contractus emptionis ſufficiat in rigore partium conſenſus, ſeu conuentio & pactum, cum perficiatur earundem conſenſu, non cenſeri tamen eum contractum completum eſſe, quandiu pro re non datur pretium, & ſi eſſet, tamen ſecundum ſtylum Curiæ Rom. pœnas non incurri niſi Simonia ſit realis, & completa Sanch. *in conſil. Nauar. cap. 23. num. 104.* Theſaur. *ver. Simon.* ſecundum quam dicendum eſt.

Quinto ſequitur, ex conuentionali Simonia in qua res ſpiritualis data eſt ante pretiū, pœnas Eccleſiaſticas nullas ſequi, ita Nau. *Ench. cap. 23. num. 7.* Gregor. de Valent. *q. 16. punc. 5.* Henriq. *lib. 13 cap. 37. parag. 3.* Armil. *verb. Simon. nu. 6.* Leſſ. *lib. 2. cap. 39 num. 143.*

Ratio eorum præcipua eſt, quod pœnæ Eccleſiaſticæ excommunicationis & ſuſpenſionis non incurruntur niſi actio prohibita, ſit completa vt fatentur Caiet. *ver. excommuni-*

A *catio in princip.* Sylu. *ver. pœna q. 5.* actio autem Simoniæ, non completur, niſi ea ſit realis.

Sexto, inferendum hâc non fieri realem, per chirographum, datum ab altera parte contrahentium, de ſoluendo pretio promiſſo, quia exhibitio chirographi, non eſt pecunia, ſine qua tamen non poteſt conſiſtere emptio: ergo cum non ſit Simonia vbi deeſt emptio, ſequitur per chirographum contrahentium, non compleri Simoniæ vitium.

Septimo, cum emptio, voluntatem præ-
B ſupponat ementis, ac commodum vendenti afferre debeat, inferendum eſt pœnis eum Eccleſiæ minimè ſubiacere, qui pro aureis 100. quos collatori eſt pollicitus, pro beneficio recepto calculos numerat.

Ratio eſt, quod Simonia voluntatem emendi poſtulet, quam iſte non habet, ſed fallendi.

Secundo, deeſt vera ratio pretij ac valoris: ergo & Simoniæ.

Secus quam nos ſentit, Suar. *lib. ſupra citato cap. 42. nu. 2.* ſed contrarium ſine periculo
C culpæ, eiuſque ſuſpicione teneri poteſt.

QVÆSTIO LXI.

A pœnis Simoniæ impoſitis quid excuſet.

PRimo, excuſat à Simonia, eiuſque pœnis ignorantia antecedens: huic aſſertioni, fides eſt à decretali Bonifacii ſecunda, *de conſtitut. in 6.* vbi negat non eſſe voluntatis ſuæ, *ſententijs per ordinariorum ſtatuta prolatis, ligare ignorantes, dum tamen ignorantia craſſa*
D *non fuerit aut ſupina.* Huic decreto adiicienda eſt ratio.

Peccatum nullum eſt niſi voluntarium, cum ignorantia autem ſtare voluntarium quî poteſt? definitur enim, quod ſit à principio intrinſeco cognoſcente ſingula, in quibus eſt actio, at tollit ignorantia notitiam qualitatum quæ rei inſunt, tam quæ ad eius malitiam, quàm bonitatem pertinent: ergo ignorans ignorantia antecedente, excuſatur à peccato Simoniæ.

Excuſatur etiam à pœnis, & adiunctis, le-
E ge Eccleſiæ.

Primo, quia pœna, culpæ comes eſt indiuidua: ergo vbi nulla interuenit, pœna non eſt timenda.

Secundo, excommunicatio pœna eſt contumacium: at ignorans antecedente ignorantia, id in quo verſatur, malum eſſe malitia Simoniæ, non eſt contumax. Dicitur enim Antecedens ignorantia quando homo ſic eſt diſpoſitus, vt ſi ſciret eſſe Simoniam, non faceret, quæ mentis animæque affectio, à contumacia quantum abſit, nemo eſt tam parum

attente cogitans, quin intelligat.

Tertio, pœna actioni alicui per canones impoſita, non incurritur, niſi eiuſmodi actio, ſit in genere ſuo completa & perfecta, talē verò non eſſe, quæ ex ignorantia antecedente probabili prouenit, indicat nomen ipſum ignorantiæ, quæ cum cognitionem amoueat, & ea quoque ſubmouet, quæ ſunt ad actionis perfectionem neceſſaria.

Hinc eſt quod qui ignorans ordinatur Simoniacè, verè non ſit Simoniacus, nec excommunicatus, nec ſuſpenſus, poſſitque proinde miniſtrare in ſuſcepto ordine, extra *de Simon. cap. 22.*

Secundo, excuſat in foro exteriori à Simonia, eiuſque pœnis temporalis materię leuitas, nempe pecuniæ, aut doni cuiuſlibet alterius, ſic enim *ex can. iudices 23. cauſæ primæ qu.* 1. colligere cuique eſt pronum. Sic enim ibi in *parag. non quenquam moneas*, loquens de ſiclis Samuli à Saule oblatis, pro manifeſtatis gregibus, Patris ſui, quos exiſtimabat perditos; *Fat*, inquit canon, *eum accepiſſe, ſtipes magis ſunt æſtimandæ, quam munera prophetiæ, ſiclus enim 20. obolos habet, & quarta pars ſicli, quinque ſunt oboli. Et noſtri igitur Sacerdotes, ſi volunt vendere prophetiam, & columbas in cathedris ſuis proponere, quas Dominus flagello ſubuertit, quinque tantum obolorum mercede ſint contenti, qui vtinam non pretia villarum, ſed quinque obolos acciperent, & cap. 18. de Simon.* Alexand. III. Strigonienſem Epiſcopum à Simoniæ macula in foro exteriori immunem eſſe ait, etſi eius frater, *Cardinali daturo dicto Epiſcopo pallium, pro electione ſua equum dediſſet, eo quod*, inquit Pontifex, *non fuit magnum, ab eiuſdem fratre, Cardinali equum vnum tranſmitti, quem iaculatori forte etiam non potenti, vir tantus, & tam abundans non negaret*, hinc enim habes, pœnis Simoniæ non teneri hominem, horum opinione Pontificum, qui minuta quædam, temporalia tamen, ſpiritualibus commutat.

Neque modo in exteriori foro, ſed & interno, materiæ leuitas, quorundam opinione ac ſenſu, excuſat à culpa, & pœnis omnibus Eccleſiaſticis ei annexis, nam vbi non intercedit emptio, ibi non eſt Simoniæ, vera ac intrinſeca ratio. At ceſſat (inquiunt) emptio, cum ſit rei ſpiritualis, in temporariam, leuem tamen ac minutam, commutatio, nec enim eſt emptio, vbi non intercedit pretium, ſed quando res parua datur pro magna, non poteſt dari tanquam pretium, ſed duntaxat vt ſignum aliquod, aut indicium amicitiæ, honeſtatis, aut gratitudinis.

Probatur, Ad rationem pretij neceſſe eſt, vt temporale detur tanquam compenſatio pro re ſpirituali, etiam ſub proportione ſufficientis compenſationis, itaut dando bonum temporale vtile, ſoluatur obligatio, nata ex re ſpiritali accepta, reſpiciendo ad valorem vtriuſque: ita Suar. *cap. 44. num. 7.* in hoc enim conſiſtit præcipua Simoniæ malitia, quod res temporalis in valore, æquetur cum re ſpirituali.

Contraria tamen ſententia vt probabilior tutiorque, ſequenda eſt in praxi, maxime in Simonia, quæ eſt contra ius diuinum, quia raro aut nunquam, in prohibitis iure diuino, excuſat materiæ leuitas.

Dixi in Simonia iuris diuini, nam in Eccleſiaſtica, excuſat materiæ leuitas, à mortali culpa ac cenſura ei adiuncta.

Ratio eſt, quod in Simonia Eccleſiaſtica, præcipua ratio peccati conſiſtit in inobedientia, quæ committitur contra prohibitionem Eccleſiæ, nam illa ſublata nullum eſt peccatum. At leuitas materiæ, in peccato inobedientiæ, excuſat à peccato mortali, ergo & à cenſura & adnexa.

Tertio, excuſat à Simonia eiuſque pœnis omnis ignorantia quamuis craſſa, dummodo ſit antecedens.

Ratio eſt, quod quando eſt ignorantia antecedens, etiam craſſa, is quem afficit, peccatum quidem committit, ſed non Simoniæ, cum non ſit ſub hac ratione cognitum ac volitum, ſed craſſæ atque vincibilis ignorantiæ.

Deinde eſt Simonia, ſtudioſa voluntas, &c. At cum ignorantia antecedens non eſt talis, ſed potius cæca, & indeliberata: ergo cum iiſdem rebus excuſemur à pœna, quibus & à culpa, ignorantia quælibet craſſa & ſupina, modo antecedens, excuſabit à cenſura, & aliis pœnis.

Quarto, ob eandem cauſam vt ignorantia probabilis etiam concomitans, excuſat à peccato Simoniæ, ita & à pœnis conſequentibus, Suar. *diſp. 4. de cenſur. ſect. 8. num. 6.* Vaſqu. *in* 1. 2. *diſp.* 125. *cap.* 3. Petr. de Nauar. *lib. 2. de reſt. cap. 1. difficult. 7.*

Quia nullum eſt peccatum niſi volitum, & nihil eſt volitum, niſi ſcitum, omnis autem ignorantia probabilis tollit ſcientiam, & conſequenter peccatum, ſi peccatum, ergo & cenſuram, quæ eſt quidam eius effectus.

QVÆSTIO LXII.

Explicantur dubia, quæ in hac materia de Simonia, interpretationem habent ambiguam.

DVbium primum, *An Ordinatus illicitè & non gratis ſit irregularis.*

Ita olim Nauarro eſt viſum, vt de ſe teſtatur in *Concil de Simon.97.q.6.*

Veriſſima Dianæ ſententia eſt, *parte 4. tract. 2. reſolut. 93.* non eſſe, ratio eſt, quod irregularitas non niſi ob violatam cenſuram contrahi ſoleat, aut factam actionem aliquam, quæ hac pœna plectatur in iure, at neutrum hic accidit. Eſt quidem ordinatus Simoniace excommunicatus & ſuſpenſus, ſed tunc actum nullum ordinis exercet, per quem ab eo, irregularitas contracta dici poſſit, de ea ergo non eſt notandus, vt nobiſcum docent, Suar. *lib.4.cap.56.num.20.* Leſſ. *cap 35.dubit.24. in fine*, arguetur autem, ſi poſt ſuſceptum ordinem, actum eius aliquem faciat, quia etſi nonnulli exiſtiment, pœnas quas contra Simoniacos latas eſſe conſtat à Paulo II. *in Extrauag. cum deteſtabile*, non obligare ante ſententiam, quod tamen non probamus, id tamen in cenſuris locum non habet, eo quod hæ actionem hominis nullam, vt incurri queant, poſtulent, vtpote quæ in mera, utraque ſint rerum ſpiritalium priuatione poſitæ.

Dices, at enim *in cap. inquiſitionis 21. de accuſationib.* Simoniacus in ordine depoſitione ponitur: eſt ergo cenſendus irregularis.

Neganda eſt conſeq & ad Anteced. dici debet, depoſitionis nomine non irregularitatem, ſed ſuſpenſionem ab executione ſuſcepti ordinis intelligi, quod non negamus, quæ eſt Dianæ opinio loco citato.

Dubium 2. *An qui in obtinendo beneficio aut ordine Simoniacam fraudem admiſit, ſit ſuſpenſus.*

Dico primò, *Qui Simoniace ordinat ab omnium eſſe ordinum collatione iure antiquo ſuſpenſum per triennium*, ſanxit id Gregor. IX. *in cap. ſi quis ordinauerit 45. de Simonia.*

Nouo autem in perpetuum, vbi eſt Sixti V. Bulla in vſu, in ea enim quæ eſt numero nonageſima prima; inter eas, quarum eſſe auctor dicitur, Simoniace ordinans ab omnium eſt Ordinum ac tonſuræ collatione ſuſpenſus in perpetuum, nec hoc modo, ſed omnis ei eſt Pontificalium munerum interdicta executio, fidem de veritate dubitanti faciet ipſamet Pontificis Sixti, Bulla, cui initium eſt *Sanctum & ſalutare*, conſulatur.

Dico ſecundò, Qui Simoniace ordinantur,

A quamuis Simoniæ crimen ſit occultum, iure ipſo tamen eſſe ſuſpenſos, non ſolum ab actu ordinis Simoniace ſuſcepti, ſed etiam cæterorum.

Theſaur. eſt opinio 2. *par. prax. de Simon. cap.9.* Suar. *de cenſur. diſp. 31. ſect.* Leſſ. *num. 135.* eſtque talis ſuſpenſio Papæ reſeruata, Sixto quinto ita decernente in bulla præcitata, ex eaque violata per exercitium ordinum, aut vnius cuiuſpiam de ſacris, incurritur irregularitas, ſuſpenſio autem ab adminiſtratione Eccleſiæ, & perceptione fructuum ſuorum bene-
B ficiorum, ab eo, qui cum eſſet ordinis à ſe malè ac Simoniacè collati conſcius, ſcienter tamen in ſuſpenſione a ſe contracta celebrauit. Sunt præter hanc pœnam aliæ non paucæ de quibus Pater Theſaurus *2. par. prax. verb. Simonia.*

Dubium 3. *An Simoniacus in beneficio ſit ab eo ſuſpenſus ipſo iure.*

Senſus eſt, an beneficium quod quis eſt Simoniace adeptus, adminiſtrari poſſit, ab eoque regi, qui illud eſt per Simoniacam pecuniæ largitionem nundinatus. Duoque in hac
C quæſtione certa relinquuntur, tertium magis videtur ambiguum.

Primum tanquam certum ſumitur, Simoniacum, cum eſt eius crimen, tam confeſſione propria, quam publica iudicis ſententia cognitum, infamem eſſe, cum Simonia crimen ſit graue, & depoſitione dignum *cap. de Simonia cap. inquiſitiones de accuſat. & 15. q.3. can. ſane.*

Secundum eſt, à iuris infamia, quam confeſſione ſua vel notorietate facti, aut ſententia fori publica contraxit, ſimoniacum irregula-
D rem eſſe.

Tertium, quod in hac quæſtione poteſt eſſe controuerſum, eſt vtrumne Simoniæ crimen in beneficio contractum, quando eſt occultum, ſolique ſuo auctori notum, ſuſpenſionem ei interat.

Inferre multis auctorum teſtimoniis probare conatus eſt Comitol. *in reſponſionibus*, verum nobis eſſe debet eorum opinio potior, qui inferre, verbis non obſcuris negant, eius aſſerendæ, tuendæque princeps Nauar. extitit *in Manuali cap.23. num. 111. dicto 3. & in 5. lib. conſilior. conſil.35. de Simon.* cuius in ſen-
E tentiam pedibus conceſſere, Sanch. *to. 1. conſil. lib. 2. dub.104. num. 9.* Henriq. *lib.14. de irregul. cap.6. num.7.* Tanner. *in 2.2.* D.Thom. *diſp.5. q.5. dub.4. num.99.*

Cauſa eſt, quod in pœnis ea eligenda ſit opinio quæ eſt mitior, maxime cum de voluntate imponentis certo non conſtat. At eſt pœna non leuis, beneficiarium à ſui adminiſtratione beneficij impediri ac retineri, nec vllus eſt canon, quo probari queat, Simoniacum, ab eius eſſe vſu, regendique poteſtate ſuſpenſum, quæ cauſa, Couar. exuit *in Clement. ſi furioſus*

ſi ſariofius par. 1. num. 7. aſſerendi, quæ de ſuſpenſione incurrenda à beneficiario ob Simoniam in beneficio commiſſam affirmantur, dubia eſſe ſuſpectaque, non certa, cum ſit ergo humanius, ſuæ rei vſum poſſeſſori relinquere liberum, quam eidem illum adimere, dici debet, Simoniacum in beneficio, maxime occultum, ab eius adminiſtratione ſuſpenſum non eſſe. Quod ſi ad hanc culpam, addiderit & alteram, Simoniæ nempe contrahendæ aut contractæ in ordine, tunc enimuero ab eius erit executione, vſuque prohibitus. Ita Thom. 2.2.*q.*100.*art. 6. ad 1.* his verbis: *Si vero ſit Simoniacus, quia obtinet ordinem Simoniace, ſi crimen eſt publicum, eſt ſuſpenſus & quoad alios, ſed quando eſt occultum eſt ſuſpenſus ipſo iure, quoad ſe tantum, non autem quoad alios.*

A D. Thomæ partibus ſtant Caietan. in citatum *articulum q.* 100. Maior *in 4. ſententiar. diſt. 25. q. 7.* Eandem ſententiam indicant Panorm. *in cap. accuſatus de Simon.* Villalob. *de irregular. cap. de Simon.* Sylu. *verbo ſuſpenſio qu. 7. dicto* 2. Angel. *Simonia 6.* & alij apud Sanch. loco prius citato.

Obiicies haberi in Pij V. conſtitutione edita anno 1566. quæ incipit, *cum primum*, quod qui per Simoniam beneficium eſt adeptus, ipſo iure ſit eo priuatus. Sed dici debet inde non concludi eſſe irregularem, cum multi ſuis ſacerdotiis ſæpe excidant, ſine obligatione incurrendæ talis pœnæ. Deinde etſi Simoniacus non poſſit retinere beneficium in quo eſt admiſſa Simonia, non tamen tenetur alia ante illam commiſſam habita dimittere, niſi poſt ſententiam condemnatoriam: ita Theſaur. *2. par. prax. Eccl. verbo Simon.* 2. Nauar. *lib. 5. conſil. de Simon. 34.* vel vt habent libri alij 92. Leſſ. *lib. 2. cap. 35. dub. 26.* Emm. Sa *ver. Simonia 9.* qui omnes aiunt quoad hanc pœnam Bullam Pij V. receptam non eſſe, vel ſi eſt, de Simoniaco duntaxat conuicto loqui, qui eſt hoc ipſo infamis, & conſequenter irregularis, & beneficiorum incapax, non vero occultus.

Dubium 4. *An Simoniacus in beneficio ad omnia ſit inhabilis.*

Dubitandi cauſam parit Pij quinti conſtitutio, in qua eſt, *ſi quis beneficium, aut officium Eccleſiaſticum Simoniace adeptus fuerit, ſit inhabilis ad ea, & quæcunque alia beneficia obtinenda,* nam cum id raro accidat, nec ſit in Eccleſia, qui ea pœnarum acerbitate Simoniacos puniat, merito quæri poteſt, vtrumne iis ad honores, bonaque Eccleſiæ aditus ſit in perpetuum interclusus.

Dico primò, *Simoniacum in beneficio, ad id beneficium eſſe inhabilem, in quo Simonia eſt admiſſa.*

Quia eſt intruſus, Rebuffo teſte *in praxi benefic. tit. quot modis acquirantur benef.*

Deinde, quia ad illud, ius non habet, A cum Simoniaca omnis prouiſio ſit nulla, Paulo II. id decernente *in Extrauag. cum deteſtabile.*

Secundo, quia ſine inſtitutione canonica titulus obtineri non poteſt, *de regul. iuris regula 1.* ſed qui auctoritate propria, beneficium occupat, malaque ſibi arte vendicat, non tantum iure, quod in eo, aut ad illud habebat, excidit, *cap. cum qui 18 de præbend. in 6. cap. auaritiæ de elect. in 6.* ſed inſuper fit ad illud idem impetrandum inhabilis, ſecundum Theſaurum in *praxi par. 2. ver. intruſus cap. 1.* Sanch. *to. 1. conſil. lib. 2. dub. 104. nu. 13.* ergo & Simoniacus.

B Dico ſecundò, *Simoniacum ad beneficia quæ ſunt ab eo diſtincta, quod eſt mercatus, inhabilem non eſſe.*

Quia non eſt intruſo nefas, poſt reconciliationem ſui cum Deo, poſſidere noua Sacerdotia: ergo nec Simoniaco.

Confirmatur, cum pœna induci canonica nulla queat, quam non canon inferat, illius, ſicut & aliarum proferri aliquis debet, cui originem ſuam acceptam referat, at talis inueniri nullus poteſt, in antiquorum collectione C canonum, nec in nouis, maxime Pauli II. *Extrauag. cum deteſtabile*, nam de Pij quinti conſtitutione, cuius facta eſt in quæſtionis limine mentio, dicere non eſt opus, cum non ſit vſu recepta, Doctorum opinione de quibus nos antea, Nauar. Tanneri, P. Sanch. dubio prænotato, *numero 24.* & ſi eſſet, locus ei tamen in foro conſcientiæ non eſſet, ante ſententiam declaratoriam iudicis, quæ eſt opinio Garſiæ *par. 8. cap. 1. num. 57.* Flamin, *de reſignat. lib. 4. q. 2.* Nauar. *lib. 5. conſil. conſil. 42. de Sim.* & ita ad acquiſitionem noD ui beneficij, Simoniaco nulla erit Pontificis diſpenſatio neceſſaria, niſi forte crimen eſſet deductum ad forum contentioſum, aut notorium notorietate iuris vel facti, nam tūc, quia infamis eſſet, indignus foret, quem ad beneficia conſequenda vocaret Eccleſia. Sequuta tamen ſententia condemnatoria, aut eius infamia cognita, eſt irregularis, & conſequenter ad omnia beneficia inhabilis.

Dixi *infamia*, quia ea ſecluſa, etſi Simonia eſſet publica in beneficio, irregularitatem tamen non inducit, ſi fides eſt P. Henriquez *lib. 13. cap. 37. nu. 5.*

E Dubium 5. *An Simoniacus in beneficio, priuatus ſit beneficijs quæ poſſidebat ante admiſſam Simoniam.*

Henriquez *lib. 13. cap. 37. nu. 5. & in commentar. litera C.* cum aliis ab eo citatis, exiſtimat vacare, ab his tamen, Simoniaco abeundum neceſſario non eſſe, ante ſententiam declaratoriam.

Secus docent alij, hoc argumento inducti, quod ea de re, nec antiqui, nec noui Pontifices qui [illegible] ſcriptis mandarint, quod [illegible]men neceſſ[illegible] ſi Simoniacus ben[illegible]is

omnibus iam habitis iure priuatus eſſet. Qua- A re mihi præ cæteris Rebuff. placet, cum aſſerit, *in praxi benef. tit. de Simon. in reſignat. nu. 33.* Simoniam non priuare beneficiis in quibus quis eam *non commiſit, & quæ habebat ante Simoniam, ſed opus eſſe priuatione, quia in eo in quo quis deliquit, in eo puniri debet, cap. poſtulaſtis de cler. excommun. miniſt. & ideo non valet de his impetratio facta ante priuationem, imo ea poterit reſignare.*

At enim (inquies) his eum Pius quintus in motu quodam proprio contra Simoniacos concepto, priuat.

Omnino: ſed non eſt hic de aliis, quam qui Confidentiarii appellantur, ab eo ſcriptus, itaque ſuper iis diſpenſare Papa cum confidentiali poterit, vt ea ſeruet, *ſed ſine diſpenſatione illa retinere non poteſt,* Rebuff. ſupra.

Dubium 6. *An qui ſe ignorante, Simoniace eſt ordinatus, ſit ſuſpenſus.*

A ſuorum exequutione ordinum, ac eorum ſuſceptione quibus caret, Simoniacum quemlibet, tam qui neſcitur, quam qui eſt notus, ſuſpenſum eſſe, habet Pauli II. *Extrau. de Simon.* cui adiungenda eſt Ambroſ. auctoritas, cum Taraſij Conſtantin. Epiſcop. teſtimonio, in epiſtola ad Papam Adrian. nam & ille *in lib. paſtorali* ait, *eum qui ordinem munerum datione eſt lucratus, ſuſcepto honoris gradu priuandum eſſe, & in Monaſterio ſub perenni pœnitentia retrudendum.* Alterius autem fuit hæc æterna laude digna ſententia, *alienum omnino à ſacerdotio eum eſſe, qui aliquando dedit pecuniam, ſiue ante manus impoſitionem; ſiue in ipſa manus impoſitione,* D. Thomæ ac principum Theologorum mens fuit eadem *in 2. 2. q. 100. art. 6.* Panorm. *in cap. de Simoniacè extra de Simon.* eum qui ordinem per Simoniam eſt adeptus, cum eius conſcientia ſceleris quod facit, eſſe ipſo iure ſuſpẽſum, nec poſſe ab Epiſcopo diſpenſari, ſed à ſolo Romano Pontifice.

Nec de eo, ſi Nauar. *credimus in ſumma cap. 23. num. 113. parag. ad decimum quartum,* Doctores diſcrepant, eo quod, hanc cenſuram elici aſſerant, *ex ſecunda Extrauag. de Simon. & ex cap. tanta de Simon. eod. tit.* quã & Sotus *in lib. 9. de iuſtit. q. 5. art. 2.* ait contineri in extrauagantibus Eugen. IV. Mart. V. Xiſti V. in conſtitutione ſua *contra Clericos male promotos, incipiente, Sanctum & ſalutare.* An autem hæc illum pœna ſimiliter ſtringat, cum eodẽ ignaro ac neſciẽte, Epiſcopo pecunia eſt data, vt cum in ordinatorum numerum referret, idem non fuit olim omnium Doctorum iudicium. Pro affirmante fecere Summiſtæ veteres fere omnes Sylu. Armilla, Angelus *verbo Simonia, & ſuſpenſio.*

Pro negatiua cæteri, cauſam ita affirmandi habuere vnicam, ſed firmam, quia æquitatem pro fundamento, pro ratione iuſtiſſimam Papæ voluntatem habet. Enimuero, ſcribit Bonifac. Papa octauus nolle, *ſe ſententijs per ſtatuta quorumcunque ordinariorum prolatis, ligari ignorantes, dum tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit aut ſupina, cap. vt animarum 2. de conſtit. in 6.* ignorantem ergo ſua cauſa factam eſſe Simoniam, eorum, qui ſcientes peccant, pœna propria non afficit.

Confirm. cum Pontifex æquitatem tueatur ſeruetque in iubendo, ſic eius mandata capi debent, vt ea, ſicut ratio largitur, interpretationis benignitate temperemus: quare cum quidpiam ſecus quam imperat, per inſcitiam fit, aut neceſſitatem aliquam grauem, id B non debet, pœnæ tranſgreſſoribus poſitæ ſubeſſe, quia non eſt tũ improbabile, eum eiuſmodi temporibus concedere, vt à præſcriptione verborum ac lege, diſcedi poſſit. Deinde quis credat, velle eum vt pœnis, earumque acerbitate teneatur, qui in legem non commiſit? At qui ignorans facit quod illa vetat, eius violatæ propriè non eſt reus, quam hæc ergo, ſui tranſgreſſori pœnam infligit, ſuſtinere non debet.

Quid ſi poſtea amico pecuniam, quam ille Epiſcopo ſua cauſa eſt largitus, repẽdat? Si id C charitate inductus facit, nempe ne amicus doleat, ne rei pro ſe ordinatori datæ carentia, damnum ferat, ne ingratus non reddendo, dicatur & audiat, pro certo habeo, à conſcientiæ æquitatiſque lege impetrari poſſe, vt ei reſtituatur integra ſine crimine. Quod ſi è contra, non amicitiæ, non gratitudinis ſeruãdæ, legem habet obiectam oculis, ſed quidpiam aliud, ſi quod iſta exigit, non referre gratiam, parque acceptis reddere ſatagit, ſed factam cauſa ſua Simoniam, reſtitutione numeratæ pro ſe pecuniæ approbare, vt tunc la- D bes in illum iſtiuſmodi culpæ cadit, ita & quæ illam, pœnæ conſequuntur, in caput ſuum, certumque arceſſit ſalutis ſuæ ac honoris interitum: ita Nauar. & alij.

Dubium 7. *An res ſpiritalis acquiſita per Simoniam reſtitui debeat?*

Omnino, ſi eius natura ſit talis, vt reddi queat, quia per contractum Simoniacum non acquiritur eius dominium, non magis quam pretij quo emitur, itaque vt eſt hoc ab eo reſtituendum qui vendidit, ita & ſpiritale ab eo qui accepit.

E At enim cui? Ei à quo proceſſit, vt ſi erat vacans per obitum, erit dimittendum in manibus collatoris, ſi reſignatum, reſignanti, quia vt tradit Theſaur. *2 par. prax. Eccleſ. ver. Simonia cap. 2.* non eſt reſignans ante ſententiam, iure ſuo priuatus, ob Simoniam, eorumque quæ in illa fiunt, nullitatem; ſed priuandus, quæ eſt etiam Nauar. opinio, quam his verbis expreſſit *in cap. 23. manual. num. 105. Licet ita renuntians caſtigari poſſet & priuari beneficio, non tamen perdit ipſo iure illud, quia renuntiatio eſt nulla.*

Dubium

Dubium 8. *Quid Officij nomine Paul. II. & Pius V. intelligant, cum aiunt actionem quæ eſt ad Officij & Beneficij collationem ordinatã, carere viribus, ſi eſt Simoniaca.*

Officij Eccleſiaſtici nomine, cuius collatio redditur per Simoniam irrita, non intelligitur nudum officium, quale eſt, quod ſimul non eſt beneficium, proindeque Officia Vicarij temporalis, Guardiani, Prioris, Rectoris, Superioris religioſorum Mendicantium, non continentur in hac Pauli ſanctione canonica, ſecundum Nauar. *cap.* 23. *num.* 111. quia non ſunt beneficia, ſed pura Officia, Henriq. *lib.* 13. *cap.* 37. *parag.* 7. Azor. *lib.* 12. *cap.* 22. Bonacina *to.* 1 *de Sim. diſp.* 1. *q.* 7. Theſaur. *par.* 1. *prax. cap.* 21. vbi ait, quod etſi nonnunquam lex, ſeu canon priuans officio, ad omnia tam quæ Laïcorum, quam quæ Clericorum ſunt propria, habentque adminiſtrationem tam rerum, quam perſonarum Eccleſiaſticarum cum Superioritate, reddat inhabilem, non eſt hæc tamen iſtius vocis Officium vis ac poteſtas hoc loco, ſed vt idem ſonat ac beneficium.

Atenim (inquies) Abbatum & Monaſteriorum fit in ea Extrauag. mentio.

Omnino, nego tamen inde ſequi, idem in Guardiani Officiis, ac Prioris Mendicantium eſſe metuendum, quod in Abbatibus; ſunt enim Abbatiæ & Monaſteria S. Benedicti vera beneficia regularia, dantur enim in titulum, & ad ea tam Commendatarij, quam Regulares electi ordinantur, non autem ad Guardiani aut Rectoris Officia: non ſunt hæc ergo vt illa, Simoniæ materia.

Contraria tamen ſententia eſt probabilis quam tenent Suar. *to.* 5. *diſp.* 22. *ſectione* 5. Regin. Gordonus *to.* 2. *lib.* 7. *q.* 13. *cap.* 4.

Dubium 9. *Quenam pœna Mediatores afficit, & qui ſint habendi tales?*

Quod de Mediatore & Procuratore Simoniæ in Bullis dicitur, eſt id duntaxat intelligendum de eo, qui cauſa eius eſt efficax, cuiuſmodi eſt is ſolus cenſendus, ſine quo Simonia facta non fuiſſet, vt ex communi ſententia docet, Nauar. *Enchirid. cap. vlt. num.* 51. nam ob conſilium & auxilium duntaxat, quod non eſt cauſa, ſine qua non fieret Simonia, non incurri vllam excommunicationem communis eſt, receptaque ſententia.

Quare cum Mediatores, hi propriè dicantur; qui alienæ ſunt voluntatis interpretes, non aliis tribui poteſt hæc appellatio, quam qui cum vtroque contrahentium Simoniace agunt, vt contractum impleant, nec proinde excommunicationi per Extrauag. Pauli II. *de Sim.* alios ab his ſubeſſe, Mediatorũ nomine, quam qui communicant cum vtraque parte.

An autem his ſit imperanda reſtitutio, per æque ac Simoniacis, Summiſtæ ambigunt. Inclinant in affirmantem Nauar. *conſi.* 110. *de Simon. & tract. de datis & promiſſ. num.* 45. Theſaur. *in praxi verbo Simonia cap.* 2. non tamen niſi ſecundo loco, & in defectum principis cauſæ.

Addit Quaranta etiam Confeſſarium remanere ad id obligatũ & quidem legitimè, ſi abſoluendo pœnitentem, ei cauſa fuerit, non reſtituendi quod non puto, quia eius bonum, qui à ſuo eſt pœnitente læſus, procurare ex iuſtitia non tenetur. Quod ſimiliter Sa correctus *verbo Simonia num.* 11. exiſtimat, & proinde Mediatori, in defectum cauſæ principalis, fructuum aut alterius cuiuſpiam intereſſe (vt loquuntur) reſtitutionem iubendam non eſſe, quæ ſentẽtia etſi videatur iſti auctori probabilis, præſtat tamen diſpenſationẽ, & compoſitionem à Pontifice petere, quam periculo peccandi ſe exponere.

Dubium 10. *Quid Paulus II. in ſua Extrauag. intelligat cum depoſitionis meminit vt pœna incurrenda à Simoniacis.*

Eſt huius vocis *depoſitio* poteſtas ac ſignificatio multiplex, interdũ enim ædificii demolitionem ſignificat vt *deponere*, deſtruere, ad aream redigere, vt ſolo æquare *leg.* 23. *dig. de vſura, & leg.* 9. *parag. item Pomponius digeſt. quod metus cauſa.* Apud Pontificios, idem ſonat, ac amotio ab ordinum receptorum vſu. Et duplex eſt, realis, & verbalis, Prioris fit mentio *in cap.* 2. *de pœnis in* 6. & eſt proprie degradatio, acciditque cum Clericus primo verbaliter degradatus certa vocum formula ac cæremoniis, ſpoliatur veſtibus ac ſignis Clericalibus, omnique priuilegio Clericali, verbalis, rurſus eſt triplex.

Prima eſt, quando quis priuatur beneficio & officio Eccleſiaſtico in perpetuum, non tamen priuilegio Clericali fori canonis, & bonorum, cuius forma habetur, in *cap. veritatis de dolo & contumacia.*

Altera depoſitionis verbalis ſpecies eſt ea, quæ ad actualem præparat, & Cleri cum deponit hoc eſt ordine, beneficioque priuat, inſuper Clericali priuilegio, eſtque idem ac degradatio, de qua *in cap.* 2. *de pœnis, & cap. nouimus* 27. *de verbor. ſignificat.* Poſtrema eſt, quæ eſt iſtius executrix, & de qua non magis quam de ſecunda, fit hic mentio, ſed de prima duntaxat, hoc eſt ea quæ Clericum beneficio priuat vſuque ordinum, eſtque idem ac ſuſpenſio, & de hac depoſitionis ſpecie agitur, *in cap. cum non ab homine* 10. *de iudicis, can. ſi Epiſcopus, can. ſi quis Clericus diſt.* 81. *can. ſi Epiſcopus diſt.* 50. *cap. tua* 6. *de pœnis, & cap.* 1. *de homicid.* hacque pœna iure canonum ſimoniacum plecti eſt *in Extrauag.* Pauli II. & in Concil. Chalcedon. *can.* 2. & apud Fulbertum *in epiſt.* 23. ad Leuthericum Senonenſ. Archiep. *Simoniacum vero Presbyterum*, inq[illegible] *de quo mihi mandaſti in Diœceſim Ordinato[illegible] ſus rep[illegible] ſuade[illegible], aut ſi in tua manſeri[illegible] cio, [illegible] Eccleſia tua cand[illegible]*

DD.

hæreſis contagione ſordeſcat.

Dubium 11. *An excommunicatio quæ incurritur à Simoniace Ordinatis, abſolui poſſit ab Epiſcopo.*

Eſt hæc excommunicatio reſeruata Põtifici, de ea tamen abſoluere poterit Ordinarius, ſi erit occulta, Trident. *ſeſſ.24.cap.6.* maxime in quibus locis Bulla Sixti V. cui initium eſt *Cæterum ſi quis* contra Simoniacos non eſt recepta, cum enim in ea, tam conceſſo Epiſcopis priuilegio per Trident., quam Regularibus per Pontificem Romanum deroget, vt iſtis, ita nec illis quidquam in hac cauſa aggredi valide eſt permiſſum. Occultum autem crimen eſt hic dicendum, non quod tam tacitè ſilenterque eſt admiſſum, nullos vt habeat ſui conſcios, quorum verbis, fideque probari queat, ſed quod eſt eiuſmodi, vt etſi multorum conſcientia teneatur, quorum & teſtimonio re-uinci poſſit, non tamen eſt publicum aut notorium, manifeſtum, vel famoſum: Ita Auila 7. *par. diſp.* 10. *dub. 6.* Eſt id verò facti euidentia notorium, quod nulla poteſt cælari tergiuerſatione, aut cunctatione eius à quo eſt admiſſum.

Notorietate iuris eſt id notorium, quod patet confeſſione rei. Manifeſtum eſt de quo in maiori parte viciniæ aut Collegij, rumor eſt diſſeminatus à ſcientibus. Famoſum, quando de eo eſt fama, non ſcientiæ vlli, ſed præſumptionibus indiciiſque innixa, denotando etiam cum eſt opus Collegia, & communitatem, vbi res eſt geſta, perſonas coram quibus facta creditur, Henriq. *lib.* 13. *cap.3. num.*1.

Addit Auila loco proxime citato crimen etiam quoad hunc effectum recipiendæ abſolutionis ab Epiſcopo, occultum dici, cum eſt cognitum à 5. aut 6. de communitate, ſed tamen toleratur abſque fama & murmuratione, cui opinioni accedit quoque Henriq. *lib.2.ca. 2.n.4.* meoque ſenſu ſatis probabiliter.

An autem nomine ordinis, intelligenda quoque ſit tonſura, aut reuerendæ, ſeu dimiſſoriæ diſputant auctores.

Affirmant Suar. *cap.5.num. 5.* Laym. *parag. 7. de Sim. n.* 71. eo quod cum de tonſura agitur, dicitur quis per eam ordinari, & in ordine Clericorum poni.

Verum enimuero cum verba legis pœnalis propre ac ſtricte capi debeant, & tonſura non ſit ordo, ſed diſpoſitio ad illũ, quæ pœnæ contra ordinatos Simoniace ſunt ſtatutæ, extendi ad tonſuratos non debent. Quæ opinio eſt Leſſ. *cap.35.dub.24. num. 133.* vbi aſſerit, non eſſe probabile velle Eccleſiam vt incurratur excommunicatio, dando aliquid pro ſigillo, aut literis teſtimonialibus, cum hoc ſit mera redemptionis vexatio.

Quæritur hic an ſuſpenſio, qua puniuntur ordinati ſimoniace, incurratur per ſ ſceptionem cuiuſlibet ordinis.

Et exiſtimant nonnulli, eam non nonniſi per maiores male collatos, & receptos inuehi.

Cauſa eſt, quod cum de pœna agitur, hæc non cadat, niſi in id, cui proprie nomen reſque conuenit ſignificata, ac vetita per canonẽ At ex probabili quorundam ſententia, non noſtra tamen, minores ordines Sacramenta non ſunt ſed Sacramentalia, ergo eorum receptio, extorta pretio, non eſt ſuſpenſionis punienda pœna.

Confirm. In pœnis ſequenda eſt interpretatio mitior, at mitius eſt eum qui minoribus eſt initiatus per Simoniam, ſuſpenſum non eſſe ab eorum executione, & receptione Superiorum, quam eſſe: ergo in eam partem inclinandum eſt, in fauorem pœnitentium, quod eſt contra Suar. *cap. 56. num.5. lib. 4. de Simon.* quod probabile quoque eſſe aſſerit Reginald. *tom.2. lib.23. cap.12. ſectione 1. num.* 174.

Notandum eſt hic verò, pretium quod pro ordine datur, dari debere ante eius receptionem. Nam in Bulla puniendi dicuntur hi duntaxat, qui collationem ſacri ordinis pretio redimunt. At id non accidit cum pecuniæ aut alterius cuiuſpiam rei oblatio, quæ illi æquiualeat, collatum ordinem ſequitur: Ergo dando aliquid poſt eum ſuſceptum, non incurritur à dante ſuſpenſio.

Confirmatur, Gratis qui recipit ordinem non poteſt dici Simoniace ordinatus, nec dato pretio illum ſuſcepiſſe, at ſacram eius ordinationem, qui poſt illam, Epiſcopo quidpiam temporale obtulit, nec pactio præceſſit vlla, nec pecunia: non eſt ergo Simoniaca, nec eiuſmodi, quæ propoſita male ordinatis, ſuſpenſionis cenſura puniri debeat.

Dubium 12. *Cui reddi pretium oporteat, quod eſt ſimoniace acceptum pro beneficio.*

Sibi auctores ea de re nõ conſtant. Pauperibus deberi quidam aiunt, alij fabricæ Eccleſiæ, circa quam eſt admiſſa ſimonia, ei qui dedit, reddendum eſſe aſſerunt aliqui, quæ opinio ſicut & præcedentes duæ, non eſt improbabilis.

Quæ mihi cæteris magis arridet, læſæ per Simoniam Eccleſiæ, quicquid eſt beneficij conſequendi cauſa datum, addicit, non danti. Enimuero Simoniacus in pœnam à ſe facti criminis, emendo beneficium, pecunia priuatur, quæ eius cauſa eſt data, quam ergo parum eſt ſimile veri, hanc ei à vendente debere reſtitui?

Dubium 14. *An nomine fructuum intelligantur hi tantum, quos beneficium parturit.*

Nequaquam, ſed inſuper quodcunque intereſſe vt loquuntur, cuius Simoniacus cauſa extitit, duo tamen ſunt caſus in quibus ab eo eſt

eſt onere cenſendus liber.

Primus eſt, cum bona fide & ignoranter beneficium obtinuit, Simoniacè quidē materialiter, non verò formaliter, ob ignorantiam culpæ quæ contractui à ſe, aut aliis ſuo nomine facto inerat.

Secundus eſt cum illos conſumpſit, nec iis factus eſt locupletior, aut beneficium ipſum bona fide perſeuerante triennio præſcripſit. Quaranta *verbo Simonia parag. altera pœna.*

Dubium 15. *A ſuſpenſione ob ordinem ſimoniacè receptum diſpenſare quis poſſit?*

Quando eſt notoria, ſolus in ea diſpenſat B Papa, Laym. *li. 4. tract. 11. cap. vlt. parag. 7. n. 71.* vt tamen dicta ſuſpenſio effectum ſortiatur oportet, ordinatum admiſſæ ſua cauſa ſimoniæ, in ordinatione ſua fuiſſe conſcium, quia non puniuntur niſi culpæ, at ignorans fieri cauſa ſua Simoniam ab aliis, non peccat. ergo &c. Quid ſi occulta erit? quid ſi præceſſiſſe cum Epiſcopo pactum, de ordinatione emenda pretio, non conſtet?

Reſpondendum valere in hac cauſa datum Epiſcopis à Trident. *ſeſſ. 24. cap. 6.* priuilegium, quare quod nos ſupra de excommunicatione occulta abſoluenda diximus, ſeruari C in ſuſpenſione poterit.

Quanquam vbi eſt Bulla Sixti quinti *contra male promouentes & male promotos recepta,* prædictæ cenſuræ, licet occultæ, ſummo ſunt Pontif. reſeruatæ, non incurruntur tamen niſi Simonia vtrinque ſit completa.

Dubium 16. *An qui per Simoniacam largitionem ſacrum ordinem mercantur ſint irregulares.*

Fuit hæc Theologorum veterum ſententia conſtans ac firma, Alenſ. *in 2. par. qu. 167. memb. 2* Scoti *in 4. diſt. 25. q. 1. art. 1.* Richar. D *in eand. diſtinct. art. 2. q. 3.* his verbis: *Reſpondeo quod Simoniacus, ſiue ſit ſimoniacus propter ordinis ſuſceptionem ſimoniacè ſuſcepti, ſiue propter beneficij conſecutionem, eſt irregularis.*

In contrariam abiere ſententiam, Nauar. *in lib. 5 conſil. conſil. 31. de Simon. num. 6.* Leſſ. *lib. 2 cap 35 dub. 24.* Suar. *lib. 4 cap. 56. nu. 20.* quam & ſequendam in praxi vt priore magis probabilem cenſeo ob hæc argumenta.

Primum, quod commune ſit, certum tamen iuris interpretum axioma, irregularitatem extra caſus iure expreſſos non incurri, at non inuenitur in ſacrorum canonum voluminibus, E cum irregularē eſſe qui pecunia ſacrum ordinem aut beneficium nundinatur. ergo, &c.

Secundum, Irregularitatem cenſuræ violatio non gignit, niſi in poſteriori naturæ quàm ſit Clericus eam tranſgreſſus. At in priori naturæ, cum Ordo confertur Simoniacè, needum eſt excommunicatio, needum ſuſpenſio, ſed erit in poſteriori aliquo naturæ ſigno ſubſequente modo noſtro concipiendi ordinem iam collatum, quo tempore non A exercetur actus vllus ordinis, vt patet: ergo ſuſceptioni Simoniacè ordinum adiuncta non eſt irregularitas ipſo facto, ſed eorum vſui cum cenſura ſuſpenſionis & excommunicationis.

Tertium, In Xiſti quinti conſtitutione contra Clericos male promotos, non habetur niſi ſola pœna ſuſpenſionis, qua ſola poteſt Romanus Pontifex eximere, hac adiecta admonitione ſi poſt ſuſceptionem hi male promoti in ſuſceptis ordinibus miniſtrare præſumpſerint, futuros irregulares, non ſunt ergo iure factoque tales, ſed erunt, ſi excommunicati celebrauerint, aut ſuſpenſi.

Dubium 16. *An inhabilitas tam ad beneficium Simoniacè acquiſitum quam ad alia conſequenda, Simoniacis à Pio V. inflicta, incurratur ante ſententiam.*

Affirmant non pauci, hac inducti cauſa, quod pœnæ priuatiuæ, incurrantur ipſo facto, illico ac eſt admiſſum facinus, cuius plectendi cauſa ſunt impoſitæ, vt patet in excommunicatione & ſuſpenſione. Et quanquam id forte verum non foret, cum prædictæ pœnæ iure iam quæſito priuant, in his tamen quæ non C quæſito; ac poſſeſſo, ſed acquirendo tantum ſpoliant, difficultatem non patitur, cuiuſmodi inhabilitatem hanc eſſe, omnium eſt iudicio certiſſimum, nam cum collatio Simoniaca ſit nulla, Simoniacus non priuatur re vlla quæ ſit ſua, cum ad eam inhabilis redditur, idemque eſt de beneficiis aliis iudicium.

Contraria tamen ſententia, perquā eſt probabilis, & tuta in conſcientia, quam tenent, Leſſ. *lib. 2. cap. 35. num. 147.* Regin. *lib. 23. nu. 147.* ad hanc Eccleſiaſticæ inhabilitatis pœnam incurrendam, præexigi iudicis ſententiam declaratoriam criminis admiſſi per Si- D moniacum. Quia hæ voces *ipſo iure eo ipſo* ſolum ſignificant, non requiri ſententiam condemnantem, ſed non tollunt declarantem.

Secundo, quia pœnæ priuatiuæ, executionem ſine ſententia, ipſo facto non trahunt, niſi in excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto.

Tertio, quia beneficiarius, vt loquuntur auctores mox citandi, non incurrit pœnam inhabilitatis generalis, niſi ratione infamiæ, & irregularitatis per ſententiam condemnatoriam, vel notorietatem criminis incurſæ, Nauar. *conſil. 92. de Simon.* Sanch. *in conſil. dub 104. num. 14.* Suar. *tract. vltimo cap. 58.* Sa *verb. Simonia num. 9.* Leſſ. *cap. 35. dub. 26.*

Dubium 17. *Quis cum Simoniaco in beneficio diſpenſare queat, vt illud retineat ac ſeruet?*

Si Simonia ſcienter ſit contracta, diſpenſare ſolus Pontifex poteſt, ſi contra, ignorante beneficiario, hoc eſt eo, cui beneficium pro pretio eſt da... tunc ſi cognito quod Simonia ſit a... a cauſa, beneficio

obtento renunciauerit, & beneficium ſit ſimplex, Epiſcopus diſpenſare cum eo poterit lubet ea de re audire Gregorium IX. *in cap. 59. de elect.* ſic loquentem, ſi alicuius electionem propter Simoniam eo ignorante ac ratum non habente, commiſſum contigerit reprobari, cum eo ſuper prælatione, ad quam erat electus ea vice non poteſt Epiſcopus diſpenſare, quamuis circa eum, qui ignoráter recepit ſimplex beneficium per Simoniacam prauitatem, poſt liberam reſignationem, Epiſcopi diſpenſatio tolleretur.

Quod ad fructus reſtituendos attinet, eos ſolus Papa remittit ac condonat, eorum tamen ſicut & pretij accepti pro re ſacra, compoſitio fieri poteſt in caſu publico in Dataria, in Pœnitentiaria vero pro occulto, vt habetur in breui reformationis SS. D. N. Vrbani VIII. anno 1634.

Dubium 18. *Rehabilitare Simoniacum ad beneficia, ad quæ eſt per Simoniam inhabilis, iure ſuo quis poſſit?*

Non alius quam Pontifex, opinione Theſauri & Bonacinæ *de Simon. q. 7. pun. 2.* eſt tamen meo ſenſu, eorum non improbabile iudicium, qui aſſerunt, Epiſcopum virtute Trident. Concil. *ſeſſ. 24. cap. 6.* diſpenſare poſſe in inhabilitate occultæ Simoniæ ad alia beneficia: Ita Sanch. *to. 1. lib. 2. concil. dubit. 120. nu. 40.* Henriq. *lib. 13. de excom. cap. 37. comm. litera F. & 56. num. 1. litera F.*

QVÆSTIO LXIII.

An res Contractu Simoniaco accepta pro beneficio, iure naturæ aut Eccleſiaſtico tantum, reddi debeat.

EAm non niſi Eccleſiaſtico ac humano reddi oportere aſſerunt, Caiet. 2. 2. *qu.* 100. *art.* 3. Victor. *electione de ſimon. parte 2. nu* 4. Nauar. *Enchir.* 23. *nu.* 103. Pet. de Nau. *lib. 2. de reſtit. cap.* 2. Sylu. *verbo ſimon. q.* 20. Valent. *tom. 3 in D. Thom. diſp. 6 q. 16. punct. 6.*

Omni id iure neceſſarium eſſe, ſignificant Adrian. *quodl. 9. q. 3.* Sotus *9. de iuſt. q. 8. art. 1.* Maior *q. 5.*

Prima Aſſertio, *Non omnia ſpiritualia acquiſita per Simoniam, iure ſunt naturali aut diuino reddenda.*

Probatur, ad id nulla eſſe poteſt obligatio, quod eſt moraliter impoſſibile. At eſt ſpiritualium reſtitutio eiuſmodi. Fac enim ordines aut Sacramenta Baptiſmi & Euchariſtiæ; per Simoniam alicui collata eſſe, ab eo, illi ipſi qui contulit reddi qui poſſunt? Qui eſt expiatus à labe primæua originis, per Baptiſmum, cum eius ſuſcipiendi voluntate collatum, illam ipſam labem quamlibet velit reuocare ab interitu, ac luci ei vſuram

A reddere, non poteſt, nihilo magis, quam qui ſacris eſt initiatus ordinibus facere, ne characterem ſuſceperit, qui eſt quemadmodum & Baptiſmi indelebilis.

Secunda Aſſertio, *Iure naturali ac diuino tenetur Simoniacus, reſtituere pretium acceptum pro re ſpirituali, quam ipſe non dedit.*

Ratio eſt, quod contractus hypotheticus ſit nullus, hypotheſi non poſita, quam includit, & à qua eum contrahens pendere voluit, ſed pecunia beneficij obtinendi cauſa tribuibitur, quod tamen non exhibetur, ergo cum obligatione in recipiente, eam illi ipſi qui præbuit, redhibendi.

Secundo, Pecunia acquiſita ex contractu, qui eſt nullus iure naturali, debet reſtitui, cum retineri ſine titulo nequeat, qualis non inuenitur in contractu qui eſt irritus, at contractus ſimoniacus eſt nullus, per Extrauag. Pauli II. *cum deteſtabile 2. de ſimonia,* & Pij V. quæ incipit, *Intolerabilis.*

Tertia Aſſertio, *Iure naturali pretium reddi debet, quod eſt acceptum pro re ſpirituali, quæ nullum commodum temporale habet.*

Primo, ſi contractus ſimoniacus, quo res ſpiritualis pro tēporali datur, dominium eius in accipientem non transfert, eſt hæc iure naturali reddenda, ſed verum eſt prius, nam
C contractus, dominium eius in accipientem non transfert niſi ſit validus, at Simoniacus eſt per Extrauag. *cum deteſtabile*, irritus, ibi enim dicitur, quod collatio, prouiſioq; Simoniaca omnis, irrita ſit & nulla: ergo & contractus quo res temporaria pro ſpiritali redditur.

Secundo, Acceptum pro re inuendibili eſt iure naturæ reddendum. At res ſpiritualis eſt inuendibilis.

Tertio, eſt contra iuſtitiam aliquid pro eo capere, quod eſt ex Domini voluntate gratis
D dandum. At ſunt ſpiritualia, gratis ac liberaliter adminiſtranda, iuxta Chriſti verbum *Gratis accepiſtis gratis date.* Hæ me rationes impulere vt ab Adriani partibus ſtarem, à Caietani & aliorum, quos pro prima ſententia protuli, diſcederem, quam tamen in conſcientia tutam puto atque probabilem.

Obiicies, ſi nulla ſit ei iniuria, qui ſpiritale pro temporali accipit, nulla quoque eſt ei neceſſario, iure naturali aut diuino facienda reſtitutio. At verum eſt prius, præſtant enim infinitis interuallis ſpiritualia temporalibus.
E Deinde ſi cui per contractum Simoniacum infertur iniuria, non alteri ſane quam Deo, cuius munera donaque gratuita, tam vili æſtimantur, vt commenſurentur pretio, at Deo nulla facienda eſt reſtitutio: ergo nec proximo.

Maior argumenti eſt neganda, nec enim à ſola actione iniuſta reſtitutioni eſt initium, ſed etiam à re aliena quæ extat apud alium, qui eius non eſt verus ac legitimus dominus At

apud

apud accipientem temporale pro ſpirituali, eſt res aliena, nempe pecunia, benefici) aut ſpiritualis cuiuſpiam alterius rei habendæ cauſa data, eſt ergo reddenda. A

Ad confirmationem reſpondend. eſt, negatione conſequentiæ ob cauſam allatam, etſi enim in alienis manibus ſint diuina dona, non eſt tamen eorum retentio licet culpabilis, nociua Deo, ſicut eſt homini, quod ſua retineantur ab alio.

Obiicies 2. Si Simoniace acceptum iure eſt naturæ reddendum, condonatio eius, fieri à Papa nulla poterit: at id aperte falſum eſſe indicat Romana praxis: ergo, &c.

Maior eſt neganda, quia ratio ſeſe iuſta dare poteſt tollendæ indecentiæ, quæ eſt in eo, quod quis priuetur re ſua. Nam Simoniacus dando pretium pro re ſpirituali, peccat: ergo de eo repeti pœnæ iuſtæ à Superiore poterunt, in quibus haud dubie numeranda eſt priuatio pecuniæ, quam dedit pro re ſpirituali: ergo vt hæc per recipientem dari alteri iuſſu Papæ [illegible] ſt, ita & illam eiuſdem auctoritate ſibi attribuere, ſed applicat, cum condonat ei obligationem reſtitutionis faciendæ rei debitæ: ergo. B

Aſſertio quarta, *Qui verè Simoniæ admiſſa eſt reus, non temporale tantum quod eſt ab eo per Simoniam acceptum, ſed etiam fructus collectos, & colligendos à diligenti poſſeſſore reddere debet, deductis tamen expenſis, quas eorum cauſa facere eum oportuiſſet.* C

Cauſa eſt, quod per iniuriam Simoniacus eſt cauſa, cur is, qui ſibi pecuniam, aut domum vel agrum, pro re ſpirituali præbuit, nec iis, ac illorum fructibus eſt vſus, idque non ſine iniuria, cum hic nolit, Simoniacum ſeruare ſua, niſi ad ea ius habeat: ergo cum eo omni careat ex dictis antea, ſi erit in mora illa reſtituendi, peccabit, cum eius, cuius ſunt, iniuria, ac obligatione proinde ea reddendi integre. D

Quinta Aſſertio, *Iure etiam Eccleſiaſtico, accepta Simoniace, ſunt reſtituenda:* ita *can. de hoc autem 11. tit. de Simon.* vbi Alexand. III. Toletan. Epiſcopum admonet, vt inducat Regem & Principes ad reſtituendum Eccleſiæ Exonienſi quæ ab eius Epiſcopo acceperant, *Cum ea*, verba ſunt canonis *ſine graui ſuæ ſalutis periculo retinere non poſſint.* Ex quo apparet accepta pro ſpirituali, vt beneficio, non danti, ſed Eccleſiæ aut pauperibus, reſtitui debere. Quia puniri peccans poteſt in corpore, aut ære, at Simoniacus peccauit, & punitur ab Eccleſia priuatione rei ſuæ, eſt hæc ergo non illi, ſed Eccleſiæ aut pauperibus reddenda. E

QVÆSTIO XLV.

An accepta per Simoniam mentalem, & Conuentionalem ſint reſtituenda.

PRima ſententia eſt Reginald. *to. 1. lib. 10. nu. 43?. & 434.* Nauar. *Enchirid. 23. num. 103.* Candid. *to. 1. diſq. 18. art. 19. dub 1. num. 3.* mentali Simoniæ reſtitutionis nullum onus adiunctum eſſe, quam opinionem ſequitur, D. Thom. *2.2. qu. 100. art. 6. ad 6.* Caiet. *ibid.* Sylu. *de Simon. qu. 20.* Lopez *1. par. inſtruct. cap. 306. nu. 58.*

Contraria eſt aliorum, Antequam probetur notare placet, Simoniam mentalem eſſe duplicem, vnam, quæ latet, ſeque in animæ penetrali continet, alteram, quæ ad actionem dandi & accipiendi ita ſe applicat, vt quamuis nulla inter dantem & accipientem pactio intercedat, neutrum tamen praua ſua voluntas lateat, quia qui ſpiritale recipit, ideo ſibi dari credit, quod ob temporale, quod viciſſim eſt largitus, ſibi ex iuſtitia, deberi putet & idcirco ſibi ab alio rem ſpiritalem reddi exiſtimat, quia eſt debita, in quo decipi vtrumque, ac Simonica labe ambos infectos eſſe, ignorare puto neminem. Quæritur hic ergo an ob tale ſcelus occultæ ac latentis Simoniæ, reſtitui debeat quod eſt vtrinque acceptum, qua de re quid Theologi ſentiant exponam paucis.

Prima Aſſertio, *Probabile eſt tam eum qui recipit pecuniam, quam qui Eccleſiaſticum beneficium acquirit, cum mentali Simonia, animo tantum & voluntate vtrinque concepta, tenentur ad reſtitutionem, ille pecuniæ, hic acquiſiti beneficij:* Ita Henricus Gandau. *quodl. 6. q. 6.* Palud. *in 4. diſtinct. 25. q. 5. art. 3.* Gerſ. *tract. 24. de regul. moral. litera P.* Maior *in 4. diſt. 25. q. 7.* Sotus *lib. 9. de iuſtit. q. 8. art. 1. parag. vt igitur,* Angelus *in ver. Simonia 7. num. 1.* cum aliis quos citant Comitol. *reſp. lib. 4. q. 6.* & probatur.

Quæ per vſuram mentalem à dante tranſfiere in donatarium, hæc illi reddi eſt neceſſe, ex *cap. conſuluit. de vſuris*: ergo & obtenta mentali Simonia.

Conſequentia probatur, à paritate rationis, cauſa cur vero ſuo ac legitimo Domino repræſentare vſurarius mẽtalis debeat, quæ cum hoc vitio ſua facit, eſt hæc inter cæteras non vltima, quod ſine iuſto vllo titulo, ea penes ſe habeat, nec enim à mutuatario ei fuere, donatione ſimpliciter voluntaria tradita, ſed tantum ſecundum quid. At facit hæc ratio peræque aduerſus mentalem Simoniam ac vſurã, ergo cum alieni, quandiu hoc extat, reſtitutio neganda [illegible] omino, nec Si[illegible] ius erit vllo [illegible] ndæ rei per Simon[illegible].

talem acquiſitæ.

Secundo, ſi mentalis Simonia neceſſaria reſtituendi lege *auctorem ſuum* nõ obſtringit, maxime quia pacto caret, quod reſtituendi neceſſitatem parit, Simonia mentalis tale nullum exigit: quæro enim quando, vbi & cum quo D. Petro verbis expreſſis cum Simone de pretio dando conuenerat, pro ſacris ac cœleſtibus Dei donis? nullum eſt aperte pollicitus & tamen a Diuo Apoſtolo audiuit iniquus ac impius.

Quid? quod Giezi omnium opinione Simoniæ eſt apertius maculis. & tamen, nulla ei cum Syri Naamani famulis in erceſſit pactio, ab hac ergo non habet mentalis Simonia, quod per eam accepta & tradita reſtitui debeant

Tertio, quæ nullo, aut ſi aliquo, non niſi iniuſto titulo quidpiam acquirit, vt eius non eſt poſſeſſor verus ac legitimus: ita illud idem vero ſuo domino, cum omnibus fructibus præſtare debet, vt ſentiunt Doctores, & Romanę leges iubent *digeſt. de rei vendicat. lege ſi nauis*, ſed qui aliquid per mentalem Simoniam accipit, illud ipſum accipit ſine iuſto vllo titulo.

Non emptionis, quia inter rem ſpiritalem & pretium nulla eſt proportio, quæ tamen eſt ad emptionem neceſſaria, cum ſit contractus bonæ fidei & iuſtitiæ actus.

Non donationis, cum ex hypotheſi gratis ac liberaliter, quod donatio tamen exigit, qui mentali Simonia polluuntur, viciſſim ſibi nihil præbeant, ſed vt ex iuſtitia debitum, etſi id ſibi mutuo nõ exprimant, verum eſt ergo, quod qui duntaxat mente ſunt & animo Simoniaci, titulo nullo iuſto ad ea retinenda nitantur quæ mutuo ſibi ſunt tradita.

Quarto, maxime facit ad rei præſentis fidẽ canon Greg. *1.* & habetur 1. *q.* 1. *can. ſi quis.* *Si quis*, inquit S. Gregor. *iniuſto cordis amore, vel ſordidis precibus oris, ſiue comitatu ſiue manuali ſeruitio, ſiue fraudulento munuſculo, Epiſcopalem, ſeu ſacerdotalem non lucro animarum, ſed inani gloria auaritia fultus, dignitatem acceperit, & in vita ſua non ſponte reliquerit, eumque imperata mors pœnitentem non inuenerit, procul dubio in æternum periit.* ex hoc enim canone conſtat, primo non requiri, ad contrahendam obligationem reſtituẽdi, pactionem vllam, quia per munus à lingua & manu, cũ eam conſequitur, ſpiritalis rei donatio ex altera parte admittitur Simonia, & tamen non habet collatio rei ſpiritalis, pro munere à lingua & manu pactum vllum, quod eſt argumento tale nullum poſtulari, pro contrahenda obligatione reſtituendi acceptum in mentali Simonia.

Secundo, ex eodem canone habes, accepta per Simoniam mentalem, reſtituenda eſſe, cum eo dicatur, ſpem ſalutis ei aliquam nullam eſſe, qui in vita non reſtituerit accepta tanquam pretium pro munere aliquo per Simoniam mentalem, eo enim ſpectant hæ duæ voces, *fraudulento munuſculo*, nam ſi pactio interceſſiſſet aliqua, dici debuiſſet, quod tale munus fuiſſet manifeſtum & euidens. Eſt hæc ſententia probabilis, oppoſita tamen in praxi defendi poteſt.

Dico ergo ſecundo, *Quæ per mentalem Simoniam ex vtraque parte completam acquiruntur, in conſcientia reſtituenda non eſſe, nec beneficium ſimiliter relinquendum.*

Primo, quia *in cap. Monachi 46. de Simon.* negat Pontifex Abbatem qui Nouitios in ordinem receperat pro pretio, & hos qui dederant, *nullo pacto ſed affectu animi præcedente, pro Simonia teneri, ſed delinquentibus ſufficere per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere Creatori*, quod ei dixiſſe ſatis non erat, ſi tam pretium quam res ſpiritalis per mentalem Simoniam data, reſtitui aut relinqui debuiſſet, nam quid erat facilius quam dicere Nouitiis è cœnobio excedendum eſſe, Abbati autem & Monachis, quæ ab illis acceperant, reſtituenda eſſe?

Secundo, cum reſtitutio ſupponat iniuriam ab eo factam cui præcipitur, ab eorum altero de iis, qui Simoniaca mente affectuque, temporale ſpiritali commutant, aliquam ei illatam eſſe oporteret, cui reſtitutio facienda foret. At talis cogitari nulla poteſt: Nã emptio & venditio, ad quam Simonia pertinet, ſunt contractus voluntarij, ergo vtrinque ab iniuria liberi, vtpote quæ in voluntate repugnantiam exigit, eiuſque auerſionem rei ac odium, quo ius affecti iniuria læditur.

Dico tertiò, *Beneficium acquiſitum per Simoniam conuentionalem non eſſe in conſcientia relinquendum ante ſententiam iudicis, niſi ex vtraque parte, id eſt acquirentis pretium, illudque dantis pro re ſpiritali, realis ſit & completa:* Ita Reginald. *tomi primi lib. 10. cap. 27. nu. 434.* Nauar. *Enchirid. 23. nu. 103. & 104. & in cap. parte de Simon. num.* 28. Henriq. *lib. 13. cap. 37. parag.* 3. Armil. *verbo Simonia nu. 4.* Sa *correctus verbo Simon. num. 6.* Leſſ. *lib. 2. cap. 35. nu.* 149.

Ratio eſt, quod collationis beneficij nullitas, pœna ſit tantum, & quidem nouo iure Pij IV. & V. confidentiali irrogata Simoniæ, antiquo autẽ Pauli II. *Extrau. 2. de Simonia inter communes*, ei quam realem, veram ac completam dicimus, at in caſu poſito, non eſt Simonia conuentionalis, de qua hic loquimur ex vtraque parte completa, ſed dantis ſpiritale tantum.

Maior eſt certa, nam in citata Extrauag. Pauli II. *cum deteſtabile*, expreſſe tam dationis quam receptionis fit mentio, ergo ſi alterutrum duntaxat interuenit, in eius culpæ pœnam, facta beneficij collatio, non eſt futura nulla.

Eſt tamen infirma, cum ea conditione cenſeatur eſſe facta, vt tu pretium promiſſum ſoluas, quod vbi erit ſolutum, illico collatio reſoluitur, nullaque eſſe hoc ipſo incipit.

Quid ſi loco pecuniæ dediſti chirographum, vt certam rei ſpiritalis conſequendæ arrham ac teſſeram? Reſpondeo ne tunc quidem collationem eſſe nullam, cauſa eſt, quod chirographum non ſit pretium.

Quid ſi pars pecuniæ promiſſæ detur, non integra quæ eſt promiſſa?

Ne tunc quidem, incurri pœnas iuris, excommunicationem ſcilicet, collationiſque nullitatem, cenſuere Nauar. *in comm. de Oratione & horis Canonicis cap.11.nu 15.* Leſſius *lib. 2.cap.37. num.34.* niſi forte, pecuniæ pars ea quæ beneficij accepti cauſa ſoluitur, multis partibus, aut aliqua ſaltem ſpectabili, eam antecederet, quæ etſi tunc non detur, dabitur tamen poſtea.

Nam cum in præceptis aut pœnis Eccleſiaſticis, pars maior minorem ad ſe trahat, non poterit dici Simonia realis completa, niſi data, quantitate numeroque, danda ſuperent. Hæc illi.

In contrariam tamen ſententiam abire placet, maximè quoad collationem. Quam viribus reor eſſe deſtitutam, quando aliquid, cuiuſmodi illud ſit tandem, modo temporale, beneficij loco tribuitur. Ita Suar. *lib.4.cap.45. num.17.*

Cauſa eſt, quod etſi in foro externo materiæ leuitas à Simonia excuſet, non tamen in interno ac animæ.

Quid? quod in dicta Extrauag. quantitas accepti non ſit definita? ſed vniuerſe tantum notata, verbis vniuerſalibus ac indefinitis, dando vel accipiendo?

Tertio, nemo negatum ibit, beneficium irrite dari ac inualide, cum intercedit inter dantem & accipientem Simonia, eaque realis ac vera. At quis hic eam non agnoſcit? quis datum, exile licet ac tenue, modo pecuniarium, beneficij loco non arguit vt religioni numiniſque cultui contrarium?

Quare cum electiones (verba ſunt Extrau. 2. *de Simonia*) *poſtulationes, confirmationes, prouiſiones, ſeu quæuis aliæ diſpoſitiones, quas contingit Simoniaca labe fieri, viribus omnino careant, in Eccleſiis, Monaſteriis & quibuſuis beneficiis,* ius nullum acquiratur: ergo eorum collatio propriè eſt nulla. De excommunicatione, alia forſitan eſt ratio, quia tali pœna, non punitur niſi ea actio, quæ deſe, ac vt eſt deſtituta interiori, capax eſt malitiæ mortalis. Qualis non eſt, quæ habet quantiuis pretij, etiam minimi, pro re ſacra numeratio.

QVÆSTIO LXV.

Quis in pœnis Simoniaco impoſitis abſoluere, & diſpenſare cum illo valeat?

DIco primò, *Solius eſſe Pontificis, auctoritate qua pollet, collationem Simoniace factam, de nulla reddere validam:* quia prædeceſſorum ſuorum decreta conuellere, ac ſi quam vim habent, abrogare, vt acta, quæ his ſunt oppoſita, valeant, in iure Pontificum eſſe, ambigere nemo niſi canonum ignarus poteſt; enimuero cum par in parem poteſtatem non habeat, anteceſſorum teneri lege Papa non poteſt, ergo quæ per eos, beneficij prouiſio eſt inanis, irriteque nulla, eius eſſe voluntate rata poteſt, non Epiſcopi *extra de electione cap.59.* Sanch. *lib. 2. cap.3. dub.120. num.7.*

Dico ſecundò, *Ab excommunicatione, quam Simoniacus culpa ſua incurrit, abſoluere Epiſcopum poſſe, cum eſt hæc occulta,* Trident. *ſeſſ. 24. cap. 6.* Religioſos item mendicantes, quibus eſt id à Papa conceſſum, nec eorum eſt, ea de re priuilegiis derogatum.

Dico tertiò, *Epiſcopum diſpenſare non poſſe circa pœnam inhabilitatis, ad alia beneficia, etiam in occultis vigore Concil.*

Ratio eſt, quod ea de re, nulla fiat ab illo commentio.

QVÆSTIO LXVI.

Quomodo iuuari Simoniacus debeat.

PRimo, moneri debet, vt à beneficio abſcedat, illudque ſuperiori relinquat digno conferendum homini, aut ſibi, ſi volet.

Secundo, ſi erit eius Simonia occulta, abſolui poterit à ſuo Epiſcopo ab excommunicatione, facultate ei ad id per Tridentinum data *ſeſſ.24.cap.6.de reformatione.* A mendicantibus item, in foro interno, ſi beneficium male poſſeſſum dimittat, aut dimiſſurum ſe ſpondeat, quo in caſu, fructus etiam male perceptos condonari eidem, olim ab his ex cauſa potuiſſe, norunt, quibus eorum nota eſſe potuere priuilegia, maxime data viuæ vocis oraculo, antequam eſſent ab Vrbano VIII. reuocata.

Si erit Simonia manifeſta, aut beneficio cedere ſuo Simoniacus nolet, ad Papam ablegandus erit, a quo ſi nouam eius impetrare collationem poterit, omnis ei futura eſt, honeſta, ſecuraque ratio, tam eius poſſidendi, quam percipiendorum fructuum, quibus eſt ... ſus, à die ... male ſibi collati beneficij, nec alia compenſatio erit neceſſaria.

Cauſa eſt, quod citra relaxationem Ponti- A ficis, fructus beneficij, ſucceſſori ſint debiti, & pro ſibi ſuccedit eatenus, quatenus ex iniuſto, legitimus eius fit, verutque poſſeſſor, conceſſione Pontificis.

Ne autem eiuſmodi collatio ſit ſubreptitia, debet impetrans, in ſuis ad Pontificem ſupplicibus literis, mentionem facere de Simoniaco ſuo ingreſſu ad id beneficium, alioqui non valebit prouiſio, quod ſimiliter locum habet, quando eo ignorante facta eſſet Simonia.

Tertio, petet à Pontifice, vt literis quas *perinde valere*, nominant, ſe iterato dignetur beneficio, ſupplendo, aut verius, poteſtate qua pollet, quidquid in eo acquirendo peccauit tollendo. B

Quarto, ſi non erit abſolutus, facultatem ſibi fieri poſtulabit, abſolutionis ab excommunicatione incurſa per Simoniam conſequendæ, Rebuff *par. 1. praxis tit. quot modis beneficia acquirantur num. 9.*

Quod ſi erit pœnitens confidentiali Simonia implicitus, iuuari non poterit, niſi poſt relictum beneficiũ & cum eo turpe miniſteriũ, C quod alteri cui beneficiũ ſeruat, improbe exhibet, cauſa eſt, quod quandiu operam in eo ſuam illi accommodat, vt culpa mortali, ita & excommunicatione, cẽſuriſque alijs teneatur irretitus, cum quibus locus eſſe abſolutioni non poteſt. Quare ſi confidentiæ pertæſus, ei plenus animi remittat nuntium, à cenſuris & irregularitate abſolui ab Epiſcopo poterit, ſi ſuum, nulli eſt Simoniæ vitium, cognitum. Similiter reconciliari cum Deo à mendicantibus priuilegiatis Confidentiarius poterit, in foro animæ, in vtroque vero, id eſt tam interno quam externo in Gallia, à D Nuncio Apoſtolico aut eius ſubdelegato, iuxta facultatem à Sixto V. illi conceſſam, de qua nos antea. quo abſolutionis beneficio ab hoc vel illo, donatus, eodem circa quod eſt admiſſa Simonia, vel alijs gaudere beneficiis per nouam P... prouiſionem & collationem poterit, nam vt ante indicauimus, Papæ licet diſpenſare in pœnis Eccleſiaſticis quarum ſuos præceſſores auctores fuiſſe conſtat. Et quia pœna inhabilitatis ad beneficium Simoniace acquiſitum, aut alia omnia ante poſſeſſa, & poſſidenda non obligat niſi poſt ſententiam, quandiu hæc non fertur à Iudice, E Epiſcopo crimini non dabitur, Simoniacum à cenſura abſolutum, beneficio dignari nouo aliquo.

Quod ad compoſitionem fructuum attinet, aut reſtitutionem eorundem legitimam ac iuſtam, eſt hæc in caſu publico petenda à Dataria, in occulto à Pœnitentiaria, Theſau. *in prax. Eccleſ. parte 2. verbo Simon. cap. 2.* quia talis eius eſt praxis, quam p[er] Breue reformationis inductam, vtuque ipſ[...] communi

approbatam ait.

In Gallia autem conceſſione Sixti V. Pontif. vt in Apoſtolico ſuo diplomate ipſe memorat, licet Epiſcopis bene mereri de Confidentiariis, relaxatione reſtitutionis fructuum omnium, aut partis eorum quod tamen raro eſt neceſſe. Quia confidentiarij quos communiter *Cuſtodes*, nominant, ab iis quibus beneficia ſeruant, ſibi aut liberis reddenda cum volent, ordinarie non amplius recipiunt, quam quantum eſt illis ad vitam neneceſſe, ergo cum Simoniacus, tantundem ex beneficij fructibus aſſumere ſibi poſſit, quantum alteri datum fuiſſet, qui officio functus eſſet, quale eſt, quod ad honeſtam ſuſtentationem requiritur, cuſtodi ſi in eius terminis ſubſtitit, vulgo imperanda nulla erit reſtitutio ſed ei duntaxat, cuius nomine beneficium ſeruauit. Quod ſi Confidentiarius, in eam impelli mentem non poterit, vt fructus Simoniace, proindeque iniuſte ac male acquiſitos Eccleſiæ reſtituat, aut pauperibus, monendus eſt, vt hominem eligat, cui, à ſuperiore beneficium conferatur, quod non niſi Simoniace poſſidet, ac proinde inualide ac ſine titulo, pro quo, Gallis Simoniaco ſanctam ſedem conſulere, nihil eſt neceſſe, cũ enim per Bullam Sixti V. beneficij quod per Simoniam confidentialẽ legitimo eſt poſſeſſore vacuum, collatio reſeruetur Ordinario, videtur quantũ eſt ſatis, vtriuſque, id eſt Simoniaci, & prouiſi conſcientiæ conſuli, ſi iſtum, ille ſibi beneficio admouendum credat. Sic enim Sixtus V. in Bulla ſua apud Nauar. *in Enchir. cap. 23. iuxta editionem Lugdun. anni* 1597 *Beneficia*, inquit, *occaſione confidentiæ huiuſmodi ad præſens vacantia, & in poſterum vacatura, ab ipſorum beneficiorum ordinarijs collatoribus, perinde ac ſi diſpoſitioni dictæ ſedis Apoſtolicæ, minime reſeruata fuiſſent, liberè conferri, & de illis prouideri poſſe, & debere decernimus, dum tamen talium criminum participes, aut conſentientes non fuerint.*

Quod autem de abſolutione eſt dictum, ſic debet intelligi, vt communiter Simoniaco non detur, niſi poſt miſſum pro reualidatione tituli nuntium ad Pontificem, ac abſolutione conſequenda à cenſuris, ei tamen ſi foret in mora, neganda eſſet, Sanch. *lib. 2. conſil. to. 1. dubit. 123.* cum aliis quos citat, ratio eſt, quod cum Simoniacus ſit intruſus, de eo loqui ac ſentire poſſumus vt de fure, at hic, dum rei alienæ quam eſt furatus, remiſſionem non eſt à Domino conſecutus, niſi reſtituat, abſolui nequit, ergo nec Simoniacus. Poteſt tamen ſi eſt curatus, Parochianis ſibi ſubditis miniſtrare Sacramenta, beneficia circa quæ eſt admiſſa Simonia retinere, dum Roma diſpenſatio à Pontif. mittitur, ſi eſt ab excommunicatione per priuilegiatos ſimul, & irregularitate quam ſacrificando contraxit, abſolutus.

Ratio

Ratio eſt, quod titulus coloratus cum erro re communi populi iuriſdictionem tribuat, at talem habet Simoniacus Parochus, cum eius culpa eſt occulta, nec eſt quiſquam de populo, qui eum pro Parocho non habeat: ergo, &c.

De compoſitione pro fructibus, male ſuſceptis & rehabilitatione Simoniaci ad beneficium, quod eſt dictum, intelligendum eſt duntaxat in caſu, quo ei non fit noua eiuſdem per Pontificem collatio, enimuero ſunt fructus beneficij quod vacat, ſucceſſori debiti, *de officio ordinarij cap. 4. de elect. in 6. cap. 40.* ergo & beneficiario cui Romæ, iterato eſt beneficium, in quo eſt patrata Simonia, conceſſum.

Nec id modo, ſed & Epiſcopo fas eſt in Gallia, Confidentiario, vt dicebã paulo ante, fructus male perceptos ſicut & eius in beneficio ſucceſſori legitimo, condonare, ex cauſa iuſta. Iſti quidem, quia vt ad eum illi iuxta canones ante citatos, iure quam optimo pertinent, ita ab eodem remitti debitori poſſe ex cauſa, vt mendicitatis, inopiæ, vel miſericordiæ, nemo vel mediocriter iuris ſcientia tinctus ambigit. Illi autẽ, hoc eſt Epiſcopo, quia eſt id ei, à Sixto pro Cõfidentiariis Gallis ex cauſa, indultũ, ſic enim ille in Bulla citata. *Fructus*, inquit, *ex Eccleſiis, Monaſterijs, & alijs beneficijs prædictis malè & indebitè perceptos, in vſum ac reparationem Eccleſiarum, Monaſteriorum, ſuper quibus Confidentia huiuſmodi contracta, & commiſſa fuerit, per Archiepiſcopos, ſeu Officiales, conuerti, & applicari volumus.* Ita Sixtus.

E P I T O M E.

EORVM QVÆ SVNT *priore Tractatu dicta de Simonia ex Concilijs & Canonibus.*

CAPVT I.

Quid ſit Simonia, quotuplex, & quale peccatum.

EST Simonia, quæ in Concil. Vernenſi *can.* 24. *Simoniaca hæreſis*, dicitur in Concil. Pariſienſi 6. *can.* 11. *odibilis peſtis* à Leone IV. *in epiſtola 2. ad Epiſc. Britanniæ deteſtabile nefas.* Eſt (inquam) Simonia, ſtudioſa voluntas emendi aut vendendi aliquid ſpiritale pro temporali. Quadruplex eſt, Mentalis, Realis Conuentionalis, Confidentialis. Diuidunt eam alij in Eccleſiaſticam, & eam quæ eſt naturali iure prohibita, ſeu naturæ iure mala, eſt

A mentalis ſoli Deo cognita, ſitque cũ qui ſpiritalia diſtribuit alteri, ab eo temporale commodum, vt ex iuſtitia debitum, reddi beri ſibi tacitus poſtulat, ac vice verſa, qui eſt liberalis in alium, ſuarum cum eo communicatione rerum, has exiſtimat ſpiritali aliquo compenſandas eſſe munere ex iuſtitia, ſecus accipienti maculam inurendam eſſe lætæ iuſtitiæ.

Eſt realis, cum ex pacto, hinc quidem pecunia aut quidpiam ei æquipollens pro re ſpiritali. & ſacra recipitur, & illinc, hæc in eius compenſationem redditur.

Conuentionalis pura, præter promiſſa rei ſacræ cum temporaria commutãdæ, nihil ha-
B bet, eſt tamen mortalis, damnatur enim in Simone qui Actor. 8. *pecuniam Apoſtolis obtulit dicens, Date & mihi hanc poteſtatem, vt cuicunque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum*, cum enim; *donum Dei exiſtimaret pecunia poſſideri poſſe, Act. 8.* Spiritum ſanctum tanquam ſeruum, à ſua voluntate arbitrioque ſic pendere voluit, vt quoties placeret, munera ſua quibus imperaret, supernè infunderet, 1. *q.* 1. *can. eos qui* quo quid in eum cogitari aut à quoquam contumelioſius fieri poterat? vt
C miratı nemo debeat ſi vt Simonem, Apoſtolus Petrus, ita & eius imitatores ac aſſeclas Eccleſia piorum cœtu moueat, 1. *qu.* 1. *can. ſi quis Epiſcopus, Chalcedon. Concil. can.* 2. *canon Apoſt.* 30. *Si quis Epiſcopus Presbyter vel Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, deijciatur, & ipſe & ordinator eius, à communione modis omnibus abſcindatur, ſicut Simon Magus à Petro*, & à Chriſto Seruatore vendentes & ementes in templo, quod eius eſt rei qua de agimus, argumentum exceptione omni maius, Gregor. Papa teſte *in epiſt. ad Vigilium Arelat. Archiep* cum reſcindi de Eccleſia, vt membrum fœtens ac putidum à corpore, ne-
D mo fidelium debeat, niſi qui magnorum ipſe ſcelerum labe, diuinis ſe obtutibus indignum exhibet, quo de numero Simoniam eſſe qui dicet, vt oportet ac decet, loquetur ac ſentiet. Enimuero *vulnus eſt cancroſum*, inquit Ambroſ. *quod Eccleſiæ mucrone frequenter conſtat eſſe ſuccisum*, 1. *q.* 1. *can reperiuntur* 7. *execrabile flagitium, turpiſſimum lucrum, can. ſi quis Epiſcopus* 8. *eiuſd. q. & cauſæ*, crimen abominabile, ad inſtar eius quod eſt publicum, & *læſæ maieſtatis*, omni pœnarum acerbitate puniendum, vt *eos quos facinus par coinquinat, & æ-*
E *quat, vtroſque ſimilis pœna comitetur*, 15. *q.* [illegible] *can ſine* 4. quam pœnam æternam eſſe ſcr[illegible] Hincmarus Remenſ. in Capitulis in Syno[illegible] Remenſi datis anno 874. *articulo quint[illegible]* Equidem ſi fides eſt Tharaſio, *qui hanc ins[illegible] quam actionem operantur, detrahunt Spiritui ſancto, æqualiter peccantes his, qui blaſphemauerunt, dicentes, Chriſtum in Beelzebub eijcere dæmonia, atque vt verius dicamus, Iudæ comparantur proditori, qui Iudæis* [illegible]

Chriſtum vendidit, Tharaſ. *in epiſtola ad Adr. Pap.* & refertur, 1.*q.*1.*can.eos qui* 21.

De huius autem culpæ qualitate, diuerſi diuerſa ſentiunt, ad auaritiam eam pertinere dixere aliqui, quod acre nimis ac vehemens, pecuniæ ex re quæ omni pretio eſt maior, comparandæ ſtudium habeat.

Fidei eam opponunt alij, quod illam hæreſis habere maculam veteres exiſtimauerint, quæ vt eſt *in cap. ſicut 6. de Simonia magnitudine ſui morbos animi omnes vincit*, cunctiſque eſt prior, Greg. Papa teſte *in epiſt. ad vigil.* In quo tamē paucos admodū illis aſſentiri eſt certū, quod cum fide ſtare poſſe Simoniam nemo ambigat, quotuſquiſq; enim eſt eorū qui viam ſibi ad ordines, aut ſacros Eccleſiæ magiſtratus pecunia muniunt, qui id vindicem Dei oculum latere? aut eo aſpirare ſe poſſe putet ſine crimine?

Loquuntur hi verius, & ad perſuadendum fortius, qui Simoniam vt ſacrilegij germanum partum, religioni aduerſum, calamo ipſi ſuo nobis delineant pinguntque. Enimuero quid eſt magis aduerſus Deum, eius cultum ac reuerentiam, quam indigna rerum ſacrarum, Deique ipſius tractatio? At eſt in eo Simoniacæ labis turpitudo ac fœditas, quod res ſacra, irreuerenter ac indignè habeatur, per commutationem ſui cum pecunia, quo quid eſt turpius? ſic enim fit, vt illa compoſita pretio, non pluris eo valere cenſeatur.

Primo, quia cum inter rem quæ venditur & pretium quo emitur, intercedere debeat æqualitas, præ ſe Simoniacus videtur ferre tacite, tanti facere ſe pecuniam, quanti rem ſacram, (*quis enim non vile putat eſſe, quod venditur?* inquit Hermiſdas) quod in Seruatoris dedecus cedit, ac ignominiam, eius dona diuina ac cœleſtia, æſtimari tam vili, vt auro, argentoque infimis caducisque fortunæ membris commutentur.

Eſt & aliud, in quo à Simoniacis contemptum ſe diuinum numen queritur, nempe quod *iſti S. Spiritum efficiunt ſuum ſeruum, omnis enim Dominus, quod habet, vendit ſi vult, ſiue ſeruum, ſiue aliud quidpiam eorum quæ poſſidet, ita qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt Spiritui ſancto* 1. *q.* 1. *can. eos qui* 21. Maius eſt, quod à S. Gregorio Papa 1. dicitur, à Simoniaco æternum numen vendi, ac ad lucrum, quæſtumque adhiberi, ſic enim ille, *in epiſt. ad Vigilium*, Arelat. *Columbas vendere, eſt ac Spiritu ſancto quem Deus omnipotens conſubſtantialem ſibi per manus impoſitionem tribuit commodum temporale percipere.*

A

CAP. II.

Quænam ſit materia Simoniæ.

PAtet ex dictis, Simoniæ materiam hoc eſt, obiectum circa quod verſatur, & admittitur, eſſe rem ſacram, tam quæ eſt in ſe talis, quam quæ relatiue tantum, id eſt antecedenter, concomitanter, aut conſequenter.

B Eſt id antecedenter ſpiritale, quod ita cum eo eſt connexum, vt illud tamen tempore vel natura antecedat, vt eſt calix reſpectu ſacrificij. Adhæret id concomitanter rei ſpirituali, quod ab ea eſt inſeparabile, vt eſt labor, qui in actione ſpiritali exercenda ſuſcipitur.

Conſequenter, quando res temporalis pendet à ſpiritali, quæ ideo illa eſt, hoc eſt tēporali prior tempore, patet in beneficiis, in quibus ſpectanda eſt ante omnia poteſtas ſpiritalis, hoc eſt ius exequendæ ſacræ functionis, & ex conſequenti facultas quæ ex eo naſcitur, proditque, colligendi reditus ei annexos, indi-
C cio eſt, quod Pontifice auctore ac teſte detur, *beneficium propter officium cap. finali de reſcript. in 6.*

Spiritualia circa quæ fit Simonia, in tripli ci ſunt differentia, quædam ſunt eſſentialiter talia, vt gratia, charitas, donaque Dei ſupernaturalia. Alia ſunt cauſaliter tantum talia, vt nouæ legis Sacramenta, quæ ſunt diuinæ in nobis producendæ gratiæ inſtrumenta cœleſtia. Tertium genus rerum ſupernaturalium, earum eſt duntaxat, quæ effectiuè ſunt tales, cuiuſmodi ſunt, quæ à poteſtate ſupernaturali
D ac ſacra, trahunt originem, vt baptizare, ordinare, conſecrare, abſoluere.

Et ita habendi ſunt pro Simoniacis qui gratiam Sacramentorum vendunt, 1. *q.* 1. *can. qui ſtudet* 11. *can. ſicut Eunuchus, can. gratia cap. non ſatis, cap. conſuluit de Simon.*

Secundo, qui pro ordine ſacro ab Epiſcopo conſequendo, pretium aut quidpiam eo æſtimabile capiunt ac offerunt 1. *qu.* 1. *can. Preſbyter* 3. *canone cum ordinaretur can. Sacerdotes can. quæcunque* 2. *can. pueri* 120. *ead. q. & cauſa*, Concil. Chalcedon. *can.* 2. *ſi quis Epiſcopus*
E *per pecuniam ordinationem fecerit.* Pœna ordinantis Simoniace, eſt deiectio à gradu Chalc. *can.* 2. ordinati ſuſpenſio ab ordine: *Qui ordinatus eſt, nihil ex hac ordinatione, vel promotione, quæ eſt pro negociatione facta proficiat, ſed ſit alienus à dignitate, vel ſollicitudine quam pecunijs acquiſiuit.* Chalcedon. Concil. ſupra.

Tertio, eſt ex dictis Simoniacus qui pro Sacramento pœnitentiæ pecuniam præbet, ac recipit, 1. *q.* 1. *can. remiſſionem*, aut communione *can. nullus Epiſcopus ead. q. & cauſa*. pro

chriſmate

chriſmate *can. dictum 1. q. 1. cap. quæ ad noſtram cap. in tantum de Simon.* Pro dedicandis Eccleſiis *can. ſtatuimus 1. q. 1. earum conſecratione ead. q. &c.* pro exercendo quocunque miniſterio ſacro *can. quam pio 1. q. 2. Qui enim pro aliqua ſuſceptione Eccleſiaſtica munus accipit, donum Dei quod à Patre luminum deſcendere debuit, vendit, munus autem largiens, importunus emit,* quæ omnia in Concil. Aquilgran. 2. ſub Lud. pio a. 836 prohibita eſſe cõſtat ex his eius verbis: *Nullus Epiſcoporũ vel miniſtrorum ipſorum pro diſtributione ſacrorum ordinum, vel pro immutatione titulorum aliquid exigere præſumat, nec pro dedicatione Eccleſiæ, ſeu pro acceptione ſacri chriſmatis.*

Eſt item Simoniacus qui præſentationem ad beneficium pecunia ſibi comparat, iudicio Hincmari *in Capitulis in Synodo Remenſi datis art. 5.* Dicendum idem de Sacramentalibus, quæ ſacræ ſunt cæremoniæ ab Eccleſia, poteſtate ſibi ſupernaturali à Chriſto tradita inſtitutæ, *cap. cum in Eccleſia de Simon. 9.* Enimuero cum ſint ſpirituales tam ex parte ſui principij, qui eſt Chriſtus, à quo eſt hæc vt dicebam proxime, poteſtas Eccleſiæ tradita, quam finis, qui eſt animarum ſalus, ad quam per ſe ac directe ordinatur; prudentiſſimè ſanxit Lateran. Concil. *ne pro Epiſcopis, vel Abbatibus, ſeu quibuſcunque perſonis Eccleſiaſticis ponendis in ſedem, ſeu introducendis Presbyteris in Eccleſiam, necnon pro ſepulturis & benedictionibus nubentium, aliquid requiratur cap. cum in Eccleſiæ corpore 9. de Simon.*

Multorum eſt opinio labe Simoniæ eos non vacare qui pro labore, ſeu defatigatione corporis, quæ per ſe, ac neceſſario ſacro eſt coniuncta miniſterio, vt puta conſecratione Eccleſiæ, Miſſæ celebratione, aliquid, quod pretii aut temporalis commodi inſtar habeat, exigunt aut capiunt: ita D. Thom. *in 4. diſt. 25. q. 3. art. 2. q. 2.* Palud. *in 4. q. 5. art. 2. concl. 1.* Sylu. *verbo Simonia q. 9. dicto 3.* Leſſius *lib. 2. de iuſtit.*

Ratio eſt, quod labor, non ſit pretio æſtimabilis, niſi in ordine ad opus, cuius cauſa ſuſcipitur, ergo ſi opus ſit ſpirituale, ac proinde inuendibile, vt reuera eſt, labor ipſe quoque erit eius generis ac naturæ, ratione ſui termini: ergo eiuſmodi, vt ei repugnet vendi, *quiſquis enim horum alterum vendit, ſine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum dereliquit can. ſi quis obiecerit 1 q. 3.*

Contrarium ſentire Bonau *in 4. diſt. 25. art. 1. q. 4.* Adrian. *quodl. 9. art. 1.* & alij argumento hoc vno præ cæteris freti, quod labor corporalis, qui alterius cauſa ſubitur, pretio ſit æſtimabilis, cum de ſingulis qui operam ſuam locant alicui, dictum ſit Luc. X. dignos eos eſſe mercede ſua, ſed labor qui eſt in conferendis Sacramẽtis, eſt materialis ac corporeus, eſt enim manũ, aut labiorũ motio, illa quidem in materia applicanda ſubiecto ſuo, hæc autẽ in forma efferenda, ergo cũ hic referatur ad vtilitatem & commodum eius, cui Sacramẽtum confertur, ab eo ille operæ ſuæ mercedem repetere poterit. Eſt hæc ſententia in praxi minime conſulenda. Oppoſitam qui ſequentur dicent primo, operationem quæ in Sacramentorum collatione exercetur, ſpiritualem eſſe, ex fine, ac termino ad quem tendit, gratia ſcilicet, culparumque remiſsa, & ſic minorem negandam eſſe, concedendam autem, prout eadem operatio generice ſumitur, & vt habet rationem ſeruitij in communi, non autem huius aut illius in ſpecie, ac indiuiduo

Ad confirm. petitam ex Chriſti verbis Luc. 10. Reſpondendum erit, ſi mercedis nomen ſtricte capiatur, vt idem eſt ac pretium, ſeu æſtimatio operis negandum eſſe, pro miniſterio mercedem exigi poſſe, quia æſtimanda eſſet ipſa functionis ſpiritualis dignitas, quod repugnat, ſi autem merces conſideretur cum relatione ad habitudine ad operantem, ac proinde late, admittendum eſt ei dari poſſe ſtipendium maius aut minus, pro ratione gradus eius, ſtudii, nobilitatis ac operæ maioris aut minoris, quod ſtipendium ſuſtentatio dicitur, non merces aut pretium, eo quod non commenſuretur valori, dignitati, ac vtilitati operis ſecundum propriam ac ſpecificam rationem ſuam, quod tamen exigit merces ac pretium, quæ cauſa eſt cur hæc ſuſtentationis vitatæ ſtipendia, non niſi impropriè ac abuſiuè mercedis nomen habeant.

Pro iure autẽ ſepulturæ, ſeu vt aliquis in loco ſacro aut cœmeterio, ſepeliri poſſit dari nihil poſſe aut exigi tanquam pretium ſine Simonia, quæ ſaltem ſit iuris Eccleſiaſtici, communis eſt Doctorum ſententia D. Tho. *qu. 100. art. 4 ad 3* Sylu. *verbo ſepultura q. 2. & verbo Simonia q. 11. & 12.*

Ratio eſt, quod tale ius, ſpirituale ſit effectiue, vtpote à Chriſtianiſmo ortum, hoc ipſo enim quod quis eſt ſacris vndis lotus, eorumque beneficio Chriſtianis aggregatus, ſepulturæ ius habet, quo priuari non poteſt ſine labe Simoniæ.

Secundo, eſt benedictio Eccleſiæ ſic conſtitutiua rei ſacræ, vt per eam quoque, locus ſit habendus in rerum ſacrarum numero, emere ergo ſepulturam in certo loco, cum reſpectu ad eius conſecrationem, aut dignitatem, ex propinquitate ad maius altare, eſt Simoniacum, Simonia iuris diuini. Eſt etiam talis iure Eccleſiæ, à qua prohibetur in *cap. Abolendæ 13. de ſepulturis.* Ibi enim Magolenſi Epiſcopo mandatur ab Innocent. III. vt Clericis inhibeat ne pro ſepultura quicquam omnino accipere præſumant, ſed de his nos antea. Terram vero vendere, quæ

ad ſepulturæ ſacræ vſum cedat, culpam non eſſe, tam eſt certum, quam quod maxime. Quis enim Abrahamo ſanctior? & tamen agrum ſibi pretio comparat, vbi Saram vxorem condat. Deinde cui non inerudito eſt cognitum, res ipſas materiales quibus ipſa ſpiritualitas annectitur accidentaliter, remanere ſemper ſecundum ſe pretio æſtimabiles, ac proinde vendi poſſe? dummodo ne maiori pretio, ob id quod in iis eſt ſacrum, quam ſi tale nihil includerent?

Cœmeterium quidem, & Eccleſiam cum fundo, in quo ſunt ſita, diſtrahere quemque poſſe cum eſt neceſſe, imo & Eccleſiam ipſam, æſtimando ſaltem expenſas, quæ in ea exædificanda ſunt factæ, dixere Laym. *lib. 4. tract.* 10. *cap. vlt. parag. 4.* Suar. *de Simon. cap.* 14. *num.* 18. quia tum nihil niſi ſola materia venditur.

Hæc eſt cauſa, cur ſepulchra ſuis empta ſumptibus, aut ſibi ac propinquis extructa, vendere nobili viro non ſit in vitio, dummodo in eo commercij genere, ſolius fundi, aut expenſarum habeatur ratio, benedictionis nullo modo, Suar. ſupra, cum enim hæc ad hæredes tranſeant tam Pontificum decretis, vt ex *cap. 1. & 3. titulo de ſepultur.* eſt planum, quam præiudiciis Senatorum Pariſienſ. quibus id arreſto duplici ſtatuere eſt viſum, anno 1602. & 1604. Chenutio teſte *in ſingularib. q. 84.* & Bleyano *tit. de quibuſcunque turib. nu. 37. littera G. ad marginem*, cum (inquam) ſint ſepulchra in quæ ſunt parentes illati, ſic liberorum propria, vt hæc iis repugnantibus, ſibi vendicare nemo illæſa virtute queat, de genere ſpiritualium eſſe non poſſe, vt ipſe ſileam, facile eſt, pronumque cuique noſſe.

Ob eandem cauſam ſi quis ſibi familiæque certum locum cœmeterii, aut Eccleſiæ addictum eſſe velit, vt proprium, in quem tam ipſe, quam nepotes ſui inferantur, non videtur eſſe illicitum pro tali iure quid exigere, præſertim ſi moris eſt id ita in ea prouincia fieri. Ratio eſt, quod obligatio quæ incumbit Clericis, non ſepeliendi alios in eo loco, ſit pretio æſtimabilis, ſicuti notauit Suar *cap.* 12. Binſfeld. *de Simon. q. 1. concluſ.* 3. eademque eſt ratio locorum, quæ in Eccleſia, ſibi ad ſedendum quidam attribui volunt à Parocho, pro quibus pecuniam quæ ad fabricæ vſus applicetur dari poſſe ſine Simonia: communis eſt Doctorum opinio, confirmata decretis Curiæ.

Sunt tamen aliqui caſus, in quibus pro ſpirituali temporale dare licet. Primo quidem, datur eleemoſyna pauperi, vt danti preces retribuat, ſuppeditantur concionatori, ac Parocho, neceſſarii commeatus ad victum, ea lege duntaxat, vt miniſtrantibus temporalia, miniſtrent ipſi ſpiritualia, ille quidem, monita ad virtutem ſalubria, iſte autem Sacramenta, & preces in Miſſa.

A Secundo, licita eſt redemptio vexationis iniuſtæ, qualis eſt, cum qui vexatur habet ius in re, & ad rem, & tamen datur tunc pro re ſpirituali, temporaria, pecunia ſcilicet pro beneficio eiuſque poſſeſſione adipiſcenda, à qua vexatus impediebatur à vexante,

Similiter, laudi datur ac gloriæ, Sanctorum reliquias, ac beneficia, de poteſtate hæreticorum ac manu, pretio eripere, ſunt tamen ambæ hæ res de numero ſerieque temporalium exemptæ.

Quid? quod ſuffragatores Canonici demulceri pecunia queant, ne indignum eligant? (B) quod cum collatore precibus ac donis facere quiſque poſſit vtiliter ac fructuoſe, vt non niſi digniſſimum promoueat ad honorem vacantis Eccleſiæ? etſi præter eum alius nullus ſit ſuper, cui conferatur? quod ſacerdotis animus pretio flecti poſſit, vt abſoluat, quem de peccatis confitentem audiit? cui tamen ſine cauſa abſolutionem dare renuit, Suar. *lib. 4. cap.* 10.

Ratio eſt, quod non peccare ſit laudabile, (C) ergo & auctorem eſſe alicui, id ne agat, honeſtum eſt ac prædicabile, ſed qui iniuſtam vexationem redimit, peccatum alienum impedit, cum hoc vnum propoſitum habeat, pecunia obtinere à vexante ne peccet, aut ſi iam quidpiam admiſit cenſura dignum, facere vt ab eo deſiſtat ac ceſſet, quod cum ſine noui iuris acquiſitione accidat, demulcere peccantem pretio, ne iniuſte vexare inſontem pergat, non eſt Simonia.

Tertio, ſine culpa, id quod eſt antecedenter annexum ſpirituali, aut conſequenter, (D) dari poteſt alicui cum pacto temporalis alicuius oneris ſubeundi, vt faciendi ſacri quotidie ante lucem: ſimiliter legantur certæ Eccleſiæ, poſſeſſiones & fundi, cum onere dicendi ſacrificij quotannis, aut hebdomadibus, dantur dignis beneficia cum obligatione inſeruiendi ægris, dandi certæ perſonæ pecuniæ ſummam aliquam quot menſibus, aut diebus.

Quarto capi temporale poteſt pro ſpirituali non tanquam eius pretium, ſed vt debitum ratione legis aut conſuetudinis antiquæ, niſi ea reſpuatur ab Eccleſia, vt morum, animique corruptela certa, cuiuſmodi conſuetudinum tres eſſe ſpecies video.

E Prima eſt, eorum qui anticipatis ſolutionibus *chriſma vendunt, recipientes in media quadrageſima quod recipere conſueuere circa Paſcha, & vocat ſam recipiendi diſſimulent, nomen denariorum variant,* Innoc. *cap. in tantum* 36. *de Simon.* quod Simoniacum eſſe expreſſe declarat Alex. III. *in cap. ea quæ 16. eiuſd. tit.*

Secunda eſt eorum qui pro collatione Ordinum, quidpiam exigunt, hominum opinione pretio æſtimabile 1. *q. 2. can. 4. & primo de Simon.* quod ad eos quoque pertinet qui vocem ſuam, aut calamum ordinato accommo-

dato

dant, vt Archidiaconus qui cum dignum eſſe ſacro charactere renuntiat, Notarius, qui de eius ordinatione ſcripto fidem facit. Et quanquam vltro oblata recipere olim Epiſcopi poſſent, eſt id illis tamen lege Concil. Trident. *ſeſſ. 21. cap.* 1. prohibitũ, ſicut & ordinatis dare, qui tamen inuiti & repugnantes tribuãt excuſantur, Leſſ. *lib. 2. cap. 35 dubit. 10.* nec cenſuræ pœnam ſubeunt, Suar. *lib. 4. cap. 16. nu.* 5. ſicut nec Notarius, qui pro literis teſtimonialibus aut Tonſura pecuniam ſibi ex conſuetudine petit & recipit, cum ſtipendium operæ ſuæ conſtitutum non habet, Regin. *to. 2. lib. 25. nu.* 174. Leſſ. *cap. cit. dub.* 24 nam in primis dantur dimiſſoriæ literæ ante ordinationem, teſtimoniales poſt acceptam, neutræ pro illa.

Quid? quod leges pœnales non ſunt vltra ſuos terminos extendendæ? at Tonſura, non eſt ordo, ſed via diſpoſitioque ad illum, excommunicationem ergo ac ſuſpenſionem non incurrit, qui pro prædictis literis aliquid recipit.

Reprobatur itẽ ab Eccleſia ea conſuetudo, vt ſimoniaca, quæ certis in Diœceſibus inualuit, exigendæ pecuniæ à beneficiariis pro eorum miſſione in collati ſibi beneficii poſſeſſionem, Trident. *ſeſſ.* 24 *cap.* 14 Innoc. *cap. in tantum 36. de Simon.* his verbis: *Prauam etiam illam conſuetudinem, de tua prouincia ſtudeas abolere, per quam pro Eccleſiarum inueſtitura, Archidiaconi marcham argenti, minores vero Decani, vaccam albam ſibi dari poſtulant, vel certam pecuniæ quantitatem.*

Fas tamen eſſe Gallis Epiſcopis, cæteriſque collatoribus, pro collatione, aut introductione in poſſeſſionem aureum vnum capere, ſcripſit Rebuff. *ſuper Concord. titulo de publ. concubin.* [illegible], non autem pro iucundo aduentu aut charitatiuo ſubſidio, quæ omnia, *cum ſancta Synodus deteſtetur, mandat Epiſcopis vt quæcunque huiuſmodi in pios vſus non conuertuntur, atque ingreſſus eos, qui Simoniacæ labis, aut ſordidæ auaritiæ ſuſpicionem habent, fieri non permittant, ipſique diligenter de eorum conſtitutionibus ſuper prædictis cognoſcant, & prauas atque ſcandaloſas reiiciant, ac deleant*, Trident *ſeſſ. 24. cap. 14.* quod à Gallis quoque Epiſcopis fieri optandum foret, cum Concilio parere, vt mortales cæteri, debeant.

CAP. III.

Quomodo peccetur contra religionem per Simoniam Eccleſiaſticam, cum eius materia, non ſit ſupernaturalis ac ſacra.

SVnt hæc quidem certa, certum item eandem non eſſe Simoniæ Eccleſiaſticæ materiam, ac eius quæ eſt prohibita naturali iure aut diuino, iſtius enim materia, ſpiritalis eſt ac ſacra, Eccleſiaſticæ verò nõ ſemper ac perpetuo, ſed tantum aliquando, hanc enim conſtat verſari nonnunquam circa materiam, quæ neque in ſe, neque proxima habitudine, aut intrinſeca dependentia, ſed ſolum remotè & accidentaliter rei ſpiritali eſt annexa, nam pro oleo ſacro ac chriſmate aliquid poſtulare Simonia eſt Eccleſiaſtici iuris *cap. non ſatis de Simonia*, Concil. Braccar. 2. *can.* 2. & refertur, *can. placuit 102. cauſa 1. qu* 1. & tamen non eſt chriſmatis, balſami aut olei materia, niſi accidentaliter & valde remote, ratione benedictionis Epiſcopalis, quæ ei accidit, ſupernaturalis ac ſacra, quomodo conſiderata non venditur, alioqui eſſet Simonia diuini iuris, cum benedictio conſequenter & effectiue ſit ſpiritalis, vtpote poteſtatis à Chriſto relictæ Eccleſiæ ſuæ effectus quidam.

Secundo, ſunt in Eccleſia officia quædam Eccleſiaſtica, vt Sacriſtæ, Vicedomini Epiſcopi, & Oeconomi, quæ vendi, aut emi ſine Simonia iuris humani nequeunt, vt eſt *in can. Saluator 8. cauſæ 1. q. 3.* his verbis: *Alioqui cur ſancta Synodus Chalcedonenſis, Procuratorem vel Defenſorem Eccleſiæ, vel quemquam regulæ ſubiectum, adeo per pecuniam ordinari prohibet, vt interuentores tanti ſceleris anathematizet niſi quod eoſdem ſimoniacos iudicet?* Et tamen tam in ſe, quam in fine ad quem referuntur, tota quanta ſunt, ſunt temporalia, quid enim Epiſcopi Oeconomus, quid Vicedominus, à Procuratore Principis differunt? vt hic bona iſtius temporalia adminiſtrat & regit, ita illi, Epiſcopi & Canonicorũ, nec in eiuſmodi Officiis conſecratio eſt vlla, aut benedictio, vi cuius ſint ſacra: non eſt ergo Simonia, quæ in eorũ venditione interuenit, materia ſupernaturalis ac ſacra. Eſt tamen eorum venditio Simoniaca, quia ob reuerentiam Dei Principis, Eccleſiæque ſanctitatẽ, prudẽter hæc ſtatuit, vt quod erat ob temporalitatem ſuam vendibile, eſſet inuendibile ob venerationem Dei principis, & eiuſdem Eccleſiæ, ad quam eiuſmodi officia pertinent, & à qua per iuriſdictionem Prælatis conceſſam à Chriſto, inſtituuntur.

CAP. IV.

In quibus contractibus cernatur Eccleſiaſtica Simonia.

ADmittitur ergo Eccleſiaſtica Simonia, primo, in permutatione beneficiorũ auctoritate propria, hoc eſt facultate ab ordinario collatore ante non impetrata, *cap. quaſitũ 5. de rerũ permut.* vbi Vrban. III. ait. *Generaliter teneas quod cõmutationes prabendarum, de iure fieri nõ poſſunt, præſertim pactione præmiſſa, quæ circa ſpiritualia, aut ſpiritualibus annexa, labem ſemper continet Simoniæ, & cap. cum olim 7. eiuſdem tituli.* Præpoſitus & Archidiac. Senonenſ. ab Innoc. III. Archidiaconatu & Præpoſitura priuantur, quod ea ſine Ordinarii facultate inuicem commutaſſent, vetuere id ſane Epiſcopi in Concil. Turon 3. anno Chriſti 813. his verbis *in can. 14. De titulo minori ad maiorem, migrare nulli licitum ſit, ſed in eo permaneat ad quem ordinatus eſt, quod ſi inuentus fuerit, contra ſtatuta id facere, eadem feriatur ſententia qua Epiſcopus, ſi de minore ad maiorem tranſmigrauerit ſedem.*

Et poſtea, *ne quis cuilibet Presbytero præſumat dare Eccleſiam ſine licentia & conſenſu ſui Epiſcopi*, vtrumq; enim facit, qui beneficium ſuum altero commutat auctoritate propria, nec collatoris ordinarii venia prius impetrata.

Secundo, repetitur Simonia Eccleſiaſtica in venditione Officiorum, Oeconomi, Vicedomini, Sacriſtæ, Defenſoris & Aduocati Eccleſiæ Concil. Pariſienſe *6. can. 11. 1. qu. 3. can. Saluator 8.* & in Concil. Vernenſi hæc habentur. *Nullus per pecunias ad honorem vel gradum Eccleſiaſticum accedere debet quia hæreſis Simoniaca eſt can. 24.*

Tertio, eſt quoque Simonia in pactione de temporali recipiendo commodo cum ſit beneficii reſignatio, aut eius cum alio permutatio, ſic enim Pontifex, *in cap. vltimo de pactis. Pactiones*, inquit. *factæ pro quibuſdam ſpiritualibus obtinendis, cum in huiuſmodi omnis pactio, omniſque conuentio debeat omnino ceſſare, nullius ſunt momenti, & cap. quæſitum 5. de rer. permut.* clariſſime.

Quarto habet hæc Simonia iuris humani locum in abdicatione ſæculi, facta ex motiuo temporali, etſi enim res ſit plena meriti, ſancto deliberationis arbitrio Deo ſeruire, non tamen aliter quam *ſi omnis abſit pactio, omniſque ceſſet conuentio 1. q. 2. can. quam pio 2.* quare ad religioſæ vitæ profeſſionem aliquem allicere pretio ac munere cum pacto, eſt iuris humani Simonia, *quia donum Dei quodà Patre luminum deſcendere debuit, vendit, munus autem largiens, importunus emit, 1. q. 2. cap. quam pio*: quare ſunt hæc ſapienter à Carolomagno

A anno 789. Aquiſgrani ſtatuta, *vt nullus Abbas pro ſuſceptione Monachi pretium quærat.*

Pretii autem nomine intelligitur in hac materia tam pecunia, quam quæ ei æquiualent, commoda temporalia omnia, Concil. Pariſ. *6. can.* 11. muneraque à manu, lingua, & officio.

Eſt *autem Munus ab obſequio, ſubiectio indebitè impenſa, Munus à manu pecunia eſt, munus à lingua fauor 1. q. 1. can. ſunt nonnulli* 114. *Qui enim res Eccleſiaſticas non ad hec ad quod inſtituta ſunt, ſed ad propria lucra munere linguæ, vel*
B *indebiti obſequii, vel pecuniæ largitur, aut adiſcitur, Simoniacus eſt, 1. q. 3. can. Saluator* 8. muneris ergo nomẽ hic accipe non pro dono liberali ac gratuito, ſed pro debito iuſtitiæ commutatiuæ, quæ enim in compẽſationem, ſeu pretii commutationem dantur, hæc non gratis, ſed ex iuſtitia dari conſtat: ergo cum muneris nomen hic ſumatur pro pretio, aut re quapiam ei æquiualente, donum non ſignificat liberale ac gratuitum.

Equidẽ cum Patres de pretio diſputant quod ex pacto datũ pro re ſpirituali Simoniã efficit,
C illud dari gratis nolunt, ſed per modũ retributionis ex æqualitate, indicãt hæ voces. *Nullius terrenæ rei gratia Epiſcopi niſi Dei ſolius eligantur, quoniam ſi pro aliquo munere præſentis futuræque retributionis, vel pro qualibet alia re quæ contraria eſſe poſſit veritati eligantur, &c.* Concil. Pariſienſe *6. can.* 11 commodi vero meminit Gregor. 1. in *epiſt. ad Vigilium* Arelatenſ. cum gemens ait, *neminem ad ſacrum ordinem ſine commodi datione peruenire*, eodem loco explicans quid ſit *Columbas* in templo vendere, ſic ſcribit, *Columbas vendere, eſt de Spiritu*
D *ſancto, quem Deus omnipotens conſubſtantialem ſibi per impoſitionem manuum tribuit, commodum temporale percipere. & in epiſt.* ad Childebert. Regem loquens de Simoniacis ait, *quod qui donum Dei pecunia mercari non metuit, & commodis illud præſumit appetere, Epiſcopi nomine ſit ac honore indignus.* Hac ergo voce *Munus* par eſt intelligere aliquid ex iuſtitia debitum, adeoque onus ad quod ſubeũdum ſit in eo obligatio cui præſtatur, vno verbo quicquid eſt pretio æſtimabile, ſiue illud mobile ſit, ſiue mobile. In mobilium porro rerum numero ſunt pecuniæ, & res temporariæ
E quælibet aliæ, quæ vt ex pacto dantur alicui pro re ſpirituali, ita & ab iſto acceptantur, cum obligatione eius tribuendæ propter commodum, quod inde, hoc eſt ex eiuſmodi munere rebus ſuis acceſſurum ſperat. Sunt autẽ immobilia in hac materia, quæ ſenſus quidem non vſurpat ac tangit, ſunt tamen eiuſmodi quæ magni æſtimari, pecuniaque cum licet, redimi ſoleant, eiuſmodi ſunt mutui conceſſio, ſolutionis prorogatio, debiti remiſſio.

Dixi ex pacto nam in hoc eſt eſſentialis Simoniæ ratio, quod in ea ſpirituale pro tem-

porali ex debito non gratitudinis, ſed iuſtitiæ tribuatur, proinde que ex pacto legali, vt cuius, in foro cogere ſe mutuo contrahentes valeant.

CAP. V.

Quæ ſint Simoniaco pœnæ canonico iure impoſitæ.

SVnt autem pœnæ Simoniacis iure canonico, diuino, ac naturali inflictæ non paucæ, nam diuino, niſi reſipiſcant, æternos paſſuri ſunt in inferno, cũ Dæmone flammarum globos. Naturali autem, nam ſi fidem fallant, remque ſacram, cuius cauſa dari ſibi voluere pecuniam, minime præbeant, de culpa abſolui nequeunt, niſi hanc ei qui tradidit reſtituant, niſi forte, in pœnam peccati hæc pauperibus, aut Eccleſiæ, circa quam eſt admiſſa Simonia, erogari iuſſa eſſet.

Nec tunc tantum, ſed etiam à Simoniaco, naturali iure facienda eſt reſtitutio, quando pro re, ad quam ius alteri competebat, pecuniam aut quidpiam tale offerri ſibi voluit, quia eſt eiuſmodi petitio offerenti grauis, nec ab eius ſeiuncta iniuria.

Extra hos caſus, in quibus iuſtitiam lædi conſtat, ad reſtitutionem iure naturali non obligare Simoniam, docent Caietan. *in 2. 2. D. Thom. q. 100 art. 3.* de Victoria *in relect. de Simon. par. 2 num. 4.* Nauar. 23 *Enchirid. nu. 103.* Pet. de Nauar *lib 2. de reſtit. cap. 2* Sylu. *ver. Simonia, q. 20.* de Valent. *to. 3. diſp. 6. q. 16. punct. 6.*

Ratio eſt, quod nulli inferatur iniuria. Non accipienti rem ſpiritalem pro temporali, quia eſt illa iſta infinitis interuallis potior. Quæ eſt ergo faciendæ reſtitutionis obligatio nata ex Simonia, originem hæc ſuam, cauſamque non à iure naturali ſed canonico accipit, ſic illi; nec improbabili ratione freti. Contraria tamen ſententia eſt tenẽda in praxi, vt eſt probatũ antea, dicendũque quod pœna numero ſecunda, quæ Simoniacos in beneficiis ac ordine afficit, ſit ſuſpenſio ab vſu Ordinum, & beneficij priuatio, decreto Patrum in Concil. Remenſi 2. ſub Carolo Magno anni Chriſti 813. *Quicunque Presbyter per pretium, gradum & Eccleſiam acquiſierit, deponatur can. 21.* Idem ſub eadem pœna decernere illis viſum, ſub idem tempus in Concil. Turon 3. *can. 15* & Aquiſgr. 2. anno 836. *can 5.* Clariſſime in Concil. Pariſienſi 6. ſub Ludou. Pio anno Chriſti 829 & in Calced *can. 2* Ordinans iubetur *proprij gradus periculo ſubiacere*, hoc eſt vt habet Concil. Pariſ. in *can. 11. Sacerdotio priuari,* (intellige quoad vſum) vel vt eſt in Capitulari Ludouici Pij ſub Stephano IV. anno Chriſti 816. *art. 16. à gradu proprio deci-*

A *dere*; qua pœna affici quoque ordinatum idem imperat: *iuxta ſacros canones,* inquit, *vterque (hoc eſt Ordinans & ordinatus) à gradu proprio talia facientes decidere debent.* Et vt ait Leo IV. *in epiſt. 2.* ad Epiſcop. Britann. *extra ordinem & Sacerdotalem gradum fieri,* vel vt eſt in Aurel. 2. *can. 4. abijci vt reprobus,* ac honore quem præmiis comparare præſumpſit priuari, Cabillon. Concil. anno Chriſti 650.

Pœna tertia Ordinantis & ordinati Simoniace, tam iure nouo quam antiquo eſt excommunicatio, Nouo quidem, *in Extrauag. Pauli* II. eaque reſeruata Pontifici, ſi Simo-

B niæ ab iis admiſſæ aut admittendæ ambo ſint conſcij, Suar. *to. 1. de relig. tract. vlt. cap. 5.* Theſaur. *in praxi par 2. ver. Simon. cap. 9.* Antiquo autem in *can. 30 Apoſtol.* his verbis: *Si quis Epiſcopus, aut Diaconus, per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, deijciatur, & ipſe, & ordinator eius, à communione modis omnibus abſcindatur ſicut Simon Magus.* pœna par ac ſimilis Mediatorem afficit, vt eſt in Chalced. Concil. *can. 2.* cum hoc tamen diſcrimine, quod ſi *quidem Clericus mediator fuerit, à proprio gradu decidat, ſi Laicus, anathematize-*

C *tur.*

Tertia eſt, collationis, præſentationis, aut electionis ad beneficia, & officia Eccleſiaſtica per Simoniam factæ, irritatio, *cap. ſicut tui de Simonia,* D. Thom. *2. 2. q. 100 art. vlt* & quidem talis, vt per eam electo præſentato & prouiſo Simoniace ius acquiſitum ſit nullum, cum ſub *periculo animæ* ad reſtitutionem fructuũ, quos ex beneficio ſic acquiſito percipit, ſit canonico iure ſuppoſitaque fide poteſtatis Pontificiæ in Eccleſia; naturali aſtrictus, habetur in *Extrau. 2. Ambitioſæ de Simon. &*

D *in cap. Matheus 23. de Simonia,* Clericum de Simonia infamatum Lucius III. admonet vt beneficio à ſe ſic poſſeſſo & habito, ſi ſaluus eſſe velit, decedat. *Quia conſilium requiſiſti, quid tibi ſit faciendum, reſpondemus, quod multũ tibi conſulis, ſi adminiſtrationem celeriter ac ſponte dimittas, illius verbi memor exiſtens. Nihil prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur,* quæ Simoniaco tamen ſacerdotia, antequã admiſſæ Simoniæ reus foret, ſunt collata, non vacant ante ſententiam criminis ſui declaratoriã quia

E de ea conuinci debet Sic enim his verbis Pius V. *Quicumque crimen Simoniæ per eum ratis commiſiſſe conuictus erit:* ergo cum conuictio res ſit fori, iudiciſque poſt auditos teſtes iuridica actio, beneficiis abire ſuis Simoniacum ante dictam ab eo ſententiam nihil eſt neceſſe, vt multis probat Nauar. *conſil. 42. de Simon.* quæ eſt etiam Emman. Sa correcti opinio *ver. Simonia num. 9.* Regin. *to. 2 lib. 23. nu. 183* Pariſ. *de reſign. lib. 4. qu. 2.* quam Suar. *lib. 4 cap. 58.* tutam quoque eſſe in conſcientia aſſerit. Quia hic iuris quæſiti priuatio interuenit pro-

FFF1

indeque pœna, quam reo ferendam eſſe ſine ſententia, ac iuſſione iudicis prævia, pauci, aut verius nemo ſcribit, credere enim cum ratione quiſque poteſt, ſuas ſe res poſſidere legitime: ergo & eas retinere poſſe ſine crimine, vt ergo eas miſſas faciat, vt acquiſitas relinquat, iudicis imperium accedat eſt neceſſe. Non item vt beneficium, eiuſque fructus Simoniace acquiſitos reſtituat, quia hic nulla iuris quæſiti pœnalis priuatio accidit, ſed quod eſt nulliter ac iniuſte acceptum, ſtricta propriaque eius reſtituendi obligatio. Accipi autẽ iniuſte rem ſacram ex eo datur intelligi, quod beneficii poſſeſſor ac dominus eſſe nemo queat, niſi annuente Eccleſia, aut eius vice, locoque, Papa, Antiſtite, aut ordinario collatore, quod non accidit, cum eſt collatio, electio, aut ad illud præſentatio, Simoniæ inquinata vitio, eo quod tunc Pontifex iis vim ſubeſſe aliquam roburque nolit, *in Extrauag. cum deteſtabile de Simon. 2.*

Eſt etiam Simoniace prouiſus de beneficio, ad idem canonice obtinendum, hoc eſt per nouam prouiſionem inhabilis, pro foro conſcientiæ, etiam in caſu occulto, *de elect. cap. de Simoniace 22. de Simon.* poteſt tamen cum eo diſpenſare Epiſcopus, *ſi ignoranter,* (hoc eſt tertio quopiam procurante) *recepit beneficium ſimplex per Simoniacam prauitatem poſt liberam reſignationem cap. ſi alicuius 59. de Simon. Cum eo tamen ſuper prælatione ad quam Simoniace eſt electus,* nequaquam ibid.

Quod ſi erit eo conſcio, facta per alium, cauſa ſua Simonia, ſitque beneficium, in quo eſt hæc admiſſa, Dignitas, aut curam animarum habens, non poterit, Sanch. loco citato, *nu. 22 & 27.*

CAP. VI.

De pœnis Confidentialis Simoniæ.

AD pœnas autem Confidentialis Simoniæ quod attinet, ſunt præter irritationem collationis, fructuum reſtitutionem, & excommunicationem, tres aliæ Confidentiariis irrogatæ.

Prima eſt inhabilitas ad idem beneficium, ſed ei locum in conſcientia ante ſententiam, nullum eſſe probatum eſt antea.

Secunda eſt, ſimilis ad beneficia omnia alia inhabilitas, ſed hæc non ſecus ac alia, vt obliget, ſententiam Iudicis exigit, eius culpæ cuiys cauſa infligitur, declaratoriam, Leſſ. *lib. 2. cap. 35. nu.* 147. Reginald. *lib. 23. nu.* 183.

Tertia eſt, beneficiorum omnium priuatio, penſionum, ac quarumcunque rerum Eccleſiaſticarum, quarum erat Confidentiarius Papæ liberalitate ac indulgentia poſſeſſor verus, ſed huic, non magis quam aliis obſequi in conſcientia ante ſententiam eſt neceſſe, Azorio teſte *to. 3. lib. 12. cap.* 10. *q. 4. & cap. 2 q.* 12. Reginal. *lib. 23. nu.* 188. *in fine*, Suar. *cap. 43. num.* 13. de quo etſi à nonnullis ambigi videam, res eſt tamẽn eiuſmodi, quam vniuerſa ferè Canoniſtarum ac Theologorum ſchola pro certa habet. Quod in ſuis de præſenti materia, Pontificiis diplomatis, Papa duntaxat dicat *Priuamus*, ſed non addat *ipſo facto, abſque vlla declaratione,* quod eſt indicio, his eum, in quem ſuſpicio Simoniæ cadit, ſubeſſe prius nolle, niſi notorietate criminis, publicaque iudicis ſententia conuictum.

Et quanquam facta in ordine, beneficioque Simonia, pœnas iuris non inferat, niſi ſit hæc ex vtraque parte completa, præſens id tamen, hoc eſt Confidentialis non poſtulat, ſed ei ad hunc effectum eſt ſatis, ſi ſit ex parte rei ſpiritalis, illico ergo ac erit res ſpiritalis in confidẽtiam tradita, hoc eſt beneficium, cum pacto acceſſus aut regreſſus acceptatum & conceſſum, pœnas Simoniacis propoſitas, vterque, hoc eſt, tradens & accipiens, incurret, etſi res temporalis non ſit data, vt habetur expreſſe, in Bullis Pij V. & Sixti V.

FINIS.

DEO IESV CHRISTO
ÆTERNI PATRIS COÆTERNO FILIO
SIT LAVS ET GLORIA IN ÆTERNVM.

INDEX RERVM.

A

ABBAS.

ABBAS nomen eſt dignitatis ac Officij, pag. 20.c.2.l.b

Abbas aut Epiſcopus peccat ſi confirmauerit electum ſuffragiis renunciatum, 106 c.1.l.a

Abbatis nomen ad Abbatiſſam non tranſit in materia odioſa, 180.c.2.l.a

Abbatia ſecularis in Commendam data, beneficium eſt ſimplex, 20.c.2.l.a

Abſolutio à cenſuris data à Pontifice, quos habeat effectiue in litteris beneficij collatiuis, 220.c.1.l.d

Actionum humanarum aliæ ſunt intrinſecè bonæ, aliæ intrinſecè malæ, aliæ indifferentes, aliæ malè ſonantes, 390.c.1.l.b

Aduocati ſeu Dynaſtæ olim adſiſcebantur Eccleſiis, 149 c.l.d

Qui alienare prohibitus, facturum id ſe promittit ac ſpondet, 479.c.1.l.a

An alienatio bonorum Eccleſiaſticorum ſine cauſa facta, ſit in foro conſcientiæ valida, 489.c.1.l.c

An ſolennitatum omiſſio alienationem reddat irritam, ibid l.e

An cum alienari bona Eccleſiæ eſt neceſſe, Epiſcopo, ei de emptoribus illa addicere liceat qui pretium minus licitando pro illis offert, 489.c.2.l.b

Alienationis nomine quid intelligatur circa bona Eccleſiaſtica, 477.c.2.l.c

In quibus conſiſtit ſolemnitas ad alienationem requiſita, 483.c.1.l.c

Bona ſacra Eccleſiarum alienari non poſſunt, ſine Pontificis poteſtate; vbi eſt Pauli Bulla recepta, 473.c.2.l.a

Alienari non poſſunt mobilia Eccleſiæ quæ ſeruando ſeruari poſſunt, 475.c.2.l.c

Neque etiam ius, ibid.

Alienationis cauſæ plurimæ, 48.c.1.l.d.&ſeq.

Caſus ſunt aliqui in quibus ſine iuris ſolenniis, & ſola prælati auctoritate, alienari fortunas Eccleſiæ nil vetat, ibid.c.2.l.e

Alienari prohibentur res Eccleſiæ immobiles 479.c.2.l.b

An altaria duo, ſub eodem tecto poſita eidem conferri poſſint, 396.c.1.l.e

Aſſiſij vnde dicti, 8.c.2.l.a

Attentio quid ſit, 430.c.2.l.b

vt Attentio ad verba aut eorum ſenſum cenſeatur haberi, quanta ad implendum præceptum eſt ſatis, duo requiruntur, ibid. c.2.l.e

Etſi ad vitandum peccatum ea ſufficiat attentio quæ virtualis dicitur, non tamen ſi eſt alienis Deo tempore, curis intercisa implicata cogitationibus, 434.c.1.l.c

Eſt culpa mortalis ſecundum quoſdam ſi aliquandiu durauerit. ibid.c.2.l.b

B

Beneficium collatione Papæ è manuali fit perpetuum, 32.c.1.l.b

in Beneficio à ſe inſtitutum Abbas commendatarius reuocare poteſt in Gallia, de iure tamen non poteſt, 32.c.2 l.b

Beneficia manualia comprehenduntur in iis quæ reſeruantur per Pontifices, 33.c 1.l c. in iis locum non habet regula de annali & & triennali poſſeſſione, ibid. l.d. ea publicari oportet cum ſunt auctoritate ſuperioris obtenta, ibid, c. 2. l. a; eorum non eſt neceſſario facienda mentio, cum nouum Romæ beneficium à Papa petitur, ibid, à nominatione regia ſunt exempta in Gallia, ibid.l.e, ſunt indultariis & Graduatis indebita, 34 c. 1. l. b, ſine iuſta cauſa religioſo adimi a ſuo ſuperiore non poſſunt, ibid. l.d &c.

Manualia dupliciter fiunt perpetua, 34.c.2.l.e

Beneficia Eccleſiaſtica conferre Laico Ordinario non licet de iure communi, 51.c.2.l.c

Beneficia conferre ex diſpenſatione Papæ eſt Laïcis licitum, 52.c.1.l.a

Beneficia tripliciter Papa confert, 52.c.2.l.d

Beneficia Cardinalium & Curialium ſeu familiarium Papæ, illi reſeruantur, quamuis extra Curiam vacent, 53.c.1.l.c

Vniendi beneficij inter ſe modi aliquot, 278 c.2.l.d.&ſeq.

Beneficii extinctio vnde pateat, 280. c.2.l.b

Beneficia vniri ab Epiſcopo nequeunt ſine Patroni conſenſu, ibid.l.c

In beneficiis vnitis per acceſſionem & ſubiectionem non datur vacatio, ibid.l.d

tus, interim dum ex vrbe cenſuræ ſuæ ſolutionem expectat, acceptare excommunicatus non poteſt, 221.c.2.l.b

Ad beneficia inhabiles ſunt ſuſpenſi à ſacris ordinibus, ibid.l.e

Cum quis beneficium recipit ſimplex aut curatum, propoſitum abſolutum ac determinatum habeat, permanendi in ſtatu Clerici, aut ordines recipiendi ſuo tempore, 218 c.1.l.a

A beneficiis Eccleſiæ legibus ac voluntate, bigami, quocunque bigamiæ genere, ſunt excuſi, 221.c.1.l.a, excommunicatus excommunicatione maiori, quiſquis eſt, ibid.

Pluralitas beneficiorum, eſt contra ius naturæ, diuinum & humanum, 390 c.1.l.d

Pluralitas aliquorum beneficiorum non eſt contra ius diuinum aut naturale ſtricte ſumptum, &c. ſed contra ius naturale latè acceptum, ibid.l.d

Beneficia ſimplicia ab vno eodemque poſſideri poſſunt ſine diſpenſatione, licitè, quando vtrumque eſt tenue, 395.c.1.l.e

Qui cum beneficio incompatibili quod poſſidet, acquirit ſecundum quod item eſt incompatibile, vacat illud primum, & ſi ſecundum retinere velit, priuari quoque debet ſecundo, 395.c.1.l.b

Beneficij primi detentor cum ſecundo incompatibili, efficitur ipſo iure inhabilis ad quæcunque beneficia Eccleſiaſtica, ibid l.c

An qui beneficium ab Epiſcopo excommunicato, & denunciato conferri ſibi eſt paſſus, titulum coloratum habeat, quo fretus illud per poſſeſſionem interni pacificam præſcribere valeat, 348.c.1 l.c

Etſi non niſi ex iuſta cauſa aliqua plura ſimplicia beneficia haberi queant, recepta tamen vbique conſuetudo à diſpenſatione ſuper iis excuſat, ibid.c.2.l.a

An beneficia plura obtinere queat aliquis bona & ſalua fide, 389.c.2.l.d

Beneficiorum pluralitas accipitur dupliciter, ibid.l.e

Beneficij fructus reſtituendi ſunt ab eo qui intra annum non fit ſacerdos, 219.c.1.l.b

Ad beneficia omnia coniugati ſunt inhabiles, 220.c.1.l.a

Vt beneficio ſimplici, quod ad vitam non eſt ſatis, ſecundum addatur quod eſt ſimiliter ſimplex, diſpenſatio nulla eſt Pontificis aut Epiſcopi neceſſaria, 400.c.1.l.e

Beneficij ſui poſſeſſor non peccat ſi patrimonio ſuo parcens de beneficij ſui fructibus viuat, 500

An conſuetudo obtineri poſſit, vt beneficia plura incompatibilia eidem conferantur valide ſine diſpenſatione, 396.c.2.l.b

Beneficij non eſt alius capax quã ſacerdos aut Clericus, 29.c 1.l.d

Affecta beneficia ſunt ea ſuper quæ Pontifex manum appoſuit, & quot modis hæc appoſitio fiat, 10.c.2.l.c

Beneficij regularis poſſeſſor eſſe non debet Laicus ſine diſpenſatione Papæ, 20.c.2.l.c

Beneficium conferre poteſt Capitulum ſede vacante, ad ſemeſtre, maxime ſi eſt Parochiale, & cum animarum onere, 24.c.2.l.a

De Beneficij ratione eſt vt ſit perpetuum, 351 c.1.l.c

Beneficij nomen quibus aſſignatum fuerit, 1.c.2.l.a, & ſeq.

Beneficij acceptio ad rem præſentem, 2.c.2. lit a

Beneficij diffinitiones, 2.c.2.l.b.& 3.c.1.l.b

A beneficium ſimplex, cui præter horarum onus nullum eſt adiunctum, ſufficit quod is cui datur, legere ac ſcribere nouerit, 236 c 1.l.a

Beneficia quædam ſunt collatiua, quædam electiua, 9.c.2.l. d, item quædam iuriſdictionalia, quædam non, ibid.

Beneficia patronata quare ſic dicta, 10.c.1.l.a

Patronatorum beneficiorum deffinitio, quid qualificatum, monoculum, affectum, ibid

Beneficia ſi in duabus ſita ſint Diœceſibus, debent relinqui earum ordinariis conferenda, 328 c.2.l.c

Beneficium omne ex ſua inſtitutione debet cenſeri ſæculare, 5.c.2.l.d

Beneficium regulare quare dicatur tale, ibid. lit.e

Beneficia conferre Laïco non eſt licitum, 58.c.2.l.e

Beneficia conferendi poteſtatem habent à Papa Laïci quidam, 59.c.1.l.e

Beneficia quæ à Rege in Gallia conferuntur, 59.c.2.l.b.& ſeq.

Beneficia conferendi tempora ſunt certa quædam, 56.c.1.l.d.& quæ.

Collator quibus rebus impeditur ne conferat beneficium, 56.c.2.l.a

Beneficium vnde dictum, 1.c.1.l.a. idem eſt quod gratia præter ius conceſſa, ibid.d

Beneficia quæ non comprehenduntur, etſi cum clauſula generali dentur in mandatis, niſi de illis fiat mentio, 53.c.2.l.e & ſeq.

Beneficia per præuentionem quæ dicuntur, 54 c.1.l d

Beneficia vt conferat in Epiſcopatibus verſante Epiſcopo, quos menſes ſibi Pater ſeruauerit, & quos ipſi Epiſcopo, quos interculares vocant, 53.c.1.l.b

Beneficia quæ legatis conferre licet, etiam in ſua Diœceſi Epiſcopo eſt permiſſum, 46.c.2.l.b

Beneficium cuius collatio ad Epiſcopum ſpectat, poteſt etiam conferre Capitulum dum ſedes vacat, 50.c.2.l a

Beneficium vacat ipſo iure per non expreſſionem eius quod poſſidebatur ab obtinente,

antequam illud ſecundum acquireret, 249. c 1 l.d
Beneficia diuiduntur, 4.c.1.l.c.& ſeq.& 9.c.2. l.d & ſeq.
Qui beneficiorum multitudini cauſam prætexere iuſtam aliquam non poteſt, in conſcientia tutus non eſt, ſi hæc reſidentiam exigunt, 397.c.2.l.a
Beneficium materialiter & formaliter ſumptum. 3.c.1.l.e
Beneficium viuentis communitati reſignari poteſt à Papa, 44.c.2.l.c
Beneficiorum non Curatorum confuſa nomina, 8.c.2.l.d
Beneficium committi nullum poteſt irregulari, irregularitatis genere illo quam diuina vetant iura, 222.c.2.l.c
Beneficium non perditur aduentu ſecundi, niſi vtrumque ſit curatum aut dignitas, 401.c. 1.l.c
Beneficij nomen numero multitudinis in definitione poſitum quid innuit, 277.c.1.l.e
beneficium viuentis alteri commendari non poteſt, 23.c.2.l.a
beneficiario iure naturali ac Canonico tanta eſt ſcientia neceſſaria, quanta opus eſt ad functionem officij, 235 c.2.l.c
beneficiario abeundum neceſſario non eſt ante ſententiam declaratoriam beneficio incompatibili, quod ſecundum acquiſiuit retento primo, ibid.l.d
beneficiarios Epiſcopo inferior, de vno loco alium transferre non poteſt, 327.c.2.l.d
Sunt beneficiarij fructuum benefi[cij], quod poſſident domini, cum obligatione tamen erogandi in pauperes, quod eis de ſua iuſta ſuſtentatione ſupereſt. 493.c.2.l.e
Sunt beneficiarij domini non redituũ modo, ſed etiam ſuperfluorum, 494.c.2.l.d
Peccant beneficiarii mortaliter prouentibus, ſiue ad opera vtendo alia, quam quæ pia ſunt aut neceſſaria, 495 c.2.l.e
Eſt beneficiarius, eorum quæ ſua ſibi beneficia pariunt pluſquam vſuarius, ibid. c.2.l.e
Tam bona vacantis Eccleſiæ, quam eius fructus iure communi pertinent ad ſucceſſorem Clericum, cui hæc conferetur vt vacans, 504.c.1.l.e
bonorum tam extantium quàm futurorum diſtributio pro ratione temporis que beneficiarius dum viueret officio eſt functus facienda in Gallia inter eius hæredes illumque qui ei ſuccedit in beneficio, 505.c.1.l.b
bonorum fructuumque qui ex beneficiis percipiuntur Chriſtus verus eſt dominus, 476 c.2.l.d
bullæ in duplicem vſum ſunt inſtitutæ, 39.c.1 lit.b
burſæ Collegiales humanioribus litteris adiſcendis comparatæ, non ſunt beneficia, ibid.
burſæ quæ dantur in perpetuum & ſolis Clericis probabiliter ſunt beneficia, ibid.l.d

C

CAncellatio lituraque vocum quibus conſtat, in quam inſtrumenti partem cadere debeat, 314.c.2 l.a
An regulæ Cancellariæ derogare Papa valeat, 295. c.1.l.a
An in ordinariis locum habeat. ibid.c.2.l.a
Regula Cancellariæ de publicandis reſignationibus an habeat locum in permutatione, ſeu renunciatione ex caſu permutationis, 296.c.2.l.b
Vt regula Romanæ Cancellariæ locum habeat, quid ſit neceſſe, 292.c.2.l.e, & ſeq.
Canon aut lex latæ ſententiæ non eſt quando verbo *eſt* additur participium quo ſignificatur res facienda, 259.c.1.l.b
Canonicatus qui à ſummo Pont. dantur in expectationem poſſeſſionis quando vacabunt, non ſunt beneficia, 3.c 1.l.c
Canonicatus deffinitur, 7.c.2 l.c
Canonicus Regularis poteſt aſſignari ad Parochiam quamlibet regularem, 5.c.2.l.c
Non peccat Canonici, cum horas non decurrunt, ſi primo & ſecundo anno conſuetudine Eccleſiæ, vbi verſantur, id exigente, nihil illis vnde vitam tolerent dari ſoleat, 443.c.1 l.c
Canonici ſua reſignare poſſunt beneficia, 8. c.2.l.b
Canonicorum & Aſſiſiorum diſcrimina, ibid.
Canonico non eſt fas cum eſt in vrbe nec impeditur, ab Eccleſia ſua abeſſe, 445.c.2.l.a
In pluralitate Canonicatuũ & beneficiorum quæ curam animarum non habent, poteſt diſpenſare Pontifex, non tamen ſine cauſa, 397.c 1. l.a
Quibus in Eccleſiis mos eſt receptus, vt per Vicarios Canonici officium horarum expleant, etſi ipſimet in choro non pſallant, legi tamen officioque ſuo faciunt, nec peccant, 446.c.1.l.d
Pontifex Cononicis non tenetur legibus, 44 c.2 l.c
Canonici in herbis inter beneficiarios non ſunt, 136.c.2.l.d
Capella à Capellania quomodo differat, 12 c.1 l.d
Capellæ domibus priuatis exædificatæ non ſunt beneficia, 12.c.2.l.b
Capellæ dantur in titulum, ibid. c.2.l.e, ſubiiciuntur Papalibus, ibid.
Capellas apertas gratia ex confert, 13 c.1.l a
Capitulum ſeu Collegium duo non conſtituunt, 108.c.2.d
Cardinales legati de latere largiri poſſunt beneficia vacantia, & excommunicationem leuare, 46.c 1.l.b, quod etiam licet eorum

Vicario

Vicario, ibid. exceptis quibuſdam.

Clericus nemo admittebatur olim in Eccleſia niſi cuidam certæ Eccleſiæ addictus foret, & qui mereretur bona Eccleſiæ poſſidere, 3.c.2.l.a

Clerici denominabantur ab Eccleſia in qua erant adſcripti, ibid

Clerici ad quæ teneantur ſub culpa, 387.c.1.b

Clerico per leges Eccleſiæ fas non eſt plura beneficia, etiam ſimplicia conſequi ſine diſpenſatione, &c. 391.c.1.l.c

Clerici maiorum ordinum, niſi quid eos diſtrahat, lege horarum Canonica tenentur ſub mortali, 106.c.1 l.a

Clericus beneficiarius debet vti Clericali habitu, 387 c.2.l.b

Clericus beneficiarius bonorum ſuorum patrimonialium eſt dominus, vt & eorum quæ quaſi patrimonia appellãtur, 493.c.1.c

Qui Clericos beneficiarios ſuorum non eſſe fructuum dominos, aſſerunt, eſſe quoque probabile tradunt, eorum dominium valide per eos in acceptantem non transferri, ibid.l.d

Clerici debent examinari cum beneficia ambiunt, 131.c.2.l.c

Clericus minorum ordinum, ipſo facto ſi vxorem duxerit, beneficium ſuum perdit, 220.c.1.l.c

In Clerico requiritur præcipuè intentio aſſumendi ſtatus Clericalis, 217.c.2.l.d

Coadiutoriarum diuiſio, & quomodo dentur, 13.c.1.l.c

Coadiutor ſæpe curam habet animarũ, ib.l.d

Tria dubia circa Coadiutorias, an ſcilicet dari poſſint in ſucceſſionem Epiſcopis & Abbatibus, 15.c.2.l.c

Rationes quare Coadiutor detur Ordinario, ibid

Coadiutori quid ſit proprium cùm in expectatiuam eſt admiſſus, ibid.c.2 l.a

Coadiutores beneficiati non ſunt, nec Coadiutoriæ beneficia cenſendæ, 13.c.2.b, & afferuntur rationes in ſequ.

Coadiutoris ius non eſt conferre beneficia Clericis, 14.c.1.l.b

Coadiutoris inſtituẽdi duæ ſũt cauſæ, 14.c.1.d

Duo ſunt caſus in quibus extra Galliam, Coadiutorem ſibi ſubrogare ac dicere pro tempore quo viuet Epiſcopo, Papa non conſulto debet, 15.c.1.l.b

Coadiutoris induſtria in quibus hærere debet ſi temporalia tantum ei præcipiuntur, & in quibus ſi ſpiritualia, ibid.c.2.l.a

Cœnobiarchæ auctoritas terminis domus ſuæ regulatis eſt concluſa, 26.c.2.l.c

Cœnobiarcha fiduciarius, clauſtralis præfecturæ prærogatiuam Priori electo aut Canonicè inſtituto abrogare non poteſt, 21 c.2.l.c

Cœnobio extrudi debet qui non propter pietatem, ſed pretio accedit, 31.c.2.l.d

Collatio in conferente iuriſdictionem exigit .60.c.1.l.e

An collationem reddat inualidam defectus ætatis requiſitæ in Canonicis per Concil. 226.c.2.l.c

Sunt tempora quatuor numero tantum in quibus collatio excõmunicato facta eſt valida, 222.c.1.b

Collationis validæ ſeptẽ cõditiones, 44.c.2.a

Collationis deffinitio, 42.c.1.l.c

Collator ordinarius poteſt iure ſuo excidere, quod ei ex propria muneris ſui ratione conuenit, conferendi beneficij cùm vacat, 57.c.2.l.b

Collator quibus de cauſis iure ſuo decidat, 57 c.2.l.d.& ſeq.

Collator euoluto ad conferendum præfixo tempore iure ſuo cadit, 56.c.2.l.b

Ad collationem beneficij quantum detur temporis ei, ad quem ab Ordinario eadem collatio tranſmiſſa eſt, 57.c.1.l.b

Collatio contra reſcriptum facta in quibus caſibus ſit valida, & in quibus non, 53.c.2.b

An facta à Capitulo beneficii collatio, ex priuilegio, titulum coloratum in prouiſo pariat, 340.c.1.l.b

An beneficii facta per ordinarium collatio irrequiſito Patrono, tituli acquirendi qui colorem habeat, cauſa ſit ac ratio, ibid.l.d

Collatio beneficii ante ætatem, quam in beneficio, concilium exigit, ipſo facto non eſt nulla, ſed irritanda, 258.c.2.l.c

Collatio Beneficij vacantis certo modo, propter tres caſus ordinario relinquitur, 245.c 1.e

Etſi collatio beneficij facta illiterato, fortè ſit valida, eo tamen priuari poteſt, & ſi in eius poſſeſſione relinquitur eo abſtinere debet, aũt neceſſariam ad illud ſcientiam quærere 231.c.1.l.d

Quid ſit collationem fieri numeri ad numerum, zeli ad zelum, & an hæc ſit ſubſtantialis electioni quæ fit per ſcrutinium, 110. c.2.l.c

Collatio beneficij alteri quam mandatario facta, certis temporibus non tenet, 136.c.1.e

Ad collegium quot requirantur perſonæ, & & ad iura eius retinenda, 108.e

De concubinariis ratione beneficiorum quatuor dicenda, 229.c.2.l.e.& ſeq.

commendarum, temporalis & perpetuæ differentiæ plures, 17.c.2.l.c

commenda perpetua ſæcularis eſt beneficium & cur, 18.c.1.l.c

De Reſignationibus publicandis regula in in Gallia recepta eſt, ibid.c.2.l.b

commendæ initium vnde ſumi debeat, 19 c.1.l.a

commendatarius neque perpetua commenda, neque temporali priuari poteſt, 19.c.2.a

commẽdæ temporali ſtatuendæ & perpetuæ

8o,
cauſa iuſta poſtulatur, 29.c.2.l.d
Commenda vna non eſt cum alia incompatibilis, 20.c.2.l.e
Commendatarius poteſt ſibi vſurpare idem quod Beneficiarius, 21.c.1.l.b,& ſeq.
Commendatarius ſtatum Monaſterii non poteſt commutare, 21.c 2.l.c
Commendare Parochias non poteſt Epiſcopus vltra ſex menſes, 25.c 1.l.c
Commendatario licet animaduertere in Monachos, 26 c.1.l.b
Commenda quid ſit, 17.c.1.l b
Commendæ & Depoſiti differentia, ibid.l,d
Commenda ſi iuris eſt Patronatus Laïci, non debet cōferri niſi Patroni cōſenſu, 20.c.1.l.c
Commendatarius poſt præſcripta Canonibus interualla, non poteſt nouitium triplici voto in Monaſterium admittere, niſi ſit Cardinalis, 22.c.1.l.b, nec vtitur ſpirituali & ſacra cenſura in Monachos. ibid
Compromiſſum quid, 88 c.2.l.e
An conſenſus tam Epiſcopi quam capituli expreſſus eſſe debeat, ibid l.e
An contractus de quo ſuperiori quæſtione eſt actum, quo nempe res Eccleſiaſtica minoris venditur quam poſſet, ſit ratus, 490. c.1.l.b
Poteſt Pontifex contractum ex officio non præſtito reſtitutionis obligationem ei remittere, cui eſt neceſſaria, 464.c.1.l.c
Conuentus Fulienſis Religioſi ſibi generalem cooptant, 190.c.1.l.a
Crimina publica iter ad ſacerdotia Eccleſiaſtica recludunt, 100.c.1.l.c

D

DEcanatus prælaturæ nomen non obtinet, 185.c.1.l.e
Depoſitarius re depoſita vti nequit, 17.c 1.l.d
Depoſitum & Commenda in quibus conueniant, 17.c.1.l.e
Deuolutio quid ſit, 54.c.2.l.c,& quomodo, ib.
Dignitas quid ſit, 8.c.2.l.e
Dignitates in Eccleſiis Cathedralibus Papæ ſunt reſeruatæ, vt & principales in Collegiatis, 53.c.2.l.a
Dignitatem Eccleſiaſticam qui per abuſum poteſtatis Laïcæ conſequitur, eius dominium plenum ac integrum non habet, 107. c.1 l.e talis autem debet puniri, ibid.c.2.l.d
Vt dignitatis cuiuſuis adeptione vacet beneficium primo obtentum, conditiones quæ, 400.c.2.l.e
Diſpenſatio appellatur beneficium, 1.1.c.l.b
Diſpenſatio cuius ſit actio, 25.c.1.l.b
Papa de iure poteſt diſpenſare ſecundum plenitudinem poteſtatem ſupra ius, 300
An diſpenſare poſſit Epiſcopus in ætate requiſita lege Eccleſiæ ad beneficia, 228.c.2.b

E

ECcleſia Parochialis vacat ipſo iure extra Galliam, etiamſi nulla monitione præcedente, per non promotionem ad ſacerdotium intra annum à die obtentæ poſſeſſionis, 248.c.2.l.e
Eccleſia quæ vnitur alteri, eius cui additur naturam aſſumit, & ſuam relinquit, 281.c 2.l.a
Eccleſia niſi de dote eius ſit prouiſum non eſt conſecranda, 147.c.2.l.c
Qui Eccleſiam Parœcialem recipit, non intendens promoueri ad ſacerdotium, peccat & tenetur ad reſtitutionem fructuum, 218 c.1 l.e
Eccleſiaſtici quæ ſunt iuris, & non diuini, in iis Papa diſpenſare poteſt, 61.c.1.l.c
Eccleſias regulares ac Epiſcopales intra tres menſes à die quo vacant, ideo homini committere neceſſum eſt, 57.c.1.l.d
Res Eccleſiæ ſine iuſta cauſa ac Pontificis venia alienari non poſſunt, 477.c.2.l.d
Rei Eccleſiæ alienantis pœnæ ſunt variæ, 478.c.1.l.c, feriuntur anathemate, ibid
Electionis deffinitiones, 87.c 2.l.b
Ad eligendum quinam ſunt apti, 88.c.1.l.a
Electio duplex. ibid.l,e
Electio per ſcrutinium in quibus beneficiis locum habeat, 108 c.1.l.e
Electionis præſes non poteſt nominare aliquem de conuentu quem ſuffragatores eligant, &c. 106.c.2.l.b
In quibuſnam beneficiis electioni ſit locus, 90.c.1.l.b
An electo ius ad beneficium, eiuſque prouentus competat, 90.c.1.l.b
Vtrum beneficia electi ad prælationem illico vacent, ſtatim atque eſt ad eam vocatus plurimorum ſuffragiis, 90.c.2 l.c
Electio quando, & quo tempore facienda, 91. c.1.l.e
Eliguntur verè qui ſunt in mortali, 99.c.2.l.c
In electione facienda peccari quando & quomodo accidat, 112.c.1.l.b.& ſeq.
Electionum duplex eſt genus, 178.c.1.l.c
An ad electionem Canonicis aut regularibus progredi liceat cùm a Conuentu quo ſuffragandi cauſa venerunt, de eorum ſe numero abſque neceſſitate non pauci ſubducunt, 111.c.1.l.d
Electio facta per ſortē eſt inualida, 109.c.1.l.a
Vtrum ſit electioni eſſentiale quod ſcrutatores tres ſint numero, & non pauciores aut plures, 109.c.1.l.d
An qui electioni intereſſe non poteſt poſſit aliquem alium ſubrogare in ſuas vices, 109 109.c.2.l.a
Eligere quibus ſit interdictū, 92 c.1.l.c.& ſeq.
In Electione quæ ſunt vitanda, 93 c.1.l.a
Indignitas in electione duplex accidit. ib.l.d
Electionis accidentia & ſolemnitates, 94.c.1.d & ſeq.
Electio per ſcrutinium quando fiat, 89.c.1 l.c
Electio vnius abſentia non redditur irrita, 89 89.c.2.l.e

Electio

Electio non eſt vnius, ſed nominatio, 88.c.1.c
Electionis tres ſunt modi, 88.c.2.l.d
An electio ad beneficium excommunicati excõmunicatione maiore ſit rata 225.c 2 l.c
Ad electionem ſeruanda, 105.c.1.l.a, & ſeq.
Electus tenetur ad multa, 101.c.1.l.b, & quæ in ſeq.
Emptio reſpectu Simoniæ quid ſit, 520.c.2 l.c
Epiſcopi olim ſibi non eligebant ſucceſſores, 14 c.2.l.c
In Epiſcopi ordinatione quæ cæremoniæ obſeruentur, 97.c.1.l.d
Peccant Epiſcopi ac beneficiarii reliqui, propinquos locupletando de bonis Eccleſiæ, 496.c.2.l.b
Papæ eſt ius in Epiſcopo ſucceſſorem dare, 15. c.1.l.a
Epiſcopus confirmatus, & non conſecratus, poteſt munera ſui beneficii obire, 102.c.1.l.a
Ad Epiſcopatum aſpirare nemo poteſt iure communi qui annis triginta ſit minor, 240 c.1.l.b
Epiſcopatus, Parœciæ, & alia beneficia curam animarum habentia, quæ ſine diſpenſatione legitima obtinentur, ſeruari in conſcientia non poſſunt, ſi diſpenſatio Pontificia cauſa non nitatur iuſta, 397.c.2.l.c
Epiſcopatus contuliſſe Gallos Reges olim liquet, 60.c.1.l.a
Epiſcopatui & Abbatiæ non ſunt præficiendi niſi quos rex ſuo libito velit, 10.c.1.l.d
An excommunicato excõmunicatione maiore, eligendi ius competat, 226.c.1.l.a
Excommunicatus excommunicatione maiore, an beneficium ſibi collatum antequam cenſuram incurreret, acceptare valeat, 227 c.2.l.b
Excommunicatio quæ beneficio iam acquiſito ſuperuenit, an collationem eius reddat irritam, 228.c.1.l.b
Excommunicandi ſunt raptores, verè tamen extra Eccleſiam ante Epiſcopi ſententiam non ſunt, 258.c.2.l.d

F

Fiduciarius Cœnobii Antiſtes in mortui Monachi peculiũ non ſuccedit, 22.c 1.l.c
Fructus nulli ſunt debiti ei qui ſacerdotium in manu ordinarij Collatoris, purè depoſuit, 306.c.1.l.a
Fructus & commoda beneficij ceſſi aut vacantis per obitum, ei ſunt iure communi danda, cuius in poteſtatem, beneficium Epiſcopi beneficentia, ac collatione veniet, ibid.l.c
Probabile eſt, enim cui nihil eſt penſi dum abeſt, vt vices ſuas è Clericorum numero aliquis obeat, beneficij ſui fructus nõ facere? 463.c.2.l.c

G

Gratia idem ac fauor, 126.c.1.l.c

H

Hæreticus etſi beneficij titulum ad diem poſt illi retineat, poteſt tamen impetrari ante ſententiam, 256.c.2.l.d
Hæretici vnde remoueantur à ſacerdotiis Eccleſiæ, 223 c.2 l.d
De Homicidis quoad beneficia attinet, 229. c.2 l.a
In Horarum recitatione non eſt neceſſe attentionem actualem eſſe verba, vel rem illis ſignificatam, aut Deum, 433.c.1.l.c
Tempus intra quod dici horæ debent, definitur integro ciuili die, 227.c.1.l.a
Verba dicenda cõcidere malũ eſt. 444.c.1.l.c
Horarum omnium omiſſio, non tantum eſt culpabilis, ſed & cuiuſlibet earum partis notabilis, 409.c.1.l.d
Qui partem Horæ vnius tertiam omittit non peccat, 410.c.1.l.b
Contra præceptum de horis vt quis peccet mortaliter, non eſt neceſſe vt eas omittat ex conſuetudine aut faſtidio, rerumque diuinarum nauſea aut contemptu, ibid.l.c
Ad mortale in hac materia non exigitur vt omnes horæ omittantur, ibid.l.e
Grauitas materiæ ad mortale in horis non recitandis vnde petatur, ibid.c.2.l.b
A recitatione Officij eſt liber puer qui niſi inuitus beneficiarius eſſe nõ vult, 113 c 1.l.c
Horas mutare ad arbitrium, & prolixis breues ſubrogare, Clerico non licet, 413.c.1.l.e
Officium mutare ſine iuſta cauſa, ac vice propria alienũ ſumere, eſt tãtũ veniale, ib.c.2 l.a
Officium non facit qui horas earumque ſenſum mente concipit, ore tantum, linguaque non enunciat, 414.c.2.l.a
Inter officium diſtractus ſciens debet fructus reſtituere, 437.c.1 l.c
Officij diuini perſoluendi lege tenentur qui ſacrorum ordinum ſunt Clerici, 404.c.1.l.c
Ad horas Canonicas obligati ſunt beneficiarii, etſi ſacro nullo ſint ordine inſigniti, 404.c.1.l.b
Horas Canonicas omittẽti ſine cauſa fructuũ perceptorũ reſtitutio imperãda eſt, 436.c.2 a
Non tenetur tamen beneficiarius omnia reſtituere ſi habeat alia munera facienda, 437.c 1.l.c
Conſtituta horis ſingulis tempora ſeruanda ſunt niſi excuſet aliqua cauſa, ibid.c.1.l.c
Horarum recitationem peruerti poſſe communior eſt ſententia, 428.c.2.l.c
Horis debet fieri initiũ ab intẽtione 429.c.2.c
Non eſt neceſſe vt recitans ſit ſine peccato, 430.c.1.l a
Virtualis ſaltem in beneficiario ad horas obligatio, intentio exigitur, faciendi præcepti [illegible] ibid.l.d
Officium celebrandi legi ſatisfacit, qui illud interrumpit verbis inutilibus aut otioſis, aut aliter, ſi non fuerit interruptio longa, 495. c.1.l.d

Ab interruptione qualibet horis præiudicium non accidit eiuſmodi, vt eius eas ab initio iterare oporteat, peræque ac ſi dictæ non eſſent, ibid.c.2.l.a
Peccatum eſt veniale ſine graui & iuſta cauſa profana colloquia ſacris amiſcere, ibid.l.c
Si eſt interruptio notabilis inter pſalmos vnius horæ, quæ continuationem tollat officij, eius perſoluendi lege non ſatis ſit, ibid.l.c
Tenetur ad horas qui à parentibus inuiti beneficium accipiunt, quanquam parentes ipſi fructibus potiantur, 443 c.1.l.a
Ad officium horarum cogi non debet qui è ſuo beneficio percipere fructus non poteſt, aut paucos accipit, 421.c.1.l.c
Precum tamen non omnino expers eſt, 422 c.1.l.a
Cauſæ ab horis eximentes, ibid.c.2.l.d
Non eſt horis eſſentiale vna potius hora diei dici quam alia, 426.c.2.l.d
Hoſpitalia quomodo non ſunt beneficia, 29 c.2.l.a
Hoſpitalia ex ſua inſtitutione Clerico dari ſolita ſunt beneficia, 28.c.2.l.2
Hoſpitalia cum Laïcis adminiſtranda traduntur non ſunt beneficia, 29.c.1.l.b

I

An Illegitimus aut tonſuræ Eccleſiaſticæ charactere non notatus acquirendi beneficij per triennalẽ ſit capax. 348.c.2.l.e
Inhabilis iure Eccleſiæ iuuatur regula de triẽnali ſi eſt eius inhabilitas occulta, 346.c.1.l.c
Indultarij præferendi non ſunt mandatariis, 138.c.2.l.b
Inſtitutio beneficij in quo conſiſtat. 42.c.2.l.e
Inſtitutio corporalis ad Archidiaconum, ſpiritualis vero ad Epiſcopum ſpectat, 43 c.1.l.a
Inſtituere quid ſit apud iuriſperitos, 42.c.1 l.d
Inueſtitura quid, 42.c.2.l.d
Inueſtitura Decano aliquando tribuitur, 43.c.1.l b
Inueſtituræ manualis munus cuiuſnam fuerit, ibid
Irregularis beneficium ſuum in manibus Papæ poteſt deponere, 317.c.1.l.a
Irregularitas quæ collationi aduenit an priuationem beneficiorum inducat, 226.c.2.l.b
Peccant regulares choro deputati, cum horam vnam officij diuini, aut plures, vel earum partem notabilem omittũt ſine cauſa,
Iuriſdictio interna & externa quid, 9.c.1.l.d

L

Leproſorum domicilia pari ſunt iure, quantum ad beneficij rationem, quo Xenodochia, 30.c.1.l.b
Litteræ binæ à Pontificibus dantur & quæ, 137.c.2.l.c
Litteræ nominatoriæ Regis, nulli debent dirigi niſi Papæ, etiam ſede vacante expectandũ eſt vt alius Papa eligatur, 181.c.1.l.e
Inter litteras gratiæ & iuſtitiæ plures intercedunt differentiæ, & quæ, 125.c.1.l.b.& ſeq.
Rerum Eccleſiæ locatio eſt prohibita non omnibus tamen, 479.c.1 l.a
Locari quando poſſunt res Eccleſiæ, ibid.l.d

M

Mandatum, varia ſignificat, 134.c.1.l.c
Mandati forma in vſu fuit Romæ ante concordata. ibid.c.2.l.b
Mandatum Papæ non ceſſat eo moriente, et ſi non ſit peragi inceptum, 136 c.1.l.a
Mandatum eſt priuata quædam lex, & illi nõ poteſt derogari à Legato, 138.c.1.l.d
Mandato diplomatico ille eſt reſtrictus, qui ius ſibi ſacerdotiorum retinuit, 139.c.1.l.d
Mandatum vt valeat quæ ſint conditiones, ibid.c.2.l.b.& ſeq.
Mandatarij quæ munera, vt ab ordinario non poſſit recuſari, 140.c.2.l.d,& ſeq.
Quæ mandatorum Pontificiorum eſt ratio, eadem eſt quoque Nominationum quarum rex eſt auctor, 189.c.1.l.b
Qui mandauit mandatum ſuum reuocare poteſt, 301.c.2.l.d
Mathurinorum domus non poſſunt commẽdari, & quare, 24.c.1.l.a
Monachus à ſuo beneficio remoueri nequit ab Abbate, cum illud per reſignationem alterius, ſibi in manibus Papæ factam eſt adeptus, 32.c.1.l.d
Monachus qui Clericus eſt, & in profeſſione ſua inter Clericos eſt accenſus, ab horarum eſt recitatione liber, ſi ſuperioris eſt auctoritate in conuerſorum numerum tranſlatus 408.c.1.l.e
Monaſteria proprie viris & non Monialibus ſine adiuncto dici debent, 180.c.1.e

N

Nominare poteſt rex alium ad Epiſcopatum, cum primum obtulit qui ſit mortuus, 182.c.2.l.c
Nominari poſſunt in Epiſcopatum aut Abbatiam, præter Doctores Theologiæ aut iuris, regis conſanguinei, perſonæ ſublimes, aut religioſi mendicantes excellentis ſcientiæ, &c. 184. c.1.l.a,& ſeq.
Nominationi Regis quinam non teneantur, ibid
Rex non nominat niſi Prælatos, 185.c.1.l.e
Nouitius religioſus eligi poteſt in Epiſcopũ, 5.c.2.l.b

O

Officium in Eccleſia quid ſit, 9.c.1.l.c
Officia clauſtralia in Gallia habentur pro beneficiis, 12.c.1.l.b
Officiorum duo ſunt genera, 35 c.1.l.b
Officium Sacriſtæ ſeu theſaurarij vere & proprie eſt beneficium, ibid
Officium quid, ibid.c.l.e
Officiã regularia, etſi ordinariè non ſint beneficia, ſunt tamen in Gallia, ibid.c.2.l.a

Ordinatio ſine patrimonio aut titulo facta eſt irrita, 2 c.2.l.c

P

PArocho nequidem ob non ſuſceptum Presbyteri ordinem ante finem anni relinquenda videtur Parochia in conſcientia, ante ſententiam iudicis executoriam, 257.c.1.l.a
Parocho quæ non ſunt ignoranda, 236.c.1.l.c
Parochis valentibus adiutores non dantur in Francia, 16.c.2.l.a
Parœcia, rectoria & plebania dicitur & qui in ea præeſt rector, &c. 9.c.1.l.c
Patronus quis ſit, 146.c.2.l.a
Ius Patronatus duplex, 16.c 2.l.c
ad Patronatus nomen quid requiratur, 147.c.1.l.c
Tribus de cauſis ius Patronatus acquiritur, ibid.c.2.l.a
Eiuſdem Eccleſiæ poſſunt eſſe Patroni plures 148 c.2.l d
Ius Patronatus poſt Eccleſiam fundatam & ædificatam acquiri poteſt, 148.c.2.l.d
Ius Patronatus in Eccleſia quomodo deſtruatur, 149.c.1.l.a
Ad Patronum pertinet tueri Eccleſiam quam conſtituit aut dotauit, ibid
Patronus ius ſuum præſentandi amittit, ſi ſe nominatus ordinario non præſentet intra tempus a iure præſtitutum, 163.c.1.l.a
Patrono fas eſt alium eligere, ſi nominatus præſentationi de ſe ab eo factæ conſenſum non dedit, ibid.l.b
An variare Patrono ſit licitum, 163.c.2.l.a
Ius Patronatus amitti quomodo ſoleat, 164 c.1.2.c
An ius Patronatus vẽdi poſſit aut permutari, 164.c.1.l.c
Patronum, antequam nominet noſſe oportet, eum quem Epiſcopo offerre deſtinat, his inſtructum rebus eſſe, quibus qui caret, errori in Sacramentorum vſu, ac procuratione mentium patet, ibid.c.2.l.d
Patronus Eccleſiaſticus peccat, præſentando minus idoneum, cum haberi dignior poteſt, 155.c.1.l.a
Patronus in multis peccare poteſt, ibid.c.2.l.a
Patrono quæ pœnæ ſint debitæ, ibid. & ſeq.
Patronus poteſt cum Papæ aut ordinarii facultate; penſionem à ſuo beneficio petere, & obtinere, in limine ſuæ fundationis, 161 c.1.l.c
Patronata beneficia ſine Patroni conſenſu non poſſunt reſignari vel vniri, in manibus Epiſcopi aut ordinarij, ibid.c.2.l.a
Regem præſentare ad beneficia certum eſt, 177 c.2.l.b
Poſt ſex menſes poteſt præſentare ad Epiſcopatus, 178.c.1.l.b, ad vacantia Monaſteria religioſum eiuſdem ordinis, ibid. ad prioratus conuentuales electiuos, ibid
Quibus de cauſis rex à nominandi iure excidat, 178.c.1.l e, & ſeq.
Patronis Eccleſiaſticis aliquantò plus moræ ac temporis ad præſentandum indulgetur, à Canone quàm Laïcis, ibid
Vt iure præſentandi ſibi per leges Eccleſiæ conceſſo Patronus excidat quid requiritur, ibid.c.1.l.e
Patronis nó conſentientibus ad præſentationem, ſi ius Patronatus ad Collegium aut Vniuerſitatem pertineat, hic præferendus videtur cæteris, in quem plurium ſuffragia conſenſerint, 151.c.2.b
Tres adhuc modi iuris patronatus acquirendi 148.c.1.l.b
Patrono ad inopiam redacto ex beneficio cuius eſt auctor, debetur penſio, 160.c 2.l.e
An tempus, quod eſt Patronis ad præſentandum iure præſtitutum computari à momento in momentum, debeat, 162.c.1.l.c
Tempus Patrono conceſſum præſentandi ad beneficia incipit à die vacationis, 150.c.2.l.d
Patronatus effectus qui ſint & quales, 149.c.1.c & ſeq.
Ius Patronatus transferri poteſt ſucceſſione, donatione, permutatione, & venditione, 157.c.2.l.d
Non videtur eſſe è re communi Eccleſiæ, vt Pontifex iuri Patronatus Laicorum ordinariè deroget, 153 c.1.l.a
Super beneficio, quod eſt iuris patronatus Laici, poteſt ſine Patroni conſenſu penſio imponi, 160.c.1.l d
Penſio non eſt certa portio fructuum ex beneficio ſeparata ad tempus, 351.c 1.l.d
Penſio vtrum in beneficiorum numero ſit ponenda, ibid.c.2.l.d
Penſionũ ſpecies multæ, & quæ, 352.c.2.l.b
Dantur tempora quibus Epiſcopus penſiones imponere poteſt, ibid.l.e
Ad penſionis canonicæ conſtitutionem ab Epiſcopo, tres requiruntur conditiones, 355 c.1.l.b
Penſionis incapaces ſunt illegitimi, ibid.l.c.
Penſio imponi nulla poteſt, ſine conſenſu beneficiarij, 356, c.1.l.a
Penſionis validæ conditiones, ibid. & ſeq.
Tunc eſt penſio maior quàm ferat æquitas, cũ inter eam & beneficij reſiduos reditus nulla eſt proportio, aut &c. 357.c.2.l.c
Penſio communiter non debet annuorum redituum partem tertiã excedere, ibid.l.d
Habet Curiæ Romanæ ſtylus vt ſuper beneficio, cuius obuentiones annuæ 24. ducatos non excedunt annua imponi penſio non ſoleat, 358.c.1.l.c
In penſione conſtituenda, maſſæ communis, ſeu groſſæ ratione in primis habenda eſt, ibid.c.2.l.d
Quando non alij prouentus commodaue debentur beneficiario Clerico, quam quæ ra-

tione collatæ operæ ſibi iuſte poteſt petere aſſeruare, ſuper iis imponi penſio non debet, ibid.
Penſio imponi poteſt in quotidianis beneficii obuentionibus, quos manuales diariaſque diſtributiones appellant, ibid.l.c
Penſio data militi aut Laico redimi ſine vlla Papæ facultate poteſt. 360.c.1.l.d
Emi penſio non poteſt quæ Clerico, vt Coadiutori Epiſcopi v.g. datur, cum onere exequendi ſpiritualis officij, ibid.c.2.l.b
Penſio ſine auctoritate Papæ non poteſt redimi ſine culpa, 361.c.1.l.b
Ceſſat penſio per contractum auctoritate Papæ factum, &c. 362.c.1.l.b
Ceſſat item per contractum Matrimonij, verbis de præſenti, & non futuro tantum initi, ibid.l.d
Penſio extinguitur penſionarij morte, ibid.l.e
Extinguendæ penſionis tres alij ſunt modi, ibid.c.2.l.a
Penſione ſibi debita poteſt penſionarius cedere, ſi reſignatarius conſentiat, 363.c.1.l.d
Facere id nihilominus penſionario ſine conſenſu non licet, ibid.l.e
Eam facultatem ab homine & perſonalem, quarum poſtulationi eſt hæc indulta a Pōtifice ex cauſa, eaque cognita, ibid.c.2.l.c
Eſt penſionis conferendæ in alium auctoritas militibus SS. Petri & Pauli iure conceſſa, ibid.c.2.l.e
Pēſio cui beneficio imponēda ſit, 364.c.2.l.b
Penſio nō eſt poſtulanda in foro externo, niſi poſt receptas ab vrbe literas, 367.c.1.l.a
Penſio non niſi literis Romæ expetitis, ſecundum vſum ſtylumque Romanæ Curiæ, dari poteſt vel exigi, ibid.l.c
Pēſionis imponēdæ cauſæ quatuor, 369.c.1.l.a
Penſio multis irrita fieri poteſt, 370.c.1.2.c
Penſio tempore litis mixto debetur ab eo qui beneficij reſignati fructus percipit, 371.c.2.d
Permutatio quid ſit, 327.c.1.l.b
Permutatio abſque Patroni conſenſu facta aut eſt ipſo iure irrita, aut petenti Patrono reſcindenda, 157.c.1.l.b
Permutatio debet eſſe libera, 329.c.1.l.c
Ad permutationē quæ ſūt neceſſaria, ib.c. 2.a
De Permutationis ratione quid ſit, ibid.
Beneficij permutationem promiſcue admittere non eſt integrum, 328.c.1.l.c
Permutationes beneficiorum ſuperiorum ſunt, &c. 327.c.2.l.c
Permutari quæ loca ſint idonea, & quæ habenda pro beneficiis, 333.c.1.l.b
Perſonatus in Eccleſiis Cathedralibus aut collegiatis ſunt beneficia, 36.c.1.l.b, ſunt tamē ſimplicia, ibid.
Perſonatus non ſunt perpetui, ibid.l.d
Perſonatus poſſideri niſi à Clericis ſæcularibus aut regularibus nequeunt, nec poſſunt commutari cum beneficiis aliis, ſed reſignati queunt Clericis, 36.c.1.l.e
Perſonatus quid, 9.c.1.l.b
Perſonatus vacant per matrimonium, ibid.c.2.l a, perpetuari poſſunt vltra habentis vitam, ibid.
Ad perſonatum alicuius Eccleſiæ nullus ſe ipſum poteſt præſentare, 313.c.2.l.c
Portio Eccleſiaſtica quomodo dicatur eſſe perpetua, 3.c.2.l.c
Portiones quæ dantur Clericis, &c. non ſunt beneficia, 39.c.2.l.e
Triennalis poſſeſſio ortum extrahit a Pontificibus, Conciliis & legibus, 338.c.1.l.d
Poſtulatio quid ſit, 123.c.1.l.c
Poſtulandi quinam ius habeant, 123.c.1.l.e
Poſtulationis & electionis, conuenientia, & differentia, ibid. c.2.l.b, & ſeq.
Poſſeſſio triennalis non quælibet, acquirendi beneficij, aut retinendi quod eſt acquiſitum, ius tribuit, 339.c.1.l.a
An regula de triennali in conſcientiæ foro locum habeat & à quo, 349.c.1.l.e
Ad triennalem poſſeſſionem conditiones, 341.c.1.l.c
Præbendæ ſignificatio quadruplex, 7.c.2.l.d
Qui ex præcepto Eccleſiæ tenetur ad horas, ex auctorum ſententia probabili peccat mortaliter, qui ſeſe data opera diſtrahi ſinit, 431.c.2.l.a, eſt tamen oppoſita non improbabilis, 432.c.1.l.e
Vt præceptum Eccleſiaſticum impleri queat, non curatur diſtractio exterior, eſt tamen ſemper in culpa, qui cum ea orationi animum applicat. 433.c.1.l.c
Præceptoriæ variè diſtinguuntur, 36. c. 2.l. d
Præceptoria Theologalis verum eſt propriumque beneficium, 37.c.2.l.a
Præceptio Magiſtralis ac Scholaſtica eſt beneficium, ibid.l.d
Præceptoriæ promiſcuè tam Clericis quam prophanis conferri ſolitæ, etſi reditibus ſacris ſint ornatæ, tamen non ſunt beneficia, 37.c.1.l.c
Præceptoriæ S. Antonii verè ſunt beneficia 38.c.1.l.c
Præceptoriæ S. Ioannis Hieroſolymitani, & ſi non ſint quorundam opinione beneficia contraria tamē opinio videtur verior, ibid. c.2.l.b
Monaſticæ præceptoriæ ordinis S. Antonii ſunt beneficia, 29.c 1.l.a
Prælatus & Decanus iuriſdictionem habent fori interni & externi, 185.c.2.l.e
Prælaturæ duplex genus maior vna, minor alia, 9.c.2.l.a
Se ipſum præſentare Patronus non poteſt, nec immediatè, nec mediatè per alium, 154
Quemlibet, modo idoneum præſentare Patronus poteſt, ibid.l.c
Peccat qui indignum inſtituendum ordinario offert, ibid.l.d

Qui

Qui præſentat indignum aliquem Pontifici, peccat, 182.c.1.l.a
Præſentari poteſt alius in Epiſcopatū à Rege cùm prius indignū præſentauit, 182 c.1.l.d
Menſes computandi ſunt ad præſentandum, & à die vacationis, aut ſcientiæ de ea, occurrunt in Calendario, ibid.c.2.l.a
Præſtimoniis officij dicendi onus, annexum eſt, quando dantur in titulum perpetuum, & habent ſpirituale aliquod obſequium, quod facere Laïcus nequeat, 443.c.2.l.d
Prouentio quid ſit, 14.c.1.l.d
Priores fiduciarij ſeculares, non tenentur obedire Abbati Religioſo, 26 c.2.l.c
An priori Commendatario ſeculari ſuccedat Abbas, 27.c.1.l.a
Prioratus ſimplex aut Conuentualis eſt beneficium, vt & Monachatus, 31 c.2.l.b
Procurator duobus modis inſtitui poteſt, ib l.c
An Procuratores ad Conuentum mitti bini queant, &c. 100.c.2.l.b
Proprium alicuius ei abſque iniuria eripi non poteſt, 23.c.2.l.c

R

Regula de infirmis reſignantibus non habet locum in Commenda temporali, 25.c.2 l.d
An Regula de 20. diebus locum tempore regaliæ habeat, 294.c.2.l.c
Religioſus ambire debet ac in ſumma laude ponere, quod à ſuperioris voluntate pendeat, 32.c.1.l.b
In religionē pecunia ingredi eſt malū. 31.c.l.d
Renunciationis quæ ſint circunſtantiæ, 288. c.1.l.d, & ſeq.
Renunciationem acceptare in iure Papæ eſt, 287.c.1.l.a
Reſeruationes in quibus fiant, 55.c.1.l.c
Reſcriptum emittitur morte concedentis niſi, &c. 133.c 2.l.c
Reſcriptum in quibus fit inualidū. 128.c.1.l.b
Reſcripta qua clauſula ſint expreſſa, ibid
Reſcripta quotuplicia, 126.c.1.l.d.& ſeq.
Reſcriptum quid, ibid.c 2 l.a
Reſcripta iuſtitiæ dantur à Principe iuſtitiæ adminiſtrandæ cauſa, 127.c.2.l.b
Reſcriptum ſpecialiter nuncupatum quid, 127.c.2.l.c
Reſcripta & reſponſa idem, 124.c.1.l.c
Reſcriptorum duæ ſpecies, 124.c.1.l.d
Reſidentia quid ſit, 453.l.1.l.c
Præ cæteris reſidentiam exigunt curata beneficia omnia, 455.c.1.l.c
Reſidendi obligatio Parocho, cæteriſque qui animarum curam gerunt eſt ſub mortali, niſi &c. 456.c.1.l.d
Non reſidendi cauſæ ſunt aliquæ, 457.c.1.l.c
Nō reſidētibus pœnæ ſunt debitæ, 460.c.2.l.b
Poteſt Epiſcopus abeſſe tribus aut quatuor menſibus, cōtinuis aut interruptis, ib.c.2.l.c
Non reſidentes qui per alium tamen præſtitere officium, quidquam naturæ iure de bonis ſecundi generis, non tenentur Eccleſiæ reddere, 463.c.2.l.d
Non perſonalis reſidentia deinde diuino poſitiuo, beneficiaribus omnibus imperata, 465.c.2.l.a
Vt quis cenſeatur Eccleſiæ ſuæ præſens eſſe, non eſt neceſſe vt ſedes quam ſibi ad incolendum delegit, in eadem ſit Diœceſi, in qua beneficiū ſuum eſt poſitū, 470.c.2.l.a
Cenſetur Parochus in propria commorari Parochia, quando his quos regit eſt facile illum audire, iſti autem Sacramenta illis, cum eſt neceſſe, miniſtrare, ibid.l.c
Reſignationes hypotheticæ, cum obligatione ſoluendæ penſionis annuæ de beneficij fructibus factæ, cum clauſula, &c. à Romano Pontifice admiſſæ ratæ ſunt ac validæ, 287.c.1 l.b
Reſignatio facta cum clauſula, &c. ius à reſignante non abdicit, quandiu poſitio non ponitur, 16.c.2.l.b
Reſignatio quæ ſimplex & in fauorem ius à reſignante ad beneficium ante poſſeſſum, & reſignatum abdicare illico ac eſt accepta ab ordinario, 288.c.1.l.a
Quæ beneficij reſignati propriæ ſunt functiones ac munera, hæc reſignans obire, reditusque eius percipere tandiu poterit, quandiu eius poſſeſſionem ingredi, reſignatarius non inducit animum, 306.c.2.l.c
Reſignans vbi primum eſt eius admiſſa reſignatio priuatus eſt iuris poſſeſſione. 307.c.2.a
Reſignatio quæ fit in manibus Laïci rata non eſt, 309.c.1.b
Reſignationes recipere quorum ſit, ib.c.2.l.d
Reſignatio cum clauſula, &c. ab alio fieri non poteſt quàm à Romano Pont. 310.c.1.l.d
Reſignāti fas eſt, quem ſuo nomine procuratorem ad reſignandum conſtituit, arbitrio ſuo reuocare, 302. c.1.l.b
Reſignatio beneficii valet facta per procuratorē in manibus Papæ, ab eoque admiſſa, antequam de eius reuocatione ad eam literæ venerint, ibid, l.c
Reſignationis deffinitio, 284
Reſignationis diuiſiones, ibid, c.2.l.a
Reſignanti cum voluerit ad reſignandum nominare quem volet eſt licitum, 311.c.1.l.d
Reſignationis dies a quo die computari debeant, 293.c.2, l.b
A quo ſint tempore computandi menſes aut menſis, intra quos aut quem publicari reſignatio debeat, 297.c.2.l.a
An reſignatio metu facta, aut vi extorta, ualeſcat, ſi poſt beneficij ab ordinario collationem factam, conſenſum reſignans præbeat, 291.c.1.l.c
Reſignationi publicandæ quantum ſit tēporis aſſignatum, 297.c.1 l.b
In Pontificis Romani eſt poteſtate reſigna-

tionis cum penſionis onere ponendæ, 353. c.2.l.a

S

An SAcerdos qui per interualla inſanit, ſacerdotium ei olim collatum, ſimpliciter vel alia quacunque ſpecie, curare queat validè, 290.c.2.l.a

Plura Sacerdotia poſſidere mortale eſt, quando ſingula beneficiarij præſentiam exigunt, 392.c.2.l.c

Sententia diuiditur à Doctoribus in condemnatoriã, declaratoriam, executoriã, 255.c.2.c

Lex ſententiæ ferendæ, nõ latæ, quæ, 257.c.1.e

Lex latæ ſententiæ non ferendæ quæ, ibid

Sententia ferenda non lata eſt cum canon, verbo aut participio futuri temporis exprimitur, 257.c.2.l.e

Simonia diuiditur, 522.c.2.l.b

Simonia ex genere ſuo mortalis eſt, 523 c.2 a

Simonia quid ſit, 520.c.1.l.c

Si de foro externo agitur, paruitas rei temporalis, quæ pro ſpiritali tribuitur, excuſat à Simonia, 523

In foro externo, quælibet parua pecuniæ ſumma data, vel danda pro re ſpiritali Simoniam efficit, 524.c.1.l.b

Etſi pretij dati pro re ſpirituali tenuitas, veniam à mortali non tribuat, ab excommunicatione tamen quæ eſt contra ſuſpectos de Simonia lata, excuſat, ibid l.d

Non eſt Simonia ex rei natura rem temporalem ei gratis dare, qui ſibi actum ſpiritalem aut officiũ talis naturæ exigeret, ib. c. 2.l.e

Quamuis ſit illicitum dare alicui ſpiritale, quia eſt conſanguineus aut amicus, & ſi eo ſit indignus, tamen non eſt proprie Simoniacum, 529.c.1.l.d

dare ſpirituale ex motiuo conſanguinitatis vel amicitiæ, eſt Simonia æquiuoce & impropriè. ibid.c.2.l.e

Simonia eſt ſolo iure Eccleſiaſtico vetita, beneficium commutare beneficio altero, ſine ſuperioris facultate, 334.c.1.l.c

Simonia non eſt res ſpirituales commutare cum alijs eiuſdem generis. ibid.l.e

Simonia humani iuris eſt ac Eccleſiaſtici in Sacerdotiorum permutatione auctoritate propria facta, 337.c.1.l.d

Simoniaci videntur eſſe qui ſuperioris auctoritate quidem beneficia commutant, ſed ea lege, vt vnus alteri penſionis nomine, redituum partem ſibi aliquam quot annis tribuat, compenſandæ inæqualitatis gratia, quæ eſt inter ea in obuentionibus annuis, ibid.l.e

Etſi non ſint damnandi de Simonia qui auctoritate ipſi ſua de penſione pretio redimenda conueniunt, non ſunt tamen ſine aliqua culpa, 361.c.2.l.e

Simoniaci regula de triennali poſſeſſione pacificæ non iuuantur in Gallia, 343.c.2.l.e

Regula de triennali poſſeſſione iuuari non poſſunt, qui iure aut natura ſunt ad beneficium inhabiles, 345.c.2.l.d

Simonia eſt ſi quis paciſcatur, 549.c.1.l.d

Sors in Eccleſiaſticis non eſt exercenda, 106 c.1.l.e

Sors in quibus caſibus valeat, ibid. c.2.l.d

Ad ſuffragium qui ſunt à Præſide admittendi, 91.c.1.l.c.& ſeq.

An cum agitur de aliquo negotio in Capitulo, deffiniri illud ſchedis debeat, & ſi non, an ſuffragia certa eſſe oporteat, 111.c.2.l.b

Nomine ſuperioris in ordine ad permutationem, intelligitur Capitulum ſede vacante, 328.c.1.l.b

Quis ſuperioris nomine intelligi debeat, cum conſenſus eius dicitur eſſe ad validitatem alienationis neceſſarius, 488

T

TItuli color tollitur cum inhabilitas eſt publica, ibid.l.e

An titulus qui tantum eſt præſumptus, ſufficiat ad effectum de triennali, 348 c.2.l.d

Titulum habet coloratum, ad beneficium qui non eſt intruſus, 339.c.1 l.c

Titulus quid ſit, ibid

Titulum duo faciunt, legitima poteſtas conferentis, & capacitas præſcribentis, ibid.

Ad Titulum coloratum duo exiguntur, & quæ, ibid.c.2.l.d

An Titulus qui ſub finem anni tertij coloratus eſſe incipit, ad effectum acquirendi dominij, per regulam de triennali poſſeſſione pacificæ, ſit ſatis, ibid.l.e

Tractatus nomine quid intelligatur, 482.c.1.c

V

VAletudinaria publica ab Eccleſiaſtico olim regebantur, 28.c.1.l.d

Vnio beneficiorum quid, 278.c.1.l.d

Vnionis beneficiorum faciendæ cauſæ plurimæ, 281.c.1.l.e,& ſeq.

Vniones perſonales ac tẽporariæ Eccleſiaſticorum munerum coniunctiones non probantur in Gallia, 282.c.1.l.a

Vniendi tana cauſæ legitimæ, ibid

Vnio vt fiat quid requiritur, 282.c 2.l.a,& ſeq.

Vnio de principali facta quando non ſit, 283. c.2.l.b

X

XEnodochia varij ſunt generis, 28. c.1.l.a

FINIS BENEFICIORVM.

1021607

Digitized by Google